Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
8
F
23
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOPHILI
RAYNAVDI
SOCIETATIS IESV THEOLOGI,
ASCETICA.

VIDELICET

I. Iudæ Poſteri, Apoſtatæ à Religioſis Ordinibus.
II. Religioſus Loricatus: Quatenus liceat viris Sacris Arma tractare.
III. Malevoli erga Religioſos, Maledicti: Benevoli, Benedicti.
IV. De Amore nationis & cognationis temperando.
V. Pratum ſpirituale: De varia Chriſtiana Hiſtoria huius ætatis Centuria vnica.
VI. De Excellentia & pretioſitate voti.

TOMVS DECIMVS-SEPTIMVS.

CVIVS PARS HACTENVS INEDITA, PARS ALTERO TANTO FERE AVCTIOR.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXV.

Cum Approbatione, & Permiſſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

PATRI

IOAN. PAVLO OLIVÆ

SOCIETATIS IESV, PRÆPOSITO GENERALI.

STVDII erga Te mei, PATER REVERENDISSIME, tributum pridem & vota diſtuli, vt haberem quo Tuam, quam ambio gratiam, continuò demererer: nec dubito quin eam huic muneri tribuas, qui ſciam & quo Religioſæ apud Te laudes loco ſint, & quo Theophilus fuerit. Coluiſti hanc arborem gnavus ac indulgens agricola, nullam ab ea, quam quidem impertiri poſſes, curam paſſus deſiderari: vt, quæ partem ævi diuturnioris nullam inanem habuerat, extrema hyeme, inertique, vt ferè fit in ſenio, fructibus abundaret. Obſtupuere vulgò ad hanc vbertatem periti rerum atque ſapientes; arbor ipſa frondes ſuas ea tempeſtate, & poma non temerè ac de nihilo demirata; ager demum plantarum felicitate feraciſſimus, tot ſe licet cir-

cum beatæ humo arbores tollerent, ingenium tamen nobile huius vnius imprimis fœcunditate approbavit. Sed admirationis huius partem non exiguam cultoris ars ſibi atque induſtria vindicavit: quare Tibi, cùm id muneris offero, nihil me puto niſi Tuum repræſentare.

Hæc ab auctore dignitas, nec ambigo quin abs Te operi etiam gratia concedatur. Quid enim Religioſis Tibi laudibus poteſt eſſe iucundius, quas reſpueres licet quod Tuæ ſint, Tuorum attamen quod ſint propriæ probarentur. Eâ valuerunt hactenus ſapientiâ, vnde plagas in orbis omnes diſciplina dimanarit ac inſtitutio; eâ animi magnitudine quæ de tribus iiſdem, qua nempe patet orbis partibus, glorioſiſſimè triumpharit; eâ demum modeſtiâ, quâ ſe aliorum cenſent de numero, quorum præcipua ab vulgo omnia ſecernuntur. Verùm inde ducunt exempla vnde ad ſe documenta pervenire intelligunt, exequeris ante, quam præcipis; non minùs factis doctor quàm verbis: vt ſparſus latè in membris vigor, melior in capite, vt in ſole coguntur radij, colligatur. Et verò quæ ſapientia? (nihil Præfecturam hanc Tuam partam loquor, ac geſtam) eſſet hîc tamen quod æquus quilibet rerum æſtimator, non ſine admiratione prædicaret; aliorum de Te iudicia affero, quibus nemo poſſit ſine audacia ac temeritate refragari. Ea inquam eſt, quæ tot annos divinarum rerum apud eos interpres

terpres fuerit, qui divina populis iura dicunt, myſteriorum arbitri; ea quàm ampliſſimus Cardinalium ordo non tam ſuis de Te iudiciis, quàm admirationibus apertiſſimè commendavit: Ea demum quæ tantam in eâ cœtus auguſtiſſimi celebritate lucis copiam explicarit, quæ ſolis inſtar & quæ præceſſerint, & ſecutura longè in iiſdem ſpatiis ſidera obſcurarit. Iam quæ vis animi? quam nihil præfecturæ quam geris curæ deiecerint, nihil gravis infregerit negotiorum moles, nihil nunquam intermiſſa rerum adminiſtratio fatigarit: ad clavum ſedes ſapiens gubernator, immotus, ſive venti aſpirent ac maria; ſive navigationi turbines adverſentur. Attamen magnitudinem animi ac ſapientiam, Tua incredibilis modeſtia ſuperavit; cogenda fuit, quæ parere vellet, aliis imperare, ſupremum ordinis honorem Tui lacrymis reſpuit, quibus repulſam alij ac deſiderium proſequuntur, eo imperio dignior quo certius obſequium adamaret. Tuorum ergo ſunt, Tuæque Religioſæ laudes; frueris illorum bono, quod Tuum agnoſcas; Tuo illi gaudent, quod longè latéque collectum in Te ex omnibus admirantur. Neque recens hîc honos Tuus, vetus hæc vox, celebratiſſima ſermone omnium, qui ſi tacerent, vnius tamen laudes has omnes Tuas, quæcunque informari oratione poſſent, glorioſo de Te iudicio ſuperarem: cuius cùm ſapientiæ nullus inquam fucus illuſerit, tum ea dignitas

ad cuius pedes Principum, Regúmque capita demittuntur. Neque ſanè poſſes eius ſententiam averſari, cui reverentiam debeas, neque adulationem in tanto nomine ſuſpicari. Quid autem potuit Tuâ virtute dignius vſurpare quàm cùm Te virum ſecundum cor ſuum, ideſt, vt interpretor, vigilem, pium, ſapientem, in pleno Tuorum conventu antiſtitem appellavit. Laudes ampliſſimæ vocis huius compendio contrahuntur; ſed ſilere præſtat vbi oraculum melius audiatur. Interim ne ſic muneris laudes æſtima, quin quod hîc libuit apertiſſimè profiteri, ſtudium & obſervantiam amplectaris

REVERENDISSIME PATER

Addictiſſimi
HORATII BOISSAT,
ET
GEORGII REMEVS.

IVDÆ POSTERI APOSTATÆ A RELIGIOSIS ORDINIBVS.

LVCVBRATIO

R. P. THEOPHILI RAYNAVDI EX SOCIETATE IESV;

QVA ET PRIMARII QVIQVE A COETIBVS Religioſis Apoſtatę, Iudę primicerio ſuccenturiati deſcribuntur; & provecta gradatim ad ſummum iniquitatis faſtigium atrocitas huius ſecundę proditionis Christi Domini, ex Scripturarum & Patrum oraculis, demonſtratur, adversùs recens tentatam novo impietatis magiſterio, complanationem vię ad huiuſmodi barathrum.

ANTELOQVIVM.

HEV me ò anima? *Ita & ego nunc cum Propheta tempeſtivè dico, & ſemel, & iterùm, ac ſæpiùs. Heu me ò anima! Quale negotium, & quanta refertum ſermocinatione!* Exordium eſt lamentationis, quâ Chryſoſtomus, aut apud eum alius quivis, lapſum perſonæ Deo ſacræ perſecutus eſt, ea lucubratione qua exagitat abvſum, *quod Regulares fœminæ viris cohabitent.* Hoc ſi ille in vnius perſonæ apoſtaſia tam flebiliter exclamavit, quanto potiore iure exclamare ſimiliter liceat, in ruina tam multorum, qui à caſtris Dei ad Satanæ & mundi caſtra, per infamem apoſtaſiam iam olim defecerunt, & etiamnum deficiunt? Viſum tamen eſt in hoc negotium tantæ refertum materia luctuoſæ ſermocinationis deſcendere, vt ingens Eccleſiæ dedecus, imò damnum & vulnus nobiliſſimorum Corporis Chriſti membrorum in Iudæ poſteros evadentium, vel avertere nondum illatum, vel tollere & perſanare contractum, collato quanto licebit ſtudio annitamur.

Cur miſerum hoc hominum genus, *poſteros Iudæ proditoris* appellem, non eſt obſcurum, Quod enim SS. Baſilius in cap. 13. Iſaiæ, Hieronym. in cap. 16. Ezech. & in traditionibus ad lib. 1. Regum cap. 10. aliique ſæpè admonent, *filii*, dicuntur non raro per imitationem. Eáque ex cauſa Satanæ patris filij, nominantur mendaces, quod primum mendacem imitatione exprimant. Cùm igitur quorumvis verè & propriè à religioſo ordine Apoſtatarum, primus ſit Iudas, eius ſe filios & poſteros debent agnoſcere, quotquot per apoſtaſiam, à cœtibus Apoſtolicis, Ordinibus inquam Religioſis deficiunt. Quod ſi Iudæ facinus ſiue proditio quæritur, quadrat maximè in Apoſtatas, fortiſſima Sancti Bernardi diſputatio ſerm. 3. de Dedicat. Eccleſiæ; qua confirmat, proditionem Religionum, à quibuſdam perſona & tonſura tenus Religioſis, perfidiſſimè perfici. Nec deſertio collectionis Apoſtolicæ deſideratur. Quid enim aliud ſunt cœtus quicunque Religioſi, quàm Apoſtolicæ ſub Chriſto Superiore Congregationis expreſſiones? Niſi ſi hoc verbum, anceps alicui videatur: cùm non duntaxat advmbratio quæpiam Congregationis Apoſtolorum ſub Chriſto, ſed verè ſimilis planè formæ compages, in hodiernis cœnobiis cernatur, qua de re inferiùs. Itaque ſicut Iudæ caſus, acerbus omnibus Chriſti diſcipulis fuit; ita & Apoſtatarum hodiernorum clades, acerbitatis plena videri debet, & eius tra-

ctatio

ctatio continere cenſenda eſt argumentum, (vt ingenuè fatear,) luctuoſiſſimum. Quod enim de caſibus domeſticorum fidei dictum eſt à Sancto Chryſoſtomo in Encomio Sancti Ignatij, licebit hîc quoque multò magis vſurpare. Ait Sanctus Chryſoſtomus, Apoſtolos, externos turbines & perſecutionum in Eccleſiam procellas, graviter non tuliſſe, ſed gaviſos eſſe in infirmitatibus, ex Angelo Satanæ colaphizante; (ideſt, vt idem pleniùs exponit orat. de S. Euſtachio, & tomo 6. Serm. in illud *ſufficit tibi gratia mea*,) in perſecutionibus & anguſtiis deforis illatis: Grauiſſimè autem diſcruciatos eſſe, in caſibus & prolapſionibus domeſticorum fidei, tanquam in re luctuoſiſſima. Nec diſſimiliter ſenſum ſuum exponunt Naz. orat. 1. & Cypr. initio libri de vnitate Eccleſiæ. Hoc multò potiore iure, de caſibus eorum qui lectiſſimi habentur inter fidei domeſticos, eſt affirmandum.

Itaque tam lugubre argumentum, Silentio potiùs & lachrymis, quàm tractatione eſſe proſequendum, videtur cenſuiſſe Petrus Dam. Opuſ. 12. cap. 11. *in fine*, cum dixit; *Qui ſpretis diuinæ militiæ caſtris, ad mundanæ vertiginis molam ſiniſtro poſtliminio reuoluuntur, quàm Iudicabiliter agant, quàm inconſiderabiliter viuant, referant, qui volunt. Nobis conſultiùs videtur, eos pia compaſſione deflere, quàm execrandæ conuerſationis geſta conſcribere: ne quibus ſolas compatiendi lachrymas debemus impendere, his videamus cenſoriis litteris obtrectare.*

Sed poteſt etiam ſuus vſus eſſe tractationi luctuoſæ, vt ſequentia docebunt. Nec abs re Deus, (quod Origenes notauit ſerm. 14. in Num.) etiam impiorum caſus deſcribi in ſcripturis voluit, quantumuis luctuoſos & tragicos. Nouit enim, vberem ex talibus quoque deſcriptionibus extare fructum poſſe; quia quantumuis Deus caſum impij; eiuſque ſcelera deteſtetur, non autem approbet vel moliatur; tamen ex caſu & ſceleribus eius permiſſis, multa & magna bona eruit, pro inſigni ſua, imò infinita potentia, (quam ibi Origenes meritò ſuſcipit,) colligens bona non ex bonis tantùm, ſed etiam ex malis, & læta ex luctuoſis. Idémque ex Plotino Origenis æquali, & laudum eius præcone, habet Theodoretus lib. 6. contra Græcos: Eámque eſſe cauſam Deo, permittendi mala, tradidit egregiè Sanctus Auguſtinus cap. 100. Enchiridij, laudatus à S. Anſelmo lib. de voluntate Dei ſub finem: Is item fructus non exiguus ex feralis huius argumenti tractatione extabit, quod patefacta ſceleris apoſtaſiæ atrocitate, nonnulli nomine tenus Chriſtiani, quibus ad tam tetrum facinus cooperari iocus eſt, horrebunt participes eſſe tam horrendi miniſterij, quod Satan per ſe ipſum non raro eſt executus, aſſumpta humana perſona, vt apud Petrum Venerabilem lib. 1. mirac. cap. 13. legere licet, & in actis Sancti Gulielmi cap. 19. ac in Vitis Patrum, lib. 5. libello 7. num. 24.

Obſcurum non eſt quo collineem. Quod S. Ambroſius ante annos mille ducentos in adunata abs ſe ſacra familia deplorabat; renouatum infeliciter tantò poſt experimur. Habuerat vir ſanctus in ſacro illo cœtu ſuo Iouinianum, externa ſaltem ſpecie per annos aliquot Monachum: ſed quia ſpuria vitulamina, ex Spiritus ſancti per Sapientem oraculo, non dant

radices

radices altas, nec firmamentum ſtabile collocant, homo voluptuarius, mutata ſacrilegè mente, fidem primam irritam faciens, & Sacramentum, quo ſe Deo manciparat abiiciens, ſacra ſepta perrupit, vt curam carnis facere in deſideriis poſſet, & quam deperibat vitæ quovis frœno exolutæ licentiam conſequeretur. Nec contentus ſolus perire, factus eſt S.Ambroſio teſte; Magiſter erroris, & adeò efficaciter, Apoſtaſiam eſt buccinatus, vt non abſque D.Hieronymi ſtomacho, Romæ in ipſa Religionis, ac Chriſtianæ pietatis Metropoli, per ſummum ſcelus, non paucis ex vtrolibet ſexu, qui Dei iugum pridem ſubiverant, defectionem perſuaſerit.

Deo gratia, quod tametſi qua eſt patientia & longanimitate, ſivit his ipſis diebus renaſci; qui ſimilia per ambages effutiret, Artémque Apoſtatandi verborum tectoriis malitioſè adopertam profiteretur, complanans expeditam ad illud barathrum viam; qui tamen ad huiuſmodi ferales crocitatus emoveretur, inventus eſt nemo, nec vt ſpes eſt, deinceps occurret. Quia tamen in tanti momenti negotio, etiam tuta omnia haud imprudenter timentur; è re Sacrarum familiarum omnium facturus viſus ſum, ſi Apoſtaſiæ, ad quam nuper ſcriptionibus clanculum via eſt expedita, atrocitatem aperirem; & iter à deſertore ſignatum, ad mortem ducere, ex probata doctrina teſtatum facerem hac lucubratione, quæ erit flabellum non invalidum, diſpellendo putori inhalato ab ſcripta nuper parte olidiore ſcriptorum de arte Apoſtatandi: vt quando non puduit hominem ſicut à ſacro cœtu, ſic ab intelligentiæ iudiciique laude abalienatum, in ſacram exedram [illegible]tum illud inferre; non deſit & ei fœtori ventilando flabellum, & gratæ fragrantiæ conciliandæ ſertum odoratum, è Sanctorum maximè Patrum areolis ſtudioſè ſublectum.

SYLLABVS

SYLLABVS CAPITVM.

ANteloquium.

Cap. I. Quid ſit Apoſtaſia à Religioſo Ordine de cuius horrore agendum eſt.

II. Mirum videri non debere, quod aliqui à Religione deficiant.

III. A quo tempore cœperint eſſe in Eccleſia, Apoſtatæ à Religioſo ſtatu.

IV. Syllabus inſignium Apoſtatarum.

V. Quæ in prædictis & aliis notata ſint ſigna portendentia Apoſtaſiam.

VI. Cauſæ quæ prædictos & alios Apoſtatas, ad defectionem à Religioſo Ordine aptauerunt.

§. 1. De abiectione familiaritatis cum Deo, & ingratitudine pro Religioſæ vocationis beneficio.

2. De abiunctione à ſuperioribus & neglectu ſpiritualium Magiſtrorum.

3. De diuulſione à ſociis, & domeſticæ charitatis ſciſſura.

4. De torpore in via ſpiritus aut acedia.

5. De animi elatione atque ſuperbia.

6. De nimia ſecuritate.

7. De neglectu minimorum.

8. De cura carnis in deſideriis, eiuſq; fæcibus, præſertim ob familiaritatem non ſobriam cum ſexu molliore.

Cap. VII. Fœdi Apoſtaſiæ natales, ſiue de Apoſtaſiæ conſecutione ad diſpoſitiones propoſitas.

VIII. Quàm immane, quámque horrendum ſit ſcelus Apoſtaſiæ à Religioſo ordine.

IX. Apoſtaſiam & peccatum, & peccati effectum, ac pœnam eſſe, idque quàm tetrum & graue haberi debeat.

X. Apoſtaſiæ horrifica facies, ex eam conſequentibus defectibus.

XI. Suffragium diuinum pro Apoſtaſiæ atrocitate, ex modis loquendi Scripturarum de Apoſtatis.

XII. Aliud diuinum pro Apoſtaſiæ atrocitate ſuffragium, ex vltionibus diuinitùs intortis in Apoſtatas.

XIII. Iudicium Eccleſiæ de Apoſtaſiæ atrocitate, ex pœnis quibus ob eam mulctat Apoſtatas.

XIV. Senſus Sanctorum Patrum de criminis Apoſtaſiæ enormitate.

XV. Apoſtatarum à Religionibus Imagines.

XVI. Occaſiones quæſitæ à volentibus diſcedere, & iugum Religionis excutere, quanti reuera eſſe debeant, æſtimatum.

XVII. Leſſus in Apoſtatam.

XVIII. Reſina in Galaad, peritis animarum Medicis ad Apoſtatæ curationem monſtrata.

XIX. Quæ ipſos Apoſtatas ad ſui curationem conferre par eſt. Excuſationum præcluſio.

XX. Exempla Apoſtatarum quibus curatio ad modum præſcriptum adhibita, collato Medici & ægri ſtudio, ſanitatem creauit.

XXI. Sanatus Apoſtata, quo loco habendus.

XXII. Fructus ipſimet Apoſtatæ ex anteriore Apoſtaſia legendus. Diætetica vitæ ratio, eidem iam Sanato præſcripta ne relabatur.

Epimetrvm I. Fructus Aliorum ex Apoſtatæ caſu & Sanatione

Epimetrvm II. Ad Cooperatores cùm perficiendæ, tùm tollendæ Apoſtaſiæ.

IVDÆ POSTERI APOSTATÆ A RELIGIOSIS ORDINIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Apoſtaſia à Religioſo Ordine, de cuius horrore agendum eſt.

APOSTASIA idem eſt quod defectio, & Apoſtata idem eſt quod *deſertor* & *transfuga*, vt benè monuit *Gœffredus in ſumma num. 1. ex l. deſertorem, ff. de re milit.* Præuaricatorem Latinè dici qui Græcè Apoſtata appellatur, notauit *Sanctus Ambroſius ſerm. 15. in pſal. 118. verſ. 7.* volens à diſcedendo dictum à Græcis apoſtatam qui recedit ab inſtitutis quæ iniuerat. Rectè verò ſtatuit *S. Ambroſius* vocem *Apoſtaſia* Græcam eſſe non Latinam, in quo non mihi probatur *S. Auitus* qui *Epiſtola 4.* voces *Apoſtata & Apoſtaſia*, Latinas eſſe putat, & deriuari à deperdi a ſtandi firmitate. Vnde de iis qui profeſſam compunctionem ſeculo retrahente vacuauerint, ait, eos quaſi iam Apoſtatas, id eſt a ſtandi firmitate deciduos, a communione eſſe ſuſpendendos. Hanc vocis *Apoſtata* originationem non approbo, qui *apoſtatam* & *apoſtaſiam* Græcas voces eſſe agnoſco. Et quamvis vtriuſque illius vocis extrema pars affinitatem habeat cum Latinis vocabulis à ſtando deductis, tamen vtriuſque initium purè Græcum eſt, nec pars extrema dici poteſt Latina niſi gratis ac præter receptum morem, quendam veluti Centaurum vocum ex Græco & Latino commiſtarum velimus confingere. Itaque vox *apoſtata* planè Græca eſt, idem ſonans quod *deſertorem*. *S. Auguſtinus refugam* nominat *20. Ciuit. c. 19.* Tractans enim illud *Apoſtoli 2. Theſſalon. 2. niſi venerit diſceſſio primum* quod ad Antichriſtum pertinere demonſtrat, non legit *diſceſſio* vt habet vulgata: ſed, *niſi venerit refuga.* Græcè eſt ἀποστάτης, in aliquibus priſcis Codicibus quos expreſſit verſio cui D. Auguſtinus adhæſit. Nunc habetur ἀποστασία vnde vulgatus vertit *diſceſſio*, nimirum metonymicè effectu defectionis ſumpto pro perſona deficiente ſiue Apoſtata & deſertore, vel vt *D. Auguſtinus* loquebatur *refuga*: quam vocem pro deſertore vſurpant quoque *Hieronymus q. 2. ad Algaſiam & Chryſologus ſerm. 52.*

Quem Græci in prædicto ſenſu *Apoſtatam* vocant, Hebræi appellant *Bellial. Vnde 3. Reg. 21.* vbi nos habemus, *teſtimonium dixerunt filij Belial contra Naboth* 70. verterunt ἄνδρες ἀποστασίας, id eſt *homines Apoſtatæ ac recedentes à lege diuina.* Item *Prou. 5.* vbi nos habemus, *homo Apoſtata* Hebr. eſt *homo belial.* Hanc eſſe illius Hebraicæ vocis notionem diſcimus ex *S. Hieronymo in c. 1. Nahum, & ex S. Chryſoſtomo homil. 13. in 2. Corinth.* perinde enim eſt quod eam vocem Hebræam ſonare volunt *iugi excuſſionem.* Nam qui refugit recedit, idcirco ita ſe gerit, & quia non vult iugo quod priùs ſubinerat deinceps ſubiacere. Anguſtius verò eſt quod *Salonius in qq. ad Salomonis parabolas* reſtringit fugam & receſſum apoſtatæ iugum excutientis, ad receſſum à veritate per ſchiſma. Ait enim Græcam vocem Apoſtatæ de ſchiſmatico efferri, quia more ſuperbientis Luciferi, cadens à mentis ſuæ ſtatu, ab amore ſui conditoris & à veritate recedit. Benè quod vocem Apoſtatæ Græcam eſſe ſtatuit non Latinam: & quod ea voce receſſum ac fugam ſignificari profitetur Anguſtius tamen de eo receſſu, deque ea fuga ſtatuit, cum ſe reſtringit ad ſchiſma; nam etiam ſi ageret de ſchiſmate provt conſummatur per hæreſim quæ eſt apud multos Patres ſchiſmatis notio, tamen receſſus & fuga per apoſtaſiam inſinuata, multo latiùs funditur, & quamcunque iugi excuſſionem complectitur, ſicut vox Hebræa *Belial*, quæ Græcæ voci *Apoſtata* reſpondet. Et iuxta hanc Apoſtaſiæ notionem, vxor diuortium cum marito faciens, dicitur ἀποστῆναι, & repudij Libellus ἀποστάσιον. Miles item qui relictis Imperatoris ſui ſignis ad hoſtes fugit, apoſtata & refuga appellatur. Imitatione quoque Pythagoræorum Magiſtri deſertores infamia notantium, vt Bartolus annotat, Diſcipulum apoſtatam, cum à Magiſtri placitis deſciſcit, denominare mos eſt. Videndus *Decianus in tract. [illegible]rim. l. 5. c. 70. num. 1.*

CAP. I. *Apoſtaſia definitio.*

Triplex inter Chriſtianos Apoſtaſia; à fide, virtute, Statu ſacro, Clericali, aut Religioſo.

AGendo autem de apoſtaſia ſiue defectione à Deo, iiſque quæ ad Deum ſpectant, pro triplici nexu quo Deo copulari poſſumus, fidei ſcilicet, obedientiæ neceſſariæ, & adhæſionis per opera ſubrogationis, cuiuſmodi ſunt aditio ſtatus ſacri, vel Religioſi ordinis, triplicem defectionem diſtinguit *D. Thomas 2.2.q.12.art.* 1. vnam à fide Chriſtiana, quæ eſt antonomaſticè apoſtaſia, prorſus à Chriſtiana fide deficiens, de qua ibidem Scholaſtici, & *DD. Cod. de Apoſtatis, ac Riciullus l.5.de iure perſon. Eccleſ.* Iſtius verò apoſtaſiæ germana eſt hæreſis, quamvis hæretici pro more falſarum religionum, de quo *S. Chryſoſt. oratione de Petro & Elia*, ante occupent probrum, & reuenientes ad nos, vocent Apoſtatas: quod Balduinus in ſecunda contra Caluinum reſponſione *à pag.* 74. fusè repellit. *S. Anacletus Papa Epiſt.* 1. allegans *Canonem Apoſtolicum* 74. quo hæretici aduersùs Epiſcopum accuſatio reiicitur, vocat; *Apoſtatam*, quem canon vocarat *hæreticum*, vt benè vidit *Turrian. l. 1. contra Magdeb. cap.* 22. Et ſanè cum hæreſis ne micam quidem fidei ſupernaturalis retineat, meritò germana infidelitatis plenariæ appellatur; quamvis quia nomine tenus aliquid Chriſtiani retinet, ſoleat ſeiungi.

Alteram apoſtaſiam ſtatuit *D. Thomas*, eam qua receditur ab obedientia legi Dei præſtanda: quam apoſtaſiam *Cyrillus Hieroſ. Catech.* 15. vocat apoſtaſiam ab operibus bonis. Eandem agnoſcit, & ei quæ per infidelitatem fit, contraponit S. *Greg. hom.* 9. *in Ezech.* verbis illis; *Notandum verò quòd dicitur. Mitto ergo te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me. Sicut enim duobus modis à Deo receditur, ita duobus modis à Deo apoſtatæ homines fiunt. Nam vnuſquiſque à conditore, aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui à fide recedit; apoſtata eſt, ita qui ad peruerſum opus quod deſerit, redit, ab omnipotente Deo apoſtata abſque vlla dubietate deputabitur, etiam ſi fidem tenere videatur. Vnum enim ſine altero nihil prodeſſe valet, quia nec fides ſine operibus, nec opera adiuuant ſine fide* Qui ita ſe habet vt aliud profeſſione, aliud conuerſatione exhibeat, ſub Chriſtiano nomine Gentilem vitam agit, vt S. Paulinus egregie Celantiam admonet; & idcirco vt idem ait Epiſtola 20. Spiritus Chriſti arguet mundum de hoc peccato, *& niſi exercitio pietatis, duplicatum pecuniæ ſuæ fœnus receperit, otioſa fidei partem cum infidelibus ponet, quia proximus infideli eſt, qui mortuam ſine operibus fidem, vacuo Chriſtianis nomine gerit. Et hic eſt inſipiens, cuius luctus, omnis temporis eſt, quia timorem Domini non habens caput ſapientiæ non tenuit, & factus in cauda eſt, quia non habitat in medio domus.* Hoc eſt dicere, hominem per receſſum à lege Dei, diſcedere ac deficere à Deo capite ſuo, ſimulque extorrem è domo eius fieri, ideſt ab Eccleſia, nimirum vina, atque adeò poni cum infidelibus & eorum ſorte cenſeri atque adeò apoſtatare, & præuaricari quod faciunt omnes peccatores terræ, iuxta Pſalmum, apud quem in Hebræo eſt vox *ſughim*, quam 70. expreſſerunt voce Græca receſſum & apoſtaſiam ſonante, ἀποστατοῦντας.

Huius apoſtaſiæ, *Anacletus Papa epiſt.* 1. *omnes peccatores inſimulat. A S. Hilarius in pſal.* 118. *litera Samech*, ad illud, *ſpreuiſti omnes diſcedentes*, id reſtringit ad peccantes finaliter, ſic enim habet. *Hic ſeruata ea ratio eſt, vt non dictum ſit, preuiſti omnes peccatores*, ſed *ſpreuiſti omnes diſcedentes. Si enim peccatores ſperneret, omnes vtique ſperneret: quia ſine peccato nemo ſit. Sed ſpernit diſcedentes à ſe quos apoſtatas vocant. Neque enim intereſt, an in iuſtificationibus Dei quis aliquando fuerit. Spernendus enim eſt, à Deo quiſquis diſceſſerit, quia manentis meritum conſeruat conſummatio ſpernendi. Differt verò à peccatore diſceſſio: quia peccato venia per pœnitentiam, reſeruatur, diſceſſio verò cum ipſa pœnitentia diſceſſione ſe damnat, quæ hinc oritur, cum voluntas eorum qui diſceſſuri ſunt, eſt iniqua.* Inſinuat idipſum S. Ambroſius, vt ſolet S. Hilarium exprimere. Diſceſſionem enim ſiue defectionem & apoſtaſiam à Deo, quam non locorum interuallo fieri docet, ſed prauitate morum & deformitate geſtorum, confeſſione peccati interclusa, conſummari monſtrat, vt Caino contigit, qui exiuit à facie Domini poſtquam commiſſo parricidio gerendam peccatorum ſuorum pœnitentiam non putauit. Itaque filius prodigus qui vexatione intellectum dante pœnitentiam concepit, regreſſus eſt ad Patrem à quo peregrè profectus erat, vt ibidem conſiderat S. Ambroſius; quo exemplo monſtratur pœnitentiam pugnare cum diſceſſione & apoſtaſia ſimpliciter dicta; quam incurrunt peccantes peccatum ad mortem, pro quo non eſſe orandum pronunciabat B. Ioannes; quia cum talis peccator dum poterat non ſit regreſſus ad Deum & in elongatione quam miſerè inierat, vitam concluſerit; præciditur ei omnis ſpes reueniendi, atque ita defecit & diſceſſit à Deo in æternum. Hæc ergo eſt apoſtaſia quaſi legalis, ideſt per legis infractionem & receſſum à Deo violata eius lege contempto, quæ perpetua erit in iis qui abſque pœnitentia è vita exceſſerint, vt affirmabat S. Hilarius loco prolato. Cœterum duæ maculæ ex hoc S. Hilarij loco ſunt abſtergendæ, vt ſenſus conſtet. Imprimis in ea clauſula, *conſeruat conſummatio ſpernendi*, abundat verbũ *ſpernendi*, & ſententiam planè euertit; quare eradendum eſt. Deinde poſtmodùm, vbi habetur *Differt verò à peccatore diſceſſio*, legendum *à peccato*. Ex eo loco ſic emendato, apparet S. Hilarium nomen *Apoſtaſiæ* reſtringere ad finalem defectionem à Deo, qua peccator impœnitens obit, vrgetque ſuper ſe os putei.

Tertiam apoſtaſiam proponit *D. Thomas*, eam quam *S. Bonau. in Centiloquio p.* 1 *ſect.* 26. & Capitulum Pragenſe in diſputatione cum Rokyzana coram Rege Bohemiæ vocat *apoſtaſiam irregularitatis*, eſtque bimembris. Nam vel fit à ſtatu Clericali ſuſcepto, per matrimonium aut militiam, vel habitus dimiſſionem. Hiſpani referente, & infortunium prædicente Nauarro miſcell. 46. de oratione vocant *noſtra Epiſtolam.* Agunt de ea apoſtaſia *Riciullus ſupra l.7. & Sanchez l.9. de matrim. diſp.* 42. & quos illi allegant. Meminit eius *Philippus Abbas lib. de Contin. Cleric. cap.* 121. Vel certè hæc apoſtaſia fit per defectionem à Religioſo ordine, ſemel inito per profeſſionem, aut ſubſtantialia religionis vota. Detortum ad hanc defectionem *apoſtaſiæ* vocabulum, queritur late *Eraſmus l.* 3. de ratione concionandi (*pag. mihi....*) Vellet autem id nomẽ potius tribui, Chriſtianis contra ſponſionem in Baptiſmo factam peccantibus, & ad Satanam ac mundum quos abiurarant relabentibus. Verùm rectè deſertoribus Ordinum Religioſorum (qualis ipſe Eraſmus fuit,) tribui nomen *Apoſtatæ*, dubitare non licet, ſuppoſita emiſſione votorum obligantium eos ad perſtandum: qui eſt antiquus Eccleſiæ vſus, vt infra contra Eraſmum

mum euincam. Chriſtianos autem, contrariam ob cauſam, non vocant *Apoſtatas*, cum peccant quia falſum eſt eos in baptiſmo aliquid vouiſſe, vt fuſiùs monſtrant *Bellarm.l.de monach.c.19. Suares l.3.de voto c.2.à.n.5.& Leſſius l.de iuſt.c.40.n.29.* Tametſi nonnulli, acceptationem obligationis quam lex Dei ſecum affert, latè ſumpto nomine, vocant *votum*, vel *promiſſionem*, vt *S. Hieron.apol.1. contra Ruff.ſub finem.S. Aug.l.1.de peccat.merit.c. 33. S. Baſil.de Spiritu Sancto c.27.& S.Greg.hom.29.in Euang.* qui eſt largus & improprius vſus vocis, tametſi ſecus viſum Martino Delrio 6. Mag.in Anacephal. monito 2. Nomen ergo Apoſtaſiæ ſpectato communi vſu, penes quem eſt de vocibus arbitrium, ad deſertores Religioſorum ordinum accommodatur, hique ſunt Apoſtatæ de quorum ſcelere agere conſilium eſt. Vt autem ſolidè ordinateque procedamus, auſpicandum eſt à natura huius apoſtaſiæ; aperiendo quis verè & propriè dicatur apoſtata à religioſo ordine, noteturque omnibus illis probris quibus à Patribus & Doctoribus onerari Apoſtatas à Religioſo ordine, dicemus in ſequentibus.

Nemo Apoſtata à Religioſo ſtatu, ante emiſſa in eo, vota Religioni ſubſtantialia.

IN primis verò ratum apud omnes eſt, neminem qui ante datam Deo fidem per religionis vota recedit, eſſe verè dicendum Apoſtatam. Ita tradunt omnes *DD. cap. conſulti, & cap. penult. de regular.* ſubſcribuntque *Syluester verbo Apoſtaſia num. 9. Tabienna eodem num. 14. Syl. 5.religio. num.19. Tamburinus de Iure Abbat.tom.3.d.8. q. 1. num.3.* & alij paſſim, negantes Nouitium poſſe eſſe Apoſtatam. Et ratio eſt manifeſta. Non enim poteſt dici deſertor militiæ, qui ſacramentum de ea non dixit. Igitur neque dici poteſt deſertor Religioſi ſtatus, qui non eſt aſtrictus ſubſtantialibus votis Religionis. Paſſim ſanè, iura nō agnoſcunt aliquem eſſe ingreſſum Religionem, niſi prædicta ſubſtantialia vota emiſerit, vt videre eſt *cap. Religioſi §. quamvis de ſent.excom.in 6.* vbi Geminianus & Franch. At non poteſt dici religionem deſeruiſſe, qui eam non fuerit ingreſſus, etiamſi nomenclatio Hiſpanica cuius meminit *Nauarrus miſcellan. 46. de Oratione n.5.* contrarium ferre videatur. Igitur nemo Nouitius, aut qui ſubſtantialibus religionis votis non ſit obſtrictus, habendus eſt Apoſtata, etiamſi diſcedat, & ordinem Religioſum quem inire cogitarat, abiiciat.

Regreſſus à religioſo ſtatu, ante quoduis votum, poteſt culpa vacare

QVinimo abſolutè & ſimpliciter loquendo, talis regreſſus poteſt culpa planè vacare. Nam ante ſubſtantialia illa vota emiſſa, poteſt non intercedere niſi propoſitum ingrediendi Religionem, & vota ſtato tempore emittendi; à quo propoſito reſilire, neque eſt contra votum, cum propoſitum illud longè à voto differat, vt fusè confirmat *Suarez lib.1.de Voto cap. 2.à. num.3.* neque etiam eſt contra vllam prorſus virtutem, per ſe loquendo, & ſiſtendo in nudo propoſito nulla promiſſione firmato: quale non eſt propoſitum illud de quo *S. Bernardus epiſt. 9.* loquitur, allegato *S. Gregorio* verbis illis. *Quiſquis maius bonum ſubire proponit, bonum minus quod potuit, ſibi illicitum fecit.* Hoc inquam propoſitum boni operis, à quo reſultus, illicitus pronunciatur à *S. Bernardo*, non eſt propoſitum nudum, ſed voto & promiſſione firmatum. Nam *S. Gregorius*, eo loco quem S. *Bernardus* allegat, hoc eſt *3. p. Paſtor. cap.28.ſub finem*, diſertè agit de tali propoſito, vt docent illa eius verba eo loco, *ſine culpa quidem ad coniugium veniunt, ſi tamen necdum meliora vouerunt.* En *vouerunt.* Agit ergo de propoſito per votum ſimplex firmato, à quo reſilire non licet abſque culpa, non autem de propoſito nudo, quod poſſe innoxium eſſe dicebamus: Illa item Chriſti verba *Luca 9. nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei*; nullam iniiciunt obligationem perſtandi in nudo propoſito, ita vt non liceat ab eo reſilire abſque culpa. Chriſtus enim verba illa protulit, occaſione adoleſcentis; qui ſe quidem obtulerat vt Chriſtum ſequeretur quocunque iret; petebat tamen inducias vt renunciaret priùs ſuis domeſticis: atque adeò ita animum ad Chriſtum ſequendum applicabat, vt ſimul oculos ad carnem & ſanguinem reflecteret. Negauit Chriſtus, qui ſic ſe obtuliſſet, ſimulque repedandi ad ſuos facultatem poſceret, aptum eſſe Euangelicæ perfectionis inſtituto capeſſendo. Hoc enim eſt, non eſſe aptum regno Dei. Ex quo loco ſic expoſito, nullo modo colligitur, reſultum à nudo propoſito bono, eſſe damnabilem vel aliqua labe ſordentem; ſed tantùm colligitur ineptitudo eius qui ſic ſe gerat, vt in negotio Euangelicæ perfectionis progrediatur.

CAP. I. *Apoſtaſiæ definitio.*

Ratio manifeſta, ſuffragatur veritati propoſitæ. Nam inire ſtatum religioſum, priuſquam de eo ineundo concipiatur votum, pertinet ad conſilia Euangelica. Atqui nemo aſtringitur exequi conſilia Euangelica, quaſi ſi eis non obtemperet, peccet: vt Vdalricus quidam Bohemus effutiuit, latè reiectus ab Henrico Kaleitſen tract. de libera prædicatione verbi Dei ad *Concil.Baſil.ad 3.notabile Aduerſarij,* & in Replica *§.quantum ad* 3. poſt Gerſonem quem citat lect.5.de vita ſpirit. Diſertè ſanè *SS. Hieronymus, & Auguſtinus* adducti *cap.Epiſcopus 14.q.1. & cap.quod debetur* ibidem; agnoſcunt, in prætermiſſione conſilij Euangelici, purè quatenus conſiliū eſt, nullum cerni peccatum. Et reuera ſi omiſſio conſilij peccatum contineret, conſilium non differret à præcepto. Nec valet diſtinctio prædicti Huſſitæ, quod ſcilicet conſilium obliget tantùm ad veniale, præceptum autem obliget ad mortale. Hoc inquam non valet. Nam multa præcepta, non inducunt arctiorem parendi obligationem, quàm ſub veniali. Itaque cum aſpiratio diuina, de capeſſenda re diuinitus non præcepta, non ſit niſi conſilium; fateri adigimur, hominem ad eam capeſſendam non teneri ſub peccato. *Et ita Ioannes Sanchez diſp.7. & Suarez Tract.7. de relig. l. 1. cap.9.à num.24.40 Michaël Munnos in Elia propugnaculo lib.1. titulo 2, cap. 1. artic.4. num. 6. & 7.* Tenetur quidem homo gratus eſſe ob eam aſpirationem collatam, quia verè eſt diuinum beneficium: Tamen ſi ei non obſecundet, non delinquit, ac ne per ingratitudinem quidem; quia gratitudo non obligat ad obtemperandum aſpirationi, ſed ad agendas pro ea collata gratias; cui debito poteſt ſatisfieri, etiamſi non placeat homini eam admittere.

CAP. I: *Apoſtaſia definitio.*

Poteſt quoque ſordere culpa,

REgreſſus ergo à Religioſo inſtituto nondum per ſubſtantialia Religionis vota inito, cum non ſit niſi prætermiſſio conſilij, poteſt culpa vacare. Poteſt tamen etiam culpam continere, ſed quæ ad labem apoſtaſiæ non pertineat. Nam quod regreſſus ille, poſſit ob adiuncta quædam & circumſtantias malus eſſe, monſtrant quæ adducit *Leſſius Opuſc. de ſtatu vitæ q.8.n.94* ex periculo quorundã ſi hæreant in ſeculo. Idem ſuadent graues plerumque pœnæ, diuinitus inflictæ huiuſmodi deſertoribus arrepti inſtituti Religioſi, nullo licet voto firmati. Illuſtre exemplum continetur in vita S. Roberti Abbatis, quod *Delrius 2. mag. quæſt. 28. ſect. 3.* exſcripſit & apud *Surium* legitur 7. *Iunii*. Librum ſuum cui titulus *ſcala cæli*, Dionyſius Cartuſianus multis in eo genere planè horribilibus refertſit, quæ videre etiam licet apud *Dorlandum lib. 6.* Chronici Cartus variis capitibus. Item *Ceſarius l.1. mirac. cap. 14. & 15.* multa annotauit ſimilia, & nonnulla recentioris notæ, ſed ſatis illuſtria, collegit *Hieronymus Platus l.3. de bono ſtatus religioſi cap. 35.* Quoſdam etiam, ob neglectum nudum propoſitum ineundi religionem ex diuina inſpiratione conceptum, diſplicuiſſe Deo in certis circumſtantiis, docent exempla. Vnum luculentum profert *Petrus Damiani Opuſc. 34. par. 1. cap. 9.* Aliud recitat *Vincentius in ſpeculo hiſtor. l. 26. cap. 42.* & ex eo *Nider. l. 3. de reform. Relig. cap. 12.* Ex quibus liquet, poſſe interdum in certis circumſtantiis contrahi peccatum, in abiectione inſtituti Religioſi, nondum initi per vota ſubſtantialia.

Multo magis regreſſus à Religioſo inſtituto nondum ſubſtantialibus Religionis votis inito, culpa ſorderet, (quamvis non Apoſtaſiæ,) ſi quis ante emiſſa Religionis ſubſtantialia vota, ſe illigaſſet votis ſimplicibus, qualia meri ſeculares poſſunt emittere, iiſque ſe aſtrinxiſſet ad capeſſendum religioſum inſtitutum. Is igitur qui talia vota emiſerit, ſeque ad ſubeundum inſtituti religioſi iugum volens aſtrinxerit, peccabit ſi retrocedat; non tamen erit apoſtata. Quod peccet, non poteſt eſſe dubium: *diſplicet* enim *Deo, infidelis & ſtulta promiſſio*, qualis fuit iſtius, qui cum pollicitus eſſet Deo, ingreſſum religioſi ſtatus per vota religioni ſubſtantialia, votum illud ingrediendi conculcauit. Pulchrum in eam rem exemplum Ioannis Lugdunenſis, poſtea Epiſcopi Valentini, recitat *Vincentius l. 26. ſpeculi hiſtor. cap. 42. ex Gaufrido l. ſuper Apocalypſim, & ex vtroque Nider l. 3. de reform. cap. 12.* qui id tantum vocat *propoſitum*, ſed inter referendum Chriſti verba ad Ioannem, vocat *promiſſionem*, atque adeò erat votum. Egregiè in hanc rem diſſerit, & diuinam iram atque ſupplicia intentat *Sanctus Bruno epiſt. ad Radulphum Præpoſitum Rhemenſem*, qui poſt votum ineundæ Religionis reſilierat. Talem diuinam vltionem in quendam Salernitanum, recitat *Petrus Damiani Opuſc. 40. cap. 7.* Fœdifragus ergo eſt & Deo exoſus, qui poſt emiſſum pactum, de futuro ingreſſu religionis per ſubſtãtialia eius vota, non ſtat promiſſis ſed reſilit ab eis: ſiue adhuc ſit in ſeculo, ſiue iam ſit Nouitius. Nam etiam Nouitij, cum laude emittere poſſunt votum ineundi per vota ſubſtantialia ſtatum Religionis. Neque hoc votum in eis improbat *S. Theodorus* Studita in ſuo teſtamento, cum improbat ſuſceptionem parui habitus ante magnum; dicens, eam ſuſceptionem repugnare Patribus; vnum duntaxat habitum agnoſcentibus, ſicut vnus duntaxat eſt baptiſmus. Hoc inquam non pertinet ad votum per Nouitios emiſſum, de ineunda religione ſuo tempore: ſed tantum ad repudiationem ceremoniæ illius, qua Nouitij induebantur peculiari habitu, quod dicebatur *paruum ſchema*, ſiue *ſchema mandu*, quod diſcretum erat ab habitu magno, ſiue *Angelico*, profeſſorum proprio. Vtriuſque ritum exhibet Græcorum Euchologium, & ex eo *Roſuedius in Onomaſtico V. ſchema.* Parui huius ſchematis vſum, tanquam antiquis incompertum, non approbat *S. Theodorus* Studita, malens Nouitios, (vt ferebat priſcus vſus,) perſtare in ſeculari habitu. Et ita factum tempore S. Bernardi, conſtat ex Epiſtola eius 1. quæ eſt ad Robertum: & apertè ſupponitur in Regula *ſancti Benedicti cap.* 49. Ne verò Nouitij, ſimplex votum ineundæ Religionis emitterent, S. Theodorus nequaquam vetuit. Itaque hoc voto illigatus Nouitius, peccabit grauiter ſi reſiliat.

Ea culpa, alia eſt ab Apoſtaſia.

QVod tamen homo, per eum reſultum Apoſtata non fiat, perſpicuum eſt: quia non poteſt dici deſertor ſtatus Religioſi, qui eum reipſa non ſuſcepit, quamvis ad eum ſuſcipiendum ſe obligauerit. Sicut Catechumenus, quamvis teneatur iure diuino ad ingreſſum Eccleſiæ per Baptiſmum, tamen ſi reſiliat à gradu Catechumeni, nec eſt nec dicitur Apoſtata, quia non erat intra Eccleſiam per Baptiſmi ſuſceptionem, vt rectè *Simancas in Cathol. inſtit. tit. 31. num. 6 Farin. ac q. 119. de hæreſi num. 92. Ricrullus l.3. de iure perſonarum extra Eccleſiam cap. 4. num. 28. contra Alphonſum de Caſtro l.1. de iuſta heret. punit. cap. 8.* & paucos alios idem opinatos.

Quare regreſſus ab inſtituto Religioſo, nondum per ſubſtantialia Religionis vota ritè emiſſa inito, poteſt culpam aliquando continere, quamvis à probro Apoſtaſiæ ſit alienus: miror que *Ceſarium l. 1. mirac. cap. 14. & 15.* receſſum Nouitij vocare *Apoſtaſiam*. Votum enim quo Nouitios alligari ait, & nullum eſt, & quamvis aliquando interueniret, non eſſet votum ſubſtantiale Religionis, quale neceſſe eſt præmitti Apoſtaſiæ veræ atque perfectæ. Videri etiam poteſt, contrarium quam diximus ſenſiſſe, *Petrus Damiani Opuſc. 42. p. 2.* Ibi enim agens cum Attone cauſidico, qui ſpoponderat monaſterij ingreſſum, nec tamen exoluebat votum, vrget illum ne vltra differat, *niſi velis cum his qui apoſtatæ ſunt, ſubrui in pœnam.* Iiſdemque canonibus & ſacris decretis illum vrget ad voti executionem, quibus Monachi profeſſi vrgentur ad perſtandum in emiſſa ſemel profeſſione. Nominatim autem cap. 2. ſic illum affatur. *Et quidem in conſpectu hominum, laicus es per paludamenti, ac ſecularis habitus ſpeciem; ſed in Dei omnipotentis obtutibus, à Monacho cecidiſti per violatam ſacri propoſiti ſponſionem. Coram hominibus ſtare conſpiceris, ſed in conſpectu Domini cecidiſti. Nam quod tibi fuerat ante commiſſionem licitum, de cætero tibi licere non poterit, dum à melioris propoſiti deliberatione ſuccumbis.*

Nec aliter *Petrus Bleſenſis epiſt.* 11. Verùm diſputatio illa Petri Damiani, tametſi eſt tantum cum eo qui Religioſum ſtatum nondum inierat, tota tamen conſumitur, in eo impugnando qui contendebat hominem non obligari exoluere votum ineundi Religionem, quæ eſt manifeſta hæreſis, aduerſus quam per proportionem quandam non malè

malè adducuntur illa loca quibus Monachi profeſſi, ex voto obligantur perſtare. Sicut enim profeſſus, quia vouit perſtare, tenetur ad perſtandum; ita ſecularis qui vouerit Religionem inire, ad id obligatur. Vnde vterque ad proportionales pœnas detruderur, ſi votum violet: quamvis vnus duntaxat eorum, ſit apoſtata; nempe profeſſus, non item alius: quia Religioſo ſtatui nondum ſe mancipauit per ſubſtantialia Religionis vota.

Quæ dicantur vota Religioni ſubſtantialia, Apoſtaſiæ præmittenda.

SEmper extendo ingreſſum ſtatus religioſi, quem deſerens incurrat apoſtaſiam, ad ingreſſum per vota Religionis ſubſtantialia, nec reſtringo me ad profeſſionem; quia quamvis à multis ſeculis, (ab initio enim non fuit ſic, vt monſtrat *Baſilius Pontius quod lib. 3. Schol.*) ingreſſus in ſtatum Religioſum, fuerit tantum per profeſſionem; proindéque nullus fuerit Apoſtata, niſi profeſſionem emiſerit; tamen iure nouo quod ſummi Pontifices condiderunt, & ſynodus Tridentina ratum habuit, qui poſt probationis biennium, in Societate IESV emittunt vota Religionis ſubſtantialia, etiamſi ſimplicia, ſunt veri Religioſi: & recedentes à ſicinito Religioſo inſtituto, ſunt veri Apoſtatæ, vt tradiderunt varij Pontifices, quorum ad id reſcripta adducit *Ricciullus l. 8. de iure perſonarum extra Eccleſiam cap. 8. num. 1. & 2.* ſequiturque manifeſtè, ex eo quod inſtitutum cui ſimplicibus illis votis ſe aſtrinxerunt, ſit vera Religio, ipſique per ea vota facti ſint verè Religioſi. Nam omnis verè Religioſus, ab inſtituto verè Religioſo quod reipſa inierat, deficiens, Apoſtata eſt citra dubium. Vt igitur quis, deſertione Religioſi ſtatus fiat Apoſtata, ſufficit & neceſſe eſt, vt vel profeſſionem emiſerit; vel vota Religioni ſubſtantialia, in Religione approbata: & quia profeſſio continet vota illa ſubſtantialia, quamvis non è contrario, idcirco generatim ſufficit dicere, Apoſtatam eum eſſe qui Religioni ſubſtantialia vota emiſerit, & tamen à Religioſo ſtatu defecerit. Perperam ergo, poſt diſcuſſum à Pontificibus inſtitutum Societatis, & damnatos veræ apoſtaſiæ eos qui emiſſis ſolis ſimplicibus, ſed tamen ſubſtantialibus Religionis votis, ab ea retrocedunt, pronunciauit *Bannes 22. q. 12. art. 1.* Apoſtatam non eſſe, qui non retrocedit ab inſtituto Religioſo, quod profeſſus ſit ſolemniter.

Quæ defectio à ſtatu per ſubſtantialia vota inito, Apoſtaſiam conſtituat.

SEd dubitatio ſupereſt, quid ſit hæc defectio à Religioſo ſtatu per vota Religioni ſubſtantialia inito. Nam qui tantùm abrumperet Religionis iugum, diceretque *non Seruiam*, manens tamen intra ſuum clauſtrum, non eſſet Apoſtata: proindeque ea inobedientia non pertineret ad defectionem de qua agimus, vt benè notauit *Nauarrus Conſilio vnico de Apoſtatis num. 4.* Itaque exigitur, vt fiat receſſus non propoſito tantùm & voluntate, ſed etiam de facto à Religionis ſeptis. Quo nomine intelligitur totus ambitus domus Religioſæ, etiam hortus, vt rectè *Leſſius l. de Iuſtit. cap. 41. num. 109. & Fagundes in 2. præcept. lib. 8.*

cap. 5. num. 1. Hoc autem poteſt multipliciter contingere. Nempe vel prorſus hærendo extra Religioſa ſepta, vel migrando ab his ad alia. Item vel dimiſſo, vel retento Religioſo habitu. Itemque vel animo redeundi poſt aliquam euagationem, vel animo recedendi in perpetuum.

CAP. I. *Apoſtaſia definitio.*

Non ſufficit tranſitus ad aliud Religioſum inſtitutum, abſque licentia.

QVi migrant ab hoc Religioſo inſtituto ad aliud, etiamſi abſque facultate eorum quos deſerunt, non cenſentur Apoſtatæ, ex *Roderico Tom. 1. qq. Regul. 9. 30. artic. 1. Et Sanchez multos adducente l. 6. in Decalo. c. 8. num. 8. ac Fagunde in 2. præceptum Decalo. l. 8. cap. 5. à num. 3. itemque Tamburino de Iure Abbatum diſp. 8. q. 1. num. 5.* Et idem cum innumeris tradit *Ricciullus l. 8. de iure perſon. &c. cap. 3. num. 1.* Et ratio eſt, quia tales non recedunt abſolutè à Religioſo inſtituto, ſed tantum à tali: vndè etiamſi ad laxiorem tranſeant, non deſinunt eſſe Religioſi, & aſtricti votis ſubſtantialibus: nec vt Religioſi fiant, tenentur emittere nouam profeſſionem, vt notat *Boerius deciſ. 260. num. 19.* Eſto vt cenſeantur Religioſi ſecundi inſtituti, eiuſque ſtatutis ligentur exigatur noua profeſſio. Fateor *S. Bernardum Epiſt. 1. non multum ab initio*, damnare Apoſtaſiæ, tranſitum à religione arctiore ad laxiorem. Quin etiam *Suarez Tract. 8. de Relig. l. 3. cap. 11. num. 19.* veræ Apoſtaſiæ inſimulat, tranſitum ad aliam Religionem abſque licentia; etiamſi fiat titulo maioris perfectionis. Quorum illud ſpeculatiuè, illud verò coram Deo, poteſt habere locum. Tamen communis loquendi & ſentiendi vſus, fert quod dixi.

Imo quod attinet ad tranſitum illum à Religione minus perfecta vel arcta, ad ſtrictiorem & perfectiorem, Stephanus Fornacenſis tota Epiſtola 1. agens de tranſitu à Grandimontenſibus ad Ciſtercienſes pro quo aliqui angebantur, latè confirmat, dum tranſitum, inuitis licet Grandimontenſibus, fuiſſe innoxium, neque id fuiſſe votum ſoluere, ſed adimplere. Cum enim duo ſint in voto Religioſo, traditio ſui, & eius adiuncta, (puta locus, Prælatus, talis viuendi forma, & alia huiuſmodi); traditio quidem ſui, (quam Stephanus appellat *votum animæ*, & quaſi ſubſtantiale ac principale votum eſſe confirmat,) commutationem non recipit: cœtera quia acceſſoria ſunt commutari in melius atque perfectius cum laude poſſunt. Sicut vota de aliis pleriſque piis operibus, abſque labe mutantur in opera Deo acceptiora. [Vnum duntaxat attende, (ſubdit Stephanus) vt ſi maius voueris, minus non ſoluas. Si minus pro maiori commutaueris, acceptum erit acceptori. Propheta dicit, *Maledictus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat Domino debilem.* Quid ſi debilem vouerit, & fortiorem offerat? Audacter dico, quia qui poſt votum taliter immolat, nec tranſgreſſor eſt nec doloſus, & ideò nec maledictus. Vouiſti prius hoſtiam, non dico debilem, & fortiori minus fortem. Ecce nunc pro mediocri quam voueras, maximam & fortiſſimam immolaſti. Ouem vouiſti, & reddidiſti bouem. Securus eſto, quia liberatus es.] Concludit, hanc commutationem voti eſſe commutationem dexteræ excelſi. Et refert in eam ſententiam Catonem Tributienſem de Virginibus monialibus verè religioſis, quem æquè ad Monachos pertinere confirmat ex Gratiano. Sunt autem hæc verba Canonis.

[Virgi

CAP. I. *Apoſtaſia definitio.*

[Virgines ſacræ; ſi pro lucro animæ ſuæ & propter diſtrictiorem vitam, ad aliud Monaſterium pergere diſpoſuerint, & ibidem commanere decreuerint, Synodus concedit. Si verò fuga diſciplinæ aliud quæſierint, ad locum redire cogantur.] Ex quo colligit Stephanus, eum qui ſibi conſcius eſt, ſe pro lucro animæ ſuæ, & propter diſtrictiorem vitam non ob fugam diſciplinæ ad aliam tranſiiſſe Religionem, ſecurum eſſe, & ſaltum cœlo proximum feciſſe, ideóque procul eſſe à defectione apoſtatica, quæ indice S. Bernardo, ſaltus eſt in infernum. Addit Stephanus, Alexandrum Papam, petenti ſibi cuidam ne quiſquam ex ordine cui præerat inuitis ſuperioribus alibi cooptari poſſet, limitaſſe priuilegium; vbi *religioſi cauſa diſtrictioris vitæ ad arctiorem ordinem tranſierint.* Itaque alloquens eum qui à Grandimontenſibus ad celſitudinem (vt ait), Ciſtercienſis ordinis aſcenderat, & ſcrupulum ei infixum ob hunc tranſitum euellens, ait; [Quid peccaſti, bellator fortis, ſi cum in plano pugnares, collem aſcendiſti, vt hoſtem melius ferires? Non transfuga dicendus es, miles Chriſti, quia ad hoſtes non fugiſti; nec deſertor militiæ, quoniam à ſignis non receſſiſti.] Hæc rata ſunt, & labis pura.

Quid de egreſſu è ſeptis, retento habitu religioſo.

DIfficultas ergo tantùm eſt de aliis: & circa eos DD. ſunt varij. Et nonnulli quidem, dummodò retineatur habitus Religioſus, negarunt ſolum omnimodum receſſum à Religione, ſufficere ad apoſtaſiam. ita *Graſſis p. 2. deciſ. l. 5. cap. 26. num.* 10. (parum conſentanee ad ea quæ ſubdit *cap.* 17. *num.* 7.) *Nauar. Conſilio* 10. *num.* 6. *de Apoſtatis, Calderinus conſilio* 1. *de Apoſt.* & nonnulli alij Iuriſtæ. Alij verò, receſſum, etiamſi cum dimiſſione habitus coniunctum, negarunt ſufficere ad apoſtaſiam, niſi fiat animo nunquam reueniendi: quod ſtatuiſſe Rotam Romanam, refert *Ricciullus l.* 8. *de iure perſon. extra Eccleſ. cap.* 1. *num.* 2. *conſentitque Caiet. in ſumma. V. apoſtaſia &* 22. *q.* 12. *art.* 1. *ibidemque Bannez ac Aragonius & Peſantius. Idem habet Miranda Tom.* 1. *Manualis q.* 51. *artic.* 1. *concl.* 1.

Et certum ſanè eſt, conſummatiſſimam, (vt ſic dicam.) & in hoc genere malitiæ planè perfectam apoſtaſiam; eam eſſe, quæ fit & dimiſſo Religioſo habitu, & cum animo illum nunquam reſumendi, nec reuertendi ad Religionem: Ita vt cum primum quis abiecto habitu eſt transgreſſus Religionis ſepta, illico ſit Apoſtata perfectus, non priùs; nec niſi ſic cõſummato exteriùs actu, fiat obnoxius pœnis Apoſtatarum, etiam excommunicationi. Nam quamvis dimittens habitum Religionis ſuæ, percellatur excommunicatione, ex *cap.* 2. *ne Clerici vel Monachi in* 6. tamen neque ea excommunicatio intorquetur ob apoſtaſiam, vt per ſe patet; neque ob qualemcunque habitus Religioſi dimiſſionem: ſed tantum ob eam quæ fit extra ſepta Religionis, vt *Suarez* rectè notauit *Tract.* 8. *de Relig. l.* 3. *cap.* 1. *num.* 29. etiamſi permulti quos adducit & ſequitur *Sanchez l.* 6. *in decal. cap.* 8. *num.* 61. cenſuerint dimiſſionem habitus intra ſepta; Religioſum excommunicationi obnoxium reddere, ſi ſe ibi ſecularium oculis videndum ſiſtat.

Non purgat Apoſtaſiam.

QVamvis autem hæc ſit conſummatiſſima apoſtaſia, & ſceleris illius veluti vertex; tamen non videtur dubitandum, quin in foro ſaltem conſcientiæ, de quo Rota proximè citata non agebat, aliter poſſit incurri vera apoſtaſia. Nam qui retento licet habitu Religioſo, fugit ad ſeculum animo ibi hærendi, habendus plane eſt Apoſtata, propriè & ſimpliciter, vt cum communi Iuriſperitorum ſententia affirmat *Suarez dicto l.* 3. *cap.* 1. *num.* 13. & *Fagundes in* 2. *præceptum l.* 8. *cap.* 5. *num* 25. *ac Leſſius l. de Iuſt. cap.* 41. *num.* 109. *Tamburinus de Iure Abbatum Tomo* 3. *diſput.* 8. *quæſito* 1. *numero.* 12. poſt Angelum *Apoſtaſia num.* 4. *Syluestrum eodem* §. 9. *Azorium tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 6. paſſimque DD. quorum plurimos adducit ac ſequitur *Sanchez l.* 6. *in decal. cap.* 8. *num.* 4. Et ratio eſt, quia ſicut habitus non facit Monachum, ex *cap. porrectum, & cap. ex parte de Regular.* (quin etiam poteſt valere profeſſio abſque habitus ſuſceptione, vt *Abbas ad cap. porrectum* & alij DD. ibidem paſſim docent:) & poteſt dari vera Religio abſque ſpeciali habitu, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ: ita habitus conſeruatio, non facit vt quis cenſeatur intra Religionem eſſe: ſed cum perſonatus ille Religioſus, animum habeat à, Religione alienum, & iugum perpetuo excuſſerit, quantum eſt ex vi præſentis voluntatis, cenſendus planè eſt retroceſſiſſe à religione, & ab ea defeciſſe, quod eſt eſſe verè Apoſtatam. Nec eum iuuat retentio ſigni externi non ſubſtantialis Religioni, quale eſt habitus: Quinimo etiamſi pleraque Religioni ſubſtantialia retineret, vt caſtitatem, & paupertatem; ac quamvis Religioſis obſeruantiis ſui inſtituti inhærere pergeret, vt ieiuniis, flagellationibus &c. tamen ſola abiectio obedientiæ, eſt derelictio ſtatus Religioſi, ſufficiens ad veram apoſtaſiam. Conſtat autem cum illo animo non reueniendi, non poſſe perſtare obedientiam Religioſo ſtatui ſubſtantialem. Per illum igitur egreſſum cum animo non reueniendi, fit retroceſſio à Religioſo inſtituto, atque adeò incurritur apoſtaſia, quamtumvis habitus retineatur.

Animus reueniendi poſt moram notabilem, non obſtat Apoſtaſiæ, à fuga preſsè accepta diſtinctæ.

IMo ſiue habitus retineatur, ſiue dimittatur; & ſiue adſit animus aliquando regrediendi, ſiue non adſit; ſi tamen diuagatio extra ſepta, (quantum eſt ex animo Religioſi exeuntis) non ſit modica, ſed notabilis & alicuius momenti, dummodò exitus fiat ex plena deliberatione, (nam egreſſio ex ſubito calore iracundiæ, etiam animo non redeundi, non ſufficit ad apoſtaſiam, donec rata habeatur poſt calorem:) cenſendum eſt, eam ſufficere ad veram apoſtaſiam: quod negat quidem *ſanctus Antoninus in ſumma p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 6. *Syln. Tabien. & Piſanella V. apoſtaſia, Ricciullus l.* 8. *de iure &c. cap.* 2. *num.* 19. *& ſeqq. Miranda tomo* 1. *Manualis quaſ.* 51. *art.* 1. *concl.* 1. *Fagund. l.* 8. *in* 2. *Eccleſ. præcep. cap.* 5. *num.* 21. Tamen mihi videtur longè verius. *Suarez* autem *c. illo* 1. *num.* 21. monſtrat id conforme eſſe pleriſque

anti

antiquis, vt *Innocentio & Panormitano.* Et ſib ci-bit adducens alios *Tambur.* *nus Tomo 3. de iure Abbatum diſp.* 8. *quæſito* 1. *n.* 13. Manifeſtaque ratio ſuffragatur. Nam retroceſſio à ſtatu Religioſo per aliquod tempus notabile, eſt vera defectio ab illo ſtatu: alioqui Religioſus qui militiæ nomen daret, remigraturus ad cœnobium poſt annos aliquot, non deficeret à Religione; nec eſſet Apoſtata: quod nemo auſit aſſerere, cum talis verè cadat à ſtatu Religioſo, & alium ineat, quamuis aliquando reſumpturus priorem. Sicut igitur qui à fide omnino deficeret per aliquod tempus, vt Tyranno, V.G. Turcæ gratificaretur, eſſet verè & ſimpliciter Apoſtata fidei, quamuis in animo haberet, diſcuſſis procellis fidei infeſtis reuenire, ad fidem: ita qui à Religioſis ſeptis exit, cum animo aliquando redeundi, ſi tempus quo ſtatuit foris hærere, non ſit planè exiguum, deficit à Religione, eſtque verè Apoſtata. Nec eſt neceſſe, vt cum exiit, fixum apud ſe habuerit, hærere foris longo tempore determinato, V.G. biennij; ſed ſufficit, vt exiuerit cum animo hærendi in ſæculari & libera vita, quamdiu commodum ipſi videbitur: aut quouſque certum negotium non prorſus modicæ moræ indigum perfecerit. Quin etiam poſito quod in egreſſu habuerit animum mox reueniendi, ſi tamen ſenſim inefcatus, hæreat per tempus notabile, euadit Apoſtata, cum primùm mora, ſecundùm intentionem transfugæ, aut reipſa, eo aduertente incipit eſſe notabilis. Sic igitur philoſophandum eſt de quidditate apoſtaſiæ à Religioſo inſtituto.

Neque verò eſt quod quis obtendat, per hanc doctrinam euerti diſtinctioné Apoſtatæ à fugitiuo, quæ tamen fere apud omnes rata eſt. Nam quamuis pauci quidam DD. cenſuerunt idem eſſe *fugitiuum & apoſtatam*, vt *Tabienna & Armilla V. Apoſtata* poſt S. *Antoninum* 2. *p. tit.* 12. *cap.* 6. & 3. *p. tit.* 16. *cap.* 5. §. 3. Tamen communiter DD. fugitiuum ab Apoſtata ſecernunt; ita vt *fugitiuus* ſit nomen quaſi genericum, & commune tam ei qui preſsè *fugitiuus* dicitur, quàm Apoſtatæ: Specialem autem fugitiuum, ab Apoſtata inde diſtinguunt, quod apoſtata exeat animo non reuertendi, & deſerendi Religioſi inſtituti. Ita *Nauarrus Conſilio vnico de Apoſtatis num.* 8. *Caietanus, Bannez, & Aragonius* 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *Val. ibidem p.* 1. *Leſſ. cap.* 41. *de Iuſt. num.* 109. *Azor. tom.* 1. *l.* 12. *cap.* 16. *q.* 1. *Rodericus Tom.* 1. *qq. Regul. q.* 30. *art.* 1. *Bonac. de clauſura q.* 2. *p.* 11. §. 1. *num.* 5. & alij quos citat & ſequitur *Sanchez l.* 6. *in decal. cap.* 8. *num.* 2. Hoc igitur eſt, quod aiebam oſtendendum, ad conuellendam doctrinam, à nobis proxime propoſitam, de eo quoque inter Apoſtatas recenſendo, qui exit animo reuertendi, ſi exeat ad moram notabilem.

Nihilominùs dicendum eſt, ſaluam eſſe diſtinctionem *fugitiui* ſpecialis, ab *Apoſtata*. Nam fugitiuus ſpecialis, dicitur is qui abit inſalutato hoſpite ad breue tempus. Nam qui receſſit & illicò rediit, receſſiſſe minimè videtur, vt habetur ex *cap. diuortium de pœnit. diſt.* 1. Apoſtata autem dicetur, qui abit in perpetuum; vel ad tempus diuturnum, iuxta conſtituta ſuperiùs. Intelligendum autem eſt, fugitiuum æquè ac Apoſtatam, abire ad excutiendum iugum, & dicendum, *non ſeruiam.* Nemo enim inter fugitiuos recenſeat eum, qui tantùm exit abſque facultate mox rediturus, & abſque animo iugum excutiendi per illud tempus. Et ita rectè *Nauar. Conſilio vnico de Apoſtatis num.* 4. Egreſſionem porrò prædictam, à fuga diſtinguere, eſt planè neceſſarium: ſiue leuis culpa ſit, vt *Nauarrus* pronunciat *comment.* 4 *de Regul. num.* 35. ſiue ſit grauis, vt fere contingit, quoties grauis cauſa honeſtans non interuenit: (propterea enim furtiua & nocturna egreſſio, à Clemente VIII. inter peccata in Religionibus reſeruanda recenſetur, quod ſupponit eam egreſſionem eſſe culpam grauem:) quia tamen & breuis eſt, & non fit animo excutiendi iugum, etiam ad illud breue tempus; ſed vel ad eſcam aliquam captandam, vel ex leuitate; non modò non eſt apoſtaſia, vt *Nauarrus Conſilio prædicto num.* 6. rectè cenſuit; ſed etiam meritò à fuga ſeiungitur; quia fuga eundem animum infert quem apoſtaſia, ſolaque diuturnitate ab ea diſcrepat. Quare non rectè opponeretur, iuxta conſtitutam ſuperiùs doctrinam, confundi fugitiuum cum apoſtata.

CAP. I. *Apoſtaſia, definitio.*

Firmatur doctrina ſuperiùs data, de non excluſa per retentum religioſum habitum Apoſtaſia.

ILlud potiùs ex ea doctrina rectè inferri poſſet, parum vel nihil ad labem apoſtaſiæ referre, dimiſſionem vel retentionem habitus quamuis pleriſque, præſertim è Iuriſperitis, olim viſum ſit, in eo verti totum apoſtaſiæ negotium, quod veſtitus Religioſus abiiceretur: admodum profectò incongruenter, vt ſuperiùs eſt monſtratum. Neque enim habitus facit Monachum, vt habet commune adagium, depromptum ex *cap. porrectum & cap. ex parte de Regular. & cap. conſuluit*, qui Clerici vel vouentes. Adagium geminum eius quo de Iſidis myſtis dictum eſt apud Plutarchum l. de Iſide, *Non facit Iſiacum* λινοςολία, *ſicut neque Philoſophum attrita veſtis, & barba promiſſa*, qui erat philoſophici amictus inſigne. Erat ſimiliter λινοςολία, amictus lineus, Iſiacorum peculiaris. Neque enim laneis veſtibus amiciri fas erat, quippè ex carne procreatis, atque adeò impuris, ſed veſtiendi erant lineis tanquam puris, & è terra, citra carnis commercium procreatis vt in ſimili diſſerit *Orig. hom.* 9. *in Leuit.* Vt ergo ſignificarent, germanum Iſidis miniſtrum non perfici ſola geſtatione veſtis ſacro miniſterio addictæ, vulgato prouerbio ferebatur, λινοςολίαν non facere Iſiacum. Quod proportionale eſt effato illi vulgato, *Habitus non facit Monachum*, cuius veritas adeò eſt communi aſſenſu firmata, vt ſit veluti axioma. Nec immeritò *Rich. Victor. l. de grad. charit. cap.* 4. expoſtulat, quod pleriſque locis, venientibus ad ſepulchrum Domini quod clauſtrum eſt, ſola linteamina pateant, id eſt habitus forma. Quaſi diceret, in pleriſque cœnobiis, errore planè craſſo, totam religioſæ vitæ rationem, ſtatui in habitus retentione: quæ tamen non plus verè exhibeat Religioſum, quàm linteamina quibus corpus Chriſti obuoluebatur in ſepulchro, Chriſtum continerent iam rediuiuum. Idem libro de *Incarn. Verbi cap.* 3. pleroſque Religioſos, vita irreligioſos, annumerat hiſpidis & piloſis quos ſcriptura de nomine habitationis Eſau, appellat, *Seir, Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt*, ait ad hoc inſtitutum *Ioannes Sariber. l.* 9. *polycr. cap.* 23. Quàm multi verò ad immunitatem à damnis, aut grauibus ſannis, inter Hæreticos aut Ethnicos, Religioſam veſtem dimittunt, nec tamen idcirco ſunt Apoſtatæ? Ita rectè *Sylueſter V. habitus num.* 3. *Menochius de arbitrar. caſu* 546. *num.* 40. & paſſim DD.

Cap. I. *Apoſtaſia definitio.*

Non deſunt in hanc rem exempla Sanctorum. Piphnutius Abbas Sanctiſſimus, & cœnobium & religioſum habitum dimiſit, vt in alia Religione admitteretur inglorius, ex *Caſſiano l.4.cap.30.* nec tamen habitus eſt apoſtata. *S. Stephanus* iunior, educendus è carcere ad ſupplicium, dehortantibus licet aliis Monachis, exuit habitum monaſticum, ne profanaretur: addens, decere athletam Chriſti, luctari nudum. An idcirco apoſtatauit vir ſanctus? S. Geraldus Comes Aureliacenſis, de conſilio Gauſberti Epiſcopi, Monachum egit ſub habitu militari, vt ſcribit *S. Oddo l.2.* de vita eiuſdem *S. Geraldi cap. 2. & 3.* additque *cap. 16.* *Laus valde eminens eſt, in habitu ſaculari, Religionis propoſito deſeruire, ſicut è contra nimis ignominioſum eſt, ſub eiuſdem Religionis indumento, ſaculum quaſiſſe.* Quin etiam dimiſſio habitus, præſertim intra monaſterij ſepta & extra conſpectum hominum facta, vel ad commodiùs capiendum ſomnum, vel ex leuitate, ad expeditiorem curſum vel lauationem; aut quod fœdiſſimum eſſet, ad turpe commercium cum ſcorto, non ſufficeret ad apoſtaſiam vt late confirmant *Oldradus conſilio 202, Azor.tom.1.l.12.cap.19.q.9 Rodericus Tom.1.qq. Regul.q.30.art.1.Ricciullus l.8.de iure perſon.extra Eccleſ.c.2.num.14.* Non igitur totum apoſtaſiæ negotium vertitur in habitus abiectione, vt quidam cenſerunt.

Operire habitum religioſum retentum, non eſt Apoſtaſia. Quanta culpa, tegere vel abiicere habitum.

Et incongruentiùs etiam *Rebuffus in Praxi Benefic.tit.de diſpenſat.cum regular. num. 43.* & alij quos magno numero appendit *Sanchez l.6. in decal. cap.8.num.5.* vſque eo habitus Religioſi retentionem vel dimiſſionem extulerunt, vt pronunciare non ſint veriti, illum eſſe Apoſtatam, qui habitum Religioſum ita cooperit, vt extrinſecùs non appareat, quod tradit *Ioannes de Saxonia l. 1.vitæ fratrum cap.20.* & cum aliis multis *Ioannes Hieronymus Campanilis rubr.12. de regular. cap.9.n.6.* Idem latiſſimè confirmat *Ricciullus l.8.de iure perſon.extra Eccleſ.cap.12.* Id tamen nulla ratione verum eſt. Imo dubitari non immeritò poteſt, an ea habitus retenti occultatio, etiamſi abſque iuſta cauſa fiat, reddat Religioſum obnoxium excommunicationi, intortæ in Religioſos temerè dimittentes Religionis ſuæ habitum, ex *cap. 2. ne clerici vel monachi in 6.* Idque negant, *Suarez Tomo 5. 3.p. d.23. ſ.4. n.33. & Tract. 8. de relig. lib.1. cap.5. num.12. & Sayrus l.3. de cenſuris cap.33. num.9.* fatetúrque *Sanchez ſupra num.63.* eſſe ſententiam probabiliſſimam, quamuis abeat ipſe in contrariam, quæ eſt multo plurium, & habitum planè coopertum, ita vt nullo modo etiam à propè accedentibus internoſci poſſit, habet pro dimiſſo, ac ſtatuit iiſdem pœnis ſubiacere, quibus abiectio habitus eſt obnoxia. Verùm cum lex pœnalis ſit ſtrictiſſimè accipienda, securè poteſt quis, ſententiam illam protritam repudiare, & priori adhærere, quæ negat, habitum retentum, etiamſi planè coopertum, cenſuræ eſſe obnoxium: Tantum abeſt, vt qui habitum ſic opertum defert, apoſtaſiæ ſit arguendus, non modo ſi ex diſpenſatione id faciat, vt *S. Ludouicum Toloſanum* feciſſe conſtat, ſed etiam ſi ex leuitate.

Non extenuo culpam dimittentis habitum Religioſum, vel de eo erubeſcentis, & idcircò illum operientis. Mihi enim indubitatum eſt, cum habitus Religioſus abſque iuſta cauſa, ſiue vt iura loquuntur, *temerè* deponitur, idem proportione contingere Religioſo, quod (vt eſt apud *Clementem Alexandrinum 2.padag. cap.10.*) accidit mulieribus cum nudantur. Exuunt enim cum veſte pudorem. Id quod etiam ex Herodoto aſſerit *S. Hieronymus l.1. contra Iouinia. ſub finem.* Et quod de pallio Chriſtianorum aiebat *Tertullianus l. de pallio,* ſuffundi rubore qui cum ea veſte ad aliquid indignum aggrediatur; idem multo magis de Religioſo habitu aſſeruerim, cum *S. Baſilio ad q.22.* fuſiarum, qui idcirco veſtem Religioſam, *Pædagogum Religioſi* nominat. Proindéque temeraria talis frœni abiectio, vacare culpa non poteſt; & quidem graui, vt tandem concludit *Suarez dicto cap. 5. num.8.* Miracula quædam in eam rem, petere licet ex *Caſario lib.11. miracul. cap.36. & ex Thoma Cantipratano l.1.Apum.cap.9. num.3.& 4.* itemque ex *Vuadingho in minorum Annalibus anno 1266. num.12.* Et addenda eſt inſignis in hanc rem viſio quæ ex ore *S. Odonis Cluniacenſis* refertur in eius Actis *lib.3. cap.1.* de Monacho frugi & pœnitente quem *S. Benedictus* viſus eſt cœlo excludere donec habitum in Regula præſcriptum indueret. Hanc igitur culpam non extenuo. Sed aliud eſt, cerni in ea temeraria veſtis dimiſſione, culpam; quod non inficior; aliud cerni apoſtaſiam; vel quomodolibet malam dimiſſionem, aut occultationem habitus, eſſe excommunicationi obnoxiam, quod negaui.

Quidditas Apoſtaſiæ, excuſſio iugi Religioſi, abſque facultate.

Ratum ergo eſto, apoſtaſiam à Religioſo ordine, cuius probra demonſtrare aggredimur, contineri excuſſione iugi Religioſi, perpetua, aut aliquatenus notabiliter diuturna. Hæ poſtremæ voces, fugam ab apoſtaſia diſcriminant, tenentque locum differentiæ. Vox verò *excuſſionis* quæ locum generis tenet, apertè fert abitum abſque legitima diſpenſatione, qualem Pontifex ex cauſa, quibuſuis Religioſis, etiamſi profeſſis, poteſt concedere; conſtatque non rarò conceſſiſſe, vt videre eſt apud *Suarem tract.7. de Relig.lib.6.cap.16. num.6.* Quin etiam Religioſo, poſt ſacerdotium & inaugurationem in Epiſcopum, conceſſum aliquando eſſe, vt ad ſæculum regrederetur & coniugio illigaretur, narrat *Mariana l.10.hiſt.Hiſp.cap.15.* Nec Pontifex tantum, ſolebat olim facultatem abeundi Religioſis concedere, eoſque voto ſoluere; ſed etiam ſuperiores Religionum, vt conſtat ex *S.Baſilio in Conſtit. Monaſt. cap.34.* & ex facto S. *Benedicti*, quod refert *S. Gregorius 2. dialog. cap.25.* Præclarè in eam rem diſſerit *Baſilius Ponc. q. 3. ſchol. cap. vltimo.* Qui igitur Religionem profeſſi, ad eum modum è Religione abeunt, cum non excutiant Religionis iugum, ſed ei à legitima poteſtate ſubducantur, non ſunt Apoſtatæ, vt tradit *Nicolaus 5. extrau. Viam,* & latè confirmat *Nauar. Conſilio vnico de Apoſtatis numero 8.*

Promotio Religioſi ad Epiſcopatum, eſt abſque Apoſtaſia.

EX eodem item fundamento apertè habetur, abſurdè vulgus, illos qui ad Epiſcopalem dignitatem aſſumuntur ex Religioſo ordine, vocare *Apoſtatas*, vt refert *Thomas Vvald. l. 3. doctr. art. 1. cap. 17. num. 5.* qui id refellit, ex eo quod tales, à Religione minùs perfecta, prouehuntur ad magis perfectam, cuiuſmodi cenſet eſſe ſtatum Epiſcopalem. Vnde ſicut Religioſus, qui à Religione laxiore ad ſtrictiorem promouetur, non eſt apoſtata; ita neque Religioſus qui promouetur in Epiſcopum. Sic quidem Vvaldenſis; cuius tamen fundamentum, nempè quòd ſtatus Epiſcopatus, ſit ſtatus Religionis perfectioris, non eſt idoneum. Quare dicendum eſt, iuxta proximè conſtituta, ideirco Religioſum, cum ex voluntate Pontificis abit ad Epiſcopatum, non eſſe Apoſtatam, quia non excutit iugum Religioſum, dicens *non ſeruiam*: quod abſit vt vel cogitemus de tam multis ſanctis Antiſtibus è Religione aſſumptis. Quin potius Religioſus in Epiſcopum aſſumptus, perſeuerat Religioſus, & omnibus Religioſi inſtituti cui prius inſiſtebat obligationibus cum Epiſcopatu compoſſibilibus obſtringitur, nec habitum arctiorem poteſt deponere. Et habetur in 8. *Synodo cap. 27. in fine*, & tradit rectè, *Syluester V. Religio 7. quaſt. 11.* Ideóque laudatos legimus ſanctos Epiſcopos ex religioſis Ordinibus aſſumptos, *SS. Ludouicum Toloſatem, Gulielmum Bituricenſem, & Gofridum Ambianenſem, lib. 2. vita cap. 3. Videſis Rodericum tom. 2. qq. regul. quaſt. 59. art. 3. Sanchem l. 6. in Decal. cap. 6. à num. 18. Suarem tom. 4. tract. 9. l. 3. cap. 16. 17. & 18. Choppinum l. 1. Monaſt. tit. 3. num. 5.* Specialiter verò an & quatenus Religioſus aſſumptus in Epiſcopum, ligetur voto paupertatis, conſulendi *Sanchez ſupra, à numero 7. & Suarez tract. 8. l. 3. cap. 16. vbi à numero 28.* excutit, quando qui aſſumptus eſt ex religioſo in Epiſcopum poſſit diſponere de fructibus beneficij, *& Sanchez ſupra numero 14.* Et an poſſit condere Teſtamentum, qua de re idem *ibidem num. X. & Rodericus Tomo 3. quaſt. 69. ab artic. 4.* Quomodo denique idem Epiſcopus ligetur voto obedientiæ enucleant *Sanchez l. illo 6. cap. 6. à numero 2. & Suarez dicto tract. 8. lib. 3. cap. 17.* Votum abſtinentiæ à cibis non quadrageſimalibus, vrgere Minimum, factum Epiſcopum, negat *Sanchez ſupra numero 15.* Hæc omnia extendi ad Religioſos euectos in Cardinales, aiunt *Rodericus Tom. 2. quaſt. 59. artic. 7. Sanchez ſupra numero 34 & Suarez cap. 18. numero 4.* An autem idem ſit de Religioſo in Epiſcopatum promoto, ſi Epiſcopatu excidat *Sanchez cap. illo 6. numero 128.* Non ſunt hæc inſtituti præſentis, item aliò ea ablego.

* * *

Emancipatio item ab Obedientia, non eſt Apoſtaſia; quamuis ferè tetra ſit, & Sanctis inuiſa.

NEc minùs certum eſt, expungendos eſſe Apoſtatarum numero eos Religioſos profeſſos, qui retento habitu, obtenta facultate, nacti exemptionem ab obedientia, diſtinentur vel maiorum Prælatorum obſequio vel Eccleſiaſtico aliquo miniſterio extra cœnobium, vel aulis Regum ac Principum inſiſtunt, iiſdem ad nutum prompti, ſicque determinente publicis commodis vbicunque degere contigerit: expertes quidem iugi Religioſi, quantum ad immediatorum Prælatorum iuſſa attinet, ſed tamen cum bona maiorum venia. Hos *Thomas Cantipratanus l. 2. Apum c. 3. n. 7.* Apoſtatas cēſet, & modis admodū flebilibus expoſtulat nouum hoc apoſtaſiæ genus, (ita enim appellat) in naſcentes tunc Prædicatorum & Minorum familias obrepſiſſe. Contrarium tamen eſt aſſirmandū. Neq; enim qui ita exempti ſunt, excuſſerunt Religioſum iugum. Vnde propriè non poſſunt dici Apoſtatæ.

Illud tamen certum eſt, ſi Religioſi viri arbitrio permittatur ea veluti emancipatio, nunquam eſſe admittendam: tantùm abeſt, vt captanda & extorquenda ſit per interpoſitionem potentum, quibus reſtragari non liceat. Iuſto Dei iudicio, vix aliquid vnquam bonæ frugis ab Eccleſia metiere huiuſmodi ſolo, ſtatuit ibidem Cantipratanus. & poſtmodum addit; *Volo teſte Chriſto, ſponſor eſſe pro talibus, vt ſi per eos debita negotia proſperentur Eccleſia, mendax & periurus inueniar in die tremenda, ante faciem iudicantis.* Euge bone ſenex: Æuo tuo gratulare. Quid ſi enim vidiſſes & tu, ea ſuſcipi, tractari, confici, per homines veſte tenus Religioſos, ea ratione emancipatos, quæ iſti ſæculorum fines ſuſcipi, tractari, confici, viderunt & gemuerunt? Attolle vocem quàm contentiſſimè, vt te exaudiant æui noſtri Monachopolitici, & illum tuum ingemina leſſum. *Heu quam ſera, heu quàm peſſima, & ab omni profeſſione Religioſi aliena, exemptio talis eſt.* Digna ſunt iſta lachrymis, non vocibus. *Imploremus, (ait S. Greg. hom. 17. in Euang. poſt medium) Hieremia lachrymas, Conſideret mortem noſtram, & deplorans dicat. Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Aurum quippè obſcuratum eſt: quia ſacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas oſtenditur reproba. Color optimus eſt mutatus: quia ille ſanctitatis habitus, per terrena & abiecta opera, ad ignominiam deſpectionis venit. Lapides verò ſanctuarij intrinſecùs habebantur, nec ſumebantur in ſummi ſacerdotis corpore; niſi cum ſancta ſanctorum ingrediens in ſecreto ſui conditoris apparebat. Nos ergo Fratres chariſſimi, nos ſumus lapides ſanctuarij, qui apparere ſemper debemus in ſecreto Dei, quos nunquam neceſſe eſt foris conſpici, id eſt, nunquam in extraneis actionibus videri. Sed diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, in capite omnium platearum: quia hi qui per orationem intus ſemper eſſe debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce iam pene nulla eſt ſaculi actio, quam non ſacerdotes adminiſtrent. Dum ergo in ſancto habitu conſtituti, exteriora ſunt quæ exhibēt, quaſi ſanctuarij lapides foris iacent. Quia enim Græca voce platea à latitudine vocatur, ſanctuarij lapides in plateis ſunt, cū Religioſi quique lata mundi itinera ſectantur. Nec ſolùm in plateis, ſed in capite platearum diſperſi ſunt;*

CAP. I.
Apoſtaſia definitio.

ſunt; *quia & iacent per miniſterium operis, & honorari volunt de imagine ſanctitatis.* Imitatus eſt hunc S. Gregorij locum *Philippus Abbas l. de dignitate Clerico. cap. 14. in fine.* vtriuſque oratio, optimè percellit Religioſos emancipatos, vt terrenis negotiis inſiſtant.

Sed congruentiùs ac diſtinctiùs in rem præſentem Auctor libri de modo benè viuendi ad *Sororem ſerm. 66.* his verbis. *Audi quomodò Hieremias Propheta noſtras iniquitates plorat, dicens: quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color eius optimus? Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Per aurum intelligimus vitam Religioſorum hominum, quæ antea erat per gloriam virtutum clara: nunc verò per turpes operationes, eſt obſcura. Color optimus auri, ſignificat habitum ſanctitatis, qui per bona opera prius erat precioſus atque optimus: nunc verò per vitia & ſecularia opera eſt mutatus, & vilis atque deſpectus. Verè eſt mutatus habitus optimus Religioſorum virorum, videlicet Monachorum, Canonicorum, & ſanctimonialium fœminarum, quando amplius componitur, vt placeat in conſpectu populi, quàm vt placeat in conſpectu Dei. Verè eſt mutatus optimus color auri quando plus aptatur habitus Religioſorum virorum, vt placeat per vanam gloriam in conſpectu hominum, quàm vt placeat per humilitatem ante Deum. Certè hodiè ſunt mutata Religioſorum virorum optima veſtimenta, quando magis ornantur vt placeant in palatio Regis, quàm in conſpectu Creatoris. Sequitur diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Lapides ſanctuarij deſignant Religioſos viros, qui nunquam debent foris vagari, ſed in ſecreto Monaſterij ante oculos Dei ſemper commorari. Sed diſperſi ſunt hodiè lapides ſanctuarij in capite omnium platearum, quando Religioſi viri, quærendo vana & ſecularia foris vagantur, in capite omnium platearum. Lapides ſanctuarij diſperſi ſunt, quando viri Religioſi plus deſiderant in palatio Regis verſari, quàm intra clauſtrum Monaſterij commorari. Diſperſi ſunt, quando plus deſiderant ſuperflua audire verba diuitum, quàm præcepta ſcripturarum. In capite platearum diſperguntur, quando plus lætantur in conuiuiis, & locutionibus diuitum, quàm in paupertate & abſtinentia Religioſorum Fratrum. Serui Dei plus debent diligere legumina in Monaſterio, quàm opulenta conuiuia in ſæculo. Religioſi viri plus debent amare olera inter ſuos Fratres, quàm multitudinem ciborum inter diuites. Viri Religioſi ampliùs debent gaudere in menſa pauperum Fratrum, quàm in menſa Regum. Quare? Quia ſicut ait Auguſtinus, melius eſt minus egere, quàm plus habere. Melius eſt pro Chriſto in Monaſterio paupertatem ſuſtinere, quàm in ſæculo multas diuitias habere. Neceſſe eſt igitur, vt quiſque Religioſus, ſi ſaluari deſiderat, ſæculum contemnat, & ſe ſe intra Monaſterij clauſtra concludat. Debet Religioſus vir conuentus ſecularium hominum fugere & Societatem Dei requirere. Viri Religioſi plus debent diligere clauſtra, quàm Regis aulam.* Feriunt iſta Religioſos emancipatos, quia aliud non ſpectat ea mancipatio, quàm vitæ laxitatem, & vt ſic dicam, irregularitatem.

Æquè conclamarunt in huiuſmodi monſtrum Religioſi, in negotioſum ſæcularem transformati, & quanto inde cordolio premerentur, expoſuere alij. Copioſè *Petrus Damiani Opuſc. 12.* præſertim *cap. 30. in fine* Breuius *opuſc. 36. cap. 1.* vbi alloquens Deſiderium, Caſſinenſem tunc Abbatem, poſtea Victorem Papam, *Erat* (inquit) *pater, erras, qui confidit ſe ſimul, & Monachum eſſe, & curiæ deſeruire. Quàm malè mercatur, qui Monachorum præſumit clauſtra deſerere, vt mundi valeat militiam baiulare Vndis erutus ſanus eſt piſcis, non vt ſibi viuat, ſed vt alios paſcat. Euocamur, attrahimur; ſed vt viuamus aliis, morimur nobis. Amat venator ceruum, ſed vt ſibi faciat ſeruum; perſequitur capras, lepuſculos inſectatur; ſed, vt ipſe benè ſit, illa nihil ſint. Amant & homines nos, ſed non nobis, ſibimet diligunt, in ſuas nos verte·· delitias concupiſcunt. Quos nimirum dum in exteriora proſequimur, quid aliud quàm Monacho noſtro, qui latebat intrinſecùs, repudium damus?*

Petrus Bleſenſis tota epiſt. 107. in huiuſmodi Religioſum conclamat. Nec omittenda quæ *Ep. 4. & 139. ad finem*, habet, de aulæ malignitate, & alieniſſimis à Religioſa vita moribus. Præclarè quoque *Hugo de Folieto* (is enim verè auctor, non *Hugo Victorinus,*) *l. 2. de Clauſtro animæ cap. 16. Cum dicitur curialis Monachus, ex adiuncto deſignatur aliquid leuitatis. Qui enim ſecularium hominum conſortia diligunt, qui ſe conſiliis Principum libenter ingerunt, qui ſecretorum conſcij ſunt & internuncij, Curiales poſſunt appellari. Conſilia Principum peruerſa, ſi ea ſcias, & internuncius fias, timeo vt conſentias. Ordo clauſtri, & ordo curiæ, diuerſus eſt valdè. Ibi ſedes in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem: hic audis. Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum impiis non ſedebo. Ibi dextra tua repleta eſt muneribus, hic lauas inter innocentes manus tuas. Ibi pauperum res violenter auferuntur, hic à pauperibus ſponte offeruntur; Ibi laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, hic autem benedicitur iuſtus. Si vis igitur eſſe Monachus curialis, laudas quos non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet.* Addit, & fusè proſequitur, talem Regularem euadere Achitophelem, & cum Abſalone, Iudæ imagine, perire.

Auſim dicere, Religioſos hoſce ſæculares, mentionem impingere *Euſebio cum l. 1. de demonſt. cap. 8.* ſic deſcripſit Religioſos. *In Eccleſia Dei, duo viuendi modi inſtituti ſunt, alter quidem naturam noſtram & communem hominum vitæ rationem excedens; non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens; Totus autem prorſus à communi & conſueta cunctorum hominum vita abhorrens, & ſoli diuino cultui, ex immenſo rerum cœleſtium amore addictus. Qui hunc modum amplexi ſunt, quaſi ab hac mortali vita ſeiuncti, ipſumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò atque animo in ipſo cœlo degentes, quaſi quidam cælites, reliquorum hominum vitam deſpiciunt: quippè qui pro vniuerſo genere, ſupremo omnium Deo ſacrati ſint, idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore vllo; neque fumo, aut ignis deuoratione, conſumptione corporum; ſed rectis veræ pietatis ſententiis, & purgati animi affectione, ad hæc operibus quoque, ac verbis, quæ à virtute proficiſcantur, quibus rebus diuinitatem ipſam placantes, ſuum & pro ſe ipſis, & pro aliis, qui eiuſdem ſint generis, adminiſtrant ſacerdotium. Et talis quidem exiſtit in Chriſtianiſmo perfectus vitæ modus.* An vero tales ſunt, qui talia tractant, & non potiùs quales mox ab Euſebio deſcribuntur in ſecundo ordine, tractātes humana & ciuilia? Mentitum ergo dicant Euſebium neceſſe eſt, Religioſos ab humanis omnibus auulſos deſcribentem. Omiſi de induſtria quæ *Gulielmus à S. Amore in Opere* cui titulus eſt

Collectio

Collectiones ſacræ Scripturæ diſt. 3. *ſigno* 21. *pag* 415. in Monachos Curiales & politicis negotiis diſtentos diſſerit. Neque enim de tam luculenta ſcrobe, cœnoſam aquam huc corriuare placet.

Aduerſus vmbellam exoratæ facultatis.

QVod verò hi Epicœni generis Regulares, tegi videantur vmbella exemptionis & conceſſæ facultatis, non eſt operoſum eam in peccatis excuſationem diſijcere, auctoritate & rationibus Sanctorum. Optimè *S. Anſelmus* apud *Edinerum l.* 2. *vita* §. *venit* & tranſlatum eſt in librum ſimilitudinum *cap.* 89. *Licentia*, (inquit) *multos decipit. Obedientia verò; & inobedientia, contraria ſunt; harum media licentia eſt. Is ergo quem obedientia conſtringit clauſtra non egredi, vult tamen exire, regulæque diſtrictionem libenter declinare, quamvis nolit ſine licentia id præſumere, & idcircò actum ſuum licentia qua præualet, conatur defendere, peccatum profectò habet ex illa illicita voluntate. Non enim poſtquàm mortuus mundo clauſtrum ſubiit, ad mundi negotia, vel voluntate, vllatenus redire debuit; Velle tamen ſuum non niſi permiſſus, facto ſuppiere vult. Obedientia ergo, quam in hoc amplexus eſt, ipſum factum excuſabit: ſed velle quod contra obedientiam habuit, periculoſum (niſi pœnituerit,) illi erit. Quod nonnulli minùs attendentes, licentia quàm pro implenda voluntate ſua expetunt, ſæpe falluntur.*

S. Bernardus Epiſt. 87. ſcribens ad Ogerium Canonicum Regularem qui curam paſtoralem abiecerat, exorata, veriùs extorta licentia, negat talem licentiam eſſe licentiam, & talem exſolutionem, negat eſſe, quod dicitur, ſed vult appellari abruptionem & violentiam: Manifeſtè igitur ſupponit, quiſquis licentiam obtendit quam captauerit, aut extorſerit, fruſtra ſibi abblandiri. Idque idem *D. Bernardus* alibi, ait eſſe non virtutem patientiæ, ſed velamentum malitiæ. Quaſi enim patitur, qui aliquid exequitur operoſum; vt ferè faciunt qui ea prætenſa facultate capeſſunt extranea a Religioſo inſtituto. Sed ea perpeſſio non eſt reuera ex Obedientiæ virtute, quamvis apud homines obtendatur facultas, quæ eſt ſiparium iniquitatis, coram Deo incorrupto Iudice.

Petrus Cluniac. l. 2. *epiſt.* 22. *ſub medium*, planè ſuffragatur, ſic alloquens Petrum Pictauienſem, qui prætextu obedientiæ eum deſeruerat. *Sed dicis; Obedientiæ ego limitem non exceſſi, quia patris permiſſione remanſi. Sed tu non eam ſpontaneam accepiſti, ſed extortam importunis precibus rapuiſti. Hoc planè non fuit obedire. Quid ergo eſt obedire? Vt Monachorum lex loquitur, propriam relinquere & Magiſtri voluntatem implere. Vnde in eadē regula ſcriptū eſt, ſecundus humilitatis gradus eſt, ſi quis propriam non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere, ſed vocem illam Domini, factis imitetur, dicentis, Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Voluntas igitur præcipientis, magis quàm Verbum, affectus magis quam vox, intellectus magis quàm ſonus, vero Monacho obſeruanda ſunt.* At quiſquis extorquet ſubdolè vel importunis precibus facultatem, ad ſummum habet verba & voces ſuperioris, non item voluntatem, atque adeò fruſtra ſibi quaſi de obedientia blanditur, & obtentam facultatem allegat.

Tandem *Petrus Damiani Opuſc.* 12. *cap.* 21. *Vt ſuperſedeant ſcutum excuſationis opponere, qui ſæculum perluſtrantes, iactant ſe obedientia legibus deſeruire, non ignorent, quia & Eſau venatum prodiens, paternis iuſſionibus paruit: & tamen nec patri cibos offerre, nec optata benedictionis meruit primitias obtinere. Quiſquis etiam rem, quæ ad vitium pertinet, conſuetudine ductus, propria voluntatis inſtinctu libenter exequitur, peccat etiam ſi alienis imperiis ſpecie tenus obtemperare videatur. Nam cum dicitur: quia Iſaac amabat Eſau, eò quod de venationibus illius veſceretur; conſtat nimirum, quia Eſau, vt patri cibos ſtudio venationis acquireret; non magis paternæ iuſſionis per obedientiam paruit, quàm inolitæ conſuetudini quodammodò tributa perſoluit. Qui ergo diſcurrendo per ſæculum propria libidini ſatisfacit, & tamen obedire ſe maiorum iuſſionibus aſſerit, nouerit Deum non tam coloratis verboſitatibus credere, quàm de occultis hominum, iuxta conſcientiam iudicare. Et Opuſ.* 13. *cap.* 10. eandem obumbrationem veri vitij, ſuperducto hoc virtutis velamine, egregiè exagitat.

C. P. I. *Apoſtaſia definitio.*

Satis ſuperque euictum videtur; Religioſos, negotiis ſæcularibus cuiuſcunque voluntate implicitos, peſſimam occupationem ſuſcipere: nec eis quominus delinquere, & ſeipſos deludere, ac Religionem euertere dicantur, licentiam ſuperiorum ſuffragari. Vt tamen Cantipratano concedam huiuſmodi Religioſos fieri Apoſtatas, in rigore ac propriè, adduci non poſſum, cum ratio propoſita ferat contrarium.

Abitus ad ſuperiorem mediatum, & fuga è carcere, an apoſtaſia.

EX eodem fundamento colligendum eſt, quid iuris eſſe debeat, de Religioſis ad ſuperiorem mediatum abſque immediati ſuperioris facultate abeuntibus, quos *Concilium Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de Regul.* mandat puniri vt Apoſtatas: quid item de Religioſis fugientibus è carcere, cui addicti iure fuerant. Et quidem Religioſum qui animo liberandi ſe ab iniquo grauamine ſuperioris immediati, adit mediatum, non eſſe apoſtatam, certum videtur ex definitione propoſita apoſtaſiæ; nec Concilium Trident. vult eum reuera agnoſci apoſtatam, ſed tantùm mandat puniri, ac ſi talis eſſet, vt euagationes indebitæ coërceantur, & diſciplina cuſtodiatur. Ita *Fagundez l.* 8. *in* 2. *precep. Eccleſ. cap.* 5. *num.* 2. qui rectè poſt *Nauarrum, Sotum, Rodericum, Aragonium*, addit *num.* 13. ſubſcribitque *Bonatina infra num.* 9. ne peccare quidem, Religioſum illum ſic adeuntem ſuperiorem ſuum mediatum, vt ab iniqua, nec leui vexatione immediati ſuperioris liberetur: niſi Religioſus ceſſerit iuri illi appellationis, quod dicitur in aliquibus Religionibus receptum, eſſe in vſum: Et nominatim ferunt apud Prædicatores ita fieri.

Iam Religioſus in carcerem ex cauſa compactus, vel etiam abſque cauſa, & inde fugiens animo non redeundi, vel diu vagandi, non minùs apoſtata eſt, quàm ſi è libera Monaſterij cuſtodia elapſus eſſet, vt *Sanchez* cum aliis docet *lib.* 6. *in decal. cap.* 8. *num.* 12. niſi ſi carceri perpetuo addictus, fugeret non animo vagandi, ſed veniam à Pontifice, vel mediatis ſuis ſuperioribus exorandi. Hunc enim fore apoſtatam, negat *Bannez* 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *poſt* 5. *Concluſ.* Huic fugientem à triremibus, æquiparat *Bonacina de Clauſura q.* 2. *p.* 11. §. 1. *num.* 8. Et idem multò magis certum eſſet, ſi carceri addictus

addictus eſſet, vt poſtea morte, aut mutilatione afficeretur. Tunc enim fuga eſt iuris naturalis, vt cum *Aragonio*, *Leſſio*, *Roderico*, *Sanctarello*, & *Sanchez*, aliiſque ſtatuit *Bonacina §. illo 1. num. 7.* quanquam reclamantibus. *Sayro in Clauı l. 12. c. 18. num. 14.* & *Valentia 2. 2. d. 5. q. 13. par. 4. ad 3.* Item idem eſſet, ſi ſententia eſſet apertè iniuſta, ſaltem quoad quantitatem pœnæ; vel ſi modus ſententiam exequendi, iniuſtus eſſet.

Exſolutio à votis Religioſis per fraudem, aut iniquè, vel importunè exorta, num liberet ab Apoſtaſiæ ſcelere.

HActenus de Religioſis profeſſis, quos ex iacto fundamento de vera notione apoſtaſiæ, conſtare debet, non eſſe apoſtatas, tametſi à Religione abſcedant modo prædicto. Eadem quæ ex cauſa, illi non profeſſi, qui à Pontifice iis ue quibus Pontifex fecit poteſtatem, abſque fraude ab ipſis adhibita, exoluuntur votis Religionis ſubſtantialibus, quibus in Societate IESV, Religioſi conſtituebantur, non ſunt apoſtatæ, cum reuertuntur ad ſeculum. Non enim iugum excutiunt, nec temere dimittunt Religioſum inſtitutum; ſed cum debita facultate; quod cum aliis quos adducit, ſtatuit *Ricciulus lib. 8. de iure perſon. extra Eccleſ. cap. 8. num. 4.*

Admitto tamen cum eodem *Ricciullo ibi nu. 7.* longe aliud eſſe de eo ſtatuendum, qui de induſtria labitur, vt votis exoluatur & dimittatur. Eum enim non dubitat Ricciullus in ſtatu perditionis hærere, ni faciat quicquid poteſt, vt reueniat ad Inſtitutum, à quo miſſionem malis artibus obtinuit, quamvis in foro externo videatur innoxius. Optimè idipſum confirmant *Sanchez lib. 6. in decal. cap. 9. n. 66.* & *Leſſius l. de Iuſt. cap. 40. à nu. 118.* & *Opuſc. de ſtatu vitæ deligendo q. 10.* Et ratio eſt manifeſta, quia quamvis ſocietas, auctoritate a ſummo Pontifice conceſſa, poſſit ex cauſa, ſuos ſimplicibus illis votis illigatos exoluere; tamen exſolutio, vt liberet eum qui voto adſtringebatur, debet liberè fieri ab exoluente. Hic autem exſolutio extorquetur fraude, ac per iniuriam. Eſt igitur coram Deo nulla, nec plus votum laxat, quàm faceret repulſa à Xenodochio, quam quis voto ad inibi miniſtrandum illigatus, curaret de induſtria, vaſtans ac diſperdens omnia. At nemo, talem voti ſui nexibus coram Deo liberum dixerit. Vt neque omnem illum qui conditionali voto obſtrictus, conſultò & fraudulenter laborat, ne conditio impleatur, quo liberetur voti obligatione: quam tamen in eo non euaneſcere, communis Doctorum ſententia tradit apud *Sanchem l. 4. in Decalo. cap. 23. num. 47.* Eſt igitur coram Deo Apoſtata, qui de induſtria, vt exoluatur votis, ea admittit quibus ſcit à Religionis Præſidibus rependendam exſolutionem; quæ tunc, in ſolo foro externo ſuffragatur. Quæ reſolutio æquè extendenda eſt, ad eum qui fictè imponeret ſibi culpas, vel tentationes graues, vt dimiſſionem extorqueret. Talem quippè, coram Deo, non obſtante exſolutione facta exteriùs, manere interiùs ligatum; & abeuntem ſubiacere pœnis Apoſtatarum in foro externo, pronunciauit Congregatio I. Generalis decreto 18. § 4. & *Sanchez ſupra num. 67.*

Nec mitiùs ſtatuendum, de eo qui importunè vrgendo, etiamſi abſque peccatis in eum finem admiſſis, extorqueret exſolutionem. In quem multo magis valent, quæ profert *S. Theodorus Studita catech. 96.* aduerſus precibus extortum a Cæſario quodam abſceſſum ad aliud inſtitutum mollius: Et quæ *S. Bernardus epiſt. 1.* in illum ſcripſit, qui prætextu Pontificiæ diſpenſationis, ad laxiorem Religionem tranſierat. Eſt enim multo tetrius, Religionem prorſus relinquere, prætextu ſimilis indulti. In foro tamen externo, qui ita abeunt, non habentur, nec nominantur Apoſtatæ: ſed ipſi apud ſe ſtatuant, quid Iudici integerrimo in eo foro à quo non eſt prouocatio, ſint reſponſuri; cum omnibus diſcuſſis offuciis, quicquid latet apparebit, nihilque inultum remanebit.

Ad veram igitur apoſtaſiam à Religioſo ordine, requiritur, & ſufficit, illa quam propoſui excuſſio iugi Religioſi, vel perpetua vel diuturna. Quæ defectio, quàm ſit probroſa, & quantis malis obnoxia, videndum erit in ſequentibus, vbi prius nonnulla, ad eam malignitatem præmittenda, & quæ ad eius veluti natales pertinent, tradiderimus.

CAPVT II.

Mirum videri non debere quod aliqui à Religione deficiant, nec inde dehoneſtari Sacras familias.

VEnenum propoſituri, præmittimus antidotum. Videmur ſanè vereri non abs re poſſe, ne propudia ſacrorum Ordinum exhibentes, puſillis quibuſdam obiiciamus ſcandalum; dum probra paucorum, ad profeſſionis ipſius dehoneſtamentum imprudenter trahunt. Quare meritò præſtruimus valdè neceſſariam veritatem; nimirum non eſſe quod quiſquam hæc præcipitia & inſperatos caſus miretur, vel inde ad deprecationem ſanctæ profeſſionis feratur. Diſputatio planè gemina, & quæ à SS. Patribus ſæpe agitatur, de magnorum aliquando virorum caſu ex Eccleſia per hæreſim. Quod offendiculo cuiquam eſſe debere, negant ſæpè Patres: ſed huiuſmodi caſus, diuina conſilia ſuſpiciendi, & eis humillimè acquieſcendi amplam ſegetem præbere, ſapienter ac piè demonſtrant: & nominatim *Tertullianus l. de præſcript. cap. 3.* & *Vincentius Lyrin. in commonit.*

Cur mirum non ſit inueniri Apoſtatas, iudicium Sancti Ephrem.

IDem nos quoque in re propoſita demonſtrare ſatagamus, initio ducto ab illis verbis *S. Ephrem in teſta.* non multùm à principio. *Cæterum, vos Fratres, nolite mirari ſuper aliquibus qui obedientia diſciplinam complexi, à me defecerunt. Nam & inter 12. Apoſtolos, vnus erat proditor Iudas Iſcariotes. Noſtis verò quod etiam in vinea præter intentionem rubus germinare conſueuit: & inter roſas, ſpinæ quoque naſcuntur ac decerpuntur.* Quibus non diſſimilia ſunt, quæ habet *Caſſianus collat. 18. cap. 16.* dum docet, mirandum non eſſe, quod ſint aliqui inter Monachos, qualis Iudas inter Apoſtolos, & Nicolaus inter diſcipulos: quod per huius vitæ tempus, dum triticum in agro creſcit, & cum grano paleas, & ſcilicet cum tritico lolium, reperiri ſit neceſſe. Planè gemina habet

habet *Ivo Carnot. epiſt.* 133. *S. Hieronymus l.* 3. *in Ruffinum ſub medium*, breuiter alio modo idem his verbis dixit. *Luſtraui Monaſteria Nitria, & inter ſanctos choros, aſpides latere perſpexi.* Nimirum, vt Varro aiebat; *Neque in bona ſegete nullum eſt ſpicum, neque in mala, non aliquod bonum.*

Sed reguſtemus verba *S. Ephrem.* Negat vir ſanctus, mirum videri debere, quod aliqui excuſſo iugo à Religione deficiant, cum Iudas in Sanctiſſima Chriſti familia, & primo ac omnium perfectiſſimo Chriſtiano cœnobio educatus, gradu illo exciderit. Solemne porrò eſſe Patribus, cum tales aliqui in Eccleſia magnorum virorum caſus contingunt, prouocare ad exemplum Iudæ, monſtraui in *Opere de Iuda cap.* 17. §. 10. Itaque meritò *S. Ephrem*, negans mirum videri debere, quod ex ſuo quantumuis Apoſtolico cœtu aliqui excidiſſent, adducit exemplum caſus quem Chriſtus in ſua ipſius familia contingere paſſus eſt; vt diſcamus, non admirari ſi in aliis, & minùs perfectis, & per rectores infinities deſpicatiores adminiſtratis Religioſis familiis, tale quid accidat.

Verùm dixerit non immeritò aliquis, hac ratione clauum quidem clauo trudi, & obiecta grandi admirationis materia, diſpelli minorem. Hoc ipſum tamen eſſe quod admirationem ſummoperè moueat, cur Deus, & horrendum illum Iudæ caſum è prima & longè præcellentiſſima Religioſa familia, Rectore Chriſto optimè conſtituta; & ſubinde hos minutiores de quibus agimus, permiſſos velit. Hoc nequaquam ſanè imbelle telum retundit *S. Ephrem*, verbis allegatis: addens non ſecus ſe habuiſſe Iudam ad Chriſti familiam, nec ſecus nunc ſe habere, apoſtatas ad ordines à quibus deficiunt, quàm rubos ad vineta, in quibus per accidens, & præter vinitoris intentionem excreſcunt: Vel quàm Spinas, ad roſas quibus adnaſcuntur. Senſus eſt, non ſecus contingere in hoc negotio, quàm in agris & hortis. Nam V.G. præter intentionem eius qui vitem aut roſetum plantat, contingit vna cum vite & roſa, enaſci rubos & ſpinas, ita ferente ſoli vbertate in dumos & tribulos luxuriante, vnde vitis expurgatio: vel ex tali materiæ temperatione, fundi flores amœniſſimos, ac odoratiſſimos, ſimulque adnaſci aculeos.

His & huiuſmodi aliis comparationibus, exortum defectuum moralium è liberæ voluntatis vitio, præter Dei intentionem, imo etiam contra diuinam voluntatem, ſolent exponere non modò Patres, nominatimque *Origenes Dialogo* 3. *contra Marinum, & l.* 6. *contra Celſum poſt medium, ac S. Cyrillus lib.* 2. *in Iulian. ad textum quintum* ſed etiam Ethnici, quos inter, optimè Menander, docens adoleſcentem veram mali cauſam, *Tyrius differtat.* 25. *& Chryſippus apud Gellium lib.* 6. *c.* 1. Contra quos non facit *Clemens Alex.* 4. *ſtrom. c.* 5. cum relata quadam huiuſmodi comparatione, ait eam falſitate laborare; eo quòd exortus malitiæ non ſit vt rubiginis à ferro, ſed verè è voluntatis decreto progerminet. Hoc inquam non impetit Philoſophos illos. Neque enim idcirco quòd comparationibus illis vtuntur, negant exortum malitiæ à libertate: ſed ſignificare volunt, ſicut rubigo exedit ferrum cui innaſcitur, ita prauitatem corrumpere voluntatem liberam cui vitio ſuo aduenit, præter & contra Dei primarij efficientis intentionem.

Commoda à quorundam defectione.

CAP. II. *Non mirandum dari Apoſtatas.*

INde tamen Deus ſuorum vtilitatibus per omnia proſpiciens, eruit bona non exigua, faciens vt prauitas quæ eſt actus maligni artis creatæ, cedat in bonum virtutis, quam in ſe fouet ac promouet in aliis, æquè ac illi (vt ſic dicam;) en ium ſtolones qui adnaſcuntur aliis, in horum commodum & vtilitatem vertuntur. Quod in exemplis ruborum, & ſpinarum roſæ conſertarum, à S. Ephremo propoſitis, licet agnoſcere. Verè namque non vacat inſigni commodo, quod ex loco vberi, & vt Scripturæ loquuntur, cornu filio olei, contingit exiſtere excrementitias illas plantas, bonis ac frugiferis adnaſcentes, in quas veluti expurgatur ſolum, & materia reliquarum verè vtilium, verè frugiferarum plantarum defæcatur. Illi quippe materiæ, ex qua plantæ electæ, formandæ ac fouendæ ſunt, concretio aliqua impura admiſcetur, quam ſecerni & in formationem vel paſtum illarum in ſpeciem inutilium plantarum verti, cedit in inſigne commodum plantarum frugiferarum. Eademque ratio eſt aculeorum roſæ, in quos durior & craſſior materia, ad floulentam ſubſtantiam inidonea excernitur, fitque hiſpiditate ſua, in tegmen & tutelam, ac etiam per contrapoſitionem, in acceſſionem & crementum decoris ac venuſtatis, *gemma illam pratorum, (vt Sappho appellabat) pulchritudinis radiis ſuauiter emicantibus fulgurantis.* Clarè ergo idem cernitur in Religioſis ordinibus, dum contingit aliquos ab eis deficere, vt ſapienter S. *Ephrem*, obſeruabat. Ea quippè improbitatis excretione, purgantur boni & electi, nec modica ſpeciei & venuſtatis acceſſio fit ad eorum decus, cum componuntur emiſſitiis hiſce ac purgamentis: fitque eorum clades in tutelam ac tegmen perſtantium in ſuſcepto inſtituto. Nihil hic ambiguum, & apud Patres non protritum.

Inde purgatiò bonorum.

NAm purgari, bonis & electis, qui ad hos aliquorum caſus immoti perſtant, accidit dupliciter. Nimirum & ipſimet in ea aliorum alliſione territi purgantur, fiuntque ad ſuæ puritatis ſtudium inflammatiores, tractantes fructum ex his caſibus obuenientem. Vt autem ipſimet nihil ad ſuam purgationem efficerent, ſola aliorum veluti fœcum ſecretio, puros illos ac nitentes præſtaret: Non ſecus ac in variis illis cibi purgationibus, quas natura intra hominis viſcera dexterrimè machinata eſt, reliquiarum cuiuſuis concoctionis ſepoſitio, eſt alimenti vtilis quod ſuperat expurgatio. Sic abacto Lucifero, SS. Angeli purgati ſunt, iuxta illud, *& territi purgabuntur*, quod S. *Gregorius* 34. *mor. cap.* 3. ſic gloſſat. *Purgati ſunt, quia nimirum iſto cum reprobis legionibus exeunte, ſoli in cæleſtibus ſedibus, qui beatè in æternum viuerent, remanſerunt. Huius itaque lapſus, eos terruit & purgauit. Terruit ne conditorem ſuum ſuperbè deſpicerent, purgauit verò, quia exeuntibus reprobis, actum eſt; vt electi ſoli remanerent.*

Faſciculus item electorum in mundi meta, ſepoſitis Zizaniis eo ipſo expurgabitur. Quod autem de defectionibus ab Eccleſia & fide dixit *S. Cypr. l. de vnitate Eccleſia*, dicere quoque de his defectionibus liceat: per eas nimirum, ante iudicij diem, iuſtorum iam atque iniuſtorum animas diuidi, & à frumento paleas ſeparari, ac (vt habet S. *Aug. in calce epiſt.* 137. de his purgamentis agens,) amurcam

CAP. II. *Non mirandum dari Apoſtatas.*

ſecerni, vnde Apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris impleantur. In Actis S. *Pachomii c.* 32. cum deſcripti eſſent aliquorum caſus qui abierant retrò poſt Satanam, additur; *His recedentibus, grex vniuerſus in ſui ſtatus integritate permanſit, magis ad incrementa virtutis aſſurgens, ſicut ſolent in agris optima frumenta latius effloreſcere, cum fuerint ab eis zizania radicitùs amputata.*

Auctior eorundem nitor, atque venuſtas.

IAm vt abactis impiis, reliqui appareant pulchriores, per ſe ſequitur ex eo quod impij in corpore ſacro, ſint veluti fœces quibus depulſis, ineſt expurgatis partibus nitor vberior ac plenior. Ex contentione porrò & veluti contrapoſitione perſtantium, & vi turbinis excuſſorum, nitorem ſuum agnoſcere docentur, qui perſtant. Quod *Gregorius Nyſſen. in calce Orationis de Infantibus*, à Danide traditum *pſal.* 57. his verbis docet. *Ait magnus Dauid in quodam ſuæ prophetiæ loco, partem quandam lætitiæ hoc quoque virtute præditis eſſe, ſi è regione ſuorum bonorum, oppoſita damnatorum pernicie, vtraque conſiderent, & inter ſe comparent, atque contendant. Lætabitur enim, inquit, iuſtus, cum viderit vltionem impij: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris; Non quod inſultet doloribus mærentium, ſed quòd tunc maximè cognoſcat, & animaduertat id quod contrariorum ex aduerſo comparatio, acceſſio lætitiæ, atque incrementum virtute præditis exiſtit. Nam per id quod dixit, manus in ſanguine peccatoris lauat, huiuſmodi nobis præbet ſententiam, quod puritas eius in vita actionis, in perditione peccatorum demonſtratur. Nam lauandi dictio puritatis ſpeciem & imaginem ſignificat. In ſanguine autem nemo lauatur, ſed polluitur & inquinatur. Itaque per hoc planum fit, quod rerum acerbarum ex aduerſo comparatio, virtutis beatitudinem demonſtrat.*

Nec ipſi duntaxat iuſti, nitorem ſuum in comparatione ad Lutoſos, & ad volutabrum carnis reuerſos deprehendunt; ſed & alij quibus ad hoc ipſum aperiuntur oculi, idem aduertunt: iuxta illud Apoſtoli de abſcedentibus ab Eccleſia, *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Ideſt, interprete S. *Cypriano lib. de vnitate Eccleſ.* vt probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat. Nec diſſimiliter *Vincentius Lyrin. in Commonit. cap.* 25. tractans eundem Apoſtoli locum, occaſione enormium prolapſionum Tertulliani, Origenis, atque Apollinarij, de quibus plenè egerat in ſuperioribus capitibus. Item S. *Auguſtinus ſerm.* 98. *de temp.* eum Apoſtoli locum egregia allegoria ex *Numer.* 16. ad rem propoſitam ſic illuſtrat. *Si doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet, & nullis extrinſecus hæreticorum dogmatum aſſertionibus cingeretur, non poterat tam clara & tam examinata videri fides noſtra. Sed idcircò doctrinam catholicam contradicentium obſidet oppugnatio, vt fides noſtra non otio torpeſcat, ſed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc denique & Apoſtolus dicebat, oportet autem hæreſes eſſe, vt probati quique manifeſti fiant inter vos. Hoc eſt dicere; oportet hæreticorum thuribulis altare circumdari, vt certa & manifeſta omnibus fiat fidelium atque infidelium differentia. Cùm enim fides Catholica velut aurum cœperit fulgere, & prædicatio eius vt argentum igne probatum intuentibus reſplenduerit: tunc maiore cum turpitudine & dedecore Hæreticorum voces obſcuri æramenti vilitate ſordebunt. Hæc autem diximus de Thuribulis eorum qui condemnati ſunt, quæ altari iubentur affigi, quod ex comparatione impiorum iſti clariores appareant.* Geminum eſſe huic Apoſtoli loco, ait idem *D. Auguſtinus in pſal.* 67. quod ibi habetur, de congregatione taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati ſunt argento. *Nam excludantur dictum eſt appareant, emineant quod ait ille manifeſti fiant. Vnde & in arte argentaria excluſores vocantur, qui de confuſione maſſæ nouerunt formam vaſis exprimere.* Permittitur igitur Deus, iuxta Pſaltem interprete Auguſtino congregationem indomitorum hæreticorum veluti taurorum elata ceruice qui vaccas populorum, mulierculas inquam, ornatas peccatis ſeducunt, vt qui probati ſunt argento ideſt eloquiis Domini, vel præ argento excocto, excludantur & innoteſcant magiſque eniteant; illuſtrati magis vnde tenebrandi timebantur.

Eodem conſilio, Deus prædeſtinatos & electos, reprobis contrapoſitos voluit: nitorem electorum, per comparationem ad reproborum fuliginem, redditurus illuſtriorem: de qua, præter cæteras eius rei cauſas quas expendit, præclarè agit *S. Aug. l.* 1. *ad Simplic. q.* 2. cuius etiam illud eſt inſigne ſanè documentum *l.* 11. *ciuit. cap.* 18. viſum eſſe Deo, per contraria, & vt appellat, *antitheta*, vniuerſum orbem, etiam quoad naturæ ordinem temperare; vt decus bonorum eſſet auctius. In quam rem, adhibet exemplum contrapoſitorum, quæ ad orationis concinnitatem conferunt plurimùm. Tum ſubdit, *ſicut ergo iſta contraria contrariis oppoſita, ſermonibus pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione, ſæculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtici, hoc modo: Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic contra pium peccator. Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi, bina & bina, vnum contra vnum.* Heraclitum, huius contrariorum oppoſitionis introſpectionem, caput totius Philoſophiæ ſtatuiſſe, notauit *Philo l. quis rerum diuin. hæres.* Ad pulchritudinem conciliandam conferre plurimùm iungi ad eum modum oppoſita & pulchris deformia, ſcitè tradit *Gregorius Nyſſenus Orat. in ſuam Ordinationem, initio* Sic qualitas boni ex malo ſcitur, item mali ex bono, iuxta *Lactantium l.* 5. *inſtit. c.* 7. & latè *lib.* 7. *c.* 5. Denique iuxta S. *Auguſtinum Tract.* 97. *in Ioan.* idcirco Deus obſcœniſſimas turpitudines Ethnicorum & Gnoſticorum permiſit, *vt in comparatione impuræ nequitiæ, dulceſcat puriſſima diſciplina.*

Firmitas denique, ac cautela maior.

TAndem quod his veluti myſticis ſpinis, non modò roſarum ſpiritualium ſpeciem ac gratiam enitere vberius, ſed etiam firmari ac tegi, ex S. Ephræmi mente affirmabam, ex proximè propoſitis poteſt eſſe perſpicuum. Conſideratio enim ruinæ quæ improuidos & incurios oppreſſit, ſollicitiores reddit, ne ſimilis eis clades obrepat. Quod egregiè de more aduertit S. *Gregorius* 34. *moral. cap.* 3. ad illud *cap.* 41. *cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli:* præmittens tempora ſæpè in ſcriptura confundi. Tum ſubdit *hoc ergo loco quod dicitur: Cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, nihil obſtat intelligi, quia ſub futuri temporis modo præterita deſcribun-*

deſcribuntur. *Nec veſtè intelligentiæ ſenſu relinquimus, ſi credamus, Leuiathan iſto, ab arce beatitudinis cadente, in ruina eius etiam electos Angelos expauiſſe, vt cum iſtum ex illorum numero ſuperbia lapſum eiiceret, illis ad robuſtius ſtandum timor ipſe ſolidaret.* Hoc eſt quod idem S. *Gregorius l. 4. Regiſtri Epiſt. vltima.* caſum cuiuſdam referens, tametſi de eo dolendum fatetur, tamen eum inde fructum ſperat, quod plerunque alterius caſus, alterius ſolet eſſe cautela, & alio cadente iniicitur cuique Sanctus timor ne & ipſe tentetur ac ſimiliter cadat. Qui eſt ille ſanctorum tremor lætus & timor ſecurus quo Sanctos Dei cadentibus per turbines tentationum aliis corripi aſpirante Deo, mox affirmat idem S. *Gregorius lib. illo 34. cap.*4. vbi verba illa quæ conſequenter ad prædicta leguntur apud *Iobum cap.* 41. *& territi purgabuntur*, de SS. Angelis è Luciferi caſu proficientibus, pronunciari accipit; monſtratque Sanctos Angelos ex caſu cæterorum profeciſſe, qua de re infra ad finem huius opuſculi. Eoque conſilio *S. Hieronymus in Anacephalæoſi Operis contra Iouinianum*, ad finem libri ſecundi, ait ſe idcirco monſtraſſe, omnes aut labi aut poſſe labi; quia ſimilium ruina, ſtantium metus eſt, atque adeò firmatio & ſtabilitio.

Alio ſub ſchemate, reipſa eodem ſenſu, idem dixit *S. Aug. in pſal.* 75. ad illud *venite & reddite;* Agens enim de quibuſdam è Monaſterio apoſtatis, ad illos apat dictum Chriſti, *Mementote vxoris Loth.* Subdit verò. *Omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth? Liberata eſt à Sodomis, & in via poſita retrorſum reſpexit. Vbi reſpexit, ibi remanſit. Facta eſt autem ſtatua ſalis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non ſint fatui, non retrò reſpiciant, ne malum exemplum dantes, ipſi remaneant & alios condiant. Nam & modò dicimus illud quibuſdam fratribus noſtris, quos fortè viderimus velut infirmari in propoſito bono, & talis vis eſſe, quales illi? Obycimus illis quoſdam, qui retro reſpexerunt. Illi fatui ſunt in ſe, ſed alios condiunt, qui commorantur, vt illorum exemplum timentes, iſti retrò ne reſpiciant.*

Gratulandum Ordini, abſceſſu Apoſtatæ, qui non erat ex Ordine.

Liquet, quàm ſubtiliter & quàm ſolidè *S. Ephrem.* paucis verbis; iuſtam quamcunque ſcandali & admirationis cauſam, ex aliquorum caſu præcluſerit, indicatis optimis rationibus diuini conſilij in huiuſmodi ruinarum permiſſione. Quibus perſpectis, tantum abeſt, vt concuti quemquam, & de conſtantia deiici aliis labentibus congruat; vel vt immoderato doloris ſenſu, eam ob cauſam, tangi par ſit; vt potiùs firmari in arrepto ſemel inſtituto conueniat, eique de excretione amurcæ ac fœcum gratulari. Quem ſenſum in aliquorum defectione à fide, optabat ab Eccleſiæ filiis *S. Cyprianus l. de vnitate Eccleſiæ num.*29. verbis illis. *Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale ſerpentum, & cruenta ſæuitia beſtiarum: Gratulandum eſt, cum tales de Eccleſia ſeparantur, ne columbas ne oues Chriſti, ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas.* Alludere videtur ad locum B. Iudæ

CAP. II. *Non mirandum dari Apoſtatas.*

quo apoſtatæ à fide ſub huiuſmodi inuolucris exhibentur. Vtut verò ſit, rectè ſtatuit S. Cyprian. adeò pugnantia paria, perperam ſociari, nec rectè iungi Chriſtum ac Belial, lucem ac tenebras, quibus nulla reuera eſt conuentio. Sicut etiam apud Ennodium conclamatum, in eum qui Mineruam & Venerem miſcuerat. Et *l.* 4. veterum Epigrammatum *pag.* 158. cum de verſibus Eucheriæ, exſibilantur huiuſmodi conſociationes pugnantium. Sed nulla incongruentior quàm Eccleſiæ filiorum, & eorum qui à fide deficiunt, ſiue per hæreſim, ſiue per apoſtaſiam plenam, de quo proinde abſceſſione, meritò Eccleſiæ gratulandum volebat S. *Cyprianus.* Hæc quàm in rem præſentem bellè cadant, admonere non eſt neceſſe. Quod item ſubdit S. *Cyprianus*, neminem æſtimare debere eos qui abſcedunt, bonos fuiſſe; & quod aiebat *B. Ioannes*, ex nobis exeuntes non fuiſſe ex nobis; ſi enim ex nobis fuiſſent, manſiſſent vtiquè nobiſcum, *Tertull. l. de præſcript. cap.*36. his verbis expreſſit. *Hæc eſt inſtitutio, non dico iam quæ futuras hæreſes prænunciabat, ſed de qua hæreſes prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ ſunt aduerſus illam. Etiam de oliuæ nucleo, mitis & optima & neceſſaria, aſper oleaſter exoritur etiam de papauere ficus gratiſſima & ſuauiſſima, ventoſa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreſes de noſtro fructificauerunt, non noſtra: degeneres veritatis grano, & mendacio Syluestres.*

Hoc æquè ad eos pertinet, qui à Religioſo inſtituto deficiunt. Non eſt autem ſenſus, quod verè qui ante prolapſionem in hæreſim profitebantur fidem Catholicam, non eſſent Eccleſiæ membra: aut quod qui ab inſtituto Religioſo diſcedunt, non potuerint ante diſceſſionem, & boni eſſe, & verè corporis ad quod allecti fuerant partes viuentes. Id enim ſalua fide negari non poteſt quo ad pleroſque poſteà à fide lapſos, & ex Eccleſia exeuntes, vt contra hæreſim Vvicleffi quæ ſolos prædeſtinatos ad Eccleſiam ſpectare ſtatuit, ſanxit *Concil. Conſtantienſe ſeſſ.*17.*&* 26. latèque diſputant *Vald.* 2. *doctr. art.*2. *à cap.*8. *ac Stapletonius l.*1. *de principiis fidei c.*5.*& Bellarm. l.*3. *de Eccleſ. c.*7. & paſſim alij Hæreſeologi. Non igitur is fuit ſenſus Apoſtoli quoad exeuntes ex Eccleſia; atque adeò neque noſter proportione eſſe debet, quoad deſerentes Religioſum inſtitutum. Et ita fusè monſtratum eſt quoad Iudam Religioſæ familiæ primum Apoſtatam *in tract. de Iuda cap.*1. Quinimo cibus Satanæ electus eſt, & in eos potiùs perdendos incumbit, qui ſancti & pij ſunt, (cuiuſmodi ex inſtituto ſunt Religioſi,) eoſque non rarò euertit. Quò S. *Gregor.* 32. *mor. cap.* 10. accommodat illud Iobi, *fœnum ſicut bos comedet*, ſic ſcribens. *Boues aquam quamlibet ſordidam bibunt, ſed fœno non niſi mundo veſcuntur. Quid eſt ergo quod boui qui mundo pabulo veſcitur, Behemoth iſte comparatur, niſi quòd de iſto antiquo hoſte per Prophetam alium dicitur. Eſca eius electa? Neque enim ſe eos gaudet rapere, quos prauis ac ſordidis actionibus implicatos, nimis ſecum reſpicit voluntariè iacere. Fœnum ergo comedere ſicut bos appetit; quia ſuggeſtionis ſuæ dente, conterere mundam vitam ſpiritualium quærit.*

Videſis etiam *l.* 33. *c.* 8. ad illud *habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius* vbi fusè in hanc ſententiam, ſed illud præclarè præter cœtera. *Antiquus hoſtis hoc pro magno non habet, quòd ſub iure ſuæ Tyrannidis, terrena quærentes tenent. Propheta quippe atteſtante cognouimus, quia eſca eius electa. Neque enim hoc mirum deputat, ſi eos*

CAP. II. Non mirandum dari Apoſtatas.

abſorbeat quos ſuperbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia anguſtat, ira inflammat, diſcordia ſeparat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Abſorbebit ergo fluuium, & non mirabitur: quia pro magno non æſtimat, cùm eos deuorat qui per ſe ipſa ſua vitæ ſtudia deorſum currunt: ſed illos magnoperè rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudiis, iam iungi cæleſtibus contemplatur. Vnde abſorpto fluuio, rectè ſubiungitur: Et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Quia illos inſidiando rapere appetit, quos pro amore ſupernæ patriæ à præſentis vitæ gloria ſemetipſos deiicere agnoſcit. Horum maximè reſpectu, ab eodem Iobo, interprete item *S. Gregorio 14. Moral. cap. 5.* denominatur, ipſa ſitis noſtri exitij. Mirum igitur non eſt, tanto Satanæ ſtudio captatos ſpirituales, per eum aliquando euerti: ac proinde verum eſſe non poteſt, quod qui aliquando exeunt à nobis, non fuerint ex nobis.

Senſus igitur Apoſtoli fuit, deſertores Catholicæ fidei, de quibus ibi agit, priuſquam Eccleſiam externa profeſſione dererent, moribus illam, & corruptiſſima vitæ ratione deſeruiſſe: ita vt cum intus adhuc eſſent externa ſpecie, iam tamen foris eſſent conſeruatione, & moribus exlegibus. Aliquamdiu quidem rectè ſe habuerant, manſerantque intus; & perſtitiſſent manere, nec exiſſent vnquam, ſi perrexiſſent ſic ſe gerere. Tamen quia cæpit eos rectæ vitæ faſtidium, alijque vitæ & morum conformatione eſſe cœperunt, quàm reuera eſſent inſtituto & profeſſione; Lapſi ſunt permittente Deo: quod eis non contigiſſet, ſi quod fide erant, moribus quoque fuiſſent ſemper; hoc eſt Chriſtiani, ad amuſſim Chriſtianæ legis conformantes vitam. Ita Apoſtolum accepit *S. Hieron. l. 1. in Ierem. in fine & S. Auguſtinus* ad eum Ioannis locum. Similiter igitur qui ab inſtituto Religioſo quod arripuerant deficiunt, priuſquam ad ſæculum corpore remigrarent, animo iam & conuerſatione in ſæculo erant, deſierantque eſſe quod fuerant. Nam ſi tales perſtitiſſent eſſe, non excidiſſent.

Aptauit manifeſtè ad hoc negotium, eum Apoſtoli locum *S. Ambroſius Epiſtola 28. aliàs 25.* quæ eſt ad Vercellenſes. Ibi enim deſcribens Iouiniani & aſſeclarum eius profanitates poſt apoſtaſiam à cœnobio per ipſum S. Ambroſium conſtituto, addit. [Quæ iſtos Epicuræos noua ſchola miſit, non Philoſophorum (vt ipſi aiunt,) ſed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias ſuadeant, caſtimoniam nullius eſſe dicant vtilitatis? Fuerunt nobiſcum, ſed non fuerunt ex nobis. Neque enim pudet dicere, quod dicit Euangeliſta Ioannes. Sed hic poſiti primò, ieiunabant, intra Monaſterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſæ diſputationis licentia. Hoc delicati, non potuerunt ferre. Abierunt.] Agnoſcit manifeſtè ſanctus Ambroſius, & ex prolato Ioannis loco confirmat, Iouinianum & eius aſſeclas, priuſquam per Apoſtaſiam clauſtra perrupiſſent, atque adeò cum adhuc veſte tenus Religioſi apparerent, non fuiſſe reuera ex eis inter quos diuerſabantur.

Apoſtata, ante defectionem, religioſus ſæcularis, & Apoſtata internus.

TAles ſunt Religioſi perſonati; quod ne ſuis certo ruinæ præſagio eueniret, timebat *S. Dorotheus doctr. 1. num. 18. S. Nilus libro Aſcetico* non diſſimiliter, poſtquam præmiſit de vitæ genere Religioſis indigno. *Inde factum eſt, vt ab iis, à quibus coli nos oportebat, tanquam importuna turba, deſpiciamur, & vicinis atque obuiis hominibus in foro mixti ludibrio ſimus, vt qui nulla re cæteris, vt æquum erat, præſtemus, nec eximia viuendi ratione, ſed habitu tantùm differamus, & tamen eam gloriam furiosè appetamus, quæ debetur virtuti; cum labores quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis perſonam duntaxat tanquam in ſcena geſtemus. Et hodie non deſunt, qui grauem hunc habitum ſumunt, cum animæ maculas nondum abluerint, nec veterum peccatorum notas mentibus ſuis impreſſas exemerint, ſed eas adhuc impudicis cogitationibus foueant. Cumque nondum mores ad id quod profeſſi ſunt accommodauerint, & diuinæ philoſophiæ ſcopum ignorent, Phariſæi cum tamen ſupercilium tollunt, ſibique placent, tanquam ſolo habitu virtus acquiratur, circumferunt inſtrumenta, quorum artem non didicerunt; & quàm ne ſummis quidem labris guſtarunt ſcientiam, habitu profitetur. Ex quo fit, vt qui portus, & templa Dei, & oues eſſe debuerant; ſcopuli, & ſepulchra dealbata, & ad eorum, quos deceperunt, perniciem, lupi deprehendatur.*

Inſignis eſt in hanc rem *S. Macarij admonitio homil. 43.* Ait quippè, eſſe nonnullos, qui inueniuntur quidem per amplam portam è ſæculo deceſſiſſe, per oſtiolum autem in mundum regredi, etiamſi corpore intus perſtare videâtur. *Si deſideres (inquit) cor vbique dominum, ipſe dominus eſt cordis eius. Abrenunciauit quippiam, priuauit ſe facultatibus & vrbe, dans operam ieiunio, ſui ipſius homine adhuc tenetur, aut rebus ſæcularibus, aut familiaribus, aut parentum amore: itaque vbi corpus ipſius fuerit alligatum & mens captiuata, illud eius eſt Deus; & inuenitur quidem per amplam portam à ſæculo deceſſiſſe, per oſtiolum autem ingreſſum, in mundum incidiſſe.*

Vnde apoſtaſia interior, vt S. *Bernardus ſerm. 3. in pſal. 90.* admonet, præceſſit externam; & qui extra mundum eſſe videbantur, mundum intra ſe incluſum tenebant, vt diſſerit *Eucher. hom. 4. ad Monachos n. 3.* In tales qui mores ſæculi clauſtro inferunt, & fœda metamorphoſi, ſtatum perfectionis vertunt in ſtatum profanitatis, ſtomachatur meritò *Pet. Bleſenſis epiſt. 137.* Nolo prætermiſſam plagulam eximiæ diſputationis S*aluiani ſub finem libri V. de prouid. Deſpectione Dei (inquit,) peccarunt multi, etiam Religioſi. Imo ſub ſpecie Religionis vitiis ſæcularibus mancipati; qui ſcilicet poſt veterum flagitiorum probra & crimina, titulo ſanctitatis ſibimet inſcripto, non conuerſione animi, ſed profeſſione, nomen tantùm demutauere, non vitam: & ſummam diuini cultus, habitum, magis quàm actum exiſtimantes, veſtem tantummodò exuere, non mentem. Vnde illi ſe minore inuidia criminoſos putant; qui cum pœnitentiam quaſi egiſſe dicantur, ſicut mores priſtinos, ita etiam habitum non relinquunt. Nam taliter fermè omnia agunt, vt eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quàm poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere: nec tam priùs pœnituiſſe quod malè vixerint, quàm poſtea quod ſe*

premi

promiſerint benè eſſe victuros. Subdit exempla quorundam qui nouorum honorum Religioſi ambitores, poſt acceptum pœnitentiæ nomen, ambitioſi magis, ac prius non habitæ poteſtatis emptores facti, non ſæculares tantum ſed plus etiam quam ſæculares eſſe voluerunt, vt non ſufficeret eis quod ante fuerant, niſi plus eſſent poſtea quam fuiſſent. His præmiſſis ſubdit. *Quomodò igitur tales iſtos, pœnitentiam ſe egiſſe non pœnitet? Sicut etiam illi de conuerſione ac Deo aliquid cogitaſſe, qui à coniugibus propriis abſtinentes, à rerum alienarum peruaſione non abſtinent; & cum profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debacchantur animorum. Nouum prorſus conuerſionis genus; licita non faciunt, & illicita committunt.*

Quàm inſulsè, probra perſonatorum Religioſorum, qui iam interiùs defecerunt, affricentur Ordini.

HInc verò optima ſubminiſtratur ratio, depellendi probrum quod inconſultè nimium plerique è ſæculo, Religioſo Ordini appingunt, dum iſtas Religionis laruas, quia corpore intus perſtant, grauibus maculis ſordere deprehendentes, refundunt in vniuerſam familiam, quæ peculiaria erant probra paucorum, verè iam tunc à Religioſo cœtu extorrium. Eam peruerſitatem *D. Chryſoſtomus hom. 7. in Geneſ. ſub initium*, ob erat auit ab infidelibus & externis ſeruari quoad Chriſtianorum omnium cœtum. Nempè vt conſpicati aliquem Chriſtianum errantem, linguam ſtatim exacuant contra Chriſtianos omnes, & ex vnius delicto totam gentem indicent. Id quod etiam *S. Auguſt. conc. 2. in pſal. 30.* monuit, ad illud, *quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Hos habitantes in circuitu, externos eſſe docet; Hæreticos inquam & infideles, quos ait obloqui Eccleſiæ. *Quanta mala (inquit,) dicunt in malos Chriſtianos, quæ maledicta perueniunt ad omnes Chriſtianos? Nunquid enim dicit, qui maledicit, aut qui reprehendit Chriſtianos; ecce quid faciunt non boni Chriſtiani? ſed, ecce quæ faciunt Chriſtiani? non ſeparat, non diſcernit.* Idem obſeruat *Gregorius Nyſſenus orat. 3. in orat. Domin.* inde inferens quanta debeat eſſe cautio Chriſtianorum, ne feriantur illo væ quod Deus *Eſaiæ 52.* intentat iis per quos contingit vt ipſimet Deo ac religioni obtrectetur à Gentilibus qui conſpicantes Chriſtianum aliquem labi, non in hoc aut illo quem peccantem conſpicarentur, hærebant; ſed inde colligebant approbari haud dubiè Chriſtianorum legibus talia facta, quandoquidem ea vnus aliquis Chriſtianus admitteret, vnde in omnes refundebant probrum ac in ipſum etiam Deum talis inſtituti auctorem.

Criminabantur ergo Ethnici Religionem Chriſtianam, ob exleges aliquos Chriſtianos. *Iſidorus Peluſiota l. 5. epiſt. 342.* Præclarè hanc inſulſitatem in Andromacho Comite, Ethnico homine, his verbis caſtigat. [Non poſſum non tuam veſaniam & ſtultitiam mirari, quod de diuina noſtra religione, non iuxta id quod ipſa in ſe eſt, ſententiam ferat & opinetur; ſed ob prauos ac peruerſus nonnullorum mores, illam ſugillet ac malè habeat. Quid enim ipſa deliquit, ſi Zozimus, Alarcon Euſtathius, (vbi ficte ſcribis,) non audenda audentes, gloriantes verò in iis ob quæ pudore potiùs eos ſuffundi, & erubeſcere pareſſet, omneſque qui ob flagitia aliquando nobiles & celebres fuere, ſuis flagitiis ſuperantes, & qui ne in laicorum quidem multitudine numerari & cenſeri deberent, in ter Clericos appareant? cur non potiùs à bonis & rectè viuentibus illam deprædicas, quam ob praue & dedecorosè viuentes, calumniaris? certè ſpecioſam quandam inueniſſe tibi ſocordiam & prætextum videris, quod propter illos viros impediri te dicas, quominùs diuiniſſimæ te philoſophiæ applices. Porrò ſi ob, & iuxta illuſtres ac præclaros viros, de ea ſententiam ferre nolis, ſaltem rem in ſe conſidera & penſa; & tantas vt tot tunc laudes videbis promereri, vt & diſertiſſimos Oratores velut mutos reddat, ſi illius velint laudes & encomia contexere. Maior namque ipſa eſt, quam vt verbis eam quis complectatur. At ſi nec ipſum in ſe explorare, nec ob illuſtres & probos cultores eius, pro ea ſententiam ferre velis; ſed ob præuaricantes quoſdam ei obtrectare præſumas; certè nec iuſtè, nec conuenienter feceris. Verum ſi ipſam admittendo & approbando, ea indebito modo & non rectè vtentibus indigneris, & aduersùs illos inſurgas, certè rectæ ſententiæ, ſapientis, & prudentis viri nomen conſequeris; quod ipſa præuaricantium peccata, contra diuinam iuſtámque rem, minimè torqueas; nec ob illegitimè illam vſurpantium inſaniam, in eam inſurgas.]

CAP. II. *Non verendum dare Apoſtatas.*

Non diſſimili peruerſitate, Chriſtianorum plerique, ex vno inter pios ac probos deprehenſo in ſcelere, idem iudicium ferunt de toto corpore. Hoc *S. Auguſtinus* ibidem ſuperiùs ad illud *Timor factus ſum notis meis*, his verbis expreſſit. *Cum videt homo multos malè viuentes, & de quibus bene ſperabatur, in multis malefactis inuêtos; timet ne tales ſint omnes, quos putabat bonos, & veniunt in ſuſpicionem malã propè omnes boni. Qualis vir? Quomodò cecidit? Quomodò inuentus eſt in illa turpitudine, in illo ſcelere; in illo facto malo? putaſne tales ſunt omnes? Hoc eſt timor notis meis S. Chryſoſtomus Homil. de virtut.* & vitiis, exemplo Iudæ demonſtrat, quanta peruerſitate labes vnius inter pios ac probos degentis, transfundatur ad omnes eiuſdem conditionis ac ſtatus, vt plerique facere ſoliti, qui vnum ſacerdotem munus ſuum dedecorantem conſpicati, dehoneſtant omnes ſacerdotes.

Hanc peruerſitatem, circa Religioſos quoque, paſſim vigentem quoad eorum flagitia, optimè reiicit idem *Diuus Auguſtinus epiſtol. 137.* ſic ſcribens. *Ad quid aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proiiciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.*

Videndus in hanc malignitatem *Diuus Thomas Opuſ. 19. cap. 20.* Eodem conſilio, ſiue eadem affectatione & captatione infamiæ nominis monaſtici, & Religioſi, ſolemne eſſe Satanæ, omni ſtudio conniti, vt aliqui religioſi ſint aliis ſcandalo, docet idem *D. Auguſtin. l. de Opere Monach. cap. 28.* verbis illis. *O Serui Dei, milites Chriſti, ita ne diſſimulatis callidiſſimi hoſtis inſidias, qui bonam famam veſtram, tam bonum Chriſti odorem, ne dicant animæ bonæ, poſt odorem vnguentorum curremus, & ſic laqueos eius euadant, omnimodo cupiens obſcurare putoribus*

CAP. II. *Non mirandum dari Apoſtatas.*

ribus ſuis; tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaque diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alij membra Martyrum, (ſi tamen martyrum,) venditant: alij fimbrias, & phylacteria ſua magnificant; alij parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel in illa regione ſe audiſſe viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis; cum interea vbicunque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, ſub generali nomine Monachorum veſtrum propoſitum blaſphematur, tam bonum, tam ſanctum.

Par inſulſitas exprobrantium Ordini, caſus Apoſtatarum.

QVa verò opera monſtratum eſt, Religioſos intus quidem perſtantes externa profeſſione, reuera autem in profeſſionem iniuſtos, non eſſe de eo cœtu cui admiſcentur; ac proinde perperam ab ijs commiſſa, non debere in vniuerſum corpus refundi; eadem euincitur, multò minus cum tales excedunt, & poſita perſona foras abeunt, debere vllam ex eo ſcelere maculam, corpori quod deſerunt aſtricari. Actum de hac re cum variis Patribus in Tractatione de *Iuda c.* 17. §. 15. Rationes quibus generatim hoc arguit *Tertullianus l. de præſcript. c.* 3. *&* 36. *nec non Ioannes Sariſberienſis lib.* 7. *Polycratici c.* 21. hic æquè locum habent, Iuuat eas hic ſub vnum conſpectum proponere ex *Theodoreto, ſub finem libri* 12. contra Græcos. *Tranſgreſſores (inquit) imprudenter nobis obiicitis, ac illorum cauſa conamini leges etiam accuſare. Contra autem oportuit, eos quidem reprehendere homines, leges autem minimè deteſtari, neque autem propter malas vites, à bonis vitibus abhorremus; neque ob amaras amygdalas, eas continuò quæ dulces ſunt, auerſamur; neque ob aurum quod ære ſubdito adulterinum cenſetur, id quod eſt purum, putumque damnamus; non denique ob ementitam purpuram, carpimus vtique & ingenuam: neque quod nonnulli ſint inepti pictores, idcirco accuſamus peritos; neque ob ſceleſtos homines, odio probos atque officioſos proſequimur; nec quod ignarum curandi medicum fortè quempiam incurrimus, ideò & omnem medendi rationem perſequimur. Verùm è pictoribus, medicis, ſutoribus, fabris ærariis, aurariiſque, eos qui ſunt egregij, laudamus atque ſuſpicimus, imperitos verò ſuæ quemque artis carpere conſueuimus. Neque tamen ipſas artes vllo pacto accuſandas putamus, tametſi nullum quis eas teneat, inuenire poſſimus. Sit enim hoc profectò facinus inſulſiſſimum, ſi quis ob aliquos cæcutientes oculos, ipſum videndi ſenſum tanquam inutilem damnet; vel ob id quod nonnulli homines blæſi balbutienteſque ſint, vocis organa deteſtetur tanquam minimè neceſſaria, propterque obtuſas nonnullorum aures, ſuperfluum dicat audiendi ſenſum. Pari quoque modo, miſerum ſanè atque iniquum ſit, ob eos Chriſtianos qui Dei leges tranſgrediuntur, ipſas accuſare leges ac perſequi cum ijs vnà Chriſtianis qui parere legibus annituntur. Neque enim ſi quis fortè faber lignarius, lineam quidem rectè ac ſecundùm rationem duxerit, malè autem præterque rationem aſcia vtens, tollat atramenti ſigna, vt vel vltra lineam demat quæ interius demenda erant, vel quæ extra ſuperfluunt intacta relinquat, idcirco linea eſt accuſanda; quæ ſuaptè natura rectum oſtendit. Quicquid enim ibi peccatum eſt, ignorantia fabri peccatum eſt. Leges itaque pro linea, pro regula, pro indice nobis poſitæ ſunt. Eorum verò qui legibus vtuntur, alij quidem optimè vitam inſtituunt, alij verò quæ iucunda ſunt melioribus præponentes, extra rectam lineam legum feruntur. Hi ſunt igitur accuſandi, leges verò laudandæ.*

Hæ rationes æquè euincunt, obiici ridiculè Religioſis, caſus eorum Religioſorum, qui vrgente & perſequente in lubrico, Satana, collabuntur atque deficiunt. Non enim plus eſt in culpa Religio cum quis ab ea deficit, quam ſit ars, cum artifex malè & contra artis præſcriptum operatur, vt argumentabatur *Theodoretus*.

Addi etiam poteſt ſimilis exprobratio otioſè imo malignè facta Eccleſiæ, ex eo quod aliqui magni ex ea corruant, S. Auguſtinus de ea exprobratione intellexit verba illi pſalmi 41. *Dum confringuntur oſſa mea exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.* Nam ſi de carnibus ageretur, non eſſet adeò grauis exprobratio, ac vix fortaſſis exprobraretur Eccleſiæ, mollium & carneorum fidelium auulſio ab ea. Sed cum ipſi fortes in Eccleſia, quos dici oſſa ait D. Auguſtinus, confringuntur & à ſtatu fidelium abſcinduntur per hæreſim aliumve ſimilem caſum enormem, tunc exprobratur Eccleſiæ ab improuidis ea ſubuerſio, & quaſi confractio oſſium. Eiuſmodi fuere caſus & confractiones Origenis, Tertulliani, Photini, Apollinaris, Neſtorij, & aliorum de quibus *Vincentius Lyrinenſis aurei Commonitoriis c.* 15. & multis ſequentibus: His turribus deiectis, his magnis & fortibus ac proceris arboribus bipenni Satanica ſuccisis iuxta allegoriam cui latè inſiſtit *Richardus Victorinus l.* 2. *de erudit. inter hom. c.* 15. His vt Pſaltis allegoriam retineam, oſſibus, mallei diabolici impactione confractis, exprobrant Eccleſiæ, inimici, exprobratione prorſus conſimili ei quam in Religioſos cœtus ob deiectionem Apoſtatarum intorqueri, referebam; aut quam artibus ob culpam alicuius ex artificibus impingi ab inconſultis obtrectatoribus, aiebat & refellebat Theodoretus.

Verùm quia eius ratiocinatio, per accommodationem duntaxat & proportionem huc cadit, audiamus inſuper optimum Religioſæ diſciplinæ Magiſtrum de hac ipſa re diſſerentem *collat.* 18. *cap.* 16. Narrato enim caſu graui vnius Monachi, ſcandalum inde ſubortum attingens, addit Caſſianus ex perſona Abbatis Piamonis. *Si ergo ſimilis vnquam inter Fratres fuerit oborta tentatio, nequaquam à curſu tranquillitatis excuſſi, blaſphemis ſecularium obtrectationibus, aditum reſeremus. Nec peruerſos atque execrabiles quoſque, Sanctorum virorum numero inſertos, latitare miremur: quia dum in huius ſeculi area conculcamur atque conterimur, neceſſe eſt etiam paleas igni perpetuo deputandas, inter electiſſima frumenta miſceri. Denique ſi vel Satan inter Angelos, vel Iudam inter Apoſtolos, vel Nicolaum prauiſſimæ hæreſeos inuentorem inter Diaconos, reminiſcamur electos, hoc quod nequiſſimi homines, Sanctorum Ordini deprehenduntur inſerti, mirum eſſe non poterit. Nam licet hunc Nicolaum quidam aſſerant non illum fuiſſe, qui ad opus miniſterii ab Apoſtolis eſt electus; nihilominus tamen eum de illo diſcipulorum fuiſſe numero, negare non poſſunt; quos omnes, tales tamque perfectos in tempore illo fuiſſe manifeſtum eſt, quales nunc perpaucos, vix in cœnobiis inuenimus. Non ergo ruinam illius ſupradicti Fratris, qui in illa eremo, tam lugubri*

lapſus

lapſus eſt caſu, nobis proponamus. Ad omnem cuiuſuis Religioſi caſum, ſi Religioni exprobretur, idem prorſus reponi poteſt, quod hic ad caſum Religioſi de quo agebat, repoſuit Piamon.

Alia exprobratio ob Apoſtatarum euerſioné in Religionem à qua defecerunt vibrata, non eſt minus inſulſa. Refertur verò ac refellitur præclarè à *Ruperto lib. 6. in Ioan.* ad illa Ioannis de recedentibus. *Ex hoc multi diſcipulorum eius, abierunt retro.* Inclamat ad hæc verba Rupertus. [Ecce audiant hæc illi qui maximè Eccleſiarum localium, ideſt cœnobium Archimandritis detrahunt, quoties ſui patiuntur detrimentum; Et cum ipſi vacent otio, temerè operarios Dei diiudicant, vbi aliquos ex eis qui hortatu ipſorum conuerſi ſunt, ad ſæculum relabi conſpiciunt. Videte (inquiunt) quam indiſcreti ſunt, quàm temerè & inconſideratè homines vocant, & accedentes ſuſcipiunt, & votiuis promiſſionibus apud Deum obligari compellunt; quanta rurſus nimietate vel duritia, ſuſceptos, & ſibi ſubditos ſcandalizantes, in deterius cogunt præcipitium, per omnia Phariſæorum ſimiles, qui circuibant mare & aridam vt facerent vnum proſelytum, & denuò faciebant eum filium perditionis duplo quàm ſeipſos. Quid iſti dicerent, quomodò laborantibus & animarum lucra quærentibus inſultarent, quoties quippiam detrimenti in huiuſmodi ſuſtinent, ſi non & Chriſto tale quid contigiſſet? Quomodò derogarent retia mittentibus piſcéſque tanquam malos, bonos concludentibus, ſi ſolos piſces bonos admiſiſſet; & eorum imprudentiæ imperantes imputarent, quod tales admiſiſſent, quorum diſcordibus tumultibus retia rumperentur, aliis ſeditiones facientibus, aliis ebrietates, fornicationes, & his ſimilia ſectantibus, aliis per hæreſes quoque & ſchiſmata ſeſe ab vnitate fidei præcidentibus? Benè ergo hoc & Chriſto contigit. Imo Chriſtus hoc & ſibi contingere voluit, vt bonos maloſque permiſtos haberet, & tamdiu ſuſtineret, donec malos à bonis tanquam paleas à granis proprij vitij ventus auferret: quod nemo comprehendere auderet, vt quando bonæ voluntatis homines bonos à malis diſcernere neſcientes, bonos ſimul & malos admitterent, tamdiu perpeſſuri, donec illos ſupremum iudicium ab inuicem diſcerneret, nemo reprehendere deberet. Hominis namque eſt clamare, & ſtrepitum extrinſecùs ad aurem facere: Dei autem ſolius, manu inuiſibili cor audientis apprehendere, & ad Chriſtum attrahere. Numquid exigendum eſt ab aliquo, vt ipſo Chriſto ad lucrandas animas verbo & opere ſit efficacior? Propterea quoties tale quid nobis contingit, dicimus cum eo, *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*] Senſus eſt, non eſſe inſultandum Ordini in quem adſcripti erant qui defecerunt, quaſi non rectè curauerit quæ ad eorum ſtabilitatem attinebant; ſed lapſum referendum eſſe in malam deficientium voluntatem. Nam ſicut ſolo Deo trahente venerant, ita ſola ſui improbitate regrediuntur; non per culpam moderatorum qui prouidentiſſimè ſaluti ac ſtabilitati ipſorum proſpexerant, ſed ſola ſua vertigine, qua manu peccatoris moueate ipſos, non potuerunt ſtare.

Exploſi, qui metu conſecuturæ Apoſtaſiæ, præſtare putant, non dare nomen Religioni.

CAP. II. Non metu cadendi dare Apoſtatas.

ÆQuè inſulsè alij, ex eo quod Religioſos aliquos cadere contingat, abhorrent ab inſtituto adeò ſublimi, qui tali ruinæ eſt obnoxium: quaſi melius ſit in ſæculo eſſe abſque diſcrimine ſic prolabendi atque ruendi, quàm in Religione, vnde ex altiore loco ruitur, fitque ruina hominis maior. Hanc dico eſſe inſulſitatem, parem ei quam proximè repulimus. Non enim Religioſus ſtatus minore in pretio haberi debet, quod ex eo interdum cadatur altiùs; vel ſæcularis vita inde præferri, quod non cernantur in ea tales caſus. Vt enim taceam, cerni in ſæculo caſus valdè abſurdos & acerbos, cuiuſmodi eſt quo coniugati in adulteria ruunt; quis non videt, quod ſæculares non cadant, cauſam eſſe, quia iacent? *Qui cecidit, (ait S. Chryſoſt. paræn. 1. ad Theodorum,) ex eorum eſt numero qui priùs ſteterunt, non qui iacuerunt. Nam qui iacet, quomodò is poteſt cadere?* Sed concinnè Marcus Eremita in diſputatione cum Cauſidico; Interrogante eo qui fieret vt ſæculares non caderent, reſpondit ingemiſcens. *Rectè dixiſti, eos non labi. Qui enim ſemel ceciderunt ingenti ac duplici caſu, arrogantia, inquam, & negligentia, nec reſurgere poſſunt abſque precibus, nec habent vnde labantur. Quæ ſi quidem cura ſupereſt his qui ſemper proſtrati iacent, & nunquam eriguntur, certandi cum Diabolo? Sunt equidem alij, qui modò vincunt, modò vincuntur: cadunt, & reſurgunt: affligunt, & affliguntur. Impugnant & expugnantur. Alij etiam multam ob ignorantiam in ipſo primo lapſu immorantur, ac ſe cecidiſſe neſciunt.*

Sed ſiue cadant ſæculares (de quo dubitare non licet) ſiue non cadant, ſed iaceant; ſtultum planè eſt, caſum & ruinam aliquorum Religioſorum, qui præſtantibus pauci ſunt, trahere ad detrectandum ingreſſum in Religioſam familiã. *Quid curioſè à me quæris (ait Gregorius Nyſſenus l. de Virginit. cap. 24.) an ij qui hæc ipſa,* Religioſum ſtatum, & vitæ humanæ portum de quo immediatè ante egerat) *animaduerterunt, aliquando ſuperati ſint? idque propterea ignoras, quaſi res hæc difficilis ſit. Contuere ad eum, qui perfectus eſt: fortique ac fidenti animo te optimæ huic nauigationi, gubernatore Chriſto, Spiritus Sancti afflatu, temperantiæ nauigio vectus, committe. Neque enim qui mare nauigant, mercaturamque mari exercent, ideò ab inſtituto ſpei curſu deſiſtunt, naufragio deterriti quod quiſpiam fecerit: ſed bona ſua ſpe ipſi excitati, ad perfecti muneris finem feſtinant. An non maximè omnium abſurdum eſſet, qui in errorem incidat in exquiſitiſſima viuendi ratione, improbum eum putare; qui verò in omni vita in vitiis conſeneſcit, opinari eum melius conſulere? ſi enim graue eſt ſemel peccatum admittere, proptereaque tutiſſimum eſſe ſtatuis, ſublimius aliquod inſtitutum non aggredi; quanto difficilius eſt, ſi quis vitæ ſtudium in peccato adhibeat, eamque ob cauſam, puriorem vitam omnino non experiatur? Quomodo qui ita viuit, & qui in peccato valet, Audiet eum qui & crucifixus, & peccato mortuus eſt? Quo modo qui neque mundo crucifixus eſt, neque carnem afflixit, illi obediet, qui ſe ſequi iubet & crucem corpore, quaſi de hoſte trophæum aliquod tollere?*

CAP. III *Quàm antiqua Apoſtaſia.*

Non diſſimiliter *Philippus Abbas libro de dignit. Clerico. cap.* 18. Sed optimè *Bracharius epiſt. ad Ianuar.* pro Monacho lapſo, ſic refert ad caſum Monachi inſultantes ſæculares, ſimulque refellit. *Exhilarantur cum audiunt ruinam militis Chriſti, vel ex illius ſe conſolantur opere dicentes. Ecce qui nobis exprobratur à cæteris, ad cuius exemplum cogebamur viuere: qui cum noſtro emerſiſſet è corpore, tamen ad confuſionem noſtram, vita eius dicebatur eſſe diſſimilis; Numquid non melius erat, nec inchoare quod bonum eſt, quàm tam turpiter cadere, aut non poſſe complere quod cœperis? Neſcientes quòd iudicio Dei, maiorem forſitan excuſationem habitura ſit anima quæ bonum voluiſſe, & ab Inſidiatore ſupplantata eſſe noſcitur, quàm ea quæ rebellis in Domino ex ſeruili deſperatione formidinis, magis elegerit iugo captiuitatis addici, quàm periculum certaminis experiri. Nonne apud Regem ſuum miles excuſatur propriis vulneribus, & plerumque ſtrenuum bellatorem cicatricum ſuarum plaga commendat?* S. *Gregorius hom.* 3. *in Ezech. ſub finem*, ad eos qui eiuſmodi ſunt, accommodat illud *Eccleſ.* 11. *qui obſeruat ventum non ſeminat; & qui conſiderat nubes, nunquam metet. Quia is qui tentationes maligni ſpiritus metuens, & iniquorum lapſus conſpiciens, ſemetipſum deſperat, neque nunc exercetur in bono ſemine operis, neque poſt reficitur de munere iuſtæ retributionis.* Virginitas, (vtique profeſſa, atque adeo Religioſa,) inducitur à *Nazianzeno carm. de laud. Virginit. in fine*, hanc abuſionem refellens, verſibus illis:

—At mihi ſi tentes aſpergere labem,
Si quis fortè meam maculauit crimine vitam;
Et probro Chriſti tunicam; quæ neſcia ſordis,
Iunxerit: idque bonum quo non præſtantius vllum
Eſt tibi, complexus fuerit cum crimine fœdo;
Vxorem ſerò accipiens, vitamque beatam
Linquens, quæ blanda prorſus fugit oſcula carnis;
Ipſa quoque obſcœnum contrà memorabo cubile,
Quod furtim rapiunt calcata lege, miniſque
Quas Deus intentat, mœchorum perdita turba.
Rebus in humanis etenim magè noxia peſtis
Nulla eſt, nec grauiùs quæ mollia pectora vexet,
Quàm non legitimum lectum verſutus adulter
Dum petit, & dubio fœcundat ſemine mœcham.
An verò cum te mœchorum denſa cateruâ
Non teneat, lecto quin ſubdat colla iugali,
Imò etiam vxorem ducat, qui vindice dextra
Lethiferum mœchi demiſit in ilia ferrum,
Totus adhuc ſtillans admiſſæ ſanguine cædis,
Quique fuga celeri minitantia ſpicula fugit,
Me contrà à Chriſto quorundam inſana libido
Diſtrahet, atque meum de corde fugabit amorem,
Et lapis exiguus latiſſima flumina ſiſtet?
Haud decet, haud fas eſt. Nam multò præſtat, vt ingens
Dum numerus leuibus petit ardua ſidera pennis,
Æthere labantur quidam, ſi dicere fas eſt,
Quàm fixi in terra maneant, iaceantque ſupini,
Dum metuunt, ne penna nimis ſublata liqueſcat,
In terramque cadant, temerè dum ſidera quærunt.
Namque homines virtute graues, ſunt gloria Chriſti:
Contrà, qui vitiis animum immerſere nefandis,
Non aliter quàm qui coniecit in aëra ſaxum,
Verticibus vitium capiunt ſordeſque malignas.
Angelus ante fuit miro ſplendore coruſcus
Lucifer: aſt illo cœleſti ex arce ruente,
Cœlitibus tamen in columnis ſua gloria manſit.
Sic neque diſcipulis ſcelerati caſus Iudæ.
Opprobrio fuit, ille quidem de ſede bonorum
Protinus eiectus, nigrum detruſus in Orcum eſt:
At reliqui curſum recti tenuere priorem.
Sic poſtquàm æquinoctea quendam rapuere procella,
Vela alius pandens vento tumefacta furenti,
Nauigat, extincti proſpectans triſte ſepulchrum,
Aut etiam à tumulo puppis retinacula ſoluit.

Tandem optima eſt S. *Hieronymi* monitio in calce Conſolationis ad Iulianum; *Noli reſpicere Iudam negantem, ſed Paulum reſpice confitentem. Iacobi ditiſſimi Patris filius, ſolus & nudus in baculo ſuo pergit Meſopotamiam; iacet laſſus in itinere: & qui delicatiſſimè à Rebecca matre fuerat educatus, lapide ad caput pro pupillo vtitur. Vidit ſcalam de terra vſque ad cœlum, & aſcendentes per eam Angelos & deſcendentes, & deſuper innitentem Dominum, vt laſſis manum porrigeret, vt aſcendentes ſuo ad laborem prouocaret aſpectu. Vnde & vocatur locus ipſe, Bethel, id eſt domus Dei, in qua quotidiè aſcenditur atque deſcenditur. Et ſancti enim corruunt: ſi fuerint negligentes, & peccatores priſtinum recipiunt gradum, ſi ſordes fletibus lauerint. Hoc ideò dixi, vt non te terreant deſcendentes, ſed prouocent aſcendentes. Nunquam exemplum à malis ſumitur. Etiam in ſæculi rebus, ſemper à meliori parte, incitamenta virtutum ſunt.*

CAPVT III.

A quo tempore cœperint eſſe in Eccleſia, Apoſtatæ à Religioſo ſtatu.

RESponſio ad hanc percunctationem, ex dictis in ſuperioribus erui poteſt. Nam à quo tempore Religioſus ſtatus conſtitutus eſt, exinde defectiones ab eo ſtatu eſſe cœperunt. Nec mirum, citò è ſacro inſtituto tunc feruentiſſimo, excidiſſe nonnullos. Ecce enim Angeli qui Deo ſeruiebant in cœlo, ſtabiles non fuerunt; & non ita multo poſt ab eorum conditione, reperta eſt in eis prauitas. Quanto magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, conſumi velut à tinea & labare in ſuſcepto ſalutis calle potuerint, & verò etiam labarint atque ceciderint?

Typi tantùm Religioſorum & Apoſtatarum ante Chriſtum.

QVanta autem ſit Religioſi ſtatus antiquitas, non eſt huius loci plenè confirmare. Tradunt hoc accuratè *Caſſianus collat.* 18. *c.* 5. *Petrus Bleſenſ. ſerm. de* S. *Lucia. Iacobus Middendorpius in hiſtoria Monaſtica cap.* 1. *&* 2. *Bellarminus lib. de Monach. cap.* 5. *Matthæus Galenus in opere de Origin. monaſt. Platus l.* 2. *de bono ſtatus Relig. cap.* 19. *&* 20. *Miranda Tomo* 1. *Manualis q.* 3. *Suarez Tract.* 7. *de Relig. l.* 3. *cap.* 1. *Carraciolus in Notis ad præfationem regulæ Theatinorum*: Cum quibus dicendum eſt, negari non poſſe, aliquas Religioſi ſtatus adumbrationes in antiquo Teſtamento præceſſiſſe, vt in Setho eiuſque familia, vt latè *Valdens. l.* 3. *doct. art.* 1. *cap.* 1. poſtea etiam, in lege ſcripta, fuerunt nonnullæ adumbrationes ſtatus Religioſi. Nominatim in Nazaræis, vt videre eſt apud *Sanctum Paulinum carm.* 13. *ſub medium.*

dium, cum deſcribit Monachiſmum filij Cithecij: Et ex recentioribus apud *Proſperum Stellartium lib. 2. de coronis & tonſuris cap. 7.* nec non apud *Mendoçam q. 5. poſit.* & apud alterum *Mendoçam 1. Reg. cap. 1. annot. 10. ſ. 2. Serarium in c. 13. Iudicum q. 9. Hieronymum Platum lib. 2. de bono ſtatus Relig. c. 19. Cornelium c. 6. Numer. Viegam in cap. 9. Apocal. comment. 2. ſect. 11.* Item in Eſſenis, (non illis de quibus *Philo l. de vita* ſupplicum, nam hos Chriſtianos fuiſſe probabilius eſt, vt docent *Baro. Tomo 1. anno Chriſti 64. Bellarm. l. de Monach. c. 5. Serarius lib. 3. Trihaeſ. c. 17. & late Gretſerus l. 1.* ſecundæ Apologiæ pro vita *S. Ignatii c. 3.*) Sed aliis quorum eſt apud Ioſephum mentio & apud Nilum in Aſcetico: imo etiam apud *Plinium 5. hiſtor. c. 17.* quos fuiſſe imagines Religioſorum, docet ſupra *Serarius c. 10. & Suares Tomo 3. de Relig. Tract. 7. lib. 3. c. 1.* Itemque in Rechabitis, vt tradit *S. Hieron. epiſt. 13.* & minutè proſequitur *Becanus in Analogia vtriuſque Teſtamenti cap. 9.* Optimè item *Vvald. l. 3. doctr. art. 1. c. 2. & 3. ac 5. & 30.* Præterea in filiis prophetarum ſub Eliſæo viuentibus, qui vt habetur *4. Reg. 6.* & apud *S. Hieronymum Epiſt. 4. & 13.* habentur pro typo noſtrorum Religioſorum. Quid verò apertius imaginem aliquam Religioſorum noſtrorum inſinuat, quam quod de Phariſæis ſcriptum eſt à *S. Epiphanio hær. 16. Quidam ipſorum cum ſe exercerent, præſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis, ſiue continentiæ. Et frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid ipſis accideret, aut clandeſtinè per ſomnia triſtis corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipſis aſſeres ſibi ipſis parabant dodrantis tantum latitudine, & in hos ſe ad veſperam locabant, vt ſi quis dormiſſet, in pauimentum decideret, & rurſus excitaretur ad orationem, per hocque vigilantem vitam haberet, quantum eius fieri poſſet. Alij lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſubſternebant, vt dum his pungerentur, non in profundum ſomnum deferrentur, ſed vigilantiam ſibi ipſis parare cogerentur. Alij ſpinas pro ſtrato habebant, ob eandem cauſam. Ieiunabant autem bis in ſabbatho, ſecunda & quinta die. Decimabant decimationes, dabant primitias, trigeſimas & quinquageſimas. Sacrificia ac vota exactiſſimè exoluebant. In prædicto vero Scribarum habitu progrediebantur, per amicula & alios ornatus, ac muliebria pallia, & in latis crepidis, & calceamentorum ligulis procedentes. Dicebantur autem Phariſæi, eò quod ſeparati eſſent ab aliis, propter ſpontaneam ſuperfluam religionem apud ipſos receptam.* Penè excidit Elias, ad quem aliqui Monaſticæ vitæ principia referunt, vt teſtatur *ſanctus Hieronymus*, initio libelli de vita S. Pauli Eremitæ. Ipſeque S. Hieronymus ſcribens ad S. Paulinum de Inſtitutione Monachi, *Noſter (inquit) princeps Elias.* Multus in hoc eſt *Ioannes Hieroſol. l. de Inſtitut. Monachorum & Trithemius l. 1. de laud. Carmelitarum c. 3. Sed & Caſſianus l. 1. de Inſtit. c. 2.* Eliam vt formam Monachorum proponit. Tametſi verò S. Hieronymus initio operis de vita Pauli Eremitæ, videtur negare Eliam fuiſſe Monachum agnoſcens duntaxat eum fuiſſe Prophetam, tamen nihil eſt quod obſtet, quominus eius vitam in ſolitudine, imaginem ſtatuamus fuiſſe Monachiſmi legis nouæ, quod vnum ſuadent quæ pro eius vita ſolitaria adducit *Suares Tract. 9. de Relig. l. 2. c. 10.* & quæ pro Eliæ monachatu ex variis adducit *Proſper Stellartius l. 2. de Coron. & tonſur. c. 13.* ac fuſiſſimè *Michaël Munnos l. 2. propugnaculi Eliæ titulo 1. c. 2.* per decem articulos.

Alter Elias fuit Ioannes Baptiſta, qui dictus eſt Chriſtum præceſſiſſe in ſpiritu & virtute Eliæ. Et ipſe quoque, legis nouæ promulgatione, & Eccleſiæ Chriſtianæ fundatione anterior, Monaſticæ vitæ Chriſtianæ imaginem prætulit. Ea ex cauſa *S. Chryſoſtomus hom. 1.* in Marcum vocat Ioannem *Principem Monachorum.* Eodemque recidit quod ait *S. Hieronymus Epiſt. 22.* Ioannem fuiſſe *Principem anachoretarum.* Vtrumque titulum complexus eſt creditus *Bernardus in quinto honore*; Ait enim deſcribens Baptiſtæ conuerſionem, quo ipſo nomine vita religioſa apud antiquos exprimi ſolet. *Ioannes ætatis ſupergreſſus infantiam & nobilioris generis generoſitatem oblitus, ſoli vacat diuinitati, factus forma vitæ, monachorum propoſitum, anachoretarum principium, totius Religionis aſſertio.* Nec aliter de monaſtices Principe ſecundum Eliam Ioanne Baptiſta ſtatuit *Sozomenus l. 1. hiſtor. c. 12. & Nicephorus l. 8. hiſtor. c. 39. ac S. Iſidorus l. 2. de Offic. c. de Monachis*, paſſimque alij. Conciliauit Baptiſtæ hoc decus, ſeceſſio eius à ciuitate & commoratio in deſerto per tot annos, maceratio item carnis eximia per veſtitum cilicinum & victum aſperrimum ac propè nullum de quibus pereleganter *S. Paulinus poem. 5.* quod eſt de *S. Ioanne.* Cum autem religio ſit ſtatus pœnitentiæ & martyrium quotidianum, quo ſe quaſſaſſe Baptiſtam dixit creditus Bernardus loco annotato, haud immeritò iuncta elongatione fugientis & permanſione diuturna in ſolitudine, dictus eſt Princeps Monachiſmi, ſuo tempore, æquè ac Elias eandem appellationem ætate ſua retulerat. CAP. III. *Quam antiqua Apoſtaſia.*

Has igitur & aliquas alias Religioſi ſtatus adumbrationes, & vt *S. Thomas Heb. 11. lect. 8.* loquitur, *præfigurationes*, anteceſſiſſe in veteri Teſtamento, non eſt negandum & annuunt plurimi apud *Henriquem L. 12. c. 5. num. 2.* nec non creditus *Alanus Copus Decalo. 2. c. 3.* Ipſe tamen Religioſus ſtatus prout tria conſilia voto firmat; & multo magis prout traditionem Religioſi, factam homini vt vicem Dei tenenti, & poteſtatem illius acceptandæ Dei nomine continet; ac etiam prout quibuſdam inhabilitatibus ad vota adiunctis ſtabilitur, non anteceſſit legem nouam, quia plenitudo perfectionis plenitudinem temporum decebat. Idque adeò ratum habuit inquiſitio Hiſpanica, vt contrarium doctrinam, falſam pronunciauerit, *& ſcandaloſam atque erroneã & Euangelio iniurioſam*; eóque nomine, libros quinque ſupra viginti à variis Carmelitanis excalceatis vulgatos, quibus ea doctrina continebatur proſcriptos voluerit nuperrimè, annis ſcilicet, quindecim poſt hæc à nobis primùm vulgari; cum pridem Hiſtoriam Propheticam F. Franciſci à ſancta Maria ex eo doctrinæ firmento paſtinatã proſcripſiſſet, firmantibus Hiſpanorum iudiciam Romanis. De qua re alibi pleniùs. De mimica verò harum ſtatus Religioſi adumbrationum expreſſione in Ethniciſmo, fusè *Iacobus Middendorpius in Hiſtoria Monaſtica cap. 3.* Sed hæ cum planè foris fuerint, nihil ad nos.

Veri Religioſi, ab ipſo Eccleſiæ initio.

AB ipſis autem Eccleſiæ cunabulis, & ex quo ſol iuſtitiæ & ſanctitatis illuxit orbi, Religioſus ſtatus, (ſaltem nudè ſumptus quo ad ſubſtantiam ſuam, & abſtrahendo ab accidentibus ac circonſtantiis) locum habuit in Eccleſia, vt clarè habetur apud *S. Dionyſium in Eccleſ. hierar. c. 6.*

parte

Cap. III. *Quàm antiqua Apoſtaſia.*

parte 2. vbi vota, & ſuſceptio monaſtici habitus deſcribitur. Quod autem contra opus illud frendeant Hæretici, mirum eſſe non debet; vident enim in ſcriptis S. Dionyſij, antiquiſſimum contra ſuas nouitates vſum Eccleſiæ. Nec Catholici, de illis operibus B. Dionyſio parente editis, ambigunt; vt latè confirmant *Bellarm. l. de Monach. c.* 5. *Lindanus* 2. *panop. c.* 2. *Tilmannus præfatione ad paraphraſim Pachymeris. Schotus ad Cod.* 1. *Photij. Biuarius ad Dextrum anno Chriſti* 100. *Abelardus l.* 2. *epiſt. in* 2. & omnium fortiſſimè *Delrio in Vindiciis Areopagiticis*, *ac Petrus Dalloix in Dionyſio.* His Catholici omnes ferè ſubſcribunt, ſi vnum aut alterum pruriginoſum ingenium demas. Præter S. Dionyſium, conſtitutam à nobis Religioſi ſtatus antiquitatem tradit *S. Baſil. in Conſtit. cap.* 19. & 23. *ac Caſſianus collat.* 18. *c.* 5. & *Concil. Meldenſe c.* 9. dicens, Monaſticum ordinem à Deo inſpiratum, & ab Apoſtolis fundatum, à ſanctiſſimis & nominatiſſimis Patribus fuiſſe exculum. Quod ait, *ordinem Religioſum fundatum eſſe ab Apoſtolis*, non eſt ſenſus, ſubſtantiam Religioſi ſtatus, Autores agnoſcere Apoſtolos: id enim falſum eſſet, & contrarium grauiſſimis Patribus, affirmantibus Chriſtum eſſe Religioſi ſtatus autorem & fundatorem. Ita *S. Chryſoſtomus hom.* 17. *ad pop. S. Baſil. in conſtit. monaſt. c.* 23. *S. Bernardus in Apolog. ad Guiel. Abb.* Senſus igitur Concilij Meldenſis eſt, primos Apoſtolos inſtitutore & autore Chriſto, Religioſum ſtatum eſſe amplexatos. Vel certè Apoſtolos facta à Chriſto inſtitutione ſubſtantiæ ſtatus Religioſi, multa cœpiſſe præſcribere, & vſu ſuo inuehere quoad circumſtantias & accidentia eiuſdem ſtatus; quod ſufficit ad affirmandum id de quo agimus; nempe quod ſtatus Religioſus, quoad ſubſtantiam fuerit ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ, & in vſu arietum Chriſtiani gregis, hoc eſt Apoſtolorum, vt plenè contra Vvicleffum & ſectarios, nouitium & merè humanum inſtitutum vocantes Religioſam vitam, confirmant *Vvaldenſ. l.* 3. *doctr. art.* 1. *c.* 6. & *Tomo de Sacramental. tit.* 9 *c.* 83. *Clyctouaeus l.* 3. *de votis monaſticis c.* 9. *Bellarm. l. de Monach c.* 4. *Hieron. Platus l.* 2. *de bono ſtatus Relig. c.* 20. *Vaſques* 1. 2. *d.* 165. *c.* 5. *Suares Tract.* 7. *de relig. lib.* 3. *c.* 2. *Baſilius Poncius q.* 3. *ſcholaſt. c.* 2. *Iacobus Middendorpius in Hiſtoria Monaſtica c.* 4.

Specialiterque, quod Apoſtoli, conſilia appoſito voti nexu ſint profeſſi, expreſsè tradit *S. Auguſt. l.* 17. *Ciuit. c.* 4. beneque confirmat *Aluarus Pelagius l.* 2. *de planctu Eccleſ. cap.* 56. & *Auguſt. de Ancona de poteſt. Eccleſ. q.* 84. *art.* 1. & *q.* 90. *art.* 4. & *Henricus Kaleiſein, in Replica contra Vlricum Huſſitam in Concilio Baſilenſi* §. *vltimo reſpondit*, & *Baſilius Poncius q. illa Scholaſt. c.* 2. *ac Pennotus l.* 2. *hiſtor. Canon. Regul. c.* 5. & 6. *nec non Ioannes Colingthonus in theatro l.* 10. *c.* 4. Eoſdem, traditionem illam quam de ſubſtantia Religioſæ vitæ eſſe diximus, vſurpaſſe; ſeque Deo in manibus Chriſti donaſſe; ſicut ipſimet, & eorum ſucceſſoribus aut Vicariis tradunt ſe poſteri, cum Religioſum ſtatum capeſſunt, conſtare videtur ex modo quo Chriſtus de eis diſponebat: & ex eo quod ipſi, profeſſi ſunt ſe Chriſtum eſſe ſecutos, ſeque lex Chriſti monito abnegauerint. Nam vt *S. Baſilius Epiſt. ad Canon.* & ſæpè alibi docet, hæc verba id planè videntur ferre. Et quantum video, idipſum tradere voluit *S. Auguſtinus l.* 2. *contra literas Petil. c.* 104. tractans illud pſalmi 132. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Barbam namque interpretatus fortitudinem, vnguentum verò à capite deſcendens, ſanctificationem ſpiritualem, ſubdit de ora veſtimenti, quam interpretatur Religioſus: *Ora veſtimenti hac datur intelligi, quia in capite veſtimenti eſt; qua veſtientis caput ingreditur; per hanc ſignificantur perfecti fideles in Eccleſia, in ora namque perfectio eſt, & vtique meminiſti eſſe dictum cuidam diuiti, ſi vis eſſe perfectus, vade, vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me. Triſtis quidem ille diſceſſit, neglector perfectionis & elector defectionis. Sed nunquid ideò defuerunt in quos vnitatis vnguentum, tali rerum terrenarum dimiſſione perfectos, tanquam in oram veſtimenti à capite deſcenderet? Nam exceptis Apoſtolis, & qui cum eis erant præpoſitis atque doctoribus, quos eminentiores, & fortiores in barba intelligimus, lege in Actibus Apoſtolorum, & vide qui rerum ſuarum venditarum pretia ad pedes Apoſtolorum ponebant, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant eis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat, & erat illis anima vna & cor vnum in Deum. Nempe ita ſcriptum eſſe cognoſcis. Agnoſce ergo bonum & iucundum, fratres habitantes, in vnum; Agnoſce barbam Aaron; Agnoſce oram veſtimenti ſpiritalis. Interroga ipſam ſcripturam, vbi ceperunt iſta fieri: Inuenies in Hieruſalem. De hac ora veſtis per omnes gentes, vnitas toto orbe contexitur. Hac intrauit caput in veſtem, vt indueretur Chriſtus varietate orbis terrarum, quia in ora veſtimenti apparuit ipſa varietas linguarum.* En inſignem Religioſi ſtatus hypotipoſim, eiuſque initia ad Chriſtianæ Eccleſiæ exortum reuocata, cum D. Auguſtinus dicat, hanc eſſe oram, per quam caput intrauit in veſtem Gentium quam induit.

Porrò quod de Religioſis ab initio Eccleſiæ, vitam Religioſam excolentibus diximus, non eſt de ſolo virili ſexu intelligendum, ſed etiam de ſexu molliore. Multa enim, etiam in ſcripturis, enunciantur, de viris, quæ fœminis quoque ſunt communia, vt latè proſequitur *Iſidorus Peluſiota l.* 3. *epiſt.* 12. & 13. Et mulier literata apud *Philippum Abbatem l. de Continentia c.* 110. dicitur Maſculina voce *bonus Clericus*, quod quamuis Philippus miretur, dicens congruentius futurum, vocare illam, *bonam Clericam*, tamen vſus (vt fatetur) contrarium tulit; nec abs re, quia cum ſit viri potius dare operam literis, meritò mulier literata, maſculino nomine inſignitur. In re igitur propoſita, quæ de ſexu maſculino Religionem ab initio Eccleſiæ amplexo dicuntur in Patribus, & in ſcripturis inſinuantur, ad fœminas quoque ſunt extendenda: cum res ſit ſexum quidem virilem & eius generoſitatem maximè decens, non tamen à molliore ſexu aliena. Et ita eſſe in vſum iam ab initio inductum, rectè notauit *Suares Tract.* 9. *de Relig. l.* 1. *c.* 10. habeturque ex Actis *S. Pachomy c.* 28. & ex Actis S. Baſiliſſæ ſponſæ S. Iuliani quorum hic magnam omnino monachorum, illa verò virginum multitudinem rexit in cœnobio: nec non ex Concilio Eliberino tempore S. Sylueſtri celebrato, canone 13. & ex *S. Hieron. epiſt.* 16. *ac* 48. *Chryſoſtomo homil.* 8. *in Matthæum, Auguſtino de Moribus Eccleſ. c.* 31. Apud Palladium, & in Vitis Patrum, exempla paſſim occurrunt Sanctimonialium Religionem profitentium, etiam in communi parthenone ſiue cœnobio. Nec ea mulierum in cœtum Religioſum adunatio tanquam tunc primùm cœpta deſcribitur, ſed tanquam primæui in Eccleſia vſus à poſterioribus frequentata ſupponitur. Itaque quod de poſterioribus Eccleſiæ ſeculis eſt compertiſſimum, ferè quoties vir quiſpiam Sanctus, nouum Religioſi

Religioſi inſtituti vexillum extulit, mulieres quoque inſtitutum illud iuxta conditionem ſuam adamarunt, & ad Regulæ nouæ profeſſionem adiecere animum, vt de Benedictinis, Prædicatoribus, Franciſcanis, & aliis conſtat, à quibus *Suares cap. illo 10. num. 8.* non recte excipit Cartuſianos, quorum inſtitutum nullas mulieres profiteri falſo ſupponit: Ita initio Eccleſiæ cum primum viri conſilia Euangelica, amplexari cœperunt, deuotus fœmineus ſexus, idem ſtudium capeſſendæ Religioſæ vitæ iniuit.

Exiſtimauit *Claudius Eſpencæus digreſſ. 26. in 2. ad Timoth. S. Chryſoſtomum hom. 25. in ad Hebr.* negaſſe, tempore Apoſtolorum fuiſſe Religioſos; quia dixit, Apoſtolum quos vocabat *fratres*, intellexiſſe quoſcunque fideles, nec duntaxat Monachos, pro vſu Monachos denominandi *fratres* iam vigente tempore Chryſoſtomi; qui Apoſtolum ad quoſuis fideles eam appellationem direxiſſe probat, *quia veſtigium tunc Monachi non erat.* Eiuſdem ſententiæ ſtatuit *Eſpencæus S. Thomam quodlib. 7. art. 17. ad 4.* vbi tractans illud ex *2. Theſſal. 3. ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*, ait Apoſtolum egiſſe de quouis fideli. *Non enim tunc temporis, aliqui Religioſi determinati erant.* Refellit Eſpencæus hanc S. Chryſoſtomi (veriùs Conſtantini Presbyteri, qui homilias in Epiſtolam ad Hebræos ex S. Chryſoſtomi doctrina concinnauit) itemque S. Thomæ opinionem, ex Dionyſio, & Philone Apoſtolorum æqualibus, qui Monachorum meminerunt diſertiſſime ac pleniſſime. Quamvis autem recte agnoſcat Eſpencæus, eam quam hactenus ſtatuimus monachiſmi antiquitatem; tamen immeritò cenſet eam negatam eſſe, ſiue à S. Chryſoſtomo, aut eius ex ſcriptore Conſtantino, ſiue à S. Thoma; cum tantum inficiari voluerint, tempore Apoſtolorum fuiſſe eam externam formam & varietatem monaſtices, quæ poſterioribus ſeculis exorta eſt in Eccleſia: Vel certè negare tantum voluerint, eo tempore appellationem *Fratrum* fuiſſe Monachis ſpecialem, ſicut poſtea fuit. Sicut iuxta *S. Auguſtinum Tract. 97. in Ioan. & Xenodochia & Monaſteria*, poſtea ſunt appellata; nouis nominibus; res tamen ipſæ, & ante nomina ſua erant.

Concluditur, Religioſos Chriſtianæ Eccleſiæ coæuos, nec prius fuiſſe veros Apoſtatas.

VT igitur rem omnem in pauca cogam, quamvis ſtatus Religionis non fuerit ante legem gratiæ, ſed tantum aliqua eius imago, tamen fuit ab initio Chriſtianæ legis, vſurpantibus illum Apoſtolis, & piis Chriſtianis. Eoque reſpiciens *Petrus Damianus Opuſc. 28. c. 1.* ait, Religionem Chriſtianam non à Canonicis fuiſſe plantatam, ſed à Monachis; quales docet fuiſſe Apoſtolos, & Apoſtolicos viros. Et idem diſertè habet *Ioannes de Polemar in Concilio Baſil. in diſputatione de ciuili dominio Clericorum §. in primis nonnulla*, vbi ex hac tanta Religioſorum antiquitate, infert in hunc modum. *Nemo ergo detrahat Religionibus, quæ à tempore Apoſtolorum, & ab ipſis Apoſtolis & Chriſti diſcipulis ſumpſerunt originem & initium, & vtique plurimùm Dei Eccleſiam illuſtrarunt. Magna pars Doctorum Eccleſiæ fuerunt Religioſi. Ecce Auguſtinus, Hieronymus, & Gregorius, de quatuor principalibus doctoribus, tres, fuerunt Religioſi. His addimus Chryſoſtomum, Magiſtrum Gratianum, qui compilauit volumen Decretorum, Rabanum, Bedam, Hugonem, Richardum de ſancto Victore, Anſelmum, Nicolaum de Lyra, Bernardum, Thomam de Aquino, Albertum, Bonauenturam, Petrum de Tarantaſia, Scotum & plures alios, qui Eccleſiam Dei ſuis illuſtrarunt ſcripturis. Vtinam tales æmulationes ceſſarent, & omnes vnanimiter curaremus agere quæ Chriſti ſunt, tanquam diuerſa membra vnius corporis. Nam ſicut dicit Apoſtolus, ſicut in vno corpore diuerſa ſunt membra, ita in vna Eccleſia diuerſi ſtatus, omnes ad decorem & vtilitatem Eccleſiæ. Et licet in Religioſis multa ſint hoc tempore quæ reformatione indigent, ſicut & in cæteris ſtatibus; tamen nihilominus multum illuminant Eccleſiam prædicationibus & doctrinis. Et nemo prudens in caliginoſo loco exiſtens, lucernam extinguit, non benè ſibi lucentem; ſed habentem ſuccum, ſeu ſcoriam, curat aptare, quo melius poteſt. Nam melius eſt, quod aliquantulum turbidè luceat, quam ſibi penitus eſſet extincta, & hoc volo incidenter non ſine cauſa dixiſſe.* Ego item obiter, quamvis non extra locum & negotium, volui iſta exſcribere. Sed ad rem.

CAP. III. *Quam antiqua Apoſtaſia.*

Hinc efficitur, in antiqua lege, non fuiſſe niſi vmbras, (vt ſic dicam) vel imagines apoſtaſiæ Religioſæ, ſed adumbratos duntaxat, & aliquatenus ſimilitudinarios apoſtatas in ea fuiſſe. Tales Phariſæi, Eſſeni, (aliis ab iis quos ſub S. Marco deſcripſit *Philo l. de vita ſupplicum*,) Doſithei, & alij de quibus S. Epiphanius initio Panarij, ab hæreſi nona, Nicetas initio Theſauri, & Baronius ſub initium Apparatus, ac Serarius in Trihæreſio. Quod enim iſtiuſmodi homines, imagines quædam Religioſorum fuerint, ſupra monſtrauimus. At quod procedente tempore, & ſub ingreſſis corruptelis, facti ſint, Apoſtatarum imagines, inde patet, quod à vera quoque fide defecerant ad varias hæreſes, de quibus Autores prædicti.

Apoſtatæ aliqui, ab Eccleſiæ Chriſtianæ initio.

EX quo autem, cum vero ſtatu Religioſo, initio Chriſtianæ Eccleſiæ veri Religioſi ſunt exorti, contigit quoque exoriri veros Apoſtatas, qualis inter Apoſtolos vnus; & inter varios ab Apoſtolis cooptatos, non pauci. Quod enim de Anania & Saphyra votum paupertatis tranſgreſſis, quia interfuit Eccleſiæ, diuinam circa eos vltionem noſſe, non eſt prætermiſſum à S. Luca; idem de variis per apoſtaſiam deficientibus ab ea quam profeſſi erant Religioſa vita, ſcribi potuiſſe, ſi res tuliſſet, non eſt dubium. Talemque Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, Hieronymus, aliique apud Baronium infra, produnt fuiſſe Nicolaum illum Antiochenum, qui de ſeptem Diaconis vnus fuit. Quanquam eum purgat *Clemens Alex. l. 3. ſtrom.* itemque Clemens Romanus, Euſebius, Theodoretus, & Martyr Ignatius approbante Baronio, anno Chriſti 68. Certius eſt tales fuiſſe aliquos è primis illis deſertoribus Chriſtianæ fidei, qui Apoſtolis multùm negotij faceſſerunt. Nam inter tam multos tunc temporis Chriſtiana conſilia ex voto amplexos, vt latè confirmat *Baſilius Poncius q. 3. Scholaſt. cap. 3.* ex eis ſaltem nonnullos Euangelica conſilia ſub Apoſtolorum ductu eſſe profeſſos, nemo prudens ambigat procedente autem tempore, cum ſedatis perſecutionum turbinibus, multo diſtinctius & luculentius viguit in Eccleſia ſtatus Religioſus, quod præſertim à tempore S. Antonij, cernere licuit;

CAP. III. *Quàm antiqua Apoſtaſia.*

cuit; multo item plures à Religioſo ſtatu Apoſtatæ apparuerunt vt cap. ſequenti patebit. Nunc Eraſmi erroneam quandam in hoc puncto opinionem repellere, operæ pretium eſt, in quo illæ cauſæ ſuæ ſeruiuiſſe videtur. Quod enim Apoſtata audiret, (vt videbimus,) probrum fortaſſis hoc pacto auertere tentauit, nihilque abs ſe nouo more tentatum docere

Sententia Eraſmi, de Religioſis per quatuor prima Chriſtiana ſecula planè liberis, nulloque proinde tunc Apoſtata.

ERaſmus igitur aduerſus prædicta obſtrepens, contendit SS. Hieronymi & Auguſtini temporibus, ac multo magis tribus anterioribus Chriſtianæ Eccleſiæ ſeculis, nequaquam emiſſa fuiſſe vota ab iis qui Religioſum ſtatum inibant; Sed quamvis in communi viuerent, & Deo ſeruirent, tamen liberum cuique fuiſſe, perſtare aut abire. Iuuat apponere ipſa verba Eraſmi ex vita S. Hieronymi ab eo conſcripta. *Penſitatis (inquit,) omnibus ac circumſpectis, Hieronymo monachi placuit inſtitutum. Quod nequis in hoc erret, id temporis longè diuerſum erat ab hoc quod hodiè videmus ceremoniis obſtrictum. Immo quibus maximè libertas erat cordi, hi Monachi profeſſionem ſuſcipiebant. Primum enim res manebat integra, ſi quis ita cenſuiſſet. Manebat commigrandi; remigrandique quò vellent poteſtas; manebat dulciſſimum ac liberrimum otium. Ad ſtudium, ieiunia, pſalmos, vigilias, aut ſuapte incitabantur animo, aut exemplis inuitabantur. Non colligabantur hominum conſtitutiunculis. Veſtitus erat ſimplex, nec is tamen præſcriptus; ſed ſuo cuique arbitrio ſumptus; Non qui prodigioſa nouitate faceret inſignem, digitoque notandum, ſed qui ſimplicitatem Chriſtianam præſeferret. Votorum nulla vincula, niſi quæ ſunt cuiuſque purè Chriſtiani. Denique ſi quem ſui inſtituti pœnitentia cepiſſet, tota demum pœna, erat, inconſtantiæ nota. Cuius rei ſi quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam, legat inſtitutionem Monachi, ad Ruſticum, & item ad Paulinum legat in epiſtola cuius initium, Audi filia, deſcriptum triplex apud Ægyptios Monachorum genus.*

Hæc Eraſmus ibi & ſimilia illinit Regulæ S. Auguſtini, in Cenſura. Si autem hæc vera eſſent, abolendum eſſet per ea tempora, nomen apoſtaſiæ à Religioſo ſtatu. Id quod etiam ſatis clarè habet idem *Eraſmus l. 3. de ratione concionandi pag. mihi* 180. vbi latè ſtomachatur aduersùs eos qui vocant *Apoſtatas*, illos qui abiecta veſte Monaſtica excutiunt Religioſum iugum, quibus ipſe non niſi inconſtantiæ & leuitatis notam inurit. Veriſſimè autem *Apoſtatas* dicendos eſſe, contendit, Chriſtianos eum aduerſus ſponſionem in baptiſmo, factam profitendi Euangelicam regulam, & Satanæ ac pompis ſeculi abrenunciandi, ad Satanam tamen, & ſeculum abiuratum, peccando relabuntur. Ea quippè eſt, iuxta Eraſmum, ſola Religioſa profeſſio; Et hæc vna & ſola inter Chriſtianos Religio. Quod dixiſſe referuntur aliqui in *Hiſtoria Antoniana par. 2. c. 36.* Et veriſimile eſt de Eraſmo dici, qui tempore Autoris illius hiſtoriæ, ſcribebat. Idem ſenſiſſe Vvicleffum, ſæpè iterat *Valdenſis Tomo 1. doctr. lib. 3. art. 1.* nominatim *c. 17.*

Exploditur.

ADuerſùs hunc Eraſmi errorem, breuiter egere Caſtro, Verbo, *votum Bunderius in Compendio Concertationum tit. 34. art. 5. Felſinus in 2. decalo. præceptum c. 30. Petrus Sutoris Cartuſianus in Apologia pro votis monaſticis aduerſus Lutherum c. 4.* Latè autem ac diligenter idem verſat Richardus Cœnomanus in Antidoto contra Eraſmi Cenſuram ad regulam D. Auguſtini, vbi ex Hieronymo multis locis, iiſque ipſis quæ Eraſmus in contrarium adducebat, planè demonſtrat, æuo S. Hieronymi Religioſos votis ſe deuinxiſſe, nec habuiſſe liberam recedendi, ſi liberet, poteſtatem; ſed ſi ſponte ſua abiiſſent, execrationi omnibus fuiſſe, tanquam veros Apoſtatas, vti nunc etiam aſſolet.

Quid quod Patres Hieronymo æquales, ac etiam aliqui anteriores, manifeſte & conceptis verbis agnoſcunt, Religioſos qui recedebant fuiſſe votifragos, & grauiter peccaſſe? Ita ſanè *D. Auguſtinus ſermone 49. de diuerſis c. 4.* verbis illis. *Ecce dico, audite: qui ſocietatem communis vitæ iam ſuſceptam, quæ laudatur in Apoſtolorum actibus, deſerit, à voto ſuo cadit, à profeſſione ſancta cadit; obſeruet iudicem, ſed Deum, non me.* Et mox. *Ego ſcio quantum mali ſit profiteri ſanctum aliquid, nec implere. Vouete, inquit, & reddite domino Deo veſtro. Et melius eſt non vouere, quam poſt votum, promiſſa non reddere. Virgo etſi nunquam fuit in monaſterio, & Virgo ſacra eſt, nubere illi non licet, quamvis eſſe in monaſterio non compellitur. Si autem cœpit eſſe in monaſterio, & deſeruit & tamen Virgo eſt, dimidia ruit. Sic & Clericus duas res profeſſus eſt, & ſanctitatem & clericatum; Interius ſanctitatem. Nam clericatum, propter populum ſuum, Deus poſuit ceruicibus ipſius cui magis onus eſt quam honor. Sed quis ſapiens, & intelligit hæc? Ergo profeſſus eſt communiter viuendi ſocietatem, profeſſus eſt, quam bonum, & quam iucundum ſit habitare fratres in vnum. Si ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit. Quid ad me? Non eum iudico. Si foris ſeruat ſanctitatem, dimidius cecidit; ſi verò intus habuerit ſimulationem, totus cecidit.* Concludit, dare ſe libertatem, nolentibus factam Deo profeſſionem ſeruare.

Hoc verbum, erit qui rapiat ad libertatem Eraſmicam, quaſi iis quos tædet profeſſionis, fas ſit eam deſerere de mente S. Aug. Quod etiam videri poterit inſinuaſſe *l. de Sancta Virginit. c. 34.* vbi Virgines quæ iuxta Apoſtolum, poſt primam fidem nubere volunt, quia eas pœnitet profeſſionis, agnoſcit melius nupturas, quã ſi flamma concupiſcentiæ, in ipſa concupiſcentia vaſtētur. Affinia ſunt quę habet *l. de bono diuinitatis c. 10.* agens de viduis continentiam profeſſis, queis autor eſt vt nubant potius quam vrantur ſi continentiam Deo dicatam tenere nequeant aut nolint. Idemque velle videtur *S. Hieron. epiſt. 47* quæ eſt *de ſuſpecto contubernio, c. 1. Et epiſt. 8.* quæ eſt ad Demetriadem; vbi autor fit virginibus quæ virginitatem Deo vouerunt, vt nuberent ſi non continerent. Quod item habet *ſanctus Epiphanius hæreſi 61.* quæ eſt *Apoſtolicorum.*

Verùm loca iſta S. Hieronymi & S. Epiphanij, de iis tantum Virginibus valent, quæ ſimplici voto extra Religioſum ſtatum vouerant caſtitatem: cuiuſmodi impedimentum matrimonij non niſi impediens, ſubeunt nunc qui in ſeculo vouent caſtitatem: Talibus quippè, ſi obfirmentur in nequitia,

nec

nec velint reſipiſcere, aut petere diſpenſationem voti vt matrimonium licitè ineant, fas eſt auctorem fieri ineundi matrimonij, quod erit eorum minus peccatum, quam volutatio perpetua in cœno luxuriæ. Fas autem eſt, præbere conſilium minoris mali, vt maius euitetur. Videndus *Bellarminus l. de Monachis cap. 34. ad 15. & 18.* Et eodem modo accipiendus videtur *ſanctus Auguſtinus cap. illo 34.* Et in loco adducto ex libro de bono viduitatis, circa quem valde torquentur recentiores quorum aliqui vt *Cardin. Hoſius in Profeſſione Catholica fidei. cap. 56. & Ioannes Copetius l. de perpetua caſtitate ſacerdotum cap. 24.* negant eum librum eſſe Diui Auguſtini. Sed male negant cum recenſeatur à Poſſidio in Indiculo, & aliquoties à Beda allegatur. Alij vt *Eſpencaus l. 5. de contin. cap. 2.* negant ſtandum eſſe ei ſententiæ ſancti Auguſtini, quod eſt excutere non enodare argumentum. Denique alij aiunt eum egiſſe tantum de viduis liberam continentiam profitentibus abſque vllo voti nexu, quod latiſſime proſequitur *Ferdinandus de Mendoça l. 2. pro Concilio Eliberitano cap. 28.* At neque hoc dici poteſt cum ſanctus Auguſtinus ſatis perſpicuè agat de viduis continentiam ex religionis ſtudio atque adeò ex voto profitentibus. Et quamvis hic locus ad eum modum declinari poſſet, ſupereſſet tamen difficultas *cap. illo 34.* vbi clarè agit de continentia Deo per votum addicta. Itaque perſtandum eſt in reſponſione propoſita, quod ad hæc loca attinet. At in ſermone allegato, *dare libertatem* eſt, metu maiorum malorum, violatores profeſſionis è clero non abiicere; ita tamen vt moneantur, videre an cum ea libertate votifraga, habere poſſint fœlicitatis æternitatem. Quod eſt dicere, damnandos profectò eſſe ob apoſtaſiam. Eadem iterantur ſermone ſequenti.

Iuuat, rem tanti momenti, aliorum præterea Patrum ſuffragio communire. *Eucherius pulchrè hom. 3. ad Monach. n. 4. Clamat, in contumelia diſciplina, in peccato anima ſua: Malo diſcedere, quàm emendare, quàm ſatisfacere; quàm implere quod præcipis. Quid eſt aliud quàm iugum Chriſti à ſe rebelli ceruice diſcutere? iſti tales, neſciunt quid voluerunt, obliti ſunt propter quid huc venerunt.* Et mox. *Non obedire & velle diſcedere, hoc eſt dupliciter diaboli voluntatem facere, hoc eſt voluntariè ſibi etiam in præſenti damnationem inferre. Illis ipſis, qui grauius apud nos delinquunt, nullam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quàm vt à corpore congregationis abſciſſi, ſine pace diſcedant. Et nonnè amentia genus eſt, vt hoc quiſque pro remedio expetat, quod etiam à Prapoſito, non niſi pro ſummo crimine poſſit inferri?*

Sanctus Baſilius infra variis locis referendus, idem perſpicuè & citra omnem ambiguitatem tradit, nominatim in reg. fuſiùs diſputatis in 14. 15. & 36. & *in Conſtitut. Monaſt. cap. 22. & 34. ac ſerm. de inſtitut. Monach.* Apud *Iſidorum Peluſiotam* eadem traduntur *l. 1. epiſt. 13. & 144.* Itemque apud *Caſſianum l. 4. de inſtit. cap. 33.*

Alios adducemus, tractantes grauitatem peccati apoſtaſiæ, & referentes quæ aduerſùs apoſtatas vrgent.

Libertas Religioſorum cohæret cum votis.

CAP. III *Quàm antiqua Apoſtaſia.*

Faceſſat ergo Eraſmus, cum ſua illa libertate, quæ vere illi fuit velamentum malitiæ, nec apoſtata liberat probro. Neque verò ſerui Dei, quia voto ligati ſunt, minus ſunt liberi, id quod *Valentia l. de ſtatu Religioſo cap. 5.* fuſiùs proſequitur. Quin potiùs vt S. Auguſtinus ad Armentarium diſſerit, eo ſunt liberiores habendi, quo ex ſua libertate ſe nexuerunt Deo libertatis noſtræ aſſertori. Itaque Religioſi vt *Greg. Naz. orat. 3.* in præclara Chriſtianorum Philoſophorum deſcriptione loquitur, ſunt vinculis aſtricti, & liberi. Pulchrè *S. Anſelmus l. 2. epiſt. 12. in fine. Qui indicat leuitatem, voto velle ſe ligare, ad faciendum quod bonum eſt, vt iam non ſit liber ad non faciendum: indicet doctorem leuitatis, illum qui dicit; vouete & reddite. Nullatenus reprehendendus eſt, qui quod bonum eſt, vouit; ſed qui non reddit, quod vouit. Certum quippe eſt, quia qui benè vouet, ipſo voto Deo placet. Qui ergo aliquid boni vouit, non pæniteat, quia fecit, vnde Deo placeat, ſed feſtinet reddere quod vouit, vt plus placeat.*

Et lib. 2. cur Deus homo cap. 5. Si quid hodiè ſponte promittis te cras daturum, cras voluntate das, quamuis neceſſe ſit te cras reddere promiſſum; ſi non poteris aut non vis mentiri. Non tamen minùs tibi debet ille pro impenſo beneficio cui das, quam ſi non promiſiſſes: quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es cunctatus, nec coactus. Tale eſt cùm quis ſanctæ conuerſationis vouet propoſitum. Quamuis namque ſeruare illud ex neceſſitate poſt votum debeat, ne Apoſtatæ damnationem incurras, & licet cogi poſſet ſeruare ſi nolis: ſi tamen non inuitus ſeruas quod vouis, non minus, ſed magis gratus eſt Deo, quàm ſi non vouiſſet: quoniam non ſolum communem vitam, ſed etiam licentiam ſibi propter Deum abregauit; nec ſanctè viuere dicendus eſt neceſſitate, ſed eadem qua vouit libertate.

Sanctus Bernardus pulchrè in eandem ſententiam diſſerit *l. de præcepto & diſpenſ. cap. 2.* Præfatus enim profeſſionem ſancti Benedicti, nemini imponi, ſed ab vtroque liberè ſuſcipi, addit. *Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non neceſſarium. Attamen hoc ipſum quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit, & promiſerit, deinceps tenendum, profectò in neceſſarium ſibi ipſe conuertit; nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate iam tenebit, quia omnino neceſſe eſt eum reddere vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua, & ex ore ſuo aut condemnari iam, aut iuſtificari. Cæterum felix (vt quidam Sanctorum ait) neceſſitas quæ cogit in melius.*

Non igitur Religioſi, quia ex voti neceſſitate agunt, minùs merentur, vt aliqui etiamnum muſſitant, libertatem illam Eraſmicam magnificantes, & Religioſorum ob abſtrictam votis libertatem, minores prouentus meritorum, imperitis obtrudentes. Aliqui etiam apoſtandi liberam facultatem in eo fundarunt. Audi Concilium Senenſe decreto 9. de fide. *Infandum apoſtaſiæ genus, ac, vna maximè prætexerant ratione, quaſi*

CAP. IV. Syllabus inſignium Apoſtatarum.

vota eiuſmodi libertati Chriſtianæ præiudicium afferant, quod mox Concilium grauiter reiicit.

Nuper quia error Eraſmi inſtauratus, nonnullorum ſermonibus diſſeminabatur, interpellatus ab amico, per litteras, rogatuſque ſententiam, reſpondi, indubitatum eſſe debere, opus ſupernaturale factum ex voto, eſſe magis meritorium; cum duplici honeſtate colluceat. Nec id eſſe problema, ſed à *ſancto Thoma Opuſc.* 17. *cap.* 11. & *Opuſc.* 18. *cap.* 12. inter fidei dogmata numerari. Auctores idem latiùs proſecutos, protuli; *Ægidium quodlib.* 2. *q.* 24. *Ioannem Nider l.* 3. *de reformat. Religioſ. cap.* 13. *Vvaldenſem lib.* 3. *doctr. art.* 1. *cap.* 18. 19. & 21. *Michaëlem Medinam l.* 4. *de Continent. Controu.* 8. *Alphonſum de Caſtro Verbum votum*, *Pereſium de Tradit. p.* 3. *artic.* 4. *Lenſæum lib.* 10. *de liber. Chriſtia. toto cap.* 5. & 8. *Suarem lib.* 1. *de votoc.* 17. *Feliſcum ad* 2. *Decalogi præceptum c.* 18. qui alios multos in hanc rem adducunt.

Locum verò Petri Bleſenſis ſub finem Inuectiuæ in deprauatorem ſuorum operum, facile eſt exponere, vt verè non pugnet cum veritate Catholica hactenus propoſita, quamuis in ſpeciem aliud primò ſonet. Sic enim habet. *Non oportet omnes Regulari militiæ manum dare. Credo non minoris eſſe meriti, citra profeſſionis vinculum, & aſſumptæ neceſſitatis angariam ſimpliciter ambulare cum Deo, & cuſtodire vas ſuum in ſanctificatione & gratia, ſuaſque manus à ſordibus munerum excutere, quam detrectare onus impoſitum, & luctuari cum obedientiæ iugo. Religio munda & immaculata hoc eſt, Cuſtodire ſe immaculatum ab hoc ſæculo, & ſe in operibus miſericordiæ iugiter exercere. Si ouile Iacob, ſi rete Petri, ſi domum patris cæleſtis attendis, diuerſas oues, diuerſos piſces, diuerſaſque & multas inuenies manſiones. Noë, Daniel, & Iob diuerſas vitæ meritoriæ ſemitas habuerunt.*

Ad hæc verba, non repono; Petrus Bleſenſis, ſæcularis homo erat, erga Religioſos minùs æquus. Illud potiùs repræſento quod ipſemet paulo poſt ſubnectit. *Non præfero Religioni, quæ ad Deũ via certa & directa eſt, noſtræ ſæcularitatis incertum. Non dico cum Naaman Syro, meliores eſſe Fluuios Damaſci, Abanæ & Pharphar, omnibus aquis Iſraël. Non dico cum Gedeone quod meliores ſint racemi Ephraim, vindemiis Abiezer; neque homines Angelis, neque comparo terras cœlis.* Senſus eſt. Quamuis generatim loquendo, indubitatum ſit, (quippè ex fide certum,) vitam votis illigatam, præſtare ei quæ ſoluta ſit votorum nexibus; tamen quibuſdam magis expedire votis ſolutos viuere, videtur abſque ambiguitate ſtatuendum. De apoſtaſia Chriſtianorum peccantium, ab Eraſmo inuecta, dictum eſt *cap.* 1. Quare ex omnibus antedictis concluditur; apoſtatas, non noui (vt ſic dicam) iuris eſſe; ſed planè ab exordio Eccleſiæ Chriſtianæ tales aliquos fuiſſe, quales poſteriora tempora ad has vſque ſæculorum fæces viderunt, ipſique videmus ſæpè ac gemimus.

CAPVT IV.

Syllabus inſignium Apoſtatarum.

IActum eſt ſolidiſſimum huius tractationis fundamentum, monſtratúmque, non eſſe quod (vt cum *Tertulliano l. de præſcrit. cap.* 3. dicam,) ex iis morionibus ſimus qui ex caſu aliquorum improuidorum, ædificantur in ruinam. Præterea tales tragœdias, nouas nequaquam eſſe, ſed cum Eccleſia Chriſtiana cœpiſſe, monſtratum eſt. Nunc ſecurè, primarios nonnullos ex ea hominum colluuie annotemus; per eos, & notandas in illis ad exitium ſcandulas, gradum conſequenter ad Apoſtaſiæ originem, & progreſſionem, ac conſummationem facturi. Recipio autem, nonnullos duntaxat recenſere. Nam ſi accuratè ineundus eſſet huiuſmodi lapſorum numerus, plus otij quàm huic opellæ addixerimus, conſumendum foret. Pauci tamen quos appendam, ſatis ſuperque eſſe poterunt, vt pudeat anctiorem hunc Syllabum facere; Seque tam ominoſis, & tam deteſtandis nominibus adiungere. De iis item paucis quos annumerabo, ſpecimen duntaxat flagitioſæ eorum vitæ qua ad apoſtaſiam proluſerunt, breuiter proponam. Vt enim diligenter ſingulorum anteriora probra recenſeantur; nihil eſt neceſſe. *Sufficient autem vel pauca, (verba ſunt Theodoreti initio Orationis de charitate) ad oſtendendam totius vitæ formam. Etenim non totum aurum quod affertur conſumens lapis, ſed eius paululo affricatus, oſtendit eſſe vel probum vel improbum: Similiter quoque ſagittarium, ex paucis quæ emittuntur telis, rectè didicerit quiſpiam, an rectè ſagittet & ad ſcopum dirigat, an ab eo aberret, in arte minimè exercitatus. Ita etiam alij artifices, ne dicam de ſingulis, poſſunt dignoſci, athletæ, & curſores, & tragœdiæ hiſtriones, & gubernatores, & nauium ædificatores, & medici, & agricolæ, & alij vt ſemel dicam, qui artem tractant aliquam. Sufficit enim pauca experientia.*

Hanc tametſi parcam, & non anxiam, Apoſtatarum quorundam enumerationem, non modò fructuoſam, ſed etiam neceſſariam pronunciare poſſe videor, exemplo *Palladij in lauſ. ſect.* 31. qui nonnullorum euerſiones narraturus, præfatur; *Neceſſe eſt eorum quoque qui ſunt tales (lapſorum, vel Apoſtatarum,) vitam in hoc libro inſerere, ad ſecuritatem eorum qui incidunt. Sicut etiam Sanctiũ plantis acceſſit lignum paradiſi, nempe cognitio boni & mali: vt ſi quando contigerit, eos in aliquate, ſe rectè gerere, non ſe efferant, & ſe iactent de virtute. Nam ſæpè quoque, virtus efficitur occaſio prolapſionis, quando non recto ſcopo facta fuerit. Scriptum eſt enim: Vidi iuſtum pereuntem in ſua iuſtificatione.* His ita præmiſſis, ad rem aggredior.

Iudas Iſcariotes, qui fuit proditor.

HVic infamiſſimo anteſignano, ſuccenturiari apoſtatas Religionum, monſtraui ex variis Patribus in Tractatione de *Iuda c.* 16. *à n.* 9. & *cap.* 17. *à n.* 30. Et verò collegium Apoſtolicum è quo Iuda excidit, fuiſſe cœtum Religioſum perfectiſſimum, in quo Chriſtus Priorem, Petrus Vicarium, Iudas procuratorem egerit, admonuit iam pridem *Ioannes Nider lib.* 2. *de reformat. Religioſ. c.* 4.

Idem

Idem confirmat, qui contra Vvicleffum alioſuè ſectarios, demonſtrant ſtatum Religioſum non eſſe humanum inuentum, quippè à Chriſto ipſo in Apoſtolis Euangelica conſilia edoctis, primò inſtitutum. Multos ad id & Patres & DD. ſupra protuli. Cum ergo Iudas inter Apoſtolos Religioſum ſtatum ſit aliquando profeſſus, & inde exciderit, factus Chriſti proditor; perſpicuum eſt, eum agmen ducere omniū apoſtatarum, qui in lege Chriſtiana à ſtatu Religioſo deſciſcunt. *Sanctus Bernardus ſerm. 3. in pſal. 90.* ob cauſam propoſitam, vocat apoſtaſiam *peccatum Iudæ*; eaque ex cauſa, cenſeri poteſt dictus *præuaricator Actorum 1.* Gradus impietatis quibus ad hoc baratrum progreſſus eſt, fusè perſecuti ſumus iuſto opere.

Iulianus Imperator.

Hic antonomaſticè cognomen *Apoſtatæ* retinuit. Spectat ad Iulianum illud Nazianzeni in definitionibus Iambico carmine comprehenſis Iambico 15.

Quid defectio? Apoſtata ille peſſimus nuper vigens.

Eam enim denominationem apoſtaſiæ in abſtracto, non in Arrium, vt voluit Leunclauius, ſed in hunc Iulianum cadere, rectè ibi notat Billius. Et id quidem cognomentum datum illi eſt præcipuè ob eiuratam ab eo quam cum nutricis lacte ſuxerat Chriſti fidem, vt ex permultis antiquis latè docet *Couarruuius l. 4. variar. c. 12.* Nam etiā Baptiſmum ſuſceptum, ſanguine victimarum eluere conatus eſt, vt *Nazianz. Oratione 1.* aduerſùs eum, & *Conſtantinus Manaſſes in Annal. n. 93.* ſcriptis prodiderunt. *Vix imperij, (ait de eo Naz. eo loco nu. 15.) hæreditatem adire cœperat, cum impietatem palam liberéque profitetur, perinde atque hoc quoque nomine erubeſcens, quod Chriſtianus aliquando fuiſſet; aut ea de cauſa Chriſtianis ſuccenſens, quibus nominis ſocietate iunctus fuerat. Atque hinc quidem facinora ſua auſpicantur, quemadmodum narrant, qui ipſius arcanis gloriantur. Proh in quos ſermones incurrere coger? Impuro & nefario ſanguine lauacrum extergit, initiationi noſtræ execrabilem initiationem opponens, vt ſus videlicet in cœno proucluta, ſicut eſt in prouerbio; manuſque ſuas profanat, vt nimirum eas ab incruento ſacrificio, per quod nos Chriſto ipſiuſque paſſionibus & diuinitati communicamus, elueret, ac repurgaret. Per inciſiones autem & ſacrificia, Imperialem aulam conſtituit, malis mali imperij conſiliariis vtens.* Quod ait de manuum repurgatione à ſacrificio Chriſtiano, pertinet ad perceptionem diuinæ Euchariſtiæ, quam olim viri excipiebant nudis manibus, ſiniſtra dexteræ ſubiecta, vt ex variis Patrum locis monſtrat *Stephanus Durantius l. 2. de ritibus c. 55. num. 17.* Hoc ergo eſt quod velut extergere ſatagebat Iulianus. Neque enim occurrit veriſimile fundamentum dicendi contigiſſe aliquando vt eius manibus pro ara vſus, ſacerdos quiſpiam ſacrificaret, vt factum eſſe à Theodoreto, ad Mariā Monachum ſacra voluptate perfundendum, ſcribit ipſe *Theodoretus c. 10. θεοφ.*

Quamuis ergo Iulianus, ob eam Chriſtianiſmi eiurationem apoſtata audierit, tamen non eſt excludenda ratio eiuſdem denominationis, ducta ex defectione à profeſſione Religioſi inſtituti. Conſtat enim, Iulianum cum Conſtantio ſuſpicionem mouiſſet affectatarum nouarum rerum, excitatum Maximi Epheſij inſignis Magi prædictionibus, vt eam ſuſpicionem abſtergeret, ſuamque in tuto ſalutem locaret, cutem raſiſſe, & vitam Monaſticam eſſe profeſſum: quod diſertè habe *Socrates l. 3. hiſt. c. 12. Sozomenus l. 5. c. 2. Nicephorus l. 10. c. 1 Rupert. in vita S. Eliphyi c. 2. Ioan. Saresber l. 8. polycr. c. 21. Pius 2. Epiſt. ad Morbiſanum Tartarum Principem, & Ioannes Nider l. 2. de reform. Relig. c. 4.* Eodemque retulerit quis, quod Iulianum *Fridundus l. 4. pro tribus capit. c. 2.* vocat *Apoſtatam ſacrilegum*, vtique ob votorū infractionem. Apertius eodem pectant quæ habet S. Cyrill. in præfatione Operis contra ipſum Iulianum ad Theodoſium Imperatorem. Ait enim, ignorare ſe, quid factū ſit, vt Iulianus qui in ſancta Eccleſia & monaſteriis fuerat enutritus, ad dæmonum cultum abiecto Chriſto defecerit, pellicientibus Flagitioſis & ſuperſtitioſis, philoſophiam ementientibus. Sanè Philoſophię illius ſtudium, (vtique arcanæ ſiue Magicæ,) Iuliano exitium & defectionē a fide creaſſe ait S. *Ambr.* in calce monodiæ Theodoſij. Infeliciſſimum nefandi huius apoſtatæ in tetriores ſemper nequitias progreſſū nemo ignorat. In Religionem Chriſtianam adeò exarſit, vt etiam *Chriſtiani* nomen abolitum voluerit, & in *Galilæi* vocem commutari: adhortans principes, vt quo ipſe nomine in edictis ſuis *Galilæos* appellabat, eodem ipſi quoque eos appellarent, vt *ſanctus Chryſoſtomus orat.* aduerſùs gentes ſcriptum reliquit. Quinetiam *Nazianzenus orat. 1. in Iulia.* publica lege hanc nominis noſtri commutationem ſancitam ab hoc deſertore, teſtatur. Et quanquam interdum aliquos ementito cædis titulo dediſſe letho legitur reuera cæſos ideirco quod Chriſtiani eſſent; tamen vt plurimum arte potius & malignis technis Eccleſiam euertere tentauit. Artificioſam cædis aliquorum ad alias cauſas relationem quam ad Chriſtianam profeſſionem, deſcribit *Nazianzenus orat. in funere* Cæſaris, referens Iulianum decus Martyrij, & hoc incitamentum conſtantiæ inuidentem Chriſtianis, fraude taxiſſe malignitatem, affictis criminibus ob quæ damnati iure viderentur. Id quod etiam Chryſoſtomus oratione aduersùs gentes & homil. in SS. Iuuentinum & Maximum. affirmat, monens ſummum Iuliano cordolium fuiſſe, ſi quando Chriſtianus quiſpiam in Chriſti cauſa mortem generoſè oppeteret, eáque ratione fidem firmaret. [Medicos, & milites, & Oratores omnes, vel à profeſſionibus ſuis diſcedere, vel fidem ſuam eiurare iuſſit.] Verba ſunt S. Chryſoſtomi dicta in SS. Iuuentinum & Maximum homilia. Non prædictos tantùm, ſed etiam Chriſtianos Rhetoricos & Grammaticos à profitendo arcuit, id quod *inclemens & obruendum perenni ſilentio* pronunciauit homo Ethnicus Iuliani cœteroqui laudator Ammianus Marcellinus agens de hoc edicto *l. 22. & 25.* quod etiam ipſe Iulianus refert *epiſtola 42. S. Auguſt. 18. Ciuit. cap. 52.* necnon *Socrates l. 3. cap. 10.* Concilijs denique forò, tribunalibus, & quocunque Magiſtratu arcuit Chriſtianos Iulianos omnibus eorum vſu interdicens, niſi diis priùs immolaſſent. Quos pridem ab Eccleſia extorres factos audiuerat ob aliquam impietatem, ſtudioſè reuocabat, vt inteſtino diſſidio Eccleſiam dinexaret, & Chriſtianos Chriſtianis com mitteret. *V. ſanctus Chryſoſtomus orat.* aduerſùs gentes ſcriptum reliquit. Etiam calamo aduerſùs Eccleſiam pugnauit ſcriptis *ſeptem libris ex S. Hieronymo epiſtol. 84.* conſcriptos dicens in expeditione Perſica. *Longam diſputationē* vocat Libanius (apud *Socratem l. 3. c. 19. ac Nicephorum l. 10. c. 36.*) exaratam per hybernas noctes prolixiores teſtatus, adeoque eam commendans, vt Porphyrium qui æquè Chriſtianos ſcriptis

CAP. IV. *Syſtema inſignium Apoſtatarum.*

Theoph. Rayn. Aſcetica.

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

laceſſiuerat, longè à Iuliano ſuperatum confirmet. Et certè *ſanctus Cyrillus* in prologo ad impugnationem Iuliani, hæc eius ſcripta (quæ tribus libris comprehenſa docet, non ſeptem, vt aiebat ſanctus Hieronymus, diuerſitate numeri librorum ex varietate partitionis apud varios deriuata;) multis exitialia fuiſſe, ac etiam aliquos Chriſtianos ſuccubuiſſe non diffitetur. In ſumma, impius hic apoſtata, tanto odio in Religionem Chriſtianam concitatus eſt, vt non poſſet atrociore. Erátque hoc odium, ſceleratæ eius vitæ conſentaneum. Totus enim erat in commercio cum dæmonibus, quibus vt placeret, ne humanis quidem victimis parcebat; ita vt prægnantes quoque, clam diſſecaret, vt aulluſos ex earum viſceribus teneros fœtus, adhiberet ad Magicum commercium. Eo nempe ſpectabat exemplum Cartis in Meſopotamia editum, quod deſcribit Theodoretus ad finem libri tertij hiſtoriæ; nec dubium quin alibi ſimilia patraſſet lanius iſte ſacrificus, in omnem nequitiam Magiſtris dæmonibus informatus, ex qua Deum abiecit, vt mirum non ſit, hominem tantoperè à Deo auerſum, & dæmonibus adeò addictum in Religionis Chriſtianæ euerſionem adeò exarſiſſe, vt ſcribat Nectarius Conſtantinopolitanus orat. de S. Theodoro; [Accepiſtis quàm grauia, & inania, & palàm, & ex inſidiis, auſus ſit aduerſus Chriſtianos. Cui nullo modo quidem erat curæ, gentes vincere, & barbaros propulſare, & diripere vrbes inimicorum: Exiſtimabat enim eſſe rem puſillam & inutilem; ſed Chriſtianos deſtruere, & eorum delere fidem; & vt Deus quidem deſpiceretur, (ô calamitatem! ô insaniam!) qui nutu omnia conſtituit: atque adeò eum ipſum, qui vtinam nunquam fuiſſet natus, neque vitæ ſuperſtes; ſimulachra autem honorarentur, & vbique extolleretur gloriæ eorum altitudo, magnum ducebat opus, & magno ſtudio elaborandum; idque magis curabat, quàm alia omnia.] Addit longam narrationem de vafro eius conſilio in circumueniendis Chriſtianis, appoſitione eſcarum idolis conſecratarum ineunte Quadrageſima, vt eo cibo paſti viderentur Idolis cultum detuliſſe: ſed ſancti Theodori Epiſcopo apparentis monito, fraudem fuiſſe detectam & laqueum conſciſſum.

Exitus è vita, fuit tantæ impietati conſentaneus, Et præter vulgata, addit *Goffridus Viterbienſis parte 16. Chron.* ex Actis S. Fabiani, excoriato à Perſis Iuliani cadauere, pellem throno Regio Perſarum, fuiſſe circumpoſitam, quod vnde hauſerit Goffridus, me latet. Cœtera ad teterrimi Apoſtatæ vitam funeſtiſſimumque exitium, lippi tonſoreſque nouerunt, docente præſertim Nazianzeno, duplici aduersùs eum inuectiua. Multa paucis complexus eſt *ſanctus Auguſtinus 5. Ciuit. cap. 21.* & Acta SS. Manuel, Sabel & Iſmael 17. Iunij. Porrò quanto optabilius eſt, magnates & potentes ſæculi calces ſæculo impingere, vt diſſerit *ſanctus Fulgentius epiſt. ad Theodorum cap. 3. & 4. ſanctus Paulinus epiſt. 10.* ad Seuerum agens de Melania; tanto luctuoſius eſt cum deficiunt à ſuſcepto Religioſo inſtituto. Iuliani autem collapſio, eo fuit deplorabilior, quo è celſiore culmine corruit miſer; idque vt habetur in vita *ſancti Athanaſij apud Photium Cod.* 258. poſt menſes in Imperio viginti; vitæ verò annos, vnum & triginta. Ex quibus ipſe Epiſtola ad Alexandrinos, profitetur ſe vigintiannos in Chriſtianiſmo exegiſſe, & tunc cum ea ſcriberet annos iam duodecim vixiſſe paganum. Hallucinatio *Gulielmi Pariſienſis l. de vitiis cap. 4.* confundentis Iulianum Celanenſem ab Auguſtino impugnatum, cum hoc Iuliano, non eget diſcuſſione. Sicut etiam cribratione non egent laudes illæ quas nonnulli Chriſtiani, vt Prudentius in Apotheoſi, carmine contra Iudæos, referens oſtentum Iuliano oblatum inter ſacrificandum, & *Iouianus Pontanus lib. 1. de Magnanimit. pag. 745.* impio apoſtatæ deferunt. Ipſe verò, laudatur vbi non eſt, cruciatur vbi eſt. Oracula de eius futura beatitate à Suida repræſentata *V. Iulianus, & Niceph. l. 1. cap. vltimo*, æquè ſorduerunt falſitate ex hoc capite, ac ex prænunciatione Victoriæ Iuliani in iiſdem oraculis contexta.

Paullonas.

HIc S. Ephrem aliquando adhæſerat, & monaſticen ſub eo profeſſus ob eloquentiam clarus imprimis fuerat, vt ſcribunt *Sozom. l. 3. c. 15. & Nicephorus l. 9. c. 16.* ſed per apoſtaſiam, iis ſe calamitatibus fecit obnoxium, quas illa S. Ephremi verba in Teſtamento præferunt. *Væh tibi Paullona, cuius mater, ex mulieribus maledicta. Væ ventri qui te peperit, quoniam perditionis omnium hæreſum particeps factus es, & prædonum ianua ingrederis. Opera enim tua omni nequitia atque flagitio plena ſunt. Denudatus proiectus es à gratia, & tanquam Iudas Iſcariotes proditor, factus, & ex cunctis tuis ſtudiis confuſus. Columna enim huius ſedes eſt quam tu dereliquiſti. Horribile verò prodigium in tuo ipſe oſtendes corpore qui cælum ſuſtines, & in quo omnis creatura natura conſtituta eſt atque confirmata: quoniam qualibet in ipſo creatura fundata eſt, mare & plenitudo eius. Confiſus quippè es in arundine fracta, derelinquens Chriſti baculum atque armaturam qua infirmos conſolidas, & omnem paſſionem ac morbum, tum animi, tum corporis, curat, ſanatque.* In ea editione Teſtamenti S. Ephremi quam Iulius Clemens adornauit, quæ mox ex eodem adducemus de Arouandra, adſcribuntur huic Paullonæ; ita vt vbi referemus legi *Arouandra vir effrenis*, in editione Clementis legatur, *Igitur vir perdite*, continuata ad Paullonam oratione & maledictione. Sed lectio quam Gerardus Voſſius repræſentauit ex variis bonæ notæ Codicibus, orationem in illis verbis abrumpit, nec ea vlteriùs ad Paullonam dirigit, ſed ad Arouandram de quo proximè. Eiúſque etiam coniunctim cum Paullona, meminerunt Sozomenus atque Nicephorus locis ſupra annotatis, defectionem vtriuſque narrantes, & quomodò eorum defectio Sancto Vito facta ſit in ſingultum. Itaque hæreamus nunc in Paullona, primario (vt videtur) inter apoſtatas diſcipulos ſancti Viti. In variis editionibus Teſtamenti, ſancti Ephrem quas videre licuit, hic Apoſtata, Paullonas denominatur. Sicut etiam apud *Nicephorum l. 9. c. 16.* In eiuſdem tamen Teſtamenti editione latina per Iulium Clementem, quam *Aloyſius Lippomanus tom. 3. & Surius t. 1.* repræſentarunt, idem apoſtata vocatur Apollo. Minùs verò abeſſet à *Paulona* nomen *Paulini*, quo donatur Apoſtata S. Ephremi diſcipulus apud *Gennadium in Catalogo virorum illuſtrium c. 3.* Sed hic Paulonas, vt mox euincam, alius omnino à Paulino fuit, quicquid è contrario cenſuerit *Honorius Auguſtodunenſis atque Gennadius in Catalogo*, & ex recentioribus, *Suffridus Petri, libro de Illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus*. Nec refragatur Poſſeuinus *V. Paulinus Presbyter.*

Arouandra

Arouandra.

HVnc inter ſuos quandoque diſcipulos, & Religioſæ vitæ profeſſores, agnoſcit ibidem S. *Ephrem*, ſic compellans factum Apoſtatam. *Arouandram vir effrænis atque rebellis, quia voluiſti congregationes Chriſti Eccleſiarum à ſpiritu Sancto congregatas demoliri atque exterminare; ex ea quæ ſub Cœlo eſt, deleatur memoria tua: & non inueniatur in libro viuentium. Quoniam dereliquiſti vinum vitæ, Chriſti nimirum ſanguinem, & panem Cæleſtē, hoc eſt Corpus Chriſti & Saluatoris noſtri: & comediſti cibum victimarum contaminatarum, & bibiſti vinum peccatorum, fel turbidum. Verbum Dei ac filius Patris, in quem os tuum impium maledicta coniecit ac blaſphemauit, acuta atque ſubtili inquiſitione exquirat à te exprobrationem atque in ſe factam contumeliam.* Ex his Sancti Viri fulminibus veriùs quam verbis, liquere poteſt in cuiuſmodi baratrū præceps ruerit hic miſer apoſtata, quem etiam ad Idololatriam prolapſum eſſe, ſuſpicio ingeritur ex illis verbis, *comediſti cibum victimarum contaminatarum.* Quamquam nemo eorum qui illum memorant, tale quid de eo refert, ſed tantùm quod à Religioſa ſub Sancto Viro diſciplina & à fide Catholica per hæreſim defecerit. Apud Sozomenum & Nicephorum, locis annotatis, Paullonæ Beati Ephremi diſcipulo per apoſtaſiam lapſo, adiungitur *Ararad*, aut vt alij codices habent *Aranad*, vel *Touadar*, & ipſe facundia præſtans. Quem eſſe hunc ipſum Arouandran, cui S. Ephrem maledixit in ſuo Teſtamento, fit veriſimillimum ex ſilentio antiquorum de Arouandra, cum memorant lapſos S. Ephrem diſcipulos.

Paulinus.

ET ipſe ſancti Ephrem aliquando diſcipulus, (quem ob pruriens ingenium, vir ſanctus *Nouellum Bardeſanem* nominare ſolitus erat,) deſcribitur à *Gennadio l. de viris illuſt. cap.* 3. Lapſus in apoſtaſiam æquè à fide, ac à Religione: ſed non niſi poſt Sancti viri obitum, vt propterea mirum non ſit, ſiluiſſe de eo S. *Ephremum in Teſtamento.* Ruinæ cauſam profert Gennadius, nominis & primatus amorem, frequens improuidis barathrum. Inſigne S. Ephremi monitum ad hunc Paulinum, cum vir Sanctus propè animam ageret, monſtrat eum poſt optimi Patris obitum defeciſſe ob dimiſſam ſapiendi ſobrietatem. *Vide Pauline, ne te ſubmittas cogitationibus tuis & eleueris. Sed cum te ad purum comprehendiſſe putaueris Deum, credo nec intellexiſſe.*

Theodorus Mopſueſtenus.

HIc ille eſt Theodorus lapſus, ad quem reuocandum ad monaſterium, S. Ioannes Chryſoſtomus binam parænеſim ſcripſit. Nam S. Ioannem & Theodorum, ambos Antiochenos, ſimul in monaſterio vitam egiſſe, Heſychius in Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur, & refertur in V. Synodo, actio. 5. Ibidemque additur, reuocatum Chryſoſtomi ſcriptione, rurſus cecidiſſe. Vnde fortaſſis, prima ſcriptio fuit pro primo lapſu, ſecunda pro poſteriore. De vtraque illa lucubratione, ita *Leontius Byzant. lib.* 3. *contra Neſtor. & Eutych. ſub initium Theodorum magnus Ioannes, vt penè de propoſito Monaſtici inſtituti lapſum, & qui promiſſionem abiuraverat, duobus ſuaſionibus fortibus & prolongis, lapſum in profundum intemperantiæ, extrahere ſtuduit.* Ex carnis prurigine defeciſſe ab inſtituto monaſtico, (quod tradit Leontius,) habetur quoque ex Chryſoſtomo parænеſi priore: Qui etiam in altera parænеſi addit, cecidiſſe primò, nondum vicennem; ibidemque de eius principio, optimis ſtudii ac pietate præmiſerat permulta. Vtcunq; verò reſipi ſcens, electus eſt in Epiſcopū Eccleſiæ Mopſueſtenæ, & multis claruit ſcriptis. Tametſi verò in pace viſus erat quieuiſſe, & laudem retuliſſe à multis Patribus, quos diligenter accumulat *Facundus Hermianenſis in Opere pro tribus Capitulis, libro præſertim* 3. & 8. ac tribus ſequentibus, tamen iam vita functus, agente Iuſtiniano Imperatore, damnatus eſt in quinta ſynodo ob varios errores, quibus apud *Photium Cod.*177. adiungitur, quod inficiatus ſit peccatum originis. Neſtorij errorem ante Neſtorium docuiſſe tradit idem *Photius Cod.*38. & 81.

CAP. IV. *Sy. abus inſignium Apoſtatarum.*

Conſtans Conſtantini Tyranni filius.

HIc Tyranni ſub Honorio filius, & ab eo ex Monacho, (proh dolor! exclamat id referens *Paulus Oroſius l.* 7. *c.*40.) creatus Cæſar, anno 411. miſſus in Hiſpanias, ad fideles Honorij conterendos; tandem mala morte periit Viennæ, à Geronſio (*vt Oroſius ſupra cap.*42. recitat) neci datus. Idem habet *Beda lib.* 1. *hiſtor. Eccleſ. Anglor. cap.* 11. Perbellè in miſerum hunc Apoſtatam cadit telum illud manu Marcelli Abbatis Scitiotæ vibratum apud Moſchum *cap.* 152. [Quemadmodum magna laus, & magna gloria, & regnum eſt abrenunciandi ſæculò, & Monaſticum arripienti inſtitutum, quia pretioſiora ſunt intellectualia quàm ſenſibilia: Ita magna confuſio & ignominia eſt Monacho, qui relinquit Monaſticum habitum, etiam ſi efficiatur Imperator.

Iouinianus.

O *Monachum monſtrum! O monſtruoſum Monachum!* exclamat de Iouiniano *Philippus Abbas lib. de Continentia Clericorum cap.* 90. Hic *Epicurus Chriſtianorum* (ſic enim eum nominat *ſanctus Hieronymus initio libri primi* contra eum) Monachum aliquando egerat Mediolani, in eo monaſterio, cuius nutritorem extra vrbis mœnia *ſanctum Ambroſium*, memorat S. *Auguſtin.* 8. *Confeſſ. cap.* 6. Ibi aliquando ieiuniis & continentiæ nauarat operam, vt *ſanctus Ambroſius Epiſtol. ad Vercellenſem Eccleſiam* refert & *in pſalmum* 38. ad illud, *à Domino greſſus hominis dirigentur & viam eius volet* (tacito licet Iouiniani nomine;) nec *ſanctus Hieronymus*, vtroque aduersùs Iouinianum libro id prætermiſit. Sed malè mutata mente, ad apoſtaſiam à Religioſo cœtu, hæreſes adiunxit fœdiſſimas, ob quas in coitu & ſaturitate Epicuræus, in retributione meritorum inuecta omnimoda eorum æqualitate Stoicus, audiuit à *ſancto Hieronymo libro aduerſus eum* 2. Nimirum dixit, *Nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam; pari omnes æſtimari pretio: delirare eos qui ieiuniis caſtigent carnem ſuam, vt menti ſubditam faciant.* Verba ſunt *ſancti Ambroſij* citata

Cap. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Epiſtola; de eius diſcipulis Sarmatione & Barbatiano (vt habent pleniores Codices,) nominatim agentis, qui ſubdit, eum delicias ſuaſiſſe, & caſtimoniam nullius eſſe vtilitatis dixiſſe. Et cum iugi impatiens primùm abijſſet, deinde verò redire voluiſſet, non eſſe receptum, cum de his quæ cauere deberet admonitus, non paruiſſet. Vagus ergo & profugus, ſe exhibuit ex iis vnum quos iuxta propria deſideria ambulantes, deſcribit princeps Apoſtolorum *Epiſt.2. cap. 3.* Ita enim conformiter ad eam perditi transfugæ ſpeciem ab Apoſtolo delineatam, illum deſcribit S. *Hieronymus l. aduersùs eum priore. Deſcripſit* (*inquit*) *ſermo Apoſtolicus Iouinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba trutinantem, repromittentem in cœlis libertatem, cum ipſe corruptionis ſeruus ſit, atque luxuriæ, canis reuertens ad vomitum ſuum. Nam cum Monachum eſſe ſe iactitet, & poſt ſordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam veſtem, & nitidam cutem ad mulſum, & elaboratas carnes, ad iura Apitij, & Paxami, ad balneas quoque ac fritillas, & popinas ſe conferat: manifeſtum eſt, quòd terram cœlo, vitia virtutibus; ventrem præferat Chriſto; & purpuram coloris eius, putet regna cœlorum. Et tamen iſte formoſus Monachus, craſſus, nitidus, dealbatus, & quaſi ſponſus ſemper incedens. Purpura coloris eius* quam huic Apoſtatæ obiicit *S. Hieronymus*, exprimit buccarum eius ruborem, oppoſitum pallori Monachorum cœterorum, & ipſius etiam Iouiniani dum ſaperet. Itaque *D. Hieronymus in Operis totius clauſula* alloquens Iouinianum, in quem Magiſtrum luxuriæ Baſilidem quaſi in Euphorbum, expoſtulat transformatum; fauentes ei ſimiles ſimili refert, craſſos, nitidos, dealbatos; *Quoſcunque* (*inquit*) *formoſos, quoſcunque calamiſtratos, quos crine compoſito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento ſunt, imo inter tuos ſues grunniunt. De noſtro grege triſtes, pallidi, ſordidati.* Nimirum ſimilis ſimili gaudebat; & Iouinianum poſt apoſtaſiam craſſum ac pinguem & buccis rubentem, adamabant ſimilis formæ ac genij, ſubulci & hirci, plurimas ſecum capras trahentem, vt ibidem ſubdit S. *Hieronymus*, ſignificans ei & ſociis adhærentes mulierculas *miſeras & non miſerabiles.*

Nec minùs graphicè hunc Epicuri de grege porcum, pinguem & nitidum benè curata cute, deſcribit *l.2.c.13.* cum ait. *Ante nudo eras pede modò non ſolùm calciato, ſed & ornato. Tunc pexa tunica, & nigra ſubucula veſtiebaris, ſordidatus, & pallidus, & calloſam opere geſtitans manum: nunc lineis, & ſericis veſtibus, & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, coma in occipitium frontemque tornantur: Protenſus eſt aqualiculus, inſurgunt humeri, turget guttur, & de obeſis faucibus vix ſuffocata verba promuntur.* Scitè *Philippus Abbas l. de Continentia Clericor. cap. 93.* ob hanc pinguiſſimi Iouiniani craſſitudinem, confert eum cum Rege Moabitarum *Eglone*, *qui Iudic. 3.* dicitur fuiſſe craſſus nimis; & ab Aod ambidextro cæſus eſt adacta in ventrem medium ſica ancipiti, tam validè vt capulus ferrum in vulnere ſequeretur, & adipe pinguiſſimo ſtringeretur. Eglonem igitur Iouiniani pinguiſſimi & craſſiſſimi imaginem fuiſſe ait Philippus, Aodum verò ambidextrum, Hieronymi in vtraque literatura excellentiſſimi, qui gladio verbi Dei ac etiam politioris litteraturæ (quo item pacto Aodum ambidextrum S. *Baſilio accommodat Nyſſenus Oratione de eo*) confodit hoſtem Chriſti & Euangelicorum conſiliorum euerſorem, vel ipſo aſpectu alienum à Chriſti pugilibus quorum character eſt macies corporis & pallor deflorescens, continentiæ fidus comes, ſicut pugilum carnis & ſæculi indice S. *Baſilio ad q. 17.* fuſarum, nota eſt opimitas, qualis Iouiniani. De eius ſpurcitiis ac omnimoda mollitie, latè *Philippus Abbas l. de Continentia Clericorum c. 90. & 91.*

Quantum tamen Suillis ſuis grunnitibus veriùs quàm vocibus, incontinentiæ cauſam promouerit Iouinianus, intelligimus ex S. *Auguſtino 2. Retract. c. 22.* qui ſcribit, Iouinianum æquando coniugalem pudicitiam Virginum meritis, *tantum valuiſſe in vrbe Roma, vt nonnullas etiam ſanctimoniales de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, deieciſſe in nuptias diceretur*; Et quidem etiam ætate prouectioribus nuptias perſuaſiſſe, ſcribit idem *S. Auguſtinus l. 3. de pecc. mer. c. 7.* De immenſa item ſectatorum eius copia quam iactabat, latè *ſanctus Hieronymus l. aduersùs eum ſecundo ferè in fine.*

Non eſt id tribuendum facundiæ Iouiniani, vel reconditæ doctrinæ, quæ poteſt colorem obducere, vel auctoritatem conciliare fœdis dogmatibus. Erat enim dictione infantiſſimus, & imperitiſſimus: id quod plagulæ ex eius ſcriptis recitatæ à *D. Hieronymo lib. 1.* abundè faciunt teſtatum. Ipſeque *S. Hieronymus* prælocutus ſe eius libros legiſſe vt refelleret, nihil ſe vſpiam legiſſe inſulſius ac imperitius, profitetur. *Scriptorum* (*inquit*,) *tanta barbaries eſt, & tantis vitiis ſpurciſſimus ſermo confuſus, vt nec quid loquatur, ne quibus argumentis velit probare quod loquitur, potuerim intelligere: Totus enim tumet, totus iacet; attollit ſe per ſingula & quaſi debilitatus coluber, in ipſo conatu frangitur. Non eſt contentus noſtro, id eſt, humano more loqui: altius quiddam aggreditur. Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. Quod ipſe, non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes. Præterea ſic inuoluit omnia & quibuſdam inextricabilibus nodis vniuerſa perturbat, vt illud Plautinarum litterarum ei poſſit aptari. Has quidem præter Sybillam, leget nemo, nam diuinandum eſt. Furioſos Apollinis vates legimus; & illud Virgilianum; Dat ſine mente ſonum. Heraclitum quoque, cognomento σκοτεινὸν, ſudantes philoſophi vix intelligunt. Sed quidquid ad noſtrum ἀινιγματιστὴν, cuius libros multo difficilius eſt noſſe, quàm vincere?* Et prolatis aliquot ex eo periodis, ſubdit *S. Hieronymus*; *Rogo quæ ſunt hæc portenta verborum? Quod deſcriptionis dedecus? Nonne vel per febrem ſomniare eum putes; vel arreptum morbo phrenetico, Hippocratis vinculis alligandum? Quotieſcunque eum legero, vbi me defecerit ſpiritus, ibi eſt diſtinctio. Totum incipit, totum pendet ex altero; neſcias quid cui cohæreat, & exceptis teſtimoniis ſcripturarum quæ illo venuſtiſſimo eloquentiæ ſuæ flore mutare non auſus eſt; reliquus ſermo omni materiæ conuenit, quia nulli conuenit.* Non diſſimiliter *Epiſt. 51.* incidens obiter in Iouinianum, *IESV bone* (inquit de eo) *qualem & quantum virum, cuius nemo ſcripta intelligeret, dignum qui ſibi caneret tantùm & Muſis.* Quomodò per iocum amarulentum de Iouiniano dixerit, *qualem & quantum virum*; quæ ſtatim adiungit, declarant. Fuit itaque Iouinianus, eloquio infantiſſimus, & ſenſibus animi inconditiſſimus.

Quare quod *Syricius Papa epiſt. 2.* Iouinianum & ſocios quos numerat Auxentium, Genialem, Germinatorem, Felicem, Frontinum, Martianum, Ianuariũ, Ingenioſum, & illecebroſo atq; ficto ſermone vſos dicit; vel ad Iouinianum non pertinet, ſed ad ſocios, eorumuè aliquos: vel de

illecebro

illecebroſis & fictis ſermonibus, ideſt, rebus per ſermones propoſitis accipiendum eſt. Quantumvis enim rudibus & craſſis ſermonibus & probationibus aſtruatur carnea hæreſis, (cuiuſmodi erat hæc *Chriſtiani Epicuri*, nomenclatore *S. Hieronymo l. 1.*) illecebroſa ſemper eſt, & pellax. Turpis hic Apoſtata Romæ in ipſa Authentica Paſchæ hebdomada, deprehenſus cum ſuis in conuiuio aſſum porcum epulans, alligato ad collum porco aſſo per totam ciuitatem eſt circumductus, vt ſcribit Autor trium librorum contra *Prædeſtinatianos l. 1. hæreſi* 82. Ad extremum, cum plurimos dementaſſet, perque multos annos ſtabilire ſategiſſet pauperatem illam cœleſtium remunerationum quam ab eo inuectam dicit Concilium Mediolanenſe, reſcribens ad Syricium Papam; tandem Honorij reſcripto quod habetur in *Cod. Theodoſ. L. 53. de Hæret.* agentibus Epiſcopis, qui eum Romæ extra vrbis mœnia ſacrilegos agere conuentus expoſtulabant, damnatus eſt, vt plumbo contuſus, in Boam Dalmatiæ Inſulam deportaretur in perpetuum. Ibi quod *Gennadius lib. de viris illuſtr. c. 75.* ex Paulo Preſbytero tradit, inter luxurioſas epulas, Spurcus Apoſtata putentiſſimum ſpiritum exhalauit, dignus quem nouitia hæreſeon monſtra, vt inſtaurati Epicureiſmi, ſic Apoſtaſiæ & teterrimi exitij antecurſorem agnoſcant.

Monachus ſub D. Auguſtino.

MOnachus Anonymus in D. Auguſtini monaſterio, lapſus eſt ex peruerſo intellectu præſcientiæ. Eum ſic deſcribit *S. Auguſtinus lib. de dono perſeuer. c. 15. Fuit quidam in noſtro monaſterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, reſpondebat; qualiſcunque nunc ſim, talis ero qualem me Deus eſſe præſciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc verò non proficiebat in bonum; ſed vſque adeò profecit in malum, vt deſerta Monaſterij ſocietate, fieret canis reuerſus ad ſuum vomitum.* Rectè *Petrus Bloemenenus in Appendice ad librum Dionyſij Richelij de prædeſtinatione*, admonet cauſam exitij & huic Monacho & pleriſque improuidis ad hunc ſcopulum naufragantibus, eſſe quod duntaxat intenti in eam *ευδοκίαν* ab Apoſtolo & SS. Patribus erga electos celebratam quæ non eſt in hominis poteſtate, dimittant conſideratione ſua intactum illum actum quo Deus decernit efficere vt gloria quam illis beneuolè ab æterno voluit, obtingat per opera bona & executionem diuinæ legis, quæ executio eſt in hominis poteſtate & eius ſolius conſideratio eſt vtilis. Alia ad quietem ea in parte, ſuppeditat *D. Bonauentura 2. p. Stimuli amoris cap. 2.* Furebat ergo hic Apoſtata, ſi ex diuina erga ſe cura & prædeſtinatione (de ea enim egiſſe videtur, vt notaui in *Valeriani Apologia cap. 4. numero quarto*,) colligebat faciendam eſſe carnis curam in deſideriis. Nec plus ſapuit ſi idipſum collegit ex prænotione diuina ſimplici, quæ reuera nihil ponit in obiecto ſuo, ſed præſupponit illud; vt probatum eſt in Morali & in Naturali Theologia.

Pelagius.

CAP. IV. *Syllabus et ſignum Apoſtatarum.*

HIc Iouiniani ſurculus fuit, vt habetur ex *S. Hieronymo in præfatione Dialogorum contra Pelagianos*; qui alibi non ſemel, eum in Sco ia natum docet; & nominatim in *Præfatione lib. 3. in Ierem.* Migraſſe verò in Orientem, ibique aliquamdiu, vel veram, vel ementitam ſanctitatem profiteri viſum, & inter magnos illius temporis Monachos habitum, docet *S. Chryſoſtomus Epiſt. 4.* ad Olympiam, in cuius limbo, auditum abs ſe caſum Pelagij cum memoraſſet, commoueri ſe affligique vehementer, ex tanti viri ruina, fatetur. Sanctus quoque Auguſtinus, Pelagium nondum compertum hæreticum, celebrauit aliquando, tanquam caſta vita, moribuſque laudabilem, *lib. 2. de peccat. merit. c. 16.* Ad Pelagium quoque, & ſeductos ab eo ſocios, pertinet illud *S. Proſperi, Epiſtola ad Demetriadem. Multi ſeruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditantes crucifixerunt carnem ſuam cum deſideriis & concupiſcentiis, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt, non damnis victi, non perſecutionibus fracti, non proſperitatibus depravati; mundum iſtum nec dilexere obſequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam ſublime propoſitum, qua impugnatione diabolus poſſit adoriri; niſi vt quibus non potuerat perſuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem: & inde nouiſſima inſtrueretur tentatio; vnde nocuit prima deceptio? Non itaque deſidioſis, & tepidis, neque inertibus & incultis, ſed magis quibuſdam animis ſedulis & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepſit humanam: & quos impulſione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores ſuis inuenit inſidiis. In paradiſo namque Eccleſiæ conſtitutos, & virtutum delitiis abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus ſuos in ſe conſtituerent, & ad arborem propriæ voluntatis, manum præſumptionis extenderent.*

Fuit ergo Pelagius initio, vel reipſa bonus & ſanctus, vel ſecundum externam ſpeciem de qua ſola homines pronunciare poſſunt. Id quod illi cum Iuda Apoſtatarum primo, commune fuit. Nam initialem Iudæ ſanctimoniam, multis ſuo loco firmauimus. Alij item plerique Apoſtatæ, cum ſpiritu cœpiſſent, carne ſunt conſummati, vt ex iis quæ diximus, & aliis quæ inferius ſubiiciemus perſpicuum erit. Monere hoc neceſſe fuit circa Pelagium, ne cui ſcrupulum iniiciant illæ eius laudes quæ apud aliquos Patres leguntur, referendæ ad tempus quo nondum venenum ſuum effuderat, & in eam profanitatem venerat à qua eum denominat in aureo Commonitorio *Vincentius Lyrinenſis.*

Nec ab eruditione & facundia fuiſſe deſtitutum, colligere licet ex illius nonnullis operibus quæ ſuperſunt. Eius quippè eſt, diſertiſſima illa ad *Demetriadem Virginem Epiſtola*, eo principio, *ſi ſummo ingenio*, quam peſſimè aliqui *Hieronymo*, cuius *Tomo* 9. habetur, nec benè *Sixtus Senenſis l. 4. bibl. in fine*, Iuliano Celanenſi, alii autem (quod refert Marianus Victorius,) Cæleſtio tribuendam eſſe cenſuerunt. Sed verè eſſe Pelagii, monuit iam pridem *Sotellus in præfatione ad Proſperum, & qui in Louanienſi editione notas attexuit Tomo 2. D. Auguſtini ad Epiſtol.* 17. Diſertè ſanè *S. Auguſtinus l. de gratia Chriſti cap. 22. & pleriſque ſeqq.* eam lucubrationem tribuit Pelagio. Eſt autem artificioſiſſi

Cap. IV. Syllabus inſignium Apoſtatarum.

ficioſiſſimè & pereleganter conſcripta, vt non immerito grauiſſimi illius temporis Patres, veriti ex tantæ Virginis deprauatione, magnam aliquam peſtem aſſlandam Eccleſiæ in conſuſationem illius Epiſtolæ, ſubitò & potenter exſurrexerint; vt S. Innocentius I. S. Hieronymus, & S. Auguſtinus Epiſtolis ad Iulianam Demetriadis matrem; & S. Proſper Epiſt. ad ipſam Demetriadem. Pelagij quoque eſſe, breues in Paulinas Epiſtolas commentarios, dempta ea quæ eſt ad Hebræos, ex *S. Auguſtino* intelligimus *lib. 3. de peccat. merit. c. 1. & 12.* vbi ex illis Commentarijs quæ Pelagio tribuit, citat nonnulla, quæ in commentariis prædictis, etiamnum extant. Si autem hæreſes non rarò inſperſas demas, (*vt in cap. 5. 6 7. 8. & 11. ad Rom. in cap. 4. prima Cor. in cap. 1. & 3. ad Philipp.*) ſunt commèntarij illi, non prorſus ineruditi, nec ruſticani pectoris fœtus. Nimirum ſicut Satanas & pinguem hæreſim Epicureiſmi inſtauratricem, per Iouinianum, pinguem & benè curata cute porcum, ingenij hebetis planeque animalis propoſitam voluit, quod ipſa per ſe nuda propoſitio carneæ hæreſeos, ſatis habitura eſſet pellaciæ ad ineſcandos mortales; et quemcunque proponeretur; ita cum de ſubtili & ſpirituali (ſi dicere fas eſt,) hoc eſt, non carnis negotium ex inſtituto promouente hæreſi, inducenda in orbem eſt actum, prouidit ſibi Satanas organum conditionis longè alterius à Iouiniano Spurco & imperito ſue; hominem inquam ſpecie externa ſpiritualem, nec ineruditum, qualis reuera fuit Pelagius. Nam quod *S. Hieronymus præfatione ad librum primum in Ierem.* cum vocat *indoctum calumniatorem*; & mox *ſtolidiſſimum Scotorum pultibus prægrauatum*, ad eas priuatim calumnias pertinet, quibus S. *Hieronymi commentarium in Epiſtolam ad Epheſios lacerauerat.* Vnde ea D. *Hieronymi* verba, nequaquam vniuersè Pelagio eruditionem abrogant.

Hic igitur, aliquamdiu aut verè, aut in ſpeciem ſanctus, nec ineruditus Monachus, concepto tandem veneno nefandiſſimæ hæreſeos, aduersùs diuinam gratiam bellantis, & pro natura quaſi gratiæ ad quiduis agendum non indiga Nembrotheo auſu pugnantis, relicto clauſtro, quærens quos conceptis erroribus dementaret, iam canus vagari cœpit; quod in eo damnat *Iſid. Peluſ. lib. 1. epiſtol. 314.* quaſi omnium menſas ſcrutandi ſtudio id faceret. quanquam diffuſionem potius ſuæ hæreſeos captaſſe, eſt plus quam veriſimile. Nec defuit malè locatæ operæ peior fructus. Per Ægyptum enim, perque Palæſtinam & Africam, vagatus Pelagius, Romæ etiam diu moratus, fermentum corruptiſſimæ doctrinæ innumeris ad larnam ſanctitatis eius minus attentis immiſcuit; præſertim cum doloſitate malignisſima, iis ambiguorum verborum inuolucris nefanda ſenſa tegeret, quæ poſſent facilè bonam interpretationem apud incautos admittere. Nam & gratiam Dei, cum res ferebat, admittere videbatur: ſed de beneficio naturæ diuinitùs conceſſæ, vel de gratia externa, aut quæ ob obiecti propoſitionem naturaliter excitatur, gratiam illam ſuam intelligebat, vt *S. Auguſtinus epiſtol. 95. notauit.* Iiſque ſubterfugiorum præſidiis, correptus ab iis quorum autoritatem non poſſet defugere, ſecuritatem ſibi & ſuis erroribus parabat. Nec deerant aliæ calliditates verborum, vel potius aperta mendacia, quibus pro loco ac tempore, nunc hanc, nunc illam ſuſcipiebat ſuſtinebatque perſonam, imponens iis quibuſcum agebat. Vſque adeò, vt ſynodum quoque Dioſpolitanam in Palæſtina, (*miſerabilem ſynodum*, vocat idcirco *S. Hieronymus Epiſtola 79.*) circumuentam deceperit: quod ex S. *Auguſtini* Opella nuper reſoſſa de geſtis Pelagij, per plene habetur.

Actum de eius erroribus, ſingulatim & diligenter ſuo loco. Perpaucis Cardinalia capita complexus eſt *S. Proſper Epiſt. ad Demetriadem* verbis illis: *Inuenerunt quoſdam viperina conſilia, quibus doctrinæ ſuæ virus infunderent, & quorum linguam per dolos falſa rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humana fraudulenta laudatio, & illa per omnes homines originalis defenſio dignitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo poſteris aſſerebatur nocuiſſe, non tranſitu: & quam illi poſſibile fuerat non violare mandatum, tam liberum eſſe vnicuique declinare delictum. Hinc euacuatio baptiſmatis paruulorum, qui ſola adoptione donari, nullo tamen reatu dicerentur abſolui. Hinc poſtremò diuinæ gratiæ ſimulata & inſincera confeſſio, quæ ſecundum merita daretur, non ex qua merita naſcerentur.* Habes hic ſummam breuem errorum Pelagij, inter quos non video recenſeri inficiationem gratiæ habitualis ſanctificantis; Omnia enim quæ Concilia & Patres aduersùs eum proferunt ad ſolam gratiam actualem pertinent quam ille funditus euertebat niſi nomine tenus, vt obſeruaui in Diſquiſitione pro *Valeriano cap. 4 num. 20.* vbi item addidi problema eſſe, num Pelagius expunxerit diuinam cum cauſis ſecundis cooperationem & nominatim cum voluntate libera. Qua in parte aliqui Pelagium ſugillant, alij purgant. Siue autem Pelagius reipſa inficiatus ſit gratiam habitualem ſanctificantem, ſiue circa eius duntaxat adeptionem per gratiam actualem ſit lapſus; quod tamen eam gratiam quæ quieſcentibus nobis exornat animam, apertè non tolleret, nec exaggerationes virium naturæ in quibus totus erat Pelagius eam gratiæ habitualis inficiationem ſpectarent, ſed ſolam gratiam actualem, propterea inter Pelagii errores, nulla apud Patres ei aduerſatos ſit expreſſa mentio excisæ gratiæ habitualis, tametſi eſt ſatis veriſimile eum reipſa non agnouiſſe alium ſtatum quam naturæ puræ.

Cæterum infœlix Apoſtata, poſt multas tergiuerſationes & fraudes, in Conciliis Africanis agente maximè S. Auguſtino, & Romæ ab Innocentio ac Zozimo ſummis Pontificibus damnatus, accedente Honorii Imperatoris reſcripto, actus in exilium, in peccatis ſuis mortuus eſt; ab occulta præſertim ſuperbia actus in præceps. De eo multa *Harpsfeldius in Anglicana Hiſtoria Eccleſiaſtica ſeculo. 5. cap. 18. 19. & 20.*

Lampetius.

HVius Monachi defectionem ſic deſcripſit *S. Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſtol. 13. Quo tempore ad ſublimis & excelſæ vitæ montem accedebas, atque abluta veſte ac ſenſibus, ad diuinorum dogmatum auditionem pectus adornabas, terrenarum rerum memoriam prorſus abiicere conſtituiſti, vt ad virtutum arcem perueċtus tum Deum oracula edentem audires, tum eo veterem legem in carnalibus tabulis inſcribente, tabula ipſe diuinitus confecta exiſteres. At verò nunc, illud de te omnium ore decantatur, te quidem ſalutis aratrum prompto atque alacri animo arripuiſſe, verùm per ignauiam ac torporem, retrorſum rurſus conuerſum eſſe. Quamobrem ſi te Simonis exēplum non terret, qui cum baptizatus fuiſſet, ac miniſtris Chriſti comitem ſe prabuiſſet, rurſus ad res eas quæ ex materia conſtant, reuerſus eſt, (ob idque etiam ex alto miſer in mortem multorum ſermone celebratiſſi*

lebratiſſimam præceps ruit, vt ex vna ipſius ruina perſpicuum omnibus fiat, quibus ſupplicijs digni ſint, qui cæleſte curriculum mentiuntur;) Simonis veſtigijs animique inſtituto hære. Sin autem quiſquis mentis ac rationis compos eſt, hanc pœnam in hoſtibus quoque horret ac deprecatur: pacta cum Deo inita exple, ipſiuſque vineam diligenter ac ſedulo cole. Nam merces cum eo eſt, quam vnuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet.

Eutyches.

MOnachus, imo Archimandrita Conſtantinopoli anus, incenſiſſimo Neſtorij odio flagrans, eoque nomine a *S. Leone* aliquando laudatus, vt dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt, decennio a Neſtorij damnatione, vt notauit *Anaſtaſius Sinaita cap. 5. ὁδηγ.* fœdam hæreſim fœdiore errore cumulauit. Nam Deitatem in vnam veluti maſſam cum humanitate, in Chriſto commixtam, quid eloqueretur non intelligens, monſtroſa fabuloſitate commentus eſt. Impiam & prodigioſam Synuſioſin, vocauit S. Euthymius, diſputans cum Legatis impij Theodoſij Pſeudomonachi, Hieroſolymitanæ ſedis inuaſoris, & Eudociam Auguſtam ab eo dementatam, reducens ad mentis ſanitatem. De Eutychetis accuſatione per Euſebium Epiſcopum Dorylæi, illum ipſum qui etiamnum Laicus, Neſtorium primus accuſarat, legendus liber nuper editus de Geſtis Acacij. Quanquam hunc Proteum, multiformiter, & inſigni cum inconſtantia in ſua hæreſi explicanda verſatum, diligenter eo opere monſtrauimus, quod de Chriſto dedimus. Stupor & obfirmatio in malè concepto errore, ruinam huic, mandræ non tam pecuario quam pecudi, creauerunt. Nemo porrò ſatis explicet, quantis hic perditus Apoſtata malis, compleuerit Orientem vniuerſum, ac Meridiem; vbi innumerabiles, quanquam non niſi nomine tenus Monachi, erroribus eius tenaciſſimè adhæreſcunt, nunc quoque; feſſi iam olim ſunt eius ſectatores in permultas propagines, Eutychianorum, Monophyſitarum Seuerianorum, Monothelitarum, Acephalorum, Iacobitarum; & alias quibus miſerè deformatus eſt Oriens, per Monachos, luculenti erroris ab impuro hoc Monacho imo Apoſtata adinuenti, vel potius renouati perſtudioſos. Non igitur reuera *Eutyches*, ſed *Infeliciſſimus* nominandus fuit, nefandus hic Apoſtata, prout *Quintianus Aſculanus Epiſtola ad Petrum Fullonem*, nomen *Eutychetis* immutauit. Fœde porro vt in hac clauſula hoc moneam, hallucinatus eſt circa Eutychen *Prateolus l. 5. Catalogi V. Eutychiani*, confundens Eutychen Archimandritam cum S. Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui cum S. Gregorio de reſurrectione corporum conflixit, quod perperam factum, vel cæci videant.

Faſtidioſus.

DE hoc, ita *Victor Epiſtol. ad S. Fulgentium. Venerabilem Monachorum ſpiritualem vitam, & ſecundum ſeculum quaſi viliſſimam faſtidiosè contemnens, vſque ad cedros Libani euolans, ſe peruenisse gloriatur &c. Qui emendicatis hinc inde ſermonibus; aduersùs rectam fidem & Catholicam veritatem, uiſus eſt oblatraſſe & Homouſianos (quos nos eſſe appellauit,) & Donatiſtas, obiectionum ſuarum iaculis, quaſi vulnerans, ſibi poſtea Catholicam vindicauit.* Miſit *Victor ad S. Fulgentium*, cum his literis, Apoſtatæ huius ſermonem, qui hodieque inter D. Fulgentij ſcripta legitur, cum ſubiuncta per Sanctum virum confutatione, cuius ipſo initio ita ſcribit *S. Fulgentius. Subiectum repers quem mihi refellendum deſtinaſti, Faſtidioſi ſermonem. Quo recenſito, tanto dolui perditum, quanto magis ſum compulſus exhorrere blaſphemum; quem nouimus poſt Chriſtianam fidem, poſt monachi profeſſionem poſt presbyterij honorem, quem in conſpectu hominum cepit, & coram Domino non habuit, à via veritatis auerſum, & ſuæ prorſus redemptionis oblitum, factum fuiſſe fornicationis ac luxuriæ ſeruum, & ex hoc reſpuere maieſtatis diuinæ ſeruitium. Inde eſt quod ex Catholico factus hæreticus, ac de malo theſauro cordis ſui proferens mala, contra rectam fidem; contra Catholicam veritatem non immerito illum ſermonem veneno impietatis crapulatus euomat: quando panem vitæ reſpuit, & ſalubrem veræ fidei cibum ſui nominis iudicio faſtidioſus abiecit.*

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Rurſus fere *in fine reſponſionis, cap. 21.* vir ſanctus, cauſam Apoſtaſiæ impij huius excucullati, carnis ſpurcitias fuiſſe, his verbis docet. *Iſtam fidem ſi miſer Faſtidioſus non negaret, ſine dubio non periret. Sed quoniam & factis eam negauit, & dictis, mirum non eſt, quia opere peſſimus factus eſt, & iam ſermone peruerſus, & ambulans in tenebris, inimicus, extitit lucis. Fornicatio quippè corporalis, quæ illius primò mentem, carnemque poſſedit, ipſa eum conſequenter ad præcipitium ſpiritualis fornicationis attraxit. Tulit enim membra Chriſti, & fecit membra meretricis; Et ideo non dubitauit caſtitatem fidei perdere, quia non ſe doluit caſtitatem corporis amiſiſſe. Ecce quantum malum luxuria carnis, quæ illum miſerum vſque ad negationem potuit perducere veritatis. Hæc fuit tempeſtas, quæ paleam de area dominica rapuit, & vepribus hæreticæ impietatis infixit. Hæc illum fecit contra ſuam conſcientiam loqui, & in contumeliam ipſius Trinitatis peruerſo ſermone verſari. Neque enim verum credebat eſſe quod dixit; ſed iam duplici corde, maluit aliud dicere quam credebat. Qua deſperatione poſſeſſus, vt ipſe ſibi auferret ſpem remiſſionis, voluit per licentiam implere delectamenta libidinis. Ex ore itaque ſuo quo iuſtificari debuit, augmentum condemnationis accepit, quando lingua eius, quæ debebat pœnitentiæ verba proferre, protulit blaſphemia. Illuc itaque miſer faſtidioſus maluit tranſire, vbi & contra Deum ſacrilega procacitate latraret, & in ſuis fornicationibus, qui timorem Dei non habuit, etiam hominem non timeret.*

Per duos tantùm annos in ſuis ſordibus volutatum, Spureum hunc ſuem, docent, quæ non ita multo poſt eius interitum, *cap. vltimo* reſponſionis, ſunt conſignata. *Vbi ſunt nunc duo anni illi, quos Faſtidioſus quaſi felices habuit, quia eos, ſicut voluit, libidinoſus in fornicatione conſumpſit? Quam celeriter tranſierunt? Qui etiam non ſolum ducenti, ſed etiam duo millia ſi eſſent, cum celeritate tranſiſſent. Quid autem miſer faciet, cum ad iudicium illius venerit, quem negauit? Quid recipiet pro talibus factis & dictis? Quid ille recipiet, ille corpore luxurioſus, corde cæcus, errore blaſphemus, qui prius in ſe templum Dei fornicatione violauit, deinde corpore quoque ab Eccleſia ſeparatus exiuit. Quid recipiet ab illa ſancta Trinitate, qui maluit ſeruus eſſe luxuriæ atque perfidiæ? Quid vtique niſi ignem æternum quem talibus conſtat operibus preparatum? Et in hoc quidem tempore cito finita eſt Faſtidioſi fornicatio, cuius tamen in illo igne non finietur æterna combuſtio.* Hoc vtinam recogitarent porcini illi homines

Syllabus inſignium Apoſtatarum.

homines qui transferentes Dei noſtri gratiam in luxuriam, vt S. Iudas dixit, à fidei Catholicæ caſtris, tranſgrediuntur ad haras hæreticorum. Verè enim à *Gregorio Nyſſeno Oratione in ſuam Ordinationem ſub medium*, dictum eſt, Hæreſim eſſe meretricem voluptatibus quaſi præſtigiis ineſcantem improuidos, omnia ſua cum illa prodigentes viuendo luxurioſè. Adducit varia in eam rem exempla *Alphonſus de Caſtro l. 1. aduersùs hæreſes c. 11. ſub finem.* Et multo plura aceruari poſſent, cum ex veteri hiſtoria Eccleſiaſtica, tum ex nupera. Notum quibus gradibus Lutherus ad voraginem in quam innumeros ſecum mittere abripuit, ſit deuolutus. Nam de Caluini & Theodori Bezæ horrendis ac ne nominandis quidem ſpurcitiis, quibus ad omnem impietatem proluſerunt exemplo Faſtidioſi, ſilere præſtat cum res ſit peruulgatiſſima & turpiſſima. Digna eſt clauſula quam ſubnectit, *S. Fulgentius* quæ omnibus intra ſacras familias degentibus, occinatur. *Fugiant ergo Chriſtiani vtramque fornicationem, quam miſer Fadidioſus incurrit, vt cuſtodientes animas ſuas, caſtitatem ſeruent & cordis & corporis.*

Seuerus.

SEuerus Sozopolites in Piſidia, Anaſtaſio Imperatore ex Monacho factus Apoſtata, innumeris modis afflixit Eccleſiam, verbis & ſcriptis exagitans Catholicam veritatem, à qua miſer per corruptiſſimos mores excidit. Eum primo fuiſſe Ethnicum; & quod Ethniciſmo affine vitium eſt, Magum atque veneficum, prodidere qui eius res geſtas egerunt. Cum vero in Eccleſiam irrepſiſſet, & Monachis quoque adſcriptus eſſet, honoris cupiditate, Simoniace pactus eſt cum Anaſtaſio Imperatore, ſi Flauiano exturbato promoueretur in Epiſcopum Antiochenum, reſciſſioni & abrogationi Concilij Chalcedonenſis eadem ipſa promotionis ſuæ die ſubſcripturum, quod erat Anaſtaſio optatiſſimum, proindeque deiecto nefariè Flauiano, Seuerum intruſit. Qui promiſſa exſoluturus, omnem lapidem mouit, vt fides Catholica euerteretur. Horribilia vel lectu ſunt, quæ de impij huius Apoſtatæ facinoribus, apud illius æui rerum ſcriptores leguntur. Videndus nominatum Liberatus in Breuiario cap. 19. Theorianus in legatione ad Armenios *ſub medium* S. Anaſtaſius Sinaita in viæ Duce, paſſim; Theodorus Presbyter Antiochenus in Iſagoge ad libellos S. Anaſtaſij de recta fide. Sed præcipuè Monachi Orientales in libello quem porrexerunt Mennæ Patriarchæ, ac quintæ Synodo, actione 1. vbi Seueri ſcelera ſigillatim diluteque pertexuntur.

Sergius.

MOnachum hæreticum & idcirco è monaſterio ac patrio ſolo extorrem, ſcribit *Euthymius titulo 24. Panopl.* amicum fuiſſe Mahometo, & ſolatum eſſe huius lectiſſimi Satanæ organi vxorem, cum vehementer mœreret, quod diues ipſa & honorata, Mahumeti nupſiſſet, & pauperi, & epilepſia afflicto. Inito autem cum Mahomete pacto, vxorem eius admonuit Monachus, non eſſe quem Mahometes patiebatur, communem morbum, ſed in eum collabi, quoties Archangeli Gabrielis ad ipſum vt potè Prophetam ventitantis, conſpectu frueretur, ad ediſcenda Dei myſteria, & res futuras. Quibus Monachi Apoſtatæ alloquiis, Mahometo ad vxoris gratiam, & gentis ſuæ principatum, aditus patuit. Hunc Apoſtatam quem Euthymius innominatim dimiſit, Sergium Neſtorianum vocant *Petrus Cluniac. lib. 5. epiſt. 16. Cuſanus lib. 1. Cribrationis Alcorani cap. 1. & Prateolus V. Sergius*; At iuxta alios, alteram iniquitatis ſectam profeſſus eſt? Eum ſanè Monachum qui Mahumeti in ſtruenda ſua infami ſecta aſſuit, fuiſſe Arrianum, teſtatur præter Euthymium titulo illo 24. Anaſtaſius Bibliothecarius, illis in Eccleſiaſtica Hiſtoria verbis. [Cum teſtimonium ei daret quidam Pſeudomonachus Arrianus, qui ob malam fidem, Conſtantinopoli è monaſterio Calliſtrati exterminatus erat.] Idem pariter habet Damaſcenus l. de hæreſibus ad finem. Nam quamvis editio Billij tantum habeat, Mahumetem ex colloquio cum Arrianis, nugas ſuas concinnaſſe, tamen Damaſceni codices Græci, vt Ducæus notauit, memorans diſertè Pſeudomonachum Arrianum, qui Mahumeti adiutor fuerit. Veriſimile eſt quod Prateolus addit: Nempe Sergium; hunc Pſeudomonachum primò Arrianum, deinde Neſtorianum, multa peruersè docuiſſe Mahometem, ex quibus ferè compactus ſit Alcoranus: quod enim ſcripturas & veteris & noui inſtrumenti calleret, afflictis earum interpretationibus, vel potius obtorſionibus, Mahometo pecori potius quam homini, ea deliria è corruptis ſcripturis obtruſit, quibus ſcatet Alcoranus. Ex hoc fœtu patet, Sergium hominem carneum ac ſpurcum, omnibuſque lutulentius ſordentem fuiſſe, ſicque in Apoſtatam euaſiſſe, dignum Magiſtrum hominis *Vaccini* atque *porcini*. Sic enim Mahumetem merito nominat *Gulielmus Pariſ. l. de legibus c. 18.*

Sergius, & Stephanus.

HOrum duorum Apoſtatarum memoria, conſignatur in vita Sancti Stephani Iunioris, quam ſuæ B. Damaſceni editioni, attexuit Billius. Non enim vt hoc obiter moneam, conſcripta eſt ab ipſo Damaſceno, vt cenſuit qui illa Acta Operi de vita Patrum Occidentis inſeruit; quandoquidem in illis actis memoratur magna cum laude S. Damaſcenus, cum furor in eum Conſtantini Copronymi refertur. Sed ad rem. In illis Actis, hæc primùm de Sergio Apoſtata habentur, cum agitur de malis artibus Calliſti patritij ad frangendum Sancti Stephani animum, & eum in hæreſim Iconoclaſtarum pertrahendum ſubmiſſi. *Cæterum illo κάκιστος potius, hoc eſt peſſimus, quam Calliſtus, cum vnum ex Sancti viri diſcipulis, nomine Sergium, de quo iam nos verba facturos eſſe promiſimus, remotis arbitriis accerſiuiſſet, ac verſutis quibuſdam ſermonibus & pecuniis eum corrupiſſet, miſero illi perſuadet, vt non Iudam ſolum proditionis reum agi ſinat, ſed ipſe quoque rurſum patris ac præceptoris ſui proditorem ſe præbeat. Confeſtim igitur in ipſius perniciem meditari non deſiit, atque omnem artem adhibere, quo magnum illum virum caſſibus ſuis implicitum teneret. Vt autem fruſtra ſe laborare, ac nihil efficere perſpexit. (Cur enim ſacram illam animam, atque ab omni reprehenſionis nota immunem aggrediebatur?) ſtatim à ſancto ouili digreditur, velut nimirum filius improbus atque alienus, à ſemita recta claudicans: atque ad eum, qui legendis Nicomedienſis ora vectigalibus præerat, Aulicalamum nomine, accedit, eumque ſocium, & adiutorem in his quæ aduerſus ſanctum virum ſtruebantur, adhibet. Ambo igitur in capitis ſui perniciem inito conſenſu, libellum in eum calumniis refertum peruerſiſſimo animo conſcribunt.*

In

In quo primum illud inſerunt, eum Imperatoris tanquam hæretici, memoriam execrari, ac diris deuouere, utrumque Syrum ac Vitelium appellare, atque aduerſus ipſius maieſtatem machinas moliri, aliaque permulta, quæ ob prolixitatem, & inutilem loquacitatem, intempeſtiuum ac ſuperuacaneum eſt commemorare. Poſtremò de proba illa ac præclara Anna, quam ipſe mundum fuga relinquentem in Monacharum numerum atque ordinem adſcripſerat, hoc ponunt; quod mulierem quandam nobili loco natam, fraude circumuentam monaſticis inſtitutis initiaſſet, atque in inferiori monaſterio teneret, cum eaque noctu ad ipſum aſcendente conſuetudinem haberet. Ac ipſius ancillam pecunia corrumpunt, eique tum libertatem, tum aulici cuiuſdam connubium pollicentes, hoc perſuadent, vt aduerſus eam ſimul ac ſanctum virum, conſentanea iis diceret, quæ illi in illo calumniis pleno libello contexuerant. Hactenus de impiȷ Sergii, velut rediuiui Iudæ apoſtaſia & inſidiis ſtructis præceptori ſanctiſſimo.

De Stephano autem inferiùs hæc habentur in iiſdem Actis. *At verò omnes ipſius* (B. Stephani) *diſcipuli ab Auxentiano monte depulſi, tanquam oues vndique aberrabant, paſtorem ſuum quærentes. Tandem autem cum iam in Proconneſum veniſſent, inuenerunt, duobus duntaxat exceptis, qui a præclariſſimo illo ouili, vt à diuino duodenario Iudas, vel potius vt à Paulo Demas, & Hermogenes, ſeſe auulſerant; ac pro monaſtico habitu, mundanum induerant, nimirum Sergio, de quo ante verba fecimus (qui etiam inuectiuum atque execrandum aduerſus ſanctum virum volumen condidit;) ac ter miſero Stephano, qui cum Presbyter ac ſupradicti Calliſti miniſter primum extetiſſet, ac deinde à ſancto viro in Monachorum album adſcriptus fuiſſet, atque in montis monaſterio ſacerdotis munus obiiſſet, poſtea tamen & monaſticum habitum, & Deum eiurauit, atque ab ipſomet Tyranno mundana veſte indutus (quâ prius vitam abiicere oportebat), nefariam illam vocem emiſit (ô ſcelerata labra! ô impuram & fœtidam linguam!) Hodierno die, Here, à Satanicis fanaticis operâ tua ereptus, ac tenebroſo amictu exutus, ſplendidum pallium indui. Cuius execrando ſermone Tyrannus ſummoperè delectatus, Pophiani palatiȷ miniſtrum, eum conſtituit. Quo etiam crebrò commeans, gaudiȷ patrem, eum qui multis luctibus dignus erat, appellabat. His itaque ſolis ob ouili ſacroſancto auulſis, cæteri omnes ad Proconneſum, vt à me dictum eſt, appulſi, monaſterium conſtruxerunt.* Georgium qui triduo poſt cooptationem ſuam à S. Stephano defecit, ægrè apoſtataſſe dixerim, cum adhuc tyro eſſet, quando fidem & ſanctum habitum eiecerit, vt in Actis illis S. Stephani refertur c. 26. vbi eius impietas ſuis coloribus exhibetur.

Theodotus

Hic in finibus Thraciæ, ad freti anguſtias Monachum egerat, vt ſcribit S. *Nicephorus Conſtantinop. in hiſtoria, ad annum. 693.* Poſtea verò abiecta cuculla in Palatium adrepſit, & Iuſtiniano Rinothmeto, homini truculentiſſimo percharus fuit: vſque adeò vt illum conſtitueret publici ærariȷ præfectum, quem *Logothetam* vulgo nuncupabant. Vt autem truculentiæ & rapacitati Imperatoris belle reſponderet, cum ſubditos expilabat, ſtipularum fumo cruciabat ſublatis funibus diu extentos, donec pecuniam impoſitam penderent. Tum etiam illuſtres viros proſcribebat, ac pœnis intolerabilibus necabat. Porrò cum Leontium Patricium, quem Iuſtinianus ingratiſſimè habuit, & longo carcere vexauit, Theodotus cum impie atiȷ conſorte Stephano Spadone fiſci Præfecto, grauiter læſiſſet; poſtmodum verò Leontius (quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo) Iuſtinianum è clauo imperiȷ deiectum & ad gladium à plebe Conſtantinopolitana poſtulatum, pro amicitia cum Conſtantino Iuſtiniani patre, parcens eius vitæ, lingua & naſo truncatum deportaſſet in vrbem Cherſonam; In ea rotæ fortunæ conuolutione, nihil antiquius habuit Leontius, quam in duos improbitatis Iuſtiniani adminiſtros, Stephanum, & Theodotum Apoſtatam animaduertere. Itaque comprehenſos, & pedibus alligatos, ac per vrbem Conſtantinopolitanam ad Bouis forum attractos, igne combuſſit, anno 694. quo iſta narrat S. *Nicephorus.*

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum*

Complures ſub Conſtantino Copronymo.

EOs ita conſtipat S. *Nicephorus Conſtant. in eadem hiſtoria ad annum. 765.* poſt deſcriptam Bulgariæ per Conſtantinum vaſtationem. *Inter hæc, Imperatoris impietas multo inſolentiùs efferri, ac Religioſorum hominum, & conſecratorum vita omnis irrideri, ac ludibrio haberi. Sed in ſancta Monachorum collegia præcipuè vis illa bacchata eſt. Qui enim ex illorum ordine in ſuſcepta profeſſione perſiſterent, ac vitæ ſuæ cultum, & inſtitutum conſtantiùs retinerent, aut illorum ſacrilego dogmati repugnarent, variis pœnis, & exquiſitis tormentis ſubiecti ſunt. Aliis barba flammis exuſta, aut cum ea parte traherentur, violenter euulſa. Aliis ſacrarum tabularum quibus ſanctorum effigies inſcriptæ erant, illiſu capita diffracta ſunt: nonnullorum oculi ſuffoſſi, aliȷ aliis corporis partibus crudeliſſimè mutilati. Ita pietate omni, ac religione pulſa, & Gentili ſuperſtitione denuò velut introducta, ſcelerum machinæ omnes admotæ ſunt, quibus ſanctis hominibus inſultare, ac nocere ſtudebant. Ex quo factum eſt, vt nonnullos in eandem ſecum perniciem, atque exitium traherent; qui illorum impio dogmati ceſſerunt, partim violentia impulſi, partim dolo circumuenti, partim adulatione decepti, aut pecuniarum illecebra capti, aut Magiſtratuum ſpe, ac præfecturarum militarium inducti, aut aliis denique nefariȷ hominis inſidiis, ac fraudibus irretiti, eiurata profeſſione, ac Religioſo illo cultu depoſito, ex attonſis in comatos mutati ſunt, atque ad laicorum ſpeciem traducti, cum vxoribus etiam copulati ſunt, & earum ſe contuberniis illigarunt. Quod ab illis eo animo gerebatur, vt ea re (quantum in ipſis erat) Deo ignominiam facerent, & Eccleſiæ dignitatem minuerent.* Hæc poſtremo, non tam in ipſos Apoſtatas cadunt, quam in Conſtantinum eiuſque improbos aſſeclas, quibus odium immane Monaſtices feruebat in pectore vt docent etiam quæ anno 766. à S. *Nicephoro* recitantur de Conſtantino.

Ebroinus.

HVius ſub humana ſpecie ſingularis feri, vel tigridis, & ſi quid eſt truculentius, defectionem à Religioſo Ordine, veramque Apoſtaſiam, non ita multi videntur agnouiſſe. Eum tamen Apoſtatis innumerant graues Autores, quorum teſtimonium conuellere non licet. Acta S. *Leodegariȷ* nuper edita, *cap. 8.* cum Iuliano Apoſtata illum componunt, eo quod vterque à Religioſo ſtatu defecerit: moxque ibidem vocatur *canis reuerſus ad vomitum.*

CAP IV. *Sylalus inſignum Apoſtatarum.*

mitum, & ſacræ deſertor militiæ. Affinia habet *Ado in Chronico anno 696.* Autor Anonymus Chronici à Dagoberto ad Pipinum. *Ebroinus* (inquit,) *de Luxouio egreſſus, & Apoſtata factus.* Ac ne hæc de impropria apoſtaſia, quæ ad omnem a Religioſo inſtituto receſſum extenſa voce diffunditur, accipienda quis putet, extat locus ineluctabilis in vita S. Philiberti Abbatis, quo planè conſtat, Ebroinum verè fuiſſe habitum Apoſtatam. Sic enim ibi habetur cap. 19. *Cum peſtifer Ebroinus, qui à Francorum genere pro nimia crudelitate de Palatino honore fuerat pulſus, coma detonſa, Clericus Luxouium ingreſſus, Apoſtata factus, ſpiritu malignitatis armatus, cœpiſſet rabidis dentibus ferri ſuper nobiles, ſacerdotes, & Francos, atque conſentientibus plurimis contra mandatum Dei, recepiſſet locum honoris priſtini, Sanctus ad eum Philibertus abiit, & prædicationis verba impendit. Cumque ei ille dare ei munera magna vellet, vir Dei cuncta reſpuens, ait Apoſtatam eum eſſe, ne Chriſtianum hominem cum eo participare debere.*

S. Leodegarium ab hoc corporato dæmone fuiſſe excarnificatum diris ac horrendis modis, neminem latet. De cauſa tam incenſi odij, & exprompæ in Sanctum virum inhumanitatis, quamvis varia prodantur, tamen veram cauſam fuiſſe quod Sanctus Antiſtes impio clam obiiceret apoſtaſiam, & eum ad Luxonienſe cœnobium reducere niteretur, diſertè habetur in vita S. *Richardi Abbatis*, vbi quanta *S. Philibertus* ob conſtantem verè Ebroini apoſtaſiæ aſſertionem pateretur, perſpicuè & fusè deſcribitur.

Ebroino igitur, iurè Apoſtatis annumerato, per ſummum verticem quæ ad eum ſpectant, attingamus. Sub annum Chriſti 686. vt habet Ado in Chronico, Franci mortuo Erchinoldo Maiore domus, Ebroinum humillimi generis & infimæ ſortis hominem, vt habent *S. Rigoberti* acta, Erchinoldo in Palatij præfectura ſufficiunt; Clotario Clodouæi ac S. Bathildis filio, regni titulos, & nudum nomen poſſidente. Vxor Ebroino erat Leutrudis, vt habetur in S. Drauſij Sueſſionum Epiſcopi, rebus geſtis. Clotario poſt quadriennium morte ſublato, Theodoricus Clotarij Germanus, Regium nomen & inſignia accipit. Sed per impij Ebroini, Regis ſtupore abutentis, malas artes, & iugum intolerabile quo regnum opprimebat, creata Regi inuidia eſt, abalienatiſque animis Theodoricus (vt habet Ado in Chronico anno 696.) regno pulſus, & quod *Fredegarius in Chron. c. 94.* teſtatur, attonſus, Childerico fratri apud Auſtraſios imperanti, regnum ceſſit: vnaque Ebroino Maiori domus, Vulfuoldus & ſubſtitutus. Ipſe Ebroinus in Luxouienſe monaſterium ablegari exorauit, vt ibi altero pœnitentiæ lauacro, tam tetras labes elueret. Fuerat enim Ebroinus, notatus nequitiæ ad ſummum per omnia prouectæ verticem; & vt in nuper editis *S. Leodegarij actis cap. 2.* habetur, tanta cupiditate ſimul ac ambitione flagrabat, vt is apud eum iuſtam perſequeretur cauſam, qui plus obtuliſſet pecuniæ. Is noxius, & exterminandus haberetur, qui aduerſus nequiſſimi hominis nutus, vel mutire non extimuiſſet. Ex leuicula offenſione, plurimos nobilium letho dare, ludus illi erat. Acta *S. Ragneberti*, dum tempora hæc priora Tyrannidis Ebroini attingunt, paucis his verbis rem expreſſerunt. *Huic Ebroino, ſtudium erat, vt quoſcunque ex Francorum genere alta ortos progenie, nobilitate, vidiſſet in ſeculi vtilitate proficere; ipſos vel interfectos, aut effugatos, ſublatoſque de medio, tales in honore eorum ſublimaret; quos aut mollitie obligatos, vel ſenſu debilitatos, aut vtilitate aliqua parentelæ non auderent eius præceptis impiis reſultare.* Has ob cauſas, Ebroinus, cum ſibi male metueret à Rege Childerico, omnibus ſe inuiſum, & nullius præſidio ſtipatum agnoſcens, *multo timore correptus*, (verba ſunt Vrſini in actis S. Leodegarij c. 4.) *petiit a Rege, vt rebus omnibus derelictis, permitteret, ipſi, vita incolumi, degere in Monaſterio Luxouienſi, vt illic Monaſticum inſtitutum compleEteretur.* Quod cum agente S. Leodegario, Maiore domus Childerici obtinuiſſet, Vxore non refragante, tonſus Luxouij eſt. Ex quibus perſpicitur, qua ratione *Fredegarius in Chron. cap. 94. & Geſta Regum Francorum c. 45.* affirment, Ebroinum inuitum detruſum eſſe Luxouium. Inuitus enim eo ſeceſſiſſe dicitur quia ex metu id petiit. Conſtat tamen metum ex quo Ebroinus ad Monaſticam profeſſionem eſt adactus, potuiſſe cum valida profeſſione probè cohærere; cum non extrinſecùs vis iniecta ad profitendum fuerit, ſed ipſe ſibi Ebroinus eam ſortem optauerit, metu ſuppliciorum quæ ſceleribus ſuis iuſtè reponi poſſe, conſcius erat.

Poſt triennium regni Childerici, atque adeò ſeceſſionis Ebroini Luxouium, ſuccenſis in pectore Childerici Regis erga S. Leodegarium Palatij Rectorem, odiorum flammis, exorauit ipſe quoque S. Leodegarius, Luxouienſem ſeceſſionem. Cumque Ebroinum iam Clericum, & Sacro ordine inſignitum inueniſſet, ſupplex homini factus, rogauit, vt ſi qua in re grauis ipſi moleſtuſuè fuiſſet, abſterſam ſimultatum omnem memoriam vellet: & aſſentiri viſus eſt Ebroinus. Sed hoc ex animo à ſancto viro factum, ab Ebroino per ſpeciem duntaxat factum eſt: niſi ſi in ea quam conceperat benè agendi voluntate, non diu perſtitit. Poſt aliquantum enim tempus ab aduentu Sancti Leodegarij Luxouium, mortuus eſt non ſicca morte Childericus, ab vno de ſuis, quibus per vitæ turpitudines odioſus factus erat, inter venandum obtruncatus, cum iam eius mandato, abductus per vim Luxouio eſſet S. Leodegarius ad iudicium ſubeundum, vt habent ſynceriora S. Leodegarij Acta recens edita. Cæſo interea Childerico, Theodoricus frater cui ſtuduerat Ebroinus, regnum poſtliminio repetit. Quare Ebroinus, non adactus vt ſcribit *Vrſinus in S. Leodegarij actis cap. 7.* nec Abbatis benedictione præuia, vt idem ſubdit; nec pariter excedente S. Leodegario qui iam ante abductus Luxouio fuerat; cum non parua perditorum ad eum confluentium manu, Luxouio excedit: conciliatiſque ſibi Auſtraſiis, & validiore impiorum cœtu; benè viſus occaſione diſſidentium inter ſe Franciæ magnatum; (vt notat *Fredegarius in Chron. cap. 96.* & idem habent *Geſta Regum Francorum cap. 95.*) cum capillitium conſulto promiſiſſet, non ſine commercio cum Satana qui illi duode viginti annorum reſiduum vitæ tempus pollicitus erat, (vt refert *Ado in Chron. 696.*) ſubitò è cœnobio eggreſſus, in fines Francorum infeſtus irrupit. Perque omnem ſcelerum immanitatem & tyrannidem in dies terribilior, caſu Regiis theſauris cum aſportarentur potitus, nequicquam reclamantibus & obſiſtentibus plurimis, regreſſus eſt ad Theodoricum, & priſtinam Palatij præfecturam; nec non ad vxorem, (vt habent acta *S. Leodegarij* nuper edita;) homo ſacer, & Deo per vota cum monaſtica, tum Sacri ordinis adſtrictus.

Priſtino ſtatui reſtitutus, inſtar Leonis rugire, & de omnibus quos infeſtos quoquo modo paſſus fuerat, pœnas ſumere conſilium iniit. Pleroſque Antiſtitum, coacta Synodo prædatoria infulis ſpoliauit, vt

vt ſcribit *Sigebertus anno* 685. Cum autem *S. Leodegarium* inſpectum haberet deiectionis ſuæ, & eorum quæ regnante Childerico paſſus erat, concredito exercitu duobus filiis Belial, Didō & Vvaimerio, S. Virum Auguſtoduno extractum, excoulauit, & monaſterio non ſine cuſtodia incluſit. Gerinum verò ſiue Guarinum S. Antiſtitis fratrem, qui rabiem Ebroini cum aliis plerìſque Francorum proceribus fuga declinarat, data fide reuocatum retraxit in Palatium, in quod etiam poſt angores ferè biennij *S. Leodegarium* reduxit. Ibi ambos fratres nube probrorum & contumeliarum oneratos, nec tamen abiicientes degeneres animos, ſed impietatem ac crudelitatem Ebroino exprobrantes, neci adiudicauit; auulſoque ab inuicem ne mutuis alloquiis ſolatium alter alteri præſtaret, variis tormentis excruciatos, letho dedit. Guarinus ab impij Ebroini impiis miniſtris ad palum alligatus, inter preces ardentiſſimas, & dolorem de peccatis flebilibus modis ac verbis expreſſum obrutus eſt lapidibus. Leodegarium ad productiorem cruciatum, ſi quo modo inde clades patientiæ, vnaque exitium animæ, quod ſceleratiſſimè Ebroinus ad plenam odij exſaturationem intendebat, conſequeretur, noluit celeri morte demetere: Sed variis ac diuturnis cruciatibus excarnificauit. Ex eo ferino animo, iuſſit illum nudis pedibus per piſcinam præacutis muricibus conſtratam incedere. Tum humi alliſo, linguam & labia incidi, ſi fortè (proh Diabolicam machinationem!) oculis effoſſis, pedum ſauciatorum fallente veſtigio, linguæ & labiorum fœdè truncatorum officio deſtitutus, in blaſphemiam aliquam prorumperet. Ac ne ſic quidem, rabiei ſuæ factum ſatis arbitratus immanis prædo, per varias cuſtodias ſeruum Dei peſſimè habuit: tandemque quatuor in illum immiſſis graſſatoribus, amputato capite, finem illi malorum fixit in Atrebatenſi Diœceſi. Sanctum obitum innumeris de cœlo ſignis & morborum inſanabilium curationibus diuina benignitas cum honeſtaſſet, ea ſigna obſcurare niſus eſt Ebroinus, illa ſtudioſè premens. Tamen nihil admodùm profecit; ſed cum Sancti Viri claritate, dedecus & deteſtatio bipedum nequiſſimi, augeſcebat in dies, mirificante Domino ſanctum ſuum. Eadem rabie Ebroinus, Sanctum Ragobertum Rodeberti Ducis filium obtruncauit Id enim hoc poſterioris præfecturæ tempore accidiſſe, teſtatur Addo in Chronico anno 696. Vvlbaldum quoque, illuſtrem, & pietate venerabilem virum necauit. S. Amatus exilio eſt multatus, vt ſcribit *Sigebertus* S. Lambertus, Traiectenſi Epiſcopatu deiectus eſt, & multis affectus incommodis. In alios innumeros quos vel ſola ſuſpicione reos vellet, implacabiliter exarſit, & omnes dirè excruciatos, letho dedit. *S. Hubertus*, à facie huius colubri, Francia deſerta alias terras quæſiuit. Inter Optimates & Epiſcopos, vt quiſque erat perditiſſimus, & lupi potiùs quàm Paſtoris nomine dignus, ſæculique negotiorum, quàm artis animarum ſciens, ita Ebroino erat magis in deliciis, & per eum ad negotia adhibebatur: quod de Deſiderato Cabilonenſi, & Bodone Valentino, magna cum deteſtatione refertur in ſæpè laudatis *S. Leodegarij* nuper refoſſis *Actis cap.* 8. denique Vvaimaro tandem iuſſu Ebroini flagellis dirè cæſo & ſtrangulato, *Vrſinus cap.* 14. Fides illi pro tempore & opportunitate. Vt faciliùs imponeret, ſacramento firmabat promiſſa: ſed ſacramenti violatio, res apud eum erat perpetua, & nullius pretij. Sæpè immunis ſibi à ſcelere fœdifragij ſacrilegi viſus eſt, ſi ſuper vacuas capſas ſacramentum diceret, quod notauit *Fredegarius in Chronico capit.* 96. *& geſta Regum Francorum capit.* 46.

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Dormitaſſe viſus erat aliquandiu diuinus oculus, cum tandem exacto iam à *S. Leodegarij* cæde fere triennio, Ebroini perfida immanitate ac truculentia ad ſummum prouecta faſtigium, cædibus, rapinis, ſacrarum & profanarum rerum omnium dilapidationibus immenſum cumulatis, impleta ſcelerum menſura, repenſa eſt nequiſſimo Apoſtatæ conueniens retributio. Hermenfridus Francus cui Ebroinus graues intentarat minas, impendentem ſibi rebúſque ſuis cladem, cæde Ebroini ante occupauit, quam ſtipante ſociorum manu, nocte intempeſta, hominem adorſus patrauit, anno 688. vt notat *Sigebertus in Chronico vel* 685. vt habet *Molanus in Indiculo.* Hic finis impiiſſimi Apoſtatæ; quo ad corpus. Animam infernus excepit. Nam impœnitentem obiiſſe, omnes ſcribunt; & confirmat viſio quam his verbis recitat *Ado in Chronico anno* 696. poſt narratam Ebroini cædem, per Ermenfridum. *Erat tunc temporis vir oculis cæcatus, vnus de illis quibus Ebroinus effoderat lumina, in Inſula Lugdunenſis Prouinciæ, quæ Barbara dicitur. Qui cum nocturno tempore, ſuper ripam Secanæ fluminis orandi gratia reſideret, audiuit nauigantium impetum, & magna vi brachiorum contra impetum fluminis conſurgentium. Cumque interrogaret, quo nauigium illud tenderet, vox in auribus eius perstrepuit. Ebroinus eſt, quem ad Vulcaniam ollam deferimus: Ibi enim factis ſuis pœnas luet. Hoc idem vir audiuit, ad conſolationem ſui, vt ſciret quam pœnam, perſecutores iuſtorum ſentirent.*

Pipinus Rex.

PIpinum Regem induiſſe Monaſticam veſtem, & poſtea abieciſſe Apoſtatamque factum eſſe, exploratum eſt ex *Hincmaro opuſc.* 59. Titulus opuſculi eſt, *Hincmari conſilium de pœnitentia Pipini Regis.* Vbi prolatis decretis Siricij Papæ & S. Leonis contra Monachos Apoſtatas, ſubdit. [Quia Pipinus ſe Paganis ſociauit, è qua Societate, multa mala in Chriſtianitate profecta ſunt, ſequendum eſt de eo ſancti Leonis Capitulum; quo ſola Gentilium menſa aut idolothytorum eſu pollutos, ſolis ieiuniis & manus impoſitione purgari poſſe decernit, debere autem pœnitentiæ publicæ ſubiacere ſi idola adorauerint, aut homicidijs vel fornicationibus ſint contaminati. Concludit ergo Hincmarus, Pipinum paralyſi obnoxium, adhortandum eſſe vt generali Confeſſione priuatim peracta. [De hoc quod ſuum habitum dimiſit, & ſe periurauit, quia cum Paganis ſe iunxit, è qua ſua coniunctione, multa mala ſunt perpetrata, coram Eccleſia inter publicè pœnitentes, ſe lachrymabiliter accuſet, ac pœnitentiam & reconciliationem humiliter petat: Et de omnibus quæ vel ſecretè confeſſus fuerit, vel publicè accuſauerit, per manus impoſitionem Epiſcopalis auctoritatis, publicè reconcilietur, & reconciliatus tonſuram Clericalem accipiat, & habitum Monaſticum recipiat, & profiteatur ſe de cætero ſeruare quæ expetit & expedit, & ſic communionem ſacri altaris recipiat. Reconciliatus autem benignè tractetur, & tali loco ſub libera cuſtodia miſericorditer cuſtodiatur, vt cuſtodes monachos ac bonos Canonicos

CAP. IV. Syllabus inſignium Apoſtatarum.

habeat, qui eum exhortentur & quorum doctrina & exemplo; benè de cætero viuere, & præterita peccata plangere diſcat; & quorum prouidentia, & loci conuenientia ita cuſtodiatur, vt ad pristinum vomitum redire nequeat, etiamſi Diabolo ſuadente voluerit, & recidiuum ſcandalum per eum in S. Eccleſia, & in iſta Chriſtianitate oriri non poſſit, &c. Prouidentia de Pippino non eſt negligenda, & vt certi ac fideles cuſtodes adhibeantur, ſatis eſt procurandum: nec obliuiſcendum quid de eo in monaſterio S. Medardi accidit, & quid de Karlomanno in Corbeia euênit. Nam quod factum eſt, adhuc fieri poteſt.]

Euprepianus.

VIrtutem eius priſtinam, ſuccedente tepore, ac tandé rigore quo à Religioſo ſtatu excidit & periit exterminatam deſcribit his verbis S. *Theodorus Studita ferm. catech. 9. Sed quid autem voluptatis ſtuaium villos tantoperè diuerſos agit, & immutat, in tetram carnem, atque ſanguinem deuexos, vnde omnino alienemur à bono Deo? Non audiſtis quid acciderit miſerabili Euprepiano? Iamiam enim nobis denunciatur defunctus, & defunctus (heu meas ærumnas!) non temporali; ſed æterna morte, à bruta in Euæ amplexibus vita. Heu quid paſſus eſt infœlix? ſcitis quemadmodùm prius ſuper capite ſplendebat cùm morigerationis, tùm probitatis lucerna. An non olim confeſſione obeunda mecum recluſus eſt? An non Saccudione ad Oeconomi dignitatem promotus? An non ob præſentem confeſſionem in arenam deſcendit, bis flagris multatus, ac fortiſſimè perpeſſus? Tum quid autem? Habens, vt Oeconomus marſupium Monaſterij, & quæ inijcerentur, auro illectus, atque auaritia confixus, heu! Chriſtum Iudæ inſtar prodidit, & virginitatis depoſito voto, & Giezice agris, vineis, bubus, ouibus corruptus. Quare non eius lepra modo contraxit, ſed vti reor, & triſtius quiddam. En quid perfecit auaritia, Fratres, fugiamus id vitium, quæſo, vt proditionis officinam. En quid egit peruicacia. Fugiamus tenebras, quæ à dominico caſu diuellant. Fugiamus & reliqua cuncta vitia, quæ miſerum animum noſtrum laceſſunt, furorem, inuidiam, iram, ſtudium ſui, peruicaciam, ſeceſſum. Fugite ſoli eſſe; Nam væ ſoli, inquit, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe, quod ei contigit de quo ſermo eſt. Cui ſi ſocius fuiſſet, quantumuis cecidit, poterat rurſum ope ſocij conſurgere, rurſum plangere delictum: Cæterum qui haberet nullum, periit miſer in ſuum locum profectus. Digna, Fratres, dolore atque planctu tragœdia eſt, qui ſtat, inquit, videto ne cadat, qui benè currit, caueto ne proſternatur, proſtratum cernens qui prius benè currebat. Angelum quis, opinor, faciliùs caſurum, quàm Fratrem, eum duxiſſet; & tamen cecidit, dormitans; cauſaque auaritia eſt.*

Saprita.

HVius Apoſtatæ, meminit his verbis S. *Theodorus Studita ferm. 38. catech. Quid Saprite contulit Stylus? An non degreſſus inde eſt ob orthodoxiã, lapſuſque in hereſim, proditor factus veritatis, ac nunc oppugnator eſt acerrimus?* Ad eum locum *Liuineius Interpres* ſuſpicari ſe dicit. Stylum fuiſſe monaſterium in quo liberiùs viueretur, quàm apud eos qui ſubditos ſe gererent, quod colligit ex anterioribus B. Theodori verbis de Pſalterio. *Ecquid Pſalterio, qui dicebatur, profuit ſtylũ profectio? An non reductus inde eſt mente captus, ac iam nec ſubditus eſt, nec Stylita:* Reductio è Stylo, & quod hic reductus ſubditus eſſe deſierit, intimat, Liuineio *Stylum* fuiſſe laxum Monaſterium. Sed hallucinatur; & quidem craſsè Quem enim latent Stylitæ ſiue Columnarij, duce Simeone *Stylita*, vitam ducentes aſperrimam? Egi de eis planè *cap. 1. tractationis de S. Brunone Stylita myſtico, poſt Raderum 3 Viridarij SS.* Horum itaque Stylitarum non laxam ac mollem, ſed aſperrimam atque duriſſimam viuendi rationem æmulati quidam improuidi, in exitium ruerunt, inter quos Pſalterius ille in amentiam verſus, eamque ob cauſam à columna reductus, & nec Stylita nec ſubditus factus: qui enim mentis impos eſt, non eſt religioſæ ſubiectionis capax. Ex eadem verò cauſa improuidæ conſcenſionis Styli ſiue columnæ, ruit Sapritas ille cuius apoſtaſiam attigit *S. Theodorus*, merito inculcans fratribus ſuis, vt ex his exemplis diſcerent non ſublime ſapere, nec affectarent nouos viuendi modos tametſi ſublimes, ſed in ſua ad quam diuinitus vocati erant profeſſione perſtantes, ſeruirent Domino. Cæterum quod Sapritam ob Orthodoxiam excendiſſe è columna ſua; aiebat S. *Theodorus*, eo pertinere videri poteſt, vt quemadmodum *S. Daniel Stylita* graſſante Baſiliſco Tyranno & hæreſum ſtudioſo propagatore, deſerens rogatu Catholicorum Antiſtitum, columnam ſuam, obſtitit ſtrenuè hoſtibus fidei; ita graſſante tunc hæreſi Iconomachorum, Saprita vltro deſcenderit ad certamen cum Eccleſiæ perduellibus. Sed quia ad id à Deo non vocabatur, dimiſſa columna, verſus è Catholico in rebellum Lumini, ac hoſtes transfugerit, & errorem quem prius inſectabatur, infeliciter propugnarit, impugnata pro viribus vera doctrina.

Alexander.

APud eundem *Studitam ferm. catech. 69.* poſt S. Platonis laudationem, narratur huius Apoſtatæ defectio, & cauſæ defectionis. *Audieritis* (inquit) *ſine dubio, quid infœlix Alexander admiſerit, vt obedientiam iuxta, & confeſſionem abiurarit. Quod vnde cõtraxit, niſi quia ſolitarius obiret, (quod equidem frequenter ſolitarij obiecto) ſtudioque nummorum Iudaico flagraret? Igitur herum vterque glorioſum prodidit, hic Iudæis, ille Iudæorum gregarijs Iconomachis. Ait meritò Apoſtolus, radix omnium malorum eſt auaritia, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & confixerunt ſe doloribus multis. Neque hic poſſum quin pleroſque veſtrum, haud abs re equidem tangam. Quamobrem? Quod cum ambitione, ac primatu homo futilis caperetur, ludicro ſeriam ei noxam comparaſtis, quaſi quodam Pontifice eo creando. Quod is ludicrum, diabolo plenus, extulit in opus, indeque quod infortunium contraxit? Fidei naufragium fecit, merces amiſit virtutis, contriſtauit nauci nos quoque, Dei Eccleſiæ fraudem, (quantum in ſe eſt,) attulit.*

Memno.

LApſum iſtius & labendi cauſas, *S. Theodorus Studita catech. ſermon. 117.* his verbis complexus eſt. *Cum oculi pendent vagi, ac ſublimes, peſtiferas aures fabulas admittunt, vt infanda loquitur mens fœdis inerrat, tùm animus verò ceu per teſqua palatus, quæ diuina nulla procuratione tenentur; feris occumbit. Id adeò & nunc Memnon*

passus

paſſus miſerandus, diabolo præda eſt, cuius non cruentam veſtem intueor, vti Iacobus olim Patriarcha Ioſephi ſui filij, quin interemptam peccati mucrone mentem. Scilicet parens mortis peccatum eſt. hoc deceſſorem Adamum, immortalem gratiâ, mortalem reddidit; hoc internecionem diuinæ attulit mundo; hoc Sodomam, ac Gomorrham, & vicinas incendiis Vrbes, hoc quemlibet nunc quoque, æternæ morti, concipientem ſe, tradit. Quod fugiamus, Fratres, vt ignem. Atque vtinam, igni potius, ferro, beſtiis, quam lethalibus vitiis occumbamus. Age verò vnde is corruit miſer? Non aliundè quam quia ſolitarius degeret. Neque enim veritas fallit, Væ accinens ſoli, qui ſi cadat, non habeat ſe ſubleuantem. Atque id equidem veritus, haud omiſi quin ei iuxta, ac cæteris edicerem, quod edico in præſentia quoque, nequis degerat ſolus, neu prodire deaueret, neu otioſè huc illuc itaret, neu cum fœminis conſueſceret, amore, velut igne hinc accendendo. Quibus qui audiens dicto obedit & obſequitur, in Domino ſoſpitatur. Qui detrectat, à Diabolo captus, interit. Enimvero & ſi ab eius ſanguine inſontem me ſcio, quem quidem haud celauerim quin imminentem prædicerem mucronem; tamen non poſſum non eiulari, ac tanquam proprio ingemiſcere membro.

Gelaſius.

NOn aliunde innoteſcit hic Apoſtata, quam ex inſigni eiuſdem Sancti Theodori Epiſtola ad eum conſcripta, vt profugum reuocaret. Deſcripſit illam *Franc. Turrianus lib. 2. de votis Monaſticis* & habetur quoque ad calcem ſermonum Catecheticorum *S. Theodori*. Dabimus ex ea infetius, congruentibus locis, particulas. Eſt autem ſatis veriſimile, hunc Gelaſium, illum ipſum eſſe de quo S. *Theodorus ſerm. Catech. 31.* expoſtulat, quod puellam abduxiſſet ad fœdum commercium, indeque apoſtaſiæ cauſam duxiſſet.

Leontius, Hermias, Nectarius, Pegaſius.

MEminit horum Apoſtatarum, *S. Theodorus Studita catech.* 101. Priores, ait ſceleris præmium tuliſſe præfecturam factos cœnobij ac religionis tranſfugas. Poſtremum his pingit coloribus. *Videre velim & qui pro meis criminibus, ſacro habitu proiecto in nefarium ſe facinus induere, quo plures eiulet, quorum vnus Pegaſius ille, quem ferunt eo flagitij prouectum, vt regia dignitate populo imperitet, bella moueat, homicidia patret, & vitam vero homicidio abrupiſſe. O calamitatem! In quod miſerandus præcipitium ruit? Primum contubernio profuſus huc, illuc itare, quod alluberet, ceu brutum pecus, interiens, tum Monachum exutus, tragœdia quam audiuimus defungi.*

Comes Palatinus.

HVius infelicis Apoſtatæ caſus; refertur in vita *S. Annonis Colonienſis Archiepiſcopi l. 1. cap. 32.* vbi poſt narratam Comitis allectionem in monachum, Satanæ artificio paractam vt duplo filius gehennæ euaderet, ſubditur. *Eum poſt aliquod tempus à profeſſione fallaciter vſurpata deturbans Satanas, amplexus coniugales, reſque familiares repetere ſuaſit, & coniunctis ſibi nequitia ſua ſeptem ſpiritibus cor eius iurans, in omnem deinceps flagitiorum voraginem præcipitauit. Is exoſos habens omnes Dei ſeruos, vt pote refuga, bella mouit, ſeditiones concitauit, & ad ſuæ perditionis cumulum, ad extinguendum nomen celeberrimi tunc Pontificis Annonis, Aggrippinenſem vrbem poſt rapinas & incendia, poſt cædes & detruncationes plurimorum, hoſtiliter aggreſſus eſt. Ibi cominus cum armatorum multitudine ſedens, omnia per circuitum quaſi ſæuus aper deuaſtauit, ignem pariter & ferrum miſcens.* Subdit Autor vitæ, ſtudium S. Annonis pro ouili ſuo à tanta truculentia immanis Apoſtatæ liberando, deſcriptiſque eius ieiuniis & Litaneuticis precibus ac pſalmorum in eam rem vſurpatione, addit. *Cumque ordine veniſſet ad 34. Pſalmum, cuius eſt initium, Iudica Domine nocentes me, atque in eum altius intenderet, ex ipſa Pſalmi conuenientia, dolor cordis eius increſcebat. Vbi autem ad verſiculum illum, Veniat illi laqueus quem ignorat, ventum eſt, quaſi præſagio quodam de aduerſario tactus, infremuit ſpiritu, lachrymiſque cum voce prorumpentibus eundem, Diacono ſtupente, denuò repetiuit, dicens, Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat ipſum. Hoc quomodò protulerit, orantiſne affectu, an potius ſpiritu prophetantis, vel vt melius reor, vtroque modo, hiſtoriæ nihil obeſt; quandoquidem paucis euolutis diebus, laqueus quem prædixit, incomprehenſibili ſuperni arbitri iudicio, tam terribiliter hoſtem ipſum irretiuit, vt inaudito ſeculis furore, vxorem ſuam propter cuius mortiferam dulcedinem apoſtatauerat, propriis manibus interficeret. Nam militum præfectis, bellantium acies feris inſtruentibus ad futuram quæ ſperabatur, cum Epiſcopo congreſſionem, ipſe reſidens in cubiculo, iuxta ſuæ cupidinis ſociam, iraſcente Domino nec diutius calamitates innocentium ſuſtinente, in amentiam verſus eſt, ac mox dependentem arripiens bipennem, dilectæ coniugis Adelhaitis caput feriens amputauit, curſuque fores egreſſus, plauſu manuum & cachinno, quid egiſſet, inſanientis (vt erat) more expoſuit. Exhorruit ad tam triſte ſpectaculum omnis ætas; omniſque conditio, ceſſauitque tam operoſa bellicæ conuentionis apparatio, ſingulis ad propria recedentibus. Ipſe verò Princeps & autor ſeditionis captus, vinculiſque à ſuis iniectus, quamdiu ſuperuixit, furioſus & impos ſui manſit, propriiſque calamitatibus contentus, in alienam cladem amplius graſſandi, nec copiam nec voluntatem habuit.*

CAP. IV. Syllabus inſignium Apoſtatarum.

Arnaldus de Brixia.

BRixia vrbs Italiæ intelligenda eſt, non ora Sebuſiana vulgo *Breſſe*, vt male aliqui collegerunt ex eo quod alicubi legatur hunc Arnaldū fuiſſe oriundum è finibus Galliæ; ſed hoc de Gallia Ciſalpina eſt accipiendum. Nam conſtanter S. Bernardus, & Otho Friſingenſis, aliique res illius æui deſcribentes, eum faciunt Italum. Homo valdè nequam, nec hebes cum in Galliam ſtudiorum cauſa migraſſet, incidit in Petrum Abelardum, quem multæ literæ ad inſaniam adduxerant, & effutire pleraque indigna vel etiam blaſphema effecerant. *S. Bernardus epiſt.* 189. componens Petrum cum Goliatho, vocat Arnaldum, Petri armigerum. Fuerat enim Petri diſcipulus, & pro eo connitebatur totis viribus. E Gallia regreſſus in patriam, qui priùs in Eccleſia Brixienſi clericus fuerat, ordinatus in lectorem, factus eſt Monachus, vt ſub ſpecie ſanctitatis faciliùs ineſcaret improuidos. Sub hac ouina pelle lupum agens, in Clericos ingentem odij flammam apud profanum vulgus concitauit, contendens

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

viuendum illis eſſe de ſolo altari ac decimis, reliquarum poſſeſſionum iure dimiſſo laicis. Monachos item quibus eſſent poſſeſſiones communes; exortes viuere gratiæ Dei certò damnando, affirmabat. De Baptiſmo item paruulorum, Euchariſtia, malè ſentiens audiuit. Has ob cauſas damnatus ab Innocentio 2. Concilio Lateranenſi, & ex Italia pulſus vt ait S. *Bernardus epiſt.* 195. ac ciuitate compulſus reuerſionem niſi de licentia ſummi Pontificis: Ex quo patet hallucinatos alios iuxta quos ſua voluntate, ſiue præ verecundia, ſiue metu aliorum malorum, *Terrium & miſera confuſus imagine culpa, Fugit ab vrbe ſua*, vt canit Guntherus Ligurinus, illius æui Poëta de rebus geſtis Federici primi libro 3. conſentitque *Otho Friſingenſis l.* 2. *de geſtis Federici Imperat. c.* 20. Seceſſit autem *Qua ſibi vicinas Alemannia ſufficit Alpes Nomen ab Alpino ducens (vt fama) Lemano, Nobile Turegum*; Ita idem Guntherus canit. Defuncto autem Innocentio, regreſſus in Italiam, Romanis veteris Romæ Senatum inſtaurare phantaſtice molientibus, factus vnguis in vlcere, omnia ſeditionibus factionibus que compleuit; homo ad ciendos motus natus. Nam neque manducans, neque bibens videbatur, vt de eo ſcripſit S. *Bernardus Epiſt.* 195. quæ eſt ad Conſtantienſem Epiſcopum, qui cum indigeat inimicum crucis Chriſti, ſeminatorem diſcordias fabricatorem ſchiſmatum; *Cuius conuerſatio mel, (ait idem Epiſtola* 196 *quæ eſt ad Guidonem Legatum) & doctrina venenum, cui caput columba, cauda ſcorpionis. eſt; quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere.* Intruſit ſe tamen ipſe in eam, vt dixi. Mox verò Romanis ad officium adactis, coactus ad fugam capeſſendam; cum copiis Federici Imperatoris qui Romam infeſtus petere timebatur, adiunxiſſet ſe ſe, à legatis Adriani quarti, ad Federicum, expeditus ad iuſtam pœnam malorum quorum incentor fuerat, deditus legatis & vinctus Romam tranſmiſſus iuſſu Præfecti Vrbis cui ad iudicium cruentum traditus fuerat, ligno adactus & igne combuſtus, tetram efflauit animam, cineribus Spurci Apoſtatæ in Tiberim ſparſis, vt iidem Otho & Ligurinus ſcribunt, dignum infami Religionis transfuga Politicorum hæreticorum parente exitum eſt ſortitus.

Henricus.

SVis coloribus hunc depingit S *Bernardus epiſt* 240. *ad Illephonſum Comitem S Ægidij*, à quo turpis hic Apoſtata fouebatur; magna cum clade animarum. *Audi* (inquit S. Bernard. de Henrico) *quis ille ſit. Homo apoſtata eſt, qui relicto Religionis habitu* (Nam Monachus extitit,) *ad ſpurcitias carnis & ſæculi, tanquam canis ad ſuum vomitum, eſt reuerſus. Præ confuſione autem habitare inter cognatos & notos, non ſuſtinens, vel potius non permiſſus ob magnitudinem criminis ſuccinxit lumbos ſuos, & iter qua neſciebat arripuit, factus gyrouagus & profugus ſuper terram. Cumque mendicare cœpiſſet, poſuit in ſumptu Euangelium, nam litteratus erat: & venale diſtrahens verbum Dei, Euangelizabat, vt manducaret. Si quid ſupra victum elicere poterat a ſimplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, id ludendo aleis, aut certe in vſus turpiores turpiter effundebat. Frequenter ſiquidem poſt diurnum populi plauſum, nocte inſecuta cum meretricibus inuentus eſt, prædicator inſignis, & interdum etiam cum coniugatis. Inquirere ſi placet vir nobilis, quomodo de Lauſana ciuitate exierit, quomodo de Cenomanis, quomodo de Pictauis, quomodo de Burdegalis, nec patet ei vſpiam reuerſionis aditus, vt pote qui fœda poſt ſe vbique reliquit veſtigia.*

Quantam tamen ſtragem ederet animarum, & quanto exciperetur applauſu multorum nec vulgarium, præmiſerat eo loco S. *Bernardus*; Et alia ad Toloſanum Principem Epiſtola, de Henrici ſceleribus, & graſſatione in Eccleſia illius oræ; Ex qua Epiſtola, hanc plagulam decerpſit *Goffridus Abbas lib.* 3. *vita S. Bernardi c.* 5. *Paſſim inueniebantur iam Eccleſiæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia, ſine Chriſto denique Chriſtiani Paruulis Chriſtianorum, Chriſti vita intercludebatur, dum baptiſmi gratia negabatur. Ridebantur orationes, oblationeſque pro mortuis, Sanctorum inuocationes, Sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, baſilicarum ædificationes, dierum ſolemnium vacationes, chriſmatis & olei conſecrationes, & omnes denique inſtitutiones Eccleſiaſticæ ſpernebantur.*

Subdit Goffridus, S. Bernardum cum Alberico Epiſcopo Hoſtienſi, Legato ſedis Apoſtólicæ; in eam regionem migraſſe; & reducendis iis ouibus quæ perierant, atque confractis conſolidandis, ſtrenuam nauaſſe operam; & Toloſæ per aliquot dies ac in vicinis oppidis contra errores, quos perfidus Apoſtata diſſeminauerat, diſſeruiſſe; Henrico à pedibus & fuga perfugium interim captante. Et aliquandiu ſane euaſit liber. Tandem tamen circumſeptis viis omnibus, captus & catenatus, Epiſcopo traditus eſt vt ibidem narrat Goffridus. Nemo dubitat, Henricum dignum fuiſſe, eundem ſortiri exitum, quem Petrus de Bruis ipſi ad impietatem præuius, conſecutus eſt, vt ſcribit & Petri & Henrici communis cum S. Bernardo hoſtis *Petrus Cluniac. l.* 1. *Epiſt.* 1. Ait enim, Zelum fidelium apud Sanctum *Ægydium* in extrema Occitania, flammas dominicæ crucis à Petro ſuccenſæ, virum eſſe Petri concrematione; qua ille de igne ad ignem, de tranſeunte vſtulcomburio ad æternum, tranſitum fecit.

Galterus.

HIc ab ordine ſancti Benedicti, per Apoſtaſiam defecit *ſub annum* 1200. quo tempore florebat Helinandus, eiuſdem inſtituti Monachus, à Vincentio Bellouacenſi & ſancto Antonino plerumque exſcriptus. Quod enim Galterus, duritiam inſtituti Benedictini ſibi impetrabilis cantaretur? Reſpondit eius friuolæ excuſationi Helinandus, forti Epiſtola, cuius longum fragmentum exhibet *Ioannes Nider l.* 1. *de reformat. Religioſ. capit.* 4.

Iacobus Hungarus.

HVnc è Ciſtercienſi ordine Apoſtatam, cuius nomen plerique preſſerunt, ſignatè ex nomine expreſſit, Anonymus auctor compilationis Chronologicæ, intextæ ſcriptoribus rerum Germanicarum à Piſtorio editis. Fuiſſe Magum & ſceleratiſſimum habet Chronicon Gallicum Gulielmi Nangij, in quo refertur, cum Rex Ludouicus eſſet apud Cyprum, fœdus ab hoc impio Hungaro initum eſſe cum Soldano Babyloniæ de tradenda in eius manus vniuerſa iuuentute Gallica. Hic factus eſt ductor colluuiei latronum, qui ſpecie

ſpecie ſacræ militiæ, initæ ad liberandum ſanctum Ludouicum 9. à Saracenis tentum, confictis reuelationibus, & B. Mariæ mandatis, vagabantur ſub ſigno militari *Agni*. Qua ex cauſa, & quia paſtores quoſcunque poterat, ad ſigna ſua vocabat hic Hungarus, factio eius, dicta eſt *Paſtorellum*. Credi vix poteſt quantis ſe ſceleribus contaminarit hic nebulo, nulli parcens rapinæ, omnes Religioſos Ordines condemnans, connubia pro libito diſſoluens aut coniungens, peccata admiſſa & admittenda dimittens in quocunque nefarium præceps & acer; donec Biturigibus captus ac letho datus, dignum tam ſcelerata vitæ ratione exitum eſt ſortitus. Eo extincto vniuerſa quam ductabat latronum colluuies, variis locis in quæ ſe diſperſerat infeliciſſimum exitum nacta eſt, vt fusè tradit *Matthæus Paris ſub anno 1251. & Nangeus in Chronico & in vita S. Ludouici Noni, Sanutus l. 3. par. 12. c. 3. S. Antonius in ſumma hiſtor. tit. 19. c. 9. §. 5. Nauclerus generat. 42. Gaguinus l. 7. Paulus Æmylius in Ludouico Nono.*

Iacobus de Borbonio.

HIc, Regia ſtirpe oriundus, Ordinem Cœleſtinorum eſt ingreſſus, & eum ordinem profeſſus ambulabat in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, conqueri ſolitus nullum eſſe ſuo tempore Hieronymum quem adire poſſet; vt & myſtagogo totius ſapientiæ adita perſuaderet, Qua ratione magiſtros omnes æui illius deſpiciebat tanquam minùs idoneos ad ipſum erudiendum. Recolo triſtis, (ait Gerſo,) quod dum ego pia ſollicitudine dicerem, me tenere talem agendi ardorem non fore ab inſtinctu bono ſed malo? Reſpondit ille mihi, indignabundus quod voluit, & receſſit.] Receſſit ſanè, ſiquidem paulò poſt, oſtendens deſiderium perfectionis maioris, deſerens Cœleſtinos, tranſiit ad FF. Minores de Obſeruantia. Mox verò factus Apoſtata, ad ſeculum regreſſus eſt, & ſpecie coniugij Scorto illigatus. Nec ita multò poſt Romā rediens à fœminæ per eum implanatæ neceſſariis, interfectus eſt tempore Martini Papæ, inquit gloſſa, ſubiecta verbis Gerſonis, qui tacito nomine hominem notauerat, conſideratione XI. ex ſubiectis reſponſo ad quemdam Cartuſianum, ſciſcitatum quomodo Monachus gerere ſe deberet circa ſtudia, minuens pro eis diuinas exercitationes. Suo tempore rem geſtam flebilibus modis luget tacito Borbonio nomine Gerſo; ſed gloſſa (fortè ab alio) ſubiuncta, nomen & plenam apoſtaſiam, & illatæ necis cauſam reſerauit.

Ioannes Præmonſtratenſis; & alter Anonymus.

SCribit *Æneas Syluius l. de origine Bohemorum, ſub annum Chriſti* 1412. fuiſſe Pragæ Ioannem quendam, Apoſtatam Præmonſtratenſem, planè impium, & ad omne Scelus audaciſſimum, qui tumultui quo Hæretici Bohemi omnia Pragæ miſcebant, flabra virulentarum concionum admouebat. Sed nihil huius Apoſtatæ impietas, ad nequitiam alterius Apoſtatæ ex eadem Præmonſtratenſi familia, quem *Surius in Hiſtoria anni* 1527. *& Lindanus Dialo. 2. Dubitantiũ, ac Hoſius lib. de hæreſ.* noſtri temporis memorant, tacito nomine: Nimirum quod Lindanus ait, (profeſſus ſe nomen eius nuſpiam reperire potuiſſe,) hoc eius horrenda impietas retulit præmium, vt omnibus ad eius memoriam horreſcentibus, nullum nomen ab omnibus ſit præteritum. Quare innominatum hunc Apoſtatam, tempore poſteriorem; ſubnectimus nominato eiuſdem Religioſæ familiæ deſertori. Aiebat anonymus, Chriſtum, (horreſco referens;) de ſalute ſua deſperaſſe, cum ſe à Patre ſuo derelictum quereretur: nec deſperaſſe modò, ſed etiam ob illud flagitium damnatione æterna eſſe mulctatum, non tamen in inferno. Docuit enim, (quod ſpecialiter notat Hoſius,) non eſſe infernum: nec SS. Patriachas & Prophetas ante Chriſti obitum fuiſſe in inferis; nec Chriſtum poſt emiſſum ſpiritum ad inferos deſcendiſſe. Cenſuerim tantam blaſphemiæ atrocitatem, quod vulgaribus inferni pœnis mulctari ſufficienter non poſſet, peculiari & noua apud inferos ſupplicij atrocitate, vindicatam.

CAP. IV. *Syllabus innominatum Apoſtatarum.*

Deſiderius Eraſmus, Roterodamus.

SIc dici voluit qui priùs *Gerardus Gerardi* nominabatur. Quia enim id vocabulum, vt audiam, ſic deſiderabilem & amabilem indolem denotat, *Deſiderij Eraſmi* nomen aſſumpſit, vt notauit *Gerardus Ioannes Voſſius l. 3. de Orig. & progreſſu Idololatriæ cap.* 85. Natus eſt *Eraſmus anno* 1469. Roterodami; quo mater prægnans, ad celandum crimen abducta eſt, Gondano vicino oppido, vbi hanc prolē de inceſto Parocho cui famulabatur, conceperat. Antonius Poſſeuinus ex lucubratione qua reſpondit Trinitariis, Eraſmum appellantibus, id profeſſus eſt, ſignatis non dubiis teſtibus. Quare Eraſmus, filius quidem Regis non fuit; qui tamen eum genuit, fuit coronatus, vt in ſimili ludit *Bleſenſis Epiſt.* 21. Cum adoleuiſſet Eraſmus, inſtitutum Canonicorum Regularium ordinis D. Auguſtini in cœnobio Stein propè Gondam, profeſſus; & nouennio poſt vitam regularem pertæſus in hominem epicœnæ ac ferè nullius fidei euaſit. Tametſi Lutetiæ in Collegio montis acuti, Theologiæ aliquando nauauit operam, & Taurini ſubalpinorum Doctor Theologus eſt renunciatus, vt ſcribit *Antonius du Verdier lib.* 8. *proſopograficæ*, & alij *Scurram Batauum*, iure dixeris. Totus enim in facetias, & iocos, ac ſcurrilitates vndecunque captandas effundebatur. Omnia illi quantumuis ſacra, iocus. Plenè id monſtratum in *Opere de Iuſta confix. librorum. Partit. 1. Erotem.* 4. Eſtque teſtatiſſimum. Vt mirum non ſit, quod Socratem, qui *Scurra Atticus* audiuit, inaudita apotheoſi tanquam è cœlitibus vnum, inter Litaneuticas preces, inuacatum penè voluerit.

Multa, non niſi viuicomburio dignè purganda, ab Eraſmo prolata, *Catharinus toto propè lib. 2. de certa Sanctorum gloria accuratè retulit à pag. 41. in fine.* Ac primùm adorationem Chriſti in Euchariſtia conatus eſt euertere, iuxta Catharinum. Purgat tamen Eraſmum in hac parte (vtinam ſolidè) *Eſpencæus l. 1. de Euchar. adorat. cap.* 10. Contra intemeratam Deiparæ virginitatem, & cætera tantæ Virginis decora, inſidioſè pleraque effutiuit Eraſmus, ac etiam ſpurcè & porcinè nonnulla cum Angelum Gabrielem proci ſpecie exhibeat; nec erubuerit ſcribere, Angelicam ſalutationem, proci blanditias redolere. Alia ab eo contra Deiparam, effutita, collegit *Fredericus Locrius l. 2. Mariæ Auguſtæ cap.* 4. Erga SS.

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Angelos, non leniter iniurius fuit, cum proponit cauſam, ob quam ſolam eos creatos arbitratur; Nimirum hominis obſequium. Aſſernatur ſacra, lintea, calceoſue, quibus ſancti dum viuerent vſi ſunt, fert indigniſſimè; iiſque verbis rem deſcribit, quæ pudor referre non ſinit. Generatim cum exagitare reliquiarum venerationem, *Alanus Copus dial.* 3. *cap.* 17. refert. Sacrarum imaginum venerationem, ad illicitum, & diuino interdicto prohibitum Sculptibilium cultum retulit: & quod cultum illum tolli poſſe deſperaret ſaluis imaginibus, ſummoueri è templis ſacras omnes imagines peroptauit. Alia item non pauca, circa ſacras imagines, effutiuit indignè, vt latè proſequitur *Molanus l.* 2. *de Imag. cap.* 54. & 55. Peculiarem cultum certorum ſanctorum, ad peculiaria & certa quædam beneficia impetranda, vt S. Sebaſtiani contra peſtem, S. Antonij Patauini pro inuentionē deperditorum, aliaque huiuſmodi, ſugillauit. Vexilli S. Crucis, & ſtatuarum ſacrarum circumlationem per campos, & oppida, meram eſſe ſuperſtitionem ab Ethniciſmo deriuatam pronunciauit. Vſum Eccleſiæ ſtatarum horarum canonicarum, & certarum Laudum Deo pendendarum, ſubſannauit. In vota peregrinationum, in Eccleſiaſticum vſum luminum in ſacris, bacchatus eſt. Feſta omnia quorum argumentum non ſit exaratum in ſacris Codicibus, ac nominatim Feſta Conceptionis, & Natiuitatis ac Præſentationis Deiparæ, abrogata voluit. Commemorationem lugubrem paſſionis Chriſti in paraſceue, auerſatus eſt. Delibaui tantùm titulos peruerſorum dogmatum, quæ Catharinus, ab Eraſmo cauſa eſſe, prolatis eius verbis, monſtrat.

Addo nunc ex aliis non minùs tetra, nec minùs deteſtabilia. De forma conſecrationis, admodùm perniciosè pronunciauit, vt latè proſequitur *Alanus lib.* 1. *de Euchar. cap.* 16. Noui Teſtamenti interpretationem vulgatam, quam Eccleſia ſolam habet pro authentica, fœdè temerauit, vt latiſſimè proſequitur *Lindanus lib.* 2. *de optimo genere interpretandi cap. præſertim* 5. 6. 7. 8. Sanctæ Catharinæ Senenſis canoniſmum, in gratiam Senenſium & Ordinis Prædicatorum factum, infamauit, referente *Catharino l.* v. *pro Concept. ſub finem.* Conſtat, eum multiplicibus nec minutis aduerſùs Catholicam doctrinam erroribus ſorduiſſe. Nam præter innumeras doctrinæ non ſanæ maculas quas in eius ſcriptis detegunt Marianus Victorius ad ſanctum Hieronymum, Richardus Cœnomanus ad Regulam ſancti Auguſtini, Natalis Beda, Pollenus, Albertus Pius Carpenſis, Geneſius Sepulueda in Antapologia pro Pio, Hieronymus Torrenſis, Camſius in Mariali, Ambroſius Pælargus, Antonius Solerius, Eduardus Læus, Euſtachius Zichenenſis, Franciſcus Titelmanus, Franciſcus Caruaialus, Iacobus Lopis Stunica, Iacobus Latomus, Martinus Dorpius, Petrus Sutor, Ruardus Tappen. orat. 6. Theologica aliique; quantum eſt, quod Eraſmus Arrianiſmi ſuperiore ſæculo inſtaurator audiuit? Ita videre eſt apud *Pogenitum libro illo* de prouocatione nouorum Arrianorum ad Eraſmum. Nec minùs apertè Macedonianiſmum docuit, *vt Valentia lib.* 1. *de Trinit. cap.* 14. admonuit. Confeſſionem auricularem humanum inuentum eſſe pronunciauit, riſitque Theologos, ſacramentum eſſe affirmantes, à Chriſto inſtitutum. Technas verò & artificia quibus exploratum illum erroré variis locis proponit, legere licet apud *Albertum Pighium lib.* 2. *Eccleſ. hierar. cap.* 8. *initio*: Quoduis bellum improbauit vt illicitum, in quo repellitur à *Bozzonio lib.* 3. *ſpeculi Epiſcopor. q.* 2. Matrimonium virginitati coæquauit cum Iouiniano, quod in eo valdè exagitat *Ioannes Bourgheſius l.* 3. *de continentia Chriſtiana c.* 5. Iacobus Lopis Stunica, erroribus & impietatibus Eraſmi in vnum ſyllabum digeſtis, volumen impleuit. Eum adeant quibus hæc non ſunt ſatis, graue omnino eſt quod Pighius ſuprà addit, Eraſmi colloquiis nihil à Diabolo ad Religionis & fidei, veluti intoxicationem propinari potuiſſe accommodatius; Nec libros Lutheri quibus puræ putæ hæreſes traduntur, exitialiores fuiſſe Eccleſiæ, quam illos Eraſmi dialogos, quibus ætatem teneram noxiis dogmatibus, verborum mellitorum, & latinitatis lenocinio circumlitis, ad deridenda Catholica dogmata aſſuefecit. *Lucianum* itaque *Batauum*, qui omnia religioſa & ſacra ad Scurrilitatem & iocos verterit, dixere non pauci, ac nominatim Lutherus Eraſmo inimicus factus apud *Cochlæum de Actis Lutheri anno* 1526. Item alij, quos appendo in Opere de iuſta confixione librorum, agens de Atheis clancularijs.

Conſtantiſſima verò omnium opinio fuit, præiuiſſe Eraſmum Luthero, vſque adeò vt quod de Philone, ob combibitam Platonis facundiam prouerbio apud Græcos locum dedit, *aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat*; in ſimile adagium ſit transformatum; *aut Lutherus Eraſmizat, aut Eraſmus Lutherizat.* Niſi quod vt plerique rectà aduertunt, Lutherus impudenter, & fronte perfricta blaſphemas nouitates ructabat, quas vt variis exemplis *Conradus Brunus l.* 1. *de hæreticis c.* 10. *num.* 19. monſtrauit, Eraſmus ſubdubitando tantùm, & occaſionem cogitandi ſuggerendo, viſus erat fundere; vt propterea apud alios iactaretur tanquam prouerbium; *Eraſmus innuit, Lutherus irruit*; Quod aliis verbis, eadem ſententia ab aliis ſic efferebatur; *Eraſmus dubitat, Lutherus affirmat*: Vel hoc modo; *Eraſmus fouit oua, quæ Lutherus excluſit.* Tandem tamen, cum flagrare ſe hac infamia videret Eraſmus, & omnem per Lutherum inuectam perniciem, ſibi velut auctori adſcribi; indoluit vel indoluiſſe videri voluit, & apertè diſſentire ſe à Luthero profeſſus eſt. Cautiùs etiam facturus, ſi quam tot operum aduerſùs ſacras perſonas, & cum Vellicatione ſacrorum rituum & dogmatum, admonebatur à Thoma Moro edere cenſuram, aut retractationem apertè ac tempori edidiſſet. Vt vt ſit, ſunt qui referant, eum in Eccleſiæ ſinu, iam ſenem, poſt crebras & graues amicorum interpellationes, conquieſcere viſum. Ita *Alanus Copus dialogo* 3. *cap.* 17. & *dialogo* 6. *cap.* 26. vbi ſignata Eraſmi loca profert, quibus ſe, Romano Pontifici adhærere per omnia velle, conteſtatur, exploſo Luthero, & Euangelicis. Viderit ergo Foſcus, Euangelicus Anglus, quo iure Eraſmum in ſuum Calendarium intruſerit. A Zuinglianis item, qui eum ſibi adhæſiſſe iactabant, ita abhorruit, vt Epiſtol. ad Pellicanum, ſcripſerit, malle ſe membratim à ferocibus equis diſcerpi, quàm illius doctrinæ videri fautorem.

Doctrinæ laudem, apud pleroſque ſummam tulit. Sed vt latinas literas dimittam, in Græcis fuit admodùm tyro, vt multis ex eo prolatis locis confirmat *Petrus Nannius lib.* 8. miſcellan. Et idem accuratè monſtrat *Iacobus Billius l.* 1. *obſeru. Sacrarum c.* 10 & 11. *ac* 19. ibidemque *c.* 9. monſtrat quàm monſtrosè quædam ſcripta SS. Patribus Græcis, Baſilio ac Chryſoſtomo abſtulerit, quæ luce clarius eſt, illorum legitimos fœtus eſſe. Actum ea de re,

de re, citato ſuperiùs *Erotem.* 4. Hebraicè ne legere quidem ſciuiſſe, notauit *Adamus Gontzen in cap. 26. Matth. ſ. 6. Sacræ hiſtoriæ fuit ignorantiſſimus.* Nam Euſebium Vercellenſem inuictum Catholicæ fidei pugilem, cum Arrianorum ſupremo vertice, Euſebio Nicomedienſi confudit. In prioribus ad S. Hieronymum annotationibus, Hilarium Diaconum quem *Sanctus Hieronymus Dialo. contra Lucifer.* ob anabaptiſmum, *Deucalionem orbis* appellat, & Diaconum obiiſſe teſtatur, Eraſmus cenſuit eſſe Hilarium Epiſcopum Pictauienſem. Eiuſdem furfuris eſt, quod Gregorium Nazianzenum, Magni Baſilij germanum fratrem pronunciauit. Montenſes Hæreticos, Donatiſtarum propaginem, cenſuit eoſdem eſſe cum Montaniſtis à Montano impio eorum Paracleto dictis, non à montibus, vt illi inter Donatiſtas veluti pagani & montium circum Romam incolæ, de quibus *S. Auguſtinus hær.* 69. *& Epiſt.* 165. Mitto minutiora, vt quod Arnobium iuniorem, Commentarij in Pſalmos autorem, qui hæreſis Photini ſub Conſtantio exortæ meminit, cum antiquo Arnobio Diocletiani æquali commiſcuit. Quod Dorotheum Synopſeos peſſimè conſarcinatæ autorem, iuxta quem Nero Imperator in Epiſcopum Duraſij electus fingitur, habuit pro antiquo Dorotheo Epiſcopo & Martyre, vt legere eſt in annotationibus quibus *cap.* 22. *Apocal.* onerauit. Laudes quas ei panxit Leo X. reſcribens ad inſcriptas ſibi ab Eraſmo notas in nouum Teſtamentum, & quas eidem contexit Paulus 3. in literis ad Eraſmum datis anno 1. Pontificatus, eodem modo ſuffragantur Eraſmo, quo literæ S. Leonis quibus Eutychetem nondum compertum Hæreticum exornauit, Æthiopem Eutychetem dealbarunt. Effunditur in Eraſmi laudes *Antonius Verderius l.* 8. Proſopographiæ, vultque eum non fuiſſe à Religioſo cœtu Apoſtatam, ex conceſſo à Iulio II. & firmato à Leone X. priuilegio non geſtandi niſi veſtem Clericalem. Nemo tamen aliorum ſubſcribit.

Martinus Lutherus.

TEterrimum hoc Satanæ excrementum, eiuſmodi fuit, vt nihil vnquam ſordibus petulantius, infrunitius, vomuiſſe Erebi clauſtra videantur. Patria illi, Islebium in Saxonia; Pater Ioannes Ludder vt quidem vulgo creditum eſt, & placet arbitrari verum. Quamvis non defuerunt, qui Lutherum fuiſſe incubi dæmonis opera ſatum dixerint, vt variis coniecturis aſtruere conati ſunt eius ætate nonnulli, quos adducit Cochlæus, nec abhorret *Thomas Maluenda l. 2. de Antichr. c.* 6. nec item planè alienus eſt ab hac Lutheri origine *Delrio l. 2. Magic. q.* 15. adducens eam ex *Fontano in hiſtor. religio.* Eſſe ſanè eum ortus modum, & poſſibilem, & variis exemplis reipſa comprobatum, (quod ibidem pereruditè monſtrat Delrio, & eum æmulatus *Maluenda l. 2. de Antich. c.* 9. attigique ipſe quoque ſufficienter in *Natur. Theol. d.4.a num.* 286.) pono vt ratum. Vnde ſicut Antichriſtum ea execrabili ratione procreandum eſſe *Bellarminus l.1. de Rom. Pontif.c.* 12. *& Suares t. 2. 3.p.d. 54.ſect. 1. ac Maluenda l. illo 2. c.* 9. admodum probabile arbitrantur, ita qui Lutherum eodem infami modo ortum dicunt, nihil proponunt non modò impoſſibile, ſed etiam ſupra humanam fidem. Præſertim cum tanta Antichriſti ac Lutheri fuerit conſenſio, vt non defuerint qui alium Antichriſtum expectandum eſſe negarent, quam Lutherum (vt *Genebrardus l. 4. Chronol.* refert) argumentati ex notis Antichriſto in ſcriptura attributis, quas Luthero ſe accommodare exiſtimarunt; atque etiam ex numero nominis *Antichriſti* 666. quem numerum, in Hebraicum Lutheri nomen *Luther* ritè quadrare, deprehenſum eſt à peritis, vt videre eſt apud *Bellarminum l. 3. de Rom. Pontif. c.* X. Ego tametſi Lutherum peruerſa imitatione, & morum corruptiſſimorum expreſſione, genuinum Antichriſti parelion duco; tamen quod ad ortum naturalem attinet, nolo Vviero. Sectario bilem hac ex cauſa ciere. Itaque me non refragante, fuerit Martino Luthero pater, Ioannes Ludder, quod cognomen abiecit filius, quia *Scurram*, aut quod alij affirmant *Latronem* ſignat. Quare *Lutherum* ſe dixit, quod nomen, *purum hominem* apud Germanos notare ferunt. Non ſecus ac Manichæi, nomen *Manetis* à rabie & furore apud Græcos petitum, transformarunt in *Mannichæum*, quaſi qui manna funderet, autore S. *Auguſtino* 19. *contra Fauſtum cap.* 22.

CAP. IV. *Syllabas in genuino Apoſtatarum.*

Mitiora ſtudia cum exegiſſet Lutherus, ad Iuriſperitiam animum appulit. Sed quod ſocius, qui cum fortè extra vrbem agebat, ictus ſubito de cœlo aſtante Luthero, & extinctus eſſet, concepta Religioſæ vitæ voluntate, Erfordiam ad Auguſtinianos Eremitas, annum natus vnum ac viceſimum, Chriſti autem anno 1504. tranſiuit. Vix cooptatus in ſacram familiam, omnia factionibus & turbis compleuit: & tutandæ rebellioni ſeptem cœnobiorum quibus cum Generali Priore lis interceſſerat, Romam miſſis, ſtrenuè egit pro inobedientia & contumacia. Satanæ organi lectiſſimi genius, in eo maturè notatus. Vvittembergæ vbi Theologiam profitebatur, quam eſſet nouitatum doctrinæ amás, ſæpè prodidit. Tandem cum Leo X. Indulgentias rei Chriſtianæ à Turca periclitantis iuuandæ, & Baſilicæ Vaticanæ perficiendæ cauſa, promulgari per Germaniam iuſſiſſet; idque negotium ab Alberto Cardinale Moguntino, Dominicanis eſſet demandatum, præter morem in ea Prouincia receptũ, quo lucroſum id munus, (tunc quidẽ,) Auguſtiniani obire conſueuerant; exacerbatis ob auerſum lucrum Auguſtiniani, Lutherus publicè è ſuggeſto Indulgentiarum abuſus primum, deinde etiam vim ac efficacitatem impugnauit; gliſcenteque malo, in omnia ferè Catholicæ fidei capita, odio præſertim Romani Pontificis, quo flagrabat intenſiſſimo, graſſatus eſt, ingenti qua Eccleſiaſticorum contemptione, qua rei Turcicæ per Chriſtianas turbas hinc excitatas, compendio. Eius circa Turcarum impugnationem, inconſtantiam impugnauit *Cochlæus libro cui titulum fecit Lutherus biceps.* Videnda Acta Lutheri anno 1529.

Ore fuit Lutherus infrunitiſſimo, & maledicentiſſimo, ac in ipſos quoque Reges ac Principes irreuerendiſſimo: Vitæ verò contaminatiſſimæ, ac turpiſſimæ, vſque adeò vt in Chriſti contemptum maiorem, abſtractam è clauſtro Sanctimonialem, peſſima criminum peccans, vt loquitur *Iuſtinianus l. Raptores Cod. de Epiſcopis & Clericis*, inceſta & ſacrilegiis horroriſque plena copulatione ſibi iunxerit. Nomen illi *Catharina à Born*; quæ per ſeptennium turpiſſimo huic Apoſtatæ ſuperſtes fuit. Epithalamium quod ſacrilegis nuptiis eo ipſo tempore cecinit vir doctus æquè ac pius, Hieronymus Emſerus, referente *Cochlæo in Actis Lutheri anno* 1525. quia genium apoſtaticum probè exhibet, & vulgare non eſt, viſum hic adſcribere. Sic ergo ille accinebat Luthero, & Catharinæ bis raptæ; Nam priuſquam à Luthero abduceretur, Leonardo Koppo, inſigni nebuloni, florem Deo dicatum præri-

CAP. I V. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

piendam, ab eo cum nonam monialibus è Nymicenſi monaſterio rapta, dederat.

His Magiſtris, licet nobis
Omne nefas; licet probis
Omnibus obſtrepere;
Cum iubilo
Conculcare iura, Legeſ,
Infamare licet Reges,
Papamque ac Ceſarem;
Cum iubilo
Sed & ipſos irridemus
Chriſti Sanctos, & delemus
Illorum imagines.
Cum iubilo
A. Priapum Lampſacenum
Veneramur, & Silenum,
Bacchumque cum Venere.
Cum iubilo.
Hi ſunt veteres coloni,
Noſtri ordinis Patroni,
Quibus ille militat.
Cum iubilo.
Septa clauſtri diſſipamus,
Sacra vaſa compilamus,
Sumptus vnde ſuppetat.
Cum iubilo.
I. Cuculla, Vale cappa;
Vale Prior, Cuſtos, Abba,
Cum obedientia.
Cum iubilo.
Ite vota, preces, horæ,
Vale timor, cum pudore,
Vale conſcientia.
Cum iubilo.

Aliud in iiſdem nuptiis eodem tempore confectum Epithalamium, repræſentat ibidem Cochlæus. Vides quam non abs re, Theodoſius & Valentinianus *ſſſ. l. Inter cæteras, de Iudais &c.* de hæreticis dixerint, *quorum inceſta peruerſitas, Religionis nomine Lupanaribus quoque ignota, vel pudenda committit.* Iam quantitas impietatum propagines hic Apoſtata orbi intulerit, ſciſſis in innumeras factiones eius ſectatoribus; quantis Monaſteriis & Eccleſiis vaſtitatem ac exitium intulerit; quodque omnium horrendiſſimum eſt, quantis animarum myriadibus cladem æternam crearit; *Adrianus 6. Epiſtola* longa ad Ducem Saxoniæ, graphicè & grauiter exhibuit. *Philautum* à ſui amore & pretio, ſupra quam credi poſſit, exaggerato; *Eriſticum* à perpetuis rixis; *Hyperbolicum* a iugi prodigalitate exaggerationum; *Polypragmonicum* ab inquieta mente per omnia ſe immiſcente; *Stoicum* à Tyrannica auſteritate; *ſomniatorem* à fatuis hariolationibus, vocarunt etiamnum ſuperſtitem, qui eum paulo ante non ſecus ac *Deoſtrum* quendam venerati fuerant; vt legere eſt apud *Sanſleſium Repetit. 7. c. 2.* vbi de eius inſolentiſſima & truculentiſſima imperioſitate & capitoſitate, plura. Cœterum tandem poſt curſum aliquot annorum, in ea licentia ſcelerum omnium effrœnatiſſimè exactum, cum benè ſatur, ac præſertim benè potus, lectum ſubiiſſet, manè exhalaſſe fœdum ſpiritum eſt compertus. *Boſius tamen lib 23. de ſignis cap. 3.* laqueo collum inſeruiſſe refert. Plura de eo *Lindanus in Dubitantio congeſſit dialogo 1. & 3.* & oculatus teſtis Ioannes Cochlæus in Actis Lutheri, & variis Opuſculis: Nec non *Hoſius l. de hæreſibus noſtri temporis.*

Gradus quibus ad apoſtaſiam peruenit, ſunt ex antedictis patentiſſimi. Vnum annotare, in hac meta, placet, Lutherum belliſſimè in pleriſque conſenſiſſe cum Mahumete. Conſenſionis capita benè multa proponit *Lindanus dialo. 2. Dubitantij cap. 9.* & eadem ferè ſunt, quæ ad probandam, Caluini Luthero patre geniti cum Mahumete, ac Caluiniſmi cum Turciſmo conſenſionem, proponit *Gulielmus Reginaldus in Opere de Caluino Turciſmo*; Beneque Caluinianus miniſter Hungarus, cum præfectum Turcarum vrgeret, vt ſectam ipſe ſuam captiuis Chriſtianis ſine periculo poſſet exponere. Protulit enim multas planè conuenientias Caluiniſmi & Turciſmi, quas ſigillatim refert *Poſſeuinus Epiſtola (veriùs Tractatu) ad Regem Poloniæ, de ſtatu præſentis temporis, ſub medium.* Lutheri Elogium ex Poeta illius æui adſcribo, & abeo.

Depinget dignis te nemo coloribus vnquam,
Nomen ego, vt potero, ſic celebrabo tuum.
Magnicrepus, mendax, moroſus, morio, monſtrum,
Ambitioſus, atrox, aſtutus, apoſtata, agaſo
Ridiculus Rhetor; rabioſus, rabula, raptor,
Tabificus, tumidus, tenebroſus, transfuga, turpis,
Impius, inconſtans, impoſtor, iniquus, ineptus
Nycticorax, nebulo, nugator, noxa, nefandus,
Ventoſus, vanus, vilis, vulpecula, vecors,
Schiſmaticus, ſtolidus, ſeductor, ſimia, ſcurra,
Laſciuus, Leno, laruatus, latro, laniſta,
Ventripotens, vultur, vinoſus, vappa, voluptas,
Tartareus tyris, tempeſtas, turbo, Tyrannus,
Hæreſiarcha horrendus, hypocrita, hydra, hermaphroditus,
Erro, execrandus, effrens; effrenis, Erynnis,
Retrogradus, reprobus, reſupinus, rana; rebellis,
Veſanus, varius, veterator, vipera, virus,
Sacrilegus, ſatanas, ſentina, ſophiſta, ſceleſtus

Exequias Lutheri, mandante Auſi dæmone, omnes vndecunque collectos dæmones celebraſſe, ex confeſſione Satanæ per energumenum in Brabantiæ pago nomine *Ghele*, ſcribit *Cratepolius l. de hæreticis Germaniæ, in Luthero.*

Neque illud celandum puto, quod intereſt non ignorare. Fuit Lutherus valdè ſpurciloquus; ita vt etiam ſcriptis ſuis idétidem fimum & ſtercora illinat; eáque ex cauſa paſſim ſuo tempore audiuit *Propheta ſtercoreus.* Ore enim fœtido & calamo putente, comparationes paſſim adhibebat à ſtercore, nec aliud illi videbatur gratius oletum, quo perfunderet eos quibuſcum diſceptabat; etiamſi gradu ſublimi eminerent, *vt Henrico 8. Anglo præſtitit.* Hominis ergo ſterquilinium adeò ingerentis memoria, digna fuit tali monimento. Venit Lutherus Romam res ſui Ordinis turbaturus, *anno* 1510. & domicilium accepit in cœnobio S. Mariæ de populo. Exoſi fœtentiſſimi hominis memoriam eiuſdem cœnobij Patres, cubiculum in quo illum inhabitaſſe conſtabat, latrinis commutarunt, in ſeceſſum deiicientes turpis Apoſtatæ ac poſtremi Satanæ excrementi memoriam; dignam profectò ſedem, vt Clem. Alexand. in protreptico dicere memini de Dea fortuna à Romanis in ſterquilinio collocata; ideſt in ſeceſſu vbi fortunæ Regiæ ſimulachrum collocari ſolitum produnt qui Acta Seueri Imperatoris mandarunt literis. Hanc itidem ego ſedem, dignam dico memoriæ Lutheri. Sicut Theodoſius Imperator, Arrii & primariorum quorumcunque Hæreticorum ſtatuas, latrinis publicis

blicis Conſtantinopoli addixit, lotio ab omnibus perfundendas, & ſtercore inquinandas. Cæterum quod F. Proſper Stellartius in Nucleo Hiſtorico Regulæ S. Auguſtini *pag.* 163. negat Lutherum fuiſſe ordinis ſui Auguſtiniani verum eſt de ea congregatione & capite & inſtituto à cæteris Auguſtinenſibus abiuncta, quam Stellartius profitebatur. At ſi dictum illud abſolute de ordine S. Auguſtini accipiatur, ne refellendum quidem eſt, non magis quam ſi quis de meridie inficiari vellet, diem eſſe. Aptiùs honorem Ordinis ſui tutandum ea in parte ſuſcepit Leonardus Coequæus in Antimornæo, cum exprobranti Pleſſæo Lutherum fuiſſe Auguſtinianum, reſpondit; Ex nobis prodiit ſed non erat ex nobis.

Martinus Bucerus.

ARgentinæ Iudæo patre natus, eoque vita functo, in Ordinem Prædicatorum cooptatus; homo vix vnquam ad res Chriſtianas bene affectus, vereque Apella, ad primos Lutheranæ buccinæ clangores, adhæſit Luthero; cuius erroribus Hermannum de Vveda Colonienſem Antiſtitem fermentauit, in nobiliſſimæ Metropolis inſignem perniciem, quam acerbè deplorat *Cratepolius l. de Hæreticis Germaniæ V. Euphrata.* Non ita multo poſt, Luthero abiecto, defecit ad Zuinglium, quod Lutherum imperioſæ & acerbæ dicacitatis omnes accuſarent, vt ipſemet Bucerus dialo. contra Melancthonem, ſcriptum reliquit. Mox tamen, quod ita ferrent tempora, Luthero ſe denuò addixit, in id maximè intentus, vt Lutherum cum Zuinglio, eiuſque partiariis, conciliaret. Scenæ denique ac tempori ſeruiens, & nunc hanc, mox illam perſonam induens, ex eorum in fide polyporum numero quos deteſtatur fortiter *Naz. orat.* 1. in Iulianum; tandem Iudæus obiit, & perfectum circulum circinauit: quod notauit *Cnoglerus in ſymbolo, Caluiniano Articulo* 3. ſextuplicem eius mutationem Religionis ac fidei numerans, quod Luthero ipſi tantam inconſtantiam faſtidienti, aculeum infixit non tenuem: Matrimonia de Lutheri ſententia eſſe ſolubilia, voluit Bucerus, vxoremque non ſecus ac domeſticam famulam, cum locatæ operæ pigeret, abiici à Chriſtiano viro poſſe; non dubitauit; quod Iudæis propter duritiam cordis ipſorum permiſſum aliquando fuiſſe, docemur ex Chriſti oraculo, ad hæc quoque tempora transferens. Quare ſemel & iterum, ac etiam tertiò alligatus eſt vxori. Vxorine? Imo verò infami, & ſacrilego, ac inceſto ſcorto. Nam quod Cardin. Hoſius, & ex eo *Ioannes Baptiſta FicKlerus in Theologia Iuridica cap. de vita monaſtica, ſub initium*, animaduertit; hic porcus, cognominem ſibi ſuum Lutherum imitatus, non quibuſuis cum fœminis, ſed cum iis tantùm quæ ſanctimoniales fuiſſent, volutari, & infandas nuptias celebrare, ſemper voluit.

Poſt multas in Germania & Heluetia concitatas turbas, multóſque implanatos, Carolum V. Auguſtum, de Proteſtantium capitibus triomphantem veritus, ſeceſſit in Angliam, Edouardo VI. Rege, per cuius teneram ætatem, Tutor Hæreticus de perdenda Anglia ſollicitus, vndecunque aduocabat nouæ doctrinæ buccinatores. Ibi per triennium in omnia ſacra graſſatus, ſexagenarius ab apparente viſibiliter Dæmone, è lecto deturbatus, effuſis per cubiculum viſceribus (ait *Boſius* 23. *de ſignis cap.* 3.) exceſſit è vita; profeſſus in morte, quod *Lindanus* ex fide dignis commemorat *lib.* 2. *dubitantii num.* 62. alium Chriſtum quam IESVM, eſſe expectandum cum Iudæis; Nec ita multo ante, (quod *Sanderus l.* 2. *de Schiſm. Anglic. pag.* 203. ſcriptis prodit,) roganti Dudlæo Duci Northumbriæ, quid de cœna Domini ſentiendum eſſet, ingenue reſponderat, de vera Chriſti præſentia in Euchariſtia, ſi Euangeliſtas audimus, non poſſe eſſe dubitandi locum: Se tamen non exiſtimare, quæcunque Euangeliſtæ ſcripſiſſent, indubitatæ irretractabilis eſſe auctoritatis. Buceri cadauer, Cantabrigiæ ſepultum, Maria Eduardi ſorore Catholica Regina clauum Regni tenente, extumulatum ac exuſtum eſt; vt idem *Sanderus ſcribit lib.* 2.

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Pœnè exciderat quod circa genus mortis, eius illius Poeta bellè ſcripſit his verſibus:

Cum ſopitus adhuc claro iam mane iaceres,
Cumque foret tota ianua clauſa domus:
Mortuus obtorto reperiris, Bucere, collo,
Et verſa occipitis ſincipitiſque vice.
Tum faciem (horrendum!) totam piceata nigredo
Inficit, ac extra os liuida lingua tumet.

Et mox eodem carmine:

Quàm benè ſic torto ſignatur Apoſtata collo,
Reſpiciens retrò miſſa ad aratra manu?
Per faciem, Æthiopum deformius ore nigrantem,
Corruptæ mentis proditur atra lues.
Liuida lingua tumens exſertaque, nonne profuſum
Perfidiæ virus, nequitiæque notat?
Carnificem, porrò Cacodæmon egit; vt iſtù,
Perpetuum oſtendat ſe fore Carnificem.

Addamus & illud ibidem piiſſimum monitum, ab eodem Andrea Truſio.

Hoc bonitas diuina modò monet acriter omnes,
Horribile vt fugiant perditionis iter.
Tu quoque dicebas interdum, Bucere, viuens,
(Doctrinam haud poteras quando probare tuam;)
Si non quod volumus valeamus vincere, ſaltem
Cauſa alicuius erit factio noſtra boni.
Hoc de morte etiam poteras prædicere verum:
Nam tua mors multis cauſa ſalutis erit.
At tibi nec merces vlla eſt, nec gratia, quippè
Nulla tua, aut noſtra, cura ſalutis erat.
Iudicio pereas igitur, ſcelerate, tremendo:
Salua ſit exemplo territa turba tuo.

Iacobus Præpoſiti.

HIc inter Eremitanos ſancto Auguſtino, aliquandiu meruit, ſed à Luthero dementatus, multos factus eſt in ruinam. Natione Brabantus fuit, & Antuerpiæ præſertim, virus Lutheranum diſſeminauit. Vnde Bruxellas pertractus, coactus eſt palinodiam canere, de viginti ſeptem articulis à Luthero hauſtis. Eius palinodiam referunt Bernardus de Luxemburgo, atque Prateolus. Interfuit ſolemni illi palinodiæ Carolus V. cum aula vniuerſa: digreſſus tamen Bruxellis ſpurium hoc vitulamen, rediit ad vomitum. Et multos è ſuis fratribus Auguſtinianis cœnobium Antuerpienſe incolentes auxit: quæ cauſa fuit vt Adrianus VI. Pontifex Maximus natione Belga, cœnobium illud dirui præceperit: Multi autem ex illis fratribus, cum Luthero ac Præpoſito Apoſtantes, [illegible]è promeritis habiti ſunt; nec [illegible]tùm vinculis coerciti, ſed etiam

ſlammis

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

flammis conſumpti; augentes numerum Martyrum, (ſcilicet,) Lutheri; quorum primi fuere Henricus Voëzius, & Ioannes Eſchens, ambo Auguſtiniani Bruxellis viuicomburio affecti *anno* 1523. quos Lutherus edito in eorum laudem Cantico, apotheoſi Lutherana vindicatos voluit. Mirabilis verò fuit Bzouij indiligentia, qua vnum ex illis, ab ipſo Luthero, nominibus Henrici & Ioannis denotatos ac celebratos, voluit eſſe Iacobum Præpoſiti quem diximus.

Auguſtinus Maynardus.

AVguſtinus Maynardus ex ordine Eremitarum S. Auguſtini natione Pedemontanus, perſonatus aliquandiu Romæ Concionator; de ſacro ſuggeſto, Lutheri cuius aſſecla erat; peruerſa dogmata diſſeminauit per aliquod tempus, eò ſecurius quod Summus Pontifex Paulus III. Nicæam Saluum conceſſe at ſtudio conciliandæ pacis inter Carolum V. Imperatorem & Franciſcum I. Francorum Regem. Vſus opportunitate clandeſtinus Lutheri præco, fidem Romanam Apoſtolico ore laudatam inquinare, & Eccleſiam ſemper Virginem, ac nulla vnquam hæreticæ communionis labe pollutam, fœdare aggreſſus, de ipſo fundamento fidei ſubruendo ſollicitus, auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, eiuſque in doctrina fidei tradenda ſupremum Magiſterium, nulli obnoxium errori, labefactare tentauit; interdum quidem per nonnullas ambages, ſed ita tamen, vt qui oculati erant, & errorum tunc graſſantium non prorſus rudes, virulentiam doctrinæ de ſacro ſuggeſto intonantis, perſpicuè deprehenderent. Aderat Romæ S. Ignatius Loyola, eiuſque ſocij, quos inter S. Franciſcus Xauerius. Hi diſtributi per ſeptem Romana templa, Apoſtolorum olim in vrbium Regina pro animarum ſalute ardorem, egregiè repræſentabant, pari auditorum fructu. Itaque deprehenſo ex pluribus concionibus nefario Concionatoris Pedemontanij conſilio, cum viri eſſent doctrina præſtantes, & difficultatem circa res fidei quæ tunc primum in controuerſiam vocabantur, benè periti; hominem priuatim aditum admonent, & cum charitate corripiunt, blandè ac peramanter prouocantes ad ſapiendum; & quæ male emiſerat recantanda, aut dextrè ad amuſſim Catholicam exponenda. Tantum verò abeſt, vt homo arrogans, benignam monitionem admitteret, vt poſterioribus concionibus teteriora vomeret. Quare adacti neceſſitate Patres, viciſſim pro concione, in errores à nefario tractatore diſſeminatos, (tacito tamen eius nomine) conclamarant; & virulentiæ in doctrina quæ inducebatur, abditæ, populum commouerunt. Tulit hoc impotentiſſimè Lutheraniſmi propola. Itaque per ſe, & potentes quoſdam iam ipſius veneno imbutos, in noui ordinis euerſionem, per auctoris eiuſque ſociorum infamationem, incumbit. Confictis ergo criminibus oneratos, falſo etiam teſte aduerſùs eorum capita ſubornato, per vrbis Gubernatorem innoxios opprimere omni ſtudio contendit, fuiſſèque eam procellam omnino grauem, quaque omnes propè Patribus antea noti, relictis illis tanquam peſte contactis diffugerint, Simon Rodericius qui aderat, in Hiſtoria quam manu exaratam Tabularium Romanum aſſeruat, & Petrus Ribadeneira, Maffeius teſtantur. Exitus negotij is fuit, quem conſceleratæ conſpirationis caput, & Patrum Innocentia merebatur. Nam Patres quidem; diſcuſſa ritè cauſa, (quod ægrè exoratum eſt, cum ſopiendum negotium potentes deprecatores vrgerent; ſed Patrum conſtantia; & Pontificis poſtmodum Nicæa reducis interpellata auctoritas euicit:) cauſa inquam legitimo iudicio ritè ventilata, Patres, prorſus innocij ſunt renunciati. Eorum verò criminator primarius Maynardus, poſita perſona, profugus ad aſylum ipſi itus ſancti reformati Geneuæ patens, ſe contulit. Sed vltore Deo antecedentem ſceleſtum ſequente, ad extremum viuicomburio periiſſe proditur. Sociorum calumniæ in Patres ſtruendæ, miſerandus item fuit exitus. Vnius enim è vinculis profugi, effigies, media in vrbe eſt concremata. Alius perpetuis vinculis mancipatus, in tenebris ſtrauit lectulum ſuum, ibique reſipiſcens obiit. Tertius ex grauiſſimo & inopinato morbo paucis à ſententia lata diebus oppreſſus, fato conceſſit. Hic finis fuit machinationum nefarij apoſtatæ aduerſùs homines Dei. Narrationem totius huius negotij & longam & accuratam, è qua hæc pauca libauimus, dabunt *Nicolaus Orlandinus l. 2. hiſtoriæ Societatis* IESV *a num. 47. & Daniel Bartoli in Opere vernaculo de eodem argumento.*

Petrus Vermillius

Cum ſocio impietatis Emmanuele Trenellio.

M*Artyris* ſe cognomine, falsò honeſtauit. Florentiæ natus, in Feſulano Canonicorum Regularium; vel vt alij referunt Carthuſianorum; iuxta pleroſque autem, alterius inſtituti cœnobio, vitam Religioſam profeſſus, vix annum natus viceſimum, qua erat ingenij præſtantia & dicendi facultate, celeberrimas quaſque Italiæ vrbes concionabundus obiuit. Neapoli, à Ioanne Valdeſio I. C. Hiſpano è Germania reduce, guſtum aliquem noui Euangelij cum cepiſſet, & criminationi pateret, quod nonnullas ſanctimoniales ad primam fidem irritam faciendam, & ſacrilegas nuptias captandas dementaſſet; in Germaniam, abducto in itinere Ochino, (de quo poſtea,) ad noui Euangelij aſylum migrauit. Argentinæ aliquandiu cum Bucero moratus, & ſacrilegis nuptiis cum Catharina quadam, votifraga ſanctimoniali celebratis, non ita multo poſt, cum Buccero ſeceſſit in Angliam, vbi tandiu Lutheri doctrinam in Germania hauſtam retinuit, quamdiu ita ferre tempora cenſuit. Quod disertè notauit, qui eum concionantem audiuit *Nicolaus Sanderus lib. 2. de ſchiſm. Anglic. pag.* 203. Mox igitur ad Zuinglum & Caluinum defecit, *magnus* (vt Sanderus dixit,) *Diaboli laqueus*, quod eloquentiæ & doctrinæ opinione valeret. Quam impotenter Catharinæ ſuæ obitum tulerit, literæ ab eo ad Conradum Hubertum Argentinam datæ *anno* 1552. & aliæ ad Ioannem Checum, quas Sanderus ſupra refert, *pag.* 204. & oratio qua eam publicè laudauit defunctam, teſtatum faciunt. Oſſa tamen ſcorti illius, ſub Maria Regina, è cœmeterio proiecta ſunt, Oxonij. Petro, quod aduocatus, & ex fidei publicæ commeatu veniſſet, poſt longam deliberationem vt *Sanderus lib. 2. pag.* 247. notauit, decretum exilium: Itaque Geneuam petens, deuexa iam ætate, ſed carnis impetigine ſemper laborans, Catharinam Merandam ſanctimonialem, inceſto fœdere ſibi copulatam, Tigurim abduxit. Vnde in Gallias ad Piſſiacum conuentum euocatus, magnis cum Beza & Brentio concertationibus fatigatus eſt. Tandem nihil

nihil minùs cogitans, noctu anno 1562. Tiguri à Dæmone ſtrangulatus, æterna ſupplicia, tot ſacrilegiorum ac impietatum iuſtum ſtipendium percepturus, migrauit ad Tartara. Superbia & libido, militum ad Apoſtaſiam propulerant.

Socium habuit Vermillius inſignem & planum bis Apoſtatam, Emanuelem Trenellium de quo, *Serrarius in Prolegom. Billiacus capit. 15. quæſtiunc. 5. ex Genebraldo l. 4. chronol. & ex Florimundo l. de Antichriſt. cap. 8. pag.* LXI. teſtatur fuiſſe admodùm impium; ac primum fuiſſe iudæum tum Chriſtianum, mox Monachum, deinde Caluinianum, poſtmodum rurſus Judæum Syriacam noui Teſtamenti vulgationem per Guidonem Fabricium, interpolauit ac vitiauit infandus hic Apella; iis truncatis quæ conſenſionem Eccleſiæ Orientalis cum Latina oſtendebant; nominatim quoad Sacrificium Miſſæ, & quoad S. Crucis adorationem, quoad feſta, & obſeruationem Quadrageſimæ, quoad cultum Sanctorum & Ordinationes Eccleſiaſticas. Inſcitiam verò huius apoſtatæ in ea Teſtamenti noui Syriaci editione, Genebrardus exhibuit in vno ex capite, confirmans Syros ſi eius editionem conſpicerent, negaturos vix aliquid verè Syriacum in ea editione legi, adeò infans fuit in ſua interpolata verſione miſer hic intepres Trenellius: quem tamen non fuiſſe verè interpretē, ſed Plagiarium, ſuppoſita ſibi admodùm inuerecundè Guidonis Fabricij Boderiani, docti & Catholici interpretis editione, ad eum quem attigi modum ſuffarcinata atque adulterata, idem Genebraldus demonſtrat. Et attigit quoque inanitatem ac malignitatem Trenellianæ eiuſdem verſionis, Gretſerus Tractatu de nouis verſionibus *cap.* 4. reſpondens querelis Franciſci Iunij Caluiniſtæ, qui *lib. 1. cap. 4. contra Bellarminum*, præteritum à Bellarmino, nouos interpretes recenſente, Trenellium expoſtularat. Eum quippè vel memorare dedignatus erat Bellarminus, tanquam ineptiſſimum interpolatorem alieni laboris? cui ſe cuculum præſtiterat per plagium. Exitum infandi huius Apoſtatæ, adhuc quæro, niſi quod Florimundus Remondus, loco allegato ex teſtificatione hominis fide digni, refert eum obiiſſe Iudæum: ſed nulla tam turpis exitus adiuncta ſignat.

Bernardinus Ochinus.

MEntitur imaginum delineator Beza, hunc Apoſtatam, Congregationis PP. Capucinorum Auctorem faciens; Cum ea Congregatio anno 1525. coaluerit; Ochinus autem, non niſi anno 1534. in eam ſit cooptatus. Res ergo ita habuit. Senis natus Ochinus, & in familiam ſancti Franciſci de Obſeruantia adſcriptus, dimiſſo apoſtaticè eo Ordine, Peruſiam ad Medicinæ ſtudia ſe contulit. Verùm poſt aliquot annos regreſſus in Ordinem ſuum, quia dexteritate & rerum gerendarum peritia plurimùm poterat, ac Zelum magnum præferebat, (nam etiam is in illo paupertatis ardor notatus eſt, vt aliquando Pelagij errore renouato, nefas eſſe Chriſtiano; poſſidere aliquid effutiret;) ad primos quoſque Ordinis gradus aſſumptus eſt. Siquidem etiam Definitoris Generalis grauiſſimum munus, ac penè ſummum, ei eſt concreditum. Ad Miniſtri tamen Generalis dignitatem; quam toto ſtudio prehenſabat, pertingere non potuit: eóque nomine, in Clementis ſeptimi offenſionem incurrit; quod per Pontificem, familiarem quondam amicum, irrepere in illum Ordinis verticem deſignaſſet. Quod aſpiraſſe quoque ad Epiſcopatum Florentinum & purpuram proditur à Franciſco Coſtero conc. in Dominicam ſexageſimæ §. 15. ad hæc tempora pertinuiſſe videtur, quibus Pontificis ſibi iram, ambitionis notatus, acciuit. Eam offenſionem vt tolleret, & maculam ſuperbiæ in domo humilitatis contractam elueret; Capucinorum qui non ita pridem coaluerant, inſtitutum ineundi, facultatem popoſcit, & ægrè tandem exorauit anno 1534. Annis aliquot in ea Congregatione, laudabiliter, & quantum humana ferunt iudicia piè exactis; primùm Vicarius Generalis creatur, mox etiam anno 1540. in totius Ordinis caput ſupremum eligitur; & volens nolens, electioni acquieſcere adigitur. Dum verò Neapoli cum Ioanne Valdeſio I. C. Hiſpano; illo ipſo à quo diximus dementatum Vermillium, cauſa in Lutheri incude noua dogmata excipit, & in Lutheri ac tum primum naſcentis Caluini, libris euoluendis, incautè operam ponit; refrigeſcente orationis ſtudio, ac carnis curam & molliorem tractionem ſenſim adductus; ſuperbia præſertim, ſolidis quibuſque virtutibus cladem in eo grauem creante, corruptus animo ac fide, quædam ſibi inter concionandum excidere paſſus eſt, quorum occaſione euocatus Romam, in itinere, per Vermillium, ad fugam & ſecuritatem in reformati Chriſtianiſmi aſylo captandam perſuaſus, Renata Francia, Ferrariæ tunc Duciſſa, veſtes ac ſuppetias ad fugam ſubminiſtrante, profugit Geneuam: quo habitu, & per qualem metamorphoſim, accipe ex illius temporis Poëta qui tunc ſic cecinit:

Effrontem quem nunc miraris, turba Thraſonem,
Hic tetricis Monachus geſtibus ante fuit.
Ante diu geſſit vilem tritamque cucullam,
Victus & auſterus, vel ſimulatus erat.
Dum fugit, ecce micant criſpanti pilea penna,
Et chlamydis medias vix tegit ora nates.
Fertque latus ferrum, iam ſola licentia lex eſt:
Pro pietate vigent Alea, vina, Venus.
Si Metamorphoſeis nunc ſcribat Naſo, priorem
Vindicet Hiſtoria hac, fabula nulla locum.

Indicauit potiùs quam expreſſit, fugæ comitem, Amicam Ochini, infame ſcortum cui mox per inceſtas nuptias Vxoris nomen indidit. Hæc illi Vxoris imago adhæſit aliquandiu, Linteario opificio victum parans, donec fractis ceruicibus (vt Beza ſcribit,) miſerrimè, infœlix obiit. Ob ſubortas tamen Caluinum inter & Ochinum ſuſpiciones, quod minui aliquid de ſummo imperio per Ochini aduentum & dotes extimeſceret Caluinus, Geneua extruſus miſer Ochinus, Tigurinum & Baſileam ad Heluetios perrexit; & vtrimque pulſus; Carolo Cardinali Lotheringo illhac Romam tranſeunti, ſupplex accidit, enixè vrgens tantum Principem, vt cum Pontifice negotium ſuum tranſigere, eique duplicis apoſtaſiæ veniam exorare dignaretur. Sed mobile hominis ingenium auerſato Cardinali, nec niſi poſt edita mutatæ ſeriò mentis conuenientia ſpecimina, quicquam eo in genere moliturum ſe negante, Ochinus Argentoratum ad Bucerum & Vermillium commigrat. Inde cum iiſdem in Angliam anno 1546. vt habet *Sanderus lib. 2. de ſchiſm. Anglic. pag.* 197. euocatur. Sed poſt annos aliquot, Maria Regina rem Catholicam inſtaurante, inde pulſus, receſſit in Poloniam & Tranſyluaniam; quod Reſcius in Atheiſmis prodidit; ibique Trinitariis & Arrianis ſe adiunxit.

CAP. I V. *Syllabus … ſignum Apoſtatarum.*

CAP. IV
Syllabus inſignium Apoſtatarum.

iunxit. Antiquam item hæreſim de licita Chriſtianis polygamia, edito ea de re, Sigiſmundo Regi impudenter inſcripto, ſpurciſſimo commentario renouauit. Claudius Ptolemæus Senenſis data ad eum Epiſtola fortiſſima, hominem fruſtra tentauit reducere. *Data eſt Epiſtola Romæ 20. Octobr. anno* 1542. Miſer, tametſi intellectu agnoſceret ſuam nequitiam, tamen cauſatus vxoris (ſcilicet,) & liberorum charitatem, hæſit in cœno, inter Arrianos. Tandemque ibidem ſpurcum ſpiritum exhalauit, vt habet liber de Iudiciis diuinis in Apoſtatas, cuſus Geneuæ anno 1574 Eadem de infelici morte Ochini in hæreſi & apoſtaſia dabunt *Torſſinianus lib. 2. hiſtor. ſeraph. Florimondus l. 3. hiſtor. hæreſ. c. 5. Arturus à Monaſterio, in Martyrologio Franciſcanorum ad diem 4. Ianuarij* §. 3. Seuertius & paſſim alij. Eiuſdem æui ſcriptor Andreas Fruſius, quem S. Ignatius Angelum vocabat, ſic eius mortem carmine cecinit, & ſcorti quod ei Vxoris nōmine morienti aſtitit, caſum ita deſcripſit.

Cum temeto eructans animam ſimul efflat Ochinus
Dæmona: res dictu eſt horrida, vera ſed eſt.
Vxor enim cum ſtaret hians morientis ad ora,
Dæmone ſuſcepto mox ruit acta foras.
Coniugis (exclamat,) transfuſus ſpiritus in me eſt;
Spiritus at Dæmon proprius eius erat.
O mulier fœlix nimium & dilecta marito,
Cui moriens tantas ille reliquit opes?
Nam ſolido ſi non heredem ex aſſe reliquit,
Præcipua hæc certè portio facta tua eſt.

Vnde ergo in mentem recens venit, ſcribere, ſub finem vitæ, regreſſum Geneuam Ochinum, ægrum à ſacerdote clam auditum de peccatis, & abſolutum, hæreſes recantaſſe, & Romanæ Eccleſiæ veram fidem conſtanter aſſerentem, omnes verò contrarias hæreſes damnantem, in ipſo lecto pugionibus confoſſum ab Geneuenſibus fuiſſe; vel etiam extra vrbem raptatum, & lapidibus obrutum, ex Apoſtata impuriſſimo in glorioſum Chriſti martyrem euaſiſſe? Impoſuit ea ſcriptio Ioanni Stephano Menochio in Stromatis, Henrico Spondano in ſupplemēto, anno 1547. n. 22. Sed ad populum phaleras. Regreſſus Geneuam, quantoperè conſentiat, cum Caluini ac Bezæ, Geneuæ pro libidine omnia agentium odiis flagrantiſſimis in Ochinum, nemo non videt. Totius narrationis propoſitæ, oculati aut perſpicui teſtes nulli proferuntur; ſed tantùm rumores ea de re clam diſſeminati. Mirum verò eſſet, tot illius æui ſcriptores Catholicos, æquè ac hæreticos, rem tantam tacitos prætériiſſe. Imo (vt vidiſti) negant id diſertè Geneuenſes. Quod autem Theodorus Beza, ad Dudicium ſcripſerit, Ochinum infamem, adulterum, Arrianum, tandem inſignem hyprocritam eſſe deprehenſum; ne probabili quidem argumento eſt, trucidati ob fidem Catholicam Geneuæ Ochini; cum poſſint ea verba facilè accipi de illa hypocriſi, qua relicto Caluino in polygamiæ buccinatorem & Arrianum degenerauerat. Id enim *hypocriſeos* notare, Bezæ & combibonibus ſolemne eſt. Vt vt ſit, Ochinum pro fide confoſſum obiiſſe, & tantum ſpecimen diuinæ erga ſummos peccatores clementiæ præbuiſſe, non eſt quod proferatur; quaſi ad emaculationem eorum quibus cum aliquando vixit, ſit neceſſarium. Nam & Lucifer, abſque Cœlitum probro eiectus eſt è cœlis, & Iudas ſine nota Apoſtolorum, Collegio Apoſtolico excidit.

Ioannes Oecolampadius.

SAcramentariorum parens, & Zuinglij iuratus Achates, initum abs ſe ordinem S. Birgittæ vix deſeruerat, cum ſcorto adhæſit; ex quo Euſebium filium, & Irenem ac Aletheam filias ſuſcepit. Vnde apparet, quæ illi abiiciendæ Religioſæ vitæ per Apoſtaſiam cauſa fuerit. Baſileæ ſedem fixit. A Ioanne Echio, ſtrenuiſſimo rei Catholicæ per ea tempora curatore, in publica diſputatione ad quam data fide publica plurimi vndecunque conuenerant, contuſus, imo potenter contritus Oecolampadius, malo ſuo docuit, maturè ſapuiſſe Zuinglium, qui nullis vnquam machinis Tiguri dimoueri, & ad diſputationis locum adduci potuit. Confoſſo in acie Zuinglio; adeò impotenter amici caſum tulit, vt vix mentem ſuperſtes fuerit; fluctuans ſemper & anceps diriſque in animo, conſcientiæ angoribus vexatus, & ad extremum deſperatione actus in furorem, ægrèque à violentia in ſeipſum cohibitus, exceſſit. Fuiſſe à Satana ſtrangulatum, ſcripſit *Lutherus lib. de Miſſa priuata.* Ad Vxoris latus inuentum exanimem, ferunt alij. Videſis varias in eam rem narrationes apud *Lindanum dialog. 2. Dubitantij.* Baſileenſes, primum ſuum Epiſcopum, adſcripta ſarcophago epigraphe, agnoſcunt, laudantes vbi non eſt, qui cruciatur vbi eſt.

Petrus Viretus.

HIc ex Orba oppido antiquæ Sabaudiæ, haud procul Geneua editus, è Carmelitano ordine tam fuga cùm Gulielmus Farellus Vapincenſis aui Iudæi nepos, verò cognomine *Ferreus* Gallicè *Ferreau*, dormitante (vt ferunt,) Petro de Balma Geneuenſi Epiſcopo & Cardinale, quintum Euangelium Geneuam inferre cœpiſſet; acceſſit Farello aſſecla, coniunctim cum Ioanne Caluino. Per hos triumuiros, thronus hæreſi conſtitutus eſt Geneuæ, anno 1541 Sua cuique (vt ſic dicam) dos ſiue prærogatiua inerat, vel paſſim ineſſe iactabatur; nimirum celebrabatur Caluini ſcientia, vehementia Farelli, & Vireti eloquentia. Quo ſpectant illa Theodori Bezæ in Iconibus:

Gallica mirata eſt Caluinum Eccleſia nuper,
Quo nemo docuit doctius.
Eſt quoque te nuper mirata Farelle tonantem,
Quo nemo tonuit fortius.
Et miratur adhuc fundentem mella viretum,
Quo nemo fatur dulcius.
Scilicet aut tribus his ſeruabere teſtibus olim,
Aut peribis Gallia.

Nō ſtetit certè per illos, quominus funditus exſcinderetur Gallia. Nec odio fuit, cum Caluinus ſocietatis duorum aliorum pertæſus, vtrumque Geneua pepulit; Et Farellus quidem apud Nouum Caſtrum, (vulgo *Neuf Chaſtel*) ſedem fixit, & ibi magno incontinētiæ exemplo ſeptuagenario maior, calculo & podagra (viuis moribus) excruciatus, ancillę ſuę filiā thori ſociā acciuit. Viretus verò, Geneua abactus per Caluini æmulationē, ſoliti eum loquacitatis inſimulare, & inde Magiſtrum Petrum garrulum denominare (*Maiſtre Pierre du Caquet,*) Lauſannam conceſſit, vbi decennium moratus, Lugdunum euocatus eſt, paſtoris imo Lanij aut lupi munere in cauſa reformata functurus; quo tēpore primi turbines Galliam turbarunt. Ab hoc apoſtata euerſio Eccleſiarum anno 1562. per vniuerſam ferè Galliam, præcipuè

cipuè manauit: Lugduni in ſuo Carmelitano cœnobio, aliquandiu ſedem fixit: ſed non ita multo poſt exactus Lugduno (quod Ieſuitarum artificiis tribuit in Iconibus Beza) ad Volcas conceſſit. Accitus autem à Ioanna Regina Nauarræ, nouæ fidei Sectatrice, in Bearnaniam abiit, ibique ſexagenarius ad Tartara commeauit anno 1571.

Auguſtinus Marloratus.

AVguſtinus Marloratus Lotharingus ex Priore cœnobij Bituricenſis Eremitarum S. Auguſtini, hæreſeo buccinator, à Caluino Hæreſiarcha cum Biturigibus ageret in errorem actus, Nouitios primum cœnobij quos curæ Caluini . . rior Marloratus imbuendos ex ſtato menſtruo pretio crediderat, (id quod libro rationum Cœnobij conſignatum, proximè ſuperioribus annis repertum eſt,) tum viciniam Cœnobij vniuerſam, ſuæ hæreſeos infecit. Idem Marloratus per opera ipſiſſa hæreſibus facta, diſſeminare perfidiam quaquauerſum, ſtudioſe ſategit. Eius opus eſt, Catena multiplicibus ſpiſſis voluminibus diſtincta, ex ſcriptis primariorum hæreſeos buccinatorum contexta, errorum Camarinam iure dixeris. Egit aliquamdiu Rothomagi, puri nec vllatenus diluti verbi Dei cauponem; & dum vrbis illa populoſiſſima, & Normanniæ caput, ab Hæreticis occupata dominatum legitimum reſpueret, multos inibi à fide maiorum, & veritate Catholica auertit. Indidem ad Colloquium Poiſſiacenſe, cum Hæreticorum primoribus, Petro Vermillio, Theodoro Beza, Ioanne Spina, profectus eſt. Nec ita multo poſt, ad ſuam caulam regreſſus, implendo Tartaro, abductis omni ope multis è Catholico grege ouibus, ſtrenuam nauauit operam, vſque ad recuperatam Rothomagum, copiis quas ductabat Antonius Rex Nauarræ, Henrici quarti Regis Francorum pater. Vrbe capta Marloratus; Eccleſiæ Rothomagenſis propylæo, infamis Apoſtata & fidei Catholicæ deſertor, de alta informis lethi trabe pendens, affinem cum Iuda proditore quem infeliciter æmulatus erat, exitum vitæ ſortitus eſt; Catholici Magiſtratus decretoria ſententia.

Ioannes Knox.

GIffo dij in Scotia natus eſt, in patriæ eximium Ordinem ſancti Franciſci in quem cooptatus erat, cum abieciſſet, omnibus ſpurcitiis ſe contaminauit. Ob fornicationem, qualis nec inter Gentes auditur, inceſtata Nouerca, à Scotis ſuis malè ſibi metuens, ad Anglos profugit. Vnde aliquo poſt tempore, obliteratis (vt rebatur) ex hominum memoria anterioribus maculis, regreſſus; tria primùm ſcorta palam circumduxit, mox etiam quartum adiunxit. Turbæ & ſeditiones quibus Regnum Scotiæ dirè vexatum eſt, Maria Stuarte Regina clauum tenente; in hunc maximè excucullatum; referuntur. Horribilia ſunt, quæ de eo Leſlæus, Epiſcopus, & Laingæus Doctor Sorbonicus ambo Scoti, & alij nuperi rerum Scotiæ ſcriptores, prodiderunt. Cardinalem ſanctæ Andreæ Dauidem de Betoun, in Scotia Primatem, quod ab eo damnatus ob ſcelera, & brachio ſeculari traditus fuiſſet, proditoriè occidi curauit. Omnia quaqua verſum ſceleribus miſcuit. Anglia poſt nubilum ſerenitati reſtituta, ſub Maria Regina Henrici 8. filia apprimè Catholica, cedere ea in ula coactus Knox, nec auſus in Scotiam regredi, mare tranſgreſſus, venit in Gallias, & vbique inceenſo, ad hæreſeos expiationem ignes reperiens, ad Caluinum Geneuam confugit, aſſumpto nobili ſcorto. Nam ſine huiuſmodi impedimento, nec ferè niſi multiplici, vix vllum iter obibat & huic prepudioſiſſimo noui Euangelij buccinatori, & cæteris nouis Euangeliſtis receptiſſima abuſione: Inſtauratis autem ſub Elizabetha Anglicanis tenebris, denuóque exturbata ex eo regno fide Catholica, Knox cum pleriſque aliis eiuſdem furfuris, regreſſus eſt in Angliam; indeque in Scotiæ primariam vrbem Edinburgum, tres ſorores, mulieres circumducens rediit, & iam præ ſenio frigens, adiunxit quartam, moxque etiam quintam, claris natalibus & tenera ætate puellam, præſtigiis, (vt creditum eſt) ab eo dementatam. Edimburgi poſt varias è variis locis fugas, poſt impreſſa variis locis nequitiæ & præter im impudicitiæ ſuæ veſtigia, per annos tredecim hæſit, indefeſſus errorum diſſeminator, & furore in Catholicos nulli ſecundus. Paucis diebus quam è vita excederet, in ipſo ſuggeſto, inter maledicendum Catholicis impotentiſſimè, partem capitis anticam, obuerſam in poſticam exhibuit, retinuitque eo in ſtatu, quouſque poſt indultum pœnitentiæ tempus exactum, rabioſus obiit, aut quod alij referunt, omnibus abſcedere iuſſis ſtrangulatus à Satana, cuius commercio infamis erat: ita vt ſcortum quod ſciſcitari auſum erat, ecquis ille eſſet Æthiops cum quo egiſſet noctu, proximo die elatum ſit ad ſepulturam.

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Georgius Vicelius.

GEorgius Vicelius ſenior (ad diſtinctionem alterius eodem nomine nuncupati) ab ordine Religioſo quem inierat deficiens ad Lutherum, hæſit cum eo per decennium. Sed, animaduerſa cœnoſa Lutheri doctrina, ad Catholicos rediit anno. 1531. qua ex cauſa curante Luthero, carceri mancipatus eſt tanquam maleficus: ſed innocentia eius comperta, dimiſſus eſt, deincepſque per annos ſex atque triginta, odio patuit Lutheranorum quos bene multis polemicis ſcriptionibus à Poſſeuino in ſacro apparatu recenſitis, exagitauit. Benè iſta quoad hæreſeos eiurationem & inſectationem. Sed fuerunt in Vicelio alia meritò auerſanda, præter abiectionem primam fidei ac religioſi inſtituti; quæ ex Serario l. 1. cap. 40. rerum Moguntinearum repræſento. Sic ergo de eo Serarius. [Georgium Vicelium lego, primis adoleſcentię annis ad Monaſticum ſtatum ſeſe applicuiſſe. Sed poſtea carnis Lutherique philtris dementatum vxorem quæſiſſe magnóque apud Lutheranos, propter aliquam eruditionis, linguarúmque peritiæ opinionem, loco fuiſſe. Ab illis tamen, cum noua, neque Eccleſiaſticæ antiquitatis normæ ſatis conſentanea fingi ac refingi quotidie cerneret, variiſque illos, & acerbis inter ſe opinionibus diſſidere, pedem retulit. Sed ita vt proprij neſcio qua cerebri pertinacia, eo quam par eſſet, diutius glutinatiuſque adhæſerit; in vxoria præſertimve; cui ſeruire, ſimulque ſacerdos eſſe cum vellet, dicitur Epiſcopum Græcum, neſcio vbi, vt ab eo conſecraretur, quæſiiſſe; Sicque cum quodam veluti probro ac riſu, Græcus audiebat Sacerdos: At ſellis ſedere duabus dum voluit, vtraque decidit: Ne-

CAP. IV. *Syllabus in ſignum Apoſtatarum.*

que enim Latinus Sacerdos bonus fuit, qui ad nuptias tranſiit; Sacerdos Græcus bonus minimè fuit, qui ad ſecundas & tertias, imo vt quidam ferunt, etiam ad plures, ſed prole parum felici vt Moguntiæ eſt notum. Plurima verò conſcripſit, quæ alij enumerant, & vitam ad annum ætatis ſuæ, ſeptuageſimum tertium, & Domini milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum tertium produxit, quo Moguntiæ obiit.]

Georgius Buchananus.

HIc ex ordine ſancti Franciſci, transfuga, eo deteſtabilior eſſe debet, quod peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauit. Ordinis enim ſui dehoneſtandi ſollicitus, illum proſcidit metrica inuectiua, quam *Franciſcadem* inſcripſit. Conatus in Scotia inſtaurare Iudaiſmum, reuocato ſub Paſcha eſu agni Paſchalis, cum à Iacobo quinto Rege ſuo commiſſus eſſet cum Ioanne Maiore, ſcriptis ſat multis noto Thelogo, reuictus impietatis, aufugit clanculum, ſeque flammis quæ ſocios ab eo dementatos concremarunt, maturè ſubduxit, profectus in Luſitaniam. Vnde denuò aufugere adactus ob hæreſim, Pariſios adiit. Ibi ſimiliter periclitatus, quod ritu Catholico gratias Deo poſt cibum non agere deprehenſus eſſet, imo gratias agentibus obſtreperet; fuga iam tertium ſibi conſuluit, obruendus alioqui lapidibus, impetu frementis in eum multitudinis, vt Ioannes Laingæus Scotus qui aderat, ſcriptis prodidit in Caluini vita, addens hunc Copronymi germanum, in luſtrico quodam fonte ſacrilegè ſimul ac impudenter effudiſſe quod ſine pace narium exponere non liceat. Homo fuit factioſiſſimus; quem ſpiritum, eius quoque ſcripta inhalant. Vt meritò eius quondam in tenera ætate diſcipulus, Rex Iacobus VI. eo libello, quo filium regnorum hæredem informauit, & *Βασιλικὸν δῶρον*, inſcripſit, filium grauiter conteſtatus ſit, caueret ſibi ab hiſtoria libriſque aliis Buchanani, & Chronicis Knoxi; ſed eos libros, ſicubi inueniret, in eorum detentores ex legum ſeueritate ageret. Certumque haberet, in eorum cineribus, ſeditionum igniculos viuere, & quaſi ex Pythagorica metempſychoſi, quotquot horum impuriſſimorum nebulonum libros retinerent, aut dogmata adamarent, ſpiritum ſeditionis fouere: ac proinde non minùs plectendos eſſe, quàm ſi ipſi Auctores reuiuiſcerent, & quæ ſuperſtites delirauerant, iteratò effunderent. Hæc de Magiſtro quondam ſuo, ad filium, Rex Iacobus. Vtinam ſic de eo ſenſiſſent anteriores. Liberaſſent Scotiam malis grauiſſimis. At ſecus fecerunt.

Nam hic excucullatus arte impiorum, in Scotiæ cladem & religionis in ea euerſionem, eidem Iacobo, Mariæ Stuartæ Reginæ optimæ filio, datus eſt præceptor, cuius hæretica cultura & ſatio, erupit ſuo tempore in ſegetes & Regi & regno vniuerſo, infelices. Vixit & obiit, non ſine ſuſpicione Atheiſmi. Eius notæ argumento, præter cætera ſit, quod ægrum viſentes Regij Medici, ſuprema inualetudine afflictum, repererunt Plinij lectioni intentum; eum verò qui Biblia obtrudebat auerſantem, verbis illis tali Apoſtata & Atheo digniſſimis; *Mihi præ Plinio, omnes veſtræ ſcripturæ deſipiunt.* Genebrardus Bachinum hiſtrionem, & Atheum Poetam cognominauit anno 1566. Obiit in ſenectute mala annum ſeptuageſimum ſextum ſupergreſſus anno 1582.

Franciſcus Rabeleſius.

HIc æui ſui Aidelio ortus Chirone: Ordinis ſancti Franciſci de Obſeruantia, primùm profeſſor, fuit tum ob quædam indigne geſta, ad Benedictinos profugus; nec ita multo poſt, à Benedictinis quoque deficiens, infixus in volutabro luti, euaſit in Medicinæ profeſſorem. Eius hodiéque, Monſpelij, (quam vrbem *totius phyſicæ fontem*, ideſt medicinæ, vocabat *Cæſarius l. 7. mirac. cap. 25.* Eſtque nunc quoque celeberrimum Medicinæ emporium,) ita viget memoria, vt quiſquis in Doctorem Medicum promouetur, detritam Rabeleſij veſtem ſuperiorem, ſic ferente conſuetudine, induat in profundum nequitiæ, per comeſſationes, & ebrietates, hiſque connexas ſordes abductus Rabeleſius in alterum Lucianum euaſit, & omnia quantumuis ſancta, iocis ſuis conſpurcauit. Quem viſum ſcurrilem ad mortem vſque tenuit, non minori iure inter Atheos, quàm inter Apoſtatas referendus. F. Arturus à Monaſterio, grandinem conuitiorum in illum demittit, non ſupra demeritum, *in prologo ad Martyrologium Franciſcanum artic. 12. §. 10.* Conſtat huius Luciani opus quod ſupereſt, præ ſalibus quibus ſcatet, ad iuuentutem ea illecebra captam; omni turpitudine inquinandam, nimium quantum valuiſſe Ioannes Antitrida Vadelinder l. de ſcriptis Medicis V. Franciſcus Rabeleſius, eius lucubrationes Medicas (veriùs alienarum lucubrationum verſiones) enumerat, tacitis aliis operibus.

Hermannus.

DE hoc ita *Brendebachius lib. 7. Collation. ſacrarum cap. 12.* ex Hiſtoria belli Liuonici. *Erat Torpati circa annum Domini 1554. quidam Lutheranæ doctrinæ præco, Hermannus, mirè verſutus & facundus in abducendis hominibus à Catholiciſmo ad Lutheraniſmum, anniſque triginta, ſummum egerat illius doctrinæ præconem. Hic pellione Vuitembergenſi Lutherana dogmata primùm docente, Monachus erat Minorita, iuuenis, at pro ætate in concionibus non exercitatus, accedit pellionem, offert illi ſuam in propagandis Lutheranis dogmatibus operam, monaſticum cucullum in publica concione abiecturum. Pellio eum in cooperarium ſuſcipit, negotiatores nouo habitu eum donant, Virginem Monaſticam in vxorem adiungunt, præficitur vaſis argenteis Eccleſiæ, in vſum pauperum cuſtodiendis. Pellione ex vrbe ſecedente, paulatim magnam auctoritatem apud omnes ſibi conciliat, vt ſolus nobilium infantes baptizaret. Magnam opum diuitiarumque vim congerit, mercatur prædia, domos, agros, in liberorum ſubſidium, primaque, atque tandem ſecunda vxore demortua, tertiam ducit. Verùm anno 1554. graui morbo corripitur, & ſex diebus elapſis, horrenda voce exclamat ſe damnatum, nullam ſalutis conſequendæ ſpem reliquam, & quotquot iſti voluptariæ Lutheranorum ſectæ ſe ſe dederent, damnationi obnoxios. Atque ita toruo aſpectu, & oculis horribiliter flammarum in modum lucentibus, deſperabundus extremum ſpiritum exhalat, omnibus Chriſtianis exemplum ac documentum relinquens, quàm periculoſum ſit ab Eccleſiæ vnitate ad nouas doctrinas deficere,* & verò etiam

etiam miſſa ad aratrum Euangelicum manu, conuerti retrorſum.

Ioannes Balæus.

HIc nequam, vero cognomine, *Bal* dictus eſt; ſed ad declinandam inuidiam ex infamia nominis, *Balæus* denominari voluit. Deficiens ab ordine Carmelitarum, Scotto vxoris ſpecie, adhæſit. Ex eius Opere de ſcriptoribus Britanniæ, genium hominis licet deprehendere. Nam lucubrationem Ioannis Lelandij curionis de eo argumento, ſuis addi amentis ſuffarcinans, ſuo ſe penicillo depinxit: Totus eſt in mordendis bonis ſcriptoribus, & nominatim impudenter ſe geſſit erga SS Bedam & Aldelmum inhærentes Romano Pontifici omnibus probris onerat; Vocat, *Locuſtas Tartareos Antichriſtos, hoſtes Dei infenſiſſimos, Diaboli Synagogam, Leones Romaniſtas, Vrſos ad eſcam & laniénam piorum paratos, gentem prædonicam, Congregationem Chore.* Prælatos Catholicos nunc *Rabbinos Babylonicos*, nunc *Tyrannos* appellat: S. Bonifacium ex Anglia ad Germanos tranſgreſſum, eorumque Apoſtolum, quia aliàs quam Lutherus docuit Germanos, vocat *alteram de Apocalypſi beſtiam, à Papa magno Antichriſto ſecundam.* Pro magna noxa ei imponit, quod *centum hominum millia, charactere Pontificio, ſignauerit, & regno Antichriſti adiunxerit.* Exprobrat eidem quod ſacerdotum & Monachorum coniugia damnarit. E contrario Ioannem Vvicleffum hæreſiarcham nefandiſſimum omnibus honeſtat encomiis, concepto in eum affectu, ex cognominis ſibi Ioannis Balæi ſpiritu Vvicleffum altè tè crepante: de cuius ſeditioſi Sacerdotis & Satanici Concionatoris nequitia, plura Harſpheldius in Hiſtoria Vvicleffiana. Vvicleffum ergo hæreſiarcharum virulentiſſimum Balæus veluti nouum Eliam celebrat. Vocat eum *Stellam matutinam in medio nebula. Doctorem verè Euangelicum: magnanimum Chriſti pugilem; inſuperabilem Eccleſiæ columnam, teſtimonium Eccleſia fidelem, alterum Danielem*, & quid non? Poſſet plena lucubratio ex Balæi de Vvicleffo elogiis confici. De cremato iuſſu Martini V. anno 1428. Vvicleffi cadauere, feraliter baubat Balæus. Nefandiſſimi hæreſiarchæ, & ab omni retrò memoria petulantiſſimi nebulonis vt in Vvicleffiana Harpsfeldij hiſtoria legere eſt, tantus laudator, bonorum verò omnium lacerator, cuiuſmodi fuerit, obſcurum eſſe non poteſt. Non eſt opus ſtruicem librorum Balæi peruolutare, vt perſpecta fiat eius malignitas: Catalogus ſcriptorum de quo ſuperius, ſatis ſuperque eſt ad patris faciem in eius ſobole recognoſcēdam iuxta S. Baſilium. Sunt enim libri auctoribus liberi Ambroſio atque Syneſio indicibus. Nihil ego vnquā vidi eo libro indignius, ſcurrilius, calumnioſius: & omnino adſcribor Martino Delrio qui 4. *mag. c. 1. q. 3. ſ. 4.* incidens in eum librum, occaſione Rogeri Ciſtercienſis Angli, à Balæo demorſi, ait de eo. *Quo nihil vnquam legi ſcurrilius, mordacius aut magis blaſphemum.* Perſtrinxit aliqua de hoc Apoſtata, Ioannes Pitſæus; ſub finem primæ partis; operis de Scriptoribus Anglicanis, à *pag.* 59. ſed vix ſummis digitis attigit, quæ iuſtum volumen depoſcerent, & lenius iuſto excepit morionem ſceleroſiſſimum qui neminem Sanctorum, virulentiæ, maledicentiæque fœdioris ſui paſſus eſt immunem eſſe.

CAP IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

Video, ni mihi ipſe temperem, fore, vt hoc caput in ſpiſſum volumen excreſcat. Quare hos paucos hactenus prolatos, ſatis ſuperque ad inſtitutum eſſe ratus, cæteros qui ad plenum opus conficiendum ſuppetunt, vel dimittam; (vt eos qui ſuperſtites etiamnum ſunt, quia adhuc ſanitatis ſpes affulgere poteſt;) vel ſignatis nudè nominibus, in ſyllabum Alphabeticum congeſtis, exhibebo. Non deerit fortaſſis, qui dicat, his à cenſendis incurrere me in reprehenſionem qua S. *Chryſoſtomus Oratione 5. contra Iudæos ſub medium*, acriter corripit eos qui probra Eccleſiæ euulgant, & multitudinem peccantium, notam faciunt; quos vult potius premi æterno ſilentio, ne ſubneruent vires ſtantium, propoſito malo exemplo, præſertim multiplici. Verùm etiamſi ipſi Eccleſiæ directè vix poſſit prodeſſe, enumerari Apoſtata: indirectè tamen conferre plurimùm poteſt, quatenus hinc liquet, qui ferè fuerint primi ſatores & proſeminatores hæreſeos. Illud enim generatim conteſtari licet, de quo ſcio non fore mihi apud noſtrates controuerſiam vel ambiguitatem; è tot Miniſtris quos in peſtilentiæ cathedris ſedere, hoc vel ſuperius ſæculum vidit, vix, ac ne vix quidem, aliquem eſſe, qui vel ipſe ſacris Ordinibus illigatus ſacrilegis ignibus non deflagrarit; vel è cœnobio per Apoſtaſiam non exceſſerit; conuerſatus non ſit. qui iis ſe criminibus impiarit. Nec eſt quod de hac ſacrorum cœtuum expurgatione, nimis mœreant boni. Quod aliter dixit S. Auguſtinus epiſtol. 137. agens de his ipſis caſibus Apoſtatarum. *Etſi contriſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam qua oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari vnde apotheca Dominica, fructu olei luminoſioris implentur.* Subneruatio verò ſtantium iis qui norunt vnde aut per quem ſtetit non eſt timenda ex hac enumeratione cadentium. Accedit quod nemo iure, ex numeroſa licet Apoſtatarum multitudine, turbari poteſt. *Multi enim ſunt qui perſeuerauerunt, & quidem longè plures, quàm qui exciderunt. Itaque iſtorum gratia, magis confidendum eſt, quàm illorum cauſa metuendum.* Verba ſunt *S. Chryſoſtomi lib. 3. contra vituper. vitæ monaſtica ſub finem.* Quanquam temperatus quoque timor ex his caſibus, iuſtiſſimus eſt. Poſſimque ego ſanè in hac meta Religioſos omnes affari, aptatis ad eos verbis. *Auctoris libri de ſingular. Clerico. ſub initium. Ad vos nunc mea exhortatio conuertitur, quos nolumus experiri talia præcipitia ruinarum. Metuite quantum poteſtis, eiuſmodi caſus exitia, & in iſta ſubuerſione, labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps eſt, qui tranſire contendit, vbi alium conſpexerit cecidiſſe, & vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor, alio pereunte. Amator verò eſt ſalutis ſua, qui euitat aliena mortis incurſum; & ipſe eſt prouidus, qui ſollicitus fit cladibus cæterorum, ſicut Salomon approbat dicens, Aſtutus, videns malum puniri, vehementer eruditur. Et iterum. Cadentibus, impiis, iuſti vehementer terrebuntur.* Ex quo loco S. Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſatagens pro liberatione Apoſtatæ facti energumeni, ſapienter diſputat pro bono ſtabilium.

ALPHABETVM APOSTATICVM.

Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te, in terra ſcribentur.

A.

ABEL Popin, *de quo in vita Bezæ per Lingæum*, Ord. S. Franciſci.
Arouandra, *de quo ſupra.*
Alexander, *de quo ſupra.*
Alfonſus Molla, Ordin. Minor. *de quo Marialla l. 21. hiſtor. cap. 7. Sponda. anno 1472. num. 14.*
Auguſtinus Marloratus, Ordinis ſancti Auguſtini.
Ambroſius Blaurer, Conſtantienſis.
Alexander Canus Ebroicenſis, Ordinis Prædicatorum.
Antonius Gineſtetus, Ordin. ſancti Franciſci de Obſern.
Andreas Langi.
Auguſtinus Maynardus, Ord. Eremitarum ſancti Auguſtini.
Adrianus Cocus, Clericus Regularis ſancti Auguſtini.
Abraham, Ordin. Carmelitar.

B.

BErnardinus Ochinus, *de quo ſupra*, Ord. Cappucinorum.
Baſilius Colen.
Bertholdus Haller, ſocius Franciſci Kolb, ſeductoris Bernenſium.

C.

CElſus Martinengus, Cano. Regul. ſancti Auguſtini.
Columbus Apoſtata Lerinenſis in Prouincia Salyum proditor S. Auguſt.
Comes Palatinus, *de quo ſupra.*
Conradus Pelicanus, Ordinis ſancti Franciſci.
Conſtans, *de quo ſupra.*
Chriſtophorus Auellanus, Monachus ſancti Iſidori.
Cornelius Antonij.

D.

DEſiderius Eraſmus Roterodamus, *de quo ſupra.*

E.

EVtyches, *de quo ſupra.*
Ebroinus, *de quo ſupra.*
Eraſmus Sarcerius, Ordinis ſancti Franciſci.
Emanuel Tremellius, Canon. Regularis.
Edmundus Beaunal.
Euprepianus, *de quo ſupra.*

F.

FAſtidioſus, *de quo ſupra.*
Franciſcus Kolb, ex Monacho Abbatiæ ſancti Martini Baſileenſis Seductor Bernenſium teſte Cochlæo in Actis Lutheri anno 1528.
Franciſcus Rabeleſius Ord. S. Franciſci.
Franciſcus Pellicanus, Ord. S. Franc.

G.

GElaſius, *de quo ſupra.*
Georgius Buchananus, *de quo ſupra*, Ord. S. Franciſci.
Gaſpar Martinus à Carpentoracto, Ordinis Cappucinorum.

H.

HEnricus, *de quo ſupra.*
Henricus de Senis, *apud Emericum 2. p. Directo. q. 16.*
Henricus Sudfanus *apud Cochlæum in Actis Lutheri anno* 1524.
Henricus Veez, Ord. S. Auguſtini.
Henricus Suxphanus, Ord. S. Auguſt.
Hieronymus Zanchius, Canonicus Regularis S. Auguſtini.

Iacobus

I.

IAcobus Præpoſitus, Ord. S. Auguſtini.
Iacobus de Borbonio, Ord. Cœleſtin.
Ioannes Præmonſtrat. *de quo ſupra.*
Ioannes Knox. *de quo ſupra.* Ord.S.Franciſci.
Ioannes Rheim, ex Societate IESV.
Ioannes Palæologus, Ord. Prædicatorum.
Ioannes Pomeranus, Cartuſianus.
Ioannes Balæus, Ord. Carmelitarum.
Ioannes Menardus.
Ioannes Vvigandus, Ord.S.Benedicti.
Ioannes Heberlem.
Iouinianus, *de quo ſupra.*
Iulianus Apoſtata, *de quo ſupra.*
Ioannes Oecolam, *de quo ſupra.* Ordin. ſanctæ Brigittæ.
Ioannes Bugenhage.
Ioannes Eſch. Ord. S. Auguſtini.
Ioannes Spangenbergius, Ordin. ſancti Auguſtini.
Ioannes Hilden.
Ioannes Spina, Ord. Prædicatorum.
Ioannes Meinershaguen.
Ioannes Cambreſienſis, Carmelita.
Iulius Clemens Scotus ex Soc. IESV.

L.

LVcas Sternbergerus.

M.

MAgluco Rex ſiue Tyrannus in Anglia, *de quo Gildas.*
Martinus Lutherus *de quo ſupra.* Ord.S.Auguſt.
Martinus Bucerus, *de quo ſupra.* Ord.Prædicat.
Martinus Miero, Ord.S.Auguſtini.
Mercurius Delphina, Ord.S.Franciſci.
Molinæus, pater Petri de Moulin, Ord. Cæleſtinorum.
Melchior Romanus, Ord. S. Franciſci.
Matthias Flaccius, Illyricus.
Menno, *de quo ſupra.*
Michaël Sather.
Michaël Stiuelius.
Michaël Sellarius, *apud Cochlæum in Actis Lutheri anno* 1527. *& apud ſurſum in hiſtor.* 1526.

O.

OSualdus Molitor, Heluetius.
Otto Brunsfelſius, Cartuſ.

P.

PAulonas, *de quo ſupra.*
Paulus Laciſius, Canon. Regul. S. Auguſtini.
Pelagius, *de quo ſupra.*
Petrus Vermillius Martyr, *de quo ſupra*, Cano. Regul.
Petrus Richerius, ex Ord. Carmelit.
Papyrius Maſſonius, (*Vide Delrium* 1. *Mag. q.*10. *in fine.*) ex Societate IESV.
Paulus & Lancelotus Auguſtiniani malè pereuntes 1587. tomo 2. auctarij Spondanirum. 1.
Petrus Viretus, Ord.Carmelit.
Petrus Martinus, Cartuſianus.
Petrus Richerius, Carmelita.
Pomeranus Bughenhah.
Theophil. Rayn. Aſcetica.

Philippus Cambrienſis, (*eiurauit enim inditum in baptiſmo Ioannis nomen.*)

CAP. IV. *Syllabus inſignium Apoſtatarum.*

R.

RIchardus Girardus, Ordin. Ciſtercienſis.

S.

SErgius & Stephanus, *de quibus ſupra.*
Sebaſtianus Munſterus, Ord.S.Franc.

T.

THeodorus Mopſueſtenus, *de quo ſupra.*
Theodotus, *de quo ſupra.*
Thomas de Thiel, Ord.Bernardin.

V.

VEnceſlaus Linchk, *apud Cochlæum in Actis Lutheri anno* 1528.
Vvolfangus Muſculus, Cartuſ.

X.

XIſtus Betuleius, Ord. Carmelit.

Ex hoc guſtu, vides, quàm meritò Scurram Lambertum Danæum Catholicos ſacerdotes ſubſannantem, repulerit ſcriptor Catholicus. His Danæus notis, ſacerdotes Catholicos deformarat, ineptè æquè ac acerbè:

Candida viſtigeri, facie ſimulante ſeueri;
Pulchra protumidi, Miſſa pecunifices.
Bombardogladio, fundhaſta flammiloquentes
Biblio ſacrifugæ, diſcipidiſcioli.

Verùm repoſuit Catholicus, eodem ſtylo, ſic de Miniſtris ſcribens.

Hæreſi ſcrutilegi, Tambulicale pinoperiti,
Horridi Templifragi, Texi Calumnidoli.
Compillibrifices, blatto ſcripturi terentes
Biblionolgiuagi, CLAVSTRICVCVLLIFVGÆ.

Priora verè; hoc poſtremum, veriſſimè. Quæ mihi videtur vberrima miſerationis leges, non modò quoad ipſos Apoſtatas miſerrimè lapſos, ſed etiam quoad eos qui adeò infatuati ſunt, vt per huiuſmodi organa, reformationem Eccleſiæ ſingulari Spiritus ſancti directione ſperarent. Sed hoc aliàs. Non priùs tamen hinc excedo, quin obiter moneam, vt agnoſcant deformationem Religionis prætendentes Hæretici, gratiam ſibi à me factam, dimiſſis quas in hunc ſyllabum accenſere iure poteram, Monialibus. Nam eas quoque, (proh ſcelus!) ſupra ſexum, auſas ad tantum flagitium aggredi, cum ætas anterior, tum nominatim ſuperius ſæculum, plus ſatis docuit. Ex quo enim Lutherus, ſacrilegium immane, abducta è cœnobio fœdifraga Catharina, in conſpectu Solis auſus eſt admittere, multæ ad eandem, per Spiritum Sanctum reformatum, licentiam conuolarunt. Eiuſmodi nominatim fuit Hundia illa, Moguntini Parthenonis ſubprioriſſa, quam Francofurtum deſertricem profugiſſe, & cum vili Miniſtro cœnobij nato in piſtrino, per fœdum commercium abieciſſet Chriſtum ſponſum, hæreſi immortuam, ſcribit *Raderus libr.* 1. *vitæ Petri Caniſij capit.* 6. Eiuſdem furfuris fuit, Franciſca Chaueza, ex ſancti Iſidori monaſterio, deſertrix Religionis ac fidei, cremata Hiſpali, cui Theodorus Beza in ſuo

CAP. V. *Signa portendentia Apoſtaſiam.*

Hiſpanorum pro fide (ſcilicet;) martyrum ſyllabo, locum dedit. Soror Ioanna de Iuſſia in eo libello quem inſcripſit *Fermentum Geneuæ* duas memorat apoſtataſſe; Bleſinam Vatembertam è familia S. Claræ, & Mariam d'Entiere è Picardia: Abbatiſſam. Ordinem non ſignat. Antiquiores duæ à S. Gregorio numerantur, Gordiana quam amita ſuam fuiſſe agnoſcit, deſcribens caſum eius *homil.* 38. *in Euang.* & filia Tulliani Magiſtri militiæ, ob cuius apoſtaſiam diſſimulatam, idem S. Pontifex, acerrimè caſtigat Vitalianum Epiſcopum Sipontinum.

Retraho calamum ab hac illuuie. *Ideo autem* (vt cum Pallido clauſula hic apponatur *ſect.* 34. *lauſ.*) *ſcripſi ruinam eorum qui poſt multos labores, per otium & ſocordiam, à ſummo & perfectiſſimo vitæ inſtituto exciderunt, capti à Diabolo omne genus laqueis; vt vnuſquiſque ex ſuæ vitæ inſtituto intelligens occultata retia hoſtis bonorum, fugiat eius laqueos. Cum ſint ergo multi, atque magni, viri & mulieres, qui ab initio ſe rectè geſſerunt in exercitationis honeſto inſtituto; tandem autem fuerint euerſi radicitùs ab omnium hominum aduerſario; Ex multis, facta mentione paucorum, plurimos prætereo ſilentio: Vt qui neque ipſos erigam, neque mihi proſim, dum in iis multùm immoror.*

Perperam tamen inſimularer violatæ religionis, & inuſtæ ſacris familiis maculæ, ob hos paucos in hunc ſyllabum adunatos. Neque enim verum eſt; patefacto quorundam vitio, aſpergi infamia, cœtum ſacrum vniuerſum, & præſtare talia celare quàm exponere. Hoc ſi ita eſſet, conciderent omnes reprehenſorij libri Sanctorum Patrum, vt ſuo loco dictum eſt, contra molliculos; quibus S. Bernardi aureum ac gemmeum *opus de conſideratione*, durum tanto poſt viſum eſt, ac premi dignum, tanquam implens ignominia facies Romanorum. Poſſit verò, talia immurmurantibus, reponere S. Bernardus, quæ *Theodulfus Aurelianenſis lib.* 5. *carm.* 2. cum notaſſet malos aliquos, Eccleſiaſtici ordinis ſtrumas reponit obſtrepenti, hoc eſſe notare ſacros Antiſtites.

Non ego Paucorum dum vitam ſcribo malorum,
Aut decus ipſe piis, aut mea Muſa ſibi;
Pulchra nec vrticis exuro lilia ſcabris
Nec ſegetes aumis trux paliure tuis.
Mollibus in pratis miſcentur mollia duris;
Noxia cum nitidis ſemina geſtat ager.
Hortus aromaticis redolens pulcherrimus herbis,
Geſtat nidorem ſæpè cicuta tuum.
Num mala miſta bonis, bona prauis, ire per æuum,
Quis neget, aut dubitans diffiteatur homo?
Namque reuellendum vitioſo ſemine purum,
Creſcere meſſis herus, tempus in vſque iubet.
Chriſti in ouile manent agnis cum lenibus hœdi,
Expectátque pios dextra, ſiniſtra reos.
Myſtica permiſtos ceperunt retia piſces;
Pars bona lecta viget, pars mala iacta perit.
Eccleſia quod ager, quod ouile, & retia geſtant.
Cur non geſta huius carminis huius opus?
Aut cur multorum non certet pingere mores,
Cunctorum mores emaculare parans.

Inſidioſa igitur & calumnioſa eſt ea criminatio, in veterum ſermonum & optimarum ſcriptionum exitium ceſſura, quod quæcunque alienarum turpitudinum propalatio, proſcribenda ſit tanquam bonos dehoneſtans.

CAPVT V.

Quæ in prædictis, & aliis, notata ſint ſigna apoſtaſiam portendentia.

SIgnorum nomine, non intelligo oſtenta diuinitus monſtrata. Quanquam & hæc quoque, aliquando interueniſſe leguntur. Nam apud *Cochlæum in Actis Lutheri anno* 1523. *pag. mihi* 99. *Et anno* 1525. *pag.* 142. ſub tempus defectionis Lutheri, vacca vitulum ſpecie Monachi, id eſt caluo capite, & monaſtico circũdatum cucullo, peperit; manifeſto (vt pleriſque omnibus viſum eſt) argumento, monſtrantis Dei, ecquod ſpurium vitulamen Germania edidiſſet Sicut è contrario, vt monſtraretur quam Sanctus Monachus eſſet futurus S. Petrus Cœleſtinus, prodiit ex aluo materna, nigra amictus pellicula, quæ erat ad inſtar Monaſtici habitus, vt habent eius Acta initio. Et S. Nicetius Treuirenſis natus eſt cum corona Clericali in capite, vt ſcribit *Gregorius Turonen. in vita Patrum cap.* 17. ad ſignificandam eius in Clero præcellentiam. Ac ne quis ad fabulam in Lutheri odium excogitatam, ab iis qui procul aberant id referre audeat, recitat Cochlæus epigrammata, quibus dicaces oræ ac æui illius Poëtæ, Lutherum ea ex cauſa ſalſerunt. Meminit quoque huius prodigij *Iacobus Ruffinus Tugurinus lib.* 5. *muliebrium cap.* 3. De his tamen apoſtaſiam portendentibus ſignis, nunc non ago; ſed de aliis, quæ naturalia vel moralia dici poſſunt; & ad oſtenta diuinitùs, in hanc rem edita non pertinent. Quanquam non omnia naturalia vel moralia apoſtaſiæ ſigna, hic pertractabo. Non enim hic ſuſcipio diſſerendum de ſignis illis Apoſtaſiæ & defectionis à ſtatu Religioſo, quæ ita ſigna ſunt, vt ſimul ſint cauſæ & diſpoſitiones præſertim proximæ, ad Apoſtaſiam, de quibus capite ſequenti agendum erit. Sed ſigna de quibus hic agendum eſt, ſunt ſigna nuda, quæ ſcilicet apoſtaſiam conſecuturam ita portendunt, vel indicant, vt eam non efficiant, præſertim proximè.

Puſillanimitas in aduerſis, Apoſtaſiæ ſignum Prognoſticum.

EIuſmodi eſt, quod *Hildebertus Cænom. Epiſtol.* 31. proponit, aſſerens, animi puſillanimitatem ac defectionem in aduerſis, portendere defectionem à ſtatu virtutis, in eo qui Religioſorum ordinem inierit. Hoc quorſum dicatur, videri poteſt nonnihil obſcurum. Poteſt tamen ratio duci, ex eo quod Religioſus ſtatus admodùm aſper eſt; & vt Patres vocant, quotidianum & diuturnum martyrium. Sic profitetur Barlaam apud *Damaſcenum in Hiſtoria cap.* 12. Ait enim, idcirco Religioſos à ſæculo ſecedere, vt animo & voluntate martyres effecti, ea gloria non carerent, quam aſſecuti ſunt qui mortem pro Chriſto oppetiuerunt. Optimè quoque in eam rem diſſerit *Guerricus ſerm.* 1. *de Aſcenſione ſub finem.* Multa in hanc rem adduxi in *Opere de Martyrio par.* 1. *cap.* 3. Nec mihi videtur poſſe hæc Religioſi ſtatus durities aptiùs exponi, quàm dicendo, Religioſum eſſe imaginem Chriſti cruci ſuffixi; quem Chriſti ſtatum fuiſſe aſperrimum & ærumnoſiſſimum, nemo diffiteatur.

Eſſe

Eſſe autem Religioſum, Chriſti pendente è cruce ectypon, cum *Abbas Piphnutius apud Caſſianum lib. 4. de Inſtit. cap. 32.* pulchrè proſecutus eſt; tum diffusè *Rupertus lib. 4. in Regul. S. Benedicti à cap. 9. & Ioannes Nider lib. 3. de reform. relig. cap. 8.* Non diffiteor, magnam celebrari à Patribus & aſceticæ vitæ magiſtris Religioſæ vitæ iucunditatem & tranquillitatem; ita vt etiam aliqui, nonnullam beatitudinis prægustationem in ea agnoſcant. Videndi, Autor vitæ *S. Fulgentij cap. 2. Salvianus lib. 1. de prouid. non multum ab initio, Chryſoſtomus hom. 14. in 1. ad Timoth. in morali, & hom. 56. ad populum.* Sed hæ ſuauitates, & illa tanta tranquillitas, ad effectus gratiæ blandientis referri debent, non autem ad naturam & conditiones ſtatus, qui verè eſt auſteriſſimus & duriſſimus: vt propterea *S. Gregorius Nyſſ. orat. in ſuam ordinationem poſt medium*, vitam monaſticam adeò duram conſtanter perferre, ducat miraculo; & quidem non diſpari miraculis illis antiquis, quæ apud omnes ſunt celeberrima. Quid verò durius eſſe poteſt, quam voluntatem ſemper & vbiuis frangere, tametſi eius vſu nihil eſt dulcius? Dimitto enim corporis incommoda, quæ ex variis cuiuſlibet ferè inſtitui obſeruationibus, ſunt & multa & non vulgaria, atque adeò horroris & moleſtiæ permultum ingenerare ſunt apta. Nam quia hæc exteriorem duntaxat hominem attingunt, vix numeranda inter aſperitates videntur, præ illis abſconditum cordis hominem grauantibus. Quid igitur aſperius, quam ad veram ſui abnegationem ſemper aſtringi, & nunquam ſuæ voluntatis nutibus regi, ſed ſemper alieno impetu duci? Augetque eam aſperitatem, quod plerumque qui aliis præſunt, & ſuper eorum capita ſunt impoſiti, non ij ſunt quibus curæ ſit diuinam in regendo moderationem imitari; ſed ea ſæpè auſteritate & potentia imperant, iuxta Domini ipſius voces apud Ezechielem, vt tyrannidem ſuboleat eorum rectio: quod S. Bernardus non tacuit in *Apologia ad Guliel. Abbatem, & Petrus Bleſ. ſerm. 44. ac Ioannes Sariſber. in polycr.* adductus in Commonitorio vt ſit moderatio quod dicitur. Accedit morum frequens diſparitas cū æqualibus, & antipathia: vt iam non vnius moris homines in domo degant, ſed morum valdè diſſimilium; quæ res aduerſus concordiam & tranquillitatem quantum poſſit habere incommodi, non eſt difficile perſpicere.

Ex his igitur aliiſque in Religioſa vita aſperitatibus, quibus continua naturæ eiuratio exercetur, vt egregiè tradit *S. Damaſcenus c. 12.* hiſtoriæ ducenda ratio videtur, cur frangi aduerſis, portendat ſecuturam aliquando defectionem. Nam cum infallibile ſit, quod in tali vitæ inſtituto permultis quis ac frequentibus vrgeatur aduerſis; profectò ſi ea fragilitate ſit quæ cuiuis cedat impetui, veriſimile eſt tandem aliquando eſſe opprimendum; nec fatigandum modo onere, ſed etiam conterendum. Concinit his, quod *Guerricus Abbas ſerm.* in die omnium Sanctorum, pro eodem habet, fieri Apoſtatam, & perdere ſuſtinentiam. *Quam miſer homo (inquit) qui cum in honore eſſet, non intellexit, ac proinde comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. An non manifestè hoc illis contingit, quos cum beata paupertas feciſſet honorabiles cælo, mirabiles mundo, & vt nihil prateritum ſit, etiam formidabiles inferno; poſteà arbitrantes miſeriam cæcato ſenſu paupertatem, humilitatem, ignauiam, voluerunt diuites fieri, & inciderunt in tentationes & in laqueos diaboli: cumque eſſent Domini vaturſarum, vendiderunt ſe ipſos ſine pretio, propter ea quæ nihil ſunt. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam: & diuerterunt in vias prauas.*

CAP. V. Signa portendentia Apoſtaſiam.

En apoſtaſiam præſagit, non ſuſtinenti. *Philippus item Abbas Tomo 3. moralit. in Cant.* vineam conferens cum Religioſa anima. *Quicunque (inquit,) vitis ſeu vinea eſſe deſiderat, neceſſe eſt vt propoſitum ſanctitatis & Religionis: quod pro Deo arripuit, nullatenus dimittat proſperitatibus non diſſoluatur, aduerſitatibus non frangatur, ſciens quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Quis verò non admodum veriſimilem ducat, præſentionem illius, qui fragilem cymbam truci pelago terribilibus decumanorum flabris agitato committi videns, præſagiat eius aliquando quaſſationem atque ruinam? Ob hanc cauſam *S. Baſilius ſerm. de abdicatione, initio*, valde cupit, vt qui Religionem meditatur, paret ſe ad ingentium incommodorum perpeſſionem; alioqui præſagit fore vt ruat.

Alterum Apoſtaſiæ prognoſticum, immodeſtia.

Aliud ſignum, Apoſtaſiæ à Religione prognoſticum, eſſe poteſt, illudmet quod SS. Ambroſius & Gregorius Nazianzenus, & alij nonnulli tradiderunt pro ſigno defectionis à fide Catholica. *Habitus mentis (inquit S. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 18.) in corporis ſtatu cernitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior aut contra grauior, & conſtantior, & purior & maturior æſtimatur. Itaque vox quadam eſt animi, corporis motus. Meminiſtis Filij, quendam amicum, cum ſedulis ſe videretur commendare officiis, hoc ſolo tamen in Clerum à me non receptum, quod geſtus eius plurimùm dedeceret. Alterum quoque cum in Clero reperiſſem, iuſſiſſe me ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere, oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur poſt offenſam muneri. Hoc ſolum excepi; nec fefellit ſententia; Vterque enim ab Eccleſia receſſit, vt qualis inceſſu prodebatur, talis perfidia animi demonſtraretur. Namque alter Arianæ infeſtationis tempore fidem deſeruit, alter pecuniæ ſtudio ne iudicium ſubiret ſacerdotum, ſe noſtrum negauit. Lucebat in illorum inceſſu imago leuitatis, ſpecies quædam ſcurrarum percurſantium.*

Gregorius verò *Naz. oratione 4.* quæ eſt ſecunda in Iulianum, vnde conſecuturam aliquando Iuliani à fide apoſtaſiam iam olim præſagiuiſſet, deſcribit his verbis. *Me non malum de hoc viro coniectorem fuiſſe noui, quamquam alioqui non ex eorum numero ſim, qui in huiuſmodi rebus sciti atque ingenioſi ſunt. Sed me morum ac geſtus ipſius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio vatem efficiebat, ſi quidem vates ille optimus eſt, qui rectè coniicere nouit. Neque enim nihil boni quicquam ſignificare videbantur, ceruix minimè firma, humeri quos ſubinde agitabat, & attollebat, oculus vagus & aberrans, ac furioſum quiddam intuens, pedes inſtabiles, & titubantes, naſus contumeliam ſpirans, vultus lineamenta ridicula idem ſignificantia, riſus proterui & exæſtuantes, nutus & renutus omni ratione carentes ſermo hærens ſpirituque interciſus, interrogationes præcipites, & imperitæ, reſponſiones his nihilo meliores, alia in alias inſultantes, non autem graues & conſtantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid ſingula deſcribere neceſſe eſt? Talem ante opera conſpicatus ſum, qualem in operibus po-*

CAP. V. Signa præcedentia Apoſtaſiam.

ſtea cognoui. Quod ſi quidam ex iis, qui tum ſimul erant, atque audiebant, nunc mihi præſto eſſent, haud ægrè eſtareiur. Ad quos, vt hæc conſpexi, ſtatim his verbis vſus ſum. Quale Romanorum regio malum aliti? præſagus licet, ac mihi vt fallus vates eſſem, imprecatus.

De Berengario Sacramentariorum vmbraticorum parente, teſtatur *Guitmundus lib. 1.* contra eum, præiuiſſe futuræ impietatis ac profeſſæ infidelitatis imagines, in eius externo homine. *Nam perparuo receſſu, ſublimi præ cæteris ſuggeſtu, dignitatem magiſtri potius ſimulans quam rebus oſtendens, profunda quoque incluſione intra cucullum, ac ſimulatione longæ meditationis, & vix tandem ſatis deſiderata diu vocis, lentiſſima quadam quaſi plangore incautos decipiens, doctorem ſeſe artium pene inſcius profitebatur. S. Hieronymus Epiſtola 22.* haud diſſimiliter de quibuſdam Pſeudo Clericis ariolatur, nec non S. Tiburtius de quodam Torquato Apoſtata à fide, vt videre eſt in Actis S. Sebaſtiani.

Aiebam indidem duci poſſe haud falſam præſagitionem defectionis à Religione, vnde hi Patres petiere vaticinium defectionis à fide. *Proſper ſanè lib. 2. de vita contempl. cap. 4.* deſcribens Religioſos nomine tenus, & facilè ruituros, ſic inter cætera eos depingit. *Vndante lapſabundi corporis motu, deflexe tibus in talos veſtimentis incedunt, & vagis laterum flexibus quodammodò fluctuantes, animorum diſſolutionem veſtigiis ſinuoſa mobilitate nutantibus produnt.*

Optimè *S. Gregorius 3. par. paſtor. admonit. 24. initio*, id ex Scriptura ipſa eruit, ſic deſcribente hominem Apoſtatam. *Homo Apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Ecce, quem ſeminantem iurgia dicere voluit, priùs Apoſtatam nominauit, quia niſi more ſuperbientis Angeli à conſpectu conditoris prius intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum ad ſeminanda iurgia non veniret. Qui rectè deſcribitur quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior namque eſt cuſtodia, quæ ordinata ſeruat exteriùs membra. Qui ergo ſtatum mentis perdidit, ſubſequenter foras inconſtantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice ſtabilitatis ſubſiſtat.*

Nimirum vt probè diſſerit Richardus Victorinus initio Allegoriarum in Tabernaculum fœderis, vbi exterior diſciplina deeſt, interior pro certo obſeruari non poteſt: Ideoque tabernaculo veteri circum adiacebat atrium, id eſt interiori compoſitioni diſciplina exterior. Atrium namque, quia apertum & ſub dio erat, optimè exteriorem animi compoſitionem & diſciplinam præſignabat, quæ ornare interiorem animi compoſitionem, eamque extrinſecùs præferre & repræſentare debet. Et hoc eſt ob quod *ſanctus Ambroſius lib. 2. de Virg. initio, adductus à ſancto Auguſtino lib. 4. doctr. Chriſt. cap. 31. vocat modeſtiam, veſtibulum bonæ domus.* Igitur vbi nulla eſt, vel admodùm neglecta exterior compoſitio, indicium præbetur non leue, nullius aut admodùm neglectæ compoſitionis internæ. Vnde quid expectandum, præter certam ruinam, intra aliquod tempus?

Fateor, externam compoſitionem non eſſe certum internæ compoſitionis argumentum: & plerumque tegi multam malitiam obducta illa externa honeſti ſpecie. Sub tunica pœnitentis, regius plerumque animus latet, vt *S. Hieronymus Epiſtola ad Marcum Celedenſem* optimè notauit. Et è contrario; ſunt in ſeculo qui ſub habitu militari agunt opera Prophetarum, ait ad Exuperantium idem Hieronymus. Et in ſimili Ennodius de Ruſtico Epiſcopo Lugdunenſi agens; in Sancti Epiphanij Ticinenſis rebus geſtis. *Homo qui in ſecularis tunicæ præfiguratione, ſacerdotem ſemper exhibuit; & ſub prætexta fori, gubernatorem geſſit Eccleſiæ.* Sicut ergo iſti, aliud ſunt in ſeculo quam veſte præferant; ita aliqui in monaſterio. Vnde ſanctus Hieronymus ad Ruſticum de veri & falſi Monachi characteriſticis latè diſſerens, non omittit, eſſe qui ſuperbiam non exiguam foueant ſub ſordibus externæ humilitatis; quales ij quos deſcribit ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes; ſtupentibuſque in terram oculis tumentia verba trutinantes; vt ſi præconem addideris, putes incedere præfecturam. Nonnullorum exteriora (*inquit Cæſarius ſerm. 2. ad Monach.*) ſerenitas tenet, interiora tempeſtas. A foris auream faciunt ſtatuam Religionis ſuæ, ab intus luteam; & domos Dei quæ ipſimet ſunt, à foris pulcherrimis coloribus depictas exhibent, ab intus verò ſcorpionibus & ſerpentibus habitandas dimittunt. His enim comparationibus magnus ille rei aſceticæ Magiſter Cæſarius, hanc externæ ſpeciei virtutis, dimiſſa interna, ſollicitudinem deſcribit. Velut ſtatuæ, Monachi ſolam figuram circumferunt, virtutum anima deſtitutam, vt ait *ſanctus Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap. 21.* Quare (vt aiebam) fateor in externa ſpecie virtutis, & in benè compoſito exteriori homine, non eſſe ſitam Religionis laudem, & virtutem veram: nec id ſpectaui, cum dixi, externæ compoſitionis ac diſciplinæ conculcationem, ſignum eſſe animæ aliquando, ni proſpiciat, ruituræ: ſed contendo tamen, ita eſſe animandam interna virtute compoſitionem & formam externam, vt ſi hæc abſit aut negligatur, abſit quoque vel iaceat interioris hominis compoſitio, vt Richardus Victorinus egregiè affirmauit. Igitur non abſurdè, homo exterior incompoſitus, proponitur pro ſigno Apoſtaſiæ prognoſtico; nimirum niſi remedium maturè adhibeatur, & adiuncta incompoſitionis illius, profectu & augmento prohibeantur.

Tertium Apoſtaſiæ Prognoſticum, effuſio in externa.

Signum aliud defectionis à Religioſo ordine, ex eo genere ſignorum de quibus hic agimus, tradi poteſt, actus alicuius in multis eſſe, vt ſcriptura loquitur, hoc eſt, hominem eo eſſe genio, vt libenter effundatur ad externa, captetque ſecularium negotiorum occaſiones. Cuius rei cauſa, vt *Petrus Bleſenſis epiſt. 27.* ſcitè dixit, clauſtra plerumque in caſtra & fora conuertuntur. S. *quoque Auguſtinus libr. de moribus Eccleſ. cap. 34.* vltro dat aduerſariis Catholicæ Eccleſiæ, eſſe in ea, *qui renunciauerunt verbis huic ſeculo, & ſe omnibus huius ſeculi molibus opprimi velint, oppreſſique lætentur.* Hoc verò indicium eſt, hominis ægrè perſtituri in loco quem poſuit illi Deus, ſed caſuri in retiaculo quod peccatoribus tetendit. Nam *bellum tumultuum, Religioſæ vitæ exercitationem grauibus & periculoſis ſagittis inſectatur.* Verba ſunt, *Iſidori Peluſiotæ lib. 1. Epiſtol. 367. Et vt ſanctus Chryſoſtomus in pſal. 140. in fine*, perpendit, Dauid in perſona probi & Religioſi viri; affirmat declinaturum ſe huiuſmodi retiaculum & ſaluum fore quia ſecum habitaret, nec eſſet negotioſus & effuſus in plurima.

rima *Cadent* (inquit Pſaltes interprete Chryſoſtomo) *in retiaculo eius* (hoc eſt Dei plectentis & labiſinentis,) *peccatores; ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* Mihi autem ſecuritatem ac ſtabilitatem cum Dei gratia ſpondeo, quia ſingulariter ſum; hoc eſt (ait D. Chryſoſtomus,) *compactus, coniunctus, non diſperſus, apud me conſiſtens*, & quidem toto vitæ tempore, ac donec tranſeam in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei. Hoc eſt eſſe Monachum, ſiue monichum, aut monoculum, ad externa cæcum, vt philoſophatur *Philippus Abbas lib. de Continentia cap.* 78. Addit S. Chryſoſtomus, hanc ſolitudinem, & laudatiſſimam monaſticam, iis quoque poſſe contingere qui in mediis vrbibus degunt, foraque inter & ſtrepitus verſantur: E naturali ſuo manaſterio, (vt ſcitè ait *S Baſilius cap. 6. Conſtit.*) nunquam digredientes: quod ipſi Baſilio obueniſſe, docet in eius Monodia Gregorius Nyſſenus, monſtrans vrbem ei fuiſſe ſolitudinem. Similiterque eſſe ingen. commodum huius ſeceſſionis à ſtrepitu ſeculi; & ob eam, mulierem probam, etiam in coniugio, poſſe viuere vitam Monaſticam, optimè confirmat S. *Chryſoſtomus homil. 60. in Ioan.* ad illud, *multi ergo crediderunt in eum.*

E contrario autem, plerique in eremum ac ſolitudinem externam, inferunt turbines, & procellas ciuitatum; & immemores edicti dominici quod *Leuit. 21. latum eſt, de ſanctis non egredietur, ne polluat Sanctuarium Dei*, ideſt cor ſuum, interprete *Caſſiano collat.* 14. *capit.* 10. egrediendo de ſanctis, ſeque in externa effundendo, tales ſenſim efficiuntur, qualia ſunt quæ aſſiduè agitant, & quales ij cum quibus frequentes ſunt: quod eſt ruinæ tandem aliquando conſecuturæ non leue indicium, ac velut prognoſticum externæ, (vt ſic dicam,) ſecularitatis, cum interna quæ animum iam occupauit, coniungendæ. Nam ſeceſſio à ſeculi negotiis eſt antiſtita ſpiritualium adoleſcentularum, & magiſtra virtutum, vt loquitur *Daniel in vita S. Climaci ſub initium.* Vnde liquido infertur, eum qui ſeceſſionem deſerit, haud procul abeſſe à deſerendo cœtu adoleſcentularum, ſiue Religione.

Facit ad hunc locum, quod *Petrus Damiani Opuſc. 52. cap. 2. & S. Bern. ſerm. 1. de S. Andrea*, piſcibus cœnobitas, cœnobium viuario & aquæ comparant. Sicut enim piſcis, quamdiu viuario concluditur & aquis immanet, viuit; ex aqua autem ad terram eductus emoritur, ſic Religioſus, velut ſpiritualis piſcis, (vt idem Damiani mox addit) quamdiu fluentis aquarum quæ in cœnobio iugiter fluunt immoratur, perſtat incolumis; ſi autem ad arentem & exſuccam telluris ſiccitatem proſiliat, per ſollicitudinem temporalium & effuſionem in res ſeculi, mox emoritur. Placuit ea comparatio S. Antonio, referentibus *B. Athanaſio, in eius vita cap. 53. ac Sozomeno lib. 1. hiſtor. cap.* 13. Placuit item Abbati Moyſi apud *Ruffinum libr. 3. vita Patrum cap.* 109.

Ex variis ſcripturis, hanc Religioſi effuſionem, & inſinuatum per eam excidium Religioſæ profeſſionis, declarat S. *Odo lib. 2. collat. cap. 37. Eſt & aliud (inquit,) malorum genus: eorum videlicet qui habitum Religionis aſſumunt, ſed vel multis vitiis publicè, vel quibuſdam occultè ſe ſubdunt. Vnde B. Iob, voce dolentis Eccleſia dicit; Effudi in terram viſcera mea. Nam quia viſcera in humano corpore interiùs ſunt, viſcera Eccleſia vocantur, qui Religionis habitu induti, ad intima eius ſacramenta deſeruire debent. Cum ergo malignus hoſtis, quoſdam ex eis ad ſecularia deſideria, vel negotia pertrahit, eiuſdem Eccleſia viſcera effundit in terram, quia illos in infimis conculcat, qui ad hoc vocati ſunt, vt ſpiritalibus inhærerent. De his iterum ſcriptum eſt. Sub ipſo erunt radij ſolis: quod tunc fit, cum hi qui intra ſanctam Eccleſiam, altiori gradu, vel acumine ſapientiæ reſplendere videntur, aut Diabolicis ſuaſionibus, aut terrenis poteſtatibus prauè duntaxat agentibus ſe ſubmittunt; oblitique cœleſtium, terrena ambiunt. Hinc iterum dicitur: ſternet ſibi aurum quaſi lutum, ideſt eos qui ſpirituales videntur, conculcat quaſi carnales. Præterea auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, ſicut per Prophetam dicitur. Calix aureus Babylon. Quid enim Babylonis nomine, niſi mundi huius gloria deſignatur? Qui calix aureus dicitur quia dum pulchra eſſe oſtentat temporalia, ſtultas mentes in ſua concupiſcentia debriat, vt falsò ſpecioſa temporalia appetant; & inuiſibilia verè pulchra contemnant. Hic aureo calice, prima ſponte ſua debriata eſt Eua quam omnes vtique imitantur, qui in Eccleſiaſticis diſciplinis poſiti, ſecularia qualibet blandimenta, ſicut illa in paradiſo, ſuſcipiunt.*

CAP. V
Signa portendentia apoſtaſiam.

Ratio ruinæ per effuſionem hanc in ſecularia prægnatæ, multiplex ſuppetit: ſed illa eſt fortiſſima, quod ſicut otium à ſecularibus, & vt ſupra cum D. Chryſoſtomo loquebamur, ſuimet ipſius compactio, maximum bonum eſt, quod opimi inſtar & vberis ſoli, omnia bonorum genera producere dici non immeritò poteſt, quod rectè pronuncia *Syneſius Epiſt.* 99. Ita è contrario actu, ſentes, & vrticæ ac paliuri defectuum omnis generis infœliciter progerminant. Vnde omne bonum ſemen ſuffocari; & terram, reprobam euadere, ac maledicto ſubiacere contingit. In quam rem luculenter agit *D. Auguſt. q. 68. in Exod.* ex monito Siracide; *Fili, ne in multis ſint actus tui.* Et ex verbis Iethro ad Moſem, quod ſtulto labore conſumeretur. *Vbi (inquit Aug.) mihi videtur ſignificari, nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodò vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in ſuperna atque æterna, liberius extenditur.*

Sed cumulatè in eandem ſententiam *Bleſenſis Epiſt.* 16. his præter cætera. *Animam quæ tot labyrinthis intricata eſt, neceſſe eſt ancillari; non enim ſolummodò habitatio terrena hanc deprimit, ſed ipſa ad terrenorum inquietudinem ſe diffundit, vt cum Ieremia dicat, Effuſa ſunt in terram viſcera mea. Et cum Ezechiele. Terra erat vſque ad feneſtras, & feneſtra clauſa, ſic cœlum mutatur in terram, aurum in ſcoriam, ſpiritus in carnem, carnalis homo deprimit ſpiritualem, & draconem Moyſi, dracones Pharaonis abſorbent.*

Et inferius. *In huiuſmodi homines mittit Dominus ſpiritum vertiginis, & errare facit eos in inuio, & non in via. Sic filij Iſrael quadraginta annos expenderunt in itinere trium dierum circa montem Seir, nec terram promiſſionis intrauerunt. Iſti ſunt lunatici, qui offeruntur Domino ad curandum, modò cadentes in aquam ſolicitudinum, modò in ignem cupiditatis, aut odij, aut iracundiæ, aut alicuius extraordinariæ voluptatis. Vix poſſum credere, vt in tanta turbatione animi poſſit quis inuenire orando rorem deuotionis, aut fluenta gratiæ. Eſt enim tempeſtas valida, & mirabiles ſunt elationes maris in corde. Hi ſunt quibus promiſit Dominus cœlum ferreum, vt cœleſtis pluuiæ, vel gratiæ ſint exterres, & terram aneam; vt circa terrena interiùs obdurati, fructum vitæ non faciant.*

Quod

CAP. V. *Signa præcedentia Apoſtaſiam.*

Quod ait de orationis non tepore tantùm, ſed etiam extinctione ea ex cauſa, confirmat diligenter *Caſſianus collat.* 9. *cap.* 3. & aliquot ſequentibus. Sicut igitur orationis interclusio, eſt Religioſæ reſpirationis prohibitio, & ſuffocatio ſpiritus aſcetici, vt proximo capite dicemus, ita ex hac orationis clade, ſignum conſecuturi aliquando exitij, ducere non abſque magno fundamento licet. Ex multis ſane quos ſpiritu cepiſſe & carne conſummatos eſſe comperimus; qui inquam Religioſæ vitæ nomina dantes, nec malis (vt videbatur) initiis auſpicati acram militiam erant, indeque poſtea defecerunt; occurrerunt non pauci, hanc conſecutur æ aliquando ruinæ notam proferentes, qui bonos coniectores non fefellerunt: quod de Bernardino Ochino notatum nominatim memini, vt referam ſequenti capite.

Quare opportunum omnibus Religioſis eſt monitum *S. Anſelmi l. 3. Epiſt. 137.* quo Turoldum admonet, ſi nolit retrò reſpicere, hoc eſt ſi perſeuerare velit, abſtineat curis ſecularibus. *In viam (inquit) Paradiſi vos direxit diuina clementia: immò in quendam Paradiſum huius vitæ vos introduxit, cum vos in clauſtralem conuerſationem Monachici propoſiti introduxit. Caueat igitur veſtra prudentia, ne cor veſtrum retrò reſpiciat. Retrò autem Monachus reſpicit, cum ea ſæpe recolit quæ deſeruit. Quod cum ſæpè facit, refrigeſcit in eo amor cœleſtis, & reminiſcitur amor mundi, & faſtidium tædiumque propoſiti ſui. Sicut igitur corpus veſtrum, eſt ſegregatum à ſecularium conuerſatione, ſic veſtrum cor, ſit ſeparatum à mundana cogitatione, & ſit ſemper occupatum aliqua vtili & ſpirituali meditatione.*

Hoc omnibus æquè perſeuerantiæ Religioſæ amantibus, dictum eſto. Nec diſſimile illud *Iſidori Peluſiotæ lib.* 1. *Epiſt.* 25. ad quendam Cyrillum. *Externo habitu, ac ſpecie quieſcere, mentis autem mutationibus, ac perturbationibus inquinari, tum ſenſum caligine perfundit, tum ſuſceptos iam labores extinguit, atque perturbationibus animi pronam ac facilem victoriam reddit, efficitque vt miles abiecto ſcuto fugiat. Porro nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, à quo in militiam aſcitus eſt; verùm arma omni ex parte geſtat; ad id certamen, quod tribuno militari placuerit, ſe comparans.*

Et epiſt. 92. *Philoſophia ſtrepitum auerſatur, atque exercitatio monaſtica extra tumultum & confuſionem perficitur: vt ad humilitatis faſtigium attingendum hac veluti ſcala vtatur, ac per ſolitudinis otium, & moleſtorum negotiorum & turpium ſermonum omnem prorſus obliuionem hauriat. Quod ſi pallium & promiſſam barbam & baculum, ad Angelicam vitam omnibus partibus explendam, nobis ſufficere arbitramur, atque inter medias turbas & ſpectacula & acroamata vrbica verſamur, de ſolis victoriæ organis gloriantes; luctam atque pugnam, quibus victoria comparatur, defugientes, vel potius certaminis cauſas in nobis ipſis accendentes; non animaduertimus nos canes eſſe ad vomitum reuertentes, aut ſues in veteris conſuetudinis cœno ſeſe volutantes.*

S. *Baſilius in Conſtit. monaſt. cap.* 21. *ſub initium. Qui maiorem in modum ſecularium hominum amicitia delectatur, eaquè re aſſiduè cum illis eſſe in colloquiis cupit, is ex frequenti cum illis ſermone, prauas eorum affectiones in animum facilè inſinuauerit, & mente rurſum cogitationibus mundanis completa à præclara illa quam erat aggreſſus, inſtantia operis deſiſcet, à ſe deinceps proſcripta vitæ ſpiritualis ſtabilitate; quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomitum reſorbebit, atque adeò ſaucius tandem concidet, & miſere confixus ab hoſte.*

Leuitas, quartum Apoſtaſiæ prognoſticum.

MObilitas ingenij, ac leuitas, ſiue ex peccato, ſiue ex naturali diſpoſitione proueniens, ſignum quoque eſſe ſolet coniecturæ aliquando defectionis, ſi ponantur deficiendi cauſæ proximæ. Notauit hoc *Laur. Iuſtin. lib. de diſcipl. & perfectione Monaſt. conuerſat. cap.* 3. *& Petrus Bleſenſis epiſt.* 86. vbi agens cum quodam Alexandro, qui defectionem a Cartuſia cogitabat, ſic ſcribit. *Dei iudicio, qui Chriſto non conuenit, ſibi conuenire non poteſt. Poſuiſti me, inquit, contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis; Status animi tui, ſicut aura incertitudo eſt, ſicut æſtus maris, fumuſque pertranſiens. Sanè Dominus in populo graui laudari deſiderat. Vnde tuam & conſimilium vitam, ſub typo Hieruſalem Propheta redarguens, peccatum, inquit, peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. In libro ſapientiæ ſcriptum eſt, quia ſtultus vt luna mutatur. Et in eodem legis, quod præcordia fatui, ſicut rota plauſtri, & quaſi axis verſatilis, cogitatus illius.*

Similiter *Iſidorus Peluſ. lib.* 1. *Epiſt.* 41. agens cum Philippo Monacho irrequieto & gyrouago, non obſcurè exitium tam mobili denunciat. Deuitari talem Monachum non ſecus ac peſtem, mandat *S. Baſilius cap.* 9. *Conſtit. Monaſt.* graphicè huiuſmodi genium & volucre ingenium deſcribens. *Ibidem cap.* 20. de firmitate & immobilitate Religioſo neceſſaria, vt ſit quod dicitur, & eſſe ac dici talis perſtet, ſtatuit in hunc modum. *Oportet & quidem in primis vt qui ad vitæ ſe huius rationem contulerit, is ſtabili, firma, immobilique voluntatis conſtantia ſit, iudicioque eiuſmodi, quòd à malevolis ſpiritibus neque attentari poſſit, neque loco depelli; animi præterea firmitate tanta, vt ad mortem vſque, Martyrum conſtantiam præ ſe ferat, cum diuinis præceptis retinendis, tum obedientia aduerſum magiſtros ſuos conſeruanda. Si quidem hoc, totius vitæ huius inſtituti, caput eſt.*

Lucas Tudenſis lib. 2. *contra Albigenſes cap.* 6. quid ſperandum ſit de inquieto & gyrouago Religioſo, ſic ſtatuit. *Sicut planta, extra hortum, aut vix, aut nunquam fructus ad maturitatem poteſt perducere; ſic Presbyter vel diaconus gyrouagus, aut clauſtralis quilibet, ſine diuturna virtutum experientia præcedente, æterna dulcedinis fructus afferre non poſſunt. Et quamvis clauſtrales gyrouagi, huius ſcripturæ gratia me habeant odioſum (quia clauſtrales rectè viuentes præ cunctis iuſtis æſtimo ſanctiores (ad correctionem oberrantium, cuiuſdam ſapientis proferam exemplum dicentis. Clauſtralis, (inquit) inquietus & gyrouagus more aſini, ſine regimine ſemper in porta monaſterij, vel in plateis vacans vanitatibus reperitur, donec in paſcua luxuria prolabatur.*

Optimè & inſigniter *ibidem lib.* 2. *cap.* 2. de monachorum diſcurſatione vitanda, ac ne prætextu quidem ſacrarum peregrinationum admittenda, diſputationem texit. Legendus in eandem ſententiam, qui piiſſimè de hoc argumento diſſerit S. *Nilus in libro aſcetico.* Vt huic malo, & incurſui Apoſtaſiæ quam portendit moderaretur, ſynodus Conſtantinopolitana coacta in Baſilica Apoſtolorum, ſanxit *can.* 5. vt conciliandæ immobilitati, & leuitati ex præpropera concitatione auertendæ, triennio

proba

probarentur, qui in Religioſos vellent promoueri.

Diſſerit denique egregie in hanc rem *Philippus Abbas l. de obedientia Clerico. cap. 4.* prolatis illis locis ex *Oſee 9. Ephraim quaſi auis auolauit, & ex Prouerb. 27. ſicut auis tranſuolans de nido ſuo, ſic vir qui relinquit locum ſuum; Et Tomo 3. moralit. in Cant. Quid dicam de Conuerſis & Religioſis viris, qui ſicut Dominus in Euangelio declarat, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt? Nonnullos enim magnæ Religionis & ſatis ardui propoſiti noui viros, quos vtinam non nouiſſem, qui quandiu licet eis in clauſtris propriam ſuam voluntatem exercere, vel per clauſtri officinas, ſeu & per vniuerſum mundum, & per parentes vagari, & diſcurrere, tamen ſub ſpecie qualiſcunq; Religionis infra monaſterij ſepta, nomine tenus retinentur, quamuis, vt ſuperius dixi, vniuerſum per orbem perdita mente & animo volatili euagantur. Quibus nimirum benè conuenit illud, quod Dominus per Prophetam dicit. Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor; Alieni comederunt robur eius, & ipſe neſciuit. Alieni namque ſunt Dæmones: & vitia repugnantia, cogitationeſque malæ, & concupiſcentiæ carnales, quæ nos à Deo alienant, ſi in nobis per noſtram ignauiam principatum obtineant. De his ſiquidem alienis, Dauid conqueritur, dicens; Quoniam quidem alieni inſurrexerunt aduerſùm me, & fortes quæſierunt animam meam. Salomon quoque ait. Ne des alienis honorem tuum. Et quaſi nos quæreremus à Salomone, qui eſſent iſti alieni, illicò ſubiunxit &; annos tuos crudeli, ſcilicet, Diabolo, de quo Dominus teſtatur: quia ipſe homicida erat ab initio. Qui enim ſupradictis alienis, ideſt, Dæmonibus, & vitiis concupiſcentiiſque malè deditus fuerit, dum viuit in ſtadio huius præſentis vitæ, ipſe poſt hanc vitam procul dubio traditur in poteſtatem Sathanæ, id eſt, huius crudelis. Iſte namque eſt ille crudelis, qui in Iſaia ſcribitur homines perſequi crudeliter. Hi igitur Religioſi, (ſi tamen dicendi ſunt Religioſi, qui ita ſe habent ſicut modò depinximus, vel etiam, quod pudet dicere, adhuc peius,) ſi aliquando à magiſtris ſuis pro ſalute ſua corriguntur, aut ſi vt in clauſtro ſuo ſedeant, & ordinem ſuum teneant, conſtringuntur, protinus abiecto timore Dei, & relicto propoſito Religionis, & ordinis ſui, ſub obtentu arctioris Religionis de clauſtro ſuo inordinatè proſilientes, diuerſas partes orbis terrarum gyrouagi peragrant, vel, (proh dolor) quod infamius eſt, ad ſæculum reuertuntur.*

Sit igitur Religioſus perſeuerantiæ amans, ſtabilitatis tenax; ſit immobilis vt mons Sion, nec moueatur in æternum: alioqui ſi tranſmigret in montem ſicut paſſer, peribit. *Paſſer enim* (inquit iſta expendens *S. Auguſt. in pſalm. 124. ad illud, & Dominus in circuitu populi ſui;) paſſer inquam, inſtabilis res eſt. Citò mouetur, cito volat hinc & inde. Sed tu confide in Domino, & non tranſmigrabis in montes ſicut paſſer.* Vel ſi paſſeris affectat ſimilitudinem, ſit ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Quæ verba gloſſans ad hanc mentem *S. Paulinus Epiſt. 26. ſic ſcribit. In edito conſtituti, poterimus dicere; Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer vnicus ſuper tectum. Meminerimus tamen etiam in ſublime prouecti verbum illud Domini, vt qui fuerit in tecto, non reuertatur in domum ſuam tollere vaſa; id eſt, ne in noſmetipſos recurramus; & opera carnalia, quaſi vaſa in inferioribus derelicta, repetamus. Nemo enim, inquit, mittens ad aratrum manus, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Sed et ſi ſuper tectum fuerimus, id eſt ſuper terrenam naturam euolauerimus, non acquieſcentes carni, timeamus auium exemplo ad humilia deuolare. Scriptum eſt enim, quia non ſine cauſa tenduntur auibus retia. Et ſcimus, quia ſic inſidiantes volucrum ſimplicitati aucupes humi ponunt tendiculas; & aſperſa plerumque eſca, vel cæci illicti fraude deponunt aues, & opertis doloſo ceſpite laqueis implicant credulas. Sed nos ſimili arte nos ſollicitantibus per obiectas mundi huius illecebras nequitiæ ſpiritalis aucupibus, armati fide & illuminati veritate dicamus. In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer?*

CAP VI. *Apoſtaſiæ, cauſa proxima.*

Non malè Religioſum conferri cum paſſere, & ex tota ferè epiſtola S. Paulini intelligitur, & ex *S. Auguſt. pſal. 103.* ad illud, *illic paſſeres nidificabunt.* Nec omittendus *Rupertus in vita S. Heriberti cap. 12.* qui illud, *Herodij domus, dux eſt paſſerum*, Religioſis accommodat, quibus magnates ſeculi proſpiciunt, factis ob Chriſtum egenis. Quod aliter dixit *Cæſarius homil. 24. Viuit in vlmo, Monachus pauper, in diuite ſeculi.*

CAPVT VI.

Cauſæ, quæ Apoſtatas ad defectionem à Religioſo ordine aptare ſolent.

QVæ propoſuimus ſuperiori capite, ſigna duntaxat erant, & quidem mera ac nuda, fereque remota, apoſtaſiæ a Religione. Nunc ea ſigna eiuſdem cladis ſunt proponenda, quæ non nuda ſigna ſunt, ſed etiam cauſæ, & diſpoſitiones ad eam. Cauſa quippè, ſignum eſt effectus ex ea prodeuntis, ſed non nudum: cum præter nudam indicationem, cauſalitatem adhibeat. Cæterum quod in hoc animæ ruentis exitium, omnia vitia & omnia peccata ſuum aliquem influxum conferant; adducendæ erunt habenæ, eæque duntaxat diſpoſitiones & cauſæ proponendæ, quæ & proximiores ac frequentiores erunt, & à Patribus ac Religioſæ vitæ Magiſtris magis celebratæ, dimiſſis aliis minutioribus. Sicut cum de diſpoſitionibus ad perſeuerantiam agitur, tametſi poſſent omnes virtutum quarumcunque operationes proferri; tamen de illis duntaxat diſſeritur, quæ propiorem & vberiorem influxum habent, dimiſſis reliquis, vt videre eſt apud *Theophilum Bernardinum in Opere de perſeuerantia*; & prius quoque apud *Mathæum Veggium libris ſex de perſeuerantia in Religione.*

Veſtigatio proximarum Apoſtaſiæ cauſarum, ex neceſſariis ad perſeuerandum ſubſidiis.

VT autem in re indigeſta & varia, certum ordinem ineamus, ſtatuendum eſt, cauſas defectionis à Religione, cõtrarias proportione eſſe cauſis perſeuerantiæ in ea: ita vt iis cauſis remotis, cadat quis, quibus poſitis ſtaret; Vel certe idcirco deficiat, quod ponãtur cauſæ contrariæ iis quæ ad perſtandum conferrent. Quia verò perſeuerantia in Religioſo ſtatu, moraliter loquendo adiunctam habere debet perſeuerantiam in gratia ſanctificante, quæ vberem auxiliorum diuinorum copiam & ingem aſſiſtentiam diuinæ manus depoſcit; nec minùs cum cœleſtium benedictionum affluxum exigit ob continuas graues difficultates boni ſupernaturalis exequendi, quibus ſpiritualis vita, in Religioſo præſertim ſtatu, eſt obſepta: propterea

ad

CAP. V. *Signa portendentia Apoſtaſiam.*

ad deuocandam vbertatem illam cœleſtis roris, neceſſaria in primis eſt oratio & familiaritas cum Deo, è quo tanquam e fonte, per orationis præſertim elices, aquæ illæ cœleſtes ad nos defluunt. Eſt enim oratio, veluti manus qua à Deo accipimus mendicato, ea quibus egemus, vt *S. Auguſtinus ſerm. 15. & 41. de verb. dom. Philoſophatur.* Secundum Deum, neceſſarius eſt ad perſeuerandum optimi Præfecti ac Rectoris ductus, cuius præſidio euitentur pericula, & bonum ſecuriùs capeſſatur. Iuuant etiam maximè perſeuerantiam, boni ſocij, qua luce exemplorum, qua ſuffragiorum ſubſidio, ipſaque etiam religioſi conuictus ſocietate, quæ muta interpellatione, Deum obiectu ſuo mouet ad vnum iuuandum intuitu alterius, qui cum coniungitur. Quibus omnibus modis efficitur, vt frater qui adiuuatur à fratre, ſit velut ciuitas firma.

Ipſe porrò homo, voluntate ſua nonnihil quoque, imo plurimum confert ad perſeuerantiam in Religioſo ſtatu. Quantumlibet enim diuinis auxiliis, (quæ eluctabilia eſſe ſuppono,) roboretur ad perſeuerandum, habeatque etiam ad manum ſuppetias ex Superiorum ductu, & fratrum precibus ac conuictu: tamen vt diſſerit *S Chryſoſtomus hom. 1. in 1 Epiſt. ad Theſſal. ſub finem*, parum proſunt alienæ preces, niſi nôs ipſi ſategerimus: ipſeque etiam Deus, ſemel præuentos iuuat, ſi iuuari ipſimet velint: vt propterea addat ibidem *S. Chryſoſtomus hom. 9.* cum Deo dicimus, *miſerere noſtri*, dicendum quoque nobis eſſe, *vt miſereamur noſtri.* Idcirco neceſſe eſt, vt ſymbolam ſuam conferat homo: conſenſum inquam, & voluntatem, qua Deo ſollicitanti & iuuanti cooperetur, aliiſque in eum iuuandum intentis collaboret, non ſupinè, aut ſegniter, ac languide, ſed fortiter & generoſè; nec cum neglectu minutorum diſpendiorũ, ſed ſollicitè ac cum diligenti quoque obſeruantia militiarum in vtramque partem hoc eſt & in bonis, etiam modicis exequendis, & in malis, etiam minimis declinandis. Quanquam vero certiſſimum eſt, hominem ſic præuentum & adiutum, cooperando præſtare aliquid, nec ſe habere vt inanime quiddam; tamen primæ & potiores, partes, ſunt gratiæ diuinæ; quæ imperfectum noſtrum fouet ac vegetat, & ſonantes exterius Rectorum ac ſociorum voces, interna ſubminiſtratione perficit: ac ne in caſſum perceptæ fuerint, incolumi libertate, infallibiliter præſtat. Quia porrò nihil adeò diuinæ in nos beneficentiæ & gratiæ vbertatem deuocat, quam humilitas; propterea id maximè in eo qui perſeuerantiam ſuppliciter emereri deſiderat, neceſſarium eſt; vt humilitatis ſit ſitientiſſimus, Nimirum quod optimè notauit *Richardus Victorinus ſuo cap. 26. in Cant. Humilitas, locus eſt gratiæ Dei*, adeò vt tantum gratiæ capax ſit quiſpiam, quantum fuerit humilis. Id quod aliis verbis, eodem ſenſu, egregiè tradit *S. Auguſtinus Concione 2. in pſal.* 103. ad illud, *qui emittis fontes in conuallibus.* Cum gratiæ igitur affluxu, cuius illex eſt humilitas, perſeuerantiam ſperare, eſt conſentaneum: Atque adeò humilitas, ad exorandam à Deo perſeuerantiam, vel eſt opportuniſſima vel etiam neceſſaria. Humilitatis porro quaſi certum & indiuiduum adiunctum, eſt, cum pauor perpetuus, & de ſeipſo diffidentia; tum caſtitas, & puritas animi & corporis. *Bleſenſis pulchrè ſerm.* 35. collactaneas virtutes eſſe ait, humilitatem & caſtitatem. Hæc ſunt quæ perſeuerantiam in Religioſo ſtatu promouent, & quantum ſperare per Deum licet; certam faciunt.

E contrario igitur, perſeuerantiæ ſpem peſſundant, & ad ruinam ac caſum è Religioſo ſtatu diſponunt, Primò abiectio vnionis cum Deo. Secundò abiectio Superioris. Tertio diuulſio à charitate ſociorum & vnanimitate cum eis. Quartò torpor ſiue languor in via ſpiritus, vulgo *acedia.* Quintò ſuperbia. Sextò eius germana, ſecuritas nimia: cui, Septimò adiungitur minutorum contemptus. Octauò ſordes caſtitati aduerſantes. Hæc proxime diſponunt ad caſum, eique certò moraliter proludunt. Sed quod res ſit maximi momenti, imo quod vniuerſum hoc negotium in horum peſtilentium fontium obſtructione vertantur, dicendum eſt de eis ſigillatim, eodem ordine.

§. 1. *De Abiectione familiaritatis cum Deo, & ingratitudine pro Religioſæ vocationis beneficio.*

FAmiliaritatem & coniunctionem cum Deo, appellamus orationem, & erga Deum gratam memoriam, Deum enim alloquitur, & cum eo agit familiariter, qui orationi dat operam. Et quia ex coniunctione cum Deo, omnia in nos ſpiritualia bona promanant, paſſim ſcripturæ & Patres, incolumitatem virtutũ in oratione ſitam pronunciant, vt pluribus exequuntur qui de Orationis vſu & neceſſitate diſputant. Concinne verò id ſignificauit *Nyſſenus, l. de ſcopo Chriſtiani*, orationem nominans, *antiſtitam chori virtutum, earumque ducem & principem*, Poterat quidem Deus, oratione non interpoſita, prouentum bonorum ſupernaturalium homini elargiri. Sed miram ea in parte diuinæ erga nos benignitatis induſtriam, aperuit S. *Bernardus hom. 4.* ſuper Miſſus eſt *ferè in fine. Vult (inquit,) à ſe requiri, Deus etiam quod pollicetur. Et ideò fortè multa quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, vt ex promiſſione deuotio excitetur; ſicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſaluos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat.*

Hic eſt animæ cibus, quo deſtituta, vel parcè paſta, macreſcat ac tabeſcat neceſſe eſt. Quare S. *Baſilius ſerm. de abdicat.* tanquam pernecceſſarium ſubſidium Religioſæ vitæ, profert ſtudium orationis. *Etenim ſi cum corporis tui ſuſtentandi cauſa, cibum capis, ægrè admodum à menſa potes auelli, niſi naturale prius deſiderium expleueris, neque ita facile hoc facturus ſis, niſi magna te inde aliqua neceſſitas auocet; qui non tandem ab epulis iis auelli ægrius debes, quibus Spiritus alitur tuus? quique non magis oratione corroborandus tibi tuus animus eſt? Etenim quanto nobilitate cœlum terra præſtabilius eſt, & dignitate cœleſtia terrenis præponderant: tanto ſine dubio anima corpore præſtantior eſt. Siquidem ea Cœli quaſi imago eſt quædam; quippe in qua domicilium Dominus habeat: at caro ipſa ex terra conſtat, quæ à mortalibus hominibus, & rationis expertibus incolitur animantibus. Quamobrem quæ corporis cauſa neceſſario ſuſcipi munera debent, ea ita habebis diſtributa, vt legitimum tibi poſtea orationis tempus non interpellent.*

De hoc pane cor hominis confirmante, ſic ſtatuit *S. Bernardus ſerm. 6. in Vigil. Natiu. Si quis murmurat, ſi quis hæſitat, ſi quis nutat, ſi quis cogitat reuolui in lutum, redire ad vomitum, deſerere votum, mutare propoſitum ſuum, non eſt Bethleem iſte, non eſt domus panis. Sola enim fames, & fames*

mes valida, in Ægyptum eum deſcendere, porcos paſcere, ſiliquas eſurire compellis, vtpotè procul agentem, à domo panis, à domo Patris, in qua etiam mercenarij panibus abundare noſcuntur.

Hæc cum ita ſint, perſpicuum eſt, quiſquis oratione ſe priuat, eadem via, diuinis ſe auxiliis, & ſupernaturalibus ſuppetiis ad perſeuerandum neceſſariis ſpoliare. Idque in omnibus qui defecerunt à Religioſo inſtituto, iam olim notatum eſt, & nunc quoque deprehenditur. Nominatim verò in Theodoro, hanc ad exitium viam notauit S. Chryſoſtomus in priore ad eum parænesi. De Bernardino autem Ochino, idem prodiderunt qui eius caſum deſcripſerunt; vbi pij cuiuſdam ex eadem familia laici, egregium in hanc rem dictum refertur. Cum enim Bernardinum Ordinis ſui Generalem, præter piorum morem negotioſum, & ab oratione alienum videret; liberè illum admonuit periculi; nec ſecus eum agere dixit, quàm ſi eques abſque ſtapedarum ſubſidio conficere longum ac aſperum iter vellet. Non diſſimile quoad rem ipſam, fuiſſe S. Franciſci indicium, ideóque ſummam orationis neceſſitatem Religioſo viro eſſe, conteſtari ſolitum; ſcribit in eius vita *S. Bonau. cap. 10.* Optimeque & late idipſum tradit idem *Bonau. Opuſc. de Proceſſu Relig. lib. 7. c. 11.* Sed & Marcus Eremita in diſputatione cum Cauſidico, rogatus cur aliqui Monachorum caderent, reſpondit; bonos & probatos Monachos, ſi orationem præ ſuperbia non negligerent, cadere nunquam. Nimirum ad conſeruandam formam, nulla congruentior & efficacior eſt diſpoſitio, quàm ea per quam primùm contigerit formam induci. At Religioſos nihil aumlſit à ſæculo, præter feruorem erga cultum Dei, & familiaritatem cum eo, quæ in oratione conſiſtit. Qua ex cauſa *S. Auguſtinus ſerm. 185. de temp.* Religioſos confert cum Apoſtolis & Martyribus muſto ſpiritus ſancti inebriatis. *Hoc muſto (inquit,) inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidiè inebriantur etiam corda fidelium, & animæ conuertentium, quod frequenter fieri videmus, quando pro deſiderio ſalutis ſuæ, parentes, & patriam ſuam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terra & cognatione ſua, & mortui huic mundo, alios ſpiritualiter animarum inquirunt parentes, & liberi ſub iugo veniunt, & paulò ante elati atque ſublimes humilia affectant, ſuperba faſtidiunt, & cupiunt eſſe quod ante deſpexerant, & odiſſe incipiunt quod fuerant. Præſentium hoſpites, futurorum appetitores, ad æternam illam patriam contempta temporalium falſitate ſuſpirant. Hoc itaque muſto ſpiritales animæ inebriatæ, & penitus commutatæ, abſtinentiam deliciis, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem diuitiis anteponunt. Arduum contra vitia laborem, iucundiſſimam computant voluptatem; dulceſcunt eis vilia, & quæ priùs fuerant pretioſa viléſcunt. Diligunt inimicos ſuos, & benefaciunt his qui ſe oderunt, non conuincuntur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in iniuriis. Prorſus horum nihil ſentiunt, propter feruorem ſpiritus ſancti, & propter æternam retributionem.*

Si igitur feruor ille ſpiritus ſancti, ex quo vocatio Religioſa concepta fuerat, refrigeſcat; manifeſtum eſt, ſubſtrahi diſpoſitionem conſeruandæ Religioſæ vocationi conſentaneam; atque adeò illam veluti formam, obiici præſentiſſimo excidij periculo.

Ingratitudinem pro beneficiis diuinitùs acceptis, quæ vnioni cum Deo eſt infeſtiſſima, & nominatim ingratitudinem pro bono Religioſæ vocationis, & eductionis è Pentapolitana ſeculi clade, aut Ægypti ſeruitute ferrea; diſponere ad Apoſtaſiam, docet grauiſſime *S. Bernar. ſerm. contra peſſimum vitium Ingratitudinis ſub finem.* CAP. VI. Apoſtaſia, à proxima. §. 1. Inductio. *Quam tam à multos (inquit,) videmus & plangimus, Fratres, qui dummodo maneat habitus & tonſura, ſalua ſibi omnia arbitrantur? Non conſiderantes miſeri, quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem quem vident transforare diſſimulet, ne fortè cogitent & erubeſcant, ipſaque verecundia emendentur. Qui ſic interdum in nonnullis conſumpta eſſe interiora vniuerſa præſumit, vt non vereatur ad ea quoque quæ apparet, venenatum ducere caput: niſi fortè quos videmus manifeſtè apoſtatare à Deo, repentè fieri peſſimos arbitramur: & non magis defeciſſe, cum comederint alieni robur eorum, & neſcierunt. Vides ergo non omnibus prodeſſe quòd à lepra ſecularis conuerſationis, (cuius peccata manifeſta ſunt) emundantur; ſed nonnullis peius in occulto ingratitudinis vlcus oriri, quod tanto periculoſius ſit, quanto interius. Et benè Saluator hinc in Euangelio nouem illos vbi ſunt quærit; quoniam longè eſt à peccatoribus ſalus. Sic enim & primum hominem poſt peccatum vbi ſit, interrogat; & in iudicio neſcire ſe profitebitur operarios iniquitatis, cum legamus in pſalmo; Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum & iter impiorum peribit.*

§. 2. *De abiunctione à Superioribus, & neglectu Spiritualium Magiſtrorum.*

PRoximè poſt diuinæ familiaritatis abiectionem diſponit ad apoſtaſiam à Religioſo Ordine, abiectio eius qui locum Dei tenet: hoc eſt Præfecti Regularis, & contemptus directionis ab eo exhibitæ; cuius ſumma eſt neceſſitas, ſiue diuinum decretum, ſiue Religioſi ſtatus difficultates atque pericula, quis attendat. Nam Deus quidem, omnia quæ conſtituit, vult ordinata eſſe, & ordine debito adminiſtrari quod cum ex vniuerſa creaturæ rationabilis adminiſtratione deprehendere licet, tum etiam ex iis quæ in claſſe corporeorum ſunt fulgentiſſima. Vt enim optimè conſiderauit *ſanctus Damaſcenus 2. fidei cap. 7.* Lunam Deus à Sole diei præfecto lumen mutuari voluit; non quaſi lumen proprium indere Lunæ non poſſet, ſed vt aliis parentibus & obſequentibus, lumenque ac directionem aliunde haurientibus, elucèret, quantoperè ordo & debita aliorum ad alios ſubiectio, Deo placeat. Itaque quod in ordine iſto corporeo, per lucis deriuationem ab vno fonte ad reliqua; hoc in ordine creaturarum rationalium, per participationem lucis ſuæ & auxiliorum, mediis legitimis ſuperioribus, conſtare voluit. Qui igitur hunc ordinem violat, & ſuperioris directionem abiicit, Deum ipſum abiicit; ſpoliatque ſe diuinis auxiliis, quorum ad perſtandum in bono, non modo ſummus vſus eſt, ſed etiam ſumma neceſſitas: ita vt impoſſibile ſit, non ruere abſque eo ſubſidio & præſidio. Audi *Laurentium Iuſtinianum lib. de caſto connubio Verbi & animæ capite 3. numer. 3. Doceantur inſuper incipientes, quam irrefragabiliter debeant obedientiæ diſciplinam cuſtodire, ſubeſſe omnibus, ſenioribus obtemperare, nulli in bono reſiſtere, nemini in malo acquieſcere, ſibi ipſis non credere, ducis ſui, ac præceptoris nequaquam monita præterire; illi quomodo adhærere ipſos oporteat, conſilia non negligere, &*

CAP. VI. *Apoſtaſia, cauſa proxima §.1. Inobedientia.*

in cunctis tanquam Chriſto eidem famulari. De ipſo ſentiant magna, iudicent recta, ſanctáque cogitent; nec callida Diaboli ſuggeſtione opinio deuotionis & fides concepta dilectionis ad patrem, intereant. Nam decipitur facillimè, atque ſpirituali ruinæ efficitur proximus, quiſquis ducis ſui laudabili æſtimatione priuatur. Hoc quippè, caſus, & apoſtandi initium eſt. Egregiè idem notauit *Auctor hom.* 3. ad Monachos ſiue Cæſarius, ſiue Eucherius. *Inimicus* (inquit num. 5.) *quia non poteſt aliquem abſolutè de loco ſalutis excutere, immittit inobedientiæ paſſionem, quam ſemper ſocia infidelitas comitatur. Quæ cum captiuam illaqueauerit mentem, ſtatim intoleranda atque impoſſibilia facit, etiam illa quæ parua, ac leuia ſunt. Et ſanè dubium non eſt, quòd vires inobedientibus diuinitus, ſubtrahuntur: ſicut & ille qui non habebat in ſe neceſſariam fidei deuotionem, etiam quod habebat, auferebatur ab eo, ita inobedientia obdurat animum quem ſemel ceperit, vt ad ſuſcipienda præcepta nec auctoritate, nec ratione flectatur. Sed quod peſſimum eſt, ſibi ſoli credat, & pro omni ratione intentiones ſuas ſequantur, & hoc ſolum rectum putet, quod obdurato corde conceperat, ſimilis ei effectus de quo diuinus ſermo pronunciat; Itinera inſipientium, recta in conſpectu eorum; Et iterum. Sunt viæ quæ rectæ eſſe videntur hominibus, nouiſſima autem eorum venient in profundum inferi. Poſtremò eueniet eiuſmodi animabus, quod domui quæ ſupra arenam ædificata eſt. Hæc enim parabola maximè ad inobedientes reſpicit. Sic enim legimus. Omnis qui audit verba hæc, & non facit ea, ſimilabitur viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſupra arenam. Venerunt flumina,* & reliqua: *id eſt, cum influxerint ſtillicidia paſſionum, cum aduenerint flumina torrentis atque impetus tribulationum, & multitudine negligentiarum, cum flauerint venti, illi vtique qui in aere iſto volitant, parati ad Chriſti aream ventilandam, ſicubi inueniant paleas, quas ad ludibrium ſuum rapiant atque diſpergant, tunc irruent in domum illam quæ ſine obedientiæ fundamento ædificata eſt, & fiet ruina illius magna.*

Aſtipulatur *S. Chryſoſtomus hom.* 22. *in ad Rom.* ad illud, *nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos*: quod ipſe ſic legit; *Ne ſitis arrogantes apud Voſmetipſos*; Et in hunc modum gloſſat. *Ne ſitis arrogantes apud voſmetipſos; Hoc eſt ne putetis vos ſufficere vobis ipſis. Nam & alibi dicit ſcriptura. Væ prudentibus apud ſemetipſos, & in oculis ſuis, ſapientibus. Et propterea rurſus arrogantiam & faſtum amollitur, tumoremque iſtum conſtringit. Nihil enim ita à reliquis auellit & abſcindit, quemadmodùm ſi quis ſe ſufficere ſibi ipſi putauerit. Vide & ita vos Deus conſtituit, vt alter alterius opera indigeat. Vt enim prudens ſis, altero tamen opus habes. Quòd ſi te nullius opera indigere putaueris, omnibus factus es ſtultior, & imbecillior. Talis enim nudum ſe omni auxilio reddit, & in delictis ſuis neque correctionem, neque veniam recipiet, ſed & Deum arrogantia ſua irritabit, & omnino multùm peccabit. Fit enim ſæpenumerò, fit, inquam, vt prudens, quod oportebat, non videat; & ſtultior aliquid eorum quæ conueniunt, inueniat. Id quòd in Moſe, & ſocero ſuo factum eſt, in Saule & puero ſuo, in Iſaac, & Rebecca. Ne putes ergo ideò te deprimi, quod alio indigeas. Nam hoc ipſum eſt, quod te exaltat magis, quod validum facit, quod ſplendidiorem, quod ſecuriorem reddit.* Quod ibi Chryſoſtomus generatim docet, non ſe reſtringens ad ſuperiorem, quanto magis pro ſuperiore viget Dei Vicario?

Nihil porrò vulgatius, quàm Rectorem legitimè conſtitutum diuinam perſonam repræſentare; eiuſque locum tenere. Hoc *Climacus toto Gradu* 4. pleniſsime confirmat; hoc *Serapion in Regula* §.1. luculenter & ſatis latè tradit. Sed optime *S. Baſilius in conſtit. cap.* 23. illis nominatim verbis. *Obedientiam is qui ſecundum Deum verè eſt Monachus, Antiſtiti ſuo præſtet, oportet. Si quidem (vt iam diximus) diſcipulos Chriſtus in hoc elegit qui hoc vitæ inſtitutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem ſecuturæ poſteritati. Nihil eſt enim aliud Antiſtes (qui modò diligenter munus exequatur, cui præpoſitus ſit, pietatem videlicet;) quàm is qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum & homines, eorum qui in ipſius officio ſunt ſalutem ſacrificans Deo. Atque hoc à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit: Petre enim (inquit,) amas me plus his? Paſce oues meas; & omnibus deinceps paſtoribus, ac magiſtris eandem tribuit poteſtatem. Cuius quidem rei ſignum eſt, quod omnes ſimiliter, atque ille & ligent & ſoluant.*

Nec malè *Auctor ſermonum ad fratres in Eremo ſerm.* 61. *ad finem*, verbis illis, *Debemus eam quam profeſſi ſumus obedientiam, & virtute & opere obedire. Quod tunc agimus, cum eum qui nobis præeſt pro amore Dei honoramus, atque diligimus, & quicquid ab eo nobis præcipitur, tanquam ab ipſo cœleſti Domino fuerit imperatum, libenter implere feſtinamus. Prælatus enim Chriſti vices agit in Monaſteriis; Vnde ipſe ſuis paſtoribus ait; Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Sicut enim me gaudere debent, & magnum à Domino præmium expectare, qui libenter obediunt: quia quod ipſi maiorum iuſſu faciunt, hoc ipſi authori Deo impendunt: ſic nimirum magnum à Deo iudicium timere & expectare debent, qui prælatorum ſuorum iuſſa deſpiciunt, quia cum Prælatus contemnitur, non ipſe, ſed is in cuius loco poſitus eſt, contemptui habetur: Nec poteſt Deus à nobis ſine magno fructu honorari, nec deſpici ſine magno detrimento.*

S. *Gregorius lib.* 3. *in* 1. *Regum*, ad illud capitis ſecundi, *Vocauit Dominus Samuelem*, obſeruauit, Deum vt ſuperiorem loco ſuo eſſe doceret; cum Samueli eſſet locuturus, vocem conformaſſe in ſpeciem vocis Heli, qui erat Samueli ſuperior. Vnde apud *Cæſarium vel Eucherium homil.* 8. *num.* 5. dicitur Deum colaphizari in Præpoſitorum iniuriis, cum ipſemet conteſtatus ſit, *qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Legendus in eandem ſententiam *S. Bernardus in nouo Opuſculo ad quid veniſti, cap.* 2. & 3. Hinc porrò eſt, quod Deus ſeueriſſimè vlciſcitur huiuſmodi abiectionem ſuperioris. *S. Gregorius* 5. *mor. cap.* 9. eo accommodat Ozæ interfectionem ob arcam Teſtamenti nonnihil ſuccuſſam & inclinantem, manus extenſione ab eo ſuffultam. Id enim non aliud notaſſe docet, quàm ſuperioris, per quem Deus ſua ad ſubditos (vt olim per arcam,) fundit oracula, aliquam interdum in oculis ſubiectorum prolapſionem, & inclinationem à recto: quam tamen iudicio inferiorum patere, eorumque veluti manu fulciri, fert ægerrimè ita vt eam temeritatem, morte & exitio multet. Profert in eandem ſententiam *S. Gregorius lib.* 12. *Epiſt.* 31. Exemplum Mariæ, quam Deus lepræ fœditate mulctauit, quia Moyſem præpoſitum ſuum, ob Æthiopiſſam dehoneſtare & abiicere auſa eſt. Item profert factum Dauidis, qui Saulem ſuperiorem ſuum, tametſi à Deo reprobatum, attingere non ſuſtinuit, cum ad opus miſeri odoris in ſpeluncam receſſit: vt videlicet doceremur, quod idem *S. Gregorius* 3. *p. Paſtor. admonit.* 5. optimè

optimè expreſſit, etiam quæ fœda & turpia in ſuperioribus, videntur, carpenda ab inferioribus non eſſe; ſed conſiderari in Superioribus oportere, Dei perſonam quam ſuſtinent, eoque nomine, omni cultu & reuerentia proſequendos eſſe. Quare quiſquis in Religioſa familia Præſidum directionem abiicit, & in eos inhonorus vel indocilis eſt, aliud à Deo expectare non debet, quàm iuſtam pro Vicarij ſui auctoritate tuenda curam, & in malè recalcitrantes animaduerſionem: quæ eo atrocior eſt, quo per virium ſpiritualium ſubtractionem, illata, ad certum caſum ruinamque iter aperit.

Iam neceſſitas Rectoris ſpiritualis ad perſeuerandum, apertiſſima eſt ex typo filiorum Iſrael, quorum itinerarium adumbraſſe viam Religioſorum, accuratiſſime proſequitur *Richardus Victorinus iuſto Opuſculo.* Filiis autem Iſrael, neceſſarius fuit ductor Moyſes, vt in hanc rem diſſerit. *Laur. Iuſtinianus lib. de connubio Verbi & animæ cap. 3.* Poſt expreſſa namque Moſis in populum officia, concludit. *Vnde tanta Ducis huius auctoritas? Cur tanta vni homini virtus collata? cur hæc geſta, cur literis ſunt memoriæ commendata? Certè figuræ erant, monita erant, myſteria erant, & futurorum exempla. Inſtruebat namque tunc ſapientia fideles ſuos, ſeruos ſuos, & per charitatis donum ad ſe vocandos, vt nemo pœnitentiam, deſerti inuia penetrare, & cum malignis ſpiritibus inire certamen audere, atque promiſſam ſanctis Patribus cœleſtem hæreditatem poſſidere ſperaret, ſi non ſub duce ſibi ab ipſo præſtito ſtrenuè militaret. Quis etenim in hac præſentis vitæ poſitus peregrinatione, & in huius ſpiritualis Eremi conſtitutus vaſtitate, vbi errores innumeri, inimicorum ſæua genera, & prædonum diſcurrens inſidiatur exercitus, incedere ſecurus abſque directione audeat; cum vix euadere valeat, qui præceptorem habet, & qui ſpiritualis, expertique ducis munitur prudentia? Nemo quippè indoctus conuincere per ſeipſum credat errores; nullus inermis ad pugnam pergere, nec quiſquam ſolus præſumat belli obtinere victoriam? Væ ſoli (ait ſermo diuinus,) quoniam ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Quamobrem ſpiritualem habeat præceptorem, ducisque vnius mandata cuſtodiat, quicunque virtutum culmen, ſpiritualiſque pugnæ habere triumphum, atque ad dulciſſimum Verbi cupit peruenire connubium.*

Nec tantùm priuabitur prædictis fructibus qui ductore caret, ſed etiam vt Sapiens explicatiſſimè tradit, *quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia.* Neque iis duntaxat intelligit non eſſe gubernationem, qui ſoluti alterius imperio, ſibi viuunt, & ſui iuris ſunt; ſed iis quoque, qui cum habeant Rectorem à Deo conſtitutum, eius non ducuntur arbitrio. Philoſophatur inſigniter in ea verba S. *Dorotheus doctr. 5. initio.* Præfatus enim, opus vnicuique eſſe auxilio, & Dei, & hominis rectoris, rationem reddit. *Nihil enim eſt miſerabilius, nihilque quod facilius decipi, & expugnari queat, his qui nullum habent ducem, nullumque in via Dei moderatorem & inſtitutorem quærunt. Quid enim ait diuina ſcriptura? Quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia. Folium quidem in principio ſemper eſt viride, ſemper floridum, iucundum, & delectabile. Poſtmodùm verò paulatim languet, & areſcit, ac mox decidit: inde contemnitur, ac conculcatur. Pari modo ſe habet homo, qui à nemine gubernatur, aut regitur. Principio quidem feruorem habet quendam ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, & ſilentium, ad obedientiam, & cætera huiuſmodi bona. Deinde verò feruore illo ſenſim extincto, ſi nullum habuerit qui & moderetur eum, & feruorem illum iam extinctum excitet, accendat, atque foueat, & nutriat; is proculdubio ſeu areſcens ac exſiccatus cadit, atque in multos errores & peccata facilè delabitur, fitque miſer captiuus, & veluti mancipium, ab hoſtibus ſuis ſurſum deque rapiatur, ludibrio exponitur, & ea denique fiunt in eo, quæ hoſtibus ſuis placent.*

CAP. VI. *Apoſtaſiæ cauſa proxima §. 3. Inobedientia.*

Eodem Sapientis monito, *Palladius, cum ſect. 28. 29. & 30.* narraſſet variorum ruinas planè horrendas, obſignat caſuum illorum narrationem: quod ſcilicet ceciderint vt folia, quia non erat illis gubernatio. Nec diſſimiliter indidem ratiocinatur *Caſſianus Collat. 2. cap. 4.* proferens & ipſe ſeqq. capitibus varios lugubres caſus, quos ex defectu & abiectione gubernationis ortos docet. Eſt enim gubernatio illa, diſcretio, cuius ibi laudes tantopere celebrat, vt intelligitur ex *cap. 2. & 10.* eiuſdem Collationis.

Quare quiſquis gubernationem & Præſidum ductum abiicit, decidet vt folium. Et quamuis aliquamdiu perſtet, fruſtra tamen in Religioſa familia degit, iudice *S. Baſilio ad interrogationem* 18. ex fuſiùs diſputatis: vbi grauiſſimè mandat, talem ſi per ſe non defluat, confeſtim veluti certam Religioſæ familiæ perniciem, & membrum putre, eſſe reſecandum. Sordet ſanè multis & magnis defectibus, quos ad marcorem ſpiritus & caſum prolude re, manifeſtum eſſe poterit, cuilibet eos ex tanti Patris verbis expendenti. *Antiſtitis (inquit,) imperium detrectare & verbis aduersùm iuſſa ipſius litigare, magno indicio eſt, eum qui id faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate, ſpei ambiguitate, arrogantia morum, atque ſuperbia. Neque enim alterius dicto audiens vnquam eſſe quiſquam recuſat, niſi prius ipſum ſibi conſilii authorem apud ſeipſum deſpexerit; neque qui ſibi certa fide perſuaſit, vera eſſe promiſſa Dei, deque ipſorum ſpe nihil dubitat, etiam ſi laborioſa ſint quæ ſibi imperentur, grauatè ad illa vnquam accedet: vt qui certò nouerit, non eſſe condignas paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Neque non, cui illud perſuaſum eſt, verum eſſe. Quòd qui ſe humiliat, exaltabitur, ſtudio ſuo ſibi imperantis aliquid, expectationem ſuperabit: qui nihil addubitet, hoc quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operari.* Defectu harum perſuaſionum, abiicitur Superioris ductus, & homo ſuo arbitrio vult regi ac vitam exigere. Talem hominem, quis neget caſurum vt folium?

Etiam ſi verò ex proximè dictis, perſpicuum eſſe poſſit, cur abiicientes Præſulum ductum, concidant vt folia, quippè qui tot & tam enormibus coinquinentur defectibus: Tamen alia quoque addi poteſt ratio, quæ neceſſitatem rectionis de qua agere propoſitum erat, propiùs attingit, & perſeuerantiæ labefactationem inde conſecuturam, non dubiè monſtrat. Vitæ enim ſpiritualis ſumma planè eſt arduitas, ac denſa & ineuitabilia eius pericula; vſque adeò vt non dubitet *Caſſianus Collat. 23. cap. 9.* hanc vitam conferre cum funambulorum pleniſſima periculi progreſſione, ſuper prætentum funem ſublimem. Optimè verò *Collat. 2. cap. 11.* ex eo quòd omnes planè artes ac diſciplinæ, poſtulant vt qui eas addiſcit, ſubſit alteri, & ab eo dirigatur; idem multo magis ad aſceticam diſciplinam capeſſendam depoſcit; quæ & multo abſtruſior eſt, & exitium infert incomparabiliter tetrius, niſi legitimè ineatur. Eoque ipſo argumento *Iſidorus*

CAP. VI. *Apoſtaſiæ cauſa prox. §.3. diſſenſiones.*

*Peluſ. lib.*1. *Epiſtol.* 260. idem confirmat, & optimè in hunc modum S. *Hieronymus epiſt. ad Ruſticum. Nulla ars abſque magiſtro diſcitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges, ductores ſequuntur ſuos. In apibus principes ſunt. Grues vnam ſequuntur ordine litterato. Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita eſt, duos fratres ſimul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero, Eſau & Iacob bella geſſerunt. Singuli Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus, ſuis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus dominus: in quamvis grandi exercitu, vnius ſignum expectatur. Et ne plura replicando faſtidium legendi faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in monaſterio ſub vnius diſciplina patris.*

Sicut ergo *non poteſt errare qui cum conſilio viuit*, (verba ſunt *Richardi Victorini ſuo cap.* 39. *in Cant.*) ita in tot & tam denſis errandi occaſionibus & anfractibus, non poteſt non errare, qui *conſilium*, (ideſt interprete *Caſſiano collat.* 2. *cap.* 4.) Præſidum ductum reſpuit, nec illo ſe circumduci & agitari ſinit. Error autem in hoc negotio ad abruptum ducit, atque adeò ad ruinam & exitium certum. Quare præclarè idem ſapientiſſimus Religioſæ vitæ magiſter, *Richardus*, *Annotatione vltima in pſal.* 118. *in fine*, multa prælocutus de oculo dextro, quo quiſque ſeipſum dirigit, deque multis & magnis errandi in Religioſa vita periculis; auctor eſt cuiuis perſeuerantiam amanti, vt monoculus in in Dei ambulare velit, effodiens ſibi dextrum oculum; hoc eſt, (vt ſtatim exponit,) prælatorum ſeſe ductui aut gubernationi committens. Vnde miranti quod oculum dextrum eruere, & cum ſiniſtro oculo quo noſtra quidem perſpicimus, ſed non dirigimus, ad vitam ingredi ſuaderet, addit; *Audi igitur quid facere debeas, qui forſitan parum acutè conſideras. Aurem & linguam appoſuit qui tibi oculum dedit. Habes igitur quo quæras, quo audias, ſi aurem & linguam te habere non diſſimulas. Quare itaque domum videntis qui parum vides, à quo quid te oporteat facere, quò currere, audies. Melius eſt tibi manu duci, quàm vltrò errorem ſequi. Melius proinde tibi eſt, cum vno oculo ingredi ad vitam, quam duos oculos habentem mitti in gehennam.*

Egregiè quoque in eam ſententiam diſputat, & Magiſtri ſpiritus neceſſitatem commendat *Nyſſenus l. de ſancta Virginit. cap.* 24. Optimè item inter tradendum perſeuerantiæ ſubſidia, Gul. Abbas ſic ſcribens ad fratres de monte Dei. *Propter quod* (fugæ præcluſionem) *pia ſimplicitas, & in profeſſione Religionis & ſolitudinis nouus homo qui non habet vel rationem ducentem, vel affectum trahentem, vel diſcretionem moderantem, ſed vi quadam vertitur in ſemetipſum, tanquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorum Dei quaſi manibus alienis: faciendus eſt & formandus in omni patientia, & in rota volubilis obedientiæ, & in igne probationis ſuæ, plaſmatoris & formatoris ſui voluntati, & arbitrio ſubdendus. Nam & ſi valet ingenio, ſi viget arte, ſi præeminet intellectu, inſtrumenta ſunt hæc, tam vitiorum, quà virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo & in malo vti poteſt, quia hoc primum virtutis opus eſt. Ingenium corpus adaptet, ars naturam informet, & intellectus non elatum faciat animum, ſed docibilem. Ingenium quippè, ars, intellectus, & alias gratuitò habentur, aliter virtus. Virtus enim vult doceri cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore. Nam cum omnibus his digna ſit, nec aliter vel doceri, vel quæri, vel haberi poteſt.*

Vix alium apoſtaſiæ, & illius (vt vocat,) *pudendi ſaltus* proximam cauſam, agnoſcit *S. Bernardus ſub finem*, declamationis in ea Petri verba, *Ecce nos reliquimus omnia.* Tractans enim, an Apoſtatæ, quia initio reliquerunt omnia, ſint recepturi centuplum, ſic conteſtatur. *Exurge domine, iudica cauſam tuam, & iſtorum nempè calumniam, & murmur ipſorum, qui fortè omnia relinquere viſi ſunt, & minimè tamen centuplum acceperunt: non contra nos, ſed contra te eſt, qui dixiſti, omnis qui reliquerit patrem, &c. centuplum accipiet. Quid tamen dicimus? An ex collegio diſcipulorum reprobari quis poteſt, niſi loculos habens? ſunt enim loculi non modò pecuniæ, ſed propriæ voluntatis. Scrutetur proinde vias ſuas, & ſtudia ſua, qui promiſſam centupli gratiam ſibi deeſſe cauſatur; nec dubium quin inueniat angulum, & diuerſorium, reclinatoriumque non quidem filij hominis, ſed aut foueam vulpis, aut volucris nidum. Magis autem perfectus, obſecro, relinquat omnia, & ſolum ſequatur Chriſtum, iactans cogitatum ſuum in Deo, nutriendus ab eo, & centuplum ſine dubio percepturus. Neque enim poteſt ſolui ſcriptura, quæ tam certa veritate ſubnixa, omnibus ſine exceptione promittit. Nihil ſibi retineat, nihil ſuis, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Sed enim qui ſibi retinent aliqui dominicæ vocis obliti, qui non ſuam venit facere voluntatem, & in ipſis quoque ſanctorum collegiis proprio aut deſiderio aut fortaſsè conſilio importuniùs adhærentes, ſcioles ſeſe faciunt, & de ſe ſibi aliquid retinentes, quos penitus abnegaſſe, & diuinæ prouidentiæ, ac obedientiæ Patrum conſiliis quoque ſpiritualium virorum debuerant commiſiſſe.*

Pertinet huc quoque, quod idem *S. Bernardus ſermon.* 2. in Ramis palmæ agens de Aſino cui Chriſtus inſedit, docet de Religioſo immorigero, nec parere & cãtare Deo, laudem, ſed rudere duntaxat, & aduersùs calcaria & virgam calcitrare aſſueto. *Poſtquàm enim iumentum hoc diſciplinam ferre noluerit; quid reſtat, niſi vt abijciat eum Dominus cum indignatione quadam, & protinus exeat à via, currens ad ſpinas & tribulos à quibus ſuffocatur verbum Dei, qui ſunt diuitiæ huius mundi, & voluptates carnis?* En quo deuenit homo aduersùs ductum ſuperiorum indocilis, & animo quodammodò beſtialis, vt ibi S. Bernardus præmiſerat. Luculenta in hanc rem exempla, & horrendæ vltiones Dei in diſcolos quoſdam Monachos, Rocolenum, Theodemundum, Theodarium, Sancto Attalæ Præfecto ſuo refractarios, & ab eo pertinaciter digreſſos, recitantur à *Iona in Actis S. Attalæ, ferè initio.*

§. 3. *De diuulſione à ſociis & domeſticæ charitatis ſciſſura.*

SEcundùm Deum, eiuſque Vicarios, colendi & fouendi ſunt Religioſo homini, quos Deus ad eandem vitæ ſocietatem vocauit, & habitare voluit vnius moris in domo. Id enim maximè ſpectari ad ineuntibus Religionem, & ſuauem illam Dauidicorum verborum melodiam, *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, monaſteria peperiſſe, ait *S. Aug. in pſal.* 132. *initio.* Delinquere ergo hac in parte, eſt petere iugulum vitæ ſocialis, atque adeò non exiguum aditum parat ad ruinam. Commodè porrò hæc exitij

cauſa,

cauſa, ſubnectitur præcedenti: Nam vt S. Baſilius in ſuorum Ethicorum procemio egregie diſſerit, diſſenſiones & charitatis diſſectiones in cœtu quocunque, non aliunde ortum habent, quàm ex defectu coniunctionis cum capite: quæ ſi interueniret, quæ eadem cum vno tertio eſſent, inter ſe quoque, eadem forent. Iuuat enimuero hanc doctrinam verbis Sancti Patris proponere. Veſtigans enim cauſam ſcuſſæ variis hæreſeon ac ſchiſmatum factionibus Eccleſiæ, cum eam retuliſſet in partium differentium diſiunctionem à Deo; confirmat poſtmodum ſuum hunc ſenſum, ratione generali, & in quibuſuis diſſidiis æquè valente. *Id (inquit) vt ita eſſe crederem, ea me inducebant, quæ in quotidiano vitæ communis vſu videbam verſari. Animaduertebam enim in quavis multitudine, diſciplinam conſenſionemque quouſque ſolere ſeruari, quoad omnium communiter aduerſus principem vnum, in parendo eius imperio, conſpiratio teneretur: contraque diſſenſiones, atque diſſidia, ſimiliter imperantium etiam multitudinem ex eo naſci, quod nemo eſſet, qui Imperaret: hocque, quod dico, aliquando in magna apum frequentia animaduerti; quæ naturali ducta inſtinctu, regem ſuum, ſeruato ordine, ſequerentur. Cumque iſtiuſmodi multa viderim ipſe, multa ab aliis etiam acceperim, multo tamen iis nota plura ſunt, qui in rebus huiuſcemodi inueſtigandis operam ſuam occupauere, vt ex his etiam verum eſſe comprobetur, quod dicimus. Si enim eorum qui ad vnius tantùm nutum reſpiciunt, & Rege vtuntur vno proprium eſt diſciplina ordo, atque concordia: ſine dubio perturbatio omnis, omneque diſſidium, argumento eſt, non eſſe qui imperet.* Itaque quamuis ſunt aliæ præterea non improbandæ diſſidiorum in Religioſis familiis cauſæ, quas profert, *S. Theodorus Studita ſerm. 45. catech.* faſtus videlicet, immeditatio, conſcientiæ vlcera, quibus Monachus (vt addit *ſerm. 46.*) in monomachum, & latronem, ac non pacis, ſed iræ filium euadit; tamen omnes in illam vnam velut in radicem concurrunt, diſſenſionis à capite Deo, eiuſque Vicario, vt ſtatuebam.

Quantum porrò ſit, in diſiunctione à fratribus, ad Apoſtaſiam procliuitatis, optime attigit Eucherius, aut quiſquis alius. *Auctor homilia 5. ad monachos num. 8. Proficientibus (inquit) inſidiatur inimicus, & vbi videt aliquam ſpem, aliquam gratiam, ibi tanquam leo rugiens, & circumiens ad inuadendum prædam totus incumbit: & ideò quia hic poſitis nocere non præualet, vult aliquos minùs cautos per cogitationes, ac per diuerſas tentationes, ex hoc loco quodammodò quaſi extra caſtra producere, & quaſi de munitiſſima arce deponere, & cum depoſuerit velut de loco ſuperiore confligere; vt etiam ſi nauem non valet mergere, ſaltem ex detrimentis & damnis, quæ abundant in ſæculo, iucundiſſimam prædam referat. Immittit primùm intentiones diuerſas, indignitates, animoſitates: vt dum homo quod ſemel deſtinauit, atque in furore definiuit, implere contendit, non cogitet damnum ſuum, non reſpiciat ad ruinam: & cum illum depoſuerit, tunc nihil omnino profutura pœnitudo ſuccedit.*

Falſos fratres & verè nomine tenus Monachos, de quibus S. Odo cum in Bernonis Abbatis monaſterio adhuc degeret, dicere ad veritatem poterat, *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum,* quibus nulla de fraterna charitate cura erat, & perpetuis in eum iniuriis graſſabantur, eoque efferabantur truculentiùs, quo S. Odo ad charitatis fraternæ integritatem mitiùs cum eis & patientiùs agebat; diuinum iudicium tandem arripuit. Nam & per

Theoph. Rayn. Aſcetica.

charitatis laceratorem ad Apoſtaſiam mox conſecutam diſpoſiti ſunt, & omnes peſſimum exitum mortemque horrendam ſine fortiti, vt in Actis eiuſdem ſancti Odonis narratur *lib. 1. cap. 13. & 16.* Scitè *Petrus Damiani Opuſc. 27. cap. 5.* Lapidem ſectione pollui ob eruat, ex *cap. 20. Exodi.* & ſectum lapidem interpretatur, fraternæ ſocietatis concordia repulſum Monachum, qui pollutione contracta, foras erit proiiciendus.

CAP. VI. *Apoſtaſiæ cauſa proxima eſt diſſenſiones.*

Nihil verò mirum erit, ex diſiunctione à fratribus aperiri viam ad vnius hominis caſum ex Religioſo ordine, cum certum ſit, cœtum vniuerſum collabi, & in extremum exitium ruere eam ob cauſam. *Heu* (*exclamat Richardus Victorinus lib. de grad. charit. c. 4.*) *in quos fines, faces ſæculorum, homines deuenerunt. Cum* (*vt de ſæculi hominibus taceamus quos excæcauit ambitio,*) *ipſa Religionis electio, noſtro miſerabili tempore, tanta diuiſione ſpargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, niſi fortè aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Vbique apparent ſciſſuræ ciuitatis Dauid, & in tantum iam hiat, vt vicinam ruinam omnino minetur. Seruatur ſub tunica vna, & veſte ſimili cor varium & omnino diſſimile; ita vt de Religione antiqua, vix ſigna ſeruentur, & venientibus ad ſepulchrum domini, quod clauſtrum eſt, & Chriſtum quærentibus ſola linteamina pateant, id eſt habitus forma.*

Nec Religioſæ duntaxat, vel perſonæ, vel familiæ, ſed totius Eccleſiæ ſubuerſio, ex hoc capite timenda eſt, iuxta *S. Chryſoſtom. hom. 32. in ad Rom.* initio, vbi hæc præter cætera inſigniter. *Iſta poſſiſſimum eſt Eccleſia ſubuerſio, in partes ſcilicet diuiſam eſſe. Hæc Diaboli ſunt arma; hoc pacto omnia ſurſum, ac deorſum voluuntur. Donec enim vnitum fuerit Eccleſiæ corpus, nullum valet habere introitum ſatanas: verùm à diſſidiis naſcitur offendiculum.* Idem fuit *S. Gregorij Nazianzeni* iudicium, qui idcirco negat ſe timere externas procellas Eccleſiæ, aduerſus quas omnes vnum proſtat remedium, mortis exceptio æternam vitam paritura. Quod autem ad domeſticum bellum attinet, ibi verò eſſe ſibi ſummum laborem atque dolorem, fatetur Theologus. Et præiuerat *S. Cyprianus initio libri de Vnitate Eccleſiæ.*

Ratio autem cladis per diſſidia inuectæ, proponitur egregiè ab *Origene initio hom. 9. in Ezech.* ex eo quod vbi ſunt diſſenſiones & rixæ, exulare neceſſe ſit virtutes, ſine quibus ſtare Religioſum, ſiue hominem, ſiue ſtatum, eſt impoſſibile. Concidere autem virtutes abſque vnitate, indeque ſtragem honeſti conſequi, confirmat his verbis Origenes. *Vbi peccata ſunt, ibi eſt multitudo, ibi ſchiſmata, ibi hæreſes, ibi diſſenſiones. Vbi autem virtus, ibi ſingularitas, ibi vnio: Ex quo omnium credentium erat cor vnum & anima vna. Et vt manifeſtiùs dicam, principium omnium malorum, eſt multitudo: principium autem bonorum coanguſtatio, & à turbis in ſingularitatem redactio: vt puta nos omnes ſi ſaluandi ſumus ad vnionem redigamur, perfecti efficiamur in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, & ſimus vnum corpus, & vnus ſpiritus. Si verò tales ſimus, vt non nos vnitas circumſcribat, ſed & de nobis dici poſſit, Ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, & adhuc à malitia ſcindimur atque diuidimur, non ſumus futuri, vbi ſunt illi qui rediguntur in vnionem. Nam vt Pater & Filius vnum ſunt; ſic qui vnum ſpiritum habent in vnionem coarctantur. Ait quippè Saluator, Ego & pater vnum ſumus: Et Pater ſancte rogo, vt ſicut ego & tu vnum ſumus, ita & iſti in nobis vnum ſint. Et in Apoſtolo legitur,*

 donec

CAP. VI. *Apoſtaſiæ. cauſa proxima §.4. Acedia.*

donec occurramus omnes in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis in vnitatem Chriſti. Et rurſum, donec perueniamus omnes in vnitatem corporis & Spiritus Chriſti. Ex quo ſignificatur, quia virtus ex plurimis vnum faciat, & neceſſe nobis ſit, vnum per eam fieri, & fugere multitudinem.

Sine hac animorum conſenſione, nullius eſſe momenti paupertatem Religioſam, quæ tamen Religioſis adeò intrinſeca eſt, ſic docuit creditus, *Proſper lib. 2. de vita contempl. cap.17. Virtus quæ abſtinentia dicitur, non ſolùm delicatorum ciborum, ſed etiam malorum omnium nuncupatur, cum omnibus omninò neceſſaria ſit, tum maximè illis familiarior, atque coniunctior eſſe credenda eſt, quibus iuxta illud quod in actibus Apoſtolorum legitur factum, vnum cor eſt, & anima vna, diuina charitatis igne conflata, & quibus ſub vnius ordinatione viuentibus omnia omnium communia fiunt: ſi tamen ita ex his vna ſit vita ſicut vna ſit ſubſtantia, & nulla ſit in eis diuerſitas animorum, quibus eſt communio facultatum; quia vt fieret, & eſſet animorum ſancta coniunctio, neceſſaria eſt facultatum iudicata communio.* Horribilem caſum vnius, qui a conuulſa fratrum charitate tandem in apoſtaſiam, imo & in Atheiſmum defecit, legere licet apud *S. Dorotheum doctr. 1. ſub initium.*

Fateor hanc ruinæ materiam, occultam eſſe Religionem ineuntibus. Quod enim *S. Auguſt. in pſal. 99.* egregie notat, id ferè quærunt qui adeunt Monaſteria, vt ibi ſint quieti, & concordes in vnum. Sed noſtra fragilitas non fert malaciam vllibi iugem. Itaque laborandum eſt, vt hæc ruinæ occaſio declinetur. Si autem aliquando occurrat, adhibenda omnis cuſtodia, ne gliſcat malum. Deliberatio ineuntis Religionem his verbis à Diuo Auguſtino proponitur. *Separabo me cum paucis bonis. Cum illis mihi bene erit.* Reſpondet Diuus Auguſtinus. *Bene. Pauci ipſi boni, de quibus turbis ſunt eliquati? ſi tamen eam ipſi pauci homines boni, tamen bona cogitatio humana laudabilis, eſſe cum talibus qui elegerunt vitam quietam, remoti à ſtrepitu populari, à turbis inquietis, à magnis fluctibus ſæculi, tanquam in portu ſunt. Iam ergo ibi gaudium illud? Iam ibi iubilatio illa, quæ promittitur? Nondum; ſed adhuc gemitus, adhuc ſollicitudo tentationum. Habet enim aliunde & portus aditum. Si nulla ex parte haberet, nulla in eum nauis intraret. Operte ergo vt ex aliqua parte pateat. Aliquando autem per eam partem qua patet, ventus irruit, & vbi ſcopuli non ſunt, naues ſe inuicem colliſæ confringunt. Vbi ergo ſecuritas, ſi nec in portu? Et tamen vtcumque feliciores in portu, quàm in pelago, fatendum eſt, concedendum eſt, verum eſt: tamen ſi naues in portu benè ſibi applicentur, non ſibi collidantur, ſeruetur ibi parilitas æquabilitatis, conſtantia charitatis, & quando fortè ventus, ex illa parte qua patet irruerit, ſit ibi cauta gubernatio.*

§. 4. *De torpore in via ſpiritus, aut Acedia.*

Religioſum à Deo, eiuſque ſubpræfecto, & fratribus quibus eum illum adunauerat, malè diuulſum, interna in ipſo incompoſitio excipit: quæ nominatim in acedia, & faſtidio, vel etiam horrore ſpiritualis vitæ & functionum eius conſiſtit: Vnde ſequitur gratiæ ſubtractio, & tandem caſus. *Tepeſcimus, (inquit S. Bernardus ſermon. 3. de Annunc. ſub finem) proceſſu temporis à feruore conuerſationis noſtræ, paulatim refrigeſcit charitas, abundat iniquitas, vt conſummemur carne, qui ſpiritu cœperamus. Inde enim eſt, vt minùs ea ſciamus, quæ à Deo donata ſunt, in deuoti pariter & ingrati. Timorem domini relinquimus. Religioſam non ſitimus ſolitudinem: verboſi, curioſi, faceti, etiam detractores & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores diſciplinæ, quoties ſine nota id licet: quaſi vero confeſtim ſit etiam ſine noxa. Quid ergo tantis repulſam obſtaculis gratiam nobis deeſſe miramur?*

De hac gratiæ ſubtractione, & deſertione Dei, ob vitam promiſcuam, id eſt torporem; inſigniter *Doroth. doctr. 12. num. 17.* Eſt hoc vitium, & hæc perſeuerantiæ peſtis admodùm frequens. Audi *Guerricum ſerm. 6. de Purif. Quid nobis tam proprium ſimul & commune his quos Religionis fouet vmbra, ſicut negligentia? Vt de me ipſo loquar, quoties derident hoſtes ſabbata mea? Quoties dormitat anima mea præ tædio, diemque ferè totum, ac ſi tempus reuocabile eſſet, in inertia conſumo? Et vtinam ſic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipſe mihi miſer non fingerem ſomnia vana & illuſoria. At nunc in peruerſum mutata ſententia, ego vigilo & cor meum dormit, ſomnoque tam graui, vt vix aliquando valeat expergiſci ad tonitruum ſupernæ increpationis. Vſquequo piger dormies? Quando conſurges è ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus vt dormias: & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus. Illud ſanè miſerrimum eſt, quòd hodie non putatur iactura ſed lucrum, ſi dies qui nobis ad purgationem dati ſunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant & pereant negligendo.*

Eſt igitur hoc vitium, frequentiſſimum. Quia tamen non ita facile incurrit in oculos, laborarunt in eius per effectus ipſius expreſſionem, varij: vt videre eſt apud *Nilum Abbatem orat. 6.* de vitiis, qua Monachum acedia correptum, ſcitè depingit. Id quod etiam præſtat egregiè *Antiochus hom. 26.* & breuiter ſed benè *Caſſianus collat. 6. cap. 10.* deſcribens duas veluti manus hominis interni, dextram ac ſiniſtram. Dextram enim interpretatus feruorem ſpiritus, & curſum per viam mandatorum Dei cum Deus cor dilatarit; ſubdit de ſiniſtra. *Habet ſimiliter & ſiniſtram, cum tentationum turbinibus implicatur; cum ad deſideria carnis, incentiuorum æſtibus inflammatur; cum ad iracundiæ furorem, perturbationum igne ſuccenditur; cum ſuperbia ſeu cenodoxiæ elatione pulſatur; cum triſtitia mortem operante deprimitur; cum machinis acediæ & impugnatione concutitur; cumque omni ſpirituali feruore ſubtracto, quodam tepore, atque irrationabili mœrore torpeſcit, vt non ſolùm cogitationibus rectis, ac feruentibus deſeratur, ſed etiam pſalmus, lectio, oratio, cella, remotio, ſimul horreant, & intolerabili quodam tetroque faſtidio vniuerſa ſordeant inſtrumenta virtutum, quibus cum pulſatur Monachus, ſiniſtris partibus ſe cognoſcat vrgeri.*

Pleniùs & accuratiùs *lib. 10. cap. 2.* vbi minutatim concidit omnes acediæ ramos, inertiam, cellæ & lectionis horrorem, aliorum inſtitutorum magnifica præconia præ ſuo, otium à quocunque ſpirituali opere, captatas ſæcularium amicitias, viſitationes crebras eminus aut comminus poſitorum; nominatim verò Religioſarum ac deuotarum mulierum. Amorem nitoris ſermonis, & philoſophicorum dogmatum, ruinam Monachis interdum creaſſe, admonet, *Collat. 1. cap. 20.* & verè

eſt is ramus acediæ, cum inſtitutum non expoſcit, tale ſtudium.

Ex his aliiſque huiuſmodi, certam impendere Religioſo ruinam, confirmat *libro illo 10. cap. 3. & collat. 6. cap. 17. Lapſus quiſpiam (inquit,) nequaquam ſubitanea ruina corruiſſe credendus eſt, ſed aut praua inſtitutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc ſenſim vitiis increſcentibus caſu miſerabili concidiſſe. Ante contritionem enim præcedit ruina, & ante ruinam mala cogitatio: quemadmodum domus nunquam ſubitaneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium deſidia, ſtillicidiis primùm paruiſſimis penetrantibus, corrupta ſenſim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetuſtam negligentiam in maiorem modum patefactis atque collapſis, riuatim poſt hæc influit pluuiarum imbriumque tempeſtas. In pigritiis enim humiliabitur contignatio, & in ſegnitie manuum ſtillabit domus. Quod animæ ſpiritaliter euenire, idem Salomon aliis verbis ita deſignat. Stillicidia inquiens, eiiciunt hominem in die hyemali de domo ſua. Eleganter ergo mentis incuriam domui comparauit, tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutiſſima quædam penetrant ad animam ſtillicidia paſſionum: quæ ſi velut parua, ac leuia negliguntur, corrumpunt tigna virtutum, & poſt hæc influunt imbres largiſſimi vitiorum: per quos in die hyemali, id eſt, in tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua ſcilicet aliquando circumſpectam diligentiam retinens, velut in domo propria poſſeſſione requieuerat.*

Eoſdem ferè gradus deſcenſus ad ſeculum, ſignat *Bleſenſis in cap. 2. Iobi ad finem* Deſcribens enim tres amicos Iobi, eoſque accommodans ad Religioſi ruinam, ait; *Vanæ cogitationes, ſtatum animæ ſpeculantis & contemplantis Deum, diſſipant & confundunt. Vnde & vnus amicorum iſtorum, meritò vocatur Sophar, ideſt diſſipatio ſpeculæ. Deſideria verò carnis quæ militant aduersùs animam, nouum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt, omnino mortificant, vt anima totius nouitatis oblita, ſolam ſapiat vetuſtatem. Vnde & ſecundus amicus vocatur Baldat, quod interpretatur vetuſtas ſola. Animo itaque diſſipato, & turbato in eo iudicio rationis, carnis deſideriis inualeſcentibus, Deum contemnere incipit. Peccator enim cum venerit in profundum vitiorum, contemnit. Vnde tertius amicus vocatur Eliphas quod interpretatur contemptus Dei: Iſtos amicos aut potiùs domeſticos inimicos, viri Religioſi, & qui viam vitæ arctioris aggreſſi ſunt, frequenter experiuntur. Euenit enim quandoque, vt dum aliquis contemplationi deuotiùs vacat, muſcæ moriture ſuauitatem vnguenti perdant, quia vanæ cogitationes turbantes quietem contemplationis, obrepunt, & mediantibus carnis deſideriis ſuſcitant amorem ſeculi, Deique contemptum. Religioſus itaque qui paulo ante in cœlum deſideriis anhelabat, quem inflammabat charitas, quem ſancti ordinis obſeruantia delectabat, paulatim incipit cœleſtium obliuiſci, cogitare quæ mundi ſunt, & contemnere quæ Dei ſunt. Turbatur in eo iudicium rationis, occupantur ſemitæ conſilij, abducitur lumen cordis, refrigeſcit deuotio, libertas ſpiritus euaneſcit animæ vigor, ſopitur ratio, confunditur intellectus, feruor Ordinis deferueſcit, ſollicitat miſerum paupertatis timor, vana ſpes decipit, trahit ambitio, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur ſpes vitæ longioris, blanditur voluptas, allicit mundus, fallit ſecuritas, reuocatur antiqua conſuetudo, diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, derelinquitur timor Dei, dantur impudentiæ manus, & attentatur ſaltus ille Apoſtaticus, ſaltus ille ignominioſus & turpis, de excelſo in abyſſum, de throno in ſterquilinium, de cœlo in cœnum, de paradiſo in infernum, de clauſtro in ſeculum.*

CAP. VI. *Apoſtaſia, cui proxima §. 4. Acedia.*

Sunt hi gradus, quibus per tepiditatem deſcenditur in Apoſtaſiam, iidem ferè qui à Caſſiano proximè ſunt ſignati, ſub aliis terminis, ſed præcertim remiſſio & ignauia in ſtudiis ſpiritualibus. Idem quoad viſitationes Deuotorum, ſatis ſignificat creditus *Proſper lib 2. de vita contempl. cap. 4.* cum queritur de aliquibus Religioſis, quod ſe aſſiiant ſacris Virginibus; & faciliùs ab Eccleſiæ quam ab earum communione diſcedant. Nec omittendus *Antiochus hom. 26.* Inter characteres deterrimorum Monachorum *Remoboth*, numerat *S. Hieron. Epiſt. 22.* viſitationem crebram ſacrarum Virginum. Illud de captatis ſecularium amicitiis, quam ſit perſeuerantiæ damnoſum, tradit optimè *S. Baſilius in Conſtit. monaſt. cap. 21.* his verbis. *Qui maiorem in modum; ſecularium hominum amicitia delectatur, eaque re aſſiduè cum illis eſſe in colloquiis cupit, is ex frequenti cum illis ſermone, prauas eorum affectiones in animum facilè inſinuauerit; & mente rurſum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa quam erat aggreſſus, inſtantia operis deſciſcet, & à ſe deinceps proſcripta vitæ ſpiritualis ſtabilitate, quem ex animo effuderat vitæ prioris vomitum reſorbebit, atque adeò ſaucius tandem concidet, & miſerè confixus ab hoſte.*

Qui cum acedia ſic conflictantur, ſunt in aperto diſcrimine amittendæ perſeuerantiæ. Vnde *Iſidor. Peluſ. lib. 1. Epiſt. 101.* ſic alloquitur Theognoſtum Monachum. *Præclarè ligonem arripuiſti. Præclarè res ex materia cõcretas, vt ſtrangulantes fugiſti. Præclarè ad ſublimem & excelſam vitam euolaſti. Peruigil itaque, vt miles, incede; ne quis ſomnus obrepat, qui te frangat & emolliat, clypeique abiectorum ac perfugam, (quod abſit) reddat.*

S. Gregor. 3. p. Paſtor. admon. 35. ſub finem, egregiè id proſequitur, agens contra teporem. *Admonendi ſunt (inquit,) qui inchoata bona minimè conſummant, vt cauta circunſpectione conſiderent, quia dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerant cæpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum, ſollicita intentione non creſcit, etiam quod fuerat benè geſtum decreſcit. In hoc quippè mundo, humana anima quaſi more nauis eſt, contra ictum fluminis conſcendentis, vno in loco nequaquam ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur. Si inchoata bona, fortis operantis manus ad perfectionem non ſubleuat, ipſa operandi remiſſio, contra hoc quod operatum eſt, pugnat. Hinc eſt enim quod per Salomonem dicitur; Qui mollis & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipantis. Quia videlicet qui cæpta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentiæ manum deſtruentis imitatur. Hinc Sardis Eccleſiæ ab Angelo dicitur. Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Quia ergo plena coram Deo eius opera inuenta non fuerant. Moritura reliqua, etiam quæ erant geſta, prædicebat. Si enim quod mortuum in nobis eſt, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur, quod quaſi adhuc viuum tenetur.*

Addit contra teporem frigore mox excipiendum, benè multa quibus imminens exitium laborantibus acedia denunciat. Nec mirum. Qui enim ſunt tales, non ſunt niſi exteriùs Religioſi; & mirum non eſt ſi tandem cadant, & inter eos numerentur

CAP. VI. *Apoſtaſia, cauſa proxima.*

foris, quibus cum iam erant, cum intus degere viderentur. Doctrina eſt *S. Bernardi ſerm. 2. in capite ieiunij.* Tractans enim illud, *conuertimini ad me, in toto corde veſtro*, diſtinguit *conuerſionem*, (quo pacto ſolet nominare ingreſſum in Religionem:) tum eam quæ corpore, tum eam quæ corde fit. Subdit verò *Corporis conuerſio ſi ſola fuerit, nulla erit, Forma ſiquidem conuerſionis eſt iſta, non veritas, vacuata virtutis gerens ſpeciem pietatis. Miſer homo qui totus pergens in ea quæ foris ſunt, & ignarus interiorum ſuorum, putans aliquid ſe eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Sicut aqua effuſus ſum, (ait Pſalmiſta in perſona hominis huiuſcemodi,) & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Et alius quidam Propheta, Comederunt (inquit) alieni robur eius, & ignorauit. Exteriorem quippè ſuperficiem intuens, ſalua ſibi omnia ſuſpicatur, non ſentiens vermem occultum, qui interiora corrodit: Manet tonſura, veſtis nec dum mutata eſt, ieiuniorum regula cuſtoditur, ſtatutis pſallitur horis, ſed cor longè eſt à me, dicit Dominus. Attende ſolerter quid diligas, quid metuas; vnde gaudeas, aut contriſteris, & ſub habitu Religionis, animum ſecularem; ſub pannis conuerſionis, inuenies cor peruerſum.*

Inſignem in hanc rem eiuſdem S. Patris diſputationem, tametſi longiuſculam, nolo præterire. Habetur *ſerm. 2. de Aſſumpt.* vbi diſſerens de domo in qua Chriſtus exceptus eſt à Martha, excurrit in domum myſticam, ſiue caſtrum in quo olim habitauit Satanas, hominem inibi, vt in ſuperiori inferno, mancipatum teterrimis vinculis detinens. Sed illo inde per confeſſionem in Religionis ingreſſu factam eiecto, domus eſt mundata, & ornata, virtutibus vtique & gratiæ; ſed necdum habitatore Deo, ideſt eius plena familiaritate ac permanente conuictu, vt ſit in domo. Obiicit verò ſibi contra hoc *S. Bernardus. Quomodò inquit? poterit ne domus mundata confeſſione priorum delictorum, & obſeruatione regularium inſtitutionum, indigna adhuc iudicari habitaculo gratiæ, ſaluatoris ingreſſu.* Sequitur obiecti dilutio. *Poterit ſine dubio, ſi ſuperficie tenus emundata, & iuncis (vt dictum eſt) ſtrata virentibus, interiùs plena ſit luto. Quis enim ſuſcipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum ſepulchris, quæ videntur à foris ſpecioſa, intrinſecus autem ſpurcitia, & ſanies vniuerſa replenit? Eſto ſiquidem, vt aliquando tanquam ipſa ſuperficie delectatus, incipiat primum apponere pedem ei qui huiuſmodi eſt, primam aliquam viſitationis ſuæ gratiam indulgendo; nunquid non reſiliet illicò cum indignatione? Nunquid non effugiet clamitans: Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia? Virtutis eſt enim ſpecies, & non veritas, quaſi qualitas eſt, non ſubſtantia. Neque verò ingreſſum eius, exterioris poteſt conuerſationis tenuis ſuperficies ſuſtinere: quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus habitatio eſt. Quod ſi nequaquam ſpiritus diſciplinæ ſubditum manifeſtè peccatis corpus inhabitat, fictum vtique non modò declinat, ſed & effugit, atque elongatur ab eo. An verò aliud eſt quam fictio execranda, ſi peccata ſuperficie tenus radas, non intrinſecùs eradices? Certus eſto, quoniam pullulabit vberiùs: & emundatam, ſed vacantem domum, cum nequioribus ſeptem, qui eiectus fuerat hoſtis malignus intrabit. Reuerſus enim ad vomitum canis, odibilis erit multò pluſquam ante: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum in eaſdem denuo ſordes inciderit, vt ſus lota in volutabro luti. Vis videre mundatam, ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere qui confeſſus eſt, & deſeruit manifeſta peccata, præcedentia ad iudicium, & nunc ſolas mouet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus conſuetudine quadam, planè quaſi vitula Effraim docta diligere trituram. Exercitiorum quæ ad modicum valent, nec vnum iota præterit, ſed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim ſeruus eſt propriæ voluntatis, cultor auaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut ſingula quæque intus vitia fouens: & mentitur iniquitas ſibi: ſed Deus non irridetur. Videas enim interdum, ſic palliatum hominem, vt ſeducat etiam ſemetipſum, penitus non attendens vermem qui interiora depaſcitur. Manet enim ſuperficies, & ſalua ſibi omnia arbitratur. Comederunt (ait Propheta) alieni robur eius, & ignorauit: Dicit, quia diues ſum, & nullius egeo: cum ſit pauper & miſer & miſerabilis. Nam & inuenta occaſione, ebullire ſaniem quæ latebat in vlcere, & exciſam non extirpatam arborem in ſyluam pullulare videas denſiorem. Quod periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus neceſſe eſt ad radices arborum, non ad ramos. Non ſola inueniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens; ſed inueniatur vtilis ad omnia pietas, & exercitium ſpirituale.* Id eſt fugiamus teporem & nauſeam ſiue acediam, tanquam proximum perſeuerantiæ excidium.

Autor ſermonis tertij de Cœna Domini qui inter S. Bernardi opera circumfertur, diſſerit in hanc ipſam ſententiam inſigniter, exponens moraliter buccellam intinctam à Chriſto Iudæ porrectam, quam docet ſymbolum eſſe Monachi perſonati, cuius ſanctitatem, vultus palliat ſophiſticus. Simulat enim ſanctitatem in facie, quam non habet in mente: ſanctitatem prætendit in veſte, quam à corde elongat; foris agnus in publico, intus lupus in occulto; foris diſcipulus Chriſti, intus diſcipulus diaboli: quia Religionem quam verbo & veſte prætendit, non oſtendit in facto. Pergit minutatim deſcribere per acediæ varias notas, tepentis Monachi animum. Tum concludit, hunc eſſe panem intinctum, cuius perditio non tardabit: ſed quod Iudæ poſt acceptam buccellam intinctam illico dictum eſt, *quod facis, fac citius*, audiet ipſe quoque, & ſpiritu oris ſui à Chriſto exſufflaminatus, proiicietur foras ſicut Iudas, cui eſt perſimilis. Hæc de acedia in Apoſtaſiam degenerante, creditus Bernardus, pleniùs proſequitur.

Iungo Bernardo, hominem ei amiciſſimum, & pietate ac ſacra facundia ſupparem, Gulielmum Abbatem, ad fratres de monte Dei. Is ſtatum tepidi cum acedia conflictantis, & quò tandem deſinat, ſic deſcribit. *Fit mirabilis & iniqua miſeræ animæ diuiſio, ſpiritu & ratione voluntatem cordis, & intentionem, & corporis ſui promptum obſequium defendente: animali verò improbitate ſibi affectum præripiente & intellectum; mente ſæpiùs ſine fructu remanente. Hinc in animis infirmioribus, & in quibus concupiſcentia carnis & ſæculi nec dum perfectè mortificata ſunt, vitia paſſim incurioſitatis ebulliunt. Hinc ſolitudinis & ſilentij quæruntur inordinatæ & propoſito inimicæ conſolationes, in via regia communium inſtitutionum, furtiua propriæ voluntatis diuerticula, ſolitorum faſtidium, præſumptio nouitatum, quæ quidem ægri animi pruritum, & tædium quaſi confricando videntur ad horam lenire: ſed calefaciunt & accendunt, & vt poſtea nequius ferueat, & ampliùs pruriat, efficiunt. Hinc quotidie ſiunt nouæ occupationes, nouæ actionum & laborũ adinuentiones, lectiones diuerſæ, non ad ædificandum animum, ſed ad fallendum tardantis diei tædium; vt cum diu manſeris ſolitarius omnia vetera, omnia ſolita, & defecerint noua, non reſtet niſi odiũ cellæ, & fuga matura.*

§. 5. De

§. 5. *De animi, elatione atque Superbia.*

NAuſeationi proximè propoſitæ, ferè adiungitur tumor & elatio animi, quæ eſt proxima ad exitium via, vt *Laur. Iuſtinianus* admonuit, *de diſcipl. & perfectione monaſtica conuerſat. cap. 3.* Deſipientibus quippè rebus cœleſtibus, ac guſtu ſpiritualium exterminato, acuitur fames terrenorum, ac præſertim gloriæ captatio, & propriorum decorum, pro conſequente inde caligine internorum luminum, amplificatio. Inde item ſequitur, voluntas vt propriorum meritorum ratio magna habeatur; quod qui in Religione quærit, non eſt Religioſus niſi nomine tenus, ait *Iſidor. Peluſ. lib. 1. Epiſtol. 110.* Inſigniter id docuit *Gulıel. Abbas ad fratres de monte Dei ſub initium. Moriens (inquit) vix aut nunquam aliquis à cella in infernum deſcendit, quia vix vnquam aliquis niſi cœlo prædeſtinatus, in ea vſque ad mortem perſiſtit. Filium enim gratiæ, fructum ventris ſui cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit; alienum verò vel ſuppoſitum abdicat à ſe citiùs & proiicit. Vnde ait Dominus ad Moyſem, ſolue calceamenta pedum tuorum: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Morticinium enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus ſanctus, vel terra ſancta nequaquam diu patitur. Cella, terra ſancta & locus ſanctus eſt, in qua Dominus & ſeruus eius, ſæpè colloquuntur ſicut vir ad amicum ſuum. In qua crebro fidelis anima verbo Dei coniungitur, ſponſa ſponſo ſociatur, terrenis cæleſtia, humanis diuina vniuntur. Siquidem ſicut templum ſanctum Dei, ſic cella eſt ſerui dei. Et in templo enim, & in cella, diuina tractantur, ſed crebrius in cella. In templo viſibiliter & figuratiuè, aliquando Chriſtianæ pietatis ſacramenta diſpenſantur: in cellis verò, ſicut in cælis, ipſa veritate, ipſo ordine, & ſi nondum, ipſa puritatis maieſtate, vel æternitatis ſecuritate, res ipſa omnium ſacramentorum fidei noſtræ, aſſiduè celebratur. Ideò ſicut dictum eſt; alienum qui non eſt filius, citiùs à ſe proiicit quaſi abortiuum, euomit tanquam inutilem ac noxium cibum, nec diù talem pati poteſt in viſceribus ſuis officina pietatis: venitque pes ſuperbiæ, & aſportat eum manus peccatoris, & mouet eum, & expulſus non poteſt ſtare, ſed fugit miſer nudus.*

Alludit his verbis Gulielmus ad clauſulam Pſalmi 35. quam S. Ambroſius in eiuſdem Pſalmi expoſitione ad rem præſentem accommodare viſus eſt. Nam quamvis in actu ſignato non meminit Apoſtatarum à Religioſo ſtatu deficientium, tamen & verba id ferunt, & iiſdem flebilibus modis vtitur, quibus alibi, Iouiniani & aliorum à Monaſterio in quo eos erudierat, defectionem deplorat. Sic igitur concludit eo loco S. Ambroſius, expendens illud. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; Vbi ideſt, vbi ſcientes me, vbi fundamenta in montibus ſanctis, ibi & alienigenæ, quia & ipſi in me putauerunt eſſe credendum. Ibi ergo ceciderunt, vbi magis ſtare debuerunt, quia & in paradiſo cecidit Adam, & Chriſtus in ruinam venit & in reſurrectionem, vt ruina ſit perfidorum, iuſtorum autem & fidelium reſurrectio. Denique expulſi ſunt, quia iniuſti viri, in loco ſancto ſtare non poterant. Vnde & Apoſtolus dixit, & tu qui ſtas, vide ne cadas. Et vtique ei dixit, qui non corpore, ſed fide ſtabat. Poſſumus & in futurum intelligere ibi: vt eſt, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et Nudus ibi pergam. Quam breuis in exitu, & quanta concluſio? Non ſim (inquit) ſuperbus vt peccem; non peccem, ne mouear; non mouear ne cadam; non cadam ne expellar; ſicut Adam de paradiſo expulſus eſt, quia in ipſos pes ſuperbiæ ſtare non potuit. Neſcit ſtare ſuperbia, & ſi ceciderit, non nouit reſurgere.* Non potuit clarius & manifeſtiùs exponi quantum in ſuperbia ſit diſcriminis, ad deſciſcendum & cadendum è loco in quo quis à Deo poſitus fuerat: ac proinde nihil plus metuendum eſſe Religioſo perſeuerantiæ amanti, quam ſuperbiam.

CAP. VI. Apoſtaſiæ cauſa proxima. §. 3. Superbia.

Idem optime his verbis tradidit. *Auctor ſermonum ad fratres in Eremo in 61. Scire (inquit) oportet quia ſuperbus & impatiens diſciplinæ & obedientiæ, regulis ſubiacere non poteſt. In eo enim quod elatè viuit, cæteros deſpicit, & ſuis magis quàm alterius definitionibus obedire appetit. In eo autem quod impatiens eſt, ipſa parua & leuia, dura & intolerabilia eſſe diiudicat, idque ſolum rectum eſſe æſtimat, quod obſtinato corde conceperit, ſenſuque proprio, pro omnium vtitur ratione. Iſti tales fratres vnanimes ſæpè perturbant, liteſque mouent, nec volunt ad menſuram alterius viuere; nec ſunt contenti his quibus contenta debet eſſe religioſa paupertas. Et cum negligentiùs cæteris viuant, plus aliis volunt honorari. Huiuſmodi rebelles, & inobedientes animæ frequenter in paſſionibus ſuæ carnis decidunt, & vſque ad turpia opera dilabuntur, & ex his plerique ſocietate fratrum, & à ſancto propoſito, miſerabiliter diſcedunt.*

Nimirum in ſtatu humilitatis, iugis angorum ſeges ex fuga depreſſionis haud dubie exiſtet; quibus tandem euerti ac peſſundari conſtantiam, certa propè neceſſitas eſt. Verè namque dictum eſt ab *Eucherio hom. 1. de Epiphania. Neſcio chariſſimi, cur nobis vitiorum ac ſuperbiæ itinera aſpera & confragoſa, magis placeant, cum magis humilium viæ molles, plana atque directa ſint. Vbi enim eſt humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis ſerenitas. Dum enim ipſa ſibi placet, atque pacata eſt, etiam ſi qua tribulatio, ſi qua tempeſtas oborta, nihil erectum, nihil ſublime, nihil oppoſitum inuenit, vbi illidat impetum ſuum. Si quid itaque ex aduerſo irruerit, totum poſt ſe humiliata tranſmittit. Qualibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur ac vincitur, ſicut in planis littoribus ſine aliquo fragore vnda conſumitur, aurarum motus, ferociamque ventorum, montium obiecta ſuſcipiunt, vallium verò ſubiecta non ſentiunt. At verò è contrario, via ſuperborum plena ſunt offendiculis, plena præruptiſſimis præcipitiis: quia vbi eſt ſuperbia, ibi eſt indignitas, ibi animoſitas, ibi labor, ibi tribulatio: vt iam ei ante iudicij diem iuſta damnatio tribuatur, & improbæ quæque mentes in ſemetipſis habeant pœnam ſuam: probabiles & emendatæ in ſemetipſis inueniant, refectionem vel remunerationem ſuam.*

Altera ratio in rem propoſitam eſt, quia Deus odit pauperem ſuperbum. Imo generaliter Deus ſuperbis reſiſtit, & ſolis humilibus dat gratiam; ſine qua concidimus vt folium vniuerſi. Nec eſt quod ad id confirmandum cumulemus ſacra oracula, cum proſtent vbiuis, recteque à S. *Auguſtino* pronunciatum ſit *lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 23.* nullam ferè eſſe paginam Sanctorum librorum, in qua hæc veritas non ſonet. *ſerm. 53. de verbis Dom. cap. 8. Si extollis te, Deus deijcit te: ſi tu deijcis te, Deus eleuat te. Sententia Domini eſt, nec addi aliquid, nec detrahi poteſt.* Rurſumque in fine ſermonis; cum Satanam & hominem per ſuperbiam deiectos eſſe monſtraſſet, & hominem Chriſti deiectione erectum

CAP. VI. *Apoſtaſia cauſa proxima.* §.3. *Superbia.*

erectum docuiſſet, concludit admirabili illo pronunciato. *Princeps tuus humilis, & tu ſuperbus? Caput humile, & membrum ſuperbum? Abſit. Non vult eſſe de corpore capitis humilis, qui amat ſuperbiam. Si autem non fuerit, videat vbi erit.* Quæ igitur ſtabilitas ſperari in eo poteſt, quem Deus ipſe infeſtis armis inſequitur? Aut quomodò non deiicietur, quem tam robuſta manus procul à ſe, procul à ſuis ablegatum vult, atque contritum? *Vide frater* (*exclamat S. Hieronymus Epiſt. ad Antonium*) *quale malum ſit, quod Deum habet aduerſarium.* Agit de ſuperbia, tractatque illud, *Deus ſuperbis reſiſtit*; Id quod etiam grauiſſimè ponderat *Caſſianus lib.* 12. *cap.* 7. & latè apud *S. Auguſtinum Tomo* 9. *Valerianus Cornelienſis Autor libri de bono diſciplinæ cap.* 2. *&* 3.

Neque verò mirum eſt, deiici de Religioſo ſtatu ſuperbum, cum ne in ipſa quidem communi Chriſtianorum congregatione, ſecurus ſit, ſed ferè qui eo morbo intemperantiùs agitantur, ad aliena caſtra extra fidelium cœtum deficiant. Id in omnibus hæreticis notarunt Patres. Nam *S. Auguſtinus lib. de Paſtoribus cap.* 8. varias eſſe hæreſeon ſectas dixit, ſed vnam omnium matrem, ſuperbiam. Typhum Pauli Samoſateni, fusè deſcripſit *Euſebius lib.* 7. *hiſtor. à cap.* 22. Nouatum ambitio dementauit, & ex Eccleſia pepulit, vt ſcribit *Nicephorus l.* 6. *cap.* 3. Arrium cecidiſſe quia faſtu turgebat, & ad Epiſcopalem honorem præ ſuperbia aſpirabat, tradit *S. Cyrillus hom.* contra Neſtorium quæ habetur *Tomo* 6. *Concilij Epheſini editionis Pelsani cap.* 6. Idem Neſtorij typhum frequenter memorat. De Pelagij autem ſuperbia ad inſaniam vſque exaggerata, tametſi ſubtili, & ſub conficta humilitatis perſona latente, ex ſancto Auguſtino & aliis qui res Pelagij ſcriptis conſignarunt, exploratiſſimum eſt. Alia exempla lege apud *Nicephorum lib.* 4. *hiſtor. cap.* 21. *&* 22. Et apud *Bellarminum lib.* 4. *de Eccleſ. cap.* 13. Patetque de omnibus planè ab Eccleſia digreſſis, affirmari verè poſſe, quod *S. Irenæus lib.* 3. *cap.* 13. de nonnullis pronunciauit. *Gallinacei elationem habent, neque in cœlo, neque in terra, putant ſe eſſe. Propter hoc fingunt quandam ſupercilio grauitatem.* Quare ſuperbia quæ è cœlo quondam extruſit Satanam, ex Eccleſiæ itidem cœlo extruſit hæreticos, & quoſcunque ab ea deficientes, vt *S. Chryſoſtomus* pulchrè notauit in *cap.* 5. *ad Galatas* ad illud, *per charitatem, ſeruite inuicem* & attigit *D. Auguſtinus in pſal.* 83. ad illud, *Elegi abiectus eſſe.* Minùs itaque mirum eſſe debet, Deum de Religionis penetralibus extrudere ſuperbum, quem in communi Eccleſiæ atrio ferè non tolerat: verumque hic habere ex ore Dei, quod de ſe à Dauide pſalmo 100. dictum legimus, *non habitauit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* Nec non illud quod in perſona domeſtici Dei, orat *pſal.* 35. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Et illud ex *Apoſtolo* 1. *Timoth.* 3. hominem in ſuperbiam elatum, in iudicium Diaboli incidere: vt ſcilicet ſicut ille è cœlo ac Dei familia extruſus eſt, ita è Dei domo expellatur aut concidat qui tumet ſuperbia.

Rationem poſtremam in rem propoſitam, petere licet ex inſigni diſputatione *Caſſiani lib.* 12. *cap.* 3. vbi ſuperbiam omnes planè virtutis neruos elidere, in hunc modum confirmat. *Nullum eſt vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque iuſtitia & ſanctitate hominem ſpoliet ac denudet, vt ſuperbiæ malum, tanquam generalis quidam ac peſtifer morbus non membrum vnum partemue eius debilitare contentus, ſed ſolidum corpus lethali corrumpit exitio: & in virtutum iam faſtigio collocatos, grauiſſima ruina deiicere ac trucidare conatur. Omne namque vitium, ſuis eſt terminis & fine contentum; & licet contriſtet alias quoque virtutes, contra vnam tamen principaliter tendit, eamque ſpecialiter opprimit & impugnat. Et vt hoc ipſum quod dicimus, clarius poſſit intelligi, gaſtrimargia, ideſt, appetitus ventris, ſeu concupiſcentia gulæ, temperantiæ rigorem corrumpit: caſtitatem libido contaminat: ira patientiam vaſtat; vt nonnunquam vni quis deditus vitio, aliis virtutibus penitus non deſtituatur, ſed illa tantum virtute truncata, quæ è diuerſo æmulo repugnante ſuccumbit, reliquas poſſit vel ex parte retinere; hæc verò cum infelicem poſſederit mentem, vt quidam ſæuiſſimus Tyrannus, ſublimiſſima capta arce virtutum, vniuerſam funditus ciuitatem diruit atque ſubuertit. Excelſa quondam ſanctitatis mœnia, vitiorum ſolo coæquans atque permiſcens, nullam deinceps imaginem libertatis, animæ ſibi ſubditæ ſuper eſſe concedit. Quantòque cœperit ditiorem, tanto grauiori ſeruitutis iugo ſubditum, vniuerſis virtutum facultatibus crudeliſſima deprædatione nudauit.* Egregiè quoque *cap.* 27. eiuſdem libri, omnium vitiorum propagines in Religioſo, ex ſuperbia progerminare demonſtrat. Concludit verò *cap.* 32. *Quapropter Athleta Chriſti, qui ſpiritalem agonem legitimè certans, à Domino deſiderat coronari, hanc quoque ferociſſimam beſtiam, ac deuoratricem cunctarum virtutum, omnimodis feſtinet extinguere: certus quod hac ſuo in pectore commorante, non ſolùm omnigenis vitiis carere non poſſit; verum etiam ſi quid virtutis habere videatur, huius veneno depereat. Nullo enim modo poterit in anima noſtra virtutum ſtructura conſurgere, niſi prius iacta fuerint vera humilitatis in noſtro corde fundamenta: quæ firmiſſimè collocata, perfectionis & charitatis culmen valeant ſuſtinere.*

Idem habet *Iſidor. Peluſ. lib.* 1. *Epiſt.* 368. *Quemadmodum hoc.* (*inquit*) *natura minimè conceſſit, vt ouis cum leæna pabuletur: ſic nullo omninò modò fieri poteſt, vt faſtus, idem cum Monaſtica vita domicilium habeat. Nam ille belluinus eſt, frænique impatiens: hæc autem, bona omnia obſequenti animo excipit, reſque acerbas, & moleſtas toleranter admodùm ac fortiter admittit. Quamobrem ſi te ad huius ſtudium atque exercitationem accinxiſti, ab illo abſcede, ne te per eum malo aliquo is mulctet, qui aduerſum Dominum ceruicem erexit, atque id agit, ac ſtudet, vt omnes ſuperbiæ ſuæ & ruinæ imitatores habeat.*

Quia igitur fortitudo hominis ad perſeuerandum in Religioſo ſtatu, ſita eſt in virtutibus, præſertim verò in humili perpeſſione moleſtiarum; perſpicuum eſt, ſuperbiam virtutes omnes ſubruentem, perſeuerantiæ eſſe infeſtiſſimam, & ad eius exitium diſponere.

Nihil ſanè frequentius eſt, quàm vt antiquæ Religionis labor, ſuperbiæ impetu tanquam turbinis obruatur, vt ait apud *S. Cyprianum Autor ſermonis de Ieiunio*, tractans tertiam Chriſti tentationem, vbi etiam deflet, quod multi ambitione faſcinati euerſa cathedra mentis, humo fractis ceruicibus collidantur. Multis eadem ex cauſa ita accidiſſe, ſic miratur *Auguſtinus in ſolileq. cap.* 29. *Magna ſunt hæc iudicia tua Domine Deus, iudex iuſte & fortis, qui iudicas æquitatem & inſcrutabilia facis & profunda, quæ cum conſidero, contremiſcunt omnia oſſa mea, quoniam non ſecuratur homo viuens ſuper terram, vt ſeruiamus tibi piè & caſtè cunctis diebus vitæ noſtræ in timore, & exultemus tibi cum tremore, vt non ſit ſeruitium ſine timore, neque gaudium ſine*

tremore

tremore & non glorietur accinctus æquè vt diſcinctus, neque glorietur ante te omnis caro, ſed paueſcat & contremiſcat à facie tua, cum ignoret homo, vtrum amore an odio dignus ſit, ſed in futurum omnia reſeruentur incerta. Vidimus enim multos Domine, & audiuimus à patribus noſtris, quod vtique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitus quodammodo vſque ad cælos, & inter ſydera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodùm autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cælo cecidiſſe, ab impetu ferientis cauda draconis, & eos qui iacebant in puluere terræ, à facie ſubleuantis manus tua Domine mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus viuos morientes, mortuos à morte ſurgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum, ad nihilum defluiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe & de tenebris lucem proceſſiſſe: quia publicani, & meretrices præcedunt incolas in regno cælorum: filii autem regni, eyciuntur in tenebras exteriores. Quare autem iſta omnia, niſi quia in montem illum aſcenderunt, in quem primus aſcendit Angelus & deſcendit diabolus? Quos autem prædeſtinaſti, ipſos vocaſti, & ſanctificaſti, & mundaſti, vt dignum habitaculum ſint tuæ maieſtatis, cum quibus & in quibus ſunt tibi deliciæ ſanctæ & mundæ, in quibus tu delectaris, & lætificas iuuentutem eorum, habitans cum eis in memoria eorum. Habitat autem Deus cum humili.

S. *Macarius homil.* 27. cum alia exempla de clade Religioſorum per ſuperbiam proferr, tum duo nominatim. [Quidam (inquit) è nobilibus cum renunciaſſet, prudens & ſanæ mentis, bona ſua vendidit, ac ſeruos libertate donauit, ſplendore vitæ alioqui celebris. Interea de ſeipſo quippiam ſentire cœpit & arrogantia laborare: Tandem in flagitia & infinita mala delapſus eſt *&c.* Alius ſagax pugil qui mecum domi manebat & mecum precabatur, vſque adeò gratia locupl s erat, vt inter orandum, iuxta me, confungeretur; feruebat enim in illo gratia. Ipſi quoque donata erat gratia ſanitatum, nec dæmones duntaxat expellebat, ſed manibus ac pedibus vinctos, & grauibus morbis affectos, per impoſitionem manuum curabat. Poſtea cum negligenter ſe gereret, gloria celebratus à mundo cum quo ſe oblectabat; in ſuperbiam elatus eſt, ac delapſus eſt in ipſa profundiſſima peccati]

Exemplum planè inſigne, quoque palpabiliter, (vt ſic dicam,) prehendenda exhibetur hæc veritas, quod Deus ſuperbum deſerat, & eiicit è domo ſua, deſcripſit *Ruffinus in Vitis Patrum lib.* 2. *cap.* 1. ex narratione Abbatis Ioannis vrbis Lyco; quod item accuratè deſcribit *Palladius in Lauſiaca ſect.* 46. Aliud exemplum memorat, qui hanc apoſtaſiæ cauſam ferè vniuerſalem pronunciat. *Dorlandus lib.* 6. *Chronici Cartuſ. cap.* 16. & 17. *apud Palladium ſect.* 34. *Lauſ.* ſcribitur de quadam Moniali quod poſt ſexennium duriſſimæ continentiæ, & accuratæ admodùm religionis, denique *à diuino deſerta auxilio, propter ſummam ſuperbiam lapſa eſt, & aperta feneſtra admiſit eum qui illi inſeruiebat, & cum eo fuit commixta, eo quod non diuino propoſito & ex charitate ſe exercuerat, ſed vt humanæ ſcenæ ſeruiret, quod quidem eſt vanæ gloriæ & praui inſtituti. Nam cum eius cogitationes occupatæ eſſent in damnandis aliis, incitaretur autem furore à dæmone ſuperbiæ, eoque valdè delectaretur, receſſit ab ea Sanctus Angelus, cuſtos Temperantiæ. Ioannes Gerſo* 1. *p. in Reſponſione ad Cartuſianum Conſiderat.* 12. circa ſtabilitatem, vnum exemplum ſui temporis refert, quod videtur quidem prima ſpecie reduci ab eo ad curioſitatem vanam, & indecorum ſciendi deſiderium, reipſa tamen pertinuit ad ſuperbiam in cuius damnis verſamur. Ait ergo, hominem è Regio ſanguine Iacobum de Borbonio apud Cœleſtinos profeſſum, & prætextu maioris perfectionis ad Minores Obſeruantes tranſgreſſum, paulo poſt miſerè apoſtataſſe, & ad ſeculum regreſſum, accepiſſe vxorem. Eamque ob cauſam à mulierculæ quam deceperat, cognatis interfectum crudeliter fuiſſe, cum Roma rediret. Cauſam diuinæ deſertionis & prolapſionis, hanc præmiſerat Gerſo, quod hic homo cum in monaſterio ageret, non ſaperet ad ſobrietatem, & vſque eo ſibi videretur idoneus ac rerum diuinarum notitia inſtructus, vt audiente ipſo Gerſone, aliquando expoſtularet, quod deeſſet tunc in Eccleſia alter Hieronymus, quem adire & conſulere poſſet, quaſi non eſſet alius qui ad ipſum docendum ſufficeret. Nec admiſit ſapiens monitum ambigentis de ea expoſtulatione, tanquam profecta à ſpiritu Regis ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſed indignabundus reſpondit quæ voluit & receſſit, factus non ita multo poſt præda Satanæ per apoſtaſiam. Iubet hic Gerſo vnumquemque religioſum, cum alia recogitare, tum nominatim illud Dauidicum *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, & mirabilibus ſuper me.* Hinc vides, cur dixerim, Gerſonem tametſi intemperantiam ſciendi pro radice huius Apoſtaſiæ videtur aſſignare, reipſa tamen hanc ruinam ex ſuperbia natam agnouiſſe.

CAP. VI. *Apoſtaſiæ cauſa proxima. §.3. Superbia.*

Meritò igitur *S. Auguſtinus l. de ſancta Virginit. cap.* 52: Sanctimonialibus ſuggerens ſubſidium perſeuerantiæ, ſic eas affatur. *Humiliter ad humilem venite ſi amatis, & ne diſcedatis ab illo, ne cadatis. Qui enim timet ab illo diſcedere, rogat, & dicit, non veniat mihi pes ſuperbiæ, pergite viam ſublimitatis, pede humilitatis: Ipſe exaltat humiliter ſequentes, quem deſcendere non piguit ad iacentes. Dona eius illi ſeruanda committe, fortitudinem veſtram ad illum cuſtodite. Quicquid mali ipſo cudente non committitis, tanquam remiſſum ab illo deputate, ne modicum vobis exiſtimantes dimiſſum, modicum diligatis, & tundentes pectora publicanos, ruinoſa iactantia contemnatis. De viribus veſtris experti cauete, ne quia aliquid ferre potuiſtis inflemini: de inexpertis autem orate, ne ſupra quàm poteſtis ferre, tentemini. Exiſtimate aliquos in occulto ſuperiores, quibus eſtis in manifeſto meliores. Cum aliorum bona, fortè ignota vobis, benignè creduntur à vobis veſtra vobis nota, non comparatione minuuntur, ſed dilectione firmantur. Et quæ fortè adhuc deſunt, tanto dantur faciliùs, quanto deſiderantur, humiliùs. Perſeuerantes in numero veſtro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem veſtrum; illud amate vt imitemini, hoc lugete ne inflemini.*

Benè item ſic *Caſſianus* 4. *de Inſtit. cap.* 36. *Caue ne quando ſuperbiam quam nunc incipiens ardore fidei, ac pia humilitate calcaſti, cum cœperis pſalmorum vel profeſſionis huius quandam notitiam degustare, paulatim elatus reſuſcitare mediteris, ac ſecundum Apoſtoli ſententiam, quæ deſtruxiſti iterum reædificans, præuaricatorem conſtituas temetipſum: ſed potiùs vt in hac nuditate quam coram Deo & Angelis eius profeſſus es, ad finem vſque perdures.*

Narratio de Monachis in Sina monte interfectis 14. Ianuar. obſeruat Patres olim in ea eremo, Nouitios quidem docuiſſe vitare ingluuiem & carnis vitia. *Sibi autem (inquit) & inter ſe inuicem, prohibent*

perſo

CAP. VI. *Apoſtaſia cauſa prox.* §.6. *Securitas*

perfectiores vanam ſimul gloriam & ſuperbiam, iubentes eas cauere, non ſecus ac petras quæ latent in mari propè portum, vt quæ poſt multum laborem nauigationis, ferunt ad extremum & graue periculum, eos qui in maximis vitiorum fluctibus & tempeſtate immundarum cogitationum, nauem nequaquam fregerunt. Multi enim qui nequaquam fracti fuerant inſultibus tentationum; ſed totum curſum illæſi confecerunt, cum ſæpè poſt victoriam confidiſſent habitu eorum quæ rectè geſſerant, aut ſupra eos qui videbantur ſe negligentius gerere ſe erexiſſent, ceciderunt caſu valdè lachrymabili. Nam priuat quidem fortaſſe vana gloria iis mercedibus quæ dantur propter laborem, & facit operationem iis qui laborant inutilem. Eſt autem cum damno arrogantia ac ſuperbia, & nouit magnum conciliare periculum, vt quæ Deum inficietur eſſe ſanctarum rerum cooperatorem, & rerum rectè geſtarum ſibi adſcribat poteſtatem. Atque de illis quidem ſic dicit Propheta, qui congregat mercedes, congregat in dolium perforatum, vt quæ nondum iniiciantur & iam effluant, quæ non diu maneant in dolio ſed, mox è dolio prætercurrant. Talis eſt enim vana gloria.

§. 6. *De nimia ſecuritate.*

GErmen ſuperbiæ eſt nimia ſecuritas. Hanc non difficilè Religioſis ob epere, & in eorum ruinam, corda ipſorum occupare, fusè proſequitur Eucherius aut quiuis alius Autor homiliæ 5. ad Monachos, propoſitis variis & grauiſſimis diſcriminibus quæ perpetuò Religioſis hominibus impendent, in certo ſui exitu faciunt. Vnde amentiæ genus videtur, ſecuritatem ſibi in iugi inſtabilitatis periculo polliceri. Cadunt autem ſpecialiter in Religioſos viros, quæ generaliter S. *Gregorius* aduerſus ſecuritatem nimiam diſputat 20. *moral. cap.* 3. & 4. demonſtrans, *incautam (vt vocat) ſecuritatem, ſæpè multis graue fuiſſe periculum.* Ideoque Salomonem, beatum pronunciaſſe eum, qui ſemper eſt pauidus. Denunciaſſe autem, eum qui mentis eſt duræ, corruiturum in malum. Rurſuſque domeſticos ſponſi ſatellites (cuiuſmodi ſanè præ omnibus ſunt Religioſi,) enſem ſuum ſuper femur ſemper tenere, propter timores nocturnos: hoc eſt, propter iuges huius vitæ tentationes, quibus perſpectis bonus Dei ſeruus, agnoſcit ſeruiendum eſſe Domino in timore, & exultandum ei cum tremore. *Philippus Abbas lib.* 4. *in Cant. cap.* 4. egregiè S. Gregorium eſt imitatus. *Femur (inquit,) carnem ſignificat quæ de femore propagatur, caro autem infirma eſt, & deficere naturaliter comprobatur & ideò per femur ſiue carnem, ſignatur infirmitas vel defectus, quem velut ex natura incurrit noſtra firmitas vel profectus. Virtus enim hominis quantauis magnitudine ſublimetur, non habet à ſe ipſa, vt in propoſito roboretur: ſed ſi deſerente gratia, paululum à diligentia relaxetur, tanquam aliis perditis, gradu ſtabili non tenetur. Super femur ergo enſem virtus ponere tunc videtur, cum verbo Domini lucido quod penetrabiliùs omni gladio perhibetur; infirmitatem ſuam dignè cohibet & caſtigat, & rigore firmat Verbi, quod inualidum naturaliter ineſtigat. Enſem tenet ſuper femur, cum ſuper ſui cuſtodiam dignè vigilat, & intendit, quæ non ſolum ſe infirmam, ſed infirmam naturaliter deprehendit, & ob hoc ſollicitior, ſic à defectu ſibi præcauet & ruina, vt & defectus cauſas tanquam femur, Verbi comprimat diſciplina.*

Heſychius haud diſſimilia in hac parte monet *Centur.* 1. *de Temper. cap.* 32. & eſſe illi ſermonem de Religioſis, patet ex ſuperiori capite. *Perinde (inquit,) fugienda eſt ſecuritas, vt aſpidis venenum; & pleraque conuerſationes, vitanda tanquam ſerpentes & viperarum fœtus, cum hæc eam vim habeant, vt quàm primum inducant in profundam interni belli obliuionem, & abducant animum à ſublimi lætitia quam concipit ex puritate cordis. Quandoquidem animaduerſioni non aliter aduerſatur execranda obliuio, quā aqua igni, quæ hoſtis in ſingulas horas valde nititur. Quoniam ex obliuione dilabimur in negligentiā, à negligentia in contemptum & ſocordiam ac deſideria abſurda, & ita denuo conuertimur ad ea quæ reliquimus à tergo, velut canis ad proprium vomitum. Quare fugiamus ſecuritatem, vt lethale venenum. Exitiale autem detrimentum obliuionis, & quæ ex ea naſcuntur, ſanat perdiligens cuſtodia mentis, & inuocatio Domini IESV Chriſti admodum aſſidua.*

Sic igitur ſe habet Religioſus ſapiens, & perſeuerantiæ ſuæ conſulens, ſemper pauidus, nunquam ſecurus eſt præter rationem. Qui autem nimiùm ſecurus eſt, diuino ſe præſidio rectè ac prudenter pauentibus conceſſo, ſpoliat, & ruinæ facilè patet. Id quod omnia propè exempla eorum qui hactenus à Religioſo inſtituto cecidere, docuerunt. Et præiuerat exemplum in B. Petro, quem *Origenes Tract.* 35. *in Matth.* ad illud, *ter me negabis*, eo turpiùs quam cæteros Apoſtolos cadere permiſſum docet, quia ſui ſecurior & audacior fuerat. Infertque inde Origenes, propoſitum eſſe Apoſtolum omnibus in exemplum, ne altum ſapiant ſed timeant, & in tanta naturæ noſtræ fragilitate, ſibi ſemper diffidant.

Concludo cum Gulielmo Abbate ad fratres de monte Dei. *Sic fratres obiecto vos, non excuſemus nos, ſed accuſemus nos & confiteamur. Et qui magni nominis vmbram, & perſonale quoddam figmentum perfectionis apud homines induimus, apud Deum conſcientia noſtra cognoſcentes paupertatem, non vſquequaque recedamus à veritate, & veritas liberabit nos* id eſt timeamus, vt timendo tuti ſimus.

§. 7. *De neglectu minimorum.*

COntemptus minutorum qui nimiæ ſecuritati ſemper comitatur, ingens oſtium eſt ad Religioſi ruinam, & cladem plenam. Ideòque *S. Ambroſius ſerm.* 15. *in pſal.* 118. *verſ.* 7. agens de apoſtaſia, admonet vt caueantur incentiua. Et lenocinia, id eſt rudimenta vitiorum, ne in ſcelus vergant. Nihil ſanè pernicioſius in ſpectantibus ad diuinum cultum, quam aliquid habere pro minimo aut exiguo. Idque conſiderantes Iudæi, vt autor eſt *Philo lib. de Legatione ad Caium*, nihil in patriis ritibus haberi minimum ſuſtinebant; *quia ſicut in ædificiis, exempto vno cæmento, reliqua licet firma videantur, laxata ſidunt paulatim in vacuum*, vt Philo ratiocinatur. Similiter igitur, Religioſum neceſſe eſt inſtitutorum ſuorum eſſe tenaciſſimum, nec vllum eorum parui facere tanquam minutum. Quod ſi eo deueniat, vt quædam ex illis negligat tanquam parui momenti, non procul abeſt ab exitio. *Omnes ergo rimæ (vt rectè dixit autor libri de ſingularit. Clericorum) claudendæ ſunt, ne per vnum foramen caſtra omnia penetrentur; & vniuerſa componenda ſunt munimenta, ne per modicum non munitum; tota ciuitas ruat. Sicut Salomon repetit dicens, qui ſpernit modica, paulatim cadit.* Quod ſi vulgares quoque Chriſtiani, vt eo ſint digni nomine, nec mereantur à Deo abiici, & Chriſtianitate,

tate, (ſaltem intrinſecùs & inuiſibiliter) excidere, tenentur vitare minima, quanto iuſtius eſt, idem ſtudium exigere à Religioſis perſeuerare cupientibus? *Syncerißimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere ſaluator noſter, iuſſit ab eis cautißimè, etiam vitari: Et vt quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſe vita Chriſtiani.* Verba ſunt *Saluiani lib.3. de prouid.* Ad quem igitur nitorem, minimis etiam labeculis deuitatis, pertingere oportet Religioſum, ſtabilitatis à Deo expectandæ amantem? Quàm neceſſe eſt, nihil vt minimum ducat, quo tanta maieſtas honoratur aut violatur?

Edocens Religioſum perfectionem vitæ ſpiritualis *S. Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap.24* grauiter eum admonet, vt vel iumentum ſarcinarium ſequi, ac quiduis abiectum exequi, inglorium non ducat, *ſciens nihil minutum eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed grande & ſpirituale, ac eiuſmodi quod cœlum nobis & præmia cœleſtia conciliat.* E contrario igitur nihil minutum habendum eſt, quod diuinam in nobis ſementem lædit, & diſponit ad peruerſionem, iuxta illud eiuſdem S. *Patris ſerm.2. de baptiſmo, ſere initio. In vita negotio, paululum non eſt quod paululum abeſt, ac ferè decimus vt quidam noſtrorum ſapientum admonuit. Et hoc ex ipſis rebus potißimùm liquet, imò & ex abſoluta illa ſacrorum & ad oblationem deſtinatorum animalium integritate, ſatis habet fidei, quod dico: in quibus vbi modica quædam reperiebatur macula, vel mutilatio, non integri alicuius membri, ſed partis tantùm ipſius, quemadmodum ſcriptum eſt, mutilatio auricula, ſiue homo erat, ad ſacerdotium ineptus indicabatur, ſiue animal, reprobum habebatur ad ſacrificium.*

Illuſtrare prætereà hoc licet, graui oratione S. Chryſoſtomi demonſtrantis nihil eſſe habendum paruum in genere eorum quæ cum Deo connectunt: cuiuſmodi ſanè ſunt reſpectu Religioſi, regulæ & inſtituta profeſſionis ſuæ. Sic enim habet *hom.8. in 1. Cor.* ad illud, [fundamentum aliud nemo poteſt ponere. Qui parum abſceſſerit, multùm etiam procedens abſcedet. Corpus enim ſi ab enſe accepit diſiunctionem, interibit: & ædificium ſi vel parum dehiſcat, diſſoluetur. Et palmes ſi à radice parum fuerit abſciſſus, fit inutilis. Quamobrem hoc parum, non eſt parum, imò verò eſt ferè totum. Quando ergo parum deliquerimus, aut etiam pigri ac ſocordes fuerimus, ne illud parum negligamus: citò enim neglectum fit magnum. Ita etiam veſtimentum ab initio ruptum & neglectum, per totum perducit ſciſſuram: & tectum, ſi cum paucæ tegulæ deciderint, fuerit neglectum, totam domum deiicit. Nos ergo hæc conſiderantes, parua nunquam deſpiciamus, ne in magna incidamus.]

Diſſerit pereleganter in eandem ſententiam, in caput primum ad Galatas ad illud, *Et volunt ſubuertere Euangelium Chriſti.* Quo loco, totius Eccleſiæ exitium, ex conuulſione eorum quæ in ſpeciem minima ſunt, extimeſcit; concluditque. *Hoc ipſum igitur eſt omnium malorum cauſa, quod ob puſilla non indignamur. Ob id enim maiora ſcelera ſubierunt, quòd minoribus debita correctio non adhibetur. Et quemadmodùm in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones, ac mortem denique: itidem & in animis, qui puſilla diſſimulant, maiora inuitant. Ille inquiunt, labitur in ieiunio, neque quicquam eſt magni. Alter verò valet quidem recta fide, cæterum temporis gratia ſimulans, profitendi libertatem prodidit. Ne id quidem eſt aliquid magni mali. Alius irritatus, minatus eſt ſe defecturum à recta fide. Ne id quidem ſupplicio dignum, eo quod ira animique commotione peccauit. Quin & innumera reperiet aliquis huius generis quotidie peccata in Eccleſiis. Hanc ob cauſam deriſui facti ſumus, & gentibus & Iudæis, dum Eccleſia in mille partes diuiditur. Etenim ſi iis qui à diuinis præſcriptis reſilire conabantur & paulum quiddam ſecus quam oportet tentabant, mox ab initio fuiſſet adhibita conueniens increpatio; nequaquam nata fuiſſet hæc peſtis, haud quaquam tanta tempeſtas Eccleſias occupaſſet.*

Apoſtaſia cauſa prox.
§. 7. *Neglectus minimor.*

Quod Chryſoſtomus præcipuè de peccatis aduersùs rectam fidem & obedientiam Eccleſiæ debitam dixit; æquè valet pro quibuſuis peccatis aduersùs cuiuſuis inſtituti formam admiſſis. Æquè enim cum eius incolumitate pugnant, & ad conuellendam eius firmitatem tendunt, contingitque magnum fieri negligentia, quod leue & minutum videbatur, vt ait *Auctor libri de vera & falſa pœnitentia cap.7.* vel illud habet quaſi effatum. *Nullum peccatum eſt adeò paruum, quod non creſcat neglectum. Non enim conſiderandum eſt qui fecerit, ſed quem offenderit.* Similia pulchrè Auctor ſermonis de leuium peccatorum periculis apud S. Chryſoſtomum. Itaque qui pro feſtucis habet minutias culparum, intra breue tempus, iuſto Dei iudicio, trabibus ſe præpeditum agnoſcet. Ex quo efficitur, vt iuxta dictum *Siracidæ c.19. qui ſpernit modica, paulatim decidat.* Quod *S. Gregorius 10. moral. cap.14.* ex Apoſtolo confirmat, qui Iudæos à luſu, ac cibo, & potu, ad idololatriam profeciſſe animaduertit. Similiter *Iſidorus Peluſiota Epiſt. 17.* nuper edita ad Cyrum quendam; tanquam vitiorum omnium fontem, & extremi exitij certum principium, inſectatur illud quod minimorum contemptoribus in ore eſt; *quid tum poſtea?* citatque in eam rem Demoſthenem. *Epictetum l.1. Arriani cap.7.* id accuratè monentem, retuli *in Morali diſt.4.n.444.* cum aliis, quibus nunc addendi S. Baſilius præfatione ad qq. fuſiùs diſputatas, *S. Aug. ſerm.12. de diuerſ. cap.11. & ſerm. 34. cap. 12. itemque Heſychius centur. 1. num.27.*

Refero potiùs eam in rem S. Dorotheum, qui non generatim iſta tractans, (vt prædicti,) ſed ſigillatim de Religioſo agens, nulla ex parte adeò timet eius perſeuerantiæ, ac ex hoc capite. *Vt enim pernoſcatis,* (ait fratres ſuos alloquens doctr.2.n.2.) *quod ex minimis his, & natura vilibus, ad magna & pergrandia contemnenda perfacilè delabamur, cum cœperit quiſpiam dicere, Quid refert ſi verbum hoc dixero? Quid refert ſi in rem hanc intendero, & incubuero? Ex hoc enim, quid eſt hoc? quid refert illud? mala, ac peruerſa & amara conſuetudo admittitur, & imbibitur; & datur initium, vt magna, ac grauiora contemnamus, & conſcientiam noſtram conculcemus, & proſternamus, & ſic demum per partes offendentes, periculum eſt ne in perfectam inſenſibilitatem deueniamus. Idcirco Fratres, videte, ne parua ac minima contemnamus. Videte, ne ita ea ſpernamus, vt vilia, ac nullius pretij. Non enim ſunt parua; Pabulum peſſimum eſt hoc. Conſuetudo eſt non bona. Aduigilemus itaque Fratres & accuratè in minimis, ac leuibus caueamus, dum minima ſunt & leuia, ne magna fiant & grauiora. Nam rectè agere & peccare, à minimis ortum habent, & ad magna paulatim, vel bona vel mala perducunt.*

Scitè *Petrus Bleſenſis Tract. de Confeſſ. ſacram. Veniali alia non negligas. Qui enim minima contemnit, paulatim defluit; & ad maiora prolabitur. Quid autem adeò veniale eſt, quod non poſſit importare*

CAP. VI. *Apoſtaſia, cauſa proxima. §.8. Caro.*

timerem, cum de verbis & cogitationibus otioſis, oporteat reddere rationem? Vide ergo ne obruaris arena, ne leuia te ſubmergant. Non & guttulæ aquæ, dum in ſentinam nauis paulatim & occultè influunt, nauem quæ procelloſos impetus maris, antea fortiter ſuſtinuerat, ex improuiſo ſubmergunt. Caue igitur ne de radice colubri, regulus; & de vſu venialium, lethifera conſuetudo naſcatur. Teſte ſiquidem Auguſtino, ex quodam contemptu, peccatum committunt in Spiritum ſanctum, qui negligenter venialibus aſſueſcunt. Propterea B. Iob omnia opera ſua verebatur. Locus B. Auguſtini quem profert, extat apud creditum *Auguſtinum l. de vera & falſa pœnit. cap.* 8. Idem *Bleſenſis Epiſt.* 86. diſciplinam exquiſitè ſeruatam, vocat *clauem innocentiæ, Religionis anchoram, cuſtodem ordinis.* Similiter *Anſelmus lib.* 3. *Epiſt.* 49. ſcribens Monachos Ciſtercienſes; cum hoc negotium vniuerſum diligenter exequitur, tum rationem eius aperit ſanè luculentam, ex modo quo Deus ſuam gratiam confert, aut ſubducit. *Cum (inquit) Dei ſit, ſua gratia ſemper præuenire; noſtrum eſt, quod accipimus, eius auxilio ſtudioſè cuſtodire. Nam quamuis nec habere nec ſeruare poſſimus aliquid niſi per illum; perdere tamen & deficere, non eſt niſi ex noſtra negligentia, quæ ſæpiſſimè incipit à minimis, in quibus nos callidus hoſtis ſolet decipere, cum nobis perſuadet, ea non magni pendere. Inde namque ſequitur illud damnum execrabile, quod legitur, quia qui modica deſpicit, paulatim decidit. Certiſſimum namque eſt, quod in multis Eccleſiis experimento didicimus, quia in monaſterio, vbi minima directè cuſtodiuntur, ibi rigor ordinis Monachorum inuiolabiliter permanet; ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamatione conquieſcunt: vbi verò minimi exceſſus negliguntur, ibi totus ordo, paulatim diſſipatur & deſtruitur. Si ergo de virtute in virtutem vultis aſcendere, ſemper timete in ſingulis minimis Deum oſtendere. Non debetis conſiderare, quam parua ſit res, quam contra prohibitionem facitis: ſed quantum malum ſit inobedientia, quam pro parua re incurritis.* Similia *Epiſtola* 151 *eiuſdem libri.*

Denique *Petrus Damiani, Opuſc.* 12. *cap.* 7. refellens Religioſos minutarum culparum contemptores, ſic diſſerit. *Cui tota rei cuiuſlibet vniuerſitas intercluditur, excuſationis aufugium de minutiis non lucratur: & cui totum ceſſit, pars proculdubio non remanſit; præſertim cum hæc ſit mentis humanæ natura, vt ita occupetur circa minima, ſi ſit indigens, ſicut erga multa, ſi diues.* Et mox. *Porrò ſi exiguus mus, vel quodcunque reptantium in quamlibet capaciſſimam tunnam caſu decidat, nunquid non protinus cum ſecuribus hinc inde concurritur, totum, quidquid illud erat, effunditur, cunctiſque ſcreantibus, vomitum minante ſtomacho nauſeatur? ſi tenuiſſima veneni ſtilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, eſculentius licet, edulium, prorſus abominabile indicatur? Si ergo per exigua mala, largiſſima ſæpius bona corrumpunt, quo pacto te de lenocinante conſcientia iactas, quia minimum eſt, quid contra profeſſionis tuæ propoſitum priuata proprietate poſſideas? Nam iuxta Apoſtolum, modicum fermentum totam maſſam corrumpit: Et alibi; qui modica ſpernit, paulatim decidit. Neque enim primi parentes noſtri, ex illo prohibito pomo frequentibus ſunt conuiuiis crapulati, cuius vna tantùm leguntur infauſta perceptione corrupti; ſed non idcircò momentaneæ vltionis perplexi ſunt pœna, quia diutiùs non perſtitere tranſgreſſores in culpa.*

Hic minimorum neglectus, & incuria de qua hactenus, manuducit ad frigus illud quod *S. Bernardus ſerm.* 63. *in Cant. in fine* Regioſo tandem exitiale, & proximam apoſtaſiæ cauſam ſtatuit, vt referam capite ſequenti. Nec aliter de hac remiſſione animi, Religioſum denique reuocante à concepto feruore, & ad ſeculum retorquente per Apoſtaſiam, pronunciaſſe video *S. Gregorium l.* 7. *Mor. c.* 17. ad illud *Conſiderate ſemitas Theman, itinera Saba, & expectate pauliſper.*

§. 8. *De cura carnis in deſideriis, eiuſque fœcibus, præſertim ob familiaritatem non ſobriam cum ſexu molliore.*

IN extrema Satanæ acie, contra Religioſi perſeuerantiam, locabam, carnem. Cadit enim in pleroſque omnes à Religione Apoſtatas, illud Pauli aduersùs *Galatas cap.* 3. *ſic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, carne conſummemini?* Carnem porrò intelligo, & carnis curam in deſideriis, & carnis feruorem deſpumationemque per libidinem. Multi ſanè cadunt, quia carnem nimiùm fouent. Contra quos ſunt illa ex *Bleſenſi Epiſt.* 11. *Non conſentias carni fatuæ, quæ ſe & te pariter trahit in laqueum gehennalem. Sicut legitur de Zambri, qui ſe & domum regiam pariter dedit in combuſtionem, & cibum ignis. Circumferimus hoſtem noſtrum, ſed iuxta verbum Salomonis, ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris & domeſticus inimicus; Hic eſt ignis in gremio, ſerpens in ſinu, hæc eſt vxor hominis litigioſa, peſſima caro noſtra. Quæ licet ſit vexata doloribus, repleta illuſionibus, infecta ſordibus, afflicta infirmitatibus, obnoxia paſſionibus, flagellis trita, plagis cæſa, morti denique deputata; tamen adhuc aculeis contradictionum hiſpida, rebellis, ſuperba, murmuroſa, quæruloſa, contumax, inquieta in ſuum & animæ coniurat exitium: nec poſſe ſatis fieri ſibi putat, donec ſe & animam præcipitet in æternæ damnationis abyſſum. Cur non attendit infeliciſſima caro, quàm nobilem, & quam neceſſarium ſibi, habeat, hoſpitem, cuius beneficiis ſuſtentatur, regitur & honeſtatur? Quod audit, quod videt, quod ſentit, quod intelligit, quod loquitur, quod mouetur, totum hoſpiti ſuo debet, cuius auxilio deſtituta, fieret quaſi terra ſine aqua, immundum morticinum, vermium cibus, aëris corruptela. Inuenta eſt iniquitas eius ad odium, dum iniquè odit, quod totis viſceribus debuerat dilexiſſe. Odit dico, qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

Eſt in hanc rem locus inſignis apud *Hugonem à Folieto libro* 1. *de clauſtro animæ cap.* 18 vbi carnis deſideriis ductos, confert cum Ægyptio Rege qui *Geneſ.* 12. Saram adamauit, ſed mox coniugatam reſciens abiecit. Similiter enim carnales homines ſpeciem religionis quandoque amant, & eius veſte conteguntur, ſed tandem abiiciunt Saram *vt liberè remaneant in Ægypto: abiiciunt enim habitum religionis & in deſideriis ſuæ carnis perſeuerant. Abraham verò aſcendit ab Ægypto in Bethel, id eſt carnalium voluptatum conſortia deſerens, in domo Dei manet. Hoc enim interpretatur Bethel.*

S. Baſilius ſerm. de Abdicat. cum valdè expendiſſet, quantum ſit Monacho malum, ventris ingluuie duci, & conteſtatus eſſet, eum ſibi morbum, ſemper viſum inſanabilem in omnibus quos eo correptos vidiſſet; ſubdit. *Nam aut à continentia cultorum vita ſe ſocietate penitus abruperunt, ſeſeque capitalibus vitæ huius illecebris dedido*

dediderunt: aut dum inter eos occultiore ſe ꝑmanerunt, voluptatibus addicti, duce Diabolo, ſtipendia meruere. Nam qui eiuſmodi ſunt, ij mendaces ſunt, ad inſinuandum parati, periurioſi, litigioſi, pertinaces, clamoſi, & qui ſuturi ediſſe ſe pertinaciſſimè pernegent, illiberales, qui victu delicato apprimè gaudeant, queruli, aliorum curioſi exploratores, tenebriones, totius honeſtatæ vitæ de induſtria inimici, qui vt gulæ libidinem obtegant, innumerabilibus ſe aliis vitiis inuoluunt; qui cum habitu quidem inter ſaluos eſſe videantur, rebus ipſis inter perditos numerandi ſunt.

A ventre, & cura illa carnis cui ingluuies adiungitur, venitur ad ea probra quæ ad venerem ſunt: quæ quomodò cum præcedentibus defectibus in ſuperbia radicatis, & in illo nectantur, aperit optimè S. *Odo lib. 2. Collat. cap. 7.* ſic ſcribens. *Qui poſt profeſſam Religionem ad carnales nequitias deuoluuntur, primò per ſuperbiam capiuntur. In qua ſicut ſcriptum eſt, Omnis perditio ſumit initium; quæ eis maximè per hæc ſubrepit, quia dum redditibus Eccleſiæ, vel donariis fidelium ditati incraſſantur, recalcitrant, & quia in labore hominum non ſunt, tenentur ideò ſuperbia: deinde plenam manum habentes, vitium illius purpurati diuitis incurrunt, quotidie videlicet ſplendidè epulari & cultioribus veſtibus geſtientes pompari. Tum quoque ſuæ profeſſionis obliti, luxuriæ manus tradunt. Apud quos vtique iuxta illud Comici, Venus frigeret, ſi Cerere & Baccho non abundaſſet; Cuius ruinæ deſcenſionem, ipſa quoque membrorum demonſtrat poſitio; cum videlicet cor viri ſuperbia tumet ſuperius, deinde venter, poſtremo genitalia collocantur. Superbia eſt ſpiritus; reliqua duo, carnis. Quæ duo poſtquam hominem illexerunt, eo difficilius deponuntur, quo dulcius vtuntur. Iam verò hi tales contra Apoſtolum ſecundum carnem viuentes de corporea nobilitate gloriantur: qui ſi pro certo Dei filios ſe eſſe crederent, nunquam poſt diuinos natales, nobilitatem admirarentur terrenam.*

Caſum Religioſorum multorum per has turpitudines, non tacuit S. *Ephrem paræn. 42.* ad fratrem qui è monaſterio excidit. Exempla quoque ſuppetunt innumera. Quæ conſiderando, transferri huc optimè poteſt, quod ait *Philippus Abbas lib. de damnatione Salomonis, Vt video, nec ipſa fortitudo ſubſiſtit adamantis, niſi eam conſeruet ſua Deus protectione miſerantis. Inde eſt quod iuxta Septuaginta Interpretes, Amos Propheta ſuper murum adamantinum, dominum vidit ſtantem, qui & in manu ſua tenebat adamantem. Adamas lapis eſt pretioſus, tantæ, (vt aiunt) fortitudinis, vt malleo & incude non lædatur, non lima atteratur, non igne corrumpatur, non aliqua vetuſtate temporis conſumatur. Tamen qui contra hæc omnia indomabilis permanet, hircini ſanguinis calorem non ſuſtinet; ſed ſi eius attactu polluitur, tota illa fortitudo diſſoluitur. Conuenienter igitur adamantem Dominus in manu ſua tenens, & muro adamantino viſus eſt inſidere; quia niſi eius potentia, illius fortitudo minuatur, non remanebit lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur. Qui enim non expauit ad clangorem hoſtilium tubarum, qui deſeruit aſſultus bellatorum, qui non ceſſit incurſibus baliſtarum, ſi hircino ſanguine aliquatenus aſpergatur, tremit, ruit, funditus diſſipatur. Lapis adamas, quemlibet ſanctum mira fortitudinis, ſanguis verò hircinus immunditiam deſignat libidinis. Quamlibet ergo quis fortis fuerit virtutibus congregatis, ſi ſolius libidinis macula polluatur; ruit, perit, penitus eneruatur.* Audi ne quamlibet *quis fortis fuerit?* Quod eos maximè ferit, quibus ad fortitudinis ſuæ probationem, aut etiam accrementum, cum ſecluſa in hoc genere commercia aliquando placuiſſe, latè refert *Origenes lib. de ſingulari. Clericor. num. 36. & 6.* ibi diligens, hoc ſe gerere, aliud non eſſe, quam deſiderare viuere ſub ruina. Additque numer. 155. non eſſe quod quis in periculo huiuſmodi voluntate, ſpondeat ſibi auxilium Spiritus Sancti quam vocat fortitudinem ſpiritualem, qua fragilitas noſtra roboretur. Eam quippe fortitudinem, conferri tantum docet, *vt prouidos, non vt præcipites tueatur. Vt illos nunciat qui renunciant importunitatibus dilectorum, non eos qui ſe magis, importunis delictis immergunt.* Vnde concludit, amantem periculum, (iuxta ſapientem) in illo periturum. Omiſſa autem hac monſtroſa fortitudinis oſtentandæ vel probandæ voluntate, quam admodum pauci in tot Chriſtianis ſeculi ſuſcepiſſe produntur, hæreamus in iis qui fortitudine ſufficientes ſibi viſi inſtrui, ferreum denique pectus, aquea mollitudine fœminei ſexus incautius frequentata emollierunt; Nam etiam aquis emolleſcere ferrum, ex captiuorum quorundam compedibus ad eum modum ſolutis, confirmat *S. Chryſoſt. hom. 9. ad pop.* Multi planè, & omnino multi, per improuidentiam in hac parte, prolapſi & euerſi ſunt, & in periculo adamato perierunt.

Apoſtaſiæ, cauſa proxima §. 8. Caro.

Sed ſignemus nonnulla in hanc rem exempla ſigillatim. Faſtidioſum, ex Monacho Apoſtatam, hac lutoſiſſima via in perditionis barathrum fuiſſe deuolutum, monſtrare ſupra memini ex ſancto Fulgentio, Theodorum Mopſueſtenum, eadem de cauſa factum Apoſtatam à Religioſo inſtituto, flebilibus modis deplorat S. Chryſoſtomus paræneſi priore. Ideoque inter alia incentiua, quibus vrget hominem vt reſipiſcat & conuertatur ad cor, proponit illi cogitationem tormentorum inferni, & ignis qui nunquam extinguitur. *Hæc conſidera, (inquit) & illi igni repugna qui te occupat nunc, ardore concupiſcentiarum.* Inferiùs quoque; multis & ſanè præclarè, caducitatem corporeæ pulchritudinis deſcribit, quamque iniuria ſpecioſam Hermiones faciem, (ſcortum erat: cui illigatus erat, Theodorus,) ſaluti animæ anteponeret, grauiſſimè demonſtrat. Huius ac ſuperioris ſeculi Apoſtatas, hoc igne conflagraſſe, neminem latet. Multos ſuperius protulimus; Lutherum, Bucerum, Ochinum, Vermilium, Knoſſum. Quare in re planè peruia, non eſt aliis exemplis vel teſtimoniis opus.

Tantum addendum eſt, hanc eſſe condignam mercedem, quam recipiunt a Deo iudice æquiſſimo & incorruptiſſimo, homines corrupti mente, & cum aliis proximè propoſitis vitiis ſordentes, tum nominatim ſuperbia. Quod enim humilitas ſit animæ quaſi virginitas, & caſtitas, vt luculenter dixerit *S. Fulgentius Epiſt. 3.* quæ eſt ad Probam, meritò qui animi caſtitatem per ſuperbiam abiiciunt, corpore iniquinari ſinuntur. Doctrina eſt *Caſſiani lib. 12. cap. 21.* Prolato enim exemplo cuiuſdam, qui igne turpiſſimæ fœditatis vrebatur; propoſito inſuper in eam rem exemplo Ioas Regis, in quem hoſtes propter ſuperbiam tradente illum Deo, ignominioſa exercuerant iudicia, ſubdit: *Vides quam flagitioſis ac ſordidis paſſionibus tradi mereatur ſuperbia. Qui enim elatus arrogantia, vt Deum ſe paſſus eſt adorari, traditur ſecundum Apoſtolum in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum. vt patiatur ea quæ non conueniunt. Et quia dicit Scriptura, Immundus eſt Apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum: iſte qui tumida elatione cordis inflatus eſt, turpiſſimæ confuſioni traditur deludendus: vt*

CAP VI. *Apoſtaſia, cauſa proxima.* §. 8. *Caro.*

humiliatus, taliter ſentiret ſemetipſum eſſe vel immunditia carnis & conſcientia impura paſſionis immundum, quod animi ſui noluerat elatione ſentire; & vt carnis ignominioſa contagio patefaceret immunditiam cordis eius occultam, quam ſuperbia malo contraxerat; ac manifeſta pollutione corporis ſui probaretur impurus qui per elationem ſpiritus factum ſe non ſentiebat immundum.

Optimè quoque S. *Gregorius* 11. *Moral. cap.* 9. circa illud, *Balteum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum*, ſcribit hæc verba. *Qui membrorum ſuorum motus, bene regere ſciunt, non immerito Reges vocantur. Sed cum de ipſa continentia, elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus eius ſuperbiam deſerens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Regum itaque Balteum diſſoluit, quando in his qui benè regere ſua membra videbantur, propter elationis culpam, caſtitatis in eis cingulum deſtruit. Quid verò in fune accipitur niſi peccatum? ſicut per Salomonem dicitur; Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Et quia in renibus carnis delectatio principatur, diſtrictus conſcientiarum iudex, qui regum Balteum diſſoluit fune præcingit renes eorum, quatenus diſſoluto caſtitatis cingulo, ſcilicet eorum membris delectatio peccati dominetur, vt quos in occulto ſuperbia inquinat, quàm ſint deteſtabiles, etiam in publico oſtendat.*

Quare ſapienter, & admodùm frequenter Aſceticæ vitæ Magiſtri, Patres imitati, auctores ſunt Religioſo, vt ſi perſeuerantiam in ſuſcepto vitæ genere adamat, caſtitatem impenſe colat, eaque defugiat, quæ ſolent morituræ caſtitatis, (vt Sanctus Hieronymus tradit) eſſe principia: viſitationes præſertim & alloquia non neceſſaria mulierum, quantumuis piarum & Religioſarum; niſi aliqua prorſus ineuitabilis neceſſitas, trementes & tanquam cum igne verſaturos ad id adigat vt ſancit *ſanctus Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap.* 4. Eamque eſſe, *antiquiſſimi Patrum permanentem nunc vſque ſententiam*, ait *Caſſianus lib.* 11. *cap.* 17. Nonnullos in hanc rem ad id protuli, *lib* 6. *de virtut. num.* 141. & plures adduco in Tractatione de Sobria ſexus mollioris frequentatione per ſacros homines. Quod enim iam olim à muliere ſit viri perditio, & incautior ſacrorum hominum cum fœmineo ſexu conuerſatio Eccleſiarum luctu non rarò compleuerit, hodieque compleat, dignum viſum eſt argumentum in quod diligentiùs inquireretur, quod ea lucubratione factum eſt nec indiligenter, nec inamœnè.

Hactenus de variis ad Apoſtaſiam à religioſo ſtatu diſpoſitionibus quas ferè omnes, vel etiam planè omnes conglobans *Petrus Cluniacenſis lib.* 2. *Epiſtol.* 2. quæ eſt ad Petrum Antiſtitem Lugdunenſem, cum pleraque præmiſiſſet de laxatione ac diſſipatione Monaſticæ diſciplinæ in vniuerſa illa Prouincia, ac præſertim Diœceſi Lugdunenſi, qua laxatione omnes cauſæ hactenus diſcuſſæ comprehenduntur, ſubdit, nihil aliud expectandum eſſe, quàm vt ruant in Apoſtaſiam, qui ſic degenerant. Id quod etiam, accidiſſe reipſa pleriſque, conteſtatur. *In hypocriſi (inquit) omnem ſanctitatem mentiri volentes, ſed iam non valentes, quia occulti eſſe non poſſunt, publici Apoſtatæ fiunt qui ſecundùm figuram mulieris proſtitutæ, diuaricant pedes ſuos omni tranſeunti, & peruerſa obedientia inclinant dorſum malignis ſpiritibus, præcipientibus, incuruare vt tranſeamus. Fluxi, inſtabiles, præcipites, ſuperbi, cupidi, auari, quorum profeſſio præuaricatio, quorum ſtabilitas peruagatio, quorum conuerſio eſt a Deo auerſio, quorum obedientia contumacia, quorum clauſtrum totus orbis, quorum Deus venter, quorum Abbas propria voluntas, quorum iugum nullum, quorum mortificatio eſt omnimoda carnis oblectatio. Hi loca Deo ſacrata, malè viuendo temerant, domum orationis ſpeluncam latronum faciunt; ibi perditis operibus, Diabolo non vitulos aut arietes, ſed animas ſuas ſacrificant, dicentes ſe noſſe Deum, factis autem negantes. Iſti ſunt ligna infructuoſa, inutiliter terram occupantia, digna ſuccidi, digna comburi: peſſimi coloni vineæ, fructum in tempore ſuo reddere contemnentes, & hereditatem ſuam in iniuſtitia detinentes. Faciendum eſt eis quod patrem familias malis agricolis feciſſe Euangelium loquitur; Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Ita planè illis contingit, ſuccidente Deo.

Sed neſcio ſi vllum ex tactis à Petro Cluniacenſi & ſuperiùs fusè diſcuſſis capitibus potentius ſit ad euertendum Religioſum, quam id quod proximè adduximus. Auctor libri de honeſtate mulierum Auguſtino malè inſcripti, & ipſo quoque titulo fallacis (inſcribendus enim erat de fugienda mulierum familiaritate ac conſuetudine) ipſo libri initio, certam cladem denunciat Monacho qui hac in parte remiſſus fuerit. Et cap. 4. ait hunc eſſe malleum quo vniuerſa terra ne Monachis quidem exceptis, confringitur. Haud aliter *S. Ephrem paren.* 42. proximam prolapſionem & reuolutionem in ſæculum, auguratur Monacho viſenti ac frequentanti mulieres. Nec aliud volebat ſenior ille qui apud *Moſchum cap.* 217. Limonarij refertur ſic affatus Monachos. *Filioli ſal ex aqua eſt, & ſi appropinquauerit aquæ, continuò ſoluitur & deficit. Et Monachus ſimiliter ex muliere eſt. Itaque ſi appropinquat mulieri, ſoluitur & ipſe, atque in id deſinit, vt iam Monachus non ſit.* Senſus eſt ex familiaritate cum ſexu molliore conſequi in Monacho non modò profligationem pudicitiæ, quæ ſola religioſæ vitæ excidium coram Deo inferret, ſed etiam perſeuerantiæ in ſtatu religioſo euerſionem, quam ſolutio illa Monachi tanquam ſalis in aqua planè ſignificat, & apertè exprimit apodoſis qua dicitur inde ſequi vt Monachus iam non ſit Monachus. Alia in eandem ſententiam omnino multa conſtipare liceret. Proſtant enim ferè vbiuis apud Aſceticos. Hæc verò pauca hic retuli vt appareret poſtremam diſpoſitionem ad apoſtaſiam, præ omnibus aliis ſupra diſcuſſis, & ex Petro Venerabili conſtipatis, haberi Religioſo exitialem, ita vt qui in eiuſmodi hypobrichium inciderit, non tam timeatur ruiturus, & funditus aliquando euertendus, (quod de aliis cauſis proximis propoſitis dicitur à Patribus,) quàm pro vaſe perdito, & pro homine iam euerſo habeatur. Id innumera anteriorum ſæculorum exempla docuerunt, quæ vtinam ad noſtram ætatem non eſſent tranſgreſſa, & ſæculo proximè ſuperiore non eſſent audita. Sed ex breuiculo vitæ nonnullorum ex inſignioribus illius temporis Apoſtatis quem ſuperiùs ſub operis initium exhibuimus, procliue eſt contrarium deprehendere.

CAPVT

CAPVT VII.

Fœdi apoſtaſiæ natales; ſiue de apoſtaſiæ conſecutione ad diſpoſitiones propoſitas.

QVod in Phyſica ſubiecti alicuius aptatione, ad abiectionem formæ propriæ, & contrariæ ſuſceptionem cernitur; hoc item in morali diſpoſitione perſonæ ad inſtituti mutationem, viſu venit. Nimirum ſicut ſubiectum phyſicum non excutit formam quam habet ad primam diſpoſitionis contrariæ immiſſionem; ſed tantum ea ſenſim ac lentè conſummata, ob præiacentis diſpoſitionis repugnantiam, quæ tanquam fidum formæ cui comitatur ſatellitium, & ſe, & formam gratiatè exturbari patitur: Ita neque diſpoſitiones morales quibus perſeuerantia fouebatur, illicò peſſundantur ex minimo aſſultu contrario; Sed ſenſim imminutæ & acciſæ, tandem in eum ſtatum deducuntur, vt ſint ſuſtinendo contrario impetui impares: ſicque profligatæ, dent locum euerſioni perſeuerantiæ.

Intercedit tamen inter vtramque ſubiecti præparationem, & formarum exturbationem, diſcrimen notandum, Phyſica enim præparatio, vt formam ſubſtantialem nouam inuehat, diſiiciatque præcedentem, debet eſſe omnimoda. Conueniunt enim variæ partiales diſpoſitiones; puta tot gradus caloris, tot ſiccitatis; tanta raritas vel denſitas; ſicque de cæteris: quas omnes ſubiecti præparationes partiales, coaleſcere in vnam totalem, & perfectè induci neceſſe eſt, priuſquam forma noua ſubſtantialis, priore depulſa immittatur ſubiecto; quia noua forma, non poteſt ſine omnibus ſuis diſpoſitionibus, à quibus immiſſa foueatur, aduenire. At in morali præparatione ſubiecti; quia immiſſio nouæ veluti formæ pendet à libertate, non eſt neceſſe, omnes cauſas ſuperiori capite enumeratas, quibus interdum mutatio contigit, interuenire: Sed quamuis poſſint plures ex iis, vel etiam omnes concurrere, & pleræque earum ita nexæ aptæque inuicem ſint, vt non diſiungantur; tamen vt omnes interueniant, nihil eſt neceſſe; ſed aliquando quidem ex illis plurimæ, vel etiam ferè omnes, interueniunt: aliquando autem pauciores, prout voluntatis liberæ impetus, ac cauſarum diſponentium vis & efficacitas tulerit. Vtrumvis autem ſeruetur, non ſubitò, aut etiam admodùm promptè, ſed lentè ac pedetentim fit diſpoſitio vltima, æquè ac in naturali aptatione ſubiecti ad formam nouam ſubſtantialem. Sunt hæc ſigillatim & diſtinctiùs conſideranda.

Diſpoſitiones præmittuntur Apoſtaſiæ, atque adeò Apoſtaſia externa ſubſequitur internam.

PRæuium illum diſpoſitionum ſupra enumeratarum, vel omnium, vel plurium concurſum, planè fert, quod ſæpè monemur, apoſtaſiam internam præcedere ad externam; & eos qui exteriùs labuntur, lapſos primùm interiùs eſſe; ita vt externam quidem Religionis ſpeciem retinerent, veritate autem deſtituerentur; eſſentque in Religione iam ſeculares. Ex SS. Macario, Bernardo, Eucherio, id monſtraui cap. 2. tractans locum Apoſtoli *ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis:* hoc eſt iam defecerant, cum videbantur perſtare. Quia autem ſtatus apoſtatæ externi, eſt ſtatus exterminij omnium virtutum, & velut abominatio deſolationis, ſtans viſibiliter in loco ſancto: idem eſt dicere, apoſtaſiam externam ſubſequi ad internam præiacentem; ac dicere, vaſtitatem virtutum, inductam fuiſſe priuſquam aperta Apoſtaſia exterius ſubſequeretur. Hoc eſt frigus illud a quo incipere malum Religioſi, quodque deſinere in Apoſtaſiam, egregiè his verbis tradidit S. *Bernardus ſermon. 63. in Cant.* alloquens fratres ſuos. *Vobis filioli non timemus à fraude vulpium, quæ fructibus magis, quam floribus inuidere noſcuntur. Veſtrum aliunde periculum eſt. Vſtionem certè metuo floribus, non ſubreptionem, ſed vſtionem à frigore. Aquilo, mihi ſuſpectus eſt, & frigora matutina, quæ intempeſtiuos flores ſolent perdere, fructus præripere. Itaque ab Aquilone pandetur veſtrum malum. A facie frigoris eius quis ſuſtinebit? Hoc frigus ſi ſemel animam, anima quidem (vt aſſolet) incuria ſpiritu dormitante peruaſerit, ac nemine deinde quod abſit, ſubente ad interiora eius peruenerit, deſcenderit in viſcera cordis, & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupauerit conſilij ſemitas, perturbauerit iudicij lumen, libertatem adduxerit ſpiritus, mox (vt in corpore ſolet euenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremò impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia, & confuſione ſaltus, de excelſo in abyſſum, de pauimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.*

CAP. VII. Natales Apoſtaſiæ.

Apoſtata ante Apoſtaſiam, cadauer Religioſæ vitæ.

EXterna quidem virtutis & Religionis ſpecies, perſtare potuit ante excidium externum conſecutum: ita vt nulla; (niſi fortaſſis per attentos ac benè oculatos,) inter optimos quoſque, & eos qui ad defectionem proximè diſpoſiti erant, diuerſitas appareret. Tamen in oculis Dei, aberat quod ſubeſſe externo illi tectorio oportuerat. Nec ſecus videtur accidere in hoc genere, quàm quod iis cadaueribus accidit, in quæ ſubintrans Satan, aliquas in ſpeciem vitæ operationes edit, quæ tamen reuera non ſunt operationes vitæ, ſed apparentiæ duntaxat: Quo exemplo, exponitur id de quo agimus apud S. *Anſelmum in ſimil. cap. 96.* Non minus appoſitè, (certè iucundiùs) dicere licet, idem iſtis accidere, quod pleriſque Sanctorum cadaueribus, diuina manu operante, accidiſſe legimus: vt ſcilicet extincta iam anima, perſtarent eodem habitu & externa compoſitione, qua fuerant ante animæ abſceſſum. Sic ſancti Pauli primi Eremitæ ſacrum corpus, vt ſcripſit S. Hieronymus, poſt animæ digreſſionem, Deum cui omnia viuunt, officioſo geſtu precabatur; ita vt introgreſſus ſpeluncam ſanctus Antonius, videns genibus complicatis, erecta ceruice extenſiſque in altum manibus corpus exanime, & ipſe credens viuum perſtare Paulum, pariter oraret. Simeo-

CAP VI. *Natalis Apoſtaſia.*

Simeonis item Stylitæ ſacrum corpus, referente *Autore vitæ eius cap. 16. & Theodoreto in Religioſa hiſtoria ſect. 26. in fine*, perſtitit erectum & immobile, quale erat cum viueret. Quod diuina erga nonnullos ſanctos ſuos beneficentia, eorum cadaueribus præſtitit; hoc proportione notare licet, in iis qui externam virtutis & Religioſorum decorum perſonam & quaſi animam retinentes, reipſa & coram Deo ſunt exanimes. *Statuas qua externam Monachi figuram circumferant, reipſa autem ſint abſque virtutum anima*, vocat S. *Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap.* 21. de iiſdem ſic ſcribit *Petrus Bleſenſis Epiſt.* 131. *Res magni diſcriminis eſt, ignominiam ſeculi ſub Religionis habitu circumferre, impietatem ſub pietatis vmbraculo, & Antichriſtum ſub Chriſti veſtibus occultare.*

Licebit ergo ad veritatem dicere, eos qui huiuſmodi ſunt, eſſe in conſpectu hominum Religioſos priúſquam cadant, non autem in conſpectu Dei. Quod quantum inuehat vero Religioſo diſcrimen, intelligitur ex inſigni diſputatione *Origenis homil.* 2. in Lucam, qua vniuersè tractat, quantoperè diſtent iuſtum eſſe apud Deum, & apud homines. *Potuerat ſimpliciter ſcribere* (inquit de S. Luca laudes parentum Baptiſtæ deſcribente,) *erant iuſti ambo, ambulantes in omnibus mandatis, nunc autem neceſſario additur, iuſti ambo in conſpectu Dei poteſt quippè fieri, vt ſit aliquis iuſtus in conſpectu hominum, ſed in conſpectu Dei, non. Verbi gratia quum non habet homo quod de me malè loquatur, & in me vniuerſa conſiderans, nihil cui detrahat reperit, iuſtus ſum in conſpectu hominum. Finge omnes de me æqualem habere ſententiam, & quærere quod detrahant mihi, & tamen inuenire non poſſe, ſed conſono me ore laudare; iuſtus ſum in conſpectu hominum plurimorum. Verum hominum non eſt certum iudicium. Neſciunt enim vtrum in abſcondito cordis mei aliquando peccauerim; Vtrum viderim mulierem ad concupiſcendum eam, & adulterium mihi in corde ſit natum. Ignorant homines cum me viderint ſecundum vires meas eleemoſynam facere, vtrum propter mandatum Dei fecerim, an hominum, laudem fauoremque quæſierim. Difficilis res eſt, in conſpectu Dei iuſtum eſſe: vt non ob aliam cauſam quid boni facias niſi propter ipſum bonum, vt Deum tantum quæras boni operis retributorem. Tale quid & Apoſtolus loquitur, quorum laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Beatus qui in conſpectu Dei iuſtus eſt, atque laudabilis. Homines enim quamvis certum iudicium habere videantur, tamen non poſſunt ad liquidum pronuntiare. Euenit quippè interdum, vt laudent eum qui non eſt laudabilis, & ei detrahant qui minimè detractione dignus eſt. Solus Deus, & in laude & in vituperatione iuſtus eſt iudex. Vnde dignè & nunc additur in laude iuſtorum, erant iuſti ambo in conſpectu Dei. Tale quid & Salomon in Prouerbiis cohortatur dicens, Fili prouide bona in conſpectu Dei & hominum.*

Verè igitur hæ Religioſi nominis laruæ, vtcumque in conſpectu hominum, Religioſorum decus & titulum præferunt; apud Deum tamen, Religioſi non ſunt, etiam priuſquam cadant externa ſpecie: eo peiores impiis ſecularibus, quod tegũt malitiam, ſanctitatis profeſſione ementita. Iudicium eſt S. *Bernardi in Apologia. An non* (inquit) *illi ſuperbiſſimi de pſalmo, quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multo tutiùs operti ſunt iniquitate & impietate ſua, quam latentes ſub ſanctitate aliena? Quis enim magis impius, an profitens impietatem, an mentiens ſanctitatem? Nonne qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?* Apud eundem *Autor ſerm. 12. de Cæna Dom.* multa egregiè diſſerit aduersùs hos (vt vocat,) *Monachos Religionis Sophiſticæ*, qui veſtimento ſuo conuicium faciunt, eique vitæ conformatione non reſpondent. Sed præclare genuinus *Bernardus ſerm. 3. de Eccleſ. dedic. ſub medium*, huiuſmodi Deo mentientes per tonſuram & externas Religioſæ vitæ notas exanimes, vocat proditores caſtri Religionis; quia inducunt teporem & laxitatem in Religioſum cœtum; quod crimen merito maximè amplificat; Imo abſque amplificatione, maximum (quale reuera eſt,) eſſe demonſtrat:

Proceſſus ad Apoſtaſiam, lentus, & ipſummet Apoſtatam latens.

ADdebam verò, ad hanc virtutis vaſtitatem & internam defectionem externæ præuiam, non veniri in momento, ſed ſenſim ac lentè, eaque primùm tenuitate, vt ipſimet qui deficit, & ea ratione ad lapſum diſponitur, non aduertat. Ruunt enim in apoſtaſiam, etiam qui aliquando fuerant optimi, & valdè perfecti, iuxta illud; *habet fiduciam quod influat Iordanis, in os eius*: id eſt, & perfectæ & valdè Religioſæ perſonæ, interprete *S. Gregorio lib. 33. mor. cap.* 8. Non aduertente igitur homine, inchoatur ruina. Qua in parte *S. Greg. 34. mor. c. 2.* ad illud, *faciem eius præcedet egeſtas*, inſignem Satanæ verſutiá animaduertit. Nimirum quod priuſquam Satanas, faciem ſuam apertè & palam alicui exhibeat, (quod facit venientibus in profundum malorum, ac nominatim Apoſtatis,) antecedit egeſtas virtutum, inſenſibiliter immiſſa, ipſoque etiam ad egeſtatem, delabentes, latens. *Quia multis* (inquit,) *ita fraudulenter ſubrepit, vt ab eis deprehendi nequaquam poſſit, & ſic eorum virtutes euacuat, quatenus aſtutia ſua malitiam non oſtendat, faciem eius egeſtas præire perhibetur, ac ſi apertè diceretur, quia cum inſidians tentat, priùſquam videatur expoliat. Hinc eſt enim quod de Ephraim per Prophetam dicitur. Comederunt alieni robur eius, & ipſe ignorauit. Alieni quippè intelligi Apoſtatæ Angeli ſolent, qui robur comedunt, dum virtutem mentis peruertendo conſumunt. Quod Ephraim & pertulit, & neſciuit: quia in tentatione malignorum ſpirituum & robur animæ perdidit, & hoc ipſum quia perdiderit, non intellexit. Leuiathani ergo faciem egeſtas antecedit; quia negligentium mentes antè tentando ſpoliat, quam eius inſidias is qui tentatur agnoſcat.*

Inſenſibiliter igitur, atque adeò gradatim & valdè lentè fit defluxus, ita vt à ſumma interdum virtute, ad virtutem, ſed remiſſiorem aut imperfectiorem: inde ad vitium non adeò tetrum; poſtmodum ad labem horridiorem; tandem ad extrema quæque deueniatur; nominatimque in illam planè miſerandam peccandi & ſemper fœdius labendi neceſſitatem incidatur, quam expreſſit Propheta, cum dixit, *Peccator adiiciet ad peccandum.* Quod quid ſit, pulcherrimè expoſuit *Eucherius homil. 3. ad Monachos numer.* 9. verbis illis. *Scriptura pronuncians de his qui dum primas negligentias prætermittunt, in alias atque alias ſemper incurrunt, ita ait; peccator adiiciet ad peccandum. De profectu verò dicitur. Et ſanctus adhuc ſanctificetur. Videamus primum, quid eſt, peccator adiiciet ad peccandum. Verbi gratia, mali cuiuſlibet aut obtrectationis paſſio impugnare me cœpit; ſi non ſtatim me puniendo vitæ huius momordit, cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quadam (vt ſic dixerim,) ſuauitas vt reuocare me ab illo, & continere non poſſim. Ita*

enim

enim euenit, vt qui primò tempore emendare noluerit, incipiat in ſequenti nec velle nec poſſe. Verbi gratia, ſuperbiæ acquieſcere cœpi, regulam violaui, ſeniorem læſi, iuniorem deſtruxi. Si non ſtatim me pœnituit tam grauiter fuiſſe prauentum, ita de die in diem libentiſſimè me rapiet ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam. Obſcurat enim atque obruit intellectum onus delicti, aſſiduitas delinquendi. En quomodò à tenuibus & minutiſſimis initiis, ſenſim ſenſim deſcendatur in profundum.

Typus progreſſus propoſiti, in ſtatua Babylonica.

SIgnauit hunc progreſſum, ſtatua Nabuchodonoſoris obiecta per viſum, vt interpretatur *Rich. Victorinus lib. 1. de Erudit. inter homin. c. 23.* ſic ſcribens præter cætera. *Qui ſtat (ait Apoſtolus) videat ne cadat, de quantumlibet celſo faſtigio facilè poteſt in ima corrui, vel in profundum demergi, imò procul dubio quantò gradus altior, tanto caſus deterior. Debet nos ſemper iſtud Nabuchodonoſoris ſomnium, & cautos reddere, & ſollicitos efficere. Vide obſecro viſionis eius ſtatuam, vide (inquam) à quanta ſublimitate incipitur, & in qualem tandem finem deducitur. Habet ſanè caput aureum, & finem teſteum. Quid auro carius, qui teſta vilius? Attende & illud, quomodo gradatim ad inferiora vergit, & quandoque in fœdiſſimo fine finem facit. Prima pars aurea, ſecunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea, & quinta deſcribitur teſtea.*

Mox item. *O quantum eſt inter teſtam & aurum, inter ſtatuæ finem & ſtatuæ principium. Statua quæ ex auro incipit, in teſtam deſinit. Puto quia nemo repente fit turpiſſimus. Sed qui minima negligit, paulatim defluit. Sicut quibuſdam profectuum gradibus ad alta conſcenditur. Attende quomodo in hac ſtatua priùs aurum, poſteà argentum, poſt hæc mediante ære, ſequitur & ferrum. O quanta differentia auri & ferri. O quantum in ſe differunt charitas & crudelitas. Quid tamen ait de his veritas? Abundabit (inquit) iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum. Vide quæſo, vnde quo peruenitur, de abundantia charitatis, ad abundantiam iniquitatis. Charitas ad aurum, iniquitas pertinet ad ferrum. O mirabilem (imo deteſtabilem) commutationem, de charitate ad iniquitatem.*

Tandemque his omnibus ad Religioſorum principia, & progreſſiones, ac exitus accommodatis ſubdit. *Quam multos videmus, in initio ſuæ conuerſionis, ſpe gaudentes, ſpiritu feruentes, in tribulatione patientes, ſollicitos in opere, ſtudioſos in lectione? Quid iſti videntur tibi, niſi in auro operari, & in charitate initiari? Charitas enim (vt ſcriptum eſt) benigna eſt, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Nonne operari tibi videtur in auro, cui dictum eſt à Domino. Noui opera tua, & charitatem, & fidem, & miniſterium & patientiam tuam? Sed ſunt multi qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Nec tamen qui huiuſmodi ſunt, ſtatim ſe in infima demergunt, ſed priùs de bono in peius, dehinc de minus bono in malum, & demum de malo in deterius corruunt. Mons enim cadens, paulatim defluit, & terra alluuione conſumitur. Siquidem qui huiuſmodi ſunt, paulatim incipiunt, à priſtino deſiderio tepeſcere, & à priori feruore, magis magiſque deficere.*

Variæ aliæ in eam rem comparationes.

CAP. VII. *Natalis Apoſtaſia.*

PEtrus Bleſenſis, timens perſeuerantiæ cuiuſdam Prioris, alio ſub ſchemate, idem tradit, *epiſt. 131.* his verbis. *A primitiuis adoleſcentiæ motibus iugum domini quod acceperas à tuis ceruicibus excuſſiſti, relictaque via, quæ ducebat ad ciuitatem habitationis, ſecutus es iuuenilis deuia leuitatis. Extraordinariis motibus, laſciuiæ prurientis ſtimulos addidit indiſciplinata viuendi libertas, & impunitas delinquendi. Cumque ſint proni ſenſus hominis ab adoleſcentia in malum, cuiuſdam conſuetudinis violentia & licentior impetus te rapuit, tuumque obſcurans, & obruens intellectum, vt conſentires malitiæ, nec ſentires, ſed quadam aſſiduitate peccandi velles etiam præcedere quadam æmulatione temeraria malignantes. Ita cor tuum paulatim negligentia ſubuerterunt. Mens enim paulatim defluit, & animus vſu continuato ad deteriora prolabitur: Nauis equidem, in ſentinam eius, aqua guttatim influente, latenter & repentè ſubmergitur. Nouimus autem, quod in terra tua multi ſunt peruerſores ſimplicium: vnde & à malitia habitantium in ea, multiplicem morum ſcoriam contraxiſti. Erat autem tolerabilius, non arripuiſſe propoſitum pœnitentiæ, quàm poſt pœnitentiam retrò ire: Res magni diſcriminis eſt, ignominiam ſæculi ſub Religionis habitu circumferre; Impietatem ſub pietatis vmbraculo, & Antichriſtum ſub Chriſti veſtibus occultare. Vtinam non guſtaſſes, quàm ſuauis eſt Dominus, & miſericordias eius experientia didiciſſes. Nam ſi veritas, imò quia veritas verū dicit, iugum eius ſuaue, & onus eius leue. Sed quibus? Non ſeruis, ſed filiis; his ſcilicet qui aguntur ſpiritu Dei. Iſti ſunt, qui facta carnis mortificant, quorum membra templum ſunt Spiritus ſancti. Hi empti ſunt pretio magno, id eſt, pretioſo ſanguine Chriſti, portantes & glorificantes eum in carne ſua. Sunt autem qui mortificationem Ieſu circumferre decreuerant in corpore ſuo, & quodam torrente malitiæ irruentis impulſi, conuerſi ſunt in arcum prauum, facientes membra ſua arma iniquitatis peccato, & exſufflato à ſe ſpiritu Dei, ſuſceperunt in ſe ſpiritum huius mundi, dicentes anathema Ieſu.*

Aliam inſignem hac in parte, Abbatis Theodori comparationem, à *Caſſiano Collat. 6. cap. 17.* annotatam, iuuat ſubiicere; quod & eximia ſit, & variis in rem præſentem ſcripturis farta: ſic habet. *Lapſus quippiam, nequaquam ſubitanea ruina corruiſſe credendus eſt, ſed aut praua inſtitutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidere, & per hæc ſenſim vitiis increſcentibus caſu miſerabili concidiſſe. Ante contritionem præcedit ruina, & ante ruinam mala cogitatio: quemadmodum domus, nunquam ſubitaneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium deſidia, ſtillicidiis primùm paruiſſimis penetrantibus, corrupta ſenſim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetuſtam negligentiam in maiorem modum patefactis atque collapſis, riuatim poſt hæc influit pluuiarum imbriumque tempeſtas. In pigritiis humiliabitur contignatio, & in ſegnitie manuum ſtillabit domus. Quod animæ ſpiritaliter euenire, idem Salomon aliis verbis ita deſignat. Stillicidia (inquiens) eiiciunt hominem in die hyemali de domo ſua. Eleganter ergo mentis incuriam domui comparauit, tectoque neglecto, per quod primò quidem, velut minutiſſima quædam penetrant ad animam ſtillicidia paſſionum: quæ ſi velut parua ac leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & poſt hæc imbres*

 influunt,

CAP. VI. Na malos Apoſtaſia.

influunt largiſſimi vitiorum; per quos in die hyemali, ideſt in tempore tentationis ingruente impugnatione Diaboli, expelletur de habitatione virtutum in qua ſcilicet circumſpectam diligentiam retinens, velut in domus propria poſſeſſione requieueras.

Eiuſdem lenti ad Apoſtaſiam progreſſus, declaratio à contrario.

POſſumus hoc quoque à contrario declarare. Ad inſignem namque ſanctitatem, non ſubitò, ſed admodum lente, & initio à minutiis facto conſcenditur. Quod declaro egregio diſcurſu *Petri Damiani ſerm. de S. Alexio (eſt 28.) Sancto (inquit,) cuilibet viro, non conſummatæ perfectionis repentè tribuitur meritum, ſed ad hoc paulatim per pia deuotionis & ſpecialis exercitij peruenit incrementum: & dum mens diuini amoris igne percepto, per cæleſte deſiderium in alta ſuſtollitur, ad perfectionis interna faſtigium, quaſi quibuſdam aſcenſionis gradibus promouetur, Vnde vir ille ſanctus aiebat; Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum. De his quippè meritorum gradibus dicitur, Ambulabunt de virtute in virtutẽ. De his idem Propheta, dum ſanctam contemplatur Eccleſiam, aicit, Deus in gradibus eius dignoſcetur, dum ſuſcipiet eam. Nec enim repente (ſicut dictum eſt) ad ſumma pertingitur, ſed paulatim per pia deuotionis votum, & ſancti laboris exercitium, humana mens ad virtutum ſpiritualium celſitudinem ſubleuatur. Hinc eſt, quod per eundem prophetam, dicitur; Exercitatus ſum, & defecit paulisper ſpiritus meus. Quid eſt enim, quod ait; ſpiritus meus, niſi ſpiritus elationis? Spiritus carnis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata deſuper menſura proficimus, quo magis quotidie diuinus in nobis ſpiritus creſcit, eo magis noſter, hoc eſt, carnalis deſiderij ſpiritus deficit. Qui nimirum noxius, & abominabilis ſpiritus, quia non à nobis ſubitò penitus amputatur, nec protinus vt conamur, abſcinditur; rectè paulisper, hoc eſt paulatim, defeciſſe perhibetur. Tunc autem in Deum plenè proficimus, cum veraciter a nobis noſmetipſos defeciſſe ſentimus. Hæc autem creſcentia inſuper virtutum, ſenſim atque moroſè per quotidiani profectus cumulum, ad conſummatæ ſanctitatis peruenit incrementum. Electus enim quiſque, à rudimenti ſui teneritudine priùs incipit, & ſic ad robuſta poſtmodum, & fortia conualeſcit. Quod apertè veritas innuit, dum in Euangelio dicit; Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi iactet homo ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die; & ſemen germinat, & creſcit, dum neſcit ille. Cuius nimirum ſeminis incrementa denuncians, addidit dicens; vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.* Profecit Damiani ex *S. Gregorio homil. 15. in Ezech.*

Quia ergo reſolutionis ordo, reſpondet ordini compoſitionis; non pertingitur ad profundum malorum, ſiue ad inſignem nequitiam, qualis eſt Apoſtatarum, niſi ſenſim ac gradatim. A tepore enim ad frigus, inde ad rigorem omnimodum deuenitur, quo inferno appropinquatur, vt *S. Bernardus* his verbis dixit *ſerm. 6. de Aſcenſ. Inuenire eſt homines puſillanimes & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt; quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio: quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione: quos denique (vt videmus,) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix diſciplina coërcet. Nonne tibi horum vita, inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè ſuſtentantur, ſocij planè tribulationis, ſed non conſolationis? Exurgamus obſecro, quicumque huiuſmodi ſumus, reſarciamus animas, ſpiritum recolligamus, abiicientes pernicioſam tepiditatem, & ſi non quia periculoſa eſt, & Deo ſolet, (vt interdum miſerabiliter plangimus.) etiam vomitum prouocare, certè quia moleſtiſſima, plena miſeria & doloris, & inferno planè proxima, vmbra mortis iure cenſetur.*

Concuſſum ſenſim Apoſtatam, minimus impulſus euertit.

SIc affectos, minimus turbo decutit. Non enim tunc primo euertuntur, ſed iam ſucciſis radicibus, produntur quod erant. Pertinet ad hunc locum, egregia diſputatio *Origenis homil. 26. in Lucam* ad illud, *habens ventilabrum in manu ſua.* Agens enim de Apoſtatis fidei, ſic diſſerit. *Volo inuenire rationem quare Dominus noſter habeat ventilabrum, & quod blando vento leues paleæ huc illucque rapiantur; graue verò triticum, in vnum deferatur locum. Neque enim abſque vento poſſunt triticum & palea ſeparari. Exiſtimo tentationes pro vento intelligi, quæ confuſo credentium aceruo, alios paleas, alios triticum eſſe demonſtrant. Cum enim anima tua fuerit aliqua tentatione ſuperata, non tentatio te vertit in paleas; ſed cum eſſes palea, leuis ſcilicet & incredulus, oſtendit te eſſe tentatio quod latebas. E contrario autem cum fortiter tentamenta toleras, non te facit fidelem tentatio atque patientem, ſed virtutem quæ in te erat patientiæ & fortitudinis, & latebat, profert in medium. Putas enim ait Dominus, aliter me tibi locutum fuiſſe, quam vt pareres iuſtus & alibi, afflixi te, & affeci penuria, vt manifeſta fierent, quæ erant in corde tuo; In hunc modum & tempeſtas, non facit ſuper arenam ædificium conſiſtere, ſed ſuper terram. Quæ cum fuerit exorta, id quod ſuper terram fundatum eſt, non euertet; quod verò ſuper arenam fluctuat, probat illicò non benè fuiſſe fundatum. Quapropter antequam oriatur tempeſtas, antequàm ventorum flabra conſurgant, prinſquam intumeſcant flumina, dum adhuc ſilent vniuerſa, omne ſtudium noſtrum ad ædificiorum fundamenta vertamus: ædificemus domum noſtram variis firmiſque lapidibus præceptorum Dei: Vt cum perſecutio ſæuierit aduerſus Chriſtianos, dirusque turbo ſurrexerit, oſtendamus nos habere ædificium ſuper petram Chriſtum Ieſum. Si quis autem (quod procul abſit à nobis,) negauerit, iſte ſciat non ſe illo tempore quo negaſſe viſus eſt, Chriſtum negaſſe, ſed ſemina & radices habuiſſe negandi iam veteres: tunc verò fuiſſe agnitum quod habebat; & in medium eſſe productum.* Si pro Apoſtaſia à fide, adhibeatur apoſtaſia à Religioſo ſtatu, nihil luculentius in rem præſentem proferri potuit.

Praxes antedictorum.

PRaxim totius huius doctrinæ, & vniuerſi modi quo hominem, vltimò ad perſeuerantiæ abiectionem & apoſtaſiæ exortum diſponi diximus, ſuppeditat *Palladius cap. 46. Lauſiacæ, & Ruffinus in Patrum vita lib. 2.* ex ore Abbatis Ioannis cuius

ibi

ibi primo loco vitam texit. Narrabat ergo Abbas Ioannes, fuiſſe in ea ſolitudine quam ipſe incolebat, Monachum iam ætate & meritorum ſubertate grauem, quem copia virtutum, inopem ſenſim fecit. Elatus enim quaſi de meritis ſuis, ſubintrante parua quadam deſidia quam nec ipſemet aduertit, tantiſper intepuit. Mox creſcente torpore, quanquam ex priore aſſuefactione, bonis exercitiis anterioribus vtcunque vacabat, tanquam in motum ex priore incitatione erumpens; tamen adeò inconcinnè & inaccuratè obibat functiones ſacras, vt ſatis aduerteret, factam in ſua mente laxationem & remiſſionem pietatis. Inde ad plenam eius dilapidationem ventum eſt. Itaque poſt aliquod tempus, in maiori ſemper ac maiori interni roboris extenuatione contritus, carne ferociente, inducit in animum regredi ad ſeculum, & vias exſaturandæ fœdæ cupiditatis veſtigare. Quod conſilium executioni mandaturus, cellam deſeruit, & itineri ſe dedit Quamvis autem in eo itinere (quæ Dei erga miſerum benignitas fuit,) incidit in bonos ac pios Cœnobitas, quos dum rogatus ad pietatem informat, reuocatus eſt ad ſanitatem, Spiritu Sancto pudefaciente interiùs hominem, quod quæ alios doceret, ipſe negligeret; quamvis inquam hæc fuit in eum diuina miſericordia, tamen gradus ad apoſtaſiam, ij fuerunt quos ſupra notauimus. Et (quantum quidem in miſeri propoſito ac voluntate fuit,) non defuit apoſtaſiæ conſummatio, eo planè modò, lentè ac per gradus facta, quem expoſuimus.

In alio qui reipſa cecidit, non diſſimilem progreſſum ad hoc barathrum obſeruauit S. *Ephrem Paræn.* 42. Sed optimè *Paræn.* 47. ad Nutantem conſcripta, cuius monito & precatione concludo. *Si temeritatem ſecutus fueris, in mortis penuria deducet te. Hæc etiam potentatus ſubuertit, & familias deſolauit, Reges concuſſit, & in ruinam tradidit. Recede igitur ab ea, frater cariſſime; vt conſtringaris & non vinculis eius: nam vincula ipſius ſunt ferrea & pedicæ eius aneæ: hæc ſuos amatores funditus euertit, & in hac vita ruinam iis infauſtam parit, & poſt mortem, exitium. Et quod ipſius eſt nomen, niſi temeritas? Odit veritatem, mendacium diligit, diſciplinam non admittit, admonitiones auerſatur ac reiicit, inſolentia & contumacia gaudet; reprehenſionem non ſuſcipit, voluptates nutrit, Deum contemnit, non remouetur, non erubeſcit hominem. Initium eius, priuatio diuini timoris; finis verò ipſius, pernicies & exitij hereditas.*

In ſumma, quod optimè *in Actis ſancti Sebaſtiani* dixiſſe refertur ſanctus Tiburtius agens de Torquati cuiuſdam apoſtaſia à fide, hic æquè valet. *Virtus ipſa Sancti nominis, grauiter fert & moleſtè, ſuum nomen à non ſui amatoribus vſurpari.* Quare ſicut Religio Chriſtiana, excutit tandem eos qui ex eius inſtitutis vitam non conformant, vt ibidem Tiburtius egregiè in particulari demonſtrat; ita proportione ſeruata, Religio eos qui Religioſorum nomen ementiuntur, ſeriùs ocyùs à ſe repellit & extrudit, tanquam non amicos Sancti illius nominis.

CAP. VIII. *Apoſtaſia atrocitas.*

CAPVT VIII.

Quam immane, quamque horrendum intrinſecè ſit ſcelus apoſtaſiæ à Religioſo Ordine.

QVomodo à miſero & miſerabili Religioſo concipiatur iniquitas, & pariatur dolor, hactenus expendimus: Quomodò inquam apoſtaſia, ad cauſas & diſpoſitiones eius vltimas, tandem licet ſerò conſequatur, ſatis manet explicatum. Fas quippè videtur, illa ſumentia Bagaienſis Concilij Donatiſtarum verba, in hanc rem vſurpare ex *Auguſtino lib.* 4. *contra Creſco. cap.* 4. *Licet viperei ſeminis noxios partus venenati vteri aluens diu texerit, & concepti ſceleris, vda coagula in aſpidum membra tardo ſe calore vaporauerint; tamen conceptum virus euaneſcentium vmbraculo occultari non potuit; tametſi ſero publicum facinus, & parricidium ſuum, fata ſcelerum vota pepererunt.*

Atrocitas Apoſtaſiæ, generatim.

NVnc quàm atrox & tetra ſit, ſic concepta, & parta, ac infœliciter edita culpa apoſtaſiæ, inquirendum ſequitur, ac iuſta rationum & autoritatum libra penſandum, contra horrificum illum Vvicleffi ſibilum, qui vt eſt in *Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* 8. *artic.* 35. hæc verba ſeri inceſtando ſufficientia protulit. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad ſeruandum diuina præcepta, & per conſequens ad perueniendum ad regna cœlorum, niſi apoſtatauerint ab iiſdem.* Quod eſt dicere, apoſtaſiam eſſe de præcepto diuino neceſſariam; tantum abeſt, vt ſit illicita. Sed hoc Tartareum Spurciloquium, facilè eſt reuincere, cum aliis quæ *Iſidorus Moſcon. Tract. de Maieſt. militant. Eccleſiæ lib.* 1. *de Regular. cap.* 2. protulit, tum iis adhibitis conſiderationibus quas è SS. Patrum promptuariis licet educere.

Et generatim quidem S. *Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap.* 34. ait, neminem eſſe, cui perſpicuum non ſit, hoc peccatum eſſe longè grauius quàm aut maledici, aut ebrioſi, aut eius qui totam vitam conterat deſes & otioſus; indeque infert, quandoquidem Apoſtolus, ebrioſos, & maledicos vult excludi à cœtu Chriſtianorum & excommunicari, multò æquius eſſe, idem de hiſce Apoſtatis affirmare. Sanctus verò Ephrem, *ſub finem Teſtamenti*, videtur Apoſtatam & Satanam quoad nequitiam conferre. Sed dicamus aliqua diſtinctiùs, & magis in particulari.

Sordet ſumma in Deum ingratitudine.

VIdeo in primis confertam & coagitatam menſuram ingratitudinis aduersùs diuinam beneficentiam, contineri in hoc ſcelere. *Quid grauius* (exclamat *Eucherius hom.* 3. *ad Monach. num.* 6.) *quam vt ſubitò tanquam ales repentinus eradiceris de loco, ad quem te Dominus tuus vocauerat; in quo te primum illuminauerat, in quem te poſt mala ſeculi, quaſi ad portum de graui tempeſtate induxerat? Obliuiſci ſubitò fraternitatis, ſocietatis, & conſola*

CAP. VII. *Apoſtaſiæ atrocitas.*

conſolationis, obliuiſci loci illius, in quo primū, priſtinum habitum, & nomen ſecularę exuetis? Aues ipſæ diligunt nidos ſuos, amant feræ loca in quibus nutritæ ſunt amant cubilia & paſcua: & quamlibet naturali libertate paſſim per auerſa rapiuntur incurſibus ſæpiùs tamen ad chara ſibi loca quodam cibi deſiderio reuertuntur, & tu intellectu præditus, ratione munitus, ita interdum ſenſu alienus efficeris, vt præferas Dei beneficiis voluntates, vel intentiones tuas, & ſequaris proprias cogitationes, quæ quamlibet ad duros labores, quamlibet ad ſalutis naufragia atque animæ detrimenta te rapiant; totum tamen hoc, præ nimia cordis indignitate non ſentis?

Subobſcuriùs & minus diſtinctè proponit Dei beneficia, quæ ingratiſſimè conculcant Apoſtatæ: quamvis & vocationem & ſpiritualem educationem ea longè pretioſiorem, quam tanti faciunt etiam brutæ animantes, ingerere non prætermiſerit. Suppleo eam parcitatem, illuſtri loco ex *homilia 5. num. 1. & 2.* vbi beneficium Religioſæ vocationis, & venire Religioſo omnia bona pariter cum illa, ſic demonſtrat. *Planè magnus vitæ fructus eſt ſæculum potuiſſe deſpicere, & Deo ſeruire cœpiſſe: Euaſiſſe vitiorum infeliciſſimum dominatum, & fugiſſe gulæ atque luxuriæ fœdiſſimam ſeruitutem. Quid ergo? Nonne iam magna pars præmij eſt, nihil habere commune cum mundo, vanarum rerum cupiditatibus non excruciari, ſceleribus non admiſceri, & in innocentia diem tranſigere, beatæ caſtitati operam dare, glorioſæ paupertatis ſufficientiam cum timore Domini poſſidere? de qua loquitur ſapientia; Melior eſt exigua portio cum timore Domini, quam theſauri magni ſine timore. Intelligamus itaque quantum nobis Dominus pia vocatione contulerit, numeremus (ſi poſſumus,) ex illo tempore ex quo hic conuerſari videmur, quantа lucri fecerimus: de quantis fraudibus, de quantis adulteriis, rapinis, periuriis, ſacrilegiis, liberati ſimus. Et tunc videbimus quantum etiam de præſentibus beneficiis Domino debeamus. Si nunc in ſæculo eſſemus, quid aliud ageremus, quàm volueremur in malis noſtris, & animas quotidianis violaremus maculis, quotidianis confoderemus vulneribus? & ita vt nec ſentiremus.*

Omnino luculentum in hanc rem *S. Baſilij* locum *ex cap. 19. conſtit. Monaſt.* infra dabo. Non inſiſto aceruandis aliis, quæ in hoc genere proſtant paſſim apud Patres, & Aſceticos. Infinitè namque pateret hic locus, ſi demonſtrare vellem, quantum diuina erga Religioſum beneficia funduntur, tantum porrigi & augeſcere ingratitudinem, qua per Apoſtaſiam calces illiduntur tam benefico Domino, & omnis illa eius erga Religioſum largitas petulantiſſimè proteritur. Tantum itaque conſiderare placet, quam horrenda ſit hæc ingratitudo, & quam accedat ad miraculum, ſed Satanicum, quod homo in tanta mole & coaceruatione beneficiorum, vel cuti ignium frigeſcat erga Deum. Liceat enim huc ſpecialiter potiore iure transferre, quod generatim *Gulielm. pariſ. in Rhetorica diuina cap. 4. & 49. & 50.* proſequitur quoad quoſcunque peccatores. Perpendit itaque accuratè & ſapienter, quod homo ſit inter ignitos lapides, & aceruos carbonum: (Ita appellat diuina erga nos beneficia;) & tamen frigeat: hocque ait eſſe Satanicum miraculum, Babylonico quo pueri inter prunas illæſi perſtiterunt, admirabilius. Id ſi de quibuſvis Chriſtianis verè dicitur, (quod negari non poteſt;) quanto veriùs de Religioſis dici poterit, quibus tanta ſunt præ ſecularibus impenſa à Deo beneficia; vt nulla poſſit valere ea in parte comparatio?

Eſt igitur Religioſi, tot & tanta beneficia per Apoſtaſiam conculcantis, horrenda prorſus ingratitudo; quæ multo magis eſt recogitanda cum conſternatione mentis, quam ingratitudo Chriſtianorum, communibus tantùm beneficiis obſtrictorum, de qua ita cenſuit *S. Baſilius ad regul. 2. ex* fuſius diſputatis: obſignans egregiam diuinorum erga nos beneficiorum enumerationem, graui expreſſione ſenſus ſui, ac timoris, ne in die iudicij ab inſultante ob eam ingratitudinem Satana, perfunderetur confuſione. Et homini quidem non referre gratiam, ſimile parricidio iudicatum eſt; quanto magis non referre Deo? ait *S. Ambroſius orat. de obitu Satyri.* Quid igitur erit, immenſa ingratitudine Deum violare?

Habent hic meritò ſpecialem locum, quæ *S. Bernardus ſerm. 16. in Cant.* ait de concipienda confuſione pro ingratitudine erga Deum, vt patrem optimum. *Ipſe quidem (inquit) patrem ſe exhibuit mihi, ſed non ego me illi viciſſim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna geſſiſſe genere meo, pudet tanto patri vixiſſe degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confuſio faciem meam, vultum meum pudor ſuffundat, occupetque caligo. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Proh pudor, quem fructum habui, in quibus nunc erubeſco. Si in carne ſeminaui, de carne non metam niſi corruptionem. Si in mundo, & ipſe tranſit, & concupiſcentia eius. Quid? Caduca vana, & propè nulla, & quorum finis mors eſt, infœlix & inſanus præferre non erubui æterni Patris amori & honori? Confundor audire. Si ego pater, vbi eſt honor meus? Sed & ſi pater non eſſet, obrueret me beneficiis. Inſtaurat aduersùm me teſtes (vt alia innumera taceam) huius corporis victum, & vſum temporis huius, & ſuper omnia ſanguinem dilecti Filij, clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quamquam ad confuſionis cumulum; arguar etiam reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione.*

Sigillatim verò de Religioſi ingratitudine, egregiè & pleniſſimè diſſerit ſerm. contra peſſimum vitium ingratitudinis, vbi *ſub finem* hæc de Apoſtatarum ingratitudine. *Quam multos videmus & plangimus, Fratres, qui dummodò maneat habitus & tonſura, ſalua ſibi omnia arbitrantur? Non conſiderantes miſeri, quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem quem vident transferare diſſimulet, ne fortè recogitent & erubeſcant, ipſaque verecundia emendentur. Qui ſic interdum in nonnullis conſumpta eſſe interiora vniuerſa præſumit, vt non vereatur ad ea quoque quæ foris apparent, venenatum ducere caput: niſi fortè quos videmus manifeſtè apoſtatare à Deo, repente fieri peſſimos arbitramur; & non magis paulatim defeciſſe, cum comederint alieni robur eorum, neſcierint. Vides ergo non omnibus prodeſſe, quod à lepra ſæcularis conuerſationis (cuius peccata manifeſta ſunt,) emundantur; ſed nonnulli peius in occulto ingratitudinis vlcus oriri, quod tanto perículoſius ſit, quanto interius.*

Eandem ingratitudinem notare voluit *Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſtol. 115.* verbis illis ad Heliam Monachum. *Quid tibi & viæ Ægypti, vt bibas aquam Geon? ad refugam populum, inquit Propheta, vel per illum potiùs Deus. Quid tibi & confuſioni de qua in manu Dei excelſa & brachio extento liberatus es? Quid, poſtea quam virtutem attigiſti, ac ſummam philoſophiam deguſtaſti, ad vitium reuerteris? nec tibi illud ſcripturæ animo obuerſatur? Eum qui à iuſtitia ad peccatum ſe aduertit, in gladium Deus præparabit.*

parabit. Fuge tempeſtatem, fuge fluctus. Chriſtus ventum increpauit. Nullum tempeſtatis periculum facies, ſi portus loco, Chriſtum tenueris.

Scandalum puſillorum, labes alia Apoſtaſiæ.

VErùm quia ingratitudo propoſita, non eſt culpa ſpecialis, (ſaltem vt plurimum) vt conſtat ex dictis *lib. 4. de Virtut. num.* 154. non eſt in ea pluribus hærendum. Eademque ex cauſa, non eſt quod multum ſimus ſolliciti, de ſcandalo generaliter dicto, quod huic item culpæ annectitur, & à varijs Patribus cum Apoſtatas ad ſui ſceleris agnitionem vrgent, non prætermittitur. Egregiè apud S. Ambroſium, Autor libelli ad Suſannam quæ è cœtu Virginum ſacram Religioſam vitam profitentium apoſtatarat, cap. 7. *Dicam & ego ſecundum Prophetam; Heu me quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe. Et quidem ſi tibi ſolum, damnum feciſſes, erat quidem triſtitia, ſed tolerabilis. Quantas animas propter te, de propoſito ſuo parire feciſti? Quanta labia etiam fidelium, inquinata ſunt, viam Domini blaſphemando? Aperuit in nos Gentilitas os ſuum Aduerſus Sanctam Eccleſiam, Synagoga Iudæorum per tuum dedecus exultauit. Quod ſi is qui vnum ſcandalizauerit mola circumligatus iactari debet in mare, quid de te pronuntias, per cuius ſcelus omnis anima ſauciata eſt, & nomen Domini in gentibus blaſphematum? Nonne quotiens dicitur; O Virgines: totiens tibi cumulus iniquitatis augetur?* Hæc exclamatio *ô Virgines* accipienda eſt tanquam emiſſa ab externis, ſiue Gentilibus, ſiue Iudæis, aut etiam malis Chriſtianis, quorum hodieque in oblocutione de Religioſis & Monialibus haud diſſimiles crocitatus audimus. Non eſt ergo leuis culpa Apoſtatæ, quod huiuſmodi voces cum detritione nominis Religioſi, à ſcandalum patientibus puſillis extorqueat.

S. Baſilius, indidem vrget alterum Monachum lapſum. *Corrupto (inquit) exercitationis charactere, vſque ad Apoſtolos, & ipſum Dominum turpitudinem tranſmiſiſti: dedecore affeciſti caſtitatis gloriationem: Vituperaſti temperantiæ profeſſionem, facti ſumus captiuorum tragœdia. A Iudæis & Græcis per actus ſcenicos repræſentantur res noſtræ. Diſcidiſti ſtudia Monachorum. Synceriores ad timorem ac formidinem perduxiſti, ita vt adhuc admirentur Diaboli potentiam. Indifferentes ad proteruitatis æmulationem tranſtuliſti. Diſſoluiſti, quantum in te fuit, Chriſti gloriationem; Confidite, dicentis, ego vici mundum, & mundi principem. Miſcuiſti patriæ craterem infamiæ. Reuera ad opus perduxiſti prouerbium, velut ceruus ſagitta ictus, in Hepar. Et in Conſtit. monaſt. cap.* 22. agens de Apoſtata, ſic habet præter cætera. *Quamobrem qui eiuſmodi eſt, in veritatis iudicio ipſius, damnatus habendus eſt, veluti qui ſcandalorum vberrimam ſegetem ſuggerat multis, peruerſoque exemplo alios aſſiduè ad ſimilium flagitiorum imitationem inſtiget. Hæres ſit illius horrendi, Væ: Expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria circa collum eius: & demergatur in profundum maris.* Et initio ſermonis de Abdicatione, timet ne ſi ſe Monachus *non ante meditatus, in quæ non putarat, certaminum diſcrimina conieccrit; ac deinde vrgentibus conſtantia ſua tentationibus, per imbecillitatem obſiſtere non potuerit, eodem temerè, vnde fuerat digreſſus reuertatur; eaque re ludibrio, ac ridiculo omnibus ſit, & præter id quòd cùm animæ ſuæ pernicie, ad priſtinum ſe denuò vitæ genus retulerit, multitudini etiam ſcandalo ſit: nempe qui cauſa ſit, quamobrem plerique inſtitutam ſecundum Chriſtum vitam eiuſmodi exiſtiment eſſe, quæ ferri nullo modò poſſit. Quæ res quam ſit periculoſa, noſtis omnes, qui legitis Euangelia, in quibus hæc Dominus dicit. Expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria circa collum eius, & proiiciatur in mare, quam vt ſcandalizet vnum de puſillis his. Neque enim ob eam modò cauſam plectendus erit, quòd ordinem ipſe deſeruerit; ſed quòd exemplo ſuo, etiam cauſa fuerit, cur plerique exitium incurrerint.*

CAP. VIII. *Apoſtaſiæ atrocitas.*

Præclarè S. *Ephrem paran.* 47. præueniens ſuſpirantem ad ollas Ægypti, hinc eum dehortatur maximè, quod ſcandalo tam multis ſit futurus. *Noli (inquit,) eſſe inſtar ſecuris in manu Diaboli, quæ plantas excindit fructiferas; neque ſicut ventus exæſtuans, ac fructus bonos corrumpens. Non noſti chariſſime, quod ſi vir quiſpiam in acie belli vulneratus, ex caſtris ceciderit, eum timiditatis materiam ſuis commilitionibus præbiturum? At tu quid dicatur, intellige: Si quis autem ſe ipſum viriliter contra aduerſarios armauerit, etiam ſegniores atque ignauiores corde, ſua excitabit alacritate.* Optime quoque in hanc rem diſſerit Tomo 1. adhortat. 50. quæ eſt, *de non ſcandalizando proximo*

Bracarius Epiſto. ad Ianuar. pro lapſo, exemplo Dauidis ſatagebat hoc ſcandalum declinari. *More Dauidico (inquit) ſcindantur veſtimenta cordis ac pectoris flebilis vox tollatur in planctum, vocetur in lamentum Iſraeliticus populus, ideſt, plebs Eccleſiaſtica, & dicat, ſubleua lapides tuos ſuper altitudines tuas, & cogita de interfectis tuis; quomodò ceciderunt potentes in prælio. Non nuntietur in Geth hoc, neque prædicetur in viis Aſcalonis, ne fortè lætentur filij alienigenarum, & exhilarentur filij incircumciſorum; & reliqua quæ continentur lamenti ipſius edicto. Et quid dicat aut loquatur? Ecce prohibetur ne in terminis Geth, neque in finibus Aſcalonis, hoc eſt, in notitiam ſæcularium ſiue hominum mundanorum, caſus fratris, vel ruina ſeminetur: & nos paſſi ſumus, non ſolum ipſam quam incolit ciuitatem, ſed etiam totum orbem, fama ipſius deſperatione, compleri? Nonne huic præcepto cohæret etiam ille Euangelicus ſermo, qui dicit; ſi peccauerit in te frater tuus corripe eum ſolus, quod ſi te audierit, lucratus es eum, ſi autem non te audierit, adhibe tecum duos vel tres teſtes, & reliqua quæ continet ſermo præcepti: Vides ergo quid dicit. Ne exhilarentur filij incircumciſorum. Me miſerum qui iſta cognoſco: Filij enim incircumciſorum; qui ſunt; niſi homines huius ſæculi in peccati ſui errore & gentilitate viuentes?*

Fateor hoc ſcandalum quia auertere ſolet imperitos & fragiles homines ab obſequio Domini, eſſe ſtudioſè declinandum. Neque enim eſſe niſi infirmorum, vereque infantium, ſcandalo tangi, docet S. *Ambroſius ſerm.* 21. *in pſal.* 118. ad illud, *& non eſt illis ſcandalum.* Ibi cum præmonuiſſet iuſtum, ne vſquam ſit eius infirmus affectus, ſubdit; *Caueat ſcandalum. Qui pacem habet, quæ omnem mentem ſuperat, magnus eſt; non de puſillis iſtis. Ideò ſcandalum pati non debet quia puſillorum eſt exagitari ſcandalo. Vnde & Dominus ait; Quicumque ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis minimis. Non ſolum puſillos, ſed etiam minimos dixit, quos perturbant ſcandala; & ideò graui obnoxius pœna eſt, vt legiſti, quicumque turbauerit infirma mentis infantiam. Sicut enim grauiori dignus ſupplicio eſt, qui perſuaſerit crimen infantulo, & incautam præcipitarit ætatem: ita qui & inualidum, & inſipientem, & improuidum circumſcripſerit perſuaſione erroris,*

CAP. VII. *Apoſtaſia atrocitas.*

roris, aut exagitatione cordis affectum. Vis ſcire quam infirmus ſit qui ſcandalizatur? Non manducabo, (inquit,) carnem, ne fratrem meum ſcandalizem. Quanta infirmitas, & quædam infantia animi, vt eum etiam eſcæ factus exagitet. Vnde non poteſt homini eſſe præcipitium, quando etiam hinc eſt periculum?

Quod igitur ſcandalo dato, agantur in præceps infirmi, & puſilli, certum eſt, debere ſcandalum in re noſtra ſtudioſe declinari, nec præbendam cuiquam eſſe eius occaſionem in negotio de quo agimus: idque Patres, (vt audiſti,) in hac ipſa materia valde vrgent: & reuera, apoſtaſia à Religione, ſpectando vſum vocabuli, eſt ſcandalum valdè propriè dictum. Nam S *Chryſoſt. hom.* 60. *in Matt.* tractans illud, *Væ mundo a ſcandalis*, cum quæſiſſet quid ſit ſcádalum, reſpondet, *recta ac probata viæ confuſio, atque peruerſio. Sic etiam qui verſantur in ſcena, eos qui corpora peruertunt, ſcandala vocant.* Eſt igitur apoſtaſia, valdè deteſtanda, ratione ſcandali quod infert *Lucernæ bonæ quæ extinctæ ſunt, etiam putent*; aiebat *D. Auguſt in. Tract.* 23. *in Ioan.* Hoc maximè valet de iſto ſcandalo, quod proinde ſeriò vitandum, eſt; ſicut etiam ſimile ſcandalum, quo quicunque Chriſtiani labentes offendiculum ponunt aliis, meritò vrgetur a D. Chryſoſtomo hom. ne ſcandalum cuiquam ponamus, & *hom. 7. in Geneſ. & a D. Auguſtino in pſalm. 30. conc. 2.* ad illud *ſuper omnes inimicos meos, factus ſum opprobrium.* Et vniuersè quæuis prolapſio perſonarum ſacrarum & nominatim Religioſarum, cauenda diligenter eſt hanc ob cauſam, iuxta illud *Origenis hom. 2. in Numeros.* [Homo ſecundum ordinem ſuum incedat; Putas ne qui ſacerdotio funguntur, & in ſacerdotali ordine gloriantur, ſecundū ordinem ſuum incedunt, & agunt omnia quæ illo ordine digna ſunt? Similiter autem & Diaconi, putas ſecundum ordinem miniſterij ſui incedunt? Et vnde eſt, quod ſæpè audimus blaſphemare homines, & dicere, Ecce qualis Epiſcopus, aut qualis præſbyter, vel qualis diaconus? Nonne hæc dicuntur, vbi vel ſacerdos, vel miniſter Dei, viſus fuerit in aliquo contra ordinē ſuum venire, & aliquid contra ſacerdotalem, vel Leuiticum ordinem gerere? Quid autem & de Virginibus dicam, aut de continentibus, vel omnibus, qui in profeſſione Religionis videntur? Nonne ſi quid inuerecundum, vel petulans, ſi quid proteruùm geſſerint, arguit eos continuò Moſes, & dicit, homo ſecundùm ordinem ſuum incedat? Agnoſcat igitur vnuſquiſque ordinem ſuum, & quid dignum ſit eo ordine quem ſuſcepit, intelligat, & ita libret actus ſuos, ita etiam ſermonem, inceſſum quoque ipſum, & habitum moderetur, vt cum ordinis profeſſione conueniat, ne audiat dici ad ſe à Deo. Quia propter vos, nomen meum blaſphematur inter gentes.] Quanto autem magis blaſphematur cum interuenit caſus omnium deterrimus atque turpiſſimus?

S. Baſilius in eandem ſententiam optimè diſſerit in Reg. breuioribus ad q. 64. ibi enim cum diſtinxiſſet de ſcandalo ob executionem rei præceptæ, quod ait eſſe negligendum, & de ſcandalo ob ea quæ in noſtra poteſtate eſt omittere, cui ſcandalo deferendum eſſe vult, exemplo Apoſtoli *Rom.* 14. & 1. *Cor.* 8. & ipſius etiam Chriſti *Matth.* 17. ſubdit in calce reſponſionis ad quæſtionem propoſitam. [Cæterum cum rem adeo formidabilem eſſe demonſtratum ſit, in iis quæ in poteſtate noſtra poſita ſunt, fratrem ſcandalizare; quid de iis dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis, loquendiſue ſcandalizent; & maximè quando vel ſcientia quadam maiore præditus videatur qui ſcandalizat, vel in ſacro aliquo gradu cenſeatur? Qui cum cæteris tanquam regula exemplarue propoſitus eſſe debeat, ſi vel minimum quid neglexerit eorum quæ ſcripta ſunt, videlicet; vt aut eorum quæ interdicta ſint fecerit, aut eorum quæ iuſſa, omiſerit, aut denique huiuſmodi aliquid diſſimulanter prætererit, vel in hoc vno tantùm, iudicium commeritus eſt illud, quod ſanguis peccantis exquiretur de manibus eius.] Nimirum quia quæcunque, talis perſonæ prolapſio, magnam animarum ſtragem facit. Quanto magis ea quam excutimus, omnium propudioſiſſima?

Tacita virulentia Scandali dati ab Apoſtata domeſticis.

PRæter ſcandalum autem vulgo dictum, ideſt offenſionem plebis fidelium ex his caſibus, & Religionis depretiationem inde oriundam; magni omnino faciendum eſt, ſcandalum quod domeſticis fidei ingeneratur. Eſt enim hæc veluti tacita impulſio ad ſimilem ruinam. Suis momentis omnem talem ſcandali aniam expendit *Eucherius hom. 4. ad Monachos num.* 2. [Sicut pretioſum (inquit) atque præcipuum eſt, in medio multorum benè agere, plurimos ad profectum exemplo boni operis excitare: ita periculoſum atque pernicioſum eſt, negligentiùs, ac tepidiùs agendo, multorum fidem frangere, multorumque animas deprauare. Sicut inquam fructuoſum eſt in medio ſanctorum poſitum probabiliter viuere, ita periculoſum eſt aliquid deſtructionis egiſſe.]

De tenuiore talis ſcandali materia, ſic pronunciat *S. Bernar. ſerm. 1. de conuerſ. S. Pauli.* [Si proprium ſanguinem dedit in precium redemptionis animarum, non tibi videtur grauiorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, auertit ab eo animas quas redemit, quam à Iudæo, qui ſanguinem illum fudit. Agnoſcite dilectiſſimi & expaueſcite conſortia eorum, qui ſalutem impediunt animarum. Horrendum penitus ſacrilegium quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino maieſtatis, manus ſacrilegas iniecerunt. *Et inferius.* Quid & is qui exemplo ſuo ad remiſſiùs agendum cœteros prouocat, aut ſingularitate turbat, aut inquietat curioſitate, aut impatientia ſua, & murmuratione moleſtat, aut quocunque modo contriſtat ſpiritum Dei qui in eis eſt, ſcandalizans vnum de minimis iſtis credentibus in eum? Nonne & hic, manifeſtè perſequitur Chriſtum?] Quid igitur de eo ſtatueret S. Bernardus, qui ſcandalum ſcandalorum, præbet deficiendo?

Nihilominus aiebam, non eſſe hic multum inſiſtendum huic ſcandalo, quia non continet ſpecialem malitiam: ſicut neque ingratitudo materialis.

Apoſtaſiæ maculæ quibus maximè inſiſtendum, perfidia in Deum, iniuſtitia in Religionem.

QVare progrediendum potiùs eſt, ad rationes malitiæ huic ſceleri intrinſecas & ſpeciales, quarum vna Deum, altera Religionem deſertam reſpicit. Prior, eſt ratio perfidiæ, poſterior ratio iniuſtitiæ propriè dictæ. Quatenus enim Apoſtaſia infringit votum quo homo pactionem cum Deo inierat, eſt perfidia quædam in Deum, cui contrarium

trarium ſpoponderat. Non enim poteſt homo à Religione deficere, abſque violatione alicuius ſaltem voti, nimirum obedientiæ; atque ita innurit ſibi labem perfidiæ irreligioſæ & ſacrilegæ, qua ſe contaminat quiſquis votum tranſgreditur. Quatenus verò Apoſtata, negat Religioni eiuſque capiti, obedientiam totius temporis vitæ ſuæ, pro quo Religioni ſe tradiderat, defraudatque eam ſuis miniſteriis & operibus, eatenus non modò infidelis & perfidus, ſed etiam ob traditionem adhibitam ſupra promiſſionem, verè ac propriè iniuſtus eſt; non minus quam is qui rem vltrò alicui traditam & ab eo acceptatam, poſtea clam reſumeret. Dicamus de vtraque malitia propoſita, ſigillatim nonnulla.

Perfidia Apoſtatæ erga Deum, variè expoſita, ac primùm penes infractionem Sacramenti militaris.

MAlitiam perfidiæ irreligioſæ & ſacrilegæ, qua homo fidelitatem Deo debitam violat, nonnulli Patres, conferunt cum peccato quo miles transfuga deponam Imperatori ſuo fidelitatem violat. Audiendus *Petrus Damiani Opuſc. 16. c. 2. ſi terrenæ militia transfugam non ſolum mundanæ leges abiiciunt, ſed etiam ſacri Canones, infames appellant, adeò vt eum etiam ad reddendum in contentione teſtimonium non recipiant, qui in ſuperni Imperatoris arma iurauerat, qui Chlamydem iam militia cœleſtis induerat, qui baltheum caſtitatis accinxerat, qui donatiuum ſacri verbi ab ipſo militum Duce ſuſceperat, quo indicio, quo iure, qua fronte, iam poteſt propriæ profeſſionis caſtra deſerere, & ſuo vomitu delectatus, ad ea quæ contempſerat, quæ abrenunciauerat, quæ damnauerat, mundi ludibria animum, reuocare? Fœdus mortales cum mortalis paciſcimur; & ſeruamus; Deo ſponſionem facimus, & fidem frangere non timemus. Homo homini violatæ cautionis tenetur obnoxius; qui autorem hominum fallere nititur, innocens indicatur? Fallax debitor ab exactore conſtringitur; qui ſemetipſum Deo ſubtrahit, immunis habetur?* Alium ex eodem in hanc rem locum in *Opuſc. 42. p. 2. cap. 1.* infra referam. *Chryſoſtomus Paran. 2. ad Theod. initio. Equidem fleo, non quod paternarum rerum ſollicitudinem geras, ſed quod ex fraterno te deleueris numero; quod negligendo calcaueris quicquid ante de pectore Chriſto ſpoponderas; Ad hac inhorreſco, his angor & crucior, propter iſta formido, non immeritò. Vt enim non obiicitur deſertio militiæ non militanti, ita is qui ſemel eſſe cœperit miles, cum deſeruiſſe detegitur, pœna dignus vltima indicatur.* Et inferiùs. *Vt illud repetam quod in principio poſui epiſtolæ, ſi te militiæ vincula non tenerent, quis tibi deſertionis crimen obiiceret? Nunc autem nihil in te penitus tui iuris eſt, quippè qui tanto Imperatori militare cœpiſti.* Idem habet qualiſcunque *Autor ſermonum ad fratres in Eremo ſerm. 60.* Eſt ſanè Religio, caſtrorum acies ordinata, quod monſtrare memini tractans de Chriſto Rege virtutum, & traditur etiam à *Petro Damiani Opuſc. 12. cap. 5.* vbi de mirabili armatura horum militum, & à *S. Chryſoſtomo hom. 57. ad pop. initio*, verbis illis. *Videamus (inquit) ſpiritualia caſtra, videamus à timore puram voluptatem. Non enim cum haſtis ſunt in tentoriis, ſicut milites (hic enim antea ſermonem diſſolui,) neque cum clypeis & thoracibus: ſed his omnibus nudos videbis, & talia facientes, qualia neque cum armis illi. Et conſcius eſſe potes. Veni & mihi manum porrige, & eamus ambo in hanc expeditionem, & inſtructas acies videamus. Hi namque per ſingulos dies bellum gerunt, & iugulant aduerſarios, & omnes concupiſcentias nobis inſidiantes ſuperant, & has ſolo proſtratas videbimus, & Apoſtolicum illud rebus exhibitum, dicens, Qui verò ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Vidiſti mortuorum multitudinem iacentium, ſpiritus gladio iugulatorum?*

Apoſtaſia atrocitas.

Alia mox addit in eam rem. Et multa quoque *Martinus Delrio p. 3. Marialis lect. 6.* Huic militiæ, ſacramento ſe obligant Religioſi, animati ſtipendio quod eis à Chriſto Imperatore proponitur. Qui igitur violato ſacramento legitimè, dicto, transfugit à caſtris, fidelitatem tanto Imperatori debitam perfidè infringit; ac proinde, per proportionem ad ſcelus deſertionis in profano milite, qui idcirco obnoxium ſe ſtatuit pœnis atrocibus, (vt videre eſt apud Lipſium & Valtrinum de militia agentes) æſtimare licet ſcelus deſertoris Chriſtianæ militiæ.

Item quia eſt ſpirituale adulterium.

PLerique Patrum, eandem perfidiæ malitiam conferunt cum adulterio. Nam per Religioſam profeſſionem, initur cum Deo Matrimonium, vt trado agens de Chriſto Sponſo. Et mox luculenter exponam ex SS. Baſilio & Ambroſio. Igitur qui per Apoſtaſiam nuncium remittit profeſſioni, ſpirituale adulterium committit, quod longè fœdius eſſe quam adulterium corporale, patet ex adiuncta ratione ſacrilegij. Audiamus in rem propoſitam aliquos Patres *S. Auguſtin. l. de bono viduit. cap. 11. Planè non dubitarim dicere, lapſus, & ruinas à caſtitate ſanctiore, quæ vouetur Deo, adulteriis eſſe peiores. Si enim quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti pertinet, cum membrum eius fidem non ſeruat marito, quantò grauius oſtenditur, cum illi ipſi non ſeruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat afferendum? Cum enim quiſque non reddit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vouit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minùs habuit vouendi neceſſitatem.* Idem eius nomine habetur ſermone 60. ad Fratres in Eremo.

S. Chryſoſtomus paran. 2. ad Theodorum. Angelorum ſocietati ſemel iunctum, illam relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere eſt? Quamvis frequenter hoc ipſum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus. Neque vllus tibi fortè perſuaſerit, dicens; Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit; verùm in te adulterij nomen accipiet, ſi volueris vnquam, (quod abſit) nuptias cogitare. Et quid mirum ſi nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? Maius longè audies. Homicida iuſtorum laude donatur, & miſericors plus quam homicida punitur: quoniam hoc vetante ſit Domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iuſtitiam reputatum eſt, quòd impudicum cum turpi femina virum, vno gladio percuſſiſſet. Saulem autem, Samuel ſanctus Dei, in luctibus, lachrymis, precibuſque pernoctans, damnatione cui illum addixerat

CAP VIII. Apoſtaſia, [illegible]

Deus, liberare non potuit: quoniam hoſtium duci, quem debueras trucidare, inuito parcendum credidis Deo. Cum hæc ita ſint, ſtupere deſiſte, ſi nuptiæ priores adulterio iudicantur, quoties Chriſtus offenditur. Et mox. *Si mulier proprij corporis non habet poteſtatem, ſed vir: multo magis hi qui Chriſto potiùs quam ſibi viuunt, conditionem corporis ſui habere non poſſunt.*

S. *Baſilius lib. de vera Virg. ſub medium*, agens de eo qui ſanctimoniali, ſub miniſtri nomine & habitu concubinus erat, ait eum horrendo ſacrilegio, Chriſti ſponſæ adulterum effici. Et haud ita multo poſt alloquens ipſas caſtitatem profeſſas Virgines. *Non ſe fallat qui à Virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Coniugium quippè illi in peccatum reputabitur: primùm quidem, quia peſſimum coniunctionis huius fundamentum voluptatem iecit, præuaricationiſque malum. Deinde quia cauſæ non eſt libera, neque enim eſt mortuus vir eius, vt cui vult nubat, viuente immortali viro, meritò cenſetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia, domini thalamis intulit. Nam quod ſolemne, legitimumque connubium ſponſus ille occuparit, & Virginitatis habitus, & fœdera & conuenta cum illo, & propterea proceſſus ipſe teſtatur. Huiuſmodi quippe nobilitata, viro proceſſit in publicum. Si enim paternis ædibus non priùs Virgo progreditur, quàm legitimo fuerit coniuncta viro, vt eius & domini, & vitæ ſuæ ducis, ac moderatoris titulo inſcripta, paterna iam prodeat domo; & virgo igitur ea ratione proceſſit thalamis, vt inſcripto ſibi ſponſo legitimo, eius iam titulis honeſtata, & ſub ipſius conſtituta regimine procedat ad publicum. Sin autem proceſſionis eius illi teſtes ſunt, qui procedentem viderunt, & iidem profectò teſtes erunt, cui coniuncta & cuius titulis inſcripta viri, paternis laribus proceſſit in medium. Porrò ſi connubium iſtud, & proceſſu & teſtibus, cunctis denique indicijs illuſtre & apertum eſt, nec eſt vir eius mortuus; mœchatur quæ huiuſmodi admittit ſcelus, viuente viro ſemper adultera:* Imò *quia fruenda voluptatis cauſa impudicè aſciuit; meretrix: quia verò viuit eius vir, nefario ſcelere probatur adultera. Nec ſanè video qua ratione, imò quo ſacrilegio, ipſa pro immortali viro* Dei *Filio, mortalem hominem in malum ſuum ambire præſumat ante viri oculos in ipſum impuris ac nequiſſimis ſemper amplexibus impia. Quo item furore homo ille, cubile* Domini *conſcendere, & violare non metuat: nempe ex rebus humanis eiuſmodi flagitioſorum ſupplicia coniicere, & æſtimare facilè poſſumus. Quæſo quo cruciatu digna cenſeretur mulier, quæ nobili coniuncta viro, ſeruo ſuo ſeipſam violandam impudicè ſubſterneret, ac ſeruum inſidiosè nequiterque domini thoris incumberet? Quo item ſeruus ille damnandus examine, qui dominæ ſuæ dominique cubili, ſe concitatus libidine, adeò petulanter immiſcuit?*

Ambroſius lib. ad Virginem lapſam cap. 5. Non es memorata diem ſanctum: diem dominicæ Reſurrectionis, in quo diuino altari te obtuliſti velandam? in tanto, tamque ſolemni conuentu Eccleſiæ Dei, inter lumina illa ſplendida regni cæleſtis, quaſi Regi nuptura proceſſeras. Non es memorata, qualis ad te die illo facta eſt allocutio: Aſpice filia, intuere verbo, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dominus *Deus tuus. Reminiſcere ergo, quantus ad ſponſi tui & Domini nuptias conuenit populus. Seruare te oportuit fidem, quam ſub tantis teſtibus pollicita es; ſemper cogitare cui Virginitatem ſpoponderis. Faciliùs te oportuit ſanguinem cum ſpiritu fundere quam perdere caſtitatem tuam. His in illo tunc die conſecrationis tuæ dictis, & multis ſuper caſtitate tua præconiis, ſacro velamine tecta es; omnis populus dotem tuam ſubſcribens, non atramento, ſed ſpiritu pariter clamauit, Amen. Vincor lachrymis, cum hæc recordor, compungor ſtimulis, cum hæc exempla conſidero. Nam ſi inter decem teſtes, confectis ſponſalibus, nuptiis conſummatis quæuis fœmina viro coniuncta mortali, non ſine magno periculo perpetrat adulterium; quid putas fore, ſi inter innumerabiles teſtes Eccleſiæ, coram Angelis & exercitibus cæli facta copula ſpiritalis, per adulterium ſoluitur? Neſcio an poſſit ei condigna mors aut pœna cogitari.*

Brachiarius Epiſtola ad Ianuarium pro Lapſis, cum quidam Autores eſſent vt ſanctimonialis quæ fidem Chriſto datam fregerat, coniugii nomine ſtupratori qui item Monachus erat, traderetur, vt crimen coniugio emendarent, negat id poſſe fieri, & mulierculam illam negat poſſe vxorem dari cuipiam hominum, quandoquidem nec Virgo, nec vidua erat. *Virgo non eſt* (*inquit*) *quia corrupta eſt: Vidua non eſt, quia eius vir viuit in æternum. Vt quid ergo ei nuptias ſuadetis? Vis ſcire quæ ſit Apoſtolica ſententia de hoc errore? Ait Paulus in Epiſtola ſua. Omnino auditur inter vos fornicatio, & qualis nec inter gentes quidem; ita vt vxorem Patris quis habuerit. Ecce quiddam factum ſimile. Vxor Patris, erat hæc iuuencula quæ deliquit, illius Patris qui nos genuit in verbo, veritatis. Tunc credo ei in coniugium copulata eſt, quando ſecundùm, exemplum Rebeccæ ad Iſaac de Meſopotamia venientis pallium quo velaretur caput, accepit.* Et mox vocat eam Monialem, coniugem Regis cœleſtis, cuius vxor viuente viro atque præſente, alteri coniungi abſque immani adulterio, non poſſit.

S. *Cyprianus lib. 1. Epiſt. 11.* monitus de quibuſdam ſacris Virginibus quæ maſculos admittebant, ait; tales, non mariti ſed Chriſti adulteras fuiſſe: confertque vltionem illis ſtupratoribus à Deo inferendam, cum ea qua Rex deprehenſum cum Regina turpiter illi commiſſum adulterum, excruciaret. Nimirum vt *S. Optatus lib. 6.* egregiè ait, *Spiritale nubendi hoc genus eſt. In nuptias ſponſi iam venerant voluntate; & profeſſione ſua: & vt ſecularibus nuptiis ſe renunciaſſe mõſtrarent, ſpiritali ſponſo ſoluerant crinem; iam cœleſtes celebrauerant nuptias.*

Inſuper quia eſt ſubtractio rei donatæ.

ALiàs, eadem erga Deum perfidia, à ſanctis Patribus & Doctoribus, confertur cum ea iniquitate, qua quis rem alteri iure legitimo donatam, tentaret auferre. Ita *Petrus Damiani Opuſc. 42. paran. 2. initio. Romanis* (*inquit*) *legibus cautum eſt, vt quod ſemel à dante conceditur, nullo modo reuocetur. Cum ergo hæc apud homines iubeatur forma ſeruari; quanto magis apud Deum debet inuiolabiliter cuſtodiri? Homo itaque non amittit, quod ſemel accepit; Deus autem poſſeſſionis ſuæ iure fraudabitur? Terrenæ militiæ Duces, eos ſibi qui militiam profeſſi ſunt, vindicant: nos in diuini procinctus arma iuramus, characterem nobis militiæ cæleſtis imprimimus, & notam nobis inurere transfugij non timemus? Dediſti Deo non aurum, non equum, non denique alienum quod extra te: ſed temetipſum, & nunc ſubtrahere niteris? Quam ergo mercem vice tui Domino permutabis? Quam enim commutationem, dabis homo pro anima ſua?* Mox etiam *cap. 2.* ait, qui ita ſe cum

Deo

Deo gerat, planè irridere Deum, ſic illi mentiendo. Sicut vere hominem lederet, qui rem ei iam traditam, ſubtraheret. Grauis eſt Damiani oratio *Obtuliſti (inquit,) temetipſam Deo, & factus retinga, ſubtraxiſti? Deum, puerum, & te facis omnem. Nam dum te ſibi prius oblatum, conaris quaſi ludendo ſubducere, videris eum velle velut puerum obgannire. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Deludis Auctorem, offendis mendacio veritatem. Porrò, cum Deus ſit proculdubio veritas, nullo magis offenditur vitio, quam mendacio.* Et præſertim mēdacio in re tanta, tamq; graui negotio.

Eodem referre licet, verba S. *Ambroſij lib. 9. in Lucam ad caput.* 10. tametſi non agit de Religioſis votis, ſed tantùm de illo proportionali voto, quo voto, quo Chriſtiani omnes in baptiſmo conteſtantur, ſe Satanā fugituros. *Quàm grauia vincula, promittere Deo, & non ſoluere? Melius eſt (inquit) nō vouere, quàm vouere, & non reddere. Maior eſt cōtractus fidei, quam pecuniæ. Redde promiſſum, dū in hoc corpore es, priusquam veniat exactor, & mittat te in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Ex cauſa item propoſita, S. *Leo Epiſt. 92. cap* 14. vocat Apoſtaſiam, *crimen magnum.* Et probat: Nam ſi humana pacta non poſſunt impune calcari, quid eos manebit, qui diuini Sacramenti corruperint fœdera?

Sordet inſuper furto ſacrilego.

ALiquando Patres in eadem perfidia quam exentimus, agnoſcunt labem furti Sacrilegi. Quia enim per votum, & voto adiunctam ſuimetipſius traditionem liberam, ac plenam, perſona ceſſit quadantenus in Dei peculium, & ſacra facta eſt, merito eius ſubdictio per Apoſtaſiam, furti ſacrilegi inſimulatur; vt factum eſt à S. *Baſilio ad qq.* fuſius diſputatas in 14. ſic enim habet interrogatio illa 14. *De ijs qui cum per profeſſionem Deo ſeipſos deuouerint, tum profeſſionem illam conantur reſcindere,* Subiicitur huic interrogationi, iſta reſponſio. *Horum vnuſquiſque, ſi poſtea quam intra reliquorum fratrum ſocietatem adſcriptus fuerit, factam iam à ſe profeſſionem reſciderit, is perinde aſpici debet, vt qui in Deum peccauerit; quem videlicet profeſſionis ſuæ teſtem adhibuerit, cuique ſolemni ſi voto obligarit. Si verò in Deum quis peccauerit, (inquit,) & quis orabit pro eo? Etenim qui ſeipſum Deo ſemel deuouit, hic ſi ad aliud deinde vitæ genus tranſiuerit, ſacrilegij ſe ſcelere obſtrinxit, quippe qui ſeipſum Deo, cui ſe conſecrauerat, veluti ſubter furatus ſit.*

Origenes quoque homil. 11. *in Leuit.* ſic in hanc rem philoſophatur. *Segregari dicimur non locis ſed actibus, nec regionibus ſed conuerſationibus. Denique & ipſe ſermo in Græca lingua, quod dicitur* ἅγιον *quaſi extra terram ſignificat. Quicunque enim ſe conſecrauerit Deo, merito extra terram, & extra mundum videbitur. Poteſt enim & ipſe dicere. Super terram ambulantes, conuerſationem in cœlis habemus. Salomon quoque in Prouerbiis dicit, laqueus eſt viro forti citò aliquid de ſuis ſanctificare. Poſtea enim quod vouit euenit pœnitere. Et hoc eſt vtique quod dicit, ne quis fortè cum fructus ex area, aut vinum ex torcularibus colligit, & dixerit, volo tantum offerre Eccleſiæ, vel in vſum pauperum, aut peregrinorum tantum præbere, ſi poſtea ex his quæ vouet aliquid ad vſus proprios præſumat, iam non de ſuis fructibus præſumpſit, ſed ſancta Dei violauit. Et ideò laqueus fortis eſt ſanctificare aliquid, hoc eſt vouere Deo, & poſtmodùm pœnitentia ductum, ad vſus proprios ea quæ conſecrauerit reuocare: Sed & ſi nos ipſos conſecramus & offerimus Deo, aut etiam ſi alios vouemus, obſeruemus hunc laqueum, ne fortè poſtea quàm nos Deo vouerimus, iterum humanis vſibus vel actibus ſubiugemur. Vouet autem ſe vnuſquiſque verbi gratia, ſicut Nazaræi faciebant, tribus, aut quatuor, aut quot placuiſſet annis, tempore ſe conſecrantes Dei.* En ſubductionem ſacrilegam Religioſi poſt votum.

CAP. VIII. *Apoſtaſia atrocitas.*

Æquè furti Sacrilegi Apoſtatam damnat *S. Ephrem paran.* 1. Nec aliter *S. Athanaſius ſerm. in Paſſionem & Crucem Domini. Scire debemus (inquit,) & nequaquam ignorare, quod quæcunque promittimus Deo, non ea deinde noſtra eſſe, ſed Dei: & ſi inde quid defraudamus, ea non nos ſumere iam tanquam noſtra; ſed vt Dei, ſacrilegio compilare. Neque iſta promiſſio ſolùm ad pecunias pertinet, ſed etiam ad verbum profeſſionémque pertingit. Certè diuinum reuera & magnum myſterium noſtrum, non in pecuniis habet promiſſionem ſuam, ſed in profeſſione perfecta, & in fide erga Deum. Omnes certè promittimus, & omnes ſumus promiſſionis debitores, adeò vt neceſſum ſit præſtare.*

Denique *Goffridus Vindoc. lib. 4. Epiſtol.* 12. agens de quodam cui nomen *Paganus*, ait. *Quod illum non eſſe fugitiuum, dixiſtis; mihi non mediocriter diſplicet, hoc ab ore veſtro fuiſſe prolatum, quod ſobrietatis armarium olim credideram, & veritatis ſigillum. Ille vtique de loco noſtro, in quo Monachus noſter factus fuerat, aufugit, & ſtola ſecunda regenerationis reiecta occultè fugiens, clauſtrum B. Clementis infregit. Vnde non ſolùm fugitiuus agnoſcitur, verùm etiam vera expoſitione ſacrilegus eſſe probatur.* Ratum igitur eſto, Apoſtaſiam eſſe furtum ſacrilegum. Nimirum debet ſe Religioſus, vt rem ſacram & Dei vſibus addictam conſiderare: ac proinde qui ſe Deo ſubducit ſacrilegium admittit.

Profanatio ſacrilega in eodem ſcelere.

NEc qualecunque, ſed horrendum cenſeri oportet hoc furtum ſacrilegum, coniunctum cum rei abominanda profanatione, quippe quo res ſacerrima auertitur. Sanè ſupellectilem monaſteriorum, vt rem ſacram eſſe habendam, frequentiſſimum eſt apud Aſceticæ vitæ magiſtros. Sic *S. Ephrem ſerm. ad imitationem Prouerb.* vult, codicem monaſterij conſeruari vt rem Dei, & ſacram. *Caſſianus lib. 4. Inſtit. cap.* 20. *Non ſolùm ſeipſos (inquit) non eſſe ſuos, ſed etiam omnia quæ ſua ſunt, credunt domino conſecrata. Propter quod ſi quid fuerit monaſterio ſemel illatum, vt ſacroſanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari.*

Serapion in Regula §. 5. etiam viliſſima quæque ad monaſterij peculium pertinentia, vt ferramenta & vaſa quæcunque, docet eſſe ſanctificata: & peccatum eius qui talibus abutatur, ſtatuit ſimile peccato Baltaſaris, abutentis calicibus ſacris. Omnia item monaſterij vaſa, perinde ac ſacros calices tractari, mandat *S. Benedictus in Reg. cap.* 22. *alias* 31. Prudentiſſimè S. Baſilius ad interrogationem 143. breu. inſtrumenta monaſterij vſurpari vult, primùm quidem vt Deo conſecrata & dedicata, atque adeò cum omni accuratione & attentione: deinde verò tanquam nobis neceſſaria: vt proinde cum res fert, non ſit illis parcendum. Ex eo autem quod Deo ſint dedicata & conſecrata, mox ad q. 144. ſacrilegum appellat qui eis abutitur;

CAP VIII. *Apoſtaſia atrocitas.*

& tanquam ſacrilegij autorem damnari vult, qui ea amiſerit. Et in *Conſtit. Mon. cap.* 21. Accidit plerumque vt ex immoderata erga ſuos beneuolentia, monachus, vt propinquorum inopiæ ſuccurrat; ſacrilegij ſcelere obſtringere ſe non dubitet. Quæ enim ad eorum vſus ſeruantur, qui Deo ſe dedicauerunt, ea ſacra, & verè in earum rerum numero, quæ conſecratæ eſſe & intelliguntur & iudicantur. Quocirca quicunque ex his quippiam ſibi ſurripit, is ſine dubio ex iis eſt, qui auſu temerario ſacrilegia deſignarunt, iudicandi ſunt.]

Hæc ſi ita ſe habent quoad inſtrumenta & vaſa inania, quanto iuſtius eſt, vt rem ſacram & rem Dei haberi ipſummet Religioſum, cuius obſequio & vſibus ſupellex illa addicta eſt? Meritò igitur alloquens Monachum S. *Baſil. in Conſtit. monaſt. cap.* 21. *in fine*, ſic ait. *Ne in corpore ipſo quidem tuo quod aliqui in tuo ære fuerat, poſteaquàm illud Deo ſemel conſecraſti, ius tibi vllum reliquum eſt; tanquam in re Deo dedicata: & ſcelerate facis, ſi ad hominum vſum illud accommodes.*

Rectè etiam huc cadit illud *Origenis hom.* 24. *in Numer.* [Alij vitulos aut arietes, aut domos, aut alia huiuſmodi ratione carentia, vota offerunt Deo. Ille verò qui appellatur Nazaræus, ſemetipſum deuouit Deo. Hoc eſt enim votum Nazaræi, quod eſt ſuper omne votum. Nam filium offerre, vel filiam, aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos eſt. Semetipſum Deo offerre, & non alieno labore, ſed proprio placere, hoc eſt perfectius, & eminentius omnibus votis, quod qui facit, imitator eſt Chriſti. Ille enim dedit homini terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, ad obſequium; dedit & cœlum, ſolem quoque & lunam, ac ſtellas, hominum miniſterio conceſſit: pluuias, ventos, & omne quicquid eſt in mũdo, hominibus largitus eſt. Sed poſt hæc omnia, ſemetipſum dedit.] Eſt igitur homo aliquid Chriſti ac Dei, ratione voti emiſſi.

Hæc cum ita ſe habeant, perſpicuum eſt, profanationem ſacrilegam Baltaſaris, quam audiſti Serapionem ei impingere, qui vaſis monaſterij ſit abuſus, multo iuſtiùs à S. *Ambroſio lib. ad Virg. lapſam cap.* 9. ad hoc ſcelus transferri. Alloquens enim corruptorem ſanctimonialis virginitatem profeſſæ; quem ait, ſponſa Chriſti violanda, adulterium; re autem ſacra à ſacrario abſtrahenda, ſacrilegium admiſiſſe; *ſacrilegium planè* (inquit,) *vbi vas Chriſti oblatum, Domino dedicatum, dementi temeritate polluiſti: Balthaſar ille Rex Perſarum, cùm in vaſis domini quæ de templo Hieroſolymis fuerant a patre eius ablata, bibere cum ſuis amicis & concubinis vſurpauit, ipſa nocte Angeli manu percuſſus crudeli morte punitus eſt. Quid de te arbitraris perdito pariter & perditor, qui vas rationabile, conſecratum Chriſto, ſanctificatum ſpiritui ſancto, impiè temeraſti, polluiſti ſacrilegè, & tui propoſiti immemor, & iudicij diuini contemptor.*

Hæc æquè, aut etiam multo magis, in ipſam corruptam cadunt: cuius aſſenſu profanatio diuini vaſis patrata eſt; & quod fuerat templum Dei, factum eſt tugurium Diaboli, vt ferunt illa ex cap. 2. eiuſdem libri, vbi Autor alloquitur ipſam, quæ (vt ait) caput horum & cauſa malorum fuit; ipſam inquam Suſannam corruptam. *Facta es de habitaculo Spiritus Sancti, tugurium Diaboli.* En profanationem diuini templi & commutationem in tugurium Diaboli per Apoſtaſiam.

Eadem mens *ſancto Chryſoſtomo initio parænes. eos prioris ad Theodorum.* Aſſumptis enim flebilibus Ieremiæ modis, quibus gentem ſuam abductam, ſed maximè templum Dei profanatum deplorabat, ſubdit Chryſoſtomus, ipſum Theodorum compellans; cauſam ſibi iuſtam eſſe, lugubrem hanc cantilenam, aut etiam acerbiorem aſſumendi. *Equidem* (inquit,) *nec ciuitatem aliquam euerſam lugeo, neque viros inuitos in ius victoris coactos. Quinimo ſacram animam lugeo, deſtitutam eſſe deploratamque, ac templum demolitum, atque extinctum, cui Chriſtus nuper præfuit, hoc eſt, ornatum cogitationis iſtius, quem modo exuſſit Diabolus. Quis honeſtus & clarus non ingemuit, qui incidit in ploratum Prophetæ, qui animaduertit barbarum manum Sancta Sanctorum profanaſſe, & ſubiectis ignibus perdidiſſe omnia, Cherubim, arcam, tabulas lapideas, vrnam auream? Atqui damnum iſtud illo eſt tanto pernicioſius, quo illorum ſignificatio pernicioſior quæ ad tuam ipſius pertinet. Tu es ille ſanctius templum, quod neque auro, neque argento, ſed ex gratia ſpiritus reſplenduit; & in vicem Cherubim atque arcæ, Chriſtum & huius patrem, ſimul atque Paracletum habuit conuerſantem intra ipſum; at non amplius habet. Vaſtum nunc eſt deſertum, ac deformis nuditas à pulchritudine ac decore priſtino, quando diuinum & incredibile ornamentum detractum eſt.*

Sanè animam quamvis piam, multoque magis Religioſam, eſſe Dei templum fusè dictum eſt cum de Chriſto pacis principe: Et pulchrè confirmant quæ habet *Gulielmus Pariſ. lib. de legibus cap.* 29. de conſecratione templi, reſpondente ſanctificationi animæ. Igitur profanatio quoque, analogiam habet.

Inſuper conculcatio diuinæ ſpecialis adoptionis.

Agnoſcenda inſuper in hoc ſcelere, conculcatio impia diuinæ adoptionis peculiaris, qua Religioſus, per votum & tranſitum in ſacram familiam, factus erat ſingulari quadam ratione filius Dei adoptiuus. Sunt quidem Chriſtiani omnes, ratione gratiæ ſanctificantis, adoptati in filios Dei. Peculiari tamen quodam modo Religioſi, in Dei filios adoptantur. Et quidem ad eam adoptionem à Deo faciendam, ipſimet ſe ingerunt quod declarat depoſitio capillorum. Neminem quippè latet, detonſionem capilli, vſurpatam olim fuiſſe in ſignum filiationis. Sic apud *Paulum Diaconum lib.* 6. *capite* 53. Carolus Francorum Princeps, filium ſuum direxit ad Luitprandum, vt ei capillorum reſectione filius fieret. Conſtantinus verò Pogonatus, filiorum mallones, hoc eſt cirros, ad Benedictum 2. Romanum Pontificem deſtinauit, vt filios illi adoptione faceret, autore Anaſtaſio in Benedicto. Narratque etiam idem Anaſtaſius in præfatione hiſtorica ad 8. ſynodum, Regem Bulgarorum totondiſſe ſibi capillos, & Legatis Romani Pontificis tradidiſſe, in ſignum ſubiectionis, tanquam filij ad parentem. Subiectionem quoque ſerui ad Dominum, eo ſymbolo expreſſam, probat eruditè *Prado ad cap.* 24. *Ezechiel.* circa illud *corona tua circumligata ſit tibi.* At Religioſos, cum ſe Religioſæ vitæ addicunt, tondere comam, antiquus iam olim vſus talit. Cuius ritus vſurpatio, tametſi repeti poteſt ab antiquiſſimo vſu tondendi comam morientibus, vt oſtendit *Pineda in cap. primo Iobi verſ.* 20. *numer.* 14. tamen *in Concilio Aquiſgr.* 2. *cap.* 1. vſus ille ab ipſis Nazaræis temporariis Iudæorum repetitur; (nam qui perpetuò ſe Nazaræatui addixerant, nunquam ponebant capillum.)

Comple

Completò enim voti tempore, vt ex Actorum 18. liquet, tondebant caput, cremabantque capillum, in eo pacifico ſacrificio quod offerebant, addicentes ſe Deo in gratiarum actionem pro adepto beneficio de quo rogarant. Nazaræi verò perpetui, quos *Orig. hom.* 11. *in Leuit. S.Greg.* 32. *moral.cap.* 17. *& Naz. orat. in Baſil.* multique Recentiores quorum aliquos adduximus *cap.* 3. (alios profert *Maſſutius lib.1. de vita S. Pauli cap.7. in fine,*) tradunt fuiſſe Religioſorum imagines, non radebant vnquam caput: in quo diſcrepant à noſtris Religioſis, quibus penes alia affines erant. Diſcriminis cauſas proferunt *S. Epiph. hær.* 80. *& S. Aug. ſub finem* libri de Opere Monach. & latè ex variis *Bellarm. lib. de Monach. cap.* 40. Ob quas cauſas, noſtri Religioſi, hac in parte illis aliis Nazaræis duntaxat temporariis reſpondent. Sed omiſerunt Auctores illi, eam quam attuli tonſuræ huius cauſam, quæ tamen videtur admodùm veriſimilis; addictionem nimirum ſui ipſorum in Dei filios, vt ab eo per comam adoptentur. Ratum autem eſt, adoptiuum ſi ſe in adoptatorem perfidè gerat, impium haberi: quod liquet ex iuribus quæ proferunt qui de adoptione agunt. Igitur impietatis accerſiri meritò poteſt Religioſus, qui diuinam filiationem quam ſponte & pia mente captauerat, vltro obiicit atque conculcat. Nec diſpar ratio eſſe debet, eius qui ſeruitutem voluntariam & in ſolum ſuum bonum cedentem? Deo deſponſam abiicit.

Tantam impietatem, imo impietatis atrocitatem, in homine qui ſpiritu cœpit & carne conſummatus eſt, diuinæ illi maledictioni eſſe obnoxiam, qua Deus inſtauratorem Hiericunthis feriri voluit, optimè proſequitur *Galfridus in Allegoriis Tilmanni ad cap.6. Ioſue* adducendus *cap.* 14. Hic attingamus alterum apoſtatæ incurſum in Deum, rectè expenſum à *Laurentio Iuſtiniano l. de diſcipl. & perfectione monaſticæ conuerſationis cap.3. Plerique (inquit) extiterunt, qui propter inſtabilitatem, terga verterunt, & à ſancto propoſito (quod ſemel bona fide, & ſimplici corde cœperant) commoti ſunt, eligentes in alio ſtatu quàm in eo ad quem vocati fuerant Domino militare. Ingenti nempè crimine tales reos ſe fecere. Hi etenim tacitè, Deum calumniauerunt inſipienter egiſſe, excitantem ſe ſtatum arripere non congruentem ſibi. Talis enim opinio omni vacua eſt ratione, imò iniquitate & cæcitate plena. Qui enim hominem ſua ſapientia plaſmauit ex nihilo, & ex ſua mera charitate, potuitne ignorare quid illi opus ſit; aut illum prodere, ſi in congregationem eum vocat in qua animæ ſalutem adipiſci non valet? Ridiculum & ab omnis æquitatis iure ſemotum eſt, arbitrari, Deum ſapientia ſua mundi & omnium quæ in mundo ſunt, probatiſſimum eſſe rectorem, & in hac ſola vocatione defeciſſe.*

Alterum primarium caput malitiæ Apoſtaſiæ, Iniuſtitia in Ordinem Religioſum.

SEquitur malitia apoſtaſiæ erga Religioſum ordinem. Hanc S. *Baſilius Conſt. monaſt. c.*22. exponit propoſitis variis ſocietatibus humanis, quas dirũpere aperta iniuſtitia eſt: ac proinde hanc conſociationem ſequeſtro Spiritu ſancto factam, multo tetrius & iniuſtius fuerit diſrumpere. *Certiſſimum (inquit) tuendum eſt, eum qui ſemel ſpiritualis fratrum ſocietatis coniunctione copulaque obligatus ſit, ab iis, quibus cum iunctus ſit, ſine ſcelere abſcindere ſe, aut ſegregare non poſſe. Si enim homines ſæpe numero vbi ſemel ſe in contractionem fragilis vitæ huius dederunt, ab ea ſe ampliùs præter inita ex pacto & conditione inter ſe fœdera, ſeparare non poſſunt (alioqui qui hoc facit, is ſtatutis pœnis obnoxius fit:) ſine dubio multo magis qui de ſpiritualis conuictus vnione fœdus inierit, cum ea indiſſolubilem ac perpetuam habeat coniunctionem, ei ſeiungere ſe, præcideréue ab his non licebit, quibus cum vnum veluti eſt corpus effectus. Alioqui ſi hoc facit, grauiſſimis ſe à Deo conſtitutis ſuppliciis addicit; ſi enim mulier ad viri ſocietatem lege matrimonij prouecta, & vna cum eo copula carnali coniuncta, morte multatur, ſi ei inſidias feciſſe deprehenſa ſit: quantò is magis ſubiacebit pœnæ grauiori, ſi ſe abiunxerit, qui ſpirituali communione copulatus ſit, teſte atque ſequeſtri, ipſo Spiritu ſancto? Quemadmodùm igitur membra corporis naturæ vinculo coniugata, à corpore auelli non poſſunt, aut ſi auellantur, quæ auulſa ſint, ea emortua ſint, neceſſe eſt: item quoque Monachus, quotieſcunque reliquorum fratrum corpori coniunctus eſt, & firmiore, quàm ſit vinculum naturæ compage vinctus teneatur; nempè ex pacto quod is cum Sancto Spiritu contraxit; nullo modo putandus eſt ab his ſe poſſe diuellere, quibuſcum copulatus ſit. Alioqui ſi hoc facit, & animæ vitam amittit, & vna cum ea gratiam Spiritus ſancti, vt potè qui initum ipſo authore fœdus violauerit.*

Comparatio ſocietatis & compagis membrorum corporis, non pertinet ad iuſtitiam propriè dictam, membro vni ab altero debitam, ad quam verè ſpectant aliæ duæ comparationes, adhibitæ à ſancto Baſilio. Indicat tamen ea comparatio, arctam neceſſitatem ex iuſtitia ſimilitudinaria cuiuis membro iniectam, vt ad ſuum & totius corporis bonum, perſtet cœteris coniunctum, niſi & vitæ beneficio velit excidere, & incommodum corpori creare; contra debitum ſimilitudinarium quo pars obſtringitur toti. Non eſt igitur ea comparatio ad rem præſentem incongrua, vel inutilis, ob analogicum & proportionale iuſtitiæ debitum, inter corpus & membra intercedens. Aliæ tamen duæ comparationes, in quibus vera ſocietas diſrupta eſt, & ius propriè dictum vtrinque intercedens violatum, ſunt in rem præſentem accommodatiores. Sicut enim qui ſocietatem cum aliquo pepigit, & initum ſocietatis contractum violat, iniuſtus eſt, eodemque crimine ſordent coniuges, cum aduersùs pacta conuenta aliquid perpetrant, vel diſceſſionem cogitant, ita Religioſus qui à cœtu ſeruorum Dei quibus ſe adiunxerat, ſe ſubducit, & initum cum Religione ſocietatis pactum violat, iniuſtus eſt, & aduersùs iuſtitiam propriè dictam qua ſe corpori vniuerſo obſtrinxerat, malè delinquit.

CAP. VIII. *Apoſtaſiæ atrocitas.*

An inde obligatio Apoſtatæ ad reſtitutionem. Pars affirmans.

SVboritur verò hinc dubitatio, an Religioſus inſtituti ſui deſertor, teneatur ad reſtitutionem Religioni reportandam. Ratum enim eſt apud Theologos, ex violatione iuſtitiæ propriè dictæ, exiſtere reſtituendi obligationem. Sanè eum qui Apoſtatæ cauſa fuit abſcedendi, vel ad Apoſtaſiam quomodolibet cooperatus eſt, teneri Religioni ad reſtitutionem externorũ quorumuis damnorum inde conſecutorũ Religioni, & ad refundenda emolumenta omnia Religioni ob eum abſceſſũ

CAP VIII. *Apoſtaſia atrocitas.*

ceſſantia, disertè produnt graues Autores; *Adrianus in 4. q. de reſtit. bonorum animæ, Gabr. in 4. d. 15. q. 17. Valentia 2.2. d.5.q.6.p.5.§. Mol. Tract. 4. d.51. num. 3. Reginald. lib. 10. n.309. Rebellus 1.p.lib. 4.q.15.* Et rationem reddunt, quia Religio habet ius iuſtitiæ, aut quaſi iuſtitiæ; (ſiue ex votis reſultet, vt multi volunt ſiue ex lege Eccleſiaſtica, vt ait *Azor Tomo 3. lib. 5. cap. 2.* ſiue ex contractu, vt ait *Leſſius de Iuſtitia cap. 41. num. 67.* Habet inquam religio ius ad omnia emolumenta externa, quæ ex miniſteriis Apoſtatæ reſultare poterant. Igitur qui cauſa vel concauſa iniuſta fuit damnorum illorum, tenetur ea ſarcire, quamvis Apoſtata volens & lubens conſenſerit, & abſque vi, metu, aut fraude, ad ea damna Religioni creanda inductus fuerit: quicquid dicat *Leſſius de iuſtitia cap. 8. n. 18. & Bonac. diſp. 2. de reſtit. q. 1. p. unico num. 6. & Suares tract. 8. de Relig. lib. 3. c. 3. num. 15.* Quanto igitur magis videtur obſtringendus Religioſus ipſe deſertor, vt ea damna compenſet, vel emolumenta ſubducta refundat, qui immediata totius damni eſt cauſa; Nec eſt tantum præbens conſilium, vel inducens, qui tenetur tantum ſecundariò, & in defectum principalis cauſæ, ſed verè eſt executor, & cauſa principalis?

Eligitur negans.

NIhilominus verior ſententia fert, Apoſtatam non teneri ad reſtitutionem Religioni, etiam ſi ex eius apoſtaſia, ceſſent Religioni aliqua lucra, vel inferantur aliqua damna: in quo euentu, iuxta ſententiam non improbabilem, Satanas ille qui Apoſtatam præcipitaſſet, teneretur ad reſtitutionem, ſuppoſita prædicta Apoſtatæ vtilitate. Diſparitatem aſſignat *Molina ſupra num. 4.* ex eo petitam, quod Religioſus non cenſetur ſe mancipaſſe Religioni cum eo onere; neque id habent Religionum inſtituta, ſed per epichiam, intelliguntur velle, vt Religioſus non ſit iniuſta damnorum illorum cauſa, ſed ſacrilega tantum: atque adeo non obligant Apoſtatam ad reſtitutionem, quod tantùm cadit in cauſam iniuſtam damnorum, etiamſi minùs principalem. Sicut cùm quis deceptus ab impulſore, patrat aliquid contra ius alterius materialiter tantùm, ipſe quidem executor non tenetur ad reſtituendum vi iniuſtæ acceptionis ex qua tamen tenebitur qui fraudulenter impulit, quia ſolus eſt cauſa iniuſta. Habet quidem Religio, ius perfectum in bona quæ Religioſus ſuis miniſteriis acquiſierit, poſito quod ſint acquiſita. Ad ea tamen acquirenda, Religioſus non tenetur ex iuſtitia; quia non eſt mancipium; ſed tantum tenetur ex obedientia, & ex virtute religionis, ratione votorum quibus Religioſi perſona aſtricta eſt. Atque ita emolumentorum ceſſatio, vel damnorum ex miniſteriis Religioni non exhibitis conſecutio, non debetur ab Apoſtata, quamvis debeatur ab eo qui apoſtaſiæ autor aut cooperator fuit. Sicut quamvis conditor Teſtamenti non teneatur ex iuſtitia legatum alicui relinquere; tamen qui contra ius Legatarij deſignati, obſtitit ne ei relinqueretur legatum, tenetur ad eius reſtitutionem, quia ſolus fuit iniuſta damni cauſa. Similiter igitur in euentu propoſito, ſolus inductor ad apoſtaſiam, fuit iniuſta cauſa ceſſationis emolumentorum, vel inductionis damnorum ob apoſtaſiam illatorum: Apoſtata autem, quamuis ex iuſtitia teneretur perſtare in eo ſtatu in quo Prælatus poſſet ei hæc & illa fructuoſa miniſteria aliaue demandare; ideoque contra iuſtitiam peccarit abſcedendo; tamen non exercens talia miniſteria, non peccauit, contra iuſtitiam, ex qua ad eorum exercitium non tenebatur: atque ita ob ea dimiſſa, ad reſtitutionem nullam aſtringitur.

Summa ſordium Apoſtaſiæ, & noua earundem demonſtratio per Apoſtatæ & Religioſi comparationem.

NOn eſt quod alias præterea fœditates conquiram, quibus Apoſtaſiæ ſcelus, horribiliùs ac deteſtabiliùs in ſe ipſo poſſit occurrere. Satis enim ſuperque, eius malignitas, ſpectando ſubſtantiam & eſſentiam qua conſtituitur, monſtrata eſt, oſtendendo quantopere erga Deum & Religionem ſordeſcet. Quo ipſo, monſtratum etiam eſt, quanta ſit labes ipſius Apoſtatæ, qui inde erga Deum ſummoperè ingratus & perfidus, & tam atrociter fœdifragus, & ſacrilegus inuenitur? Erga Religionem autem iniurius. Quare tanto ſcelere impiatum hominem, licet affari iiſdem verbis quibus apud *Ambroſium c. 2.* antiquus Autor alloquitur Suſannam lapſam; quæ cum ſanctimonialis eſſet, per Apoſtaſiam ceciderat. *Vnde incipiam? quid primum quid vltimum dicam? Bona commemorem quæ perdidiſti, an mala defleam quæ inueniſti? Eras virgo in paradiſo Dei, vtique inter flores Eccleſiæ. Eras ſponſa Chriſti, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus Sancti. Et quotiens dico eras, neceſſe eſt vt totiens ingemiſcas, quia non es quod fuiſti. Incedebas in Eccleſia, tanquam columba illa, de qua ſcriptum eſt? Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Splendebas vt argentum, fulgebas vt aurum, quando cum ſyncera conſcientia procedebas. Eras tanquam ſtella radians in manu domini, nullum ventum, nullas nebulas pertimeſcebas. Quæ iſta ſubitanea conuerſio? Quæ iſta repentina mutatio? De dei Virgine facta es corruptio Satanæ, de ſponſa Chriſti ſcortum execrabile, de templo Dei, fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritus Sancti, tugurium Diaboli. Quæ incedebas cum fiducia, vt columba, nunc lates in tenebris ſicut ſtellio, quæ fulgebas vt aurum propter Virginitatis decorem, nunc vilior facta es luto platearum, vt etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras ſtella radians in manu domini, veluti de alto ruens cœlo, lumen tuum extinctum eſt, & conuerſa es in carbonem.*

Nullibi ſanè aptiùs inſonent illa Ieremiæ gementis. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* De Apoſtatis id optimè, iuxta *S. Bernardum ſerm. 3. de SS. Petro & Paulo,* & iuxta *S. Baſilium Epiſtol. 1.* ad Monachum Apoſtatam, ac etiam vt videtur iuxta *Richardum lib. 1. de Erudit. interio. hom. c. 24.* Breuiter dico, cum *S. Gregorio 18. Moral. cap. 20. Aurum obſcuratum eſt, quia in eis antiquus ille fidei ac innocentiæ ſplendor, irruente perfidia, malitia ſe nocte fuſcauit.* Sed & illa quæ ſubiiciuntur ibidem quàm in hanc rem opportuna! *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, in capite omnium platearum.* Planè enim facta eſt per apoſtaſiam, diſperſio viuorum Sanctuarij lapidum, in ſeculi latitudinem. Illa quoque quam hic appoſita, quæ continenter ſubnectuntur? *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodò reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* Non eſt opus expenſione, vt quæ mox ſubiiciuntur, accommodentur ad rem præſentem. *Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora; Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo; Sapphiro pulchriores,*

rii,

res. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: Adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.

Optima ſanè, Religioſi probati, & eo digni nomine, oppoſitio cum Apoſtata, quam ſuppeditabunt cupido Lectori; *Hugo de Folieto*, & *Gilbertus in Allegorijs Tilmanni ad cap. 4 Threnorum.* Eſt autem hæc contentio ac contrapoſitio Apoſtatæ, cum Religioſo qualem ſtatus ipſe depoſcit, percommoda ad intelligendum apoſtaſiæ probrum. Nam ſi Patres audimus, nihil reuera eſt ſublimius in Dei Eccleſia, nihil eminentius Religioſo. Cum de proborum ſui temporis Religioſorum vita ſanctiſſima, multis egiſſet *S. Aug. lib. de morib. Eccleſ. cap. 31.* ſic concludit. *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc inſtitutum ſi laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne indicare videar, per ſeipſum tantummodò expoſitum placere non poſſe; ſi ſuper narratoris ſimplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.* En quo *S. Auguſtinus* hanc ſublimitatem prouectam putet.

S. Baſilius poſſit in hoc genere videri nimius; ſed tamen non ſupra verum extollit Religioſi ſtatus ſublimitatem; Nominatim verò in *Conſtit. Monaſt. cap. 19.* Propoſitum illi eo capite eſt, vitæ cœnobiticæ dignitatem & fructus monſtrare, quod ſic exequitur. [Principia igitur ad bonum illud quod ex natura eſt, retentuntur, cùm vnà cum cæteris communionem, conſociationemque amplectuntur. Siquidem perfectiſſimam vitæ communionem, illam appello, à qua priuata omnis rei cuiuſque excluſa poſſeſſio eſt, & eliminata: itemque vnde diſſenſio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abeſt, & rixa: contraque vniuerſa communia, animi, mentes, corpora, eaque, quibuſcumque neceſſariò ad victum cultumque vtimur: communis Deus, communis pietatis mercatura, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus. Huic vitæ inſtituto, quid eſt tandem quod iure æquiparari poſſit? quid eo beatius dici? quid hac coniunctione, vnitate, & neceſſitudine aptius excogitari? quid mutua inter ſe morum animorumque contemperatione gratioſius fingi? Homines ex diuerſis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeò in vnum veluti coaluiſſe, vt in pluribus corporibus vnus modò eſſe animus videatur, viciſſimque plura corpora, mentis vnius inſtrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine eſt, is complurium animos imbecillitatis ſuæ participes habet. Qui verò animo æger eſt, & affligitur, ei complures præſto ſunt, à quibus curetur, à quibuſque aſſiduè erigatur. Hi æquabili iure inter ſe alij aliorum & famuli ſunt & domini, & in inuicta libertate accuratiſſimam ſibi inter ſe ſeruiunt ſeruitutem, quam non neceſſitas caſus fortuiti oppreſſis & in captiuitatem abductis magno ipſorum cum mœrore violenter innexit, ſed cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippe cum charitas ipſos alioqui liberos, inter alios, alijs ſubiectos efficiat, & ipſis nihilominus, tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem conſeruet: Tales nimirum cum ab initio nos fingeret Deus, eſſe voluerat, & propterea crearat. Qui eiuſmodi ſunt, ſine controuerſia primi parentis noxam contegentes, antiquum bonum in priſtinum reuocant. Quandoquidem niſi naturæ noſtræ vnionem diſſecuiſſet peccatum, lites & diſſidia, & bella in hominibus non eſſent. Hi liberatoris noſtri, eiuſque vitæ, dum inter nos verſaretur, inſtitutorum, veri perfectique imitatores exiſtunt. Quemadmodum enim ille coacto diſcipulorum choro communia cuncta, ſeque ipſum communem Apoſtolis præbuit, item hi quoque Antiſtiti ſuo obtemperantes (qui modò vitæ ſuæ præſcripta rectè conſeruant,) genus viuendi Apoſtolorum ac domini imitantur. Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur. Nulla eſt inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuerſia; ſed cum habeat quiſque, quæ omnium ſunt, omnes tamen integras apud ſe ſuas diuitias conſeruant. Siquidem nequaquam materia quæ circumſcribi poſſit, Angelorum diuitiæ ſunt, quæ quandocumque eam in plures diſtribui opus ſit, neceſſariò diuidi debeat: Sed contra, materiæ omnis, illorum expertes copiæ ſunt, & in vna eademque mentis agitatione, diuitiæ collocatæ. Et propterea cum intra apud ſingulos bona ſua cuique permaneant; omnes perequè diuites efficiunt, nempe quæ ſe ſine controuerſia, pugnaue ipſis præbeant poſſidendas. Summi enim boni contemplatio & luculentiſſima cognitio, Angelorum theſaurus eſt. Hæc autem eiuſmodi ſunt, vt cùm perfectam eorum pro ſe quiſque ſinguli cognitionem poſſeſſionemque adipiſcantur, vniuerſis tamen in ea liceat intueri. Sine dubio tales ſunt, qui veræ ſunt pietatis cultores; vt eorum non de rebus terrenis, ſed cæleſtibus concertatio ſit, & indiuidua quadam diuiſione eadem vniuerſi, & ſinguli apud ſe quiſque conſeruent. Siquidem virtutis ea acquiſitio eſt, & rectè factorum diuitiæ, & laudanda fraudatio, & lachrymarum expers rapina, vbi inſatiabili auiditati præmium eſt, ac propoſita corona, & quiſquis hic vim ſibi non facit, vt eouſque olim penetret, reum ſe conſtituit. Omnes rapiunt, & nemini iniuria fit. Quæ quidem cauſa eſt, cur diuitiarum earum arbitra & moderatrix ſit pax. Hi dum laudabili ratione viuendi ſua, communitateque cæleſtis vitæ ac ſtatus egregiè formam effingunt, futura promiſſi regni bona præripiunt. Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cuiuſquam ſit, ſed communia omnium omnia. Quot quantaue bona nobis conciliarit aſſumptæ carnis merito liberator noſter, iſti perſpicuè admodùm demonſtrarunt communi hominum vitæ, dum laceram hominum naturam, & in partes penè innumerabiles diſſectam, quantum quidem in ipſis eſt, redintegrant, deoque reconciliant. Siquidem eorum omnium, quæ ab liberatore noſtro in carne noſtra geſta ſunt, ſumma huc pertinet, vt humanam naturam cum ipſam ad ſeipſam, tum ad ſe etiam reuocaret, ſibique eam conciliaret, & ſublata diſſectione in priſtinam integritatem, coniunctionemque reſtitueret, atque vt peritiſſimus aliquis medicus, corpus in plures partes conciſum ſalutaribus medicamentis religaret. Atque hæc neutiquam ea re ſum perſecutus, vt dicendo, rei magnitudinem adderem & eorum qui in vita cœnobitica promouerunt, præclaras virtutes verbis exaggerarem, Neque enim eiuſmodi mea dicendi facultas eſt, vt ea rebus alioqui per ſe magnis ſplendorem poſſit afferre. Quin mihi metuendum eſt potiùs, ne exilitate ſua, eas ſua ſponte claras obſcuret: ſed vt, quoad fieri poſſet, ſplendidi adeò propoſiti ad virtutes inuitantis excellentiam, dignitatemque perſequerer ac demonſtrarem. Nam quid eſt tandem, quod ſi huic comparetur, non iure longè inferius iudicetur? Apud quos enim pater ſit vnus, qui cæleſtem patrem imitetur, &

CAP. VIII. *Apoſtaſia, oratio.*

CAP. VIII. *Apoſtaſiæ atrocitas.*

filij multi qui ſummæ in magiſtrum ſuum beneuolentiæ officiis mutuo inter ſe alij alios ſuperare contendant: filij inquam & vnà inter ſe concordibus animis adſtricti, & honeſtiſſimis virtutum officijs patrem quaſi præhenſa dextera excipientes, ac proinde recreantes; neque naturæ, neceſſitudinis ſuæ cauſam adſcribentes; ſed quæ natura firmior eſt, rationem coniunctionis ſuæ ducem ac ſibi cuſtodem aſciſcentes,& ſe inter ſe vinculo Spiritus ſancti conſtringentes? Ad horum tam præclari negotij magnitudinem exprimendam, quæ ſatis idonea inueniri in terris ſimilitudo poſſit? Sed enim ea in terris nulla eſt, ſola cœleſtis relinquitur. Impatibilis cœleſtis pater ab offenſionum impuritate ſe auocat, hac quoque ratione ſibi cunctos concilians. Incorrupti liberi cœleſtis patris, incorruptionis ſtudium, hos quoque fecit adoptiuos. Charitate qui in cœlis ſunt, inter ſe coniunguntur, charitas hos mutuo compagine connexuit. Nihil omnino inſidiarum ordiri auſit aduerſùs huiuſcemodi phalangem Diabolus, vt qui vnus aduerſùm tot agoniſtas parem intelligat ſe eſſe non poſſe, adeò expedi[illegible], adeóque conſertim contra ipſum militantes, & charitate veluti acta teſtudine inter ſe alij alios tantopere protegentes, ſpirituque conſepientes, vt ne vel tantillum loci detur irrependi illius inſultibus. Conſidera mihi quanta ſeptem Machabæorum in decertando conſenſio fuerit, & præ iſtis flagrantiorem apud hos animorum conſenſionem reperies. De his in carminibus ſuis exclamauit Dauid, cum dixit, Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quibus verbis per bonum ille vitæ probitatem expreſſit, per iucundum lætitiam eam, quæ ex concordia & animorum coniunctione progignitur. Hoc vitæ genus qui diligenter colunt, ij cœleſtem ac ſupremam mihi virtutem videntur imitari.]

Climacus gradu 27. non dubitat Religioſum cum Angelo conferre. Sanctus Chryſoſtomus in Religioſæ vitæ laudes, tam ſæpè, tamque copioſè effunditur, vt præſtet, nullum locum ſpecialem cum iniuria cœterorum adſcribere. Præ enim cum tres libri aduerſùs Vituperatores vitæ Monaſticæ, ſenſum eius teſtatiſſimum faciant. *Nazianzenus initio Orationis* 24. *& Oratione* 1. iiſdem fere verbis, Monachum, vt puriſſimum quoddam Dei & rerum diuinarum ſpeculum exhibet. Et *Oratione* 28. *nu.* 29. cum Deum & Angelum, dixiſſet arripi & ſuperari non poſſe, adiungit iiſdem, Religioſum: quem ſcribit, *in materia, expertem materiæ, in corpore incircumſcriptum, in terra cœleſtem, in paſſionibus impatibilem.* Oratione item 9. in fine, cum Religioſos, ſola corpora, ac ne ea quidem tota poſſidere dixiſſet, addit; hos eſſe *numinis famulos & diſcipulos, cœleſtiumque virum inſpectores, generis noſtri primitias, columina fidei, coronas, pretioſas margaritas, templi illius lapides cuius fundamentum & lapis angularis eſt Chriſtus.* Quæ *Oratione* 3. Iuliano inſultans, de his Chriſti Philoſophis tradit, componens eos cum Ethnicis quos Iulianus ſuſcipiebat, ſunt in hanc rem congruentiſſima. *Videſne (inquit) hos pauperes, & laris expertes, ac carne fermè & ſanguine deſtitutos, eoque nomine ad Deum accedentes? hos inquam pedibus illotos, & humi cubantes, (quod ait tuus Homerus, vt hoc figmento, dæmonum quendam ornet;) hos humiles, & ſupra infera, hos inter homines & ſupra humana, hos vinculis aſtrictos, & liberos, vitentes, & retineri neſcios; quorum nihil in mundo, & omnia quæ ſupra mundum ſunt; quorum duplex vita eſt, altera contempta, altera ſtudioſè culta & expedita: hos inquam propter mortificationem immortales, propter diſſolutionem Deo coniunctos, hos inquam ob amore alienos, & diuino atque omni vitioſa affectione vacuo amore flagrantes: quorum fons lucis, & quorum iam radij; quorum Angelici pſalmorum cantus, & pernox ſtatio, & mentis ante mortem in cœlum ſe rapientis, ad Deum exceſſio; quorum purgatio & quorum purgari; quippè nullum aſcenſus & Deificationis modum agnoſcentium: quorum rupes, & quorum cœli; quorum abijci & conſternari, & quorum throni: quorū nuditas & quorum incorruptibilitatis indumentum: quorum ſolitudo, & quorum ſeculi alterius celebritas: quorū compreſſa atque conſtricta voluptates, & quorum perpetua omnemque ſermonum facultatem excedens animorum oblectatio: quorum lachrymæ, peccati diluuium, & mundi piamentum: quorum extenta inter precandum manus, flammas extinguunt, feras conſopiunt, gladiorum aciem retundunt, inſtructas acies in fugam vertunt.*

Hunc locum, de Religioſis eſſe accipiendum, & rès ipſa loquitur, & admonet Damaſcenus, plagulam ex eo deſcribens *l.* 2. *Parall. cap.* 93. Quod enim mox eos philoſophari dicat, & opponat Ethnicis Philoſophis; ex vſu Græcorum factum eſt qui per *Chriſtianos Philoſophos*, intelligunt Religioſos; eo quod paupertatem, & caſtimoniam, aliaſque virtutes, quorum Ethnici philoſophi inania nomina præferebant, ipſi verè poſſideant. Res eſt apud Nazianzenum, Chryſoſtomum, & alios Græcos perpetua, vt Billius & alij obſeruarunt. Scite verò etiam *Macharius hom.* 17. agens de Philoſophis Dei. Eorundem encomium ex *Ioan. Sariſberienſi lib.* 7. *Polycrat. c.* 21. *ſub finē*, iuuat attexere. *Nulla vita fidelior, nulla ſimplicior, nulla fœlicior, quàm eorū qui in clauſtris fideliter degunt, & humiliter abiectione ſua gaudentes, obedientes prælatis ſuis in omni ſubiectione & reuerentia, nec appetentes ſub obedientiæ nomine dominatum, aut fraudandi, aut vagandi, aut ociandi licentiam, vaſa ſua poſſidentes in ſanctificatione & honore, præſtolantes in ſilentio, & patientia ſalutare Dei, à detractione & murmure alieni excipientes ab ore domini quietè verbum quod ſaluare poteſt animas ſuas, grata miſcentes cum Deo colloquia & quaſi terreſtres Angeli, ſunt totius mundanæ perturbationis ignari. Si quid autem eſt, quod eos contriſtare videatur, ad charitatem fraternam referendum eſt, quia & in cœlis Angeli noſtris quodammodò lapſibus compatiuntur, & ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, congaudent. Cum verò Philoſophos imitari noſtro tempore, quo virtus exinanita eſt, & Aſtræam relictis hominibus ad cœlos conſtet rediſſe, ſit arduum; vita clauſtralium virtutem philoſophorum incomparabiliter antecedit, aut quod melius crediderim, rectiſſimè & tutiſſimè philoſophantur.*

Sozomenus lib 1. *hiſtor. cap.* 12. omnino luculentam Religioſæ vitæ laudationem contexit. Eamque expreſſit *Nicephorus lib.* 8. *hiſtor. cap.* 39. Capita laudationis ſunt, quod exercitationes Religioſæ vitæ, omnes in ſcopum verum hominis dirigantur, nec vlla planè ab eo deſciſcat, quo in genere peccant qui argutiis dediti, otium in præſtantioribus ſtudiis collocandum, ſibi ſurripiunt & ad vitam rectè inſtituendam nihil conferunt. Hanc operoſam inertiam defugere Religioſos, & in eo totos eſſe vt virtutes excolant & in ſcientia ſanctorum proficiant, demonſtratur in laudatione propoſita; vbi etiam de inanis gloriæ fuga & profligatione humanæ oſtentationis. Item de certamine cum

mi & piis actionibus quibus numen religioſe colatur, conſtantia verò & alacritate in caſibus aduerſis, concordia cum proximis, & vacuitate ab ira ac contentionibus. Ea omnia florere in Religioſa vita, & ab ea omne veri mali genus procul eſſe, viciſſimque omne in eam bonum confluere, demonſtrant iidem Religioſi ſtatus encomiaſtæ, Euſebium de more imitati.

Apud Bernardum, ſerm. de Negociatore quærente bonas margaritas, innumera & ſplendidiſſima in hanc rem proſtant. Nec parciùs Religioſam vitam extollunt qui de Eremi laudibus ſcripſerunt, *Baſilius, Eucherius, Hieronymus ad Heliodorum.* Nam *Eremi & ſolitariæ vitæ* nomine, intelligunt vitam Religioſam, etiamſi exigatur in cœnobio. Deniquc Barlaam apud *Damaſcenum in Hiſtor. cap.* 12. eo vſque Religioſam vitam ſuſtollit, vt non videatur poſſe altius ſubuehi. Ex Recentioribus bona ſtatus Religioſi, & quantum ei addictis commodorum ac eminentiæ conferat, inſigniter omnino iuſto opere proſecutus eſt *Hieronymus Platus.* Breuiùs *Leonardus Leſſius Opuſc. de ſtatu vitæ deligendo quæſt.* 12. *à num.* 132. *ad numerum* 181. quo Opuſculum clauditur.

An non igitur, magna eſt velut mare iſta contritio & deiectio, vt homo in tam ſublimi tamque excelſo in Dei Eccleſia gradu conſtitutus, & cum ipſis Angelis quadamtenus de ſanctitate & virtutibus certans, ſaltem ratione ſtatus & inſtituti, ac plerumque etiam virtute perſonali admodum eminens, (vt is Apoſtata antè ſanctiſſimus, ad quem eſt ſecunda *S. Baſilij epiſtola ad Monachum* lapſum, & Theodorus referente S. Chryſoſtomo, vtraque paræn. *initio*) ad tam horrendum, tamque miſerandum ſtatum deuoluatur, quam eſt Apoſtatæ ſtatus, iis ſordens infamibus maculis perfidiæ in Deum, & iniuſtitiæ in Religionem, quas ſummus ſtupra proſecuti? *Turpis mutatio* (exclamat *S. Bern. ſerm.* 35. *in Cantica*) *ſtudiorum, vt cui ante ſtudij fuerat peregrinantem & exulem, animam ſuam ſacris meditationibus tanquam cœleſtibus paſcere bonis, Dei beneplacitum & myſteria voluntatis eius inquirere, penetrare deuotione cœlos, & mente ſuperans inquirere manſiones, ſalutare Patres, atque Apoſtolos; & choros prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos ordines Angelorum; nunc omnibus his omiſſis, turpi ſe mancipet corporis ſeruituti ad obediendum carni, ad ſatiſfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in vniuerſa terra, vnde ex ea, quæ præterit mundi huius figura, ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur. Exitus aquarum deducant oculi mei ſuper huiuſmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demum amplexatur ſtercora. Paſcit enim iuxta Beati viri ſententiam, ſterilem, quæ non habebat filios, & viduæ non benefacit. Et vide quia non ſimpliciter egredere; ſed egredere, inquit, & abi poſt greges ſodalium tuorum, & paſce hædos tuos. In quo* (vt mihi videtur) *magnæ cuiuſdam rei nos admonet. Quid iſtud? Heu quàm egregia creatura iam olim, facta de grege, & nunc in peius miſerabiliter proruens, non ſaltem inter greges remanere permittitur, ſed poſt abire iubetur; Quomodò, inquis? Quomodò legis. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

CAP. VIII. *Apoſtaſia, mortalis.*

Apoſtata cadauer myſticum; Eidem Cenotaphium.

QVi ergo Apoſtatam tanquam cadauer habuerit, non aberrabit; cum deſtituatur ſpiritu vitæ, eaque ſupernaturali anima quæ totius ſanctitatis principium eſt: Nimirum Deo, quem cum forma & anima, rectè componere poſſumus: vnde peccatum *mortale* vocamus, quod hanc ſpiritualem animam & vitam ab homine extrudit. In quam rem inſigniter diſſerit *S. Aug. ſermon.* 6. *de verbis Dom. Infideles* (inquit,) *cadauer quando ſepeliunt, mortui mortuum ſepeliunt. Illius corpus, animam perdidit, illorum anima Deum. Sicut enim anima vita eſt corporis, ſic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus, cum animam emittit; ita expirat anima cum Deum amittit. Deus amiſſus, mors animæ, anima emiſſa, mors corporis. Mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria.* Videndus inſuper *ſerm.* 28. *de verbis Apoſtoli, &* 13. *ciuit. cap.* 2. *& lib.* 20. *cap.* 6. Et pulchrè quoque S. *Gregorius lib.* 6. *Regiſt. Epiſt.* 31. tractans quomodò verè Adam, qua die peccauit, ea ipſa ſit mortuus; iuxta Domini oraculum. Fœtorem, putredinem, & alia triſtia adiuncta huius mortis in peccatore, dabit *Chryſologus ſermon.* 19. Illud verò eſt in hac peccatoris morte teterrimum, quod ipſe ſuimet homicida eſt, tot telis & plagis quot diuinis offenſis atque criminibus, vt ſcitè de idololatra dixit. *Tertullianus lib. de Idolol.* valetque ſimiliter de omni peccatore. Nam pariter oſorem fratris homicidam eſſe, tradit dilectus Apoſtolus; & homicidam eſſe ſui ipſius, intelligit D. *Aug. ſerm.* 221. & 237. *de Temp.* optimè quoque *lib.* 2. *de ſerm. dom. in monte cap.* 18. explicans illud *omnis qui occiderit gladio, peribit gladio*; nempe eodem quo occidit alium. Apoſtata ergo vita ſupernaturali priuatus eſt, & quod ad elogium ſceleris facit, à ſeipſo. Quare quod Pythagoræos circa deficientes à ſuis dogmatibus feciſſe, tradit *Clemens Alex. lib.* 5. *ſtrom. cap.* 4. circa Apoſtatas quoque vſurpari poteſt. Vocabant Pythagoræi *Apoſtatas* ſuos, nomine *mortuorum*; & propter eos tanquam propter mortuos, ſtatuebant columnam, id eſt cenotaphium, vt habet quoque *Origenes lib.* 2. *contra Celſum*, & ex aliis *Theodorus Canterus lib.* 1. *Var. lect. cap.* 12. Quod eleganti epigrammate expreſſum habetur apud *Serarium libr.* 3. *Trihær. cap.* 4. *num.* 38. Iunxiſſe cœnotaphio modos flebiles, ait *Iſidor. Peluſ. lib.* 5. *Epiſtol.* 53.

Non eſt omittendum huic negotio affine Pythagoræ ſymbolum; *Ne retrouertare cum ad terminum veneris*, de quo varij varia, vt refert *Gyraldus lib. de Pythagoræ ſymbolis.* Et multi quidem, ſignificatum à Pythagora voluerunt, non eſſe poſt mortem laborandum huius vitæ deſiderio, & regreſſu in aliud corpus, iuxta ſomnium palingeneſiæ & metempſychoſis Pythagoricæ. Veriſimilius Plutarchus lib. de liberis educandis, cenſuit, dari monitum excedendi libenter ex hac vita, cum peruentum fuerit ad metam, cauendumque retroflectendi deſiderium. Sed optimè Suidas ſubſcribente Gyraldo, ſic exponit hoc ſymbolum; vt ſenſus ſit, cum quis philoſophando fuerit peregrè profectus, à ſe foras abiuerit, perueneritque ad optatum ſapientiæ & vitæ philoſophicæ terminum, non eſſe retrocedendum, & regrediendum ad priorem vitæ rationem in deſideriis & concupiſcentiis: Vt propterea alij ſic expreſſerint illud Pythagoricum ſymbolum, *qua via iueris ne redito.* Quod Pythagoras hauſiſſe

CAP. IX. *Apoſt. pecc. & effectum & pœna peccati*

hanſiſſe potuit ex præcepto diuino ad Moyſen dato Hebræis, de non redeundo eadem via. (Et erant Hebræi ea in parte & in eo digreſſu typi Religioſorum vt latè proſequitur *Richardus Victor.*) Æquè Prophetæ ad Ieroboamum, miſſo, datum eſt in mandatis; ne eadem via qua iuiſſet, reuerteretur. Non eſt igitur inuerisimile, quin Pythagoras qui diuinas ſcripturas legerat, imo qui vt autor eſt *Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom.* Iudaicis ſacris initiatus fuerat, & circumciſionis ſtigmate inuſtus, non pietatis amore, ſed vt ad myſteriorum Hebræorum notitiam admitteretur, monitum illud ſuum de non retrouertendo ex ſcriptura hauſerit, & ad ſuos ſapientiæ philoſophicæ myſtas, noſtrorum Religioſorum qualeſcunque adumbrationes accommodauerit, ſolicitus vt retroceſſionem vitarent, ne fierent nouiſſima eorum peiora prioribus; quod veris Apoſtatis occinendum eſt. Sed ratio moniti à Pythagora aſſignata, huc maximè facit. Ait namque, *Ne reuertaris; Furiæ enim congredientur.* Hoc eſt, regreſſum occupabunt Infernales Furiæ; nec aliter diuexabunt, quam ærumnoſiſſimas infelicitatum omnium victimas, queis in Tartaro excruciandis ſunt addictæ.

CAPVT IX.

Apoſtaſiam, & peccatum, & peccati effectum, ac pœnam eſſe, idque quàm teterrimum & graue haberi debeat.

EX dictis in præcedentibus capitibus, de cauſis & natalibus apoſtaſiæ, perſpicuè liquere videtur, apoſtaſiam ita eſſe peccatum, vt ſimul ſit effectus & pœna peccati: Quod ad perſpiciendam atrocitatem malignitatis in ea abditæ, refert per magni. Nec enim niſi de palmaribus ſceleribus id notare ſolent ſcripturæ, & patres. Quandoquidem apoſtaſiæ enormitatem, teterrimam in ſeipſa perſpeximus, priuſquam illam in ſuis effectibus ſpectemus, viſum eſt hanc ſingularem ipſius prærogatiuam ex eius cauſis oriundam, non prætermittere.

Peccatum aliquod, pœna peccati anterioris.

ESſe igitur aliquando vnum peccatum pœnam alterius, generatim loquendo, & abſtrahendo à modo explicandi quomodò id accidat, certiſſimum eſt. Ita enim diſertè tradit *D. Auguſtinus l. de Natura & Gratia cap. 22.* & probat ex Rom. 1. vbi Apoſtolus, mercedem dignam impietatis, retributam Sapientibus Ethnicis docet, traditionem in paſſiones ignominiæ & fœdiſſimas abominationes quas *D. Auguſtinus pœnalia peccata* nominat; quia & peccata erant, & pœnæ peccati. Cumque huic D. Auguſtini loco, obſtreperet Iulianus Celanenſis, Pelagianorum ſignifer, & quod prædicto loco, aliiſque traditum legerat, notandum putaſſet, defendit aſſertionem hanc ſuam S. Auguſtinus, multis ſcripturarū locis ad id accumulatis *lib. 5. contra Iulia. cap. 3.* nominatimque præter locum iam productum ex *cap. 1. ad Rom.* profert loca complura ex *cap. 19. & 63. ac 64.* Eſaiæ, quibus Deus dici ur miſcere peccatoribus ſpiritum erroris, & errare eos facere; ac vt dicitur *2. Theſſalo. 2.* mittere illis operationem erroris vt credant mendacio: id quod Palæſtinis, Roboamo, Amaſiæ, Achabo, & Pſeudoprophetis accidiſſe, monſtrat D. Auguſtinus, concludens indubitatum haberi debere, quod idem poſſit eſſe peccatum, & pœna peccati. Id enim vnum eſt ibi, D. Auguſtino propoſitum vt benè notauit *Stapletonus art. 11. de Iuſtif. cap. 14.* depellens Caluini offucias, qui Deum, peccati autorem & impulſorem ab Auguſtino ibi conſtitui, blaſphemare non erubeſcerat: cum tamen luce meridiana clarius ſit, D. Auguſtinum id deteſtari. Tantùm igitur voluit, iuſto Dei iudicio, peccatum ſequens fieri pœnam præcedentis peccati, idque appellat *Dei potentiam*, quamuis non niſi deſerendo hominem, exprimatur.

In eadem doctrina, creber & copioſus eſt *S. Gregorius* præſertim *hom. 11. in Ezech.* vbi ait, hoc eſſe quod à Propheta ſcriptum eſt, *ſanguis ſanguinem tetigit*: & quod *David pſal. 68.* ait, *appone iniquitatem ſuper iniquitatem.* Nec non quod *Apocal. vltimo*, nocenti dicitur, *vt noceat adhuc, & ei qui in ſordibus eſt, vt adhuc ſordeſcat.* Allegat ibidem *S. Gregorius*, locum ex *Libris Moralibus*, quo idem à ſe diu diſputatum tradit; vtique *lib. 25. cap. 12.* quem locum infra referam. Confirmat idipſum *S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum in fine, & in Epiſtola ad Rheginum*, alibique non ſemel. Plenè item creditus *Anſelmus Rom. 1. & creditus Chryſoſtomus homil. de Adam & Eua.*

Non ipſum in ſe peccatum ſequens; ſed eius permiſſio, pœna peccati præcedentis.

QVamuis autem video, agitatum diſſidentibus inter ſcholaſticos ſententiis, quanam ratione peccatum ſubſequens dicatur eſſe pœna peccati præcedentis; aliiſque ipſum peccatum reſpectu quoque ſui ipſius, prout eſt aliquid naturæ incommodum, habere rationem pœnæ ſtatuant, vt *Gregorius de Valentia 1. 2. d. 6. q. 17. p. 3.* quod multò magis ad peccatum præcedens aptare liceret: Tamen ea mihi multò magis ſententia probatur, quæ non modò ipſum met peccatum, non poſſe eſſe ſui ipſius pœnam affirmat, quippe quod infligi non poteſt poſteriùs natura ſeipſo, (cum tamen de ratione pœnæ ſit; infligi poſteriùs natura quam culpam) ſed etiam peccatum ſubſequens, negat poſſe eſſe in ſeipſo & formaliter pœnam peccati anterioris; cum de intrinſeca pœnæ ratione ſit, vt paſſo quantumuis renitenti ac inuito, poſſit rependi: quod rectè affirmat *S. Anſelmus l. de Concept. Virg. cap. 4. & S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 2.* At peccatum, nemo neſcit debere eſſe voluntarium, nec niſi volenti & lubenti accidere vlla ratione poſſe. Accedit teterrima peccati fuligo, ob quam à mundiſſimis Dei oculis videri. (vt ſcriptura loquitur,) id eſt, intendi nequit: cum tamen pœnam, neceſſe ſit intendi ab inferente; atque adeò bonam eſſe, ſi is qui pœnam infert, labe careat. Addenſant pro hac ſententia alias rationes qui ei ſubſcripſerunt, nominatim *Sala Tract. 13. d. 15 sect. 2. Leſſius lib. 13. de diuin. perfectionibus cap. 14. num. 82.* & paſſim ſcholaſtici: Vel in *2. diſt. 36. vel 1. 2. q. 87. art. 2.* Iuxta quos, ſi peccatum aliquando dicitur pœna peccati præcedentis, non eſt id accipiendum de ipſo peccato ſubſequenti, quatenus peccatum eſt; ſed de eius permiſſione, aliquoue ad peccatum antecedente, vel ei adiuncto. Sic enim facilitatem perpetrandorum aliorum quorundam peccatorum, pœnam eſſe aliorum peccatorum præcedentium, agnoſcit *S. Auguſtinus q. 79. ex 83.* Deſertionem item Dei, qua ſubducto cœleſti lumine puriore & clariore, homo ceſpitat, & in peccatum nouum obnubilatus ruit, pœnam

pœnam plerumque eſſe peccati præcedentis, affirmat *S. Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 29. & in Epiſt. ad Rheginum cap. 2. & 5.*

Vnus ad huiuſmodi dicendi illuſtrationem, ſat erit S. *Gregorius moral. cap. 12.* cuius hæc eſt oratio, circa illa Iobi verba. [Nouit Deus opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. Peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodò, ſed peccatum eſt, & pœna peccati, quia iuſto iudicio Omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito, etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deſerendo percuſſit. Non ergo immerito pœna peccati dicitur, quod iuſta deſuper irrogata cæcitate, ex præcedenti peccati vltione perpetratur. Quod videlicet agitur diſpoſitione ſuperiùs ordinata, ſed inferiùs iniquitate confuſa; vt & præcedens culpa ſit cauſa ſubſequentis; & rurſum culpa ſubſequens ſit pœna præcedentis. Quod benè in infidelibus & lubricis, Paulus quaſi quoddam ſemen erroris aſpexerat, cum dicebat. Qui cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Sed quod ex huius erroris ſemine pullulauit, illico adiungit, dicens. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Quia enim cognoſcentes Deum, peccatum ſuperbiæ intelligendo commiſerunt, cæcantur etiam ne intelligant quod committunt: Et qui intelligentiam ſuam ſequi nolunt in peccato & cauſa peccati, & ipſum lumen intelligentiæ perdunt in peccato & pœna peccati. Prioris ergo peccati merito, peccatorum ſubſequentium fouea tegitur, vt qui malum ſciens perpetrat, deinceps iuſtè in aliis etiam neſciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpæ culpis feriantur: quatenus ſupplicia fiant peccantium, ipſa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget; quod tamen humana malitia ad vſum ſuæ iniquitatis intorquet, nimirum iuſto Dei iudicio augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altiùs quandoque cumuletur.

Addit in eam rem inſignia loca ſcripturæ, quorum aliqua iam ſunt tacta ſuperiùs: Sed ille eſt illuſtris, quem adhibet *cap. 13.* docens, Deum hac ratione *viam facere*, latum ſcilicet & amplum iter aperire, *iræ ſuæ* quæ priùs per ſemitam anguſtam incedebat. Vnum enim peccatum procreat alterum; quo ſuperueniente, grandeſcit ſemita, ſiue arcta via, per quam in hominem ſubiuerat peccatum primum. *Ponamus ergo ante oculos*, (ſubdit S. Gregorius) *quod quidam veracitatis ſibi frena laxauit, qua veracitate ſuperatus, adulterij facinus amiſit: deprehenſus autem in adulterio, latenter virum adulteræ ne ad iudicium traheretur occidit. Hoc igitur adulterium inter veracitatem & homicidium poſitum, de illa videlicet naſcens, hoc generans: peccatum eſt, & pœna, & cauſa peccati. Peccatum profectò eſt per ſemetipſum, pœna verò peccati eſt; quia culpam veracitatis auxit, cauſa autem peccati eſt, quia ſubſequens etiam homicidium genuit. Vnum ergo idemque peccatum eſt, & pœna præcedentis & cauſa culpæ ſubſequentis; quia & tranſacta dum exaggerat, damnat; & adhuc ſequentia quæ damnari debeant, ſeminat. Igitur quia peccatis præcedentibus, cæcatur oculus cordis, ipſa cæcitas quæ peccantis animum ex anteacta culpa damnatione confundit, meritò nox vocatur: quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis abſconditur. Benè itaque dicitur, nouit enim opera eorum, & idcircò inducet noctem, & conterentur: quia vt ſæpè dictum eſt, præcedentia nimirum mala faciunt, vt ad peccandum iterum, tenebris ſubſequentibus inuoluantur; vt eo iam lumen iuſtitiæ videre non poſſint, quo illud & quando poterant videre noluerunt. Inducere autem noctem Dominus dicitur, non quod ipſe tenebras inferat, ſed quod obſcura corda peccantium, miſericorditer non illuſtret: vt hoc ipſum in nocte cæcaſſe ſit, à cæcitatis tenebris liberare noluiſſe.*

CAP. IX. *Apoſt. pecc. & effectiua pœna peccati.*

Non potuit dilucidiùs & apertius exponere, quomodò peccatum ſubſequens, ſit pœna præcedentis, ratione obtenebrationis, (Deo in pœnam non illuſtrante,) conſecutæ peccatum præcedens: ex qua obtenebratione factum eſt, vt exiſteret peccatum ſequens, quod proinde radicaliter, & in ſua illa negatiua cauſa ſpectatum, eſt pœna peccati. In Capitulis Patrum Hebræorum, hanc ipſam doctrinam vſurpatam reperio, & his verbis expreſſam *Ben Azai dixit; Curre ad præceptum leue, tanquam ad graue, & fuge à tranſgreſſione. Præceptum enim trahit præceptum, & tranſgreſſio tranſgreſſionem, ſiquidem merces præcepti, eſt præceptum, & merces tranſgreſſionis tranſgreſſio.*

Quanta hæc pœna peccati.

GRauem omninò eſſe hanc pœnam, & qua vix illa infligi queat tetrior & magis extimeſcenda, dubitare non licet. *Grauis hæc pœna eſt, ſi quis intelligat* (ait de illa agens *S. Auguſtinus lib. de Natura & Gratia cap. 22.*) Quod monſtrat, expendens horribilem iniquitatis progreſſionem, in pectore creditorum ſapientum, quorum obſcuratum eſt cor inſipiens. Apoſtolus enim eam progreſſionem deſcribit adeò horrendam, vt ad immutationem gloriæ incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, ac quadrupedum, & ſerpentum, ſit protecta: & ab illo in Deum verum impietatis vertice, retorta in ipſoſmet ſapientes virulentia nequitiæ, fœdum, imo horrendum in modum conſpurcauerit eos, per ignominioſas perpeſſiones ipſam naturam dehoneſtantes, ac peruertentes. Quod pœnæ genus, non modò nociuum, ſed etiam probroſum, ſi quis intelligat, vt D. Auguſtinus aiebat, id eſt, ſi quis eius malignitatem peruadat diſpiciet, non poſſe cum alio vllo pœnæ genere modouè conferri. Sanè ea inferni pœna quæ *ſenſus* appellatur, eſtque omnium truculentiſſima; itemque pœna damni, quam S. *Chryſoſtomus homil. 24. in Matth.* omnium pœnarum quæ in Tartaro ſubeuntur grauiſſimam pronunciat; nihil inhoneſti aut probroſi continet: vnde neutra autorem Deum dedecet, nec abhorret à natura ſubiecti cui infertur. Imo iuſtum & digniſſimum eſt, vt ſubiecto quod ſic ſe geſſit, talis rependatur retributio. At horrenda hæc pœna, de qua agimus, eiuſmodi eſt, vt nequeat cadere ſub intentionem & cauſalitatem directam Dei, à quo nihil intendi directè ac inferri poteſt, per quod homo fiat deterior, vt optimè dixit *D. Auguſtinus q. 3. ex 83.* Itaque hæc pœna eo grauior cenſeri debet, quo maiora bona labefactat, eſtque cum dedecore & probro tanto coniuncta, vt Deum habere autorem nequeat.

Expoſuerat latè & inſigniter, pœnam de qua agimus *S. Auguſtinus pſal. 57.* monſtrans illud, *ſicut cera quæ fluit auferentur, ſupercidit ignis, & non viderunt ſolem*, in peccatoribus, peccata in peccatorum pœnam admittentibus, perfici. Declarauerat, inter primum peccatum quod fuit receſſus à Deo, nec fuit niſi peccatum; & pœnam vltimam,

quæ

CAP. IX. *Apoſt. pœn. & effectus ac pœna peccati.*

quæ non erit niſi pœna, interiici peccata, quæ ſunt pœnæ priorum criminum, & noua ſimul peccata. His ita præmiſſis, interrogat D. *Auguſtinus. Parua iſta pœna eſt? Vt de iſta ſola loquamur, obſcuratio cordis, excæcatio mentis, parua eſt pœna? Si quis furtum faciens, ſtatim oculum perdidiſſet, omnes dicerent, Deum præſentem vindicaſſe. Oculum cordis amiſit, & ei pepercisse putant Deum? Sicut cera liquefacta auferentur. Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Videtis quomodo dicit quandam pœnam obſcurationis. Ignis ſupercecidit, ignis ſuperbiæ, ignis fumoſus, ignis concupiſcentiæ, ignis iracundiæ. Quantus ignis eſt? Super quem ceciderit non videbit ſolem. Ideò dictum eſt, non occidat ſol ſuper iracundiam veſtram. Ergo Fratres, ignem malæ concupiſcentiæ timete, ſi non vultis liquefieri ſicut cera, & perire à facie* Dei.

Eruitur ex antedictis, quomodò Apoſtaſia ſit peccati pœna, idque quàm graue

HAud extra rem, adducta videri debent, quæ generatim hactenus ſunt diſputata, de aliquibus peccatis in anteriorum peccatorum pœnam permiſſis, deque huius pœnæ atrocitate & grauitate. Locum enim nominatim habent in Apoſtaſiæ ſcelere. Nam vt proximè vidimus, & per ſe conſtat apoſtaſia eſt peccatum, & quidem graue. Eadem verò (vt in ſuperioribus monſtratum eſt,) conſequitur ad quaſdam diſpoſitiones præuias, quæ vtique ſunt prauæ, & malitia ſordentes, atque adeò apoſtaſia eſt etiam effectus peccati anterioris, & in eius pœnam à Deo permittitur. Facilè quippè fuerat Deo, indebitis auxiliis & ſuppetiis extraordinariis collatis, molem hanc iniquitatis auertere. Sed homo indignè ac peruersè abuſus donis diuinis anterioribus, & violato per illas præcedentes noxas numine; meritò mulctatur ſubtractione nouorum ſpecialium donorum, quibus à poſterioribus malis auerti potuiſſet: vnde præcipitatio in abyſſum improbitatis, ac nominatim in Apoſtaſiam, de qua proinde verè aſſumpſimus, quod ſit & peccatum, & effectus, ac pœna peccati.

Inde etiam æſtimari poterit apoſtaſiæ malignitas. Non inficior, quin quodcunque peccatum permittatur in pœnam peccati anterioris, pœna ſit longè atrocior, quàm quæcunque mulctatio in fortunæ bonis, vel in honore, aut habitu corporis, etiamſi illud peccatum permiſſum in pœnam, ſit leuius peccato cuius eſt pœna. Non rarò namque poteſt contingere, vt peccatum ſequens quod in pœnam permittitur, ſit ex genere ſuo leuius peccato anteriore; ſed tantùm manifeſtè ſit ignominioſius, & in oculis hominum fœdiùs, & plenius confuſionis Qua ratione apud *Caſſianum lib.*12.*cap.* 20. *&*. 21. blaſphemia & idololatria, quæ ex genere ſuo ſunt apices criminum, punitæ dicuntur permiſſione ſordium luxuriæ. Eadem doctrina eſt *S. Thomæ* 2.2. *q.*162. *art.* 4. *ad* 3. Quamvis autem hæc ita ſe habere poſſint, tamen vt plurimum, culpa quæ ad puniendam priorem culpam permittitur, eſt ex genere ſuo deteſtabilior, tetriorque priore, atque adeò grauiùs impingit, qui primum lapſum deſpicit, vt habet ereditus *Anſelm. Rom.*1. Neque tamen idcirco pœna excedit noxam. Nam pœna peccati anterioris, non eſt culpa ſequens, ſed eius permiſſio.

Sic ſuperbientes in occulto caſtigat Deus permiſſione prolapſionis in immunditiam, quæ ex genere ſuo fœdior & ſpurcior macula eſt. Quo S. *Gregorius* 11. *Mor. cap.* 9. aptat illud, *balteum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum.* Et perpulchrè 26. eiuſdem operis *cap.* 12. vbi ex *Oſeæ* 5. monſtrat, arrogantiam Iſraeli reſpondiſſe in faciem eius, turpi udine ſubiuncta ſuperbiæ. Idem ſuperbiæ vitium, Apoſtolus Rom. 1. In ſtultis ſapientibus, punitum docet permiſſu ſordium immanium, & idololatriæ; quæ ſunt ſcelera ex genere ſuo longe grauiora. Hæreſis, quæ vt rectè demonſtrat *Caſtro lib.*1. *de iuſta hæretico. punit. cap.*2. eſt crimen eminentiſſimum, in pœnam nequitiæ anterioris, ex genere ſuo leuioris, permittitur. Quod creditus *Anſelmus Epheſ.* 4. cenſet ab Apoſtolo ibi inſinuatum, cum hortatur fideles, *ne circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia, hominum.* Id quippè dictum putat, *quia nequitia hominum, eſt ſedes peruerſæ doctrinæ. Nam hæreſis non eſt niſi in anima ſubdita peccatis; quia peccata commiſſa, ſunt cauſa vt Deus permittat eos corruere in barathrum hæreſis.* Hoc ipſum eſt, quod aliis verbis dixit *Aug. lib. de vera relig. cap.* 8. *Ex his hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus perirent.* Id eſt, profligatæ conſcientiæ & teſtatæ nequitiæ hominibus, rependitur vt hæretici fieri ſinantur. Hæreſis verò ſedimentum, eſſe atheiſmum, eoque hominem in hæreſeos pœnam deiici, docente Clemente Alexandrino didicimus. Hoc autem eſſe extremum malorum, vltra quod deſcendi nequeat, nemo non videt.

Quomodo Apoſtaſia, tetrior ei repenſa mole ſcelerum.

EX hac ſolida, & in aliis peccatis pœnalibus illuſtrata ratiocinatione, facilè eſt deprehendere apoſtaſiam quæ in peccatorum præcedentium pœnam permittitur, iiſdem peccatis, tametſi grauibus & tetris, grauiorem ex genere ſuo eſſe: vel ſi apoſtaſiæ peccatum, aliquando minus tetrum appareat peccatis quibus rependitur, adhuc tamen monſtrare licebit, quomodo apoſtaſia ſit tetrior; nempè extenſiuè. Qua in re, opportunè occurrit, quod *Apoſtolus Rom.*1. cum recenſet peccata quæ in pœnam peccati idololatriæ ſunt permiſſa, recenſet non pauca minùs tetra, quàm peccatum in cuius pœnam permiſſa referuntur; puta auaritiam, inuidiam, inobedientiam, immiſericordiam, & huiuſmodi alia. Qui nodus ea præter cæteros ratione expeditur, quod neceſſarium ſemper non ſit, vt peccatum quod eſt pœna peccati, ſit ſpecificè aut ex genere ſuo tetrius: ſed aliquando fœditas maior ſecundum humanam æſtimationem, & numeroſitas propaginum malitiæ quæ in pœnam rependitur, ſupplere poſſit malignitatem quaſi ſpecificam leuiorem. Et verè ita contigit in euentu de quo *Apoſtolus Rom.* 1. agebat, diſputans de peccatis in quæ Sapientes Ethnici permiſſi ſunt cadere, in pœnam idolomaniæ. Nam etiamſi quodlibet illorum peccatorum ſigillatim ſumptum, poſſet videri perexiguum, præ palmari illo ſcelere cui in pœnam rependebatur; tamen tota collectio criminum illorum quam Apoſtolus ſubnectit idololatriæ, iuncta paſſionibus, ignominiæ, quæ in vnum illud, (vt creditus Anſelmus vocat,) *corpus peccati* conglobantur ab Apoſtolo; etiamſi ſpecificè, ſeu quaſi intenſiuè non ſit tetrior quàm idololatria; extenſiuè tamen eſt plenius ac cumulatius malum; cuius permiſſio, ſecundum prudentem æſtimationem,

conuenienter rependi in pœnam poſſit tanto ſceleri.

Idem ergo dicamus de apoſtaſia, ſi contingat eam rependi ſceleri ſecundum ſpeciem ſuam tetriori. Nihilominus enim apoſtaſia, ſpectata quoad omnes ramos malitiæ quos conuehit, vt proxime dicemus, tam multa tamque fœda, & ſecundùm humanam æſtimationem auerſanda malitiarum numeroſitate horreſcit, vt meritò potuerit rependi in pœnā peccatis ſpecificè malignioribus ac deteſtabilioribus.

CAPVT X.

Apoſtaſiæ horrifica facies, ex eam conſequentibus defectibus.

SIcut iuſtus iuſtificatur adhuc, ideſt lux eius creſcit vſque ad perfectam diem, ita ſordibus ſordeſcit adhuc; quod aliis verbis dixit Propheta, peccatorem ad peccandū adiicere: Ideſt, ſupra malitiam qua iam inquinabatur, aliquid ſemper nouarum ſordiū cógere, vt tetrior ſemper ac immundior euadat; donec vel in profundum malorum veniat, vel Dei benignitate emergat è volutabro in quod ſe coniecit.

Apoſtatæ in dies peſſimi, & in ſe, & quoad alios.

HOc *S. Auguſt. epiſt.* 157. in apoſtatis maximè Religionum valere docet; aitque ad eos pertinere locum ex Apocalypſi citatum, de ſordido adhuc ſordeſcente. Nam iuxta eiuſdem *S. Patris* doctrinam *in pſal.* 57. ad illud, *in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant*, probatam *S. Gregor.* 25. *mor. c.* 12. *&* 13. eſt quædam veluti concatenatio peccatorum; & ex eorum vno venitur ad alterum, ſoboleſcente infœliciter impietate. Sic boues macilentæ, & luridæ, deuorant pingues: hoc eſt, interprete *Richardo ad c.* 41. *Geneſ. in Alleg.* Tilmanni, anni defectionis, abſumunt quicquid ante boni partum fuerat, homine ſemper in peius ruente. Sic vt ibidem dicitur, ex *Hugone de Folieto*, ſpiritualis Antiochus, Hieroſolomam ſpiritualem intrans, vaſtat ac perdit omnia. *Aſcendit (inquit,) in Hieruſalem Rex Antiochus, quando in Eccleſia dominatur Diabolus, vel in anima carnalis appetitus. Aſcendit autem in multitudine graui, id eſt, in abundantia delictorum, & in grauitate cuiuſlibet criminalis peccati. Intrat ſanctificationem cum ſuperbia, quando ſanctificata per confeſſionem elationis ſpiritus, aperit ſibi corda. Accepit altare aureum, & candelabrum luminis, ideſt, puritatem orationis, & lucem diuinæ contemplationis. Accepit vniuerſa ſanctificationis vaſa, diuerſa videlicet virtutum genera. Et omnia comminuit, quando virtutum ſpecies diuerſas ad nihilum redegit. Et accepit theſauros occultos quos inuenit: & ſublatis omnibus abijt in terram ſuam. Theſaurus, eſt ſapientia intellectus, occultus Diabolo, ſed notus Deo. Quem tunc Diabolus inuenit, quando per iactantiæ vitium cæteris manifeſtum reddit. Sublatis omnibus in terram ſuam Antiochus abiit, quoties Diabolus ſublatis virtutibus ad terrena deſideria mentes fidelium reducit.*

S. Cyrillus l. 1. *in Eſaiam* ad illud, capitis primi, *derelinquetur filia Sion, vt caſa in vinea, vt tugurium in horto cucumerum, vt vrbs obſeſſa*, præfatus quanta ſit hæc derelictio, & quàm multiplicem cladem inuehat, addit ad extremum vnde liqueat hæc omnia bellè cadere in apoſtatas. *Sciendum (inquit,) hominis animam, derelinqui à Deo multifariam, niſi præſcripta velle exequatur, & Domini oraculis cerbicem ſubmittat, pietatiſque fructus pariat. Etenim ſi quis noſtrum ab initio probus fuerit, ſi nuncupatus filius aut filia Dei, ſi etiam Sion, hoc eſt ſpecula, extiterit; nimirum animo excelſo & mente puriſſima, myſteria intuente ac conſiderante: ſi verò deinde quæ fas non eſt perpetrare, & Sanctum Iſraelis exacerbare conſpiciatur; ab ipſo deſeretur, ac velut incuſtodita vinea prodetur Satanæ, tradetur carnis affectibus; omnibus præceptis vacuus, præclariſque vitæ inſtituendæ ac conuerſationis decoribus nudus; omnibus onuſtus malis efficietur.*

CAP. X. Horrifici effectus Apoſtaſiæ.

Operæ pretium igitur nunc eſt, quando malignitatem & fœditatem apoſtaſiæ à Religioſo Ordine, ex huius ſceleris veluti eſſentia monſtrauimus; eandem malignitatem ex effectibus conſequentibus demonſtrare. Vnde patebat miſerum apoſtatam per hoc ſcelus coniici in abyſſum quandam malitiæ, magiſque ſemper ac magis in eam immergi, diſſipante Deo omnia opera manuum eius; quantumcunque dicat coram Angelo, non eſſe prouidentiam, id eſt excuſet excuſationes in peccatis, & ſe improuidè voluiſſe cenſeatur vt rectè eum locum *Eccleſiaſtis* 5. exponit ad hanc rem *Pineda ibi* (*em verſ.* 5. *in fine.* Patebit etiam, quanta ſit huius ſceleris fœditas & deteſtabilitas, quandoquidem virulentia effectus, malignitati cauſæ reſpondet: imò nihil in effectu eſt, quod à cauſa non deriuetur in effectum tanquam in participationem illius. Vt autem certa methodo rem hanc explicemus, dicendum in primis erit, quales poſt Apoſtaſiam euadant in ſeipſis Apoſtatæ; quales item erga Religionem è qua exciderunt; quales denique erga cæteros. Sicque perſpicuum eſt, verè pronunciaſſe *S. Macarium hom.* 15. *Qui guſtarunt gratiam diuinam, & facti ſunt participes ſpiritus, niſi ſibi caueant, dilabuntur; & fiunt deteriores, quàm erant cùm eſſent mundo dediti: non quòd Deus mutationi aut imbecillitati ſit obnoxius, aut quod extinguatur Spiritus Sanctus: ſed propterea quòd homines non aſſentiuntur gratiæ, & ob id auertuntur, & in infinita vitia dilabuntur.*

Apoſtata quoad ſe, facit proterniam.

CVinſmodi in ſeipſo euadat apoſtata, & qui in eo effectus conſequantur apoſtaſiam, non vno modo exponi poteſt. Sed attendendum imprimis eſt, ad dilapidationem anteriorum laborum, & partorum per eos bonorū: quæ iactura eo eſt flebilior, quo magis perſona piè & religioſè vixerat. Quare ſic Religioſum hortatur. *Eucherius hom.* 5. *ad Monach. n.* 6. *Etiamſi benè vixerimus, curſum noſtrum ſtabilitate & perſeuerantia commendare debemus, in loco vocationis noſtræ perſiſtendo & proficiendo. Verè dico, etiam ſi hic viginti aut triginta annos domino impendiſſemus, cui vtique totum noſcimus debere quod viuimus, & vt ſatis annum vnum ageremus in ſeculo, ineſtimabile eſſet quantum nos de æternæ vitæ gaudiis fraudaremur. Quia ſpes noſtra omnes in conſummatione atque in fine conſiſtunt. Quid mihi proſunt, ſi mihi ſata virentia in herbis ſpem meſſis oſtendant, & me ſub ipſo falcis tempore ſubita vel aëris intemperie, vel pluuiarum inundatione decipiant? Quid mihi proderit, ſi vinea ſpem omnem in flore promittat, & vel ferarum incurſio, vel ſiccitas grandinis ſpem omnem in conſummatione ſubducat? Ideoque omnis proſperitas, omniſque laborum infidelitas in fine conſiſtit.*

CAP X. *Horrifici effectus Apoſtaſia.*

Parum videri poſſet, dilapidaſſe anteriora merita & virtutes, niſi ſequeretur quod ait *S. Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap 22. Omni (inquit,) vitiorum genere cumulatur; intemperantia, auaritia, edacitate, falſitate, omnique morum peruerſitate: & poſtremò extremis malis infixus, in profundum nequitia abit praceps.* Quid ſit profundum nequitiæ, quid extrema mala quibus apoſtata infigitur, quid omnis morum peruerſitas in quam delabitur, nihil attinet exponere. Commodè verò id expoſuiſſe videtur, tractans locum de Chriſti ſponſi adulteris, nolentibus reuerti, (vt Hieremias *cap. 3.* loquitur) Victor Cartennenſis *l. de pœnit. cap. 22.* Sic enim eum locum gloſſans dixit. [Si te in deſperationis gurgitem enormitate morum ſcelerum circumactus abieceris, aut itineris tui dubitaueris reſpreſſo gradu extra pare congeriem, vel ſiniſtræ mentis prolapſu decliuior in pronum vergentia adducas lubrica exercitatione veſtigia; illico tibi ſpes amiſſæ reparationis adimitur, rapiet te ſorbens in abruptum vorago facinorum, claudentur oculi tui nocte peccati ne veri luminis videant radium permicantem; mortis ſe cæcitas apponet, & per ludum quendam huc atque illuc te circumducent Angeli deceptores. Fient igitur grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitus adlubeſcet: tenebit te Diabolus ſuæ libertati addictum, vt ſit tibi liberum peccare, non viuere; nec ſine te reſipiſcere ante qui fuerat cum blandimento peccandi, dulcedine te criminũ fallaciſſimus auocauerit. Et vt ſemel dixerim, ita te pereundi inanitate decipiet vt delectabilius tibimet videatur, perire potiùs quàm redire.] En quomodo apoſtatæ obfirmati, in profundum malorum veniant, vt S. Baſilius aiebat. S. Chryſoſtomus agens cum Theodoro apoſtata initio primæ paræneſeos, alio ſub ſchemate idem tradit, deſcribens apoſtatæ animam poſt apoſtaſiam, tanquam deſertam domum ſine cuſtode. *Iam nec ianua, nec veſtibulum: omnia omnibus patent corruptoribus animæ, turpibus animi dijudicationibus. Si ſuperbia, ſi ſcortatio, ſi habendi ibido aditum capeat, nemo prohibebit. Principio quemadmodum cœlum eſt inacceſſum omnibus, ita fuit duritas conſtationis tua.* Erat inquam inacceſſa peccatis Religioſi anima, dum in Religione perſtaret. Nam & id pro ingenti Religioſæ vitæ bono, numerant ſæpe Patres, quod ſit immunis ab innumeris ſordibus, quibus vita ſæcularis contaminatur, & Religioſum veluti Adamum quamdiu perſtat in paradiſo, in quodam ſtatu innocentiæ, feliciter retineat. Hanc ſanè ob cauſam, Religio nunc cum inſula confertur, quæ in maris turbinibus quibus iugiter circumuallatur, flustro gaudet; in quam comparationem videndus *Mendoça 1. Reg. 1. annot. 10. ſect. 4.* nũc componitur cum caſtro munito, quod ſubire non poſſit inimicus, quæ eſt S. Bernardi ſimilitudo Frequenter vt infra dicemus confertur cum cœlo, cuius ſeras Deus confortauit, ne immittere ſe poſſint qui effodiunt & furantur. At poſt tantum ſcelus, diſiectis repagulis omnibus, & nemine prohibente, omnia illuc vitia ſubeunt. Hoc ipſum eſt quod *S. Auguſtinus epiſt. 137. in fine* dixit. *Simpliciter fateor charitati veſtra corã domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam. Ex quo Deo ſeruire cœpi, quo modo difficilè ſum expertus meliores, quam qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus priores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.*

Eundem de Apoſtatis Religioſa caſtra tranſgreſſis & in omnem nequitiam effuſis, ſenſum prodidit Concilium Prouinciale Colon. ſub Adolpho anno 1549 celebratum, initium decretorum de emendatione abuſuum ducens à coercitatione apoſtatarũ, in quantam ſcelerum voraginem ruant: ex quo Deũ abiecerunt, his ve bis tradit. [Nulla re magis per hanc tempeſtatem, fœdata eſt Eccleſiæ Chriſti facies, quam profugorum Monachorum & Sanctimonialium perfidia atque flagitiis; quorum vt erat vitæ inſtitutum arctum prius & ſanctum, ita eo abiecto abſque omni fræno ad quæuis flagitiorum genera prouoluti ſunt. His enim auctoribus natæ ſunt hæreſes, ſacrilegia, inceſtuoſa connubia & ſacrorum omnium profanatio. Nec ab aliis magis quam iis quos iſti ſeduxerũt, ſunt hæc mala defenſa atque promota. Ideo magna ſeueritate opus eſt, vt flagitioſiſſimum hoc genus hominum reprimatur.]

Vide quàm non iniuria *Petrus Bleſenſis epiſt. 13.* de excutiente Religioſæ profeſſionis iugum accipiat illud ex *Prouerb. 24. per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam ſtulti, totumque repleuerant vrtica, & ſpina; & maceria lapidum eius, deſtructa erat.* Ideſt, vt ille exponit, clauſuram abiecerat, & tranſgreſſus erat ſepta Religioſa. Itaque non mirum datum eſſe locum tot tantiſque ſceleribus.

En vere arundinem vento agitatam. Nam ſiue ventum, Satanam cum *D. Greg hom. 3. in Ezech.* ſiue tẽtationis flabra interpretemur; eſt profectò apoſtata arundo vento agitata, imo eradicata, mox que prorſus quaſſanda. Quãtam verò inanitatem totius honeſti ferat vox *arundinis*, accipe ex *Eucherio hom.* in illud *Arundinem quaſſatam non confringet,* Initio *Arundini (inquit) id eſt carici, qua à vento mouetur, peccatrix & infidelis anima comparatur, vt potè leuis, mobilis, inquieta, infirma, fragilis, infecũda velut ſterilitã numeroſitate foliorum, plena ſuperfluis, vacua neceſſariis, inanis gratiis, nodoſa peccatis, ad omnia blandientia obnoxia, & facilè cuilibet iniuria commotione caſſanda, inconſtans radicibus, à foris nitida vanitatibus, intus caua virtutibus; Quam nulla extrinſecus virilitas veſtit, nulla intrinſecus fides medulla corroborat: Quã ſicut carices qua fluuios amant, ita mundi huius prate fluentia, & celeri decurſu peritura delectant.* Non potuit clariùs exprimi ſtatus apoſtatæ per apoſtaſiam, quàm ſub arundinis imagine.

Petrus Damian. opuſ. 16. c. 2. hoc eſſe ait quod dictum eſt, *fieri nouiſſima hominis peiora prioribus.* Dicenti enim fas eſſe in certo euentu reſilire à Religioſa profeſſione, quæ tunc abſque hodiernis dilationibus, ſola habitus ſacri ſuſceptione inibatur; Reſpõdet; *Reclamat ipſa veritas tam peſpicua falſitati, cum dicit, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Dignum quippe eſt, vt ſicut quis ad Deum veniens, aptus fit regno Dei, ſic à Deo recedens, non aptus ſit poſtmodùm regno Dei. Sic quippe tales, vt experimento didicimus, non in eadem in qua primitùs fuerant malorum menſura reſiſtunt; ſed poſtquàm ad vomitum redeunt, ad iniquitatum voraginem profundiùs deuoluuntur. Sicut & illi nuperrimè contigit, qui ſancta conuerſationis habitũ deſeruit: deinde vix breui dierum peracto circulo, innocentem hominem ſuis manibus interemit. In quo videlicet reprobo viro adimpletum cernimus, quod dictum ex ore veritatis audimus; nimirum quia immundus ſpiritus qui eum ante reliquerat, poſtmodùm rediens, ſeptem alios nequiores ſe, ſpiritus aſſumpſit, & cum his omnibus in familiari ſuo vaſculo peſtilentiùs habitauit, factaque ſunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

Auctor ſerm. 11. de Cœna Dom. apud Bernardum, grauiſſimè hanc apoſtatæ mutationem in peius, ad

ad ſuos Monachos agens, expendit. *Rogo (ait) dilectiſſimi fratres, vt vnuſquiſque veſtrum intret in cubiculum ſuum, ſcopet conſcientiam ſuam, ſi quæras in angulis cordis, circumeat latebras mentis, ſi ſe in Chriſto manere inuenerit, gaudeat: ſi ſe à Chriſto abeſſe ſenſerit, gemat & doleat, ploret & plangat, timeat & perhorreſcat, ne ſequeſtretur à conſortio ſanctorum, & mittatur ſemper arſurus in ignem æternum. Manete in me. Heu dilectiſſimi fratres, quanti miſeri, quanti infælices, qui ad Ieſum veniunt, ſed lethiferi veneno ſerpentis percuſſi, diabolica fraude decepti, cæcitate mentis obducti, malitia deprauati, abnegant contubernium Chriſti, amicitiam Redemptoris abdicant, propter amorem mundi, & ceruices quas Deo humiliare ſolebant, ipſo mundi Creatore iam ſpreto, Diabolo non verentur inclinare. Heu quanti poſt glorioſos agones de ipſo Principe mundi legitimè triumphatos, fugienti terga dederunt, & victores iam victo ſe ſponte curuarunt. Quanti ad Monaſterium veniunt, vt in eo monaſticè viuant, humilitatis prætendentes indicia, omnia in pace illata ſuſtinentes conuicia, tanquam boni milites Chriſti ad omne opus bonum parati, qui poſt gaudia vitæ contemplatiuæ, poſt prælibationem iucunditatis mellifluæ, ſuæ profeſſionis obliti, velut ſues ab ipſo propoſito ad volutabrum redeunt luti: & ea quæ dudum vomuerant, tanquam canes in ventrem traiiciunt. Iſti tales recedunt à Chriſto, quia receſſerunt à propoſito ſancto; ſi pactum quod cum Chriſto pepigerant, obſeruarent, venenatam vomitu ſubſannarent: & ideò cum Chriſto non merentur manere, quia pactum Domini non timuerunt infirmare. Sed vtinam ſcirent & intelligerent quanta ſit amaritudinis fontem relinquere vitæ auctorem iucunditatis mellifluæ, Dominum mundi, decus paradiſi, gaudium æternum, Dominum Ieſum Chriſtum, qui nos à morte roſeo ſaluauit ſanguine ſuo. Si cito ſenſiſſes quantum parabas offendere, non tegeres vultus cortice myrrha tuos. O quam miſera commutatio, ô quam cæca cupiditas, quæ Virginem facit Tabeſam, puellam proſtibulam, & mulierem vertit in arborem, Regulam in apoſtaſiam, diſciplinam ſanctam in laſciuiam prauam, clauſtrum regulare in campos licentiæ, caſtitatem in impetiginem, Monachum in theatricum, directum in prauum, planum in aſperum, Filium Dei in filium Diaboli. Hæc fratres mei, non eſt mutatio dexteræ excelſi. O quam amara mutatio, ô quam dura tranſlatio à Chriſto recedere, & Diabolo adhærere, ſpernere Redemptorem & diligere peremptorem, derelinquere veſtigia Chriſti, & ire per ſana mandata diaboli, relinquere viam quæ ducit ad vitam, & ire per viam quæ ducit ad mortem.* Hactenus non Bernardus ſed Ogerus Tridinenſis Abbas Lucedij, verus parens ſermonum illorum de cœna Domini qui, quod de Virgine in Tabeſan verſa ait, neſcio quid loquitur. Attingit verò ibi fabulam à Naſone 10. Metamorph. plene expreſſam de Myrrha Cyniræ Cypriorum Regis filia, quæ erubeſcens de inceſta turpitudine, cum Patre, dilapſa, in arborem ſui nominis commutata fingebatur. Hinc liquet, cum qua mutatione componat Ogerus, mutationem apoſtatæ. Addendæ illæ quoque in deterius commutationes. Sic paſcuntur hædi iuxta tabernacula paſtorum, vt ſcitè philoſophatur *Philippus Abbas lib. 2. in Cant. cap. 2.* qui item *Tomo 3. moral. in Cant.* fusè & pulchrè proſequitur, has eſſe vineas, quæ præciſæ, ad nihil valent, niſi ad rogum & ignem.

Apoſtata, ſal infatuatum ad nihil iam valens vltra. — *Hæreſis ... Apoſtaſia.*

CAdit autem perbellè in huius ſuſuris homines infatuatio illa ſalis de qua Chriſtus *Matth.* 5. Ad quem locum Chromatius, infatuatum dici ſalem myſticum demonſtrat, qui cum per ſapientiam cœleſtem eruditus optimè ſaperet, & aliis condiendis diuinoque ſapore perfundendis idoneus eſſet; ſtabilitate amiſſa ruit; vt à Iuda factum, qui (vt ait) ex Apoſtolo apoſtata, non ſolum aliis prodeſſe non potuit, ſed & ſibi miſer & inutilis factus eſt. Inde proiectio talis ſalis, iam non ſalis ab omni cœtu niſi impiorum. Ex quo ſequi neceſſe eſt, vt conculcetur ab hominibus, iuxta Domini pronunciatum. Quod ita accipit Chromatius, vt ſignificetur, diuerſorum carnis inquinamentorum & voluptatum ſeculi eluuio in miſerum Apoſtatam. Conculcationem enim ab hominibus, de luxuriæ turpitudinibus in Scripturis accipi, confirmat ex Salomone, de Scorto & proſtibulo, ſic loquẽte. *Mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab hominibus prætereuntibus conculcatur.* Et conſtat ſanè, nihil eſſe magìs quotidianum, quam vt apoſtatæ, poſt apoſtaſiam, carni, & ventri mancipentur; omnibuſque illis lutulentiis & cœnoſitatibus magis ac magis ſe dehoneſtent, quarum guſtu, ferè proluſerunt ad apoſtaſiam. Non refrico in hanc rem exempla variorum apoſtatarum. Nam id in pleriſque omnibus ſupra adductis, adductis & maximè (vt dixi) in iis qui ſubinde hodieque labuntur, obuium eſt illuſtre exemplum recitat *Caſarius l. 2. cap. item* 2. ſed vix eſt opus vllum ſignare. Apparet enim de omnibus ferè apoſtatis veriſſimum eſſe, quod *S. Epiphanius hæreſi* 40. dixit de Archonticis, quos Religioſam profeſſionem & habitum eſſe ementitos, retulerat. Ait ergo, ſimiles illos eſſe ſcarabæis, ſeu cantharis. *Hoc Scarabæorum genus, quod à quibuſdam pilularium vocatur, conſuetudinem habet: vt in fœtore ac ſtercore voluetur, & hoc eſt ipſorum alimentum & opera. Et aliis quidem idem ſtercus graueolens & abominabile eſt; Apibus autem hoc ſtercus & graueolentia, mors eſt. Et Scarabæorum quidem opera ac tractatio eſt graueolentia: apibus autem vice verſa bonus odor & flores & vnguenta in refrigerationem recreationemque ac cibum, & in operam ac tractationem. Verùm Scarabæis prædictis talia contraria. Cuius rei ſi quis experimentum facere velit, de vnguento ſucci balſami aut nardi ſumat, & Scarabæis afferat, & mortem ipſis inducet, velut Phyſici teſtantur. Statim enim moriuntur, non ferentes bonum odorem. Sic etiam hi tranquillitatem, & ſcortationem ac vitia appetentes, in mala ſpem ſuam habent.* Hæc igitur eſt, iuxta Chromatium, infatuatio ſalis, ac proiectio ab hominibus, & conculcatio.

Quod ſi proiectionem ab hominibus, vt Domini ſententia videtur ferre, intelligamus proſciſſionem per linguas omnium, nec non deſpectionem & contemptum ſalis infatuati ad nihil præterea vtilis; nihil manifeſtiùs, quam apoſtatam à Religioſo Ordine, nulli vſui eſſe, niſi vt mordeatur & deſpiciatur ab omnibus. Cui enim bono miniſterio in Dei Eccleſia, eſſe pro tali homine locus idoneus queat? Arcetur quippè ab omnibus ſacris functionibus, ac etiam omni Chriſtianorum cõmunicatione. Enarrare iuſtitias diuinas, & aſſumere Teſtamentum Dei per os ſuum, nec licitè nec vtiliter poteſt, cũ non poſſit tractare verbum Dei, admodum operarij

CAP. X. *Horrificiſſimus Apoſtaſia.*

inconfuſibilis. De cæteris quibuſuis, ſacris & piis vſibus, idem eſto iudicium; ita vt ne ſtercoris quidem ac fimi locum, impinguando Dei agro poſſit tenere, vt ſali infatuato contingit. Etiam quoad res ſæculi, in eam incidit contemptionem Apoſtata, vt nullo planè ſit loco; quod rectè illuſtrat exemplum adductum à ſancto Ephrem. l. de vita ſpirituali num. 38. [Frater (inquit) quidam narrabat hanc rem, quam ab altero fratre audiuiſſe, aiebat. Homo quidam erat in quadam ciuitate, qui mercenarium quendam apud ſe habebat, cui ſua credebat omnia. Huic, ſolitariæ vitæ complectendæ cupiditas inceſſit. A quo quidem propoſito, iuuenem fugi & rebus ſui, vtilem, vt deterreret, herus nihil propè reliquit intentatum. Sed fruſtra laborem ſuſcepit. Iuuenis enim mundo renuncians, ad fratres ſe contulit. Verùm paucis poſt annis, ad mundum redire tentauit, relictaque cellula, ad herum ſuum reuerſus eſt. Hic iuuenem ſemel atque iterum libenter ſuſcepit. Tertiò Frater, depoſita ſimulationis perſona, cum animi ſui ægritudinem homini detexiſſet, vitæ (inquiens) ſolitariæ iugum, amplius ferre non poſſum. Quamobrem obſecro te, Domine vt me recipias, eodémque habeas numero quo olim habebas. Spero enim me rectiùs etiam quam antea, rationibus tuis conſulturum. Ex te namque acceperam, velle te, mihi ſororem etiam tuam vxorem dare. Cui ille reſpondit. Si Deo quæ promiſeras non præſtitiſti, quomodò te mihi præſtiturum ſperem? Quibus verbis tanquam verberibus iuuenis caſtigatus, ad cellulam ſuam ſeſe recipit. Reſponſum geminum ei quod ciuitatoribus fidei ex animi Principis gratiam, redditum eſt, cum a Conſtantio Conſtantini Magni Patre ethnico homine apud *Euſebium l. 1. de vita Conſtantini cap. 12.* tum a Theodorico Arriano apud Theodorum lectorem *l. 2. Collectan.* & apud *Niceph. lib. 16. cap. 35.* Et ſicut ſi ciuratores, contemptioni fuere ii quorum captabant gratiam, ſuperſtitioni illorum ſe adiungentes; ita apoſtata prædictus, planè vilis ac deſpectus apud herum factus eſt, ſua ad ſæculum receſſione. Nec aliter apud omnes accidit, cuiuis alteri apoſtatæ. Ad nihilum ergo valet vltra, niſi vt foras miſſus, imo ipſemet foras egreſſus, conculcetur ab hominibus: proteratur inquam & deſpiciatur ab omnibus, cum præ ſceleris apoſtaſiæ atrocitate, tum præ conſequentibus maculis & criminibus, quibus apoſtata, ad omnia bona proximi impendenda inutilis, omnibus autem contemptibilis efficitur.

Vbi itaque, ſumma Religioſi pretioſitas & vtilitas ad omnia in Dei Eccleſia? Vbi illa tanta tamque præcella Religioſi eminentia, quam S. *Ioan. Chryſoſtomus*, integra lucubratione ipſi regno anteferre non erubuit? Multi ſanè Imperatores ac Reges, & ipſi Pontifices ſummi, id eſt apices dignitatum, cum ſacrarum tum ſæcularium, adeò magnificè de Religioſis hominibus ſæpè ſenſerunt, vt nihil poſſet ad eam gloriam accedere, iuxta ſenſum prudentium ſæculi humanum. Quo enim honore, non eſt proſecutus Sanctum Romualdum Otho Imperator, ſummi beneficij loco ducens, pauperrimi Monachi cellulam viſere, & eius in lectulo cubare? Theodebertus Rex Gallorum, quanto honore proſecutus ſit ſanctum Maurum, & eius ſocios, Acta ſancti Mauri teſtantur. Exemplum Abbatis Ioannis, quem Theodoſius Imperator colebat, & venerabatur impenſiſſimè, à Caſſiano his verbis proponitur *Coll. 24. cap. 26.* cum agit de centuplo iam ex hac vita repenſo Religioſis. *Nonne obſecro, etiam in hoc centuplam gratiam euidentiſſime qui fideliter Chriſto deſeruiunt conſequuntur, dum pro nomine eius à ſummis Principibus honorantur, ac licet ipſi humanam gloriam non requirant, Venerabiles tamen etiam in perſecutionum anguſtiis Iudicibus cunctis ac poteſtatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forſitan deſpicabilis eſſe potuiſſet, vel pro obſcuritate natalium, vel pro conditione ſeruili, ſi in ſæculari conuerſione manſiſſent? Per Chriſti autem militiam nobilitatis nemo ſtatum contumeliam commouere, nemo obſcuritatem generis audebit opponere: quin potiùs illis ipſis viliſſima conditionis opprobriis quibus confundi & dehoneſtari cæteri ſolent, Chriſti famuli glorioſiùs adornantur. Quod euidentius in Abbate Ioanne, qui in illa eremo, quæ Lyco oppido adiacet, commoratur, poſſumus approbare. Qui pro obſcuris maioribus natus, ita pro Chriſti nomine vniuerſo penè humano generi admirabilis factus eſt, vt eum ipſi quoque rerum præſentium domini, qui mundi atque Imperij gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis Regibuſque terrori ſunt, velut dominum venerentur, & oracula eius de tam longinquis regionibus expetentes imperij ſui apicem, & ſtatum ſalutis, bellorumque prouentus, illius orationibus meritiſque committant.*

En quam verè ante Caſſianum *ſanctus Chryſoſtomus homil. 11. in 1. ad Timoth. in morali*, agens item de centuplo hic repenſo, dixerit. *Complures ſæpè obſcuro loco nati, & qui victum antea manuum ſuarum labore quærebant, neceſſariiſque alimentis egebant, cum ſe ad Monachorum vitam contuliſſent, illuſtriores omnibus euaſere, atque à Regibus ipſis honorati ſunt. Num parua iſta putabimus?* Vt nimirum quibus omnes venerabundi accidunt, qui glorioſos terræ humiliant, & ſublimium colla calcant, Religioſos venerabundi alloquantur, ſæpè etiam conueniant. Quod autem multo eſt luculentius argumentum venerationis, qua Religioſum ſtatum proſequuntur, nequaquam indignum gradu ſuo duxerunt Reges multi, ac Principes quos latè recenſet *Choppinus lib. 2. de ſacra politia tit. 3. à num. 16.* adſcribi in Religioſum cœtum; & non deiici ſe cenſuerunt, ſed extolli; nec honorare Religioſum ſtatum, ſed ab eo potiùs honorari, vt ſanctus Ludouicus Toloſas, Caroli Regis Siciliæ filius, qua die Franciſcano habitu eſt indutus, præclarè reſpondit, ei qui honoratum admodùm eo die ab ipſo Ordinem fratrum Minorum, gratulans dixerat. Quanta igitur deſpectio eſt, qui in capite erat, fieri in cauda; & pro amore ac veneratione omnium, etiam Principum ac Regum reportare omnium ſannas, & in dies opprobriis æquè ac probris, ac vitiis augeri, & euadere ſalem infatuatum, ab omnibus conculcatum?

Vorago ſcelerum ex infatuatione Apoſtatæ, exhibita in Maglucone & aliis quibuſdam.

VT autem ſubiiciatur veluti oculis, ea quam dixi, horrifica apoſtatæ in ſeipſo facies, operæ pretium exiſtimo, adiungere vnius alicuius inſignis apoſtatæ, ex quo iugum confregit, hypotipoſim. Cum plurimi ſuppeterent, quorum vita ab eo puncto inquinatiſſima, & omnibus ſordibus omnique illuuie conſpurcatiſſima apparuit, conſultius duxi, exemplis recentibus abſtinere, & antiquum vnum

vnum repræſentare, quod ſuppeditat *Gildas in Declamatione de excidio Britanniæ ſuæ medium.* Ibi Magluconem quendam in Anglia Regem, pulſo auunculo potitum ſceptro, factum Monachum fusè refert: mox verò abiecto & conculcato inſtituto Monaſtico, in monſtrum immane ſcelerum omnium euaſiſſe, his verbis tradit. *Ne multa; tantum gaudij & ſuauitatis, tum cœlo terraque tua ad bonam frugem, conuerſio, quantum nunc mœreris, ac luctus miniſtrauit ad horribilem more Moloſſi ægri, vomitum nefanda reuerſio. Qua peracta exhibentur membra arma iniquitatis peccato, ac Diabolo, quæ oportuerat ſaluo ſenſu! auidè exhiberi arma iuſtitiæ Deo. Arrecto aurium auſcultantur captu non Dei laudes, canora Chriſti tyronum voce ſuauiter modulante, neque Eccleſiaſtica melodia, ſed propriæ, quæ nihil ſunt, furciferorum referta mendaciis, ſimulque ſpumãte flegmate proximos quoſque fœdaturo, præconum ore ritu bacchantium concrepante, ita vt vas Dei quondam miniſterio præparatum vertatur in Zabuli organum, quodque honore cœleſti putabatur dignum, meritò proiiciatur in Tartari barathrum. Nec tamen tantis malorum offendiculis furor tuus hebetatus inſipientiæ cumulo quondam obice tardatur, ſed feruidus ac ſi pullus amœna quæque imperagrata putans, per extenſos ſcelerum campos, irreuocabili furore rapiatur, augendo priſcis noua piacula. Spernuntur namque primæ poſt Monachi votum irritum, illicitæ licet, tam propriæ coniugis præſumptiuæ nuptiæ; alia viri viuentis non externi, ſed fratris filij adamata. Ob quæ dura ceruix illa, multis iam peccaminum faſcibus onerata, bino parricidali auſu, occidendo ſupradictum, vxoremque tuam aliquandiu à te habitam, velut ſummò ſacrilegij tui culmine, de imis ad inferiora curuatur. Dehinc illam cuius dudum colludio, ac ſuggeſtione tantæ ſunt peccatorum ſublatæ moles, vt etiam publicæ fallaces paraſitorum linguæ tuorum conclamant, ſummis tamen labiis non ex intimo cordis, legitimo vt potè viduatam thoro, ſceleratiſſimo adſciuiſti connubio. Cuius igitur ſancti viſcera tali ſtimulata hiſtoria non ſtatim in fletus ſingultuſque prorumpant? Quis ſacerdos cuius correctum Deo patet, non ſtatim hæc audiens magno cum vlulatu, illud Propheticum dicat? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die & nocte interfectos populi mei:*

Quàm triſtia item profert *Theodorus Studita ſer. 31. Catech.* de iis Apoſtatis qui per illud tempus velut puluis quem proiicit ventus à facie terræ, excuſſi erant è cœnobiis? His vt ait S. Theodorus, perſecutio fuit. *Occaſio ſcelerum, qui vita dediti licenti quaſique ab obedientia refugæ, infamiam in ſe conciuere, vt appoſitè cum ſcriptura loquamur, caligat vultus faciei eorum, ſicut fuligo. Quos equidem haud abs re inclamarim quoque; Nequam filij herum reliquiſtis, vita iura Monaſtica vertiſtis; non ritè curritis, ſed velut claudi diuertitis, rapti huc illuc, ſeceditis è comitatu, mulieribus vacatis, alij ſoli degentes, alij ſeruos inſuper parantes, nonnulli vitam obeuntes mercatoriam præ auaritiæ ſtudio. Non vos terret nec imprecatio vaticina, nec mina Apoſtolica, nec mea nihili cohortatio? Quin vt intelligo, quidam eorum quoque, inita cum puella conſuetudine, ad raptum, Deique repudium, pedes adornauit.* Ex iis quæ continenter ſubdit S. Theodorus ſuſpicione tangor, ſpurcum hunc apoſtatam, illum ipſum eſſe Gelaſium ad quem Epiſtola eſt eiuſdem Patris apud *Turrianum lib. 2. de votis Monaſticis*, in qua præter cætera de miſerrimo ſtatu in quem prolabuntur apoſtatæ quædam c. 15. poſt deſcriptam laudabilem eius in

Religione vitam, omnibus religionis ornamentis collucentem; addit. *His omnibus admiſſis, ſucceſſerunt contraria, obſcuritas mentis, animæ torpor, cordis obſtinatio & durities, difficultas credendi, deſperatio, prauitas animi, metus mortis, excuſatio tremoris plena. Et quid opus eſt ſingula perſequi, cum vt ſummatim dicam, ſuſpirans & tremens, penitus vt alter Cain, viuas? Taceo multitudinem paſſionum carnalium quæ te intus inflammant, & peccatum incendunt &c. Reputa cum animo tuo ac recognoſce, vnde excideris, & in quibus malis ac miſeriis ſis, ac vbi habites, ſcilicet, (vt ita dicam) in tabernaculis Cedar.*

CAP. X.

In quem ſcelerum gurgitem apoſtatarum poſteriorum plurimi, miſerrimè deiecti ſint per apoſtaſiam, vulgatius eſt quàm vt moneri oporteat. Multorum qui hac ætate vixerunt probroſiſſimam poſt caſum, vitam, liceret deſcribere, niſi conſultius videretur obducto ſipario, tam nefaria tamque propudioſa puris conſpectibus ſubducere. Lutherum tamen apoſtatarum ſæculi ſuperioris facilè principem, nemo ignorat, ex quo calces Religioſo ſtatui illiſit, nulli turpitudini pepercisse, omne ſacrilegium leue duxiſſe, Europam vniuerſam compleſſe cladibus, Othomanicæ tyrannidi diffundendæ, inſigniter commodaſſe, in cœlites, ipſumque Chriſtum, petulantiſſimè bacchatum eſſe, de ſolo ventre & iis quæ ad ventrem ſunt, ſollicitum, cætera nihili feciſſe, lectiſſimam Orci victimam, & primarium ætate ſua Diaboli organum ad immania quæque patranda euaſiſſe. Nihil à me hic affictum Luthero, imo longè infra condignum à me propoſitam eius effrænem in quælibet propudio à licentiam, intelligi poteſt ex iis quæ de eo libaui *cap. 4.* multoque dilucidiùs ex Cochlæi Luthero ſepticipite, & Actis per annos ſingulos digeſtis, benéque etiam ex Florimondi hiſtoria hæreſeon, ac Iacobi Gaulterij Chronologia. Ex quibus liquidò conſtat, quanta criminum omnium immanitate ſe cõtaminauerit hic nequam, & in qualem ſcelerum voraginem, teter hic apoſtata per apoſtaſiam incidit. Heu quomodò in omne probri genus abreptus eſt, cumulans in dies, & nouo accremento gradatim explens, iniquitatum menſuram. Id quod æquè, (ſaltem per proportionem ſtatus, & opportunitatum peccandi,) omnibus Apoſtatis contingit.

Cauſa prima nouiſſimorum Apoſtatæ peiorum prioribus, ſubtractio fræni, & gratiæ anterioris.

GErmanam cauſam crementi illius vitiorum, & nouæ ſemper accumulationis & congeſtionis criminum in apoſtata, petere in primis licet, ex defectu ſubſidiorũ quibus ante à malo auocabatur, & prouocabatur ad bonum. Licebit enim vnumquemque apoſtatam iiſdem verbis affari, quibus Petrus Bleſenſis, deprauatorem ſuorum operum, (quem ait primam fidem irritam feciſſe,) alloquitur in inuectiua. *Habebas in clauſtro ſecretum ſolitudinis, locum pœnitentiæ, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in ſpiritu ſancto, conſilium in hæſitatione, in tentatione remedium, & in omnibus efficax beneficiũ medicinæ. Ibi virtutum ſchola eſt, ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectio, omnium communicatio, diſciplinæ vigor, lex obedientiæ, vinculum charitatis, & mutua obſequela. Verùm moleſtus eſt*

CAP. X. *Horrifici effectus Apoſtaſia.*

tibi pœnitentiæ labor, abſtinentia oneroſa, importabilis diſciplina auſteritas, quæ ſola eſt clauis innocentiæ, religionis anchora, cuſtodia cordis, & peremptoria prorſus appetitus illiciti.

Religant & frœnant Religioſa vota & obligationes inſtituti ſacri, Religioſum. Huiuſmodi veluti frœnis ſolutus miſeri Apoſtatæ animus, quid præſtare aliud queat, quam quod indomiti & ferocientes equi cum Rectoris manum excuſſerunt? In exitium namque ſuum validi, abeunt in præceps, & colliduntur ac pereunt. Ad eum planè modum Apoſtata, diſciplinæ Religioſæ frœno confracto, in ruinam ſuam, liber poſt concupiſcentias ſuas abiens, nunc ad vnius ſceleris ſaxum, nunc ad alterum impingit atque quaſſatur, donec in barathrum detrudatur, & irreparabiliter pereat. Ipſe Diabolus (vt ille canit) vix auſit ea moliri, quæ deſignat & aggreditur Apoſtata, ſic abiecto fræno.

Non audet Stygius Pluto, tentare, quod audet
Effrænis Monachus.

Poſſumus aliter cauſam propoſitam aperire; dicendo, negatis Apoſtatæ cœleſtium imbrium ſtillicidiis, mirum non eſſe, quod fertilitas qua potiebatur in domo Dei, locatus ſecus decurſus aquarum, deficiat, ſupernaſcanturque è contrario, cardui & ſpinis acutis paliuri. Fit planè miſero apoſtatæ cœlum æreum, & terra ferrea, nullis aquis ſcaturiens. Terra enim cordis noſtri de cœlo expectat pluuias, nec ſicut terra Ægypti, imbribus terrenis, (vt Philo dixit) Niloticis inquam aquis fœcundari ad ſupernaturale bonum poteſt. Quare iis ſubductis, ob tantam ſubiecti indignitatem, mirum non eſt, nihil niſi reprobum è terra ſiticuloſa & maledicta progerminare; quamvis antea non ſiccatis per ventum vrentem fluentis pietatis, fœliciſſimè in ea ſoboleſcerent virtutum omnium plantaria. Dixerim haud incongruè, innouatam hic Gedeonici velleris ſimilitudinem. Nam etiam *S. Ambroſius ſub finem.* Prologi ad Opus de Spiritu ſancto, rorem Gedeonicum, typum fuiſſe Spiritus ſancti perpulchre tradit. Sicut ergo orante Gedeone, vellus primò immaduit cœleſti rore, cum vniuerſa terra areret poſtmodùm verò immaduit terra, ſicco planè vellere; ſic apoſtata, diuinæ benignitatis rorem vbertim primùm excipiebat, cum in Religione ſeruiret Deo, arentibus interim præ eo ſecularibus perſonis; ſolo exſucco & non rigato repræſentatis; præ quibus tamen poſtea aret, factus apoſtata.

Ad hanc cauſam nequiſſimorum apoſtatæ ſemper peiorum prioribus, pertinet ſubtractio diuinæ gratiæ ſpecialis, quam Chriſtus Religioſo tanquam templo ſuo conferebat, quamdiu perſtans in loco quem poſuit, fuit habitaculum: amouet autem eam gratiam Deus, cum domum illam deſerit. Vnde fit, vt ipſa quiſquiliis impleatur. *Veluti domus,* (inquit S. Macarius *homil. 27.*) *niſi dominum inhabitantem habeat, tenebroſa, vilis, & probroſa redditur, & impletur ſordibus atque ſtercoribus; ad eundem quoque modum anima quæ non habet in ſeipſa dominum ſuum Angelis exultantem, tenebris peccati, affectionum turpitudine, & omnimoda ignominia repletur. Væ via in qua nemo ambulat, nec auditur in ea vox hominis, quia receptaculum eſt beſtiarum. Væ animæ, cum in ea non incedit dominus; vt ex ea excutiat voce ſua ſpiritales beſtias nequitiæ. Væ domui in qua non habitat dominus. Væ terræ cum non habuerit colonum, qui exerceat illam. Væ naui gubernatore carenti: quoniam à fluctibus & tempeſtate maris agitata perit. Væ animæ cum verum gubernatorem Chriſtum in ſe non habuerit, quoniam in acerbiſſimo mari tenebrarum verſatur: & ex procellis affectionum fluctuans, & à ſpiritibus nequiſſimis, velut tempeſtate iactata, tandem conſequitur interitum. Væ animæ cum non habuerit Chriſtum, qui accuratè excolat illam, vt bonos fructus ſpiritus referre valeat: quia cum ſit deſerta, ſpinis ac tribulis referta, tandem exuſtionem ignis pro fructu decerpit.*

Deſperatio ſui ipſius, cauſa altera calamitatis propoſitæ.

CAuſam alteram eiuſdem in noua ſemper ſcelera prolapſionis per apoſtatam, ſuppetat *S. Chryſoſtomus, ferè initio* prioris parænefeos ad Theodorum; Nimirum quod apoſtata conſcientiam ſceleris admiſſi non ferens, cogitatione omni plumbo grauiore vrgeatur, vt deſperet ſemetipſum, & quandoquidem ſpiritualibus bonis excidit, at ſaltem corporeis ac temporalibus quæ ad manum ſunt, potiatur: ſicque catenam auream qua de cœlo protenſa ſubducimus animas noſtras, (ſic ſpem in Deum, appellat eo loco ſanctus Chryſoſtomus,) ſacram inquam anchoram qua in fluctibus firmaretur abiiciens, in profundum malitiæ, magis ſemper ac magis infigitur. Egregiè de more iſta omnia, eo loco deſcribit ſanctus Chryſoſtomus. His verò præmiſſis, Theodorum apoſtatam ſic alloquitur. *Quo in rerum ſtatu dudum es, qui reiecto mandato Domini tam manſueti, tam humilis, iſtius tyranni & ſine fœdere noſtram ſalutem impugnantis, atrox imperium ſuſtines? Benigno iugo diſſipato, abiectoque leui onere, in vicem illorum ferreis vinculis collum inſeruiſti. Et quod amplius eſt, lapidem molarem, quem aſinarium nominant, de tua ipſius ceruice dependiſti. Vbi igitur ſubſiſtes in poſterum, qui demerſiſti in tam vaſtum mare animam miſerrimam, cum ipſe tantam neceſſitatem, quæ continuò deorſum cogit, vltrò induxiſti? Neceſſitatem* accipe, qualem peccator diuinis ſpecialibus præſidiis deſtitutus, in lubrico & tenebris poſitus, Angelo Domini coarctante, contrahit vt corruat. Quæ non eſt quidem abſoluta peccandi neceſſitas, cui homo ſi vellet, non poſſet obluctari, alioqui non peccaret. (Nemo namque, inuitus peccat;) Eſt tamen quędam moralis impotentia benè agendi, & aliqualis neceſſitas malè operandi, ob defectum cœleſtis roris congruentis, quo ſapiant diuina; & ob ſummum naturæ ſenſitiuæ, ſupernaturali frœno non cohibitæ impetum in bona ſenſibilia, auctiorem vitioſis habitibus iter velut complanantibus & expedientibus. Qua de re actum eſt, tractando libertatis expeditionem, & agendo de ſeruitute peccatoris, ac de regno Satanæ.

Redeo ad Chryſoſtomum, qui inferiùs, parentem huius neceſſitatis deſperationem ſui ipſius, inducere ait ſtatum diabolicum. *A nobis (inquit) ſpem omnem abiicere, non ſolùm id mali habet, quod eius ciuitatis portas nobis intercludit, aut quod in peiorem ignauiam trahit atque contemptum; Aliud habet facilè peſſimum: Intrudit enim in ſocordiam, cuiuſmodi eſt ipſi Satana. Etenim Diabolus ex nulla re tantus euaſit, atque ex prima deſperatione; vnde in ſocordiam ſeu per gradus delapſus eſt. Vt primùm enim anima de conſequenda ſalute dubitat, non ſentit ampliùs quo periclitetur præcipitio, quidlibet faciendo, dicendoque contra ſalutem ſuam. Quemadmodum furia correpti, deperdita ſemel ſanitate capitis, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepidè quiduis audent, in ignem, in mare, in prærupta editaque ſaxa impigrè inuolant. In hunc modum qui ſe*

incuria

incuria per deſperationem permiſcere; deinceps ſunt intolerabiles, per auia vitiorum aſſiduò diſcurſitant, neque mors imminens, eos ab inſania deterret, atque à deprauatione; infinitis ſe calamitatibus conficiunt.

Eſt ergo ex dictis euidentiſſimum, veriſſimè à Petro Bleſenſi ſcriptum eſſe Epiſt. 80. Monachum egrediendo clauſtrum, ingreſſum ſibi præparare ad gehennam: hoc eſt, tot ſe ac tantis criminibus inuoluturum vt propè certa moraliter haberi poſſit eius damnatio, ni maturè reſipiſcat à laqueis Diaboli, captiuum eum tenentis ad ſuam ipſius voluntatem. Attigit hanc Apoſtatæ ſeruitutem poſt iugi Dominici excuſſionem, & malam libertatis adumbratæ captationem iuſto Dei iudicio conſecutam, idem *Petrus Bleſenſis Epiſt.* 107. quæ eſt ad Monachum, vel Apoſtatam, vel in apoſtaſiæ collimitio conſtitutum.

Qualis euadat Apoſtata, erga Ordinem à quo deficit, declaratum per proportionem malignitatis Hæreticorum erga Eccleſiam.

QVod verò ibidem continenter, Monachum illum deſertorem arguit linguoſitatis & maledicentiæ, pertinet præſertim ad lacerationem Religionis per Apoſtatam, de qua propoſueram ſecundo loco diſſerendum. Habet enim hic maximè locum, quod S. Iacobus dixit linguam *ignem eſſe, & vniuerſitatem iniquitatis*: ideſt Interprete *Iſidoro Peluſiota lib. 4. Epiſt.* 10. ignem eſſe, colluſtrantem; quæ ex ſe turpia & tenebroſa ſunt: exornantem autem, & fucis quibuſdam, ac adulterinis ornamentis, iniquitatem. Græcè eſt, *κόσμος τῆς ἀδικίας mundus* ſiue *ornamentum iniquitatis*. Apoſtata igitur, vt Concil. Treuirenſe ſub Ioanne Archiepiſcopo anno 1548. celebratum Tit. de Apoſtatis admonuit, quamvis ſuo ſcelere & peruerſitate exceſſerit; tamen ne turpitudo eius appareat, colluſtrat illam exquiſitis verborum phaleris, & ita exornat apud externos à quibus auditur, vt probrum deſertionis tranſfundatur in Religionem. Quod tentare omnes Apoſtatas, iugi ac perpetuo experimento, eſt deprehenſum. Proluebat ad Apoſtaſiam à Carthuſia hoc ipſo modo, quidam Alexander, quem grauiter eo nomine increpat *Petrus Bleſ. epiſt.* 86. *ſub medium.* Idem expectabat à Macario Pachomius, vt eſt apud *Palladium in Lauſ.* cum vrgente Macario admitti in Monaſterium, reluctans Pachomius, denunciabat ei, futurum vt non perſeueraret, & excluſus, detraheret de iis à quibus ſeceſſiſſet. Monachos transfugas maledixiſſe bonis, & horrendum obſtaculum appoſuiſſe gloriæ Chriſti, expoſtulat S. Bonifacius epiſt. 1.

Hac in parte porrò, idem Religioſo Ordini per Apoſtatam proſciſſo accidit, quod Eccleſiæ, per eos qui illam abiicientes, ad Hæreticos auolant. Experimur enim quotidie, eos qui ad hæreticos abeunt, nihil cauſari potiùs, quàm prætenſa ab eis Eccleſiæ dedecora, præſertim verò Miniſtrorum ſacrorum improbam vitam, & mores corruptos. *Ne obiiciatis Hæreticis* (ait S. *Aug. epiſt.* 137. *ſub finem*) *niſi quia non ſunt Catholici, ne ſimiles eis ſitis, qui non habendo, quod in cauſa ſua diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè iactant: vt quia ipſam diuinæ ſcripturæ veritatem, qua vbique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, poſſunt.* Item *lib. de mor. Eccleſ. cap.* 34. Hæreticos damnat, quod Eccleſiæ exprobrarent mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet. Obſeruat item S. *Gregorius 6. mor. cap.* 17. Hæreticos quicquid à S. Eccleſia rectè agitur, ſemper ad vitium tortitudinis inflectere. Quin etiam cum color alius deeſt, apertè cauſas criminandi fingunt, Æſopico lupo ſimiles, vt ſcitè dixit *Gregorius Nyſſenus ad Euſtathium de Trinitate initio.* Lupus enim apud Æſopum, crimina quædam agnello obiicit, quibus iuſte laceratus videatur. Agnello autem omnem calumnioſam criminationem facile diluente, nihilo minùs lupi impetus remittitur; iure quidem inferioris, ſed dentibus & malignitate ſuperioris. Idem hæreticis accidere ait Nyſſenus. Volunt enim quocunq; tandem modo innoxij haberi: culpam autem ſeceſſionis ſuæ, eſſe penes Eccleſiam: quod tametſi fruſtra & peruerſiſſimè faciunt, tamen faciunt, nec conuicti, laceratione Eccleſiæ deſiſtunt onerantes eam probris omnibus quibus ipſimet ſordent, more, perfrictæ frontis ſcortorum, ait S. *Chryſoſtomus orat. de Petro, & Elia*, quæ in contentione cum fœminis benè moratis & honeſtis, ante occupant probrum quo ſe ferienda proſpiciunt. Ita planè Hæretici, diabolica criminandi malignitate, Romanam Eccleſiam velut adulteram, idololatriæ & omni impietati addictam infamant, meritò ab Apoſtolo 2. *Timo.* 3. dicti *Criminatores*, Græcè *διάβολοι*. Nam & diabolo, idem eſt genius. Nec contenti linguam acuere, etiam ſcripta infamantia adiungunt. Audi *S. Hieronymum in cap.* 23. *Ierem. Epiſtolas plenas mendaciorum & fraudulentiæ, atque periurij in orbem dirigunt, vt & aures polluant audientium, & exiſtimationem ſimplicium lædant, vt impleatur in eis hoc, quod ſcriptum eſt; A prophetis Hieruſalem eſt egreſſa pollutio in omnem terram. Non enim eis ſufficit iniquitatem propriam deuorare, & proximos lædere: ſed quos ſemel oderunt, per vniuerſum orbem infamare conantur, & vbique ſeminare blaſphemias.*

CAP. X.
Horrifici effectus Apoſtaſie.

S. Cyprianus Epiſt. 15. cum *S. Cornelius* infamatus eſſet vt communicans ſacrificatis, reſpondet. *Hoc de Apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur. Neque enim poſſunt laudare nos, qui recedunt: aut expectare debemus, vt placeamus illis, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles, ſollicitandis de Eccleſia fratribus, violenter inſiſtunt?*

De excommunicatis, qui & ipſi ſunt quadantenus extra Eccleſiam ſic ſcribit *Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt.* 259. *Simul atque quiſpiam ab aliquo condemnatus eſt, ab alio ſæpè colitur & obſeruatur, aliaque ei Eccleſia patet, & ſatellitium & munera, eique qui eiectus eſt, in quæſtum cedit loci commutatio. Ac deinde, quod criminis conuictus, eiectus ſit, non commemorat: quod autem ſponte ſua diſceſſerit, hoc effingit. Ac ſi quis cauſam percunctetur, multa & grauia narrat, quæque Eccleſia à qua exceptus ſit, allubeſcant. Hæc porrò quidem improba vita homines arripientes, ac velut culparum ſuarum patrocinium hinc ſe habere exiſtimantes, amplificant, omniaque verbis eiuſmodi complent, quæ iis congruant, à quibus fabricata, ſunt. Ex quibus rebus efficitur, vt qui deliquit, nihilo melior reddatur: qui autem in eum animaduertit, impuri ac ſcelerati hominis opinionem referat.*

Planè ad hunc ipſum modum, Apoſtatæ Religionum, arma dentium, & verborum ſagittas, venena theſauri mali, vipereis vomunt linguis, vt

CAP. X.

Horrendi effectus Apoſtaſia.

cum *S. Paulino* loquar *epiſt.* 29. Nam ne cum ſcelere abſceſſiſſe videantur, Religioſorum Ordinem è quo per apoſtaſiam ſunt egreſſi, omni quantum in ipſis eſt, dedecore conſpurcant, & ſuas illi ſordes ac maculas affricant: Tantum deceſſiſſe rati de ſuo crimine, quantum probri in Religionem contulerint. *Tranſiſti in affectum cordis*, (ait S. Hieronym. in obiurgatione Sabiniani, qui Monachum ſe promiſerat, & corrupta ſanctimoniali, infamabat ſanctos Monachos;) *ut ne tibi ſolus viueris et aſſe, ſimulas nefanda de ſeruis Dei; neſciens quod iniquitatem loquaris, & ponas in cœlum os tuum.* Egregiè S. *Auguſtinus in pſal.* 99. de crypto ingreſſu hominis in cœnobium, & profeſſione Religioſa ſub ſpe tranquillitatis omnimodæ; qua non reperta, *fit ei* (*inquit*) *intoleranda patientia. Quis me hic quærebat? Ego putabam quia charitas eſſet hic. Et paucorum hominum moleſtia irritatus, dum non perſeuerauerit implere quod vouit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Iam verò cum indè exierit, fit & ipſe vituperator, & maledicus, & dicit ea ſola quæ quaſi ſe pati non potuiſſe aſſeuerat, & aliquando vera. Sed vera malorum toleranda ſunt propter ſocietatem bonorum. Dicit illi ſcriptura, Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam; Et quod eſt amplius, ructat indignationes, malorum odorem, vnde abſterreat intraturos, quia ipſe cum intraſſet, perdurare non potuit. Quales illi? Inuidi, litigatores, neminem ſuſtinentes, auari, ille illud ibi fecit, & ille illud ibi fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuiſti, iactas: qui te malum tolerauerunt, taces.*

Oblocutio de Religioſo Ordine, quantum ſcelus.

QVantum porrò ſit peccatum, de Religioſis obloqui *S. Chryſoſtomus* potentiſſima demonſtrat oratione, ſub finem libri primi aduersùs Vituper. vitæ Monaſt. Sed quod locus ſit longior, ibi legatur. In præſentia ſufficit monere, has oblocutiones, fœtum eſſe odij quo Apoſtatæ flagrant in cœtum ſanctum, à quo ſe abalienarunt: quod odium eſſe teterrimum, & in ipſum Deum redundare probat luculenter *Saluianus lib. 8. prouid. ſub finem*, agens de odio quo Afri Chriſtiani tunc nequiſſimi, & vitæ profligatiſſimæ, furebant in ſanctos Monachos. *Sacrilegij quippè genus eſt* (ait Saluianus,) *Dei odiſſe cultores. Sicut enim ſi ſeruos noſtros quiſpiam cædat, nos in ſeruorum noſtrorum cædit iniuria; & ſi à quoquam filius verberetur alienus, in ſupplicio filij pietas paterna torquetur. Ita & cum ſeruus Dei à quoquam læditur, maieſtas diuina violatur, dicente id ipſum ad Apoſtolos ſuos Domino; Qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Benigniſſimus ſcilicet ac piiſſimus Dominus, communem ſibi cum ſeruis ſuis & honorem ſimul & contumeliam facit, nequis cum læderet Dei ſeruum, hominem tantùm à ſe lædi arbitraretur: cum abſque dubio iniuriis ſeruorum Dominicorum,* Dei *admiſceretur iniuria, teſtante id ſuis Deo affectu indulgentiſſimo in hunc modum, Quoniam qui vos tangit, quaſi qui tangit pupillam oculi mei; Ad exprimendam teneritudinem pietatis ſuæ, tenerrimam, partem humani corporis nominauit, vt aperatiſſimè intelligeremus, Deum tam parua ſanctorum ſuorum contumelia lædi, quam paruus verberis tactus humani viſus acies læderetur. Inſectabantur itaque Afri, atque oderant ſeruos Dei & in iis Deum.*

Subdit, qua ratione illud in Monachos odiũ proderent; nominatimque id factum docet, maledicendo ſanctis illis, & eis obloquendo. Cauſam verò & odij, & oblocutionum, ſubiungit, quæ huc quoque optimè facit. *Nam quis* (*inquit*) *dicere poſſit quod ſine cauſa, homines ſcilicet omnimodà ſe vitæ ac morum ſtudiis diſcrepantes, in quibus nihil videbant ſuum, quoniam Dei totum. Maxima enim cauſa eſt diſcordiarum, diuerſitas voluntatum: quia fieri aut omnino non poteſt, aut vix poteſt, vt eam rem in alio quiſquam diligat, à qua ipſe diſſentit. Itaque eos non ſine cauſa, (vt dixi) oderunt, in quibus omnia ſibi æmula atque inimica cernebant. Illi enim viuebant iugiter in nequitia, iſti in innocentia. Illi in libidine, iſti in caſtitate: Illi in luſtris, iſti in monaſteriis. Illi propè iugiter cum Diabolo iſti ſine ceſſatione cum Chriſto. Non ſine cauſa itaque iſtud fuit, quod inter Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & receſis comarum fluentium iubis vſque ad cutem tonſum videre, tam infœlix ille populus quàm infidelis, ſine conuicio, atque execratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſeruus, aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de ſacris Hieruſalem locis, aut de Sanctis eremi venerandiſque ſecretis ad vrbem illam officio diuini operis acceſſit, ſimul vt populo apparuit contumelias, ſacrilegia, & maledictiones excepit.*

En germanam cauſam, cur ſimiliter Religio, ab Apoſtata excipiat maledictiones, & ſuſtineat oblocutiones. Et produnt quidem Apoſtatæ, huiuſmodi oblocutionibus, genium & animum ſuum: Religionem tamen non maculant, quia vt optimè diſſerit *Petrus Bleſenſis epiſt.* 45. *Hæc eſt lepra quæ in Sanctos* Domini *ſe diffundit. De hac lepra in Leuitico memini me legiſſe. Si effloruerit lepra diſcurrens in cute, ſacerdos lepram mundiſſimam iudicabit. Cum omnis lepra immunda ſit, lepra infamia, quæ ſanctorum afficit innocentiam, munda eſt. Nam cum exteriùs excurrat ſiniſtra opinio, cum exteriùs mentiatur iniquitas ſibi, Sanctorum animæ in manu Dei ſunt, iuſtique verba exterioris contumeliæ contemnentes, de theſauro conſcientiæ ſunt ſecuri.*

Apoſtata, qualis erga alios euadat.

TAndem quales ſint Apoſtatæ erga cæteros, poſt apoſtaſiam, expreſſit optimè *S. Ambroſius Epiſt. ad Vercellenſem* Eccleſiam, narrans caſum Iouiniani, ex eo monaſterio Apoſtatæ, quod ipſe S. Ambroſius, Mediolani condiderat. Tametſi enim Iouinianum non nominat, tamen ex contextu Epiſtolæ, & dogmatibus quæ deſertori illi tribuit, conſtat. S. Ambroſium agere de Iouiniano. Ait igitur, hunc apoſtatam, cum Religioſam diſciplinam abieciſſet, ac fructum continentiæ & ieiuniorum quibus in monaſterio inſtiterat, dilapidaſſet; diabolico ſtudio inuidiſſe aliorum operibus bonis, quorum ipſe fructu exciderat. Nimirum quia damnauit ieiunia, virginitatem depreſſit & curam carnis in deſideriis facere docuit Egregiè verò in eundem conclamat hanc ob cauſam, in pſal. 36. ad illud, *apud Dominum greſſus hominis dirigentur.* Monens enim cauendum eſſe, ne effundantur greſſus noſtri, ſicut vxoris Loth, quæ poſt ſe reſpexit; cum id quoque Ægyptiis & Hebræis contigiſſe. & vtrorumque greſſus effuſos eſſe docuiſſet ſubdit; *Nonne etiam de his pulchrè dicitur, quia effuſi ſunt proceſſus eorum, quorum ſpes lapſa, in vanum effuſus labor, vota ſunt deſtituta? Conſidera enim aliquem per aliquot annos habuiſſe ſtudium probitatis, caſtitatis cuſtodiam, vitæ auſterio-*

ris

vis affectum, piũ propoſitum ſeruitutis; ſedula obſeruationis officium, ſubitoque eum eſſe mutatum, diſceſſiſſe de monaſterio, valedixiſſe ieiuniis, continentiæ renuntiaſſe: indulgere deliciis, ſtudere luxuriæ. Dudum de monaſteriis exierunt, & nunc luxuriæ ſunt magiſtri, diſſeminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris. Nonne de his pulchrè dixeris; Effuſi ſunt greſſus eorum, quos bene vixiſſe pœnituit? Egerunt itaque noui generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, dicit Ioannes: ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, nobiſcum perſeueraſſent. Hi ergo viam ſuam condemnauerunt, quibus conuenit dici: O qui dereliquiſtis ſemitas rectas, abeundo in vias tenebrarum: O qui lætamini in malis, & gaudetis in euerſione mala, quorum ſemita praua, & fluxuoſi curſus eorum, ſicut lubricus & fluxuoſus auctor ipſorum, cur odiſſe capiſtis viam rectam, & iuſtum conſilium deſeruiſtis? Non vos dixerit Dominus.

Expende illud, *præſertim de Monaſteriis exierunt, & nunc luxuriæ ſunt magiſtri.* Inde enim, præter morem hodiéque omnibus Apoſtatis ſolemnem, vt ſe in omnibus turpitudinum volutabris conuoluant; deprehendimus quo tandem abducat apoſtaſia: nempe ad hæreſim, non modò profitendam, ſed etiam diſſeminandam, & alios docendam. Quia namque apoſtata fertur totus in oblectamenta carnis, nec iis niſi per ſcelus frui poteſt, votorum religione vetante; haud ægrè adducitur, vt abſtractus & illectus à concupiſcentia ſua, Religioſa vota, carnificinam & tyrannidem humano inuento impoſitam interpretetur, & nihili faciendam ducat: inque eam rem, aliqua Scripturæ loca infeliciter detorta, velut Adamica perizomata, ſibi obtendit. Patrum etiam, ſi qui ſecutiùs, vel nonnihil implexè locuti ſunt, plagulas aliquas ſtudioſè ſcrutatur, dimiſſis locis patentiſſimis, quæ apud eoſdemmet, alioſque Patres proſtant innumera. Quod autem ſic ſibi vel perſuaſit, vel perſuaſiſſe videri voluit, vt abſque rubore apud alios pergat facere, diſſeminat pro viribus apud alios, fitque magiſter erroris.

Barathrum Apoſtaſiæ, ex prædictis eius effectibus, eruitur.

ARbitror ex his apoſtaſiam conſequentibus effectibus, & præſertim ex hoc poſtremo, maniféſtiſſimè perſpici, verè omnino & ſapienter, à *ſancto Anſelmo lib. 3. Epiſt.* 13. dici ad quendam in ſuo inſtituto labantem Monachum; *Nihil ſalubrius potuiſti incipere, nihil periculoſius potes relinquere.* Verè item *Petrum Bleſenſem epiſt.* 13. aſſerere, *Quid eſt, Clauſtralem redire ad ſeculum, niſi cœli habitatorem cadere in infernum?* Admitto quidem, malum Religioſum, etiamſi adhuc in clauſtro corpore hæreat, eſſe in inferno, vt pulchrè tradit *ſanctus Bernardus ſermo.6. de Aſcenſ.* & concinit quod *Petrus Damiani lib. 2. Epiſt.* 5. animam impij, infernum eſſe affirmat. Annuitque *Richardus lib. 2. in Apocal. cap.* 7. exponens illud *Infernus ſequebatur dæmonem*, de inferno qui eſt ipſe impius. In hoc inferno, admitto eſſe Religioſum malè viuentem in clauſtro. Poſſumus tamen (quod fecerunt quoque *ſanctus Hieronymus & ſanctus Auguſtinus*, vterque *in Pſal.* 85. ad illa verba, *eruiſti animam meam ex inferno inferiori*,) diſtinguere duplicem Infernum; ſuperiorem ſcilicet & inferiorem. Appellant hi Patres, *infernum ſuperiorem*, ipſum impium; præ *inferno inferiori*, qui eſt ſubtus terram. Nos impium in Clauſtro Religioſum, *ſuperioris inferni* nomine donemus. Eundem verò cum excedit, & rumpit vincula, ad *inferiorem infernum* migrare dicamus, omnibus calamitatibus inuoluendum, & omnibus inordinationibus dehoneſtandum, in ea ſede in qua nullus ordo, ſed omnis malignitatis horror inhabitat.

CAP. X. *Horrifici effectus Apoſtaſia.*

Non aberrauerit qui Iordanem cum Religioſo transfuga compoſuerit. Nam apud Richardum Victorinum tract. de exterminat. mali & promotione boni Religioſi exitus e ſæculo cum tranſgreſſione Iſraelitarum ex Ægypto ad deſertum per mare rubrum; iam autem digreſſi è ſæculo Religioſi ad perfectionem & ſui deſpicientiam tranſitus, cum proceſſu eorumdem Iſraelitarum è deſerto ad terram promiſſam per Iordanem componitur. Iordanis ergo è Phiala Traconitidis regionis fonte, imperſcrutabilis profunditatis, nec inquam exuberantis, nec vnquam deficientis exoriens, (vt probat Adricomius in Tribu Manaſſe n.76.) aquis dulciſſimis longo terrarum tractu profluus, vt apud eundem auctorem in Tribu Nephtalin n. 59. legere eſt, tandem poſt multos circuitus ac ſinuoſos flexus, velut inuitus, (inquit Plinius l. 5. cap. 15.) in mare mortuum delabitur, cui commixtus, & nomen amittit, & peſtilentium aquarum admixtione, latices ſuos limpidiſſimos ac ſaluberrimos fœdè deprauat; adeò vt vbi primùm piſces quibus Iordanis abundat, aquas illas tetras guſtarint, vel renatent, vel emoriantur. Poſtremo Iordanis Aſphaltitem, ſiue peſtiferum illud mare mortuum medium per ducenta triginta ſtadia prætterlapſus, in horrenda quadam terræ voragine, & altiſſima abyſſo, abſorbetur. En imaginem totius infeliciſſimi progreſſus miſeri apoſtatæ: A diuina quippè ſapientia, fonte in excelſis, hauriens vocationis ſuæ principium, è deſerto quod primùm tenebat, ad deliciolas terræ lacte ac melle manantis progrediens, ſenſim delabitur in mortuum ſæculi mare: vbi aliquandiu peſtiferis & tetris admiſſus, & cum peruerſis peruerſus, denique prolapſus in horrendam Tartari abyſſum, ibi abſorbetur, & in æternum perit.

Liceat tam tetro tamque horrido Apoſtatæ ſtatu vel perfunctoriè perpenſo, illum conuenire ea Dei ad Adamum è paradiſo extruſum allocutione, *Adam vbi es?* provt à *S. Ambroſio* accipitur *l. de Parad. c.* 14. *Quid eſt, Adam vbi es? Ideſt, non in quo, ſed in quibus es? Non ergo interrogatio eſt, ſed increpatio. De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam cecidiſti? Dereliquiſti vitam æternam, & attumulatus es morti, conſepultus errori. Vbi eſt illa tua benè ſibi conſcia confidentia? Timor iſte culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es, hoc eſt non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu? Quo te perduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum quem ante quærebas?* Cum Adam è paradiſo extorris factus imago ſit Religioſi per Apoſtaſiam è ſacro cœtu digreſſi vt *cap.* 15. videbimus, nihil congruentius apoſtatæ è tam felici ad tam infelicem ſtatum deiecto occini poteſt.

CAPVT

CAP. XI. *Scriptura pro Apoſtaſia atrocitate.*

CAPVT XI.

Suffragium diuinum pro Apoſtaſiæ atrocitate, ex modis loquendi Scripturarum de Apoſtatis.

ATrocitatem ſceleris apoſtaſiæ, ex eius natura & effectibus hactenus ſtabilitam, auctoritate confirmaturi, ordimur à diuina, tanquam eminentiſſima, longè cæteris ſublimiore. Et quia poſt ſubductam cum Deo familiaritatem propter peccata, interpoſitamque elongationem, Deus non vltra nobiſcum confabulatur, ſed per Scripturas tanquam per litteras de cœlo miſſas nobiſcum agit, vt loquitur *S. Chryſoſtomus hom.* 2. *in Geneſ. & homil.* de ieiuniis ac Geneſeos lectione, nec non *S. Auguſtinus in pſalm.* 131. *ad verſ.* 14. *& in pſal.* 149. *ad verſ.* 2. *& Conc.* 2. *in pſal.* 90. *& epiſtola* 48. *ac S. Gregorius l.* 4. *epiſt.* 84. *& S. Macarius hom.* 39. propterea teſtimonium diuinum pro apoſtaſiæ turpitudine & atrocitate, petemus ex ſcripturis quæ huius ſceleris meminerunt.

I.

Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem, irritam fecerunt. 1. Timoth. 5.

HVnc locum pono in prima acie, quia eſt apertiſſimus, & vel ipſi Luthero non parum faceſſit negotij. Scribit enim in Sermonibus ſympoſiacis, Diabolum ita eius omnium fatigaſſe obiecto hoc loco, vt propè eum ſuffocaret, nec quieſcere aut viuere ſineret, cum ipſi obtruderet, quod tot & tantos, ac tantas, in damnationem certam iudice Apoſtolo præcipites egiſſet. Vbi nequam ille, conſcientiæ remordentis ſtimulum, vocat *diabolum.* Addit quoque ibidem, Catharinam illam quam dementarat, cum primùm Tartarei ignes concupiſcentiæ quæis conflagrabat, fœdo commercio nonnihil reſederunt, recogitantem hoc Pauli dictum, continenter per duas treſue horas fleuiſſe, & vtinam fructuosè: quod contigiſſet, ſi lachrymæ illæ, fuiſſent, (*Nyſſ. orat. de Flacilla initio* dixit.) *tanquam ſanguis vulnerum animæ.* Sed dum non vulnerata charitate, ſolo ſeruiliter ſeruili metu impendentis æterni exitij lachrymatur, in deſperationem ruit; ex huius præſertim Apoſtolici oraculi conſideratione. Nec vanus rumor fuit, quod ſibi vitam violenter eripuerit, mortuo inceſtuoſiſſimo concubino. Certè ingloria, & abſque laudatione, contra receptiſſimum gentis morem, mandata eſt tumulo. Sic damnationem ſibi acceruit, quæ primam fidem fecit irritam, vt Apoſtolus loquitur, loco citato.

Agit eo loco Apoſtolus de viduis adoleſcentioribus, quas ait profeſſas caſtitatem & velatas, atque adeò ſanctimonialibus adſcriptas. Et ita Apoſtolum intellexit *Concilium Carthag.* 4. *cap.* 104. docens, Apoſtolum agere de illis quæ ſe deuouerunt Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio Eccleſiæ & Epiſcopi, Religioſo habitu ſunt amictæ. Concilium quoque *Toletanum* 4. *cap.* 55. diſertè tradit, Apoſtolum agere de viduis iam non ſæcularibus, ſed ſanctimonialibus. Has ergo Apoſtolus docet nubere velle, cum fuerint in Chriſto luxuriatæ. Quod Theodoretus in hunc Apoſtoli locum, intelligit de ſuſtentatione lauta, & ad ſatietatem ex communibus Eccleſiæ ſumptibus. *Tertullianus* autem *l. de Monogamia cap.* 13. exponit de ſpiritualibus deliciis, quibus cum in domo Dei redundaſſent; mox mutata mente, eas cœleſtes lautitias faſtidiendo, nubere volunt. Optimè verò *S. Hieronymus Epiſt. ad Ageruchiam,* & ad hunc locum *S. Chryſoſtomus, & l. de Virginit. c.* 38. vbi hæc Apoſtoli verba, vocat *horribilem orationem,* accipiunt de luxuria communiter dicta: id eſt de fornicatione admiſſa in Chriſto, ideſt in Chriſti ſponſi iniuriam. Ad peccatum enim luxuriæ, poſt ſeipſas Chriſto addictas patratæ, nectabant nubendi voluntatem; quod erat planè apoſtatæ à ſancta profeſſione, & regredi in ſeculum.

Has viduas, ſic agendo, ait Apoſtolus damnationem ſibi æternam creaſſe: eo quod irritam facerent primam fidem. Ibi nomen *fidei,* non ſonat aſſenſum intellectus quo Deo credimus; neque enim iſtæ viduæ arguuntur infidelitatis vel defectionis à fide Chriſti, in hæreſim vel Ethniciſmum: ſed ſonat promiſſionem, ſiue votum caſtitatis, Religioſæ profeſſioni conſertum, quod votum irritabant cogitando de nuptiis cum homine carnali; atque adeò abrumpendo fidem ideſt, promiſſionem anteriorem Chriſto datam, cum aſſumendo in ſponſum per profeſſionem Religioſam. Ita hunc Apoſtoli locum, quo apoſtaſiæ turpitudo & damnabilitas tam apertè traditur, acceperunt varij omnino Patres, cum Latini, tum Græci, quos magno numero appendit *Valentia l. de Statu Religioſo c.* 6. & qui Sectariorum tricas circa hunc locum diligenter & fortiter repellit *Bellarmin. l. de monach. c.* 24. Ego D. Auguſtinum teſtem adhibeo, cuius illa ſunt in pſalmum 75. *Vnuſquiſque Deo qui vouet, ſi reſpicit retrorſum, malum eſt. Neſcio quæ caſtimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo qualibet. Quid voluit? Quod & mater ipſius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare. Quia iam vouerat domino Deo ſuo. Quid enim dixit de talibus Apoſtolus Paulus cum dicat viduas adoleſcentulas nubere ſi velint? Sed tamen ait quodam loco, beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm conſilium meum. Oſtendit beatiorem ſi ſic permanſerit, non tamen damnandam, ſi nubere voluerit. Quid autem ait de quibuſdam, quæ vouerunt & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & non reddiderunt. Nemo ergo poſitus in Monaſterio frater, dicat: Recedo de Monaſterio, neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio peruenturi ſunt ad regnũ cœlorum, & illi qui ibi non ſunt ad Deum non pertinent. Reſpondetur ei, ſed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retrò reſpexiſti.*

Eundem locum verſans *S. Epiphanius hær.* 61. *quæ eſt Apoſtolicorum,* ait; *Qui quidem ſermo, reijcit eos qui ſe Apoſtolicos ad Encratitas vocant. Reijcit autem & eos qui diluti in Eccleſia fiunt, & perſuadent mulierem à perfecto relaxatam curſu, reijcere talem perfectionem. Et habet peccatum & iudicium qui Dei Virginitatem reiecit, & certamen confudit. Nam athleta qui certamen corrupit, flagris caſus ex certamine eijcitur, & corona ac brauio priuatur.*

II. *Iam*

II.

Iam quædam conuerſæ ſunt retrò poſt Satanam. Ibidem.

AGit Apoſtolus de iunioribus fœminis, quæ cum ſpopondiſſent caſtitatem, & Religioſum habitum ſuſcepiſſent, Chriſtum ſecuturæ, retrocesſerant à Chriſti ductu, & Satanæ duci (quo autem niſi ad exitium & perditionem,) adiunxerant ſeſe. Neque verò hæ quas dixit conuerſas eſſe poſt Satanam, ob emiſſam & violatam Religioſam profeſſionem, ſunt illæ ipſæ quas Apoſtolus vult nubere, & matres familias eſſe, vt ibidem habetur. Non ſunt inquam iſtæ lapſæ, confundendæ cum aliis quibus Apoſtolus autor eſt vt nubant; vt optimè notauit S. *Epiph. hæreſi.* 61. ſed Apoſtolus occaſione lapſarum quarum ibi meminit, adhibet remedium ne cæteris ob earum fragilitatem idem contingat, ſi profiteantur Religioſam vitam: à qua proinde eás quæ adhuc liberæ erant, auertebat; niſi conſtans fixumque propoſitum ſuſciperent, continentiam ad mortem vſque retinendi, ſi eam Deo per profeſſionem promitterent,

Enormitas porrò huius retroceſſionis, ſiue apoſtaſiæ, exponitur ab Apoſtolo, per *conuerſionem poſt Satanam*: quod quid ſit, ex oppoſita *conuerſione poſt Chriſtum*, intelligi poteſt. Religioſi enim dicuntur conuerti poſt Chriſtum, ſiue ſequi Chriſtum, iuxta illud *Matth.* 19 *ſi vis perfectus eſſe* &c. *veni & ſequere me.* Et *Matth.* 16. *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quibus verbis perſpicuè intelligitur Religioſa profeſſio, qua Religioſus ſeipſum abnegat, iuxta vocis illius proprietatem egregie expenſam à *S. Chryſoſtomo Orat. de Crucis adorat:* & ab eum ferè exſcribentibus Ioanne Xiphilino, atque Philotheo, Orationibus de eo argumento. Verè item per Religioſam profeſſionem, dicitur Religioſus ſequi Chriſtum in crucem quam tollit: quia vt eſt apud *Caſſianum lib.*4.*de Inſtit.cap.* 35.& apud *Rupertum lib.* 4.*in Regulam S. Bened. à cap.* 9. Religioſus Chriſto configitur cruci. Qui igitur cum ſequi Chriſtum profeſſus eſſet, retrocedit; conuertitur retrò poſt Satanam: quia cum deberet Chriſto cruci confixò, per profeſſionem quam emiſit aſſimilari; oppoſitum facit, proſequens fluxas voluptates, quarum conſectandarum auctor & incentor eſt Satanas. Poſſit etiam; nec incommodè, conuerſio, illa poſt Satanam, accipi eodem ſenſu quo retroceſſio, ſeu retro reſpectio, de qua inferiùs. Cum enim Religioſi teneantur vi profeſſionis aſpirare ad perfectionem; Idque quiſquis ſtudiosè facit, ſequatur Chriſtum, & poſt illum longiſſimè ante nos, & nunquam per nos aſſequendum conuertatur; meritò, qui abiecerunt Religioſam profeſſionem per apoſtaſiam, dicuntur retrò conuerti; quia ne habitu quidem, & viſtatus, deſinunt vlteriùs progredi, ſed retrocedunt, vt paulo poſt vberius dicam.

III.

CAP. XI. Scriptura [illegible] apoſtaſia atrocitate

Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Actorum 5.

DE Anania & Saphyra, illud ex his ſcripturæ verbis & contextu reliquo, certam habemus, tranſtuliſſe, ex voto bona ſua in Eccleſiæ commodum victuros ex ſupeditanda communi ſumptu annona. Non me latet, quæ ibi commini ciit Caietanus, & quæ nuper quidam Keliſſonus de eadem reſcribit *Tract. de Eccleſiaſtica Hierarchia*, ſententiam quæ votum ab hac ſynoride emiſſum dicit quoad bona ſua, tribuens Leſſio, quaſi Leſſius primus eam cudiſſet: quæ eſt vel oculorum ſuffuſio omnino tetra, vel ignorantiâ non ferenda. Nihil enim apud Patres decantatius, quam emiſſum fuiſſe ab Anania & Saphyra paupertatis votum. Ita diſertè *Baſilius Serm. citato*; *& Naz. in præceptis ad Virgines carmine conſcriptis*; *Chryſoſtomus Actor.* 5. *Athan. ſermone de paſſione & cruce Dom. Hieronym. epiſt. ad Demetriad. Sanctus Auguſt. ſerm.* 27. *de verbis Apoſtoli. Maximus ſerm.* 1. *de auaritia. Caſſia. lib.*7.*cap.*30. *Autor libri de malis DD. Gregor. lib.* 2. *Regiſt. epiſt.* 33. *& expreſſiſſimè Concil. Aquiſgran. ſub Pipino lib.* 3. *cap.* 12. *ex Recentioribus Interpretes paſſim Actor.* 5. Idem late, ac fusè, multiſque Patribus præter adductos prolatis, *Thomas à IESV in cap. non dicatis part.* 2. *cap.* 2. *Subſcribunt Nicolaus le Maiſtre parte* 1. *de bonis Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. *ſub finem. Turria. lib.* 5. *contra Magdeburg. cap.* 2. *Bellarm. lib. de Monach. cap.* 20. *Suares* 4. *de voto cap.*1. *num.* 8. *Michaël Munnos lib.* 2. *propugnaculi Eliæ titulo* 2.*cap.*2.*artic.*2. *num.* 4. *& Didacus à Cea lib.* 2. *apologet. pro. S. Petro Archielogio* 1.*cap.* 2. §.1. Faceſſat itaque nouitas illa, qua gratis negatur; votum ab his coniugibus emiſſum; tantumque admittitur, eos bona ſua omnia Apoſtolis, & communitati addixiſſe: ideóque partem bonorum communitati iam addictarum ſibi vendicantes, affeciſſe iniuria communitatem, eámque defraudaſſe; non autem votum vllum de huiuſmodi bonis emiſiſſe: ſi res ita haberet, non eſſent Ananias & Vxor eius, mentiti Deo, ſed hominibus, contra quàm Princeps Apoſtolorum affirmauit: Nec vt voti violatores damnarentur à prædictis, & ab aliis propè omnibus Patribus. Quare ſit extra dubium, hos coniuges ex voto bonis ſe ſpoliaſſe.

Iam verò Ananiam Religioſum factum; Saphyram eius coniugem Sanctimonialibus adiunctam fuiſſe, etiamſi plerique omnes non agnoſcunt, videtur tradere *S. Baſilius ſerm.* 1. *de inſtit. Monach. ac Beda Actorum* 5. (qui Ananiam & Saphyram refert ad Monachos Sarabaitas;) & apud *Bernardum Auctor libri de modo benè viuendi cap.* 48. *& Philippus Abbas epiſt.* 8. *Et ex Recentiorib. Salmeron Tract.* 21.*in Acta.* Vt vt ſit, & ſiue hi quondam coniuges, Religioſam vitam ſint profeſſi; qua ratione habere in eis locum potuiſſet apoſtaſia, ſiue non ſint profeſſi; ſed tantum ex voto facultates ſuas omnes ad Apoſtolorum pedes contulerint, victuri ex ſuppeditanda communi ſumptu annona; Quicquid inquam in dubitatione de Religioſa profeſſione illorum coniugum ſtatuatur; Patres in culpa Ananiæ, & Saphyræ, agnoſcunt aliquid gemi-

nam

CAP. XI. *Scriptura pro Apoſtaſiæ atrocitate.*

num apoſtaſiæ: nempe quod tentante Satana, non hominibus, ſed Spiritui Sancto ſint mentiti. Nam ex hoc exemplo hortantur Religioſos ne deficiant à ſuſcepto inſtituto; quod ita agentes, non hominibus, ſed Deo ſint mentituri, ſiue Spiritui Sancto. Ita *Sanctus Hieronym. epiſt. ad Demetriad.* & *Sanctus Baſilius ſupra, ac Beda Actorum 5. Petrus Damian. Opuſcul.* 12. *cap.* 3. Et omnes quidem Chriſtiani, tenentur non mentiri Deo vt diſſerit S. *Athan. initio ſermonis in paſſio, & Cruce Domini.* Tamen præcipuè, ac ſpeciali debito ad id aſtringuntur Religioſi, qui verè & propriè promiſerunt, per vota profeſſionis ſuæ, ea ſe præſtituros, ad quæ communes Chriſtiani non aſtringuntur, quippè qui talia non ſunt polliciti. Itaque ſi ab inſtituto recedant, grauiſſimè mentiuntur Spiritui Sancto.

Magna profectò delicti atrocitas, mentiri Deo. Nam Deus veritatem amat impenſiſſimè, quia Pater eſt Filij qui de ſeipſo ait, *ego ſum veritas.* Itaque mentiri Deo, redolet grauitatem atrociſſimorum illorũ peccatorum quæ dicuntur peccata in Spiritũ Sanctũ: quia pugnant cum bonitate & charitate diuina, quæ Spiritui Sancto attribuitur. Similiter ergo peccatum quod aduerſatur attributo diuinæ ſapientiæ & veritatis, vel certè veracitatis, quæ charitati diuinæ non cedit, atrociſſimum ſit neceſſe eſt. Vnde non video, qua ratione, peccatum Ananiæ leue fuiſſe ſignificet *Iſidorus Peluſ. lib. 1. Epiſtol.* 181. Deinde ita mentiri Deo, perinde eſt ac Deo alludere, eumque habere pro puero, vt ſcitè dixit *Petrus Damiani Opuſcul.* 42. *parte* 2. *cap.* 2. At Deum tantæ maieſtatis irridere, vertex malitiæ eſt. Spectaſſe ſanè eo videtur Dauid, cum eos qui vouiſſent, hortatur ad reddenda vota, ne ei illuſiſſe, vel illudere voluiſſe viderentur, qui eſt terribilis, & auferens ſpiritum principum, terribilis apud omnes Reges terræ. Et Ananias quidem ac Saphyra, quamvis non leuiter deliquiſſent, tamen quod eſſent tyrones, (inquit *Petrus Damiani Opuſc.* 12. *cap.* 3.) ſola corporis morte mulctati ſunt, ſaluo ſpiritu: Id quod etiam benignior multorum ſententia fert, apud *Gazæum ad librum* 7. *Caſſiani cap.* 25. repugnante licet S. *Maximo ſerm.* 1. *de Auaritia, & SS. Auguſtino ac Baſilio apud Gazæum ibidem.* Atqui cum deberent magiſtri eſſe per tempus, ſimiliter, imo etiam tetriùs hallucinantur, eos vtraque manet damnatio.

IV.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei Luc. 9.

CHriſtus quidem, hæc verba non protulit de recedentibus ab inſtituto cui ſe illigauerint: ſed cum aliquis ſe obtuliſſet vt ei adhæreret, tantumque poſceret, vt liceret ſuis primum renunciare, ſiue ſignificare iis qui domi erant quid cœpiſſet concilij, repoſuit illi Chriſtus non eſſe quod de monendis propinquis eſſet ſollicitus; cum nemo orſus benè agere, & ſpiritualem ſementem facere, debeat auerti à ſuſcepto opere. Quamvis autem hic ſit germanus & genuinus verborum Chriſti ſenſus; tamen quod ij maximè qui à Religioſo inſtituto ſemel inito recedunt per apoſtaſiam, reſpiciant retrò poſt inchoatam agri ſui interni proſciſſionem; meritò Patres & Aſcetici paſſim, hunc locum accommodant ad apoſtatas, eoſque aiunt retrò reſpicere, & non eſſe aptos regno Dei. Videndus nominatim *S. Anſelmus l.* 3. *Epiſtol.* 13. & optimè *S. Auguſtinus pſal.* 83. *ſub initium*, vbi cum præmiſiſſet vnumquemque retrò reſpicere, cum dimittit locum itineris ſui ad quem proficiendo peruenit, & quem Deo vouerat, ſubdit eius rei nonnulla exempla, & nominatim iſtud. *Sic virgo quæ ſi nuberet, non peccaret: ſanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur. Reſpexit enim retro de loco quo acceſſerat. Sic quibus placet relicta omni ſpe ſæculari, & omni actione terrena conferre ſe in ſocietatem ſanctorum, in communem illam vitam vbi non dicit aliquis aliquid proprium, ſed ſunt illis omnia communia, & eſt illis anima vna, & cor vnum in Deum: quiſquis inde recedere voluerit, non talis habetur qualis ille qui non intrauit; ille enim nondum acceſſit, iſte retrò reſpexit. Quapropter chariſſimi quomodo quiſque poteſt, vouete & reddite Domino Deo veſtro quod quiſque potuerit; Nemo auertatur ab eo quod antè eſt ad id quod retrò eſt, currat donec perueniat, non enim pedibus, ſed deſiderio currimus.* Magnus item Antonius vt in eius vita refert *S. Athanaſius cap.* 15. ſic ſuos affabatur, vt eos in ſuſcepto inſtituto firmaret. *Precor vt ad finem propoſiti, omni labore tendamus. Nemo poſt tergum reſpiciens, Lot imitetur vxorem, præſertim cum Dominus dixerit, nullum ponentem manum ſuam ad aratrum, & reſpicientem retrorſum, dignum, eſſe regno cœlorum: Reſpicere autem retrorſum, nihil aliud eſt quàm in eo pœnitere quod cœperis, & mundanis rurſus deſideriis obligari.* En cur dicantur apoſtatæ retrò reſpicere.

Addi poteſt & alia ratio, nimirum quod apoſtatæ cum vi inſtituti ini i teneantur ad perfectionem progredi; (eſt enim Religio ſtatus perfectionis acquirendæ, ſicut Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, ait *Ioannes de Excuria Dominicanus l. de reformat. ſui ordinis artic.* 2.) Tantum abeſt vt progrediantur, vt potiùs deteſtabiliter regrediantur, malè deſerentes Chriſtum præeuntem, nec ſe conformantes Apoſtolo, qui conteſtatur ad Philipp. 3. *quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora, extendo meipſum.* Et hoc pacto, *Titus Boſtrenus & Euthymius Luc.* 9. interpretantur illud, *retrò reſpicere.* Egregiè id attigit *S. Greg. hom.* 3. *in Ezech.* ad illud *vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur*, quod ſic gloſſat. *Ante nos æterna ſunt, poſt nos temporalia: & illa pergentes inuenimus, & iſta recedentes, quaſi poſt dorſum relinquimus. Vnde & illud magnum pennatum animal dicebat, quod vſque ad cœli tertij ſecreta volauerat. Vnum verò quæ retro ſunt oblitus, in ea quæ ſunt ante extendens me, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis. In anteriora etenim extentus, eorum quæ retrò ſunt oblitus fuerat, quia temporalia deſpiciens, ſola quæ ſunt æterna quærebat. Ante faciem ergo ſuam gradiuntur ſancta animalia, quia & ea quæ reliquerunt, nullo iam appetitu reſpiciunt, & in æternis quæ appetunt, ſub contemplationis ſuæ oculos boni operis pedem ponunt.* Subdit ſtatim, quod è contrario, impij retrò abeant.

Dicuntur igitur apoſtatæ retrò reſpicere, quia non modò non progrediuntur, ſed etiam malè redeunt ad ea à quibus ſe elongare ſtatuerant, & quæ per profeſſionem receperant ſe declinaturos. Quod pij quique ſtudioſè ſeruant, vt ferunt illa eiuſdem S. Gregorij ibidem, circa illud *non reuertebantur cum incederent*, quod de SS. animalibus eſt dictum. *Pennata (inquit) animalia, videlicet, prædicatores ſancti, cum incedunt, minimè reuertuntur,*

quia

quia ſic à terrenis actibus ad ſpiritalia pertranſeunt, vlterius nullatenus reflectantur. Quaſi enim per quandam viam eis incedere, eſt mente ire ſemper ad meliora. Quo contra de reprobis dicitur, quia reuerſi ſunt corde in Ægyptum. Per ſemetipſam veritas dicit. Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò aptus eſt regno Dei. Manum quippe ad aratrum mittere, eſt quaſi per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram ſui cordis aperire. Sed retro poſt aratrum reſpicit, qui poſt exordia boni operis ad mala reuertitur quæ reliquit. Quod quia electis Dei minimè contigit, rectè nunc per Prophetam dicitur, Non reuertebantur cum incederent.

At impiis & Apoſtatis, contingit reuerti cum incederent: idque eſt illos retro reſpicere, ac reuerti ad iam vetita & illicita. Ob hanc retrò reſpectionem, dicuntur Apoſtatæ non eſſe apti regno Dei, quod iuxta genuinum verborum Chriſti eo loco ſenſum, quomodò ſit accipiendum, dictum eſt c. 1. A plerique tamen Patribus, ea *non aptitudo* ſumitur contrariè, pro damnationis merito. Ita S. *Gregor. 3. p. Paſtor. c. 28. & S. Hieron. in pſal. 26. & in c. 1. Iſaiæ.* Senſus ergo accommodatitius illorum Chriſti verborum eſt, Apoſtatam indignum eſſe qui cœlo inferatur, ſed propter tanti criminis enormitatem, excludendum eſſe à conſortio ſanctorum Religioſorum, qui ſecundum magnum inter eos Stiuarium, (ſic Sanctum Antonium nominat *Alcuinus l. de laude Virginit. cap. 14.*) ad vlteriora ſemper progredientes, nunquam fatigantur, nunquam pedem referunt. Huius Apoſtolici aduerſùs Apoſtatas oraculi, contentionem cum illo Pythagoræ ſymbolo, *Ne reuertare, cum ad terminum veneris*, petere licet ex *Lilio Gyralao lib. de Pythagora Symbolis.*

V.

Vos eſtis Sal terræ; Quod ſi ſal conuertit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Matth. 5. & Lucæ 14.

AD Apoſtolos hæc dicit Chriſtus Dominus, qui quod verè Religioſi eſſent, meritò iuſſi ſunt perſtare conſtantes in ſuſcepto vitæ inſtituto, & vim ſaporiferam retinere, amiſſuri illam ſi ab inſtituto deficerent, & foras proiicerentur. Egregiè id illuſtrat *Bernardinus Gomeſius lib. 5. de ſale num. 91. & 92.* At non ad Apoſtolos tantùm dicta hæc eſſe, ſed ad quoſcunque Religioſos, conſilia Chriſti exemplo Apoſtolorum amplexaturos, intelligitur ex *Luca* 14 vbi Chriſtus ad maturam deliberationem circa crucis baiulationem & perfectionis Euangelicæ ſtudium profeſſione apprehendēdum, omnes inuitans, propoſito exemplo ædificium molientis, aut bellum commiſſuri aduerſùs alium Regem, ſubdit; *Sic ergo, omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vt autem agnoſcerent, quàm tenaces arrepti inſtituti, & voto firmatæ profeſſionis eſſe deberent, ſubdit continenter; *Bonum eſt ſal, ſi autem Sal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in ſterquilinium, vtile eſt; ſed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat. Elias Cretenſis ad Orat. 3. Naz. num. 3.* hanc ſalis infatuationem multipliciter exponit. Sic enim ſcribit, agens de vxore Loth verſa in ſalis infatuati ſtatuam. *Quod vxor Loth in ſalis ſtatuam conuerſa ſit, hinc illud quodammodo ſignificari videtur, eam in mentis obtuſionem, & inſenſibilitatem incidiſſe, vt potè circa id quod vtile erat, ſtupore laborantem. Lapis enim obtuſionem, ſal inopiam deſignat. Quod quidem etiam Dominus innuens, his verbis vtebatur; Quòd ſi ſal infatuatum fuerit, in quod ſalietur? Aut ſic Reſpexit, (inquit) mulier poſt ſe, & facta ſtatua ſalis; ſtatua nimirum in triumphum & condemnationem. Aut quia proba quidem alioqui erat, verùm ob inobedientiam periit. Quin alia quoque ratione, mulier imbecillem & ignauam mentem deſignat, corpuſque voluptatibus fractum, & debilitatum: quod etiam ſi quandoque ab his non nihil abſcedere potuerit, tamen per recidiuum ad vitium prorſus inutile redditur. Hoc enim hinc ſignificari arbitror, quòd ſalis ſtatua effecta ſit; quod quidem (vt diximus,) languidæ mentis, & quæ ad ſtultitiam reſiliendum ſibi duxit, ſymbolum eſt.*

CAP. XI. *Scriptura pro apoſtaſiæ atrocitate.*

Hæc vltima acceptio infatuationis, maximè cohæret cum Chriſti verbis quæ adduximus. Significat ergo Chriſtus, rem eſſe non adeò obuiam, ſed attentione digniſſimam quam proponit; hanc nimirum. Qui perfectè omnibus renunciat, & eatenus ſal orbis terrarum factus eſt, aptus ſaporem conciliare, & putorem arcere quamdiu ſal manet; caueat ne infatuetur, & ſal eſſe deſinat, dimiſſa ea profeſſione quam omnibus renuncians inierat. Nam ſi deficiat, ac ſalis vim & conditionem deponat, tam erit ad omnia inutilis, quam ante erat conducibilis humano generi, vtiliſque ad omnia. Nimirum optimorum, ſi vitientur, deterrima eſt conditio. At ſalis, ſicut vtili bonitate omnibus eminet corporeis, ita ſupra res omnes corruptas deterrimus eſt ſtatus, cum euaneſcit atque corrumpitur. Cœtera enim omnia, ad aliquid conducunt. Vinum ſi aceſcat, & vitietur, fit acetum lignum ſi carie perdatur, poteſt igni admoueri, & ad foci vſum ſeruire; Cadauera ſi putreſcant, abeunt in fimum, & ſtercorandis agris vtilia eſſe poſſunt. Sal verò ſi corrumpatur & infatuetur, ne in ſterquilinium quidem vtile eſt: Nec enim euadit in fimum, quo agri oblimari & pingueſcere poſſint; ſed ad omnes prorſus humanos vſus eſt inutile. Tantum ſubſterni poteſt tranſeuntibus, & eorum calcari ac proteri veſtigiis. Idem vſuuenit ei qui renunciarit omnibus propter Deum, ſi poſtmodùm retrò reſpiciat. Nulli enim alteri vſui eſſe in Eccleſia poteſt, niſi vt materiam ſermonum ſuppeditet, & omnium linguis concidatur, calceturque iudiciis.

Aliò ſalis infatuati denominationem præ humilitate traxit S. Epiſcopus Rutherius de quo Baron. annò 954. Se item vocauit ſalem infatuatum, Ecebolius ille magni nominis ſophiſta, quem pro Principum Religione, nunc Chriſtianum ſub Conſtantio, mox Ethnicum ſub Iuliano, rurſuſque ſublato Iuliano Chriſtianum, riſere veteres. Is igitur in reditu ad Chriſtianos, ante Eccleſiæ valuas ſe in terram abiiciens, clamabat; *Me quaſi Sal infatuatum, pedibus conculcate.* Legeſis *Socratem lib. 3. c. 11.* Sanè ſi Apoſtata à Religioſo ſtatu, verè & meritò dicitur Sal infatuatum, quanto potiori ratione id ipſum liceat dicere de Apoſtata à fide? Commodè tamen ad filium narrationis Euangelicæ monſtraſſe videor, appellationem iſtam in Religioſum apoſtatam optimè conuenire, etiam ex Chriſti mente. Neque tamen abnuo, quominùs

CAP. XI. *Scriptura pro Apoſtaſia atrocitate.*

hæc infatuatio & proiectio, per quandam quaſi extenſionem, ad reprobationem quoque denotandam quæ apoſtaſiam facilè conſequitur, diſtinguatur; vt late confirmat *Philippus Abbas l. de damnatione Salomonis*, tractans S. Hieronymi ſenſum de ſalute Salomonis. *Conſtat* (*inquit*,) *quod Sal infatuatum irreparabiliter exinanitur, perditoque genuino ſapore, iterum non ſalitur, ſed vbique & ſemper inutile penitus inuenitur, dum vel ipſum per aliud, vel per ipſum quicquam aliud non conditur. Quapropter cum de ſale infatuato ſermo in Euangelio ventilatur, nihil aliud, quàm quilibet reprobus deſignatur: qui perdito ſapore iuſtitia, peruerſitate inſulſa, & inſipida deprauatur, & in gradum priſtinum, nulla pœnitentia reuocatur. Quod attendens Dauid, cum de quodam reprobo loqueretur, pro certo ſciens, quod illius conſilium Deo nullatenus placitum haberetur, ſatis humiliter idem conſilium poſtulauit infatuari, id eſt, diuina voluntatis beneplacito reprobari. Infatua quaſo Domine,* (*ait*) *conſilium Achitophel. Et hac quidem poſtulatio non eſt infatuata, ſed Achitophel malitia reprobata; qui peruerſo & iniuſto conſilio iuſtitiam Creatoris offendit: & effectu carens conſilij, diſpoſita domo ſua, laqueo ſe ſuſpendit. Benè ergo ſal infatuatum foras proiicitur, in qua proiectione nihil aliud, quam hac eadem reprobatio demonſtratur; qua peruerſus quilibet irreparabiliter condemnatur. Foralis quidem proiectio, aterna eſt reprobatio, qua miſeri quique ligatis manibus & pedibus foras proiiciuntur, qui Domini gaudium intrare non ſinuntur.* Expendit in eundem ſenſum, orationes quibus Dauid ſæpè poſtulauit non proiici à Deo. Tum concludit, compellans Deum. *Dicamus & nos, Bone Ieſu, non nos infatua, non nos proiice à facie tua, ne cum Achitophel, vel nequam ſeruulo qui foras proiectus eſt, pereamus, ſed in abſcondito vultus tui, ſecuritate perpetua gaudeamus.*

Hunc ſenſum infatuationis & proiectionis ſalis, ita non repudio, vt tanquam ſubordinatum propoſitæ interpretationi, lubens amplectar. Nihil enim inutilius reprobo, nihil abiectius proiicitur; nihilque procliuius eſt, quàm vt ſumma hæc inutilitas & abiectio hominis, deſertionem loci in quo Deus eum poſuerat, conſequatur.

Non difficilè huc tranſtuleris, quod de lumbari per putrefactionem in aqua, reddito prorſus inutili, apud Ezechielem habetur. Nam illud lumbare, eſſe ſymbolum hominum Deo intimiùs agglutinatorum, & corruptionis qua male pereunt, & ad omne bonum inutiles fiunt, (cuiuſmodi profectò ſunt Apoſtatæ,) diſſerit pereleganter *Petrus Damiani Opuſc.* 18. *diſſert.* 1. *cap.* 5.

VI.

Homo qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Lucæ 14.

HÆc verba pertinere ad ſannas quibus excipitur qui à Religioſo ſtatu deficit, egregiè omnino aperuit S. *Auguſtinus Epiſtol.* 38. quæ eſt ad Lætum, in ſuſcepto Religioſo inſtituto nutantem, ob matris interpellationem. Quod enim Eraſmus, eam epiſtolam plurimùm diſſidere ait à phraſi Auguſtini, obeſam huius Batani naream prodit. Nam Poſſidius Auguſtino æqualis, in Indiculo, & *Beda* 1. *Timoth.* 5. agnoſcunt eam Epiſtolam eſſe diui Auguſtini; quos in diiudicando D. Auguſtini ſtylo, præponere Eraſmo omnia iura mandant. Quod autem non habeam, vnde meliùs demonſtrem verba Chriſti propoſita pertinere ad deficientes à Religioſo inſtituto ſuſcepto, quam quæ apud *D. Auguſtinum ea Epiſtola* 38. leguntur, non grauabor ea adſcribere. Sic igitur habet. *Caſtra ne deſeras in quibus tibi etiam adificanda turris eſt illa, è qua in Euangelio Dominus loquitur. In ea quippè ſtantem, & ſub armis verbi* Dei *militantem, nulla ex parte penetrare vlla tentationes valent. Inde & iacta in aduerſarium tela graui pondere veniunt, & proſpecta firmo munimine deuitantur. Conſidera etiam Dominum noſtrum* Ieſum *Chriſtum cùm ſit Rex noſter, tamen à ſocietate qua etiam frater noſter eſſe dignatus eſt, Reges appellaſſe milites ſuos, & vnumquemque ad bellandum cum rege qui habet viginti millia, inſtructione decem millium idoneum eſſe debere pramonuit. Sed paulo antequam de turre & de Rege exhortatorias ſimilitudines poneret, attende quid dixerit;* Si *quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Et ſi non tulerit crucem ſuam, & venerit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Deinde ſubiungit: Quis ex vobis volens turrim condere non primò ſedet & computat ſi ſumptus habet ad conſummationem ne quando cum poſuerit fundamentum non poſſit adificare. Et omnes qui tranſeunt & vident, incipiant dicere; Hic homo cœpit adificare & non potuit perficere? Aut quis Rex vadens committere bellum cum alio rege, non primùm ſedet, & cogitat, potens eſt cum decem millibus ei occurrere, qui cum viginti millibus venit ad illum. Caterum dum adhuc longè eſt, mittit legationem, rogans pacem. Quò autem pertinerent iſta ſimilitudines, ipſa concluſione ſatis aperuit. Ait enim:* Sic *ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus qua ſunt eius, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Itaque & ſumptus ad turrim adificandam, & bellantium decem millium aduerſùs Regem qui viginti habet, nihil eſt aliud quàm, vt renuntiet vnuſquiſque omnibus qua ſunt eius. Praloquutio autem ſuperior, cum extrema concluſione concordat.*

Similitudo ædificantis & non conſummantis, quomodò Apoſtatam cadat, non videtur obſcurum; & præclarè eam ad hoc negotium accommodat *Iſidorus Peluſiota lib.* 1. *Epiſt.* 372.

Vt autem ſimilitudo volentis bellare cum alio, intelligatur ad rem facere, ſtatuendum eſt, eum qui bellare voluit, priùs quam bellum iniret agnouiſſe, poſſe ſe hoſti obſiſtere: alioqui enim inconſultè ageret, bellum ineundo aduerſùs eum cui non credat ſe poſſe reniti: Et præſtitiſſet bellum non ſuſcipere, ſed interpoſitis caduceatoribus pacem poſcere. Sic igitur accommodanda eſt ea ſimilitudo, vt moneatur is qui Chriſti caſtra & Religioſam militiam aduerſùs Satanam & mundum iniuit, agnoſcens ſe cum bono Deo fore hoſti non imparem, poſtea ſuſcepto iam bello perſtare in ſententia; Alioqui enim fore vt rideatur, imo etiam vt ab hoſte iam laceſſito, nec pacem niſi periniquis conditionibus daturo, aſperiùs & crudeliùs tractetur. Ita per proportionem ſupplendum eſt ex alia ſimilitudine, quod in iſta non eſt expreſſum.

VII.

Si refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri & Saluatoris IESV Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur; facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus: 2. Petr 2.

APoſtolus hæc dicit de falſis illis Doctoribus, quos in Eccleſiam ex Eccleſia graſſaturos præmonet, & deſcribit furuis admodùm coloribus, cum dicit, introducturos ſectas perditionis, & futuros poſt carnem, in impudicitia ambulantes, coinquinationes & maculas, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, maledictionis filios, fontes ſine aqua, nebulas turbinibus exagitatas. Alios præterea adhibet colores, quibus hominum ad omnem audaciam & *malitiæ effrœnationem proiectorum, perfectam & conſummatam impietatem exhibet. Et quamvis ea omnia cadere in primos illos Chriſtianæ Eccleſiæ naſcẽtis corruptores, quos iiſdem ferè verbis S. Iudas in Canonica Epiſtola exagitat; negari non poſſit; Tamen eorum plerique, apoſtatæ à Religioſo inſtituto erant, cui primis illis temporibus (vt ſuperiùs monſtratum eſt,) præter Apoſtolos, ſtudioſi quique perfectionis, adhærebant. Deinde verba ſancti Petri ac S. Iudæ, non ad eos duntaxat falſos Doctores omni nequitia contaminatos pertinent, qui tunc viuebant; ſed ad alios quoque per Chriſtiana ſecula reſurrecturos, in quos characteriſmi illi proiectiſſimæ improbitatis apertè cadunt: cuiuſmodi ſunt Iouinianus, Lutherus, Vigandus, Bucerus, Vermillius, Oecolampadius, Ochinus, aliique qui ex Religioſi inſtituti profeſſoribus, euaſere in turpiſſimos & nefandiſſimos ſectarum magiſtros; *& ſuperbia vanitatis loquentes pellexerunt in deſideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt; qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis*. Nihil aptius aduersùs hodiernos quoque errorum magiſtros, qui plerique omnes è cœnobiis prodierunt, adduci potuit. Hi namque ineſcati à luxuria, alios iiſdem oblatis eſcis, in eam nequitiæ voraginem ſecum pertrahere tentant, promiſſa qua ipſimet deſtituuntur ſpiritus libertate. Veriſſimè de his dicitur, eos cum refugiſſent coinquinationes mundi, his rurſus implicatos, & à corruptione ſuperatos, deteriores euaſiſſe quam fuiſſent, priuſquam coinquinationes mundi refugiſſent: ſicque facta eſſe poſteriora eorum deteriora prioribus.

Alludit apertè Apoſtolus ad Chriſti verba, quæ prodant S. *Matthæus cap.* 12. *& S. Lucas cap.* 11, vbi Chriſtus, deteriorem Iudeæ ſtatum, ſub incredulitate ad legis gratiæ prædicationem, fuiſſe docet, quàm olim fuiſſet, cum in progenitoribus ſuis Idololatriæ eſſet addicta: etiamſi intermedio tempore, mediocri ſanctitate fuiſſet exornata. Id autem monſtrat Chriſtus Dominus, exemplo hominis à dæmonio vexati, cui peſſimè ſanè erat à tam truci inquilino. Sed cum mox, diuina ope liberatus ab eo eſſet, factus gratiæ Dei ac tantæ in ſe beneficentiæ ingratus, locum iterato præbuit Diabolo, qui inueniens habitaculum illud ſuum, ſcopis mundatum & ornatum, regreſſus eſt cum aliis pluribus nequiſſimis ſpiritibus, & in pœnam ingratitudinis regredi permiſſus eſt; ſicque facta tunc nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Ad hæc ergo Chriſti verba alludens Apoſtolus, ait illorum Pſeudomagiſtrorum nouiſſima, peiora prioribus fore. Nam & ipſi priuſquam coinquinationes carnis refugerent, ab inhabitante Satana occupabantur, ſin minùs per corporalem vexationem & ſenſibilem energumeniſmum, at ſaltem ſpiritualiter. Qua ratione, homines vniuerſo, priùs quam per Chriſtum abigeretur Satanas, fuiſſe dæmonum inhabitantium ſedem, dixit *Clemens Alex. 2. ſtrom. cap.* 9. ex S. Barnaba cuius ibi laciniam refert: annuitque *S. Gregorius* 27. *mor. cap.* 19. ad illud *ingredietur beſtia latibulum ſuum, & in antro ſuo morabitur*. Diſertè autem S. Paulus, *operari* ait *Satanam in filiis diffidentiæ*. Vox græca ἐνεργεῖν, quam noſter interpres vertit *operari*, apertè fert, eum quem dico ſpiritualem energumeniſmum impiorum, ab inhabitante Satana. Enim verò ſi *S. Petrus Chryſologus ſermon.* 5. *& Petrus Damiani Opuſc.* 42. bonos nominant *Dei energumenos*; quidni pari iure, impios, energumenos Satanæ dicere liceat? Confirmat hunc ſenſum noſtrum, quod S. *Dyon. cap* 3. *Eccleſ. hierar.* idcirco notat, expulſos olim ex Eccleſia per tempus ſacrificij Energumenos, quorum corpora Satan, vexabat, vt Energumeni ſpirituales quorum animæ inhabitantur & agitantur à Satana, commone fierent quid eos maneret, & recogitarent quomodò arcendi eſſent à templo in quo omnes dicent gloriam. Eodem pertinebat catechumenorum exſufflatio ante baptiſmum, vt depulſio Satanæ hactenus ibi demorati ſignaretur, quod notat *Turrianus lib.* 3. *de dogmat. charact.* & paſſim alij ſacrorum baptiſmi rituum Tractatores. Erant ergo Pſeudomagiſtri illi, ſpiritualiter energumeni, priuſquam inquinationes ſeculi refugerent: Et per Chriſti gratiam, & profeſſionem Chriſtianæ perfectionis, liberati erant: ſed illis per ingratitudinem, locum in ſe rurſus præbentibus Diabolo, facta ſunt nouiſſima eorum peiora prioribus. Nam regrediente, nec ſine commitatu amplioris nequitiæ, Satana; ad tetriorem & horribiliorem ſtatum ſunt deducti, in pœnam ingratitudinis, & conculcatæ Chriſti beneficentiæ. Hæc vniuersè ad quoſvis à ſtatu Religioſo Apoſtatas, (etiamſi quod rarum eſt, non omnes fiant magiſtri erroris, & hæreſeon diſſeminatores;) accommodarunt *Petrus Damiani Opuſc. 42. par. 2. cap.* 3. & Autor ſermonum ad Fratres in Eremo *ſermon.* 61. Et verè ſingula Apoſtoli verba appoſitiſſimè in his comprobantur. Nam & ſeculi coinquinationes refugerant, Chriſtum ducem cognitum & amatum ſecuturi; & hic rurſus implicantur, & fiunt nouiſſima eorum peiora prioribus. Et ratio huius deterioris ſtatus nouiſſimorum, quàm ſanctus Petrus addit, optimè hic quoque quadrat: Nimirum quod *melius illis erat, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorsùm conuerti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato*. Non vocat *ſanctum mandatum*, præceptum de Chriſtiana fide, & ſuſcipienda & retinenda, vt *S. Aug. lib. de fide & operibus cap.* 25. benè notauit: ſed *ſanctum mandatum* appellat, legem de refugiendis coinquinationibus ſeculi, quas Religioſi, legibus inſtituti quod ſunt profeſſi, tenentur refugere, & viæ iuſtitiæ quam inierunt, fortiter inſiſtere. Vnde *Theodorus Studita Catech.* 13. hunc S. Petri locum applicat Religionum Apoſtatis. Egregio ſimili ad hanc ipſam rem per ſanctum Macarium vſurpato, hom. 15. rem illuſtro. *Veluti ſi mulier quadam*

CAP. XI. *Scriptura pro Apoſtaſia atrocitate.*

CAP. XI. Scriptura pro Apoſtaſia atrocitate.

pannoſis induta, eſuriens ac ſqualida, multo cum labore peruenerit ad regiam dignitatem, vt purpura & corona exornetur, ac fiat Regis ſponſa, meminerit ipſa priſtinarum ſordium, ac velit ad priorem ſtatum regredi (atqui nequaquam optauerit priſtino pudore ſuffundi: hoc enim ſtolidum eſſet:) ita qui guſtauerunt gratiam diuinam, & facti ſunt participes ſpiritus, niſi ſibi caueant, dilabuntur, & fiunt deteriores, quàm erant cùm eſſent mundo dediti.

Auctor libri de modo benè viuendi ad ſororem, falsò creditus Sanctus Bernardus, ex prolata ratione Apoſtoli, ſic diſſuadet Apoſtaſiam, cap. 10. *Non ſufficit bona incipere, niſi etiam quiſque ſtudeat ea quæ benè inchoauit, vſque ad finem vitæ perducere: quia melius eſt viam iuſtitiæ non cognoſcere, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti. Vnde Dominus in Euangelio. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Igitur ſoror venerabilis, neceſſe eſt vt per deſiderium æternæ beatitudinis pulſemus quotidie aures Dei Omnipotentis, nec deficiamus à bonis quæ incepimus, priuſquàm illo aperiente mereamur de carcere mortis huius eripi, & ad portam cæleſtis patriæ peruenire. Soror in Chriſto amabilis mihi, bonum eſt perſeuerare in ſeruitio Dei: quoniam qui de monaſterio ad ſæculum reuertuntur, pluſquàm carbones, nigri efficiuntur. Qui de monaſterio ad ſæculum deſcendunt, efficiuntur nigri ſicut carbones frigidi. Quare? Quia per torporem mentis, ab igne charitatis Dei ſunt mortui & extincti. Vnde beatus Iſidorus qui de bona vita ad malam reuertuntur per cupiditatem mundi, ſunt contenebrati, & nigredine vitiorum ſunt fœdati & fuſcati, atque lucernæ claritatis Dei ſunt extincti. Qui de monaſterio ad ſæculum fugiunt, à ſocietatè Angelorum ſeparantur, & dæmonibus ſociantur. Qui ſanctam congregationem relinquunt, & ad ſæcularem vitam deſcendunt; à ſocietate Dei elongantur, atque dominio diaboli ſubiugantur. Soror in Chriſto amantiſſima, conſidera quid feciſti. Quotidie reduc ad memoriam vnde veniſti, & ad quid veniſti, & quare veniſti. Tu propter Deum omnia quæ in hoc mundo ſunt, reliquiſti ac deſpexiſti, & pro amore illius monaſterium elegiſti. Tu regnum cælorum comparaſti, & teipſam in pretium illius tradidiſti. Stude ergo cum ſumma vigilantia, vt non perdas regnum quod comparaſti, ſed vt habere poſſis in perpetuum quod deſideraſti, & optaſti. Caue ne perdas regnum, pro quo temetipſam dediſti pretium.*

VIII.

Canis reuerſus ad ſuum vomitum. 2. Petri 2.

APoſtolus, in eoſdem de quibus proximè, intorquet illud veri (vt vocat) prouerbij. Extat enim apud *Salomonem Prouerb.* 18 parœmia aduerſus reuertentes ad malum ſtatum priſtinum. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.* Id *S. Gregor. 3. par. Paſtor. admonit.* 31. contemplari ait, in quibuſuis Chriſtianis ad ea quæ malè admiſſa bene planxerant, malè reuertentibus. Nequitiam enim qua grauabantur, abiecerant; & alleuiati fuerant: vt canes faciunt, cum proiiciunt vomitu cibum qui ipſos premebat; denuò vero onerantur reſorbentes proiecta. Et rurſum ijdem onerantur Chriſtiani, cum ea poſt confeſſionem reſumunt, quæ per oris confeſſionem deponentes, exonerati & alleuati fuerant. Id quod plenius tradit, qui vomitum ore factum, in eam rem expendit, *Turrianus lib. 4. contra Magdeb. c.* 17. Accedit ad eam interpretationem *S. Damaſcenus 4. fid. c.* 10. & eam quoque tradiderat *S. Proſper 2. par. Operis de Promiſſ. c.* 9. agens de Hebræis meditantibus retroceſſionem, & *S. Auguſtinus in pſal.* 80. ad illud, *inimici domini, mentiti ſunt ei,* agens de baptizatis; & depoſita per eos in baptiſmo ſarcina peccatorum, rurſus verò paulo poſt, malè reſumpta.

Sed rectè *Sanctus Ephrem paren.* 47. de Religionum deſertoribus hæc accepit. Quod item facit *S. Aug. ad pſalmi* 83. *titulum.* Sic enim habet. *Ad capiendum Deum, exercere: quod ſemper habiturus es, diu deſidera. Reprobati ſunt in populo Iſrael, qui feſtinauerunt aſſiduè. Affectus iſte reprehenditur in ſcriptura, feſtinantium. Qui ſunt enim qui feſtinant? Qui conuerſi ad Deum, cum hic non inuenerint requiem quam quærebant, & gaudia quæ promittebantur, tanquam in itinere deficientes, & longum ſibi quiddam donec hoc ſæculum, vel hæc vita finiatur, reſtare arbitrantes, & quærentes hic aliquam requiem, quæ ſi habetur, falſa eſt, reſpiciunt retro, & decidunt à propoſito, nec attendunt cum quanto terrore dictum eſt, Mementote vxoris Loth. Vt quid enim ſtatua ſalis effecta eſt, ſi non homines condit vt ſapiant? Ego exemplum illius malum, tibi ſit bonum ſi caueris. Mementote (inquit,) vxoris Loth. Reſpexit enim retrò vnde liberata erat à Sodomis, & ibi remanſit vnde reſpexit; Ipſa in loco manſura, & tranſeuntes alios conditura. Liberati ergo à Sodomis præterita vita, non reſpiciamus retrò. Nam hoc feſtinare eſt, non attendere quod promiſit Deus, quia longè eſt, & reſpicere ad id quod proximum eſt, vnde iam liberatus es. De talibus quid dicit Apoſtolus Petrus? Contigit illis res veri prouerbij, canis reuerſus ad ſuum vomitum. Premebat enim pectus conſcientia peccatorum. Accepta Indulgentia, quaſi vomuiſti, & releuatum eſt pectus tuum; facta eſt bona conſcientia, ex mala conſcientia. Quid rurſus conuerteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?*

En quomodò D. Auguſtinus, locum Apoſtoli prolatum, de Religionum Apoſtatis accipit, vt factum etiam à *S. Cæſario hom.* 35. Sed & ex S. Bernardo ad Eugenium, hæc verba refert *Rodericus Epiſcopus Zamorenſis lib.* 2. ſpeculi vitæ humanæ *cap.* 27. in quibus alludens ad locum Apoſtoli quem verſamus, ſic ait de Apoſtatis. *Quæ maior peruerſitas, quæ maior contemptus, quàm poſt perfectionis votiuam promiſſionem, & voluntariam obligationem, poſt ſacri habitus ſuſceptionem, poſt exemplorum virtuoſorum patrum multitudinem & perfectionem, refectionem, redire ad peccata, ſicut canis ad vomitum? Illorum præcepta contemnere, quos totius vitæ & actionis ſuæ iudices loco Dei elegit?* Non occurrit quidem hic locus in Opere ad Eugenium de conſideratione. Neque in vlla ex pluribus S. Bernardi ad Eugenium Epiſtolis. Tamen non abhorret à pietate S. Bernardi. Plenè *Philippus Abbas Tomo 3. moralit. in Cantic.* poſt multa de Religioſis nomine tenus, & diſpoſitione ad apoſtaſiam, concludit. *Hi igitur Religioſi, (ſi tamen dicendi ſunt Religioſi, qui ita ſe habent, ſicut modò depinximus, vel etiam quod pudet dicere, adhuc peius,) ſi aliquando à magiſtris ſuis pro ſalute ſua corriguntur, aut ſi vt in clauſtro ſuo ſedeant, & ordinem ſuum teneant, conſtringuntur, protinus abiecto timore Dei, & relicto propoſito Religionis & ordinis ſui; ſub obtentu arctioris Religionis de*

claustro

clauſtro ſuo inordinatè proſilientes, diuerſas partes orbis terrarum gyrouagi peragrant, vel (proh dolor!) quod infamius eſt, ad ſeculum reuertuntur. Quibus nimirum decenter illud conuenit, quod Beatus Petrus Apoſtolus in ſua epiſtola ait: Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro: Et melius illis eſſet viam veritatis non cognouiſſe, quàm poſt cognitionem eius, retrorſum abire. Iſti ergo conuerſi, quandiu in ſancto propoſito remanſerunt, tãdiu quaſi vitiis Sorech, ideſt electa, in vinea Dei, in charitate radicati, & fundati, extiterunt. Nunc autem retrorſum ſunt alienati; in ſenſum reprobum conuerſi, & iuxta Prophetam Ezechiel, inutiles & degeneres penitus effecti, ad nihil aliud vlterius valent, niſi vt in ignem proyciantur & ardeant. Perſpicuè agnoſcit, hos eſſe canes de quibus Apoſtolus. Et ſane videtur perſpicuum, in nullos manifeſtiùs cadere hoc veri prouerbij. Nam in eis attenta textura Apoſtolicæ literæ, veriſſimè comprobatur; vt monſtrauimus ex iis quæ apud Apoſtolum immediatè præcedunt.

Hi planè, *canes* iure dicuntur. Quid enim *canis*, niſi immunditiæ, & ingluuiei, ac voracitati, & petulantiæ addictorum hominum ſymbolum? Egregiè *S. Greg. Nyſſ. Tract.* poſteriore in Pſalmos, verſans illud *pſalmi* 58. *famem patientur vt canes*, cum monſtraſſet, ſordes quas canes affectant, extra ciuitatem proiici, eaſque ſymbolum eſſe dixiſſet totius malitiæ quæ egeritur extra cœtum pietatis, *ciuitatis* nomine expreſſæ, concludit. *Quocirca ciuitatis incola, eximium quiddam eſt & venerandum, verè homo, eumque, quem ab initio, natura impreſſum accepit characterem, ipſa vita ſua expreſſum circumferens: At qui ſeſe in iis, quæ extra ciuitatem ſunt, occupat, canis eſt, non homo, vt proinde omnibus planum ſit, qua ratione diſcernere oporteat canes, ab illis qui natura ſunt homines. Non enim diſcrimen hoc ex effictâ corporis forma petendum eſt, ſed ex differentia vitæ, quam viuunt. Nam qui ciuitatis virtute præditæ inhabitator eſt, ille verè homo eſt. Quod ſi quis circa fœdam intemperantiam, aut circa ſuperfluam cupiditatem, quam quis propriè nominauerit canum, vel in aliis improbitatis generibus ſtudium & induſtriam collocat, extra ambitum ciuitatis illius oberrans, is de ſe ipſo clara voce teſtatur, ſe canem eſſe, transformata illa, quam cum Deo habebat, ſimilitudine in caninam naturam.* Non occurrit ſymbolum aptius, quo expreſſos velim digreſſos è cœtu piorum, & captantes extra eum pabulum aliquod graueolens. Et vomuerant quidẽ hi canes, priuſquam ciuitate concluderentur, fœda ingluuiei ſuæ argumenta: Sed ea mox turpiſſimè reſorbent, digreſſi iterum ciuitate; & mœnia quibus concludebantur tranſgreſſi, ad falſam libertatem & vitæ licentiam aſpirantes.

IX.

Sus lota in volutabro luti. 2. Pet. 2.

EX Apoſtoli mente, hæc parœmia in eoſdem intorquetur, qui ſæculi coinquinationibus relicti, iiſdem rurſus merguntur & implicantur. Nec ſanè malè in eos quadrat ſymbolum ſuis, cum delectentur lutulentis voluptatibus & fœtoribus æquè ac amica luto ſus, cuius eſſe delicias, cœno immergi, *Lucretius lib. 6. Plinius lib. 8. cap. 51. Varro lib. 2. cap. 4. Columella lib. 7. cap. 9. & lib. 8. cap. 4. & Clemens Alex. in protrept.* aliique prodiderunt. Similiter ergo voluptarij illi, reuolui in turpiſſimis quibuſque actibus, delicias ſuauiſſimas reputant. In quam ſententiam, præclare diſſerit. *Origenes homil. 1. in pſal. 37.* ad illud, *putruerunt, & corrupta ſunt cicatrices meæ.* Et accedit, quod ſus non ruminat; vnde *Philo lib. de agricult.* Sophiſtas non ruminantes Dei beneficia, confert ſuibus, etiamſi diuidant vngulam, ideſt eruditione polleant. *Caſſianus item Collat. 14. cap. 16.* ſuem, circulum aureum in naribus habentem, interpretatur, doctum impium. Quod verò huiuſmodi ſus lota, & à prioribus ſordibus abluta, denuò regreſſa in volutabrum, & facta ſordidior deſcribitur, aptè exponi poteſt, ex iis quæ à variis Patribus dicuntur de profeſſione Religioſa, habente rationem baptiſmi. *Petrus Dam. opuſc. 16. cap. 8.* ait, *Quia hoc inuenire in dictis Patrum perſpicuum eſt, negare licitum iam non eſt.* Idem habet *Opuſc. 13. cap. 6.* Suffragatur *Goffridus Vindocin. lib. 4. Epiſtol. 2.* vbi veſtem monaſticam, vocat *habitum ſecundæ regenerationis.* Et *libr. 4. Epiſt. 12.* vocat, *ſtolam ſecundæ regenerationis.* Et *ſerm. 11.* qui eſt de Sancto Benedicto initio. *Glorioſus iſte Sanctus (inquit) noſtræ ſecundæ regenerationis inuentor pariter extitit, & ſcriptor. Monaſtica, inquam, Religio quam ipſe inſtituit, ſecunda regeneratio iure nominatur, & etiam Pontificali confirmationi non immeritò comparatur; Huius namque vitæ obſeruatione, & præterita peccata, ſicut in baptiſmate delentur, & contra futura, velut in Confirmatione, Chriſtianus munitur. Hac beata vita qui priùs in ſeculari conuerſatione peccandi mortui fuerant, viuificantur: & hac poſtea, dum correctione diſtricta peccandi licentia moritur, optimè moritur anima Chriſtiana.*

CAP. XI. *Scriptura pro Apoſtaſia atrocitate.*

Non contentus Goffridus, religioſam profeſſionem, vocare *Baptiſmum alterum*, vocat etiam *confirmationem ſecundam*; & quidem talem, vt deinceps poſt eam non relinquatur locus peccato; Nimirum ſi quis exquiſitè velit reſpondere vocanti Deo, quod ſaltem quantum ad ea quæ ſimpliciter peccata dicuntur, frequens eſt, cum gratia ſtatui Religioſo ſatis ordinaria. Sed nunc dimiſſa Confirmatione, contenti ſumus agnoſcere, profeſſionem Religioſam eſſe Baptiſmum quemdam, de quo cõcinnè in vita Sancti Niconis cum de eius allocutione ad Simonem Salum & ſocios Religionem ineuntes. Ipſe quippè fuit Simon Salus, qui de ſecundo hoc baptiſmo per Religionis profeſſionem edoctus, clam adiit S. Niconem, facturus eum certiorem de iam ſuſcepto à ſe ac ſociis baptiſmo, & rogaturus vt eius iteratione abſtineretur, contra quam faciendum audiuerat. Sed errorem dedoctus à Sancto Nicone, intellexit, ſecundum hunc Baptiſmum ritè cohærere cum Baptiſmo aquæ ſemel iam ſuſcepto. Nihil quippè aliud eſſe ſecundum baptiſmum de quo inaudiuerat, quàm Religioſam profeſſionem, eluentem & expurgantem perfectè hominis animam. Idem diſertè habet *Sanctus Hieronymus epiſtol. 8. & 25.* quæ eſt de Bleſillæ obitu & *Rupertus lib. 8. de operibus Spir. ſancti c. 8.* Idem ex libro Geronticon, refert *S. Odo lib. 2. collat. c. 7.* Subſcribit Petrus Pictauienſis in Panegyrico Petri Cluniacenſis. Optimè verò idem tradit *S. Bern. ſerm. de dupl. baptiſmo, Et ſerm. 2. de altitudine & baſſitudine cordis; ſub finẽ libri de præcepto & diſpenſat. c. 23.* ſic ſcribens. *Audire & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina meruit hanc prærogatiuam, vt ſecundum baptiſma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quâ*

CAP. XI. *Scriptura pro Apoſtaſia atrocitate.*

præeminens vniuerſis vitæ humanæ generibus huiuſcemodi conuerſatio, profeſſores & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit: Imo diuinam in homine reformat Imaginem, configurans nos Chriſto inſtar baptiſmi. Et quaſi denique ſecundo baptizamur, dum per id quod mortificamus membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, rurſum Chriſtum induimus, complantati denuò ſimilitudini mortis eius. Sed & quemadmodò in baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ: Ita & in ſancti huius ſecunda quadam regeneratione propoſiti, de tenebris æque non vnius originalis, ſed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apoſtoli: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Plenè in hanc rem diſſerit. *Vald. c. 5. tit. 9.c.* B. *& Palud. 4. d. 38. q. 3. nec non. Nider. 3. de Reform. Relig. c. 9. ac Eſpencæus in cap. 2. ad Titum 5. 9.* qui hanc ſecundi baptiſmi denominationem, petit ex iterata abrenunciatione pomparum ſeculi. Bellarminus in iudicio libri de concordia Lutheran. mendacio 22. ex remiſſione plenaria reatus, vtrobique facta ducit, eam appellationem.

Addunt non pauci graues DD. eſſe etiam eam affinitatem inter baptiſmum & Religioſam profeſſionem, (intelligendo eo nomine quæcunque ſubſtantialia Religionis vota,) quod profeſſio, omnes pœnas pro peccatis debitas aboleat, & ea in parte baptiſmum imitetur. Ita *Sanches lib. 5. in decal. cap. 5. num. 2. Leſſius lib. de iuſt. c. 41. num. 74. & Hieronymus Platus lib. 1. de bono ſtatus Relig. c. 13.* Quod firmat quædam veluti traditio apud antiquos Monachos, & variæ reuelationes; vt videre eſt apud S. Athanaſium in vita S. Antonij, qua refertur, Angelos ei nunciaſſe, abſterſionem plenam fuliginis totius peccatorum, illi obtigiſſe, cum monaſticam profeſſionem emiſit. Eadem habentur apud Leontium Cyprium in vita Abbatis Simeonis, & apud Collectorem ſimilitudinem S. Anſelmi cap. vltimo, cum de Oberni Monachi accuſatione apud diuinum tribunal. Fauetque, quod hac ex cauſa cap. *quis aliquando de pœnit. diſt. 1.* ſtatuitur nullam eſſe imponendam pœnitentiam, ei qui Religionem ingreditur: Nempe quia Religionis profeſſio, eſt illi inſtar baptiſmatis, eradentis omnem anteriorum peccatorum reatum. Eſt enim excellentiſſimum opus, & eleemoſina perfectiſſima, qua totus homo cum omnibus ad eum ſpectantibus, Deo erogatur; ac proinde ad peccatorum redemptionem eſt opportuniſſima. Quo ferè modo, pro hac ſententia ratiocinatus *D. Thomas 2. 2. q. vltima art. 3. dicens, ita poſſe rationabiliter aſſeri.* Quod item cum eadem temperatione aſſerunt *Bellarminus lib. ac Monachis cap. 6. Fclyſius ad 2. decalo præcept. c. 17. & Suarez Tract. 7. de Relig. lib. 6. cap. 13. num. 6.* qui rectè negat, profeſſionem præſtare eam totius reatus abſterſionem ex opere operato ſiue ex diuino priuilegio profeſſioni adiuncto; de quo conſtare valida, ratione non poteſt: ſed præſtare ait eum nitorem, quia eſt tale opus. Nemo enim iure dubitet, quin Religioſa profeſſio ſit valdè ſatisfactoria, cum ſit opus admodum pœnale, & ex magna in Deum charitate prodiens, continenſque inſignem in Deum liberalitatem: cui generi operum, vis ſatisfactoria inſignis, ſolet ineſſe. Solet inquam, apud feruidos & pios. Et quanquam horum quoque actus, non eſt interdum commenſus reatui iam contracto, vt apertè ſupponit *Petrus Damiani Opuſ. 13. cap. 6.* tamen ordinariè, videtur eſſe poſſe commenſus. Quare vt plurimum ac ferè ſemper, profeſſio eluit pœnam omnem anterioribus peccatis debitam; niſi ſi tepidiſſimè fiat, & anteriora peccata fuerint longè maxima. Nam pro copioſiore aut parciore vi ſatisfactoria, quam ex feruore profitentis accipit, plus aut minus pœnæ debitæ poteſt abradere: & vt plurimùm, ac ferè ſemper, vniuerſam abradit, quia ferè ſemper in eo actu, Religioſus magnis animis & paſſis charitatis velis fertur in Deum. Aſtipulatur *Nauarrus Comment. de Indulgentiis Notab. 20. num. 17.* Rectè inſuper reiiciens nonnullos, (quibus malè annumeratur Felinus, qui expreſsè contrarium tradit *ſerm. de Indulg. part. 2. §. & aduertendum,*) qui talem abſterſionem reatus per profeſſionem, vocabant *indulgentiam*: quod verum non eſt, cum ſit fructus proprij operis operantis, ſiue profitentis. Quod ſi is profeſſionem ſuam aliquando renouet, eadem mentis alacritate, & primigenij feruoris redaccenſione; non dubito quin æque reatum vniuerſum abſtergat repetita, ac primùm emiſſa profeſſio. Quod tametſi negat *Sanches lib. 5. in decal. cap. 5. num. 8.* Affirmat tamen *Sa. V. Religio num. 17.* ac latè *Dyon. Cartuſ. lib. de profeſſione monaſt. cap. vltimo in appendice, & Carraciolus ad Regulam Theatino par. 2. cap. 1. num. 2.* Corrigendi duntaxat, quatenus hunc effectum vocant *indulgentiam plenariam.* Porrò quod nunc affirmamus, manifeſtè habetur ex ſententia propoſita, quod hic effectus habeatur ex opere operantis, quod opus repeti ſupponimus. Poſita autem ſimili & æquè potente cauſa, quidni idem effectus ſequatur? Rectè tamen diffitetur ibidem *Sanches num. 4. poſt Nauarrum Notab. 20. de Indulg. num. 17. & Azorium Tom. 1. l. 12. cap 5. q. 11.* prædictum profeſſionis effectum reuiuiſcere, ſi contingat profeſſionem emitti in peccato mortali, & poſtea tolli obicem peccati. Id enim proprium duntaxat eſt ſacramentorum legis nouæ, non autem operum noſtrorum, quæ ex ſe bona ſunt, ſed exercentur in malo ſtatu. Vt proinde reiiciendum ſit, quod in contrarium de Religioſa profeſſione aſſerit *Bartolomeus à S. Fausto libr. 5. Theſau. Relig. q. 317.* Nec id alius vllus (quod ſciam) affirmauit. Quare ſatis eſſe debet, quod cum communi Doctorum ſententia, tanquam admodùm probabile & rationabile aſſeratur, vniuerſum reatum peccatorum, abſtergi per emiſſionem votorum Religioni ſubſtantialium, ſiue per profeſſionem Religioſi ſtatus.

Quod ſi reatus vniuerſus abſtergitur, multo magis neceſſe eſt, tolli eo tempore maculas, quia his non ablatis, reatus maneret, tanquam neceſſarium maculæ germen, & indiuidua proprietas. Vide an non id voluerit Iuſtinianus præfatione ad Nouellam conſtitutionem quintam verbis illis. *Conuerſationis monachalis vita, ſic eſt honeſta, ſic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili natura decentem, & plurima ſecundùm mentem, operantem, & humanis cogitationibus celſiorem.* Azo ibi, deterſionem macularum, accipit de peccati abſterſione, facta per initam Religionem. Atque ita habetur eam quam proponebam germanitas vel affinitas baptiſmi & profeſſionis Religioſæ.

Inde verò vlterius infertur, Religioſum eo lauacro ablutum à contractis ante maculis ac reatibus, ſi retrocedat & regrediatur ad ſæculum apoſtaticè, multo quàm antea inquinari, & plus quam ante ſordere, propter tantam ingratitudinem & diuinæ erga ſe beneficentiæ conculcationem, dum in ſæculi cœno & ſtercoribus, captat inanitates pridem abiectas: de quo dici iure queat, *ſus lota in volu-*

tabro

tabro luti. Sicut *Greg. Naz. orat.* 1. *in Iulia.* de eo Apoſtata, baptiſmi lauationem ſanguine victimarum eluere tentante; dixit, eum iuxta prouerbium, ſuem in volutabro luti, factum eſſe.

CAPVT XII.

Aliud diuinum pro Apoſtaſiæ atrocitate ſuffragium, ex vltionibus diuinitùs intortis in Apoſtatas.

QVid Philone faciemus lib. de profugis, negante Deum per ſeipſum quenquam punire; ſed cum ſit beneficentiſſimus & optimus, gratias; beneficia, & munera, à Deo quidem per ipſummet ſuppeditari; ſupplicia non item, quamvis vt per alios inferantur, efficere non prætermittat? At non plus cum ſumma Dei bonitate pugnat, efficere vt alius ſupplicia debita inferat, quàm ea Deum per ſe ipſum infligere. Et cum prouidentiæ pars, nec modica, ſit pœnis conuenientibus coercere peccatores, dubitare non licet, quin Deus cuius prouidentia eſt abſolutiſſima, iis impios ſuppliciis mulctatos velit, quæ ipſorum ſceleribus ſint commenſa. Illud verum eſt, Deum velut inuitum trahi ad puniendum, de quo egregiè *S. Chryſoſtomus lib.* 3. *ad Stagirium ſub finem, & Orig. hom.* 3. *in Ezech.* Nihil tamen eſt quod ſuadeat, nunquam vltricem Dei manum immediatè ſæuire in peccatorem. Imo plurimæ ſcripturæ, ferunt contrarium. Eſto plerumque item, Deus immiſſiones faciat per Angelos malos, tanquam per carnifices ſuos, vt *S. Chryſoſtomus hom.* 3. de Iobo loquitur; probatque ex *pſal.* 77. & ex 1. *Cor.* 5. Alias autem per Angelos bonos idem præſtet; ſed non rarò etiam per ſeipſum. Quanquam ſiue per ſe ſupplicia inferat Deus, ſiue ea decernat ipſe; exequantur autem eius nutu ac iuſſu Angeli, perinde eſt, vt intelligamus, Deum auerſari ac deteſtari, quod plectit graui ſupplicio.

Cœterùm non ſemper Deus in hac vita, commeritis pœnis impios plectit, ac nominatim Apoſtatas: ſed quod itidem circa bonorum præmia à S *Auguſtino* notatum eſt *lib.* 5. *de Ciuit. cap.* 25. quandoque ne dormitare ac non aduertere videatur, malos punit iam ex hac vita; aliquando autem vt fides vigeat, & patientia ſanctorum locum habeat, tolerat in multa patientia vaſa iræ, differtque debita ſupplicia in alteram vitam. Horum ſors non eſt melior, iuxta præclaram S. *Chryſoſtomi diſputationem lib. de vera Virginit. cap.* 23. quam iuſtum videtur hic attexere, ne Apoſtatæ, nihil ſibi accidere triſte ducentes, indormiant ſceleri. *Si ſunt qui pœnam effugerint, tam illi ad extremum, vt eſt apud Diuum Paulum, non effugient. Quorundam enim, (inquit,) peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad Iudicium, quoſdam autem & ſequuntur. Et vt legum latores nocentium pœnas in actis ſcriptas relinquunt, ſic etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in vnum aut alterum facinoroſum hominem animaduertens, tanquam in columna ænea, aut in tabulis deſcripta, quæ de illis ſumpſit ſupplicia, deponit, vt quæ illis acciderant, palam expoſitis, planum faciat omnibus, fore vt etiam ſi qui eadem committentes, eaſdem viui pœnas, quas illi ipſi dederunt, non dederint, mortui tamen grauiora mala patiantur. Quamobrem cum multa peccantes, nullas ſcelerum pœnas pendimus, ne confidamus, ſed timeamus potiùs. Quamvis enim hic à Deo non iudicamur, tamen vna cum mundo apud inferos condemnabimur, cuius rurſus equidem non ſum auctor ſententia, ſed is eam pronunciauit, qui in Paulo loquitur, Chriſtus. Sic enim, inquit, cum ad eos loquitur, qui myſteriorum immerito participes fieri volunt, Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi: quod ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Quidam enim quod eorum ſunt mediocria delicta, & quod ſupplicio affecti, nunquam poſtea in eadem vitia delabentes, canem ad vomitionem redeuntem non imitantur, in vita modo caſtigationis indigent. Sunt alij qui propter ſummam improbitatem, & viui & mortui peccatorum pœnas perſoluent. alij verò tantummodò apud inferos ſuppliciis afficientur. Quod enim indigniſſima omnium facinora commiſerunt, indigni ſunt qui cum hominibus torqueantur. Nequè enim, (inquit,) cum hominibus flagellabuntur, vt qui in id tempus reſeruati ſint, quo cum Dæmonibus ſupplicia expendant. Diſcedite enim, ait, à me in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis eius. Multi ſacerdotium pecunia rapuerunt; qui quanquam vnde obiurgarentur, habuerunt neminem, neque ea audierunt, quæ Simon Magus accepit à Petro, non eo tamen illud impunè ferent, ſed quòd ne exemplo quidem propoſito, reſipuerant, multo grauiores cruciatus ſuſtinebunt, quàm qui ipſis debebantur. Multi autem, quæ Core, ſunt auſi; neque tamen tandem, quam ille pœnam dederunt, ſed dabunt poſtea cruciatibus affecti grauioribus. Non pauci, Pharaonis impietatem imitati, non iam, vt ille, mari ſubmerſi ſunt, ſed gehennæ pelagus ipſos manet: neque enim in eos, qui fratres ſtultos appellant, iam animaduerſum eſt: Nam ipſis ad inferos ſunt reſeruata ſupplicia. Quamobrem non eſt, vt Dei ſententias verba tantùm eſſe exiſtimetis. Ob id enim ipſe nonnullas. (id quod de Saphira, Charmi, Aaron, multiſque aliis conſtat,) exitu comprobauit: vt qui verbis eius fidem non teſtimoniis perterriti, deſinant aliquando verſari in hoc errore, nihil pœnarum daturos; & diſcant eò ſpectare Dei benignitatem, vt ſiniat ſontibus tempus agendæ pœnitentiæ; non in eo poſitam eſſe, vt omnino deo peccatorum impunitatem illis, qui in vitiis perſeuerant.* Alia in eam rem habet *homil.* 6. *ad pop. & homil.* 11. *in* 2. *ad Corinth. Plura in Natur. Theol. diſt.* 8. *à num.* 174.

CAP. XII. *Vltiones diuina in Apoſtatam.*

Porrò quamuis Deus puniendo ſcelera, admodum prædictum ferè ſe habeat: ſunt tamen quædam crimina, quorum frequentiſſimè iam ex hac vita pœnas repetit, vt cæteri abſterreantur. Et quia crimen apoſtaſiæ à Religioſo ſtatu, vt ſuperiora monſtrarunt, vnum eſt ex primariis & cardinalibus ſceleribus; crebra ſunt quæ leguntur, & in dies deprehenduntur illi à Deo repenſa ſupplicia longè grauiſſima; iuxta illud quod de apoſtata vniuersè dictum à ſapiente, ſpecialiter ad huiuſmodi apoſtatam iure aptabitur. *Huic extemplo veniet perditio ſua.* Audiendus vniuersè *Guerricus ſerm.* 2. *de Reſurr. dom. Qui poſt acceptam gratiam ad vomitum ſuum reuertitur, diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus: Vel certè panis eius, in ventre illius, vertetur in fel aſpidum intrinſecùs: Quia nimirum gratia percepta in pœnam conſcientiæ vertitur, cum ſanguis Teſtamenti, quo ſanctificatus qui fuerat, pollutus ducitur, & ſpiritus gratiæ contumelia irrogatur. Hoc contemptu, & nauſea, diuitiæ deuoratæ euomuntur, ita vt de eo qui eiuſmodi eſt, dicatur; Non remanſit quidquam de*

CAP. X. *Viſiones diuina in Apoſtatas.*

cibo eius : & propterea nihil permanebit de bonis illius. Videat autem ne fortè & ipſum terribilis iſta perſtringat ſententia, qui cùm per gratiam deuotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, *nihil prorſus ex illis in memoria retinet, vt memoriam abundantia ſuauitatis diuinæ nobis eructet : non ſaporem in ſermonibus, tanquam guſtum in faucibus ; non virtutem in moribus, tanquam ſuccum in viſceribus : ſed dum ſtatim totum per inania vel ſcurrilia renomis gratiam ſibi in iram conuertit. Prorſus in iram & iram terribilem, ſi in ipſum cadit quod ſcriptura contexuit, dicens ; Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, & irruet in eum omnis dolor. Vtinam impleatur venter eius, vt emittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper eum bellum ſuum. Iuſtum quippè ſentiebat, atque conſentiebat Propheta, vt pluat ſuper peccatores bellum, qui ad pluuiam voluntariam, fructum pacis non retulerunt : ſitque ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, qui calicem Domini indignè biberunt. Terra enim ſæpe venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam, accipit benedictionem ; proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.*

Nonnulla in hanc rem exempla ſignare, velut ſuffragij diuini pro atrocitate apoſtaſiæ certa argumenta, operæ pretium videtur. Sed eſt hac in re, adhibenda moderatio. Nam ſi accuratè, aut etiam cum mediocri diligentia, inire horum exemplorum numerum vellem, iuſto volumine, & quidem ſpiſſo, opus foret. Quare quædam peruulgatiſſima, vt Iudæ primi Apoſtatæ, exitium, & Iuliano Imperatori, quem ex Monacho deſertorem factum vidimus, illatam cœlitùs necem ; quod neminem lateant, miſſa faciam. Aliorum quoque Apoſtatarum funeſtiſſimos exitus, aliquoties ſuperiùs notatos, hic non refricabo. Illa item dimittam exempla huius generis, quæ adeò recentia & propè calentia ſunt, vt infamia reſpergendi viderentur qui eos carne contingunt, ſi literis mandarentur. E cæteris ſeligam hinc inde nonnulla, quæ tradita ab autoribus probatioris fidei, & accommodatiora videbuntur.

Nutantem quendam in ſuſcepto Religioſæ vitæ inſtituto, confirmans S. *Ephrem parar.* 47. ſic eum affatur. *Caueto Chariſſime ne fortè qui te moleſtia afficit Satan, ſtudetque à fraternitate te abrumpere, ipſe mortem tibi acerbam turpemque conciliet. Vera narro. Noui ego vnum, atque alterum, ac tertium fratrem, à vita monaſtica receſſiſſe, & ad vitam ſecularem rediſſe, qui non durarunt in vita ; ſed amara atque indecenti morte, vitam ſuam finierunt.*

De quodam ſic ſcribit *Seuerus Sulpitius Dialogo* 1. *qui eſt de virtutibus Monachorum Orientalium cap.* 15. *Adoleſcens quidam ex Aſia prædiues opibus, genere clarus, habens vxorem & filium paruulum, cum in Ægypto Tribunus eſſet & frequentibus aduerſùm Blembos expeditionibus quedam Eremi contigiſſet, Sanctorum tabernacula complura vidiſſet ; à Beato viro Ioanne, verbum ſalutis accepit. Nec moratus, inutilem militiam cum vano illo honore contemnere ; eremum conſtanter ingreſſus, breui tempore in omni genere virtutum perfectus enicuit ; potens ieiuniis, humilitate conſpicuus, fide firmus ; facile ſe antiquis Monachis ſtudio virtutis æquauerat ; cum interim ſubiit eum cogitatio immiſſa per Diabolum, quòd rectiùs eſſet vt rediret ad patriam, filiumque vnicum ac domum totam cum vxore ſaluaret : quod vtique eſſet acceptiùs Deo, quàm ſi ſolum ſe ſæculo eripere contentus, ſalutem ſuorum non ſine impietate negligeret. Huiuſmodi ergo falſæ iuſtitiæ colore ſuperatus ; poſt quadriennium ferè, cellulam ſuam atque propoſitum Eremita deſeruit. Sed vbi ad proximum Monaſterium quod à multis fratribus habitatur, acceſſit ; cauſam diſceſſionis atque conſilium quærentibus, confitetur. Renitentibus cunctis & præcipuè loci illius Abbate renitente, malo animo fixa ſententia non potuit auelli. Igitur infœlici ſe obſtinatione proripiens, cum dolore omnium digreſſus à fratribus, vix è conſpectu abſceſſerat, impletus à Dæmone, cruentaſque ſpumas ore prouoluens, ſuis dentibus ſe ipſe lacerabat : deinde ad idem Monaſterium, fratrum humeris reportatus, cùm coërceri in eo immundus Spiritus non valeret, neceſſitate cogente, ferreis nexibus alligatur, pedes cum manibus vinciuntur : non immerita pœna fugitiuo ; vt quem non cohibuerat fides, catena cohiberent. Poſt biennium demum oratione ſanctorum ab immundo ſpiritu liberatus, ad eremum vnde diſceſſerat, mox regreſſus, & ipſe correctus, & aliis poſt futurus exemplo, ne quem aut falſæ iuſtitiæ vmbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili leuitate compellat ſemel cœpta deſerere.* Mirum videri poteſt, quomodò Adoleſcens inconſulta (quod prodatur) vxore Religioſo inſtituto ſe mancipans, & ad vxorem poſtea regrediens, apoſtaſiæ ſit inſimulatus, & tanquam reus illius ſceleris, à Deo punitus dicatur : Cum tamen docente S. *Gregorio lib.* 9. *epiſtol.* 39. & refertur *cap. ſunt qui* 26. *q.* 2. extra dubium ſit, connubia religionis cauſa, diſſolui non poſſe : reiiciaturque paſſim doctrina Caſſiani qui *Collat.* 21. *cap.* 9. ex perſona Abbatis Theonæ, contrarium affirmat. Vel ergo oportuit hunc Aſianum de vxoris conſenſu & iis ſeruatis quæ iure tunc vigente eruanda erant, adiiſſe cœnobium, & valide profeſſum eſſe, vt poſtea regreſſum moliens, iure habitus ſit animo & voluntate Apoſtata. Vel certe ex conſcientia erronea deliquit, putans ſe re vera obſtrictum profeſſione malè inita, ideoque contra conſcientiam ſuam operans, meritò factus eſt obnoxius diuino ſupplicio. Sicut è contrario factum Abbatis Theonæ, quia ex bona ſimplicitate proceſſerat, videtur à Deo comprobatum, vt refertur *Collatione illa* 21 *cap.* 10.

Horrendum eſt, quod de Apoſtata quodam ſcribit *Antiochus hom.* 84. his verbis. *Fuit in monte Sina, Monachus quidam, qui celebre adeò edidit ſuæ continentiæ ſpecimen, vt in cellula multos vixerit annos incluſus. Poſtremo multiuariis reuelationibus Diaboli, & inſomniis illuſus, ad Iudaiſmum delapſus, & carnis circumciſionem. Quum igitur Diabolus huic identidem vera quædam inſomnia demonſtraſſet, & veluti obiecta illecebra ineſcaſſet illius obſcuratam mentem, nouiſſimè oculis iſtius obiicit copioſam turbam Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque omnis generis Chriſtianorum, denſiſſimis tenebris, & omni dedecore expletam. Parte oppoſita, Moſem, Prophetas, populum quoque Iudæorum (Deo alioqui inuiſum) offert ſplendida admodum luce conſpicuos, inque gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc cum ſpectaſſet miſer, in veſtigio ſurrexit, derelictoque ſancto illo monte, in Palæſtinam vſque peruenit, ac rectà contendit in Noara & Lybiadem, aſyla Iudæorum. Cum iſtis denarraſſet quæ ſibi viſa fuiſſent, diabolicas apparitiones, circumciſus eſt, ac profeſſus Iudaiſmum, accepit vxorem, inque omnium proſpectu aduerſùs Chriſtianos edidit dogmata, propugnator factus Iudaicæ ſuperſtitionis. Hunc ego vidi ac plerique Monachorum. Neque enim quatuor anni ſunt à morte illius, quæ miſerè correptus eſt. Catharri profluuium aliquandiu paſſus, & vermium arroſione contabeſcens expirauit. Hunc cum vidiſſemus,*

ego

ego & alij aliquot Monachi, correpti timore, ingenti cum luctu lamentati ſumus. Erat id ſanè, quam miſerabile ſpectaculum. Vir hic totus incanuerat in monaſtica exercitatione, conſenueratque laboribus attritus, & is tandem cum mulieribus iocatur, immundarum carnium (nempè Iudaicarum,) guſtu ſe defœdat & inquinat, verba loquitur obſcœna & impura, blaſphemat Chriſtum, Spiritum Sanctum non tolerandis afficit contumelijs. Et hunc talem illi exleges Iudæi, dixere ſecundum Abraham.

Domnus ſub S. Euthymio Abbate Monachus, cum defeciſſet, & inuito ac reluctante Sancto Abbate, ſpecie Ioannem Antiochenum à Neſtorianis ſeductum reducendi ad ſanam fidem, profugiſſet clam è monaſteriò, ex S. Euthymij vaticinio multis ac grauibus oppreſſus malis, quamvis poſt Ioannem patruum Antiochenam obtinuit ſedem, tamen ex ea poſtmodùm deiectus, & in errorem etiam impactus, verum de ſuæ Apoſtaſiæ pœna S. Euthymij vaticinium comprobauit. Legendus Cyrillus in Magni Euthymij Actis, iſta diſtinctiùs deſcribens.

In quibuſdam exemplis quæ *S. Gregorius lib. 9. indict. 4. epiſt.* 38. ad Ruſticianam patriciam ſcribens; recitat; apoſtaſia non fuerat plenè conſummata impedito effectu per impotentiam. Quia tamen voluntas apud Deum habetur pro facto, ita vt ex vſu Scripturæ, moliri aliquid, dicatur facere; propterea punitiones diuinitus illatas apoſtaſiæ cogitatæ, à S. Gregorio recitatas; itidemque ab aliis quos poſtea ſubiiciam, referam inter exempla de quibus agimus. Sic igitur habet S. Gregorius de Monachis quibuſdam, Monaſterij S. Andreæ. *Dum in die natalitio eiuſdem Apoſtoli, iam meridianis horis fratres quieſcerent; ſubitò quidam Frater apertis oculis cæcatus, cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus teſtabatur, ferre ſe non poſſe quod patiebatur. Concurrentes Fratres, viderunt cæcum apertis oculis trementem, & clamantem, à præſentibus alienum, nihil quod foris agi poterat, ſentientem. Eumque in manibus leuauerunt, atque ante altare ſancti Andreæ Apoſtoli proiecerunt, ipſique pro eo in oratione proſtrati ſunt. Qui ſtatim ad ſe reuerſus, quæ paſſus fuerat, confeſſus eſt: quia ſenex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimiſit, dicens; Quare fugere voluiſti de monaſterio iſto? Cumque euadere de canis morſibus nullo modò potuiſſem, venerunt quidam Monachi, & eundem ſenem pro me rogauerunt. Qui ſtatim iuſſit canem abſcedere, & ipſe ad me reuerſus ſum. Qui etiam confeſſus eſt: quia eo die quo iſta pertulit, conſilium habuerat de eodem monaſterio fugere. Alius quoque Monachus diſcedere de eodem monaſterio latenter voluit. Cumque hoc mente tractaſſet, voluit oratorium ingredi, ſed ſtatim Dæmonio traditus vehementiſſimè vexatus eſt. Relinquebatur verò à Dæmonio, ſi extra monaſterium extitiſſet, & nihil patiebatur aduerſi. Si verò conatus fuiſſet ingredi, ſtatim maligno ſpiritui traditus vexabatur. Cumque hoc ſæpiùs fieret, culpam ſuam confeſſus eſt, quia egredi de monaſterio cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres, ſeſe per triduum in precibus aſtrinxerunt, atque ita curatus eſt, vt ad eum poſtmodùm nunquam ſpiritus malignus accederet. Dicebat autem ſe eundem Beatum Apoſtolum dum vexaretur vidiſſe, ſeque ab eo increpatum eſſe, cur voluiſſet abſcedere. Alij quoque duo Fratres de eodem monaſterio fugerunt, atque aliqua prius colloquendo fratribus ſigna dederunt, quòd per viam Appiam deſcendentes, Hieroſolymam tenderent. Qui exeuntes diuerterunt ab itinere. Et vt à ſequentibus inueniri minimè potuiſſent, retruſas cryptas iuxta Flaminiam portam inuenientes, in eis ſeſe occultauerunt. Cùm verò veſpertinis horis requiſiti minimè in congregatione inuenti eſſent, aſcenſis caballis eos quidam Fratres ſecuti ſunt per Metroni portam exeuntes, vt eos in Latinam, vel Appiam viam ſequerentur. Subitò autem eis conſilium ortum eſt, vt eos in Salariam viam ſequerentur. Extra ciuitatem igitur pergentes deflexerunt in Salariam. Eos verò minimè inuenientes per portam Flaminiam decreuerunt reuerti. Cumque reuerterentur, mox vt equi eorum ante cryptas illas venerunt, in quibus ſe abſconderant, fixerunt gradum, pulſi & compulſi paſſum mouere non potuerunt. Conſiderauerunt Monachi, rem talem ſine myſterio eſſe non poſſe. Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus miſſa maceria damnatos, ſed caballis eorum nuſquam euntibus deſcenderunt. Depoſuerunt lapides qui in ore cryptarum poſiti fuerant: ingreſſi ſunt, eoſque in eiſdem tenebroſis latibulis conſternatos terra, inuenerunt. Qui ad monaſterium reducti, ex eodem miraculo ità ſunt meliorati, vt eis multum profuerit, ad paruum temporis de monaſterio fugiſſe.*

CAP. XII. *Vltiones diuinæ in Apoſtatas.*

S. Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha B. Gregorij æqualis, vir inſignis ſanctimoniæ, adductum ad ſe energumenum extraordinariæ ferocitatis, non priùs curauit, quam per tertium interrogaret ecquid feciſſet, & vnde in eum tanta calamitas à Deo eſſet immiſſa. At ille (verba Euſtathij in Actis S. Eutychij appendo;) Cum (inquit) ingreſſus eſſem puer in monaſterium S. Ioannis in arce (ſic enim locus quidam Amaſeæ appellabatur,) ibique non paruo tempore manſiſſem, piæ tandem exercitationis pertæſus, & habitu Monachi ſpreto, exiui è monaſterio, & ſimul cum habitu vitam mutaui: nam & mulierem cognoui, & alia multa peccata commiſi. Itaque nunc (vt videtis,) ſum in hoc ſtatu, & ab immundo ſpiritu miſerè detineor & affligor. Mihi ſi quid poteſtis, opitulamini. Hæc cum ex nobis vir ſanctus didiciſſet. (imo verò nos ab illo didiciſſemus; niſi enim ipſe cognouiſſet, non præcepiſſet nobis vt hominem vexatum de ſtatu ipſius interrogaremus; quod quidem eo conſilio fecit, vt exemplo illius nos confirmaret, eoſque qui vitam Monaſticam & Angelicam negligunt, & aſpernantur, moneret vt reſipiſcerent;) ſubiecit illa verba Iob. *Qui vulnus meum cernitis, timete.* Et *Ne dederis in commotionem pedem tuum.* Et. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & vertens ſe retrò, aptus eſt ad regnum cælorum: Hæc illè & multa alia his ſimilia cum dixiſſet, ad vtilitatem & confirmationem præſentium Monachorum, vexatum hominem ob ea quæ dixerat, eſt commiſeratus:* Addit Euſtathius quanto affectu S. Eutychius Deum pro infelici hoc apoſtata interpellauerit, ac ei denique ſanitatem plenam exorauerit, & quanta is poſt ſanationem accuratione, in Monaſterio ad quod viri ſancti hortatu adijt, vitam reliquam exegerit, à vexatione eruditus.

In vitæ S. Dunſtani, appendice apud *Vincentium lib.* 24. *ſpec. hiſt. cap.* 96. refertur de quodam apoſtata ex Archidiacono Lundonienſis. Is Monaſtica profeſſione emiſſa, aliquandiu hæſit in cœnobio, ſed poſtea concepta abeundi, voluntate, ab apparente ſibi Monachi ſpecie S. Dunſtano, ſemel & iterum verbis caſtigatus eſt, & de mutando peruerſo conſilio admonitus. Cum autem obduruiſſet, iamque cœnobij limina egreſſurus teneret, à B. Dunſtano acriter correptus, & triplici impactione virgæ percuſſus, ad extrema deductus eſt, diu impœnitens; nec abditum pectoris vlcus volens detegere. Non priùs tamen inter ſummos angores efflati

CAP. XII. *Vltiones diuinæ in Apoſtatas.*

re animam potuit, quàm malè conceptam defectionis voluntatem aperiret, quo facto placidè expirauit.

Acta S. Burgundoforæ apud *Bedam Tomo* 3. duplicem & diſparem in hanc rem narrationem exhibent. Prior eſt, de quibuſdam Monialibus, *quas Satan à cæterarum conuentione niſus reuellere, ac ſepta Monaſterij violare, tentauit præcipitare eas quæ exitiabilem vitam ſæculi deſiderarent, & Canonico more reiecto, viſcerum putrimenta denuò ſumere vellent. Cumque iam per opacas vmbras & ſilentia fuſca nox adeſſet, & manè perficiendi conſilium aſpirarent, ſeptaque Monaſterij per repagula ſcala tranſilire conarentur, ſubitò è medio dormitorij, maſſa ignis in modum modij egreſſa, totam domum perluſtrauit ac illuminauit, & poſt in tres diuiſa globos, per oſtiorum meatus cum magno tonitrus fragore, progreſſa eſt. Totidem enim oſtia domus habebat, per quæ ſuos ignis globos proferret. Qui tonitrus fragor, & dormientes excitauit, & egredientes ſepta Monaſterij correxit. Cum autem iam aliquæ earum per vallum pedes traiecißent, & tanto fragore perterritæ intra ſepta redire vellent, velut plumbo aggrauatas plantas, nequaquam valebant reducere: quia Diabolus arte qua potuit, ſtudebat aggrauare, quas diuina correptio noluit perire. Confuſæ ergo culpas ſuas agnoſcunt, matrique, vt eu vſa, per humilem confeſſionem lachrymabiliter prodant.* Hactenus prior narratio, cuius exitus lætus. Poſterior admodùm funeſta, ſpectat duas eiuſdem cœnobij Monialiis quas Satan ſenſim aptauit ad Apoſtaſiam per neglectum regularis diſciplinæ & abiectum vſum ſacramentorum. *Cumque* (*aiunt Acta*) *lethifer anguis, paulatim corda obdurando, virus ſuæ malignitatis infudiſſet, & mentes earum in omnibus ſibi parere comperiſſet, tunc ſuggeßit eis, vt quadam nocte extra ſepta Monaſterij progreſſæ, fugam arriperent, & ad propria remearent. Hoc itaque apud ſe deliberato, cum per denſam noctem abirent, nec prorſus præ denſitate caliginis, viam tenere quiuiſſent, aſtitit ad læuam Diabolus, ac lumen in modum lucernæ, arte qua valuit aſſimilans, tergiuerſationi vires auxit, monſtrans reducem ad ſæculum viam. Poſt quam autem peruenerant ad locum deſtinatum, ſubſequentibus Inquiſitoribus, ad cœnobium ſuum rugata fronte regreſſæ ſunt; vbi dum à matre Monaſterij B. Burgundofora, aliiſque ſororibus, diligenti ſcrutamine percontarentur quæ cauſa coegiſſet eas diſcedere, reſpondent ſe telis Diaboli fuiſſe ſtimulatas, & ideò mentes habere nequaquam poſſe directas. Cum itaque multùm ab omni Congregatione obiurgarentur; nec tamen aliquid huiuſmodi proficeret in eis obiurgatio, diuinæ vltionis gladio percuſſæ ambæ, meritas pœnas perſoluere. De tanti verò euentus lue vehementer anxia mater Monaſterij, hortatur eas indeſinenter; vt vel adhuc inter ſupremas horas conſtitutæ, facinus ſuum pandant humili confeßione. Sed obdurata corda nihil remedij capere valentia, inter flagella clamare cœperunt. Suſtinete paululum, ſuſtinete, nec prorſus expectantes arguite. Inquirentibus ergo quæ aderant ſororibus, à quibus ſuſtinere rogarent, aiunt illæ; Non aſpicitis turbas Æthiopum aduentantium, quæ nos rapere & abducere volunt? Inter hæc auditus eſt fragor maximus ſupra cellam, & tegumenta perſonas, oſtiumque cellulæ vi patefactum eſt; ita vt nigreſcentes vmbras, aſtantes cernerent, & clamantes eas nomina febricitantium ſororum audirent, adeò vt vix quæ aderant ſigno Crucis armatæ, & pſallendi officio detentæ, valerent aſtare. Tanti doloris ac mœroris euentu anxia mater, Burgundofora, vrget in extremo conſtitutas, vt vel adhuc per confeßionem pandant vitia, & ſacramento Chriſti corporis, animæ roborentur. At illæ, vt infelices & à Diabolo penitus poſſeſſæ, audita ſacri corporis mentione, garrire, dentibuſque frendere cœperunt, & ſtridentes dicere, Cras cras, & iterum ſupra dictam vocem repetere, Expectate, ſuſtinete paululùm, ſuſtinete. Inter quas voces extremum habitum dimiſerunt. Quas cum in collegio cæterarum ſepelire mater Monaſterij B. Burgundofora nequaquam ratum duceret, ſegregatim humandas, ac in extremo loco cœmeterij ſepeliendas fore iubet; ſuper quarum tumulum globus ignis in modum clypei intra triennium, crebrò apparuit, maximè Quadrageſimæ diebus, vſque ad aduentum Sancti Paſchæ, vel etiam ante vigiliam Natalis Domini feruentiùs apparebat ſimulque voces tumultuantis turbæ multæ perſonabant: Inter quas duæ vlulantes erumpebant, velut in tormentis reſonare ſolent, Veh mihi, veh mihi, veh mihi. Cernens itaque prædicta mater Monaſterij iuſtam ſententiam à iuſto Iudice ſuper iniuſtas animas illatam, manifeſtiùs damnatarum ſententiam eſt aggreſſa comperire; accedenſque ad tumulum experimento quærit, ſi cadauera quamvis putredine corrupta, in ſepulchro maneant. Iam menſis ex quo defuncta corpora fuerant condita præterierat, & ecce reperit interiùs ſepulchrum igne exuſtum, nec quicquam ſupereſſe cadaueris, præter fauillæ veſtigium. Manſit ergo per triennium, illatæ ſententiæ tanta ſeueritas, vt terror damnatarum timorem præberet ſodalium remanentium, eſſetque correptio viuentium ſic lata pœna mortuarum, & ex negligentia imo duritia mentis pereuntium, ſalus propagaretur ſuperſtitum.*

In Prato ſpirituali c. 135. in monaſterio Virginum, id accidiſſe narratur ex ore Abbatis Nicolai. *In regione mea, (erat autem ex Lycia,) monaſterium Virginum eſt fermè quadraginta. In hoc ergo monaſterio, quinque Virgines ſibi inuicem condixerunt, vt noctu de monaſterio fugerent, & acciperent viros. Nocte verò quadam cum dormierent ſanctimoniales omnes, illis conſultantibus vt veſtimenta ſua acciperent & fugerent, continuò quinque omnes à dæmone correptæ ſunt. Quo facto, non ampliùs exierunt à monaſterio, ſed confeſſæ peccata ſua, gratias egerunt Deo, dicentes; Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, vt animæ noſtræ non perirent.*

In Actis S. Galli lib. 2. *c.* 25. narratur vnius Apoſtatæ poſt tertiò repetitam fugam, diuino miraculo contra eius voluntatem facta reductio: & additur in calce capitis, *ſolens plures teſtari, cunctos qui de ſancti ipſius familia aufugerint, aut emendationem quantocyùs ſubire, aut manifeſtæ vltioni debere ſuccumbere; neque cuiquam impune cedere, qui fidem illi plenam ſeruare contempſerit.*

De duabus Monialibus quæ apoſtatarant, ſic ſcribit S. *Odo. l.* 3. *Collat. c.* 21. *Duæ ſanctimoniales de monaſterio puellarum, quod iuxta caſtrum Balma ſitum eſt, ante hoc triennium ad ſæcularem vitam regreſſæ ſunt. Quarum iunior intumeſcente brachio vitam poſt paululum finiuit. Maior verò cuidam ſceleſto ſe coniunxit, & partum ita monſtruoſum peperit, vt longius collum haberet quàm ſit vna vlna. Sed cum ſe iterum proſtituiſſet, concepit quidem; ſed edere partum non potuit, quouſque diſrupto ventre interijt. Fuerant enim vſque ad tempus illud quo exierant benè conuerſatæ. Ad hoc autem egredi permiſſæ ſunt, vt de rebus parentum, qui*

forte

fortè nuper obierant, aliquid monaſterio repertarent. Sed hac occaſione ſaculum pergustantes, oblita ſunt Deum.

Leccij in Apulia, obuiam S. Franciſco factus; quidam ex Ordine Minorum Apoſtata, receptus eſt à viro Sancto cum omni manſuetudine: ſed monuit tamen, vt patibulum quod è regione erat, proſpectaret; & ne ſecundò Ordinem Minorum deſereret, ſedulò caueret, ni vellet ex ea furca pendere infeliciter. Non multis poſt menſibus, infœlix erro, deſerta denuò ſacra familia, dum licentiùs agit, deprehenſus in ſcelere, prænunciationem viri ſancti impleuit, iuſſus ex ea furca pendere. Recitat *Vuadinghus in Minorum annalibus, ad annum Chriſti* 1222. *num.* 15. Videſis item *Opuſcula Sancti Franciſci prophetia* 13. *pag.* 480.

Apoſtatam Ordinis Prædicatorum, virum literis & auctoritate præcellentem, ſibi notum fuiſſe, ſcribit Thomas Cantipratanus eiuſdem Ord. qui S. Thomæ æuo ſcribebat, (vt patet ex *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 10. vbi S. Thomam tunc ſuperſtitem laudat;) Illum ergo miſerum Apoſtatam, in graui infirmitate, cum regreſſum in ordinem non exoraret, per impatientiam nimiam & œſtrum mentis, deſperaſſe, ait Cantipratanus; & in eo deterrimo ſtatu efflaſſe animam. Mox autem, piæ cuidam Moniali Aquirientis monaſterij in Brabantia, apparuiſſe profitentem ſe æternis addictum ignibus. Conſimili fine malo multatus eſt Ioannes de Capella Ordinis Minorum Apoſtata, nam deſperans, collum laqueo inſeruit, & ſic perit, vt ſcribit Petrus Alua Peruanus l. cui titulum dedit, S. Franciſcus *prodigium natura, portentum gratia, tit.* 18. *pag.* 100.

Minoritam Religioſæ profeſſionis pertæſum, ſcribit *Vuadinghus Tomo* 2. *Annal. Ord. Minorum anno* 1266. *num.* 11. domo digreſſum, inter prealtas ſegetes iam ad meſſem albas, cucullum & tunicam abiecturum intraſſe; inſequente quem non videbat prægrandi moloſſo, à quo confeſtim à dimiſſo habitu, progreſſo gutture ſuffocatus eſt; adeò promptè, vt meſſores qui ſubeuntem ſegetes, & inſequentem moloſſum viderant, ad morientis verò clamores accurrerant, repererint iam mortuum; moloſſo non vltrà viſo. Addit Vuadinghus, non diſſimile alterius exemplum, cui canis rabidus qui conſequebatur cœnobio digredientem, nocere non potuit, quamdiu habitum retinuit. Cum primum autem abiecit Religioſam veſtem, demorſus à cane, & ſuffocatus eſt.

Matthiam quendam Carthuſienſem, ſcribit *Dorlandus in Chron. Cartuſ. lib.* 7. *c.* 41. paulo antequam ea ſcriberet, multiplicis apoſtaſiæ, ac aliorum ſcelerum reum, dum nihil minùs cogitat, in cubiculo à caterua dæmonum ſpecie ferarum horrificos ſonos edentium comprehenſum, indeque extractum, & abreptum ad Tartara, pœnas apoſtaſiæ ſæpiùs iteratæ, nec vnquam per pœnitentiam abſterſæ, dediſſe grauiſſimas. Horrenda item ſunt quæ addit *c.* 43. 44. *&* 47. de aliorum trium apoſtatarum infeliciſſimo fine.

Petri Paradi Societatis IESV, apoſtaſia & diuina vltio in eum plena miraculo, deſcribitur his verbis à *Nicolao Orlandino lib.* 14. *hiſt. Soc. IESV num.* 88. *Æſtimando beneficio religioſa vocationis, ſolidandaque ſociorum conſtantia non mediocriter profuit inconſtantis Sacerdotis exemplum Petri Paradi, qui catera minimè malus vir, cum pertaſus vita ſuſcepta in Societatis corpore contineri cum reliquis nulla ratione poſſet, ad extremum domum ſuam, haud tamen à votis liber, immuniſque diſceſſit. Cumque ſua ipſe ſententia, ac indicio, Doctoris etiam cuiuſdam auctoritatem ſequutus (nondum enim ita planè res noſtras, vt poſtea factum eſt, ſedes Apoſtolica explicuerat) nullo ſe teneri voto conſeret, ſolutiſſimo pacatiſſimoque viuebat animo cum cætero populo; & quod deterrimum erat, nullo pudore nulloque Dei timore munitus, confidentiſſimè ſeſe ad inſtituendos, iuuandoſque cæteros qui ſe ipſe deſtituerat, poneque perdiderat, comparabat. Non tulit hominis audaciam caleſtis vltio; In ipſo articulo temporis, quo ſe ad Eccleſia myſteria tractanda, proximiſque adminiſtranda conuertit, dirum ei morbi genus immittitur. Tantis enim viri doloribus, torquerique cœptus eſt, cum ſibi totus turgeſcere videretur, vt nullam caperet quietis partem, neque diurne, neque nocturne: & quidem nulla antegreſſa febri, nulla cauſa: vt in ea inueſtiganda, reperiendaque haſitaret, fruſtraque deſudaret omnis ars Medicorum. Iam curationis gratia deportandus erat propter paupertatem ad publicum agrotorum hoſpitium, cum ad eum ſe confert Conimbricenſis Collegij Rector Leo Henricus, & pro paterna charitate rebellem, vt ad Collegium redeat, ibique curetur, hortatur. Is haud mente minùs, quàm corpore tumidus, reſpondit, ſuis ſe rebus, animique ſaluti, per ſe admonente nemine conſulturum. Ad eam vocem continuò pes lauus enormiter intumuit: & à pedibus, quos in Ægyptum referre non puduit, primùm orta pernicies. Rector tamen occaſionem inde captans ad ſanitatem hominis reducendi, acriùs eum adhortari, vt quando in tanto vita ſaluiſque diſcrimine verſaretur, duritiem à pracordiis arceret, & mentem ſuam aduersùs monitores amiciſſimos flecteret. Verùm ille non modò monitis non acquieuit, ſed cum votorum ſponſione, auctoritate Prapoſiti Generalis liberaretur, quo tutiùs è vita diſcederet, beneficium deriſit; perindè ac iis vinculis ſolueretur, quibus nequaquam teneretur aſtrictus. Serpebat interim in pede tumor cum amplificatione doloris, & deportatus ad agrotorum hoſpitium; Chirurgis, Medicisque committitur, quorum de ſententia digitus ei maximus, quo ſumma mali diritas confluxerat, ne proximos quoque traheret, amputatur. Nec tamen compreſſus eſt tumor; ſed cum manaret in horas latiùs, reliqui etiam amputati ſunt digiti. Iam cunctis erat digitis mutilus; nec multiplex obtruncatio, totoque corpore vſtiones adhibita, ſiſtere vitioſum humorem, peſtis pabulum, fontemque valebant. Neque reliquum erat aliud, niſi vt ipſe quoque pes totus obtruncaretur. Lata iam erat ſententia; iam expedita ſcapella, qua Chirurgus immiſſis in putreſcentem demergeret pedem: cum denique mens obſtinata reſipuit, & ſui miſertus ager, aperuit oculos. Tum demum ne totus & animo & corpore funditùs interiret, Rectorem accerſit; agnouit erratum, & profeſſus, quam abiecerat, obedientiam, ad omnia ſe paratum oſtendit. Mirum dictu; ſimul ab Rectoris amplexatus obſequium, tumorem animi poſuit ager; tumor quoque corporis ſtetit: putredo ſerpens quieuit, tametſi antea Medici confirmarant, nullam ad eum curandum morbum reperiri poſſe medicinam: vt appareret malum inuectum à Deo, cuius comparatum eſt ſapientia; vt in ſuo quiſque vitio plectatur, & noxa pœna reſpondeat. Secandus tamen pes putridus fuit, & quod erat marcidum excidendum. Quem ille tantum ſubiturus ictum, voluit noſtros, quos antea fugerat, intereſſe, & iis inſpectantibus ex ſe cari: qui cum ſuper ferrum manumque Chirurgi, Sanctiſſimum IESV nomen identidem inclamarent; tantum ille concepit animo robur,*

CAP. XII. *Vltiones diuina in Apoſtatas.*

CAP. XII. *Vltiones diuinæ in Apoſtatas.*

bus, vt poſtmodùm affirmaret, in excipiendo volnere, vix ſe dolorem vllum ſenſiſſe. Is poſtea ſibi reſtitutus, quamuis optaret redire, amplius in ſocietatem receptus non eſt. Itaque cæteros inter homines manſit, ſegregatus à noſtris mente quidam ſanus, nec Conimbricenſi Epiſcopo inutilis: cæterum altero pede mutilus, quo diuini beneficij quoties gradum faceret, veniret in mentem, & ſocietatem ſimul recordaretur amiſſam.

Ante paucos annos, Apoſtata ex Ordine S. Franciſci, horrendo planè Dei iudicio, cum paulo ante belliſſimè haberet, ſubitò ita tumuit, vt tanquam alter Iudas, diruptus ſit, & effuſa ſint omnia viſcera eius. Rem narro in *Opere de Iuda cap. 16. num. 9.*

Autem hic Apoſtatis meritò vellam, eo monito quod extat apud *S. Chryſoſtomum hom. de leuium peccatorum periculo. Non euaſiſſe ſe credat, ſi fecit ille, quod illo fecit & periit; ſed magnis timeat, quod ſibi in futurum, iudicium cæleſte ſeruauit.* Quanquam vt ex recitatis ſupra exemplis liquet, comprobatur in hoc criminoſum genere, illud Lyrici: *Raro antecedentem ſcelestum, deſeruit pede pœna claudo.* Expenſione quoque hic dignum eſt, quod tradit Sanctus Chryſoſtomus, priore ad Theodorum Parænesi *ſub initium*, quoad ſupplicia apoſtatis adhuc ſuperſtitibus inflicta; & quorſum hic à Deo inferantur. *Diuinum numen (inquit) quia liberum eſt à perturbationibus, & punit, & in promeritos animaduertit, neque tamen vlla vltionis cupiditate vnquam tangitur, ſed amorem potiùs ad nos, id faciens præ ſe fert, magnamque curam, Bono eſſe animo addecet, & confidere de virtute reſipiſcentiæ. Si quidem illis qui in ipſum deliquerunt, non ſolet propter ſuam contumeliam mala immittere, aut quicquam incommodi in hanc naturam inducere: ſed omnino ad noſtram ſpectans vtilitatem, videlicet ne peruerſi ac noſtra aut in peius abeat, contemnatur, deſpiciatque illius benignitatem. Quemadmodum is qui è conſpectu lucis vltrò ſecedit, ea damnum non dedit, ſua potiſſimum ipſius culpa conjectus eſt in tenebras: ſic qui ſolitus faſtidire virtutem Dei omnia potentem, ex ea quidem nihil mali habet, ſummum autem exitium ipſe ſibi aduexit. Hac de cauſa Deus flagella nobis minatur, & interim adducit, non vt ſe vlciſcatur, ſed vt nos ad ſe trahat. Medicus enim propter contumeliam mente captorum non dolet, neque mordetur, ſed omnia facit, omnia molitur, quæ ad ſedandos illorum abſurdos mores exiſtimat, non ſuam ſpectans, ſed illorum vtilitatem. Quod ſi tenuem ægrotus coniecturam temperantiæ, & frugalitatis oſtendit, continuò gaudet, & lætatur, multoque accuratiùs medicinam apponit: non propterea quòd ſit vindex, aut quòd expetat pœnas prioris contumeliæ, ſed quia tum pulchrum initium prouehere vult ac abſoluere in ſynceram ſanitatem. Non aliter Deus poſtquàm nos in extremam cecidimus inſaniam, non eſt vltor veteris flagitij, ſed vt morbum arceat, omnia dicit, ac facit.*

Hæc D. Chryſoſtomi oratio, veritate nititur quoad ea quæ frequentiùs accidunt. Interdum tamen, ſupplicia non eſſe reſipiſcendi ſtimulos, ſed iuſtam vltionem tanti criminis, dubitare non licet: vt videre eſt iis qui ſubitò abripiuntur prius quàm poſſint toties refutatam pœnitentiæ anchoram prehendere. Idque non diffiteri ſanctum Chryſoſtomum, ſatis indicat quod dixit, non ſolere Deum ita ſe gerere, vt accedat purè vltor. Quamuis cum id facit, nihil Deum dedecens faciat, vt pluribus trado Facula 15. ad Idiotam: vbi aliter quoque Sanctum Chryſoſtomum expoſui, ac etiam Sanctum Gregorium, quibus præiuerat *Origenes hom. 5. in Ezech.* Breuiter idem tradit *S. Bern. ſerm. 16. in Cant.* Neque tamen hæc ſupplicia, cum ſunt vltiones meræ quoad criminoſos, carent fructu ſuo quoad alios, lauantes manus ſuas in ſanguine peccatorum. Audi *Diuum Auguſtinum lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. Deus non ſolum volens oſtendere iram & demonſtrare potentiam ſuam, tulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem: ſed etiam quod ſequitur, vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Quid enim prodeſt vaſis perfectis in perditionem, quod ea patienter Deus ſuſtinet, vt ordinanter diſperdat, vtaturque illis ad inſtrumentum ſalutis aliorum, quorum miſeretur? Sed illis vtique prodeſt, ad quorum ſalutem iſtis ſic vtitur: vt ſicut ſcriptum eſt, Iuſtus manus lauet in ſanguine peccatoris, id eſt mundetur ab operibus malis per timorem.* Scitè in eandem ſententiam *Eucherius hom. de initio quadrageſimæ. Quod interdum etiam in præſenti, in aliquos, cæleſtis defenſio offenſa, id cauſa eſt, quod manifeſtantur etiam hic diuina iudicia, vt ſecundùm Salomonem, caſtigato peſtifero, fidelis efficiatur aſtutior; & manus ſuas lauet in ſanguine peccatoris; manus ſuas lauet in ſanguine, id eſt, opera ſua, viſa malorum pœna purificet.* Bellè expendit, ſed aliorsùm flectit ſenſum eorundem Pſaltis verborum, Gregorius Nyſſenus, ſub finem Orationis de his qui præmaturè abripiuntur. Locum dedi cap. 2.

CAPVT XIII.

Iudicium Eccleſiæ de Apoſtaſiæ atrocitate, & pœnis quibus ob eam multat Apoſtatas.

QVia Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis, & ſecundùm Deum, ſumma eſt eius auctoritas, ac nullius quantumuis ſublimi auctoritate æquabilis; propterea vt apoſtaſiæ malignitas manifeſtior fiat, Eccleſiæ nunc iudicium de hoc ſcelere exquiremus, recenſitis & nonnihil libratis pœnis, quas ob illud infligi Apoſtatis voluit.

Apoſtaſia, crimen pœnæ humanæ obnoxium, ex ſenſu Eccleſiæ, atque Sanctorum.

ILlud tamen ante omnia ſtatuendum eſt, tanquam indubitatum & planè certum, eſſe in Eccleſia poteſtatem ad puniendos pro apoſtaſiæ ſcelere Apoſtatas. Quis credat ita frontem attriuiſſe apoſtatarum quempiam, vt id auderet diffiteri? Nihilominus Marcus Antonius de Dominis, ex Ord. Religioſi olim alumno, Catholicæ fidei deſertor, eò dementiæ prolapſus eſt, vt ex inſtituto probare contenderit, Apoſtatam à Religioſo Ordine, nulla eſſe pœna dignum. Ita ille *lib. 1. de Repub. Eccleſ. c. 12. a num. 44. ad 48.* Nimirum ſicut Hæretici, omni concitatione efferueſcunt in dogma Catholicum, quo iuſtè eos per Eccleſiam vi coërceri & mulctari poſſe docemur; cauſam ſuam agentes,

gentes, vt rectè monuit Caſtro in Præfatione ad Opus de iuſta Hæret. puni. Vt à Apoſtatam de impunitate Apoſtatis curanda eſſe ſollicitum, non debet mirum videri. Contrarium planè habet, & ſenſus Eccleſiæ quæ eſt columna ac firmamentum veritatis, & ſanctorum iudicium, ac manifeſta ratio. Sed ſenſum quidem Eccleſiæ mox aperiemus; tractantes quibus illa pœnis mulctatos voluerit Apoſtatas.

Iudicium verò Sanctorum, ex omnibus Religioſarum familiarum regulis proditur. Nemo quippè fuit ſanctorum Fundatorum, cui hoc ſcelus non non ſit viſum digniſſimum, quod pœnis nec vulgaribus coërceretur. Inſigne verò præter cætera eſt exemplum S. Romualdi, qui ſuummet patrem Sergium, factum Monachum, cum accepiſſet meditari Apoſtaſiam, ea aſperitate tractauit, quam ne incredibilis videatur, verbis Petri Damiani repræſento in S. Romualdi rebus geſtis cap. 13. cum præmiſiſſet cap. 12. miſſos ad eum Rauenna nuncios de patris delirio, & concepta apoſtaſia. *Non equo fultus, non vehiculo deportatus, ſed ſolum in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Rauennam vſque peruenit, ibique patrem ad ſæculum reuerti volentem reperiens, in ligno pedes eius fortiter ſtrinxit, grauibus eum vinculis alligauit, verberibus duris afflixit, & tamdiu corpus eius pia ſeueritate perdomuit, donec eius mentem ad ſalutis ſtatum, Deo medente, reduxit.* Si vir ſanctus, ſuimet ſecundùm carnem parentis, nondum executioni mandatam, ſed animo tamen deſtinatam apoſtaſiam, ad eum modum puniuit, quid in apoſtaſiam reapſe exercitam non videretur decreturus? Potho Abbas carceri mancipabat molientes apoſtaſiam vt eſt in Epiſtola Adriani Papæ ad Carolum Magnum quæ eſt 72. in Collectanei Gretſeri, idque ibi ſupponitur iuſtum. Ipſe Chriſtus apud S. *Hildegardem lib. 2. viſione 6. num. 50.* ita faciendum in contumaces Apoſtatas mandat.

Rationis denique ſuffragium, non eſt ambiguum. Quidni enim tam tetrum & horrendum ſcelus, quantum monſtrauimus eſſe apoſtaſiam, iuſtè ſubiaceat iudicio & pœnæ commeritæ? Apud *Petrum Damiani Opuſc. 15. cap. 7.* qui ſe in famulos ſuæ Congregationis dicabant Deo; ex formula ſuæ profeſſionis quam Petrus Damiani eo loco exhibet, ſpondebant, ſi fugerent, fas fore Rectoribus eos violenter reuocare, & cogere ad promiſſum obſequium, non ſine congruis pœnarum appendicibus quas inſinuant voces illæ, *plena ſui iuris autoritate, violenterque & coactè.* Quanto ergo magis, plena profeſſione Religioſa Deo addictos, ſi fugerent, ſimiliter mulctatos fuiſſe, eſt exiſtimandum?

Argumenta Marci Antonij de Dominis, (imo verò de ſeruis iniquitatis atque Diaboli, quibus ſeruiuit iſte apoſtata,) nituntur omnia falſiſſimis principiis. Cenſet enim votum ſolemne Religionis eſſe ſolubile; nec eius conculcationem & deſertionem conſtituere apoſtatam; quod eſt omnino falſum, ſed hic extra locum, minimè diſcutiendum.

Breuiculus antiquarum pœnarum Apoſtatis decretarum.

CAP. XIII. *Senſus Eccleſiæ de Apoſtaſia in ſeueritate.*

HOc paucis conſtituto, veniendum eſt ad iura Eccleſiaſtica in Apoſtatas, aduerſus quos præcisè vt tales, fateor iure communi non adeò multa haberi conſtituta, quamvis iuribus peculiaribus habeantur pleraque.

Vt vtrumque intelligatur; præmittendum eſt breue compendium pœnarum apoſtatis ex Eccleſiaſtico iure infligendarum, quod ſubminiſtrat *Conc. Tiburienſe ſub Formoſo celebratum, cap. 26.* verbis illis: *Si Monachus fuga regularis diſciplinæ elapſus, propoſitum ſanctitatis calcauerit, omnimodis coërcendus & ab omnibus deteſtandus, atque omni onere eſt grauandus: vt ſaltem rubore verecundia confuſus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta ſingularitatis (monachiſmi) profeſſione inimicus tenebat. Si autem tam irreuerens & pertinax eſt, vt ad monaſterium redire, & propoſitum Monachi reluctauerit obſeruare; impleantur ſuper eum conſtituta quæ de eo ſcripta ſunt in ſancto Canone. In Concilio Calcedonenſi cap. 4. Papæ Syricij Sexto; Leonis 92. Quatenus retruſus ergaſtulo, decoqui poſſit pœnitudinis igne purgatorio.* Supponit hoc Concilium, non eſſe in Apoſtatam quicquam grauius ſtatuendum, donec præmiſſa admonitione & adhortatione congrua, pateat illum eſſe in ſcelere obduratum. Nam antequam de hoc liqueat, vult quidem eum eſſe omnibus deteſtationi, vt hæc confuſio iuuet ad reuocandum malè ſanum deſertorem: nihil tamen de eo durius acerbiuſve pronunciat. At cum primum de pertinacia in ſcelere iam perfecto conſtiterit, mandat Concilium agi in apoſtatam legibus ſacris, & in Chacedonenſi Oecumenica Synodo; ac per duos ſummos Pontifices Syricium & Leonem latis.

Et in Synodo quidem Chalcedonenſi actione 15. cap. 4. vt veris & ſynceris Monachis ſingularis honor decernitur; ita qui Monachi exleges & veſte tenus, Epiſcopis reſtiterint, & abſque eorum aſſenſu monaſteria aut oratoria conſtruxerint; vel qui implicuerint ſe extraneis negotiis, & ſua monaſteria deſerentes vagati fuerint, turbantes Eccleſiaſticam pacem; excommunicatione percelluntur, & quidem latæ ſententiæ. Nam ait Concilium, talem excommunicatum eſſe decreuimus, ne nomen Dei blaſphemetur. Et mox cap. 7. iubet excommunicari Monachos non redeuntes ad Religionem. Quem locum annotauit *Zacharias Papa, Epiſtola ad Pipinum, & Petrus Damiani Opuſc. 4. p. 2. cap. 3.*

Syricius verò Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 6. Monachis & Monialibus quibus Satan furtiuos primum congreſſus; deinde verò ſpecie coniugij, non celata ſacrilegia perſuaſerit; imponit ſegregationem à monaſteriorum cœtu, Eccleſiarumque, conuentibus, ac retruſionem in ergaſtula: *vbi tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoquere; vt eis vel ad mortem, ſaltem, ſolius miſericordiæ intuitu, per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubuenire.*

Tandem S. Leonis reſcriptum ad Ruſticum Narbonenſem, (eſt 92. inter S. Pontificis Epiſtolas,) num. 12. & 14. fert, Monachum non poſſe à ſua profeſſione reſilire, ſine peccato: ac proinde Monachum Apoſtatam qui ad nuptias vel malitiam tranſoluat, publicæ pœnitétiæ ſatisfactione purgandum eſſe.

CAP. XIII.

Senſus Eccleſiæ de Apoſtaſia atrocitate.

eſſe. Quod decretum refertur & confirmatur à Concilio in Verno Palatio cap. 4. inter Capitularia Caroli Calui: vbi tamen præmittitur de ſimpliciter Apoſtatis. *His qui poſt euidentem profeſſionem, Monachicum etiam habitum reliquerunt, vel qui ſua culpa proiiciuntur, niſi redire & quod Deo ſpoponderunt implere conſentiant, hoc credimus poſſe remedio ſubueniri; ſi in ergaſtulis incluſi tamdiu à conuentu hominum abſtineantur, & pietatis intuitu conuenientibus macerentur operibus, donec ſanitatem correctionis admittant.*

Quatenus pœnæ recenſitæ; videantur diminutæ.

HÆ pœnæ, quatenus à Siricio ſunt intortæ; nimirum reclusio perpetua, & remotio à SS. myſteriis, præterquam in morte, ad eos duntaxat Apoſtatas pertinent, qui inceſtis copulationibus ſe fœdarint: id eſt, quorum vnus monachus, altera ſanctimonialis, fœdum commercium, tandem nuptiarum nomine obductum inierint. Et ſunt complura Pontificum & Conciliorum decreta; contra quaſcunque nuptias perſonarum quæ Religionem ſint profeſſæ, etiamſi cum non profeſſis copulari velint. Refert ea decreta *Bellarm. lib. de Monach. cap. 25. & 26.* Sed vt vides, non feriunt niſi ineuntes coniugia. Quo etiam videtur pertinere reſponſum Gregorij Papæ ad Sanctum Bonifacium. Habetur 27. q. 1. *cap. viduas* 1. vbi viduæ apoſtatantes excommunicantur, quia virorum conſortio multoties viſæ, ad priorem vomitum reuertuntur. At excommunicatio lata à Concilio Chalcedonenſi, non percellit Apoſtatas, ſed inobedientes & gyrouagos Monachos, qui cum deberent eſſe quod dicebantur, & cellas ſuas incolere, foris vagabantur; tractantes ſæcularia cum magno ſæcularium ſcandalo, & Eccleſiæ turbatione: vel negotiis Eccleſiaſticis temerè ſe immiſcebant, & contra voluntatem Præſulum Ordinariorum, ædificabant noua monaſteria, vel Eccleſias. Quæ omnia potuerunt fieri ſine apoſtaſia. Quare quamvis Concilium Triburienſe, quod de quomodolibet Apoſtatis à Religione tractabat, potuerit velle, vt pœnæ à Concilio Chalcedonenſi in gyrouagos & inobedientes Monachos, quamvis non Apoſtatas latæ, inferrentur Apoſtatis; & iiſdem quoque ferirentur, pœnis, quibus inceſtuoſi illi ex Siricij decreto, feriendi erant: tamen cum non fuerit niſi Prouinciale Concilium, nec fuerit confirmatum, non potuit ius vniuerſale condere. Sed neque S. Leonis decretum quod allegatur in eo Concilio, ad omnes à Religioſo ſtatu Apoſtatas pertinet, ſed tantùm ad eos qui coniugio, vel militiæ ſe illigauerint, & (vt vidimus,) publicam tantùm pœnitentiam eis imponit; Qua etiam pœna mulctantur omnes à Religioſo ſtatu Apoſtatæ in Concilio 2. Arelatenſi (quod item Prouinciale tantum eſt,) cap. 25. indicta inſuper excluſione à Clericatu. Sed neque hoc decretum cum ſit tantum Concilij Prouincialis, facit ius commune.

Aliæ Apoſtatarum pœnæ iuri communi adſcriptæ, minus fundatæ aut diminutæ.

MVlti, excommunicationem latæ ſententiæ, Apoſtatis conſtitutam eſſe contendunt *cap. 2. ne Clerici vel Monachi in 6. Ita Henriq. lib. 13. cap. 39. num. 1. Azor. t. 1. lib. 12. cap. 17. q. 6. Rebuffus in Praxi benefic. tit. de Diſpenſat. cum Regular. num. 43. & Zerola in praxi V. Apoſtata num. 2.* Sed iure hoc reiiciunt *Suarez Tom. 5. 3. p. d. 31 ſect. 6. num. 1. Fagundes in 2. Eccleſ. pracep. cap. 5. num. 16. Sanchez lib. 6. in Decalo. cap. 8. num. 20. Leſſ. lib. de Iuſt. cap. 41. n. 109.* & alij benè multi quos hi allegant; quia in Capite quod profertur, non agitur de apoſtaſia, ſed de temeraria habitus dimiſſione facta ad liberè euagandum, etiamſi abſque apoſtaſia. Apud *Anſelmum Lucenſem lib. 11. cap. 146. & in Canon. pœn. Rom. tit. 7. cap. 5.* excommunicationis ferendæ pœna intentatur Apoſtatæ, ſi deſit pœnitentiæ. Sed cuius ſit is Canon, ignoratur. Canone 4. primæ & Secundæ Synodi Conſtantinopolitanæ, in æde Sanctorum Apoſtolorum congregatæ, decretum eſt, vt excommunicetur Monachus Apoſtata, & qui eum receptat. Ita refert Balſamon ad quæſitum 6 Monachorum, propoſitum Synodo ſub Nicolao Patriarcha. Verum neque ea excommunicatio eſt latæ ſententiæ; neque Synodus fuit Oecumenica, & faciens ius commune. Quod æquè ſtatuendum eſt de excommunicatione in Apoſtatas lata in Concilio Andegauenſi (an potius Turonenſi vt habet præfatio,) celebrato ſub Nicolao II. anno M. L X. præſide Stephano Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legat. Ita enim ibi habetur c. x. [Quicunque Monaſticæ Religionis deſertor inuentus fuerit, à regno Dei, & à Chriſtianorum conſortio, ſicut Apoſtata, excludatur, & alienus exiſtat, donec reſipiſcens dignè pœniteat.] Refert hoc Concilium Lucas Dacherius in Notis ad vitam Lanfranci *pag. 23.* Sed vt vides eſt duntaxat Concilium Prouinciale, quod tametſi ex Nicolai Papæ mandato (vt ibi videtur) eſt celebratum Præſide Stephano Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Vicario, legato à latere, tamen non facit ius commune, quia Patres ibi Congregati, non egerunt ex commonitorio à Pontifice ſubmiſſo (vt factum eſt in Concilio 2. Arauſicano:) Sed tantùm iuſſi ſunt à Pontifice, conuenire, & ſtatuere quæ cenſerent ipſi ſtatuenda, iuxta exigentiam regionis. Vnde Concilium non tranſcendit auctoritatem Concilij Prouincialis, ſeorſim à Pontifice ſumpti, quod conſtat non facere ius vniuerſale.

Sunt qui Apoſtatis pœnam infamiæ ipſo iure infligi aſſerant, ex *cap. alieni* 2. *q.* 7. ſed ibi de omni planè apoſtaſia agitur, etiam de ea quæ eſt à fide; nec incurritur pœna infamiæ ante ſententiam iudicis. Eſto infamia facti ex apoſtaſia publica incurratur, vt habetur ex tanta huius delicti enormitate, benéque hoc probrum exprimunt illa *Bleſenſis Epiſtola. 86. Enorme diſpendium tuæ opinionis æquanimiter tolerare non poſſum; factus enim es fabula in Clero, & in plebe ludibrium prurientium deſæuit in te linguarum procacitas, & qui te comedunt, non dormiunt. Si te laueris nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, non auferetur à te macula præuaricationis tuæ. Veruntamen non reputas iniuriam damnum famæ, qui bibis quaſi aquā ſubſannationem; & vt verbo prophetico vtar, frons*

mere

meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Dereliquiſti fontem aquæ viuæ, & fodiſti tibi ciſternam diſſipatam, quæ aquas continere non poteſt.

Præterea alij, apoſtatas perpetua inhabilitate ad prælationes Ordinis, etiamſi reſipiſcant, damnatos volunt, ex *cap. Per tuas, de voto.* Sed perperam caput illud in hanc rem proferunt. Cum ibi non agatur de Apoſtata, ſed de eo qui voto Religionis ineundæ aſtrictus, eligebatur in Epiſcopum Gebennenſem, quem Pontifex negat debere electioni aſſenſum præſtare, priúſquam Religionem iniuerit. Quod quid ad rem præſentem? Alij Apoſtatas à ſtatu Religioſo, pronunciant inhabiles ad beneficia: quod ſanxiſſe Clementem 5. teſtatur *Oldradus conſil.* 184. *in fine*, & adducit exemplum cuiuſdam eo nomine repulſi ab Epiſcopatu ad quem electus fuerat. Annuit *Rebuffus in praxi benefic. tit. de diſpenſatione* cum Regularibus, quamvis non idcirco Apoſtatam priuari ipſo iure beneficiis priùs obtentis, tradit idem *Rebuffus tit. de modis amittendi beneficia num.* 47. cum Panormitano quem adducit. Extat decretum Clementis Quinti in Concilio Viennenſi, quod refertur *Clem.* 2. *de vita & honeſt. Cleric.* in quo ij Religioſi pronunciantur inhabiles ad beneficium obtinendum ſi per annum veſtem Religioſam non tulerint publicè; & per decentiam habitus extrinſeci, non oſtenderint intrinſecam honeſtatem morum. Cæterum per hæc non conuellitur quòd diximus; neque idcirco ſequitur, Apoſtatas à Religione puniri his pœnis iure communi. Nam factum Clementis quinti ab Oldrado adductum fuit ſingulare, nec tranſiit in ius commune. Fortaſſis autem interuenerant circunſtantiæ aliquæ, propter quas dignum fuit id ſtatuere. Decretum verò latum in Clementina citata, non ſpectat Apoſtatas, ſed quoſcunque non portantes veſtem Religioſam; quod poteſt quis facere abſque Apoſtaſia. Non decere tamen, facile iſtiuſmodi deſertores promouere ad Eccleſiaſticas dignitates, etiamſi reſipuerint; res ipſa loquitur, & egregiè expreſſit S. *Auguſtinus epiſt.* 76. quæ eſt ad Aurelium & refertur *cap. legi.* 16. *q.* 1. *In Concilio* 2. *Rauennatenſi rubr.* 22. decernitur Apoſtatarum à Religioſis Ordinibus, inhabilitas ad dignitates qualcunque Eccleſiaſticas & beneficia; ac etiam priuantur iure Eccleſiaſticæ immunitatis. Sed hæc omnia tantùm feriunt Apoſtatas quamdiu Apoſtatæ eſſe perſeuerant, & cùm lex ſit lata tantùm à Concilio Prouinciali, non poteſt obligare vniuerſalem Eccleſiam.

Tandem alij, ex eo quod *Tridentinum ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 19. ſtatuat eos qui prætendentes profeſſionem ſuam nullam eſſe, recedunt à Religione dimiſſo habitu, puniendos eſſe vt apoſtatas, & nullo Religionis ſuæ priuilegio potiri debere; inferunt nullum à Religione Apoſtatam, gaudere Religionis ſuæ priuilegiis. Quæ extenſio eſt planè voluntaria, atque adeò reiicienda. Non enim in legibus pœnalibus, quatenus talibus, admittuntur ampliationes vel extenſiones: quia quamvis ſcelera poſſint eſſe ſimilia, aut etiam atrociora, tamen vt eadem pœna mulctentur, requiritur legiſlatoris voluntas. Quare diſplicent qui ex eo quod *cap. contingit* 2. *de ſent. excommunicat.* Clerici habitu & tonſura dimiſſis, poſt trinam monitionem priuentur clericali priuilegio quoad forum, inferunt Apoſtatas à Religione, priuari priuilegio canonis. Rectè autem ibi contrarium ſtatuit Panorm. qui ita rectè colligit ex citato capite, & ex *cap. ſi verò* 2. *de ſent. excom.* Annuit *Molina Tract.* 3. *diſp.* 54. *num.* 2. Et ratio eſt, quia Apoſtata, vi apoſtaſiæ non deſinit eſſe Religioſus: Vnde cum ſit certum, Religioſo. potiri priuilegio canonis, nec vllum ius ſpoliet Apoſtatam tali priuilegio, non eſt cenſendus eo excidiſſe per apoſtaſiam. Secùs verò eſt de Nouitio. Nam eo ipſo quod deſinit eſſe Nouitius, non pertinet amplius ad Religionem, quod erat pro eo fundamentum priuilegij canonis. Quare ſimul exuitur eo priuilegio, etiamſi exiret cum culpa, & irretitus votis ſimplicibus non ſubſtantialibus Religioni. Maneat igitur, improbandos eſſe illos qui pœnas Apoſtatis ab ordine clericali conſtitutas, vel decretas quibuſdam Apoſtatis à Religioſo ordine, ſub certis conditionibus, ad quamcunque apoſtaſiam à Religione non interuenientibus, volunt extendi ad quoſcunque Apoſtatas à Religioſo ſtatu Quod tanquam regulam conſtituit *Suares Tractat.* 8. *de relig. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 32.

CAP. XIV. *Senſus Eccleſiæ de Apoſtaſia Monaſticæ.*

Quæ pœnæ, Apoſtatis vt ſic, conſtitutæ iure communi vniuerſali,

IGitur aduersùs Apoſtatas à Religione, pro vt tales, quæ iure communi conſtituta ſunt, ferè arctantur ad duo Honorij decreta; quæ habentur cap. vltimo de Apoſtatis. Alterum eorum eſt ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, quo permittit Præſulum arbitrio, vt Apoſtatæ quibus nullæ minæ aut blanditiæ curationem in cuſtodia fecerint, *ſub graui cuſtodia carcerentur; ita quod ſolummodò vita ſibi miſera reſeruetur, donec à ſua præſumptionis nequitia reſipiſcant.* Loquitur quidem Honorius indiſtinctè de Apoſtatis, proindeque videtur etiam apoſtatas ab Ordine comprehendere. Tamen cum Apoſtatæ à ſtatu Religioſo paſſim Apoſtatæ audiant, haud dubiè de his quoque agit: imo maximè de his egiſſe videtur, ſpectato communi vſu loquendi. Et ſanè firmarunt hoc decretum prout cadens in Religioſos Apoſtatas, varij Pontifices, ſpecialibus reſcriptis adſcitis, quæ legere licet apud *Rodericum t.* 1. *qq. Regul. q.* 30. *art.* 6. Videndus item *Nauarr. Comment.* 3. *de Regular. n.* 50.

Alterum quod memorabam Honorij decretum, ad Antiſtitem Lugdunenſem, fert, quod *Monachus aliquem ſacrum ordinem in apoſtaſia recipiens, quantumlibet ſuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam; abſque diſpenſatione Romani Pontificis, miniſtrare non poterit in ordine ſic ſuſcepto.* Circa hoc reſcriptum, nonnulla ſunt aduertenda. Et imprimis quamvis in eo agatur tantum de Monachis, tamen æquè per illud feriri Apoſtatas à Clericis Regularibus, iuxta declarationem à Pontifice adhibitam *cap.* 2. *poſtulando*; vbi interdictum arcens Monachum à munere Aduocati, dicitur arcuiſſe quoque Canonicum Regularem; quia hic quoque Religioſus eſt, & tale interdictum, latum erat intuitu religionis. Cum ergo ſimiliter decretum Honorij de quo agimus, latum ſit intuitu ſtatus Religioſi; in omnes à Religione apoſtatas cadit, quamvis ſolùm Monachorum mentio in eo ſit facta.

Aduertendum præterea eſt, circa huiuſmodi decretum, non agi in eo de quouis ordine, ſed tantum de ſacro. Qua in parte, communiſſima ſententia malè ampliauit decretum ad quoſvis ordines. Id enim eſt contra expreſſa verba Honorij, vt rectè ſtatuunt *Sanches* 6. *in decalog. cap.* 8.

CAP. XIII. *Senſus Eccleſiæ de Apoſtaſia atrocitate.*

num. 26. *& Suar. t.* 3. 3. *p. d.* 31. *ſ.* 6. *num.* 2. Agit item Honorius de ſolis ſacris ordinibus ſuſceptis in apoſtaſia, non autem de ſuſceptis anteriùs. Et quia iuxta caput *Cum illorum, de ſent. Excommun.* Maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora; minuſque eſt vti ordine, quam promoueri ad ſuperiorem ordinem; meritò plurimi Doctores quos adducit & ſequitur *Sanches ſupra num.* 22. inferunt ex eo Honorij decreto, eum qui aliquem ſacrum ordinem durante apoſtaſia ſuſceperit, prohiberi aſcendere ad ordines ſuperiores ſuſcipiendos, niſi interueniat Papæ diſpenſatio, vel ad aſcendendum, vel ad vtendum ordine in apoſtaſia ſuſcepto. Id enim poteſt ſufficere ad ſuſcipiendum altiorem ordinem; quia aſcenſus iſte non eſt prohibitus, niſi acceſſoriè ad ſuſpenſionem: atque adeò ea ſublata, deſinit eſſe prohibitus, vt rectè ait *Sanches ibid. num.* 23. addens *num.* 29. *annuente Suare Tract.* 8. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 28. *&.* 30. poſt ablatam apoſtaſiam, fas eſſe abſque alia diſpenſatione huius inhabilitatis immediatè contractæ per apoſtaſiam, promoueri ad quoſcunque ordines. Nam decreta contraria Pauli Quarti & Pij Quinti, Apoſtatas in perpetuum à quouis gradu Eccleſiaſtico, & cuiuſvis ordinis executione excludentia, *Rodericus Tomo.* 2. *ſumma cap.* 6. *num.* 7. negat fuiſſe recepta. Præſertimque quod Paulus 4. etiam eos qui ex Apoſtolica conceſſione è monaſteriis exiiſſent, eodem modo mulctabat, reſciſſum eſt à Pio 4. vt Onuphrius ſcribit in Addit. ad Platinam in Pio 4. Videndus Nauarrus Concilio vnico de Apoſtatis, de verò ſenſu Bullæ Pauli, non parum anceps.

Tactæ pœnæ, iuribus particularibus, conſtitutæ Apoſtatis.

QVamvis autem hæc ita ſe habeant, ſpectato iure communi, contento in corpore iuris; tamen in variis Religionibus, ex conceſſione Pontificum, aliæ pœnæ Apoſtatis, etiam ob nudam apoſtaſiam ſunt conſtitutæ. Et nominatim excommunicatio, qua facilè eſt monſtrare, ſolere percelli Apoſtatas etiam ob ſolam apoſtaſiam. Id enim ita iam olim receptum vſu erat inter antiquos Monachos, quod doceo verbis *Sancti Baſilij in Conſtit. monaſt. c.* 34. *Quoſcunque ex fratribus a conuentibus ſuis ſe diuiſiſſe animaduerterimus, eos admoneamus, & vnde egreſſi ſunt, eos reducamus, aut ſi nobis obtemperare noluerint, caueamus, ac auerſemur, & eorum congreſſionem defugiamus, & fratribus omnibus, vt hoc idem ſeruent, denunciemus: quo videlicet, vel ipſi illi, cum hoc modo auerſos à ſe omnes videant, & reſipiſcant, & ad ſuum ſe gregem recipiant, atque ab eo quem ſemel ſortiti fuerint, paſtore paſcantur: vel ſi obſtinati in ſpiritualis communitatis contemptione permanſerint, reliqui ſaltem, qui viderint, quàm inuiſi omnibus & execrabiles facti ſint, eorum exemplo commoti, in officio perſeuerent, & quorum cupiant infamiam effugere, fugiant imitationem. Quod autem mea hæc verborum commenta non ſunt, potiuſque certiſſimæ ſpiritus leges, ipſa Pauli verba apponam, quibus ille incontinenter vitam agentes caſtigat, atque inter ebrioſos etiam & maledicos, pœnis eſſe obnoxios ait. Si enim aliquis frater fuerit fornicator (inquit) aut maledicus, aut ebrioſus, cum eo qui eiuſmodi ſit, ne cibum quidem ſumite. Et item alio in loco, de his qui nihil operabantur, ſed curioſè agebant, ſic dicit, Hunc notate, & ne commiſceamini cum illo. Quod autem qui Spiritus ſancti pactiones violat, is facinus longè maius faciat, quàm aut maledici, aut ebrioſi, qui tantum in otio vitam conterunt, nemo eſt, cui non perſpicuum ſit. Quocirca haud abſurdè nos ratio impellit, vt qui ſpiritualem diſciplinam violant illos ab eorum, qui ipſam conſeruant, congreſſione ſecludamus, prohibeamuſque.* Et in reg. fuſius diſputatis ad q. 14. cum ſcelus Apoſtatarum ponderaſſet, addit. *Porro huiuſcemodi hominibus rationi quidem conſentaneum fuerit, vt nullo modo aperiantur fratrum ianuæ, ne ſi prætereuntes quidem ea re modo, vt tecto recipiantur, ad ipſos diuerterint. Perſpicua eſt enim regula Apoſtoli, qua iubemur ſubtrahere nos ab omni inordinato, neque vllo modo, cum illo commiſceri, vt confundatur.*

Theodorus quoque Studita, Epiſtola ad Gelaſium Apoſtatam poſtquàm eum multis verbis eſt hortatus vt reuertatur, ſic concludit. *Sin autem (quod minimè ſuſpicor) obſtinatè obdurueris, & pertinaci animo fueris; ſcito te excommunicatum ab omnibus Sanctis, & à nobis peccatoribus, donec in conſpectum noſtrum venias. Quod ſi veneris vt iuſſimus, ſolutus & liber eris inter viam, ad ſanctam Euchariſtiam & alios cibos ſumendos.* Aſtipulatur *Goffridus Vindoc. lib.* 3. *epiſtol.* 30. verbis illis. *Ioannem cœmentarium monachum quidem, ſed non habentem charitatis cœmentum, quoniam proprij loci deſeruit obedientiam, & ſuæ profeſſionis fidem irritam fecit; & multotiens admonitus, & longo tempore expectatus, quod deliquerat emendare neglexit, & negligit, à nobis noueris excommunicatum, & à corpore ſanctæ Eccleſiæ ſeparatum, in quantum regula ſancta docet & præcipit. Vnde omnes Chriſtianos in Chriſtum credentes, qui neminem extra Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vnitatem nouit, humiliter rogamus & obteſtamur, vt ab huius excommunicati conſortio ſe abſtineant, ne eius, (quod abſit) fœda & nimium ſordida participatione maculentur & pereant.* Idem habet *lib.* 4. *epiſtol.* 3. contra alium apoſtatam. Denique Sancta Catharina Senenſis, Epiſtola ad apoſtatam Ordinis Prædicatorum (eſt vltima inter Epiſtolas ad Fratres illius Ordinis,) monet illum vt citò redeat, nec hæreat in Excommunicatione, quam ob apoſtaſiam contraxerat. Clemens item VII. In Bulla quæ incipit, *Dudum per fel. rec. Leonem, &c.* Edita 12. Martij an. 1525. Pontific. an. 2. Inter alia quæ contra apoſtatas conſtituit, ita habet. [Decernens motu proprio, & ex certa ſcientia, vt fratres qui ab ordine recederent, quocunque modo exirent, aut habitum relinquerent, relicturiue eſſent, niſi poſt mandatum veſtrum infra octo dies immediatè proximos, ad obedientiam redirent, habitumque reaſſumerent, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrerent, à qua abſolui niſi per ſummum Pontificem, aut morte interueniente non poſſent; ac voluit, & decreuit pœnam eandem ſubire omnes eos, qui iis auxilium, vel conſilium, vel fauorem præſtarent.] Ita Pontifex in literis Miniſtro Generali, & Prouincialibus ac quibuſvis Prælatis Ordin. Minorum de Obſeruantiâ directis; quas communicatio fauorum pleriſque aliis ordinibus communes facit.

Hæc ſatis ſuperque videntur eſſe, vt intelligatur quantoperè Eccleſia auerſetur apoſtaſiam à Religioſo Ordine, quandoquidem apoſtatas pertinaces, omni confuſione perfundi decreuit, & carcere, ac multiplici intra eum vexatione, & inhabilitatibus ſuperiùs propoſitis; nec non per iura ſpecialia

ſpecialia omnibus nunc Religioſis communia excommunicatione mulctatos voluit. Olim aliqui abbates, Monachos noxios excœcaſſe; aut membris debilitaſſe referuntur. Videtis Canonem 18. Concilij Francofordienſis quo interdicitur Abbatibus, vſurpatione illius pœnæ in ſuos Monachos alicuius culpæ reos: atque adeò neque in Apoſtatas, quamvis maximè noxios. Nunc ſpeciali iure quarumdam Religionum, Apoſtatæ addicuntur triremibus. Quam tanti ſceleris caſtigationem reddunt haud dubiè iuſtam, quæ *Nauarrus Comment. 3. de Regular. num. 53. Mol. Tract. 5. diſput. 7. num. 4. & Tract. 3. d. 2. num. 15. & Suares Tract. 8. de Relig. lib. 2. cap. 10. à num. 3. & Miranda tom. 1. manu. q. 52. art.* 8. diſputant pro iuſtitia illius pœnæ, pro aliis quoque atrocibus delictis Religioſo inflictæ à Prælatis Religioſis, ex conſuetudine ad id præſcribente.

Non poterit mirum videri, quod Eccleſia Catholica huiuſmodi ſua excrementa, atque propudia, decretis vexet: cum ipſimet Hæretici, qui excucullatos habent parentes (omnes enim à Luthero Monacho Apoſtata, prodierunt, nec alios ferè habent Doctores, quàm qui è Cœnobiis exceſſerunt,) ſtrinxiſſe in eos decretorum ſeueritatem, deprehendantur. Nominatimque conſtat, cautum Geneuæ, vt qui ad reformationem Geneuenſem abiecto Cœnobio, transfugerint, ad primarium Miniſterium promoueri non poſſint. Refert eum Pſeudocanonem *Genebrardus in explicatione Liturgiæ cap.* 25. addens, cauſam latæ legis fuiſſe, quod Spina ex Auguſtiniano Andegauenſi, Miniſter Geneuenſis, cæteris eruditione ſuperior, crederetur, Theodoro Beza fatis concedente promouendus in Geneuenſem Archymagirum. Vnde æmuli, curato eo canone, illum excluſerunt. Quamvis autem hæc potuerit eſſe cauſa decretum curandi, tamen liquet rationes quæ ad illud curandum vrgeri potuerunt, ſpectare ad improbitatem & infamiam Apoſtatarum, quibus ea per tale decretum & infame & peracerbum, accumulatio infamiæ, ad ipſiſmet ſuis Combibonibus repenſa eſt.

CAPVT XIV.

Senſus Sanctorum Patrum de criminis Apoſtaſiæ enormitate.

QVanti ſit, in Eccleſia Catholica Sanctorum Patrum de re aliqua iudicium, neminem latet. Imò hoc maximè nomine, Catholici à Sectariis, & nunc diſcrepant, & iam olim diſcreparunt; quod Hæretici infrunitè Sanctis Patribus obloquuntur, eoſque inuerecundè reiiciunt, vt latiſſimè tradit *Anaſt. cap. 7. o'δηγῶ & Nyſſenus orat. 6. in Eunom.* De nuperis Hereticis, idem diligenter monſtrauit *Florim. lib. 3. hiſt. hær. cap. 11. num. 6.* E contrario autem Catholici Patribus ſe præbent reuerentes, vt tradit *Vinc. Lyrin. cap. 40. Commonit.* & ſuo exemplo firmauit *S. Auguſt. lib. 1. in Iulia. cap. 4. & lib. 2. cap. 10.* Quare non exigua demonſtratæ hactenus, tantæ in Apoſtaſia atrocitatis, confirmatio erit, quæ ex Sanctorum Patrum ſuffragatione peti poteſt. Hos itaque, vt Leontius Byzantius lib. 1. contra Neſtorium & Eutych. in proœmio allegationis Patrum, nominat, *admirabiles Spiritus Sancti Conſiliarios*, in bonum Apoſtatarum conſulamus. Quia verò ſuperiùs, benè multa Patrum loca in hanc ſententiam protulimus, ne in ſupernacanea eorumdem locorum adſcriptione teramus operam, eos hic præcipue Patres annotabimus qui Apoſtatas in hoc barathrum prolapſos, tanquam vltra omnem ſceleris menſuram prouectos deflent, aut execrantur, vel nutantes, & in Apoſtaſiam labantes, propoſito tanti ſceleris iuſto horrore ſtabiliunt.

Theoph. Rayn. Aſcetica.

CAP. XIV. *Patres pro Apoſtaſiæ malignitate.*

Magnus Monaſticorum Inſtitutorum Cultor *Sanctus Ephræm, Paræneſim 40.* impendit reuocando ad ſanam mentem Monacho lapſo, eaque profert de miſeria & ærumnis illius ſtatus, vt deteſtabilem plane ex eius mente eſſe appareat, culpam, qua eò deuenitur. Similiter tota Paræneſis 7, conſumitur infirmando quodam malè morato Monacho, qui aſpirabat ad cæpe & ollas Ægypti, ac receſſum meditabatur. Tam multis autem argumentis turpitudinem illius reuerſionis ad ſæculum, exagitat Sanctus Ephrem, vt legenti facturos ſit omnino ſatis. Præter cætera autem, conteſtatur fore vt ſi recedat, non putet fore ſe apud homines fama & exiſtimatione, qua priùs: ſed ſibi certò perſuadeat, fore vt etiam apud amicos & familiares ac propinquos, habeatur tanquam tranſgreſſor & negator. Mortem illi acerbam & turpem eſſe timendam, denunciat. Sub finem verò, eum ſic alloquitur. *Cur ſcite fallis inimicum, vt eius acquieſcas conſiliis? Cur tantum tibi conſciſcis damnum, vt exuta gloria ſtola, teipſum ab Angelorum conuerſatione ſegreges, voluterisque in paſſionibus ignominiæ? Quorſum tibi, quorſum inquam tibi hoc probrum, vt audias dici te Apoſtatam; dicaturque de te Ecce qui Domini ſui ac Dei gratiam aſpernatur? Cur hac te enecas morte, vt videas te proiici in tenebras exteriores poſſidens fructum ignominiæ, alios verò fratres qui expectant ſalutare Domini, videas coronari, & in gaudium Domini ſui introduci? At quo fugere poteris, aut quis te locus excipiet fugientem à conſpectu Domini quem repellere cupis? Propterea ſuſtineamus obſecro, ne fortè in te veniat quod ſcriptum eſt, Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo quod traditum eſt illis ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij; Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Alioque in loco ait ſcriptura; Sed æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum.*

Idem Tomo 1. de abſtinendo à cupiditatibus, ad fratrem qui excidit. *Miror equidem quomodo poſt tantas admonitiones, teipſum ſic neglexeris, & quæ cum Deo pepigiſti fœdera, ita conculcaueris pedibus, momentaneoque perculſus timore, teipſum in gaudium impuleris? Quis ita benè compunctus eſt corde, vt hunc interitum dignè deplorare poſſit? Periculoſum ſanè concipere animo, turpeque dictu. Quis ſic in fide ac ſcientia reperitur ſufficiens, qui enarret ſupplicia præparata iis qui ineſcari ſe patiuntur morbo corruptionis huius, & ignominioſi operis, fœtoriſque extremi?*

S. Baſilius, cum variis locis, & Conſtitutionum Monaſticarum & Regularum, fusè ac breuiter diſputatarum. ſcelus Apoſtaſiæ manifeſtiſſimum eſſe demonſtrat (ſignauimus ea loca ſuperiùs præſertim c. 8.) tum aliquot ad lapſos lucubrationibus, idem accuratè proſequitur. Primam epiſtolam ad quendam apoſtatam eo triſti initio auſpicatur. *Salutis gaudium non dicimus, quoniam in huiuſmodi*

CAP. XIV.
Patres pro Apoſtaſiæ malignitate.

impiis gaudere non licet. Adhuc enim adduci nequeo vt credam, & in cor meum admittam, abſurdum illud & vehementer audax facinus, quod deſignaſſe diceris, ſi tamen res habet, vt videtur. Admiror enim, quomodò tanta interierit ſapientia; quomodò tam exacta vitæ prioris diſciplina perſum ierit, vnde tanta offuſa cæcitas; quomodo reiecta omni conſideratione talem ac tantam animarum perditionem induxeris. Et mox. *O grauem cæcitatem? O immanem crudelitatem! Deum non timuiſti, homines non es reueritus, nullam amicorum rationem habuiſti, ſed ſimul omnia facto naufragio perdidiſti, ſimul omnibus ſpoliatus es. Quocirca iterum miſer tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei vigorem annunciabas, regno Dei excidiſti. Qui doctrina timorem omnibus incutiebas, non habuiſti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ ſanctimoniam prædicabas, ſceleſtus deprehenderis. Qui paupertatis gratia cohoneſtabaris, pecuniarum raptor inuentus es. Qui ſupplicium quantum à Deo immineret peccantibus per doctrinam oſtendebas, ſupplicium tibi accerſiuiſti. Quomodò te lugebo? Quomodò ſuper te dolebo? Quomodò cecidit Lucifer qui manè oriebatur, & ſuper terram contritus eſt? Ambæ prorſus aures, tinnient cuicumque audituro. Quomodò Nazaræus auro ſplendidior, fuligine factus eſt obſcurior? Quomodo filius Sion præclarus, factus eſt vas inutile? Cuius diuinarum ſcripturarum commentationem omnes con memorabant, illius hodiè memoria cum ſonitu periit. Qui acri erat, & veloci ingenio, & velociter periit. Qui multæ erat intelligentiæ, multifariam etiam deliquit.*

Sed præclarè & vehementiſſime in Parænesi ad Virginem elapſam, quæ cum Sanctimonialis eſſet, & non exiguo tempore ſanctè ſeruaſſet quam emiſerat Religioſam profeſſionem poſteà mutata infeliciter mente, nuptias terrenas cogitauit, fingens ſe nunquam intendiſſe profiteri Religionem. Id enim ferunt illa S. Baſilij ad eam. *Tu autem diuina illius ſocietatis iugo abrupto, & ab impollutis veri Regis nuptiis fugitiua, ad ignominioſam verò ac impiam corruptionem tunc turpiter delapſa, quando non habes quomodo amaram hanc accuſationem effugias, & neque modum noſti neque artem, quo malum ipſum contegas, iurare per temeritatem gaudes. Et quia impius in profundum collapſus: mala de cætero contemnit, etiam ipſa abnegas ad verum ſponſum pacta. Neque eſſe virgo, neque vnquam promiſiſſe clamans.*

Itaque non modò lapſa erat per fornicationem, ſed etiam elapſa erat per Apoſtaſiam, & fictam abnegationem ſuæ profeſſionis. Proinde in eam ſic concitatur S. Baſilius, inferius. *Ecce decepta es à ſerpente amarulentiùs quam Eua. Corrupta eſt autem non ſolum mens tua, ſed etiam cum illa corpus tuum. Et horrendum illud, quod etiam dicere cunctor, & tacere non poſſum, eſt enim velut ignis ardens in oſſibus meis, & reſoluor vndique, & non poſſum ferre. Sublatis membris Chriſti, feciſti membra meretricis. Hoc ſolum inter omnia malum, etiam nihil habet cui comparari poſſit. Hoc nouum eſt in vita facinus. Tranſite, (inquit,) ad inſulas Chetim, & videte; & in Cedar mittite; & conſiderate vehementer, an facta ſint talia, an permutarint gentes Deos ſuos, & hi non ſunt Dij. Virgo autem mutauit gloriam in turpitudine ſua. Obſtupuit cœlum ob hoc, & inhorruit amplius terra vehementer. Dicit omnino etiam nunc Dominus, duo mala perpetrauit Virgo. Me dereliquit verum ſanctarum animarum ſponſum, & aufugit ad impium & iniquum animæ ſimul ac corporis corruptorem. Defecit à Deo ſeruatore ſuo, & exhibuit membra ſua, mancipia immunditiei & iniquitatis ad iniquitatem. Mei oblita eſt, dicit Dominus, & ad amatorem ſuum tranſiuit. Expediret ipſi, vt mola aſinaria circa collum ipſius appenſa eſſet.*

Apud S. Ambroſium, Autor libelli eiuſdem argumenti, cuius proxima S. Baſilij ſcriptio, Sanctimonialem, pro eodem Apoſtaſiæ ac captati per eam connubij crimine, adeò execratur, vt dicat: *tam boni quam mali iuſta indignatione permoti, te omni depopulatione dignam, omni tormentorum genere diſcruciatam, iudicant morte mulctandam, aut ignibus exurendam.* Inferiùs, culpam eius vocat *grandem plagam cui alta & prolixa opus ſit medicina; grande ſcelus, grandem habens neceſſariam ſatisfactionem.* Non approbabo tamen quod mox ſubdit; tametſi ad ſceleris huius atrocitatem ex huius Autoris ſenſu prodendam, maximè faciat; Ait enim *inhære pœnitentiæ vſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humana die poſſe veniam dari; quia te decipit, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim propriè in Dominum peccaſti, ab illo ſolo te conuenit in die Iudicij expectare remedium.* Hæc, criminis, de quo agitur, virulentiam magnificè prædicant, ſed ſunt ipſa apertè virulenta: Nouatianorum enim error fuit, exiſtimare, peccata, quædam enormia non poſſe per traditam Eccleſiæ poteſtatem dimitti, ſed cauſam illorum, qui illis ſe contaminaſſent, Deo eſſe dimittendam, qui ſolus poteſt peccata dimittere, ſaltem immaniora & tetriora; & inter quæ (vt vides) Autor adductus numerat crimen de quo agimus; manifeſtè ſe prodens Nouatianum; ac proinde longè alium à S. Ambroſio, qui errorem illum Nouatianorum, duplici libro exagitauit.

S. Gregorius Nazianzenus metricis præceptis ad Virgines num. 23. agens de regreſſu ad ſeculum, per vota aſtrictam perſonam; cum Ananiæ & Saphiræ tremendam pœnam ei oſtentat, tum laborum in cœtu ſacro exantlatorum deperditionem; his præter cœtera.

Non etenim vt vano torquet ſua membra labore,
Qui relegit greſſus pedibus quos triuerat ante,
Vel ferit emiſſa ſtultus loca deuia ſagitta
Aut illam ante pedes laxato proiicit arcu,
Nec quo tendebat, temerè volitantia fixit.
Spicula; ſic etiam qui Chriſto Virginitatem:
Spirituale velut, ſacrum, vacuumque cruore.
Obtulit, atque pedem referens connubia quærit;
Non illi hoc facinus, tantum iactura futurum eſt:
Sed caſus grauis & morti vicina ruina.
Et probrum ac labes, omni durabilis æuo.
Non ſecus ac ſi quis prærupto à vertice montis.
Quem ſudore graui reptans aſcenderat, aurum.
Vt foderet, curſuve feras agitaret agreſtes,
In terram ſubita lapſus cadat ille ruina.

S. Chryſoſtomus, duplici Parænesi ad Theodorum lapſum, quæ ſibi ſententia de huius criminis atrocitate ſederet, tam luculenter expreſſit, vt non ſit quod addi præterea poſſit. Initio prioris Parænesеos, vocat Apoſtaſiam, *Extremum malitiæ.* Et mox, appellat *profundum perditionis.* Modis autem tam lugubribus, tamque flebilibus vocibus, Theodori Apoſtaſiam deflet, vt dubitari non poſſit quin ſtatum Apoſtatæ habuerit pro calamitoſiſſimo, & Apoſtaſiam pro immani crimine: quod & in hac vita perſonam omni probro & amaritudine repleat, & in alia tormentis inexplicabilibus faciat obnoxiam. Florem inde decerpſiſſe, iniuria fuerit tractationis reliquæ, qua proinde tota abſtinere hic præſtat.

S. Auguſtinus ſerm. 49. de diuerſ. c. 4. quantum ſit apoſtaſiæ ſcelus, diligenter & fusè proſequitur; Sed quod is locus alia quædam admixta habeat, quæ ad hoc negotium non pertinent; ibi potiùs legatur.

Sanctus Leo Epiſtol. 92. quæ eſt ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, agens de Apoſtaſia Sanctimonialium, quæ facta irrita fide prima, nubere volunt, vocat Apoſtaſiam; *crimen magnum.*

Sanctus Gregorius lib. 4. Regiſt. Epiſt. 18. quæ eſt ad Romanum Exarchum quem audierat Apoſtaſiæ quarumdam Sanctimonialium contuliſſe operam ſuam, eam vt vocat, *peruerſitatis acerbitatem*, grauiſſimè deteſtatur. Pleniùs etiam *lib. 1. Epiſtol. 33.* quæ eſt ad Venantium Italiæ Cancellarium ex Monacho Apoſtatam. *Ananias* (inquit inter cætera) *pecunias Deo vouerat, quas poſt diabolica victus perſuaſione, ſubtraxit. Sed qua morte mulctatus eſt, ſcis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui quos dederat Deo nummos abſtulit, conſidera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos ſed temetipſum Deo omnipotenti, cui te ſub Monachali habitu denoueras, ſubtraxiſti. Conſidera iudicium Dei quod mereatur qui ſemetipſum Deo vouit, continuoque mundi deſideriis irretitus, mentitus eſt quod vouit.* Ambigo quid in mentem venerit Carnotenſibus illis Monachis ad quos Sanctus Bernardus ſcripſit librum de Præcepto & diſpenſ. Eius libri cap. 21. proponitur ab ipſis quæſtio Sancto Bernardo, cur Sanctus Gregorius hunc apoſtatam nec coëgit redire ad inſtitutum quod abiecerat, nec communione priuauit. Reſpondet verò ad eam quæſtionem Sanctus Bernardus, Sanctum Gregorium, (vt potè ſummum Pontificem,) diſpenſaſſe, quod præ manibus erat; Id eſt, vſum eſſe ſumma authoritate qua pollebat, nec vrgendo, nec plectendo apoſtatam, quod inferior quilibet Prælatus debuiſſet facere. Cæterum ex calce Epiſtolæ Sancti Gregorij, manifeſta eſt eius in tanto negotio Sapientia. Potentem enim apoſtatam delinit, & ad ſe vocat, offertque diſceptationem cauſæ ad totius Eccleſiæ arbitrium à ſe permittendam. Quid autem poſt tantam lenitatem & prudentiam Sancti Antiſtitis fecerit Venantius, & an ſi obſtinatus perſtitit, eundem modum agendi tenuerit Sanctus Gregorius ex ea Epiſtola non habetur.

Theodorus Studita cum alia variis locis hoc opere allegatis, habet de ſceleris apoſtaſiæ atrocitate, tum hæc præter cætera *ſerm. 31. Catech. Iam quid peracto ſcelere offendes? An non tenebras, & qui transadigat cor, enſem? Annon deſperationis ſcrobem, ipſumque qui te in fraudem impulit, vrgentem Satanam ſuſpendio mortem quærere, vt olim Iudam? Reſipiſce tenebrio, fuge Diaboli laqueum perdite, ne plagis irretitor Orci, vnde & Caini hic defungare vita, tremens gemenſque ac notos refugiens; & in futuro ſæculo, gehennæ igni damnere.*

Theophilactus Matth. 8. tractans illud, *ſequere me, ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos*, quod Marci 4. diligenter monſtrat pertinere ad excludendam moram in ſæculo, quouſque Pater moreretur, & terræ mandaretur; ait, iuſſum hoc Chriſti, ad illum Iuuenem, ſignificare, omnem illum qui ſe tradiderit Deo, non debere rurſus ad huius vitæ curas reflectere oculum. Tum concludit his verbis. *Si autem illi neque Patrem ſepelire licuit, veh illis qui monaſticem profeſſi, ad mundana regrediuntur negotia.*

CAP. XIV. *Patres pro Apoſtaſia [illegible]*

Franco Epiſtol. ad Monachum deſertorem, optime in hanc rem diſſerit. Habetur ad calcem operis de Gratia Dei. S. Bernardus ſerm. 3. in pſal. 90. in fine. Lætos vos eſſe volo, ſed nondum ſecuros; Gaudentes in ſpiritu ſancto, ſed tamen pauentes adhuc, & cauentes à recidiuo. Quid enim vobis vlterà pauendum eſt? Vnum vtique, idque grauiſſimum, peccatum Iudæ, peccatum apoſtaſiæ. Benè enim factum eſt, vt pennas acciperetis ſicut columbæ & volaretis ad requieſcendum. Nam in terra non erat requies, ſed labor & dolor & afflictio ſpiritus. Quid ergo timendum eſt ſic volanti, niſi ne fortè cadauer vel ſimile aliquid in terra videat, cuius deſiderio tractus videatur à venatoribus illis peſſimis & præparatis laqueis capiatur, & ſint nouiſſima hominis illius peiora prioribus? Hoc inquam omnino timendum eſt, ut quis aut corde ſolo, aut etiam corpore ad vomitum reuertatur.

Et ſermone 55. in Cant. ad illud, *ſi ignoras te, egredere. Quæ anima ſemel à Domino didicit, & accepit intrare ad ſeipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare, & quærere faciem eius ſemper (ſpiritus eſt enim Deus, & qui eum quærunt, oportet eos in ſpiritu ambulare & non in carne, vt ſecundùm carnem viuant) talis inquam anima, neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſque ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem, exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem, dicente Eccleſiaſte; Oculus non impletur viſu, nec auris auditu. Audi enim hominem, expertum quæ loquimur. Bonum eſt (inquit,) Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te. Ab hoc bono, ſi quis auertere ſanctam illam animam conaretur, puto haud ſecus accepiſſet, quàm ſi ſe de paradiſo & ab ipſo introitu gloriæ conſpiceret deturbari.* Et mox. Ibid. ſermo. 63. vocat apoſtaſiam, *ſaltum temerarium, pudendum, turpiſſimum, plenum ignominiæ & confuſione, de excelſo in abyſſum, de cælo in cœnum, de Paradiſo in infernum.* Idem in declamatione in illud Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, ſub finem, tractans an Apoſtata recepturus ſit centuplum, quandoquidem reliquerat omnia, ſic concludit, poſt adductum in eam rem exemplum ad Apoſtatam facili accommodatione aptandum, nempè Saulis reprobati. *Sic nimirum, ſic vſque hodiè dilectiſſimi, cuius ad alias conſolationes mens inhiat, & penitus & caducis & tranſitoriis non renuit conſolari, ipſe ſibi profectò cœleſtis ſubtrahit gratiam conſolationis. Quàm ſi digna deuotione, pleno affectu, deſiderio vehementi petere, quærere, pulſare ſatageret, ſine dubio petens acciperet, quærens inueniret, pulſanti aperiretur. Alioquin ſi fortè (quod abſit) pudendum illum apoſtaſiæ ſaltum præſumpſerit, certum omnino ſit teſtimonium veritatis accipientibus, aut nunquam eum omnia reliquiſſe, aut ipſum quoque poſtea deſeruiſſe centum quod acceperit. Nonnulli ſi quidem cum ſpiritu cœperit, heu! carne poſtea conſummantur. Quod ſi inſanum eſt, centuplum nolle recipere, velle relinquere plus quàm inſanum iure cenſetur. An verò plangendus tibi videtur, qui abſtractus & illectus à concupiſcentia ſua, ſponte id deſerit, libens abiicit, voluntariè derelinquit, & qui nutriebatur in croceis, amplexatur ſtercora?* Validiſſimè item Apoſtatæ periculum, & calamitatem quantumuis honeſtè viuere videatur,

CAP XV. *Typi antiqui Apoſtatarum.*

aperit Epiſtol. 2. quæ eſt ad Fulconem: quem non tantum fuiſſe Nouitium, ſed etiam iam profeſſum, & verè Apoſtatam, disertè habet poſt Epiſtolæ medium.

Petrus Bleſenſis Epiſtol.131. Si veritas imò quia veritas verum dicit, iugum eius ſuaue eſt, & onus eius leue, ſed quibus? Non ſeruis, ſed filiis, his ſcilicet, qui aguntur ſpiritu Dei. Iſti ſunt qui ſpiritu facta carnis mortificant, quorum membra templum ſunt Spiritus Sancti. Hi empti ſunt pretio magno, ideſt, pretioſo ſanguine Chriſti, portantes & glorificantes eum in carne ſua. Sunt autem qui mortificationem Ieſu circumferre decreuerant in corpore ſuo, & quodam torrente malitia irruentis impulſi, conuerſi ſunt in arcum prauum, facientes membra ſua arma iniquitatis peccato, & exſufflato à ſe ſpiritu Dei, ſuſceperunt in ſe ſpiritum huius mundi, dicentes, anathema Ieſu. Quandoquidem in arbitrio fuit, iugum Domini non recipere; ſemel autem ſuſceptum non licebit adiicere. Deus ergo nunc exigit oblatum, qui non exegerat offerendum. Voluntas in neceſſitatem tranſlata eſt. Et Epiſtol.134. in fine: *Propè eſt vt amatores ſeculi, & Sancti Ordinis tranſgreſſores, ab æterna vita radice præciſi, in exteriores tenebras detrudantur; & ab Eccleſia Sanctorum perpetua excommunicatione remoti, mittantur ex intolerabili doloris anguſtia, quàm pernicioſè illos deceperit appetitus tranſitoriæ voluptatis.* Idem ſermone 26. propoſita ſuggeſtione qua Satan malè feriatum Monachum viget ad Apoſtaſiam, ſaltem ſub conditione reditus ad clauſtrum in fine vitæ; eo quod finis, non pugna coronet, & Dominus iudicet fines terræ; ſic retundit hoc telum. *Caue vir bone. Vult te eſſe Circumcellionem, non Canonicum regularem. Vult te mutare in ſtatuam ſalis. Vult vt ſis opprobrium hominum, & abiectio plebis, vt dicatur de te. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Eſto Petrus, & dic. Non ſum canis, vt redeam ad vomitum. Poſteriorum oblitus cum Apoſtolo, in anteriora me extendo. Dominus meus Ieſus Chriſtus non deſcendit de cruce, cum diceretur ei. Deſcende & credimus tibi. Mortuus eſt in cruce patientia propter me: moriar & ego in cruce obedientia propter ipſum, & pro me. Et cum hæc dixeris, ora ad Dominum, & dic. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me. Tu es, qui extraxiſti me; ne ſinas relabi.*

Sancta Catharina Senenſis, luculenta Epiſtola ad Fratrem apoſtatam, demonſtrat quãtum ſit apoſtaſiæ barathrum. Eſt poſtrema inter Epiſtolas datas ad Fratres Ordinis Prædicatorum. Eadem Epiſtola, totidem verbis data habetur ad Apoſtatam Ordinis Fratrum Minorum, eſtque vltima inter datas à Sancta illa Virgine, ad Fratres Minoritas.

Paulus IV. Pontifex Maximus, & illo dignitatum apice, & inſtituti in Dei Eccleſia Religioſi Ordinis decore clarus; Cum Bernardinus Ochinus infami Apoſtaſia æuum ſuum dehoneſtaſſet, dedit ad eum prolixam & accuratam Epiſtolam quæ habetur in Hiſtor. Cleric. Regul. ab eodem Paulo Pontifice inſtitutorum; & inde apud Bouerium in Annal. Capuc. anno 1543. Ea Epiſtola miſeriam apoſtatæ, & apoſtaſiæ atrocitatem, grauiter & robuſtè demonſtrat: ſed quod ſit admodùm longa, prædictis locis legi poterit.

CAPVT XV.

Apoſtatarum à Religionibus Imagines.

ERit aliqua, nec exigua aut contemnenda expreſſio atrocitatis Apoſtaſiæ, proponere peccatores eximios in Scripturis memoratos, quos apoſtatarum fuiſſe typos, produnt Patres.

Luciferum tanquam fulgur è cœlo cadentem per Apoſtaſiam, Imaginem Apoſtatarum à Religionibus fuiſſe, ſignificant plerique Patres, cùm ij qui Luciferum *in actu* (vt ita dicam) *ſignato* apoſtatam nominant, vt *S. Gregorius 4. mor. cap. 7. 8. 9.* tùm alij, aptantes ad apoſtatas illud Prophetæ; *Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer?* Ita Chryſoſt. Paræn. priore ad Theodorum & Baſil. Epiſt. 1. ad Monachum apoſtatam S. Zeno Veron. ſermon. de ſomnio Iacob, componens Angelos deſcendentes cum apoſtatis, videtur deſcenſum Luciferi & Sociorum in eo deſcenſu aliquorum Angelorum per ſcalam Iacobo exhibitam repræſentatum cenſuiſſe.

Optima ratio cur Satan de cœlo cadens, dicatur eſſe Imago apoſtatæ, peti poteſt ex eo quod Religio ſit cœlum, vt loquitur *Sanctus Bernardus ſerm 63. in Cant.* Placet id illuſtrare prolatis aliquot veterum locis. Qui plura in hanc ſententiam expetet, adeat in quem poſt hæc pridem ſcripta incidi, *Georgium Stengelium lib. 1. contra Rebingum cap. 4. & 5.* vbi fuſiſſimè confirmat, Religioſum ſtatum eſſe cœlum quoddam, Religioſos autem reſpondere Angelis cœli incolis. Ego aliquot Patres profero. S. Chryſoſtomus Tract. de Diſpenſ. rerum ſuarum per ſeipſum. *Ad Monaſterium (inquit) diuertere, tale eſt, quale foret è terris ad cœlos ſubuolare.*

Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 149. *Monaſterium præfert cæleſtem paradiſum. Fons & lignum vitæ, ſignat Chriſtum, qui eſt Fons vitæ & cibus beatorum æternaliter viuentium. In monaſterio duo chori laudes Deo concinunt, & in cæleſti paradiſo Angeli atque Sancti in ſæculum ſæculi dulci concentu Dominum laudabunt. Altitudo in clauſtro conuerſantium, vnum cor & vnam animam in Religione habent, & omnia communiter poſſident; & in ſuperna patria omnes electi cor vnum & animam vnam in dilectione habebunt, & omnes omnia communiter poſſidebunt, quia vnuſquiſque quod in ſe minùs habet in aliis habebit, vbi Deus omnia in omnibus erit. In clauſtro ſinguli ſingula loca ſecundùm ordinem tenent; & in paradiſo ſinguli ſingulas manſiones ſecundùm merita recipient.*

Vetus Poëta carm. de laude Religionis quod deſcripſit *Sirmundus ad lib. 4. Goffridi epiſt. 1.* poſt multas alias comparationes, ait in fine:

Comparo gyrants ſolemniter omnia cœlo:
Inſuper Angelicis comparo ſpiritibus.
Qui ſemper Sanctus triplicata voce reſultant,
In terris Monachi quod modulantur idem.
Sic Cherubin cœlo, Monachi tellure manantes,
Vnum dant vni ſeruitium domino.

Gulielmus Abbas ad Fratres de Monte Dei non multùm ab initio hanc cellæ, id eſt, Religioſi cubiculi, & cœli analogiam inſtituit. *Secundum formam propoſiti veſtri, habitantes in cœlis potiùs quàm in cellis excluſo à vobis toto ſæculo, totos vos incluſiſtis*

incluſiſtis cum Deo. Cellæ ſiquidem & cæli habitatio cognata ſunt, quid ſicut cælum & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, ſic & pietatis. A celando enim, cælum & cella nomen habere videntur; & quod celatur in cælis hoc & in cellis. Quidnam eſt hoc? Vacare Deo, ſoli Deo. Quod cum ſecundum ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti Angeli Dei, cellas habent pro cælis, & æquè delectantur in cellis ac in cælis. Nam cum in cella iugiter cæleſtia actitantur, cælũ cella, & ſacramenti ſimilitudine, & pietatis affectu & ſimilis operis effectu proximum efficitur; nec iam ſpiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cella in cælum: longa vel difficilis via inuenitur. A cella enim in cælum ſæpè aſcenditur: Vix autem vnquam à cella in infernum, deſcenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta, deſcendant in infernum viuentes, videlicet ne deſcendant morientes.

Ciuium quoque cœli & incolarum Religionis, magna omninò ſimilitudo. Audi Sanctum *Baſilium in Conſtit. Monaſtic. cap. 18. Ad horum (Religioſorum) tam præclari negotij magnitudinem exprimendam, quæ ſatis idonea inueniri in terris ſimilitudo poſſit? Sed enim ea in terris nulla eſt, ſola cæleſtis relinquitur. Impatibilis cæleſtis pater ab affectionum improbitate ſe auocat, hic quoque ratione ſibi cunctos concilians. Incorrupti liberi cæleſtis patris. Incorruptionis ſtudium hos quoque fecit adoptiuos. Charitate quæ in cælo ſunt, inter ſe coniunguntur; charitas hos mutua compagine connexuit: Nihil omnino inſidiarum ordiri auſus aduerſus huiuſcemodi phalangem Diabolus.* Rurſuſque in ipſo Capitis Limbo. *Hoc vitæ genus qui diligenter colunt, ij cæleſtem ac ſupremam mihi virtutem videntur imitari.*

Petrus Cellenſis lib. de pannis cap. 7. in fine. Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Hic audit, & faciem abſcondit. O quanta diſſimilitudo inter rubum & cælum, inter flammam rubi & gloriam cæli. Inter loquentem de rubo, & regnantem in throno; inter ſolitudinem eremi, & ſocietatem paradiſi, inter Moyſem peregrinum, & hominem nouum in cælis collatum, Cuius ergo vmbram Moyſes expauit, lucem ipſam quis attentabit? Calceatus tamen Moyſes rubum videre potuit, ſed non diſcalciatus. Diu vocem Dominicam audire nequiuit. Citò itaque corrigia calciamenti diſſoluenda, cum tendimus ad ſuperna. Nulla obliget peccati oblectatio, nulla conſtringat peccandi conſuetudo, nulla impediat ſæculi ſollicitudo. His nempe animus irretitus, nec videre, nec audire poterit, quid ſit Deus. Quare enim dicitur Deus Abraham? Quare Deus Iſaac? Quare Deus Iacob? Proculdubio, quia Patriarchæ iſti, fideles; quia obedientes; quia peregrinãtes; Obedientes in præcepto, creduli in promiſſo, alienati à ſæculo, nomine, opere, ſermone, & affectione, Deum deſignauerunt. Non ergo te delectet habitatio huius corporis, non te retardet difficultas mandati, non inertem efficiat dilatio promiſſi: ſi Deum vis habere, qui Deus Abraham eſt, Deus Iſaac & Deus Iacob, ſolue calceamentum, abrumpe vinculum de pedibus tuis, de affectione & deſiderio mentis: Sic exoneratus, vtcumque ſuperficiem alterius ſæculi prælibabis: ſic abſolutus, vtcumque imaginationem æternitatis ſomniabis; hic liber, futuri ſtatus, initia quaſi præludio quodam contrectare tentabis. O Deus? Quid ibi tu facis, quid Angelus, quid anima? Qui ſermones tui ad Angelum? quæ confabulationes ad animam? Quid & de quibus proponunt tibi, Angelus & anima? Eſt ne quod interrogent; cum palam de Patre annunties eis omnia? Eſt ne quod ignorent de futuris, cum obliti ſint de præteritis, non capiant de præſentibus? Quid ibi clauſum quid non reſeratum? Sed quare ibi abſconderemur, cum adſint omnes amici, omnes abſint inimici? Inuidia neminem tangit, elatio nullum extollit, ira non perturbat, luxuria non tentat, gula non vrget, ambitio non torquet, omne vitium non apparet, omne malum deficiendo vel refugiendo contabeſcit & languet. Regnat vbique concordia: per ſingulas diſcurrit manſiones, humilitas; ſedet beneuolentia in medio; eminet in turribus caſtitas; diſponit ſobriè omnia, ſobrietas; ſufficientia, ſingulis ſufficienter ad nutum adminiſtrat: ſanitas, portas obſeruat, charitas ſeruitas, omnium ſtationes & tabernacula illuſtrat. Ducitur anima in refectorio; vbi ſine fame reficiatur, ſine ſiti inebrietur & dicat. In loco paſcuæ ibi me collocauit: In dormitorio; vt ibi ſine torpore dormiat & dicat. In pace in idipſum; dormiam & requieſcam: In Oratorio; vt ibi ſine tædio oret & dicat. Ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam. In clauſtro; vt ibi ſine faſtidio ſedeat, & dicat; In membra alarum tuarum protexiſti me; Vel in vmbra quam deſiderauer am ſedi. In capitulo; vt ibi ſine timore diſciplinam teneat & dicat: diſciplina tua; ipſa me docebit. In auditorio; vt ibi ſine præuaricatione viuat. Pectus Ieſu, ibi eſt refectorium, ſinus Ieſu, ibi eſt dormitorium. Vultus, Ieſu, ibi eſt Oratorium; latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum Ieſu, ibi eſt Clauſtrum; conſortium Ieſu & omnium beatorum, ibi eſt Capitulum. Narrationes Ieſu de Patris & Filij & Spiritus ſancti vnitate, & de apertione myſterij Incarnationis, ſuæ ibi eſt, Auditorium.

CAP. XV. *Tipi antiqui Apoſtatarum.*

Qui igitur è Religione cadit, è cœlo cadit; quod fecit Satan cæterique eius Apoſtaſiæ ſocij: ac proinde eos æmulantur ac referunt Apoſtatæ à Religioſis Ordinibus. An hi ſunt quos S. *Ambroſius ſerm. 15. in pſal. 118. verſ. 7.* nominat, *peccatores terræ*, exponens illud. *præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ?* Et præuaricantes, ait, eſſe quos Græci vocant Apoſtatas. *Quid ſibi (inquit,) vult peccatores terræ? Sunt ergo & cæli peccatores; ſicut ille, qui ait; Peccaui in cælum & coram te. Sunt qui dicant, quia is qui cæleſtia non ſeruat oracula, præuaricator eſt cæli: Sed ſiue hoc; ſiue illud ſit, è diuerſo vnum ſignificamus peccatorem; alterum præuaricatorem, quia minuit gratiam quam accepit è cælo, quam Spiritus ſanctus infundit; ſiue quia auis cæli factus, non debes in terram redire de cælo. In cælum ergo peccas, ſi cæli incola cælum relinquas. Diuerſitas igitur eſt eorum. Alij peccatores cæli, alij peccatores terræ ſunt,* Cœli incolas, cœlum relinquentes, non alios in Eccleſia agnoſco, quàm Apoſtatas Satanæ æmulos?

Concinunt effectus Apoſtaſiam conſequentes. Nam Apoſtatam ex hoc cœlo deiectum, conſtat vitam viuere Diabolicam, vt ſuperiùs loquebamur cum S. *Ambroſio Epiſt. ad Vercellenſes.* Horrendum eſt vel cogitare in quàm miſerabilem ſtatum deiectus è cœlo Satanas ſit deductus, quantoque ſuo damno in exitium aliorum ſit intentus. Lutheri, Buceri, Vermilij, & huiuſcemodi aliorum Apoſtatarum indefeſſa ſtudia ad ruinam animarum & ſcelerum congeſtionem immenſam, neminem latent. Initia item vtriuſque ruinæ ſunt admodùm ſimilia & cognata, nempe tumor animi atque ſuperbia.

CAP XV. *Typi antiqui Apoſtatarum.*

ſuperbia. In quam rem iuuerit audire Aelredum in Allegoriis Tilmanni ad cap. 14. Eſaiæ. *Cauete ſuperbiam Fratres, cauete. Quam multi enim (quod dolens dico) ſi fortè ſe vident in luce ſapientiæ profeciſſe, verbo etiam & exemplo aliis profuiſſe, vt meritò Luciferi nomine digni habeantur, ita vt manè ideſt in initio ſuæ conuerſionis, cæteris eiuſdem vitæ conſortibus clariores habeantur, occulta primùm interius elatione tumeſcunt, Prælatos ſuos deſpiciunt, & nunc eos ſimplicitatis & inſcientiæ arguunt, nunc quod in temporalibus occupantur, derident, & detrahunt: inferiores ſe cunctos aſpiciunt, omnes denique prælatione iudicant indignos. Tunc & quiſquis talis eſt, dicit in corde ſuo; Aſcendam in altum, ideſt, cum mea conuerſatio ſit in cælis ſemper, dignus ſum qui in cæleſtibus, ideſt ſpiritualibus præſim. Vt quid perditio hæc? Perdulo (inquit) tanta ſapientia, tantæ virtutes & eloquentia quæ ita prodeſſent. Sed quia in inferioribus ſedeo, prodeſſe non poſſum. Supra ſydera igitur Dei, ego inſtar Luciferi præ cæteris exaltabo ſedem meam, in monte Teſtamenti ſedens, ſimilitudinem mihi de aliis proficiendo acquiram. Cum enim Teſtamentum ſacra appelletur Scriptura, mons Teſtamenti, charitas non incongruè dici poteſt, quæ omnibus excellentior virtutibus in ſe totam legem continet, & Prophetas. Nihil ergo magis arrogans, ambitioſus, quàm in charitate præeſſe ſe pollicetur. Vbique contra Prælatum ſuum in angulis ſuſurrans & maximè eum duritiæ & inhumanitatis accuſans. Deſcribit, & ante Fratrum quaſi depingit oculos, qualis debeat eſſe Abbas, quàm modeſtus, quàm pius, quàm amans ſubditos, quàm eorum compatiens laboribus, infirmitatibus condeſcendens. Tunc ita charitate ordinandum eſſe refectorium, de infirmitorio tam miſericorditer diſponendum, ſcripturarum auctoritate confirmat, vt audientes, in cordibus ſuis reſpondeant. O ſi iſte eſſet Abbas! Qualis Abbas iſte, quàm ſapiens, quàm eloquens, quàm miſericors, quàm humanus? Et ille hoc aduertens; Quis (inquit) ſimilis mihi in nubibus cæli? Talis aliquando cum ſui fuerit compos voti, & ad prælationem quàm ambierat, aut propria machinatione aut alterum factione promotus, Dei gratia ſpoliatus, de virtutibus fictis in vitia manifeſta prolabitur, & ſic exoſus omnibus proijcitur, vt mereatur audire, quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.*

Giſelbertus eiuſdem Ciſtercienſis Inſtituti alumnus in Altercatione ſynagogæ & Eccleſ. cap. 6. *ſub finem*, haud alio loco habet apoſtatam, reſpondens Diſcipulo admiranti quomodo de Paradiſo terreſtri tantum malum euertente poſteros Adamo prodierit. *Quare (inquit) de malo illo non cauſaris quod de cœlo primùm venit & in cælo repertum eſt, iuxta illud. In Angelis ſuis reperit prauitatem: Itemque inebriatus eſt in cælo gladius meus, cum cælum multò ſanctius paradiſo fuerit; quippè quod ſedes Dei propriè dicitur, terra verò ſcabellum pedum eius? De his igitur magis dolere quàm queri oportet; quia ex huius mali ſimilitudine rarum videmus aliquem Sanctorum conuentum, vbi congregatio diuerſorum ordinum eſt, vbi etiam propriè ſedes Dei eſt, niſi meritò proclamare poſſimus, cum veniſſent filij Dei & ſtarent ante Dominum, affuit inter eos Satan, in qua parte cognoſcimus cum ſuis complicibus Iudam. Cauſaris igitur fruſtra de ſanctitate locorum cæli & paradiſi, cum verè cælum diuinæ ſeſſionis ſit anima iuſti, in quo cælo quoties Deus offenditur, habitaculum eius ſuo loco mouetur. In hoc perpendere poteris quod multi ſanctorum curſu ſuo flebiliter mutato corruerint cum Angelo ſuperbo ex confidentia meritorum, ſicut habes in Apocalypſi, Et ſtellæ ceciderunt de cælo. Dixeris ergo non immeritò & de his cælis & de paradiſo malum prorupiſſe, vbi homo, Dei ſedes vel hortus deliciarum factus, bonum ſuum deſerit & ab altis id ima corruit. Reſpectu enim propria ſufficientia compellitur in caſum adhuc, qui ſe putat aliquid eſſe cum nihil ſit, nec quod eſt diuinæ attribuit defenſioni & gratiæ.* Nulla ergo germanior Luciferi in Tartarum de cœlo deiecti imago, quàm apoſtata è religionis cœlo extruſus in ſæculum. Huc reſpiciens Hermannus Abbas Ciſtercienſis Ordinis, cum quidam Adoleſcens ad ſæculum regredi impellentibus cognatis ſtatuiſſet, dixit cognatis, referente *Cæſario diſt. 1. cap. 14. Hodie fratrem veſtrum eijcientes de Paradiſo, deponitis in inferno.* Non fuiſſe vanam comminationem, docuit euentus qui ibid. refertur.

Adam è terreſtri Paradiſo extorris, deſertorem Religioſi Ordinis optimè adumbrauit, iuxta *Valdenſem lib. 3. doctr. art. 2. cap. 26. num. 2.* Vixit enim Adam in Paradiſo felix; extra Paradiſum verò ærumnis oppreſſus eſt, & innumeris calamitatibus inuolutus, nobiſque omnibus exitium creauit. Non diſſimiliter apoſtata in Religione fœlix erat, & per coniunctionem cum Deo abundabat ſpiritualibus opibus, tutuſque & immunis ab omni vero incommodo degebat. Per caſum autem à Religioſo ſtatu, apprehenderunt eum mala omnia. Sed audiamus egregiè iſta proſequentes quoſdam Patres & inprimis Sanctum Theodorum Studitam Epiſtola ad Gelaſium apoſtatam quam exhibuit Turrianus lib. 2. de votis Monaſticis, & ex eo Liuineius ad calcem Catecheſeon eiuſdem S. Theodori. *O Fili Gelaſi (inquit,) quomodo vt olim Adam ex Eden, ſic te tandem ex paradiſo monaſterij, conſilio Amum, tanquam ſuaſione ſerpentis deceptum in exilium Satanas proiecit? Quid nunc verſaris in locis, quæ, vt ait ſcriptura, non aſpicit dominus, vbi ſpinas fers, & in ſudore vultus tui, paſſiones ignominiæ exerces? Quid enim boni poſt emigrationem feciſti, aut facis? Imò potiùs quid non mali, & deteſtabiles? Defecit te lumen, quod viam tibi demonſtrabat: extincta ex ſcintilla ſpiritualis amicitia. Amici tui & proximi tui, fratres, inquam, tui optatiſſimi, imò & Angeli procul aduerſùm te ſteterunt, & propiùs acceſſerunt Dæmones, vt exactos labores monaſticæ exercitationis perderes. Vbi tandem tua pura precatio? Vbi tandem profeſſio illa tua ſyncera, confeſſio ſplendida cœtus Angelicus, obedientia ad imitationem Dei, & modeſtia ad Chriſti exemplum? Vbi illud bonum & iucundum, quod Dauid Canticorum ſcriptor canit, fratrum vnà habitantium? Quibus omnibus amiſſis ſucceſſerunt contraria.*

Optimè quoque *Sanctus Bernardus ſerm. 35. in Cant.* agens de apoſtatis poſt multa addit. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Ecce quomodò de grege facta eſt egregia creatura. Puto dicerent iumenta, ſi loqui fas eſſet. Ecce Adam factus eſt, quaſi vnus ex nobis. Cum in honore eſſet, (inquit;) in quo honore quæris? Habitabat in paradiſo, & in loco voluptatis conuerſatio eius. Nihil moleſtiæ, nihil indigentiæ ſentiebat, & odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus; gloria & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera manuum plaſmatoris. Magis autem ob inſigne diuinæ ſimilitudinis præcellebat, & erat illi ſors, & ſocietas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cæleſtis exercitus. Sed*

mutatis

mutauit iſtam gloriam Dei, in ſimilitudinem vituli comedentis ſœnum.

Non eſt omittendus *Sanctus Anſelmus lib. 3. Epiſt.* 102. quæ eſt ad apoſtatas regredientes. *Audiui, quia perſuaſione ſerpentis antiqui, cuius aſtutia primos parentes noſtros de paradiſo eiecit, clauſtralem paradiſum & Religioſam conuerſationem (quantum ad vos,) deſeruiſtis, & valdè dolui: ſed conſolatus ſum, & lætificatus, quia non clauſit Deus vobis oſtium paradiſi, ne vltra in illud intraretis, ſed potiùs vos miſericorditer coegit, vt ad requiem relictam rediretis.* Similiter habetur *lib. 3. Epiſt.* 38.

Denique *Gillebertus cap. 5. Altercat. Synag. & Eccleſ. ſub finem. Reus de Paradiſo emittitur & ante fores Paradiſi ad arcendum regreſſum, per Cherubin, romphæa verſatilis collocatur. Ecce (inquit) Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Hæc non ſunt verba inſultantis Dei, ſed alios deterrentis à ſuperbia. En illud (inquit) quod volebat, aſſecutus eſt, & perdidit quod factus eſt. Deus eſſe voluit, iam ſe hominem eſſe cognoſcit, ſciens diuinam poteſtatem eſſe ineuitabilem ex pœna ſua, qui bono ſuo contentus eſſe noluit per gratiam. Emiſit eum in locum ſibi congruum, ſicut plerunque malus cum inter bonos viuere cœperit, ſi in melius mutari noluerit, de bonorum congregatione pellitur, pondere praua conſuetudinis bonis ac probis factus intolerabilis.* En quam apertè hi Doctores, caſum Adami cum caſu Apoſtatæ componunt.

Subſcribunt qui Religionem, *terreſtrem Paradiſum* nominant, quod eſt frequentiſſimum. Ita namque *Sanctus Bernardus ſerm. in illud, Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori* (ſi ipſe auctor) *Goffridus Vindoc. lib. 4. Epiſt.* 1. Monaſterium Cluniacenſe vocat, *ſecundum Paradiſum. Fulbertus Epiſt. 71. ad Gulielmum Abbatem Diuionenſem; Sua culpa de veſtri Cœnobij Paradiſo ſe conquerebatur expulſum. Honorius annuit in Gemma Animæ lib. 1. cap.* 149. his verbis. *Porrò Clauſtrum præfert paradiſum: monaſterium verò Edem ſecuriorem locum paradiſi. Fons in hoc loco voluptatis, eſt in monaſterio fons baptiſmatis; lignum vitæ in paradiſo eſt corpus domini in monaſterio. Diuerſæ arbores fructiferæ ſunt diuerſi libri ſacræ ſcripturæ. Secretum enim clauſtri, gerit figuram cæli, in quo iuſti ita peccatoribus ſegregantur, ſicut religioſæ vitæ profeſſores à ſæcularibus in clauſtro ſequeſtrantur.*

Idem ſub diſiunctione habet *Petrus Bleſ. Epiſtol.* 13. Itaque quod veriſſimè à Clemente V. in Concilio Viennenſi extrauag. *Exiui de Paradiſo,* dictum eſt de ordine Minorum, æquè ad omnes Religioſas Familias transferri queat proportione ſeruata. *Verus noſter Salomon (inquit,) in ſolo militantis Eccleſiæ hortum voluptatis inter cæteras quẽdam fecit à procelloſis mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs ac ſecuriùs vacaretur contemplandis ſeruandiſque huiuſmodi operibus & exemplis. In hunc introiuit ipſe, vt rigaret ipſum fœcundis aquis ſpiritualis gratiæ & doctrinæ. Hic hortus ſi quidem, eſt fratrum Minorum ſancta religio, quæ muris obſeruantiæ firmiter vndique circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo, adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum.* Si igitur imago Religionis eſt Paradiſus terreſtris è quo Adam cecidit, meritò Apoſtata qui ex hoc Paradiſo exturbatur, eſt alter Adam proſtratus & euerſus.

Caino expreſſum apoſtatam, præclarè docet Sanctus Theodorus Studita Epiſtola ad Gelaſium Apoſtatam. Præmiſſis enim inſignibus bonis, & diuinis donis quibus per profeſſionem in Religione potiebatur, ſubdit. *Quibus omnibus amiſſis, ſucceſſerunt contraria, obſcuritas mentis, animæ torpor, cordis obſtinatio & durities, difficultas credendi, deſperatio, prauitas animi, metus mortis, excuſatio tremoris plena. Et quid opus eſt ſingula perſequi, cum vt ſummatim dicam, ſuſpirans & tremens, penitus vt alter Cain, viuas? Taceo multitudinem paſſionum carnalium, quæ te intùs inflammant, & peccatum incedunt.* Idem Catech. 101. *Vtinam ales efficiar volaturus, ac ſingulis in contuberniis quieturus, cunctis videndis, & pro officio compellandis; nec iis ſolùm in Caini via, fraudeque Balami graſſatis. Quoſnam hos inquam? Leontium, Hermiam, Nectarium, noſtri, ac religionis transfugas, qui præfecturam, ſceleris tulere præmium: quos ſi ſpectem & alloquar, vt aliud nihil, ſaltem conſoler animum miſer.* CAP. XV. Typi antiqui Apoſtatarum.

Idem docet Gulielmus Abbas ad Fratres de Monte Dei non multum ab initio. *Alienum qui non eſt filius, citiùs à ſe proiicit, quaſi abortiuum, euomit tanquam inutilem, ac noxium cibum, nec diu talem pati poteſt in viſceribus ſuis officina pietatis; venitque pes ſuperbiæ, & aſportat eum manus peccatoris, & mouet eum & expulſus non poteſt ſtare, ſed fugit miſer nudus & tremebundus, ſicut Cain à facie domini, expoſitus vitiis & Dæmonibus, vt qui prior inuenerit eum, morte animæ eum efficiat & occidat: vel ſi aliquamdiu durauerit in ea, non virtutis conſtantia, ſed pertinaci miſeria, ſic ei cella eſt quaſi carcer, aut ſicut viuenti ſepultura.*

Non habeo quo aptiùs Caini ſcelus & ſupplicium cum apoſtatarum crimine & pœna componam, quàm ſi Philonem hic adſcribam l. de præmiis & pœnis, graphicè primum illum fratricidam & irrogatum ei ſupplicium deſcribentem. *Hic eſt (inquit) ille primus ſceleſtus qui primus terram puram cruore hominis imbuit, qui primus effuſam eius fœcunditatem vbertatemque florentiſſimam inhibuit, qui primus corruptionem generationi, mortem vitæ, luctum gaudio, mala bonis oppoſuit. Quas igitur dignas pœnas luere potuit, qui in vno facinore nihil prætermiſit impietatis ac violentiæ? Reſpondeat forſan aliquis, Si capitali plecteretur ſupplicio. Verùm iſta eſt hominum cogitatio, magnum illud tribunal non reſpiciens. Homines enim vltimum ſupplicium mortem exiſtimant: at hæc in diuino iudicio, vix eſt pœnarum initium. Quoniam igitur nouum facinus, oportebat nouam pœnam in id ſtatui; Et quam tandem? Vt ſemper moribundus viueret, damnatus morte infinita quodammodò. Sunt enim duæ mortis ſpecies; altera mortuum eſſe, quæ quidem bona eſt, aut indifferens; altera, ipſum emori, mala omninò, & quò diuturnior, eò grauior. Conſidera igitur quomodò ſit is in morte perpetua; cum ſint quatuor effectus animæ, duo circa bonum præſens aut futurum, gaudium & concupiſcentia; duo circa malum inſtans aut venturum, dolor & timor. Altera illa bona copula radicitùs exciſa eſt, ne vnquam vel gauderet, vel aliquid boni cuperet; altera verò mala inſita eſt ei penitus, mæſtitia tranquillitatis expers, & timor nulla ſecuritate dilutus. Ait enim ſacra ſcriptura, eam execrationem inflictam fratricidæ, vt ſemper gemeret, ac tremeret, & ſigno eum notatum ne interficeretur à quoquam, ne vt ſemel morte defungeretur, ſed vt ætatem totam moriendo exigeret, (vt diximus) in doloribus, moleſtiis, calamitatibuſque indeſinentibus; idque ſine intermiſſione: & quod eſt omnium grauiſſimum, mala ſua ſentiret, cruciatuſque præſentibus, atque proſpiciens imminentia,*

præcauere

CAP. XV.

Typi antiqui Apoſtatarum.

præcauere non poſſet. Apoſtatarum idem proportione ſcelus & ſupplicium eſt. Sunt ſanè ſtrangulatæ per ſcandalum quod inferunt, vt Sanctus Chryſoſtomus ad Theodorum loquitur. Angor verò eorum perpetuus, & iugis mors in vita ærumnoſiſſima, noſtram explicationem non poſtulat.

Coruus ex arca Noëtica emiſſus, & repertis cadaueribus inſiſtens, nec ad arcam rediens, Apoſtatas adumbrauit, iudice *Goffrido Vindocinenſi lib. 4. Epiſt.* 21. in fine *Multi* (inquit agens de apoſtatis) *qui in regeneratione prima, Diabolo; & in ſecunda, Diabolo ſimul, & ſæculo renuntiauerunt, terramque promiſſionis prænio Spiritu ſancto iam ingreſſi fuerant, corde in Ægyptum ſunt reuerſi; & manna faſtidientes, ollas carnium, & cætera quæ diuina legi erant contraria, petierunt. Habuerunt itaque eſcas; ſed in eſcis illis retia, quibus capti; & hamum, quo ſunt ſtrangulati, inuenerunt. Hi comparabiles ſunt coruo infideli nuntio, qui cupiditate cadaueris, Noe ſancti Patriarchæ contempſit imperium. Prius quidem vt columba, acceperunt ramum oliuæ, cum quo ad arcam redirent, & in arca manerent: ſed de feneſtris arcæ, ad quas fide baptiſmatis & monaſtica profeſſione iam volauerant, non redituri euolauerunt.* *S. Cyrillus lib.* 1. *Glaphyrorum in Geneſ.* Coruum Noëticum fuiſſe typum Deſertorum & apoſtatarum demonſtrat, de quibus à dilecto Diſcipulo dictum eſt; *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* Sermo tamen illi eſt de Fidei apoſtatis.

Vxor Loth verſa in ſtatuam ſalis, quia retrò reſpexit, eſt ſymbolum ac typus eorum quos diuina Benignitas extraxit è Sodomis, & prouecti in Religionis montem, reſpiciunt retrò. Ideò enim Chriſtus, *Luca* 17. adhortans ad perſeuerantiam in bono, hoc exemplum proponit quod *S. Auguſt. in pſal.* 75. ad illud, *vouete & reddite*; egregiè huc aptat. *Nemo poſitus in monaſterio Frater dicat; Recedo de monaſterio, neque enim ſoli qui ſunt in monaſterio peruenturi ſunt ad regnum cælorum; & illi qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. Reſpondetur ei; ſed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retrò reſpexiſti. De die iudicij cum Dominus minaretur, quid ait? Mementote vxoris Loth. Omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth? Liberata eſt à Sodomis, & in via poſita, retrorſum reſpexit. Vbi reſpexit, ibi remanſit. Facta eſt autem ſtatua ſalis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non ſint fatui, non retrò reſpiciant, ne malum exemplum dantes, ipſi remaneant, & alios condiant. Nam & modò dicimus illud quibuſdam Fratribus noſtris, quos fortè viderimus velut infirmari in propoſito bono; & talis vis eſſe quales illi? Obijcimus illis quoſdam qui retrò reſpexerunt; illi fatui ſunt in ſe, ſed alios condiunt, quando commemorantur, vt illorum exemplum timentes, iſti retrò ne reſpiciant. Vouete & reddite domino Deo noſtro, quia vxor Loth ad omnes pertinet.*

Similem locum ex commentario in Pſalm. 83. *ſub initium*, iam ſupra dedi cap. 10. Idem habet Auctor ſermonum ad Fratres in Eremo ſerm. 34. *initio. In Loth & vxore ſua, duo genera hominum deſignantur, ſcilicet mundum derelinquentium, quorum vnum perfectè deſerit, aliud quod tepidè, & reſpiciendo retrò, venit ad mortem. Sodoma quoque, quæ cæcitas, vel muta, vel aſperitas interpretatur, mundus eſt in quo ſunt homines muti & cæci, ad quos mittuntur ſancti Angeli, & ſancti prædicatores vt dicant. Salua animam tuam & in monte te ſaluum fac. Fugere enim Sodomam, quid aliud eſt quàm incendium libidinis & luxuriæ, ſuperbiæ, & auaritiæ fugere? Quibus & præcipitur non retrò reſpicere; quia victor mundi & montem ſanctæ Religionis ingreſſus, non debet retrò reſpicere. Quare? Quia melius eſſet viam veritatis non agnoſcere; quàm poſt agnitam retrò abire. Quid eſt dicere, niſi quod melius eſſet, quod in vita ſæculari & laicali manſiſſet, quàm poſtmodum ſolitariam vitam deſereret? Apoſtatare enim nequam eſt, mortale eſt, cum damnatione ſemper viuere eſt. Tales enim, fœminæ & vxori Loth comparantur, quia morientes, retrò aſpicientes, conuertuntur in ſtatuam ſalis.*

Origenes haud obſcurè idem tradit *hom. 5. in Geneſ. non multum à principio.* Sic enim ſcribit. *Loth cum vxore & Filiabus interitum fugiens Sodomorum, accepto ab Angelis mandato, ne retrorſum reſpiceret, tendebat in Segor. Sed vxor eius, immemor fit præcepti, retrorſum reſpicit, impoſitam legem rumpit, efficitur in ſtatuam ſalis. Putamuſne tantum ſceleris in hoc eſſe commiſſo, vt quia poſt ſe reſpexit mulier, interitum quem diuino beneficio effugere videbatur, incurreret? Quid enim tantum criminis habuit, ſi ſollicita mulieris mens, retrorſum vnde nimio flammarum crepitu terrebatur, aſpexit? Sed quia lex ſpiritalis eſt, & quæ contingebant antiquis, in figuram illis contingebant, videamus ne fortè Loth, qui non reſpexit poſt ſe, rationabilis ſit ſenſus, & animus virilis: vxor autem, hic carnis imaginem teneat. Caro eſt enim, quæ reſpicit ad vitia, quæ cum animus tendit ad ſalutem, illa retrorſum reſpicit, & voluptates requirit. Inde denique & Dominus dicebat; Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & retrò reſpiciens, aptus eſt regno Dei. Et addit. Mementote vxoris Loth. Quod autem fit ſtaticulum ſalis, inſipientia eius indicium videtur expoſitum. Sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit.* Similia Philo ad finem libri de ſomniis & Nicetas ad Orationem 42. Nazianzeni n. 37.

Stephanus Cantuarienſis adductus in Allegoriis Tilmanni ad c. 20. Geneſ. ſic habet de vxore Loth, retrò conuerſa & verſa in ſtatuam ſalis. *Quod benè congruit miſterio. Statua enim quaſi homo lineamenta corporis habet, ſed ſenſu caret Similiter qui retrò reſpicit, & ad carnalia ſuſpirat deſideria; quaſi formam habet hominis, ſed ab omni ſenſu mentis penitus eſt alienus. Denique ſicut ſal cibos condit, ſic caſus malorum, cautio eſt bonorum. Hoc eſt quod Samſon in ore leonis mortui mel inuenit & comedit.*

De ſæculi & Sodomorum analogia, qua nititur hæc apoſtatarum adumbratio, multi multa, & benè *S. Hieron. ea Epiſt.* qua Marcellam nomine Paulæ & Euſtochij inuitat ad rus Bethleemiticum. Spectanda ergo apoſtatis, hæc *ſalis columna, conuerſionem ad vitium traducens deque ea velut triumphum agens.* Verba ſunt *Nazianzeni orat.* 3. vbi de ſale infatuato plura Elias, ad rem præſentem valdè commoda. Claudo illis ex Sedulio adductis l. 3. Operis Paſchalis:

Loth Sodoma fugiente Chaos, dum reſpicit vxor,
In ſtatuam mutata ſalis ſtupefacta remanſit,
Ad pœnam conuerſa ſuam: Quia nemo retrorſum,
Noxia contempti vitans diſcrimina mundi,
Reſpiciens ſaluandus erit: nec debet arator,
Dignũ opus exercens, vultum in ſua terga referre.

Eſau iuxta pleroſque Patres, carnalium & ſæcularium Perſonarum; ſicut Iacob, Religioſorum atque piorum hominum, typus fuit. Ita *S. Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel cap.* 1. *S. Aug. Pſal.* 46. ad illud, *Speciem Iacob quam dilexit, & in Pſal.* 136. *& ſerm.* 78. *de Temp. S. Greg.* 5 *mor. cap.* 7. & pulchrè *Richardus Victor. lib. de Incarn. Verbi cap.* 3. ad

illud,

illud, *Ad me clamat ex Seir.* Sed hæc de tempore valent quo Eſau fornicator & profanus (vt eum nominat Apoſtolus Hebr. 12.) à prima pietate deſciuit. Nam initio ſub tam Sanctorum Parentum diſciplina à pietate fuiſſe imbutum, eamque aliquamdiu coluiſſe, pro comperto ponitur. Grandior autem factus, primum ingluuie, deinde etiam Simonia peccauit; vendens propter vnam eſcam Primogenita ſua. Id enim ad Simoniam pertinuiſſe, quia ius illud ſpirituale erat, & idcirco Eſau fuiſſe ab Apoſtolo dictum *profanum*, cenſent *Chryſoſt. homil. 31. in ad Hebr. & S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4.* Ab his culpis, Eſau progreſſus eſt ad eiurationem paternæ Religionis, & Circumciſionis in fidei profeſſione ſuſceptæ obliterationem. Quod enim Apoſtolus 1. *Cor. 7.* ait, *Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat Præputium*, eo pertinere volunt Gloſſæ Græcanicæ, vt ſignificetur voluiſſe Apoſtolum ne qui circumciſi fuerant, eſſent de obliteranda Circumciſionis nota ſollicitі, imitatione Eſau. Eodemmodo 2. *Machab. cap. 4.* quidam apoſtatæ à Iudaiſmo, dicuntur ſibi feciſſe præputia. Quamvis enim S. *Hieron. lib. 14. in Eſaiam cap. 52. & lib. 1.* in Iouinianum, neget hanc Præputij reductionem, & idcircò aliter ea loca accipiat; tamen ſenſus quem propoſui eſt genuinus, & ea quam dixi reductio, facta aliquando negari non poteſt. *Epiſpaſmum* vocabant, & ipſum inſtrumentum quo ſenſim pellis adducebatur ad glandem tegendam, dicebant *Spaſterem*. Corruptè *Sixtus lib. 4. Bibl. in Symmacho* vocat *Spatiſterem*. *Celſus lib. 7. de re med. cap. 25.* Epiſpaſmum agnocit. Nec non *Ioſephus lib. 12. Antiq. cap. 7.* Sed audi *Epiphanium lib. de Ponder. & Menſ.* qui cum alias Iudæus fuerit, res Iudæorum habuit perſpectiſſimas. *Etiam à Circumciſione (inquit) præputiati fiunt, arte quadam medica, per inſtrumentum attractorium ſpathiſterem appellatum, inferiorum membrorum cuticulam attrahi ſinentes, futuramque admittentes, & glutinatoriis circumdatis, præputium rurſus ſuper induennt. Habes & teſtimoniũ apud Sanctum Apoſtolum, vbi hæc verba hoc modo dicit, Circumciſus aliquis vocatus eſt? ne attrahatur ipſi præputium. In præputio aliquis eſt? Ne circumcidatur. Hanc autem traditionem diabolicis inuenti, Eſau fratrem Iacob reperiſſe aiunt, ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris Patrum ipſius. Quapropter aiunt, Deum dixiſſe. Odio habeo ipſum Eſau; Iacob verò dilexi.* En quo maximè nomine Religioſus ad Impietatis verticem prouectus, ſpiritualem Circumciſionem quæ Religioſa profeſſione facta eſt (vt Patres ſæpè tradunt,) obliterat per apoſtaſiam, imitando profanum Eſau. Et conferunt ad id maximè diſcurſationes & vagationes piloſi huius atque terreni Edom, terreſtrem & carnalem Monachorum Sarabaitarum, mox apoſtatarum, vitam referentes: quod proſequitur copioſè *Petrus Damiani Opuſc. 12. cap. 21. & 22.*

Iſraëlitæ certa voluntate, quæ apud Deum pro facto eſt, in Ægyptum regredientes ad cepas & ollas carnium, quas Deum ſecuti abiecerant, typi ſunt apoſtatarum. Nam filios Iſraël ex Ægypto exeuntes, typum fuiſſe Religioſorum è mundo exeuntium, habetur ex Hieronymo ad illud *Pſalmi 80. Diuertit ab oneribus dorſum eius*; & egregiè planè traditur ab *Origene hom. 3. in Exod.* ad illud *Dimitte Populum meum, vt ſacrificet mihi in Deſerto*: vbi opus luti & palearum quibus Filij Iſraël in Ægypto diſtinebantur, componit cum ſæculi negotiis, iter tridui in ſolitudinem cum perfecta renunciatione; renixum Pharaonis & Ægyptiorum, cum ſæcularium & domeſticorum pij hominis murmure, quoties quis capeſſit Religionis inſtitutum. Nam inquit Origenes de Pharaone; *Donec ſecum eſt Populus, & lutum operatur ad lateres; donec in paleis occupatus eſt, non putat eum eſſe peruerſum, ſed recto itinere incedere. Si verò dicat, volo ire viam trium dierum & ſeruire Domino, peruerti populum dicit per Moyſem & Aaron. Hæc quidem dicebatur antiquis. Sed & hodie ſi Moyſes & Aaron, id eſt Propheticus, & ſacerdotalis ſermo animam ſollicitet ad ſeruitium Dei, inuitetque eam exire de ſæculo renuntiare omnibus quæ poſſidet, operam dare diuinæ legi, & ſequi verbum Dei, continuò audies dici ab his, qui Pharaoni vnanimes, & amici ſunt, videte quomodò ſeducuntur homines & peruertuntur, quales adoleſcentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid, quod eis proſit, relictis rebus neceſſarijs, & vtilibus, ineptias ſectantur & otium. Quid eſt ſeruire Domino? Laborare nolunt, & inertis otij occaſiones requirunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici eius, & familiares loquuntur.* Idem Chriſtianis, cum aliquem ad Fidem adducebant, exprobatum docet *lib. 2. contra Celſum in ipſo fine.* Calumnia, quæ ipſis, vt vides, primis Chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis orta &, vt diſcimus ex Eucherio in fine homiliæ de Pentecoſte circa illud Apoſtoli; *vt ſeductores & veraces*; & ex D. *Thoma Opuſ. 17. c. 1.* poſterioribus Sæculis propagata ad has vſque temporum fæces peruenit.

Sicut igitur egreſſus ex Ægypto, & tranſitus ad terram Promiſſionis, iuxta Patres, deſignat receſſionem à ſæculo, & profectionem ad Religionis Eremum; ita deſignata à filijs Iſraël œſtro concupiſcentiæ agitatis regreſſio in Ægyptum, apoſtaſiæ à Religione eſt typus, Audi *Gaufridum Vindoci lib. 4. Epiſt. 21. Arte Satanæ multi, qui in regeneratione prima diabolo, & in ſecunda diabolo ſimul, & ſæculo renuntiauerunt, terramque promiſſionis pranio Spiritu ſancto iam ingreſſi fuerant, corde in Ægyptum ſunt reuerſi: & manna faſtidientes, ollas carnium, & cætera, quæ diuinæ legi erant contraria, petierunt. Habuerunt itaque eſcas, ſed in eſcis illis retia, quibus capti, & hamum, quo ſunt ſtrangulati, inuenerunt.*

Similiter *S. Bern. ſerm. 3. in Pſalm. 90. Hoc omnino timendum eſt, ne quis aut corde ſolo, aut etiam corpore ad vomitum reuertatur. Legimus enim de filiis Iſraël, quia corde redierunt in Ægyptum. Nam corpore reuerti, clauſum poſt eorum talos rubrum mare prohibebat. Hoc eſt quod vehementer ſingulis quibuſque timendum eſt, ne quando fortè eatenus Deum offendant, vt manifeſtè abiiciantur, & euomantur ab eo: aut ſi pudor neget apoſtaſiam corporis, tepor ipſe paulatim ingerat apoſtaſiam cordis: vt videlicet in habitu Religionis cor ſæculare gerant, & quicquid ſæcularis conſolationis inuenire potuerint, amplectantur.* Quam multi inter Religioſos horum ſe Iſraëlitarum æmulatores infœliciter præbeant, docet *Caſſianus Collat. 3. cap. 7.*

Achanem, qui abſcondit pallium coccineum, & regulam auream, & à Ioſue Dei iuſſu obtritus eſt, imaginem fuiſſe Monachorum Apoſtatarum, pulcherrimè proſequitur *Franc. Turrianus lib. de Votis Monaſticis*, (& ex eo *Serarius in cap. 7. Ioſue q. 45.*) Poſt deſcriptam enim Achanis culpam atque ruinam, ſubdit Turrianus. *Si vt ſæpè dixi, & dicam ſæpius, quæcunque ſcripta ſunt, propter nos ſcripta ſunt, in quos fines ſæculorum*

CAP. XV. *Typi antiqui apoſtatarum*

CAP. XV. Typi antiqui Apoſtatarum.

deuenerunt, quod ſupplicium quæſo, iſtis decretum eſt, qui ex conſecratis Deo, non pallium coccineum, aut ducentos ſiclos, aut auream regulam, ſed ſeipſos, hoc eſt viuum Dei templum, & vaſa Domino Deo dedicata ſuſtulerunt, & auerterunt? Qui pallium ordinis ſui abſconderunt in terra, vt Achan ille coccineum; & auream, atque diuinam Religionis regulam, foſſa humo, quantum in ipſis fuit, operuerunt, item vt Acham, imo peiores Acham? quoniam ille confeſſus eſt ſe peccaſſe, iſti vero neque confiteri neque reſipiſcere volunt: Quamobrem vt ille poſt confeſſionem, ignem in hac vita expertus eſt, ſic iſti apoſtatæ, flammas ſempiternas experientur in altero ſæculo, niſi reſipiſcere maluerint. Peiores præterea Achan, ſiquidem ille turbauit populares ſuos; triginta enim ſex viri, propter peccatum eius occubuerunt in bello, vt hiſtoria ipſa teſtatur, reliquis in fugam verſis: iſti verò, de quibus loquor, plurimos fratres, id eſt Chriſtianos turbant ſcandalo, quorum alios occidunt, dum ſuo exemplo idem facere docent, ac perſuadent: alios ab Ordine Monachorum retrahunt, ne in eum ſe vnquam dicari patiantur, quibus expedit magis, vt mola aſinaria de collo ſuſpenſa mergantur in profundum maris, quàm vnum ex puſillis ſcandalizare. Quia verò illi, inter quos erat Achan reus, mulctati ſunt triginta ſex hominum cæde, docet nos huius exempli ſeueritas peccare etiam eos, qui huiuſmodi Monachos fugitiuos, & Apoſtatas, ſiue apertos, ſiue tectos, quales hi ſunt, qui prætextu tranſlationis, aut exemptionis autonomiam quærunt: peccare (inquam) qui eos recepiant, apud ſeque habent in numero ſuorum: ſi enim mihi non licet, ad meum vſum alterius hominis ſeruum inuito Domino detinere, quemadmodum liceat eum, qui corporis ſui poteſtatem exuens, Deo in ordinem Monachorum adſcriptus eſt, idque voti obedientiæ ſponſione firmauit, contra eius authoritatem voluntatéque in miniſtris meis habere, qui iam meus eſſe non poteſt, ſed eius Ordinis, cui voto addictus eſt? Verũ de hoc, paucis cura eſt, qualis ſit miniſter; Apoſtata, an ſcortator, an aliquid peius. Rari, qui illam ſancti Prophetæ gloriationem & laudem quærant, vt cum illo verè dicant; ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Notat hoc iure S. Hieronymus in Commentariis Hieremiæ Prophetæ, *qui malorum, (inquit) miniſtris abutuntur, neque audent eos abiicere quos norunt mala conſcientiæ glutino copulatos, &c. At inter cæteros quidem nequam homines, minime omnium, vt mihi videtur, filios deſertores in miniſtris habere par eſt; quia ſcilicet ſic ſe Deo & ordini vouerunt, vt amplius poteſtatem corporis ſui ſibi non reliquerint. Quemadmodum ergo alteri tribuent, quod ipſi non habent? quippè qui ſint facti priùs anathema Domini? Aut quemadmodum liceat iſtis dominis, Domini anathemate frui, in ſuoſque vſus vertere exemplo Acham?*

Hiel de Bethel, inſtaurator vrbis Hiericunthinæ deſtructæ & euerſæ funditus, vt habetur 3. *Reg.* 16. Religioſos Apoſtatas adumbrauit iuxta *Petrum Bleſenſem Epiſt.* 13. quæ eſt ad Monachum faſtidientem Religioſam profeſſionem, & cogitantem de regreſſu ad ſæculum. *Renuntiaſti (inquit) ſeculo, & pompis eius, & ſpiritualem in te Hiericho ſubuertiſti. Scis quoniam adhuc durat imprecatio Ioſue, Maledictus qui readicat Hiericho. Non decet ad ſeculum redire Monaſtici Ordinis Profeſſorem.* Aptè profectò. *Nam per Iericho, quæ dicitur Luna, ait Petrus Dam. ſerm. 57. non incongruè mundus innuitur, qui ſic per labentium momenta temporum, tanquam per menſtrua detrimenta finitur.* Euertit in ſe Hierichuntem Religioſus, cum mundo per profeſſionem moritur. Reædificat autem maledictam illam Vrbem, cum ad mundum iam à ſe proſtratum regreditur per Apoſtaſiam. Quam myſticam reædificationem conſequitur mors liberorum omnium; id eſt omnium meritorum & bonorum operum anteriorum, innumeris inſuper calamitatibus cumulanda, ſicut Hieli contigit, iuxta verbum Ioſue in nomine Domini Ioſue 6. Spectaſſe omnino huc videtur *Gilfridus in allegoriis ad cap. 6. Ioſue* ſic enim habet. *Imprecatus eſt Ioſue dicens: maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit ciuitatem Hiericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius: &c. Maledictus quiſquis eam readificauerit, vt carne conſummetur cum ſpiritu cœperit. Cuius etiam fundamentum ſine primogeniti amiſſione non iacitur, ſine vltima prolis exitio porta non ponitur.* Hoc de clade bonorum omnium, & carnis cura facienda deinceps in deſideriis, & extremo exitio ad reliquas antecedentes miſeria adiungendo, interpretatur.

Simoni Mago, Deſertores Clauſtrorum confert *Iſido. Peluſ. lib. 1. Epiſt.* 13. verbis illis, quibus Lampetium Monachum Apoſtatam ſatagit reducere ad ſanam mentem. *Quo tempore ad ſublimis & excelſa vitæ montem accedebas, atque abluta veſte ac ſenſibus, ad diuinorum dogmatum auditionem pectus adornabas, terrenarum rerum memoriam prorſus abiicere conſtituiſti; vt ad virtutum arcem prouectus, tum Deum oracula edentem audires, tum eo veterem legem in carnalibus tabulis inſcribente, tabula ipſe diuinitus confecta exiſteres. At verò nunc illud de te ore omnium decantatur, te quidem ſalutis aratrum prompto atque alacri animo arripuiſſe, verùm per ignauiam ac torporem retrorſum rurſus conuerſum eſſe. Quamobrem ſi te Simonis exemplum non terret, qui cum baptizatus fuiſſet, ac miniſtris Chriſti comitem ſe præbuiſſet, rurſus ad res eas, quæ ex materia conſtant, reuerſus eſt, (ob idque etiam ex alto, miſer in mortem multorum ſermone celebratiſſimam præceps ruit: vt ex vna ipſius ruina perſpicuum omnibus fiat, quibus ſuppliciis digni ſunt, qui cæleſte curriculum mentiuntur:) Simonis veſtigiis animique inſtituto hære. Sin autem quiſquis mentis ac rationis compos eſt, hanc pœnam in hoſtibus quoque horret, ac deprecatur; pacta cum Deo inita exple, ipſiuſque vineam diligenter ac ſedulò cole. Nam merces cum eo eſt, quam vnuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet.* Non vult ſignificare S. Iſidorus, Symonem conuerſum eſſe retrò ab aratro ad quod manum miſerat; abieciſſe (inquam) Euangelica Conſilia priùs ſuſcepta. Id enim nuſpiam in Scriptura vel proditur, vel inſinuatur. Significat ergo S. Iſidorus, typum Apoſtatarum in Simone micuiſſe, quod quemadmodùm Simon à fide reſiluit, ſic Apoſtatæ ab Euangelica perfectione retrocedant. Quanquam non multum refragabor, ſi quis contendat, Simonem ex eorum numero fuiſſe qui in illis Eccleſiæ cunabulis; amplexi conſilia Euangelica, pretia rerum ſuarum diuenditarum, abiiciebant ad pedes Apoſtolorum, ceſſura in communem vſum. Sed ſic Simon non tam fuiſſet Apoſtatarum imago, quam ex Apoſtatis vnus; quod (vt dixi) ſcriptura non aſſerit, & à nullo veterum, proditum inuenio.

CAPVT

CAPVT XVI.

Occaſiones quæſitæ à volentibus diſcedere, & iugum Religionis excutere, quanti reuera eſſe debeant, æſtimatum.

PRæter eas apoſtatarum excuſationes, quas interdum deprehenſum eſt adhiberi à iam prolapſis in apoſtaſiæ Barathrum ne regrediantur; (proferemus eas & diſcutiemus infra cap. 19.) videndum eſt, ſit ne aliqua excuſatio vera aut apparens, quæ ad apoſtaſiam ineundam poſſit ſuffragari: ita vt in eo horrendo ſaltu è cœlo in cœnum, iuxta Sancti Bernardi phraſim, Apoſtata neque collidatur, neque inquinetur. Quid ſi enim ſicut ad omnia ferè peccata quantumcumque tecta, inuenti ſunt qui malè æmulantes protoplaſtos, vt cum Sancto Ambroſio dicto capite loquemur, conſuerent ſibi perizomata, dicerentque malum bonum, & tenebras lucem; ita hic quoque, circa apoſtaſiam, vſuueniat? Hæreſim quæ vertex iniquitatum eſt, & negatio contra Deum altiſſimum, Impij homines, ebrij amore iudicij ſui, perſonato veritatis tuendæ ſtudio obducunt. Vſura, & ſuctus ſanguinis pauperum, (ſic enim iuxta Diuum *Auguſtinum ſermon. 1. ex 40. nouis; & Nicephorum Gregoram lib. 9. hiſtor. cap* 20. nefaria opum corraſio appellari poteſt,) tetrum planè & ſupra quoſuis carbones furuum crimen, ita vt à *Sancto Gregorio Nyſſeno homilia 4. in Eccleſ.* ad parricidij atrocitatem extollatur; ab aliquibus adeò dealbatur, vt in ſpeciem niteat. Inuenti ſunt qui Catholicos ſe dicerent, & tamen viſco carnis impliciti, ſolutorum fœdum commercium, fœditate liberarent. In aliis pleriſque noxis, nec leuibus, callidi in exitium ſuum Argumentatores, vias plerumque excogitarunt, quibus quod libebat liceret; ita abblandientes malitiæ, & peruerſæ cupiditati lenocinantes, vt conſcientiæ lancinationes vtcumque obtunderent. Quid ergo vetat tale quid circa apoſtaſiam moliri, homines in ſuo ſtatu non acquieſcentes animo; ita vt quamuis apoſtaſia (vt hactenus euicimus) ſit ſcelus teterrimum, tamen perſtrictis oculis, labis purum appareat, & omnibus illis diuinis humaniſque fulminibus quibus eam obnoxiam monſtrauimus, magna ingenij in ruinam ſuam infœlicitate ſubducatur. Hoc nunc obiter excutiendum eſt, res enim eſt admodum paucis expedibilis, cum ſolida vacet difficultate. Cogitanti porrò mihi, ecquid tandem tanto ſceleri, imò ſcelerum ſtruici ac cumulo prætexi poſſit, vt innoxiè ſuſcipi videatur, duplex omnino cauſa occurrit, quæ vel fingendo obtendi queat. Prior è neceſſaria cura ſalutis animæ; Poſterior è neceſſaria ſimiliter cura ſalutis corporeæ, ducitur. Neutra vel apparenter idonea eſt; Ne tamen qua pateat perire volentibus effugium, hæ quoque ericij foueæ (iuxta gloſſam *Sancti Gregorij 13. moral. c. 30.*) opplendæ ſunt, ita vt latibulum iniquitati non præbeant.

Animæ ſalutem obtendere receſſui à Religioſo cœtu quis poſſit, ſi in eum ſtatum alicubi deducta eſſet vitæ ratio, adeoque collapſi mores, & profligata religioſa honeſtas, vt ad locandam in tuto animæ ſalutem, præſtare videretur in ſæculo degere procul à ſynagogâ peccatorum, & conuenticulo (vt Dauid loquitur,) de ſanguinibus. Sanè idcirco Religioſus à ſæculo ſeceſſerat, vt in Religione, ſalutis ſuæ negotium placidè ac ſecurè agitarat. Si ergo è contrario contingeret, vt ſalus animæ eſſet conclamanda in Religioſo ſtatu, certiuſque eſſet hominis exitium æternum, ſi perſtet, quàm ſi recedat, quidni liceat, aut etiam neceſſarium ſit, recedere? Non debeo videri mea commenta obtrudere. Iam olim ſiquidem, nonnullos Religionem initam faſtidientes, apoſtaſiam ex hoc prætextu eſſe machinatos, habetur ex *Sancto Baſilio in Conſtit. Monaſt. cap.* 22. vbi S. P. efficaciſſimè primùm monſtrat, quàm arcta ſit Religioſi obligatio ad perſtandum in ratione vitæ ſuſceptæ exemplo coniugij, quod ſemel initum euadit indiſſolubile; itemque exemplo membrorum humani corporis, quæ ſi à compage cœterorum auellantur, vita ſpolientur neceſſe eſt. Subdit his ita demonſtratis *Sanctus Baſilius. Si verò aliquis dicat, in fratribus eſſe aliquos vitioſos; (neque enim vniuerſos, opinor, culpabit; non enim propterea vt vitioſi eſſent, ſocietatem illi coierunt, vt vnanimiter cuncti, improbi eſſent:) ſed ſi quis improbos quoſdam reperiri inter fratres dicat, eiuſmodique qui & temerè officia cuncta peruertant, & honeſtatem negligant; & conuenientem ordini illi contemptim imminuant diſciplinam; Ac propterea huiuſcemodi hominum ſocietatem relinqui oportere, &c.* En prætextum Apoſtaſiæ propoſitum; aduersùs quem, quia aliquid robuſtius & neruoſius deſpondeo, agam diſputatione Sancti Baſilij; & exſcripta eius parte, hoc iniquitatis ſiparium diſſiciam.

CAP. XVI. *Vſus ſit ineunda Apoſtaſia prætextus.*

Reſpondet ergo S. Baſilius, de eo qui talia allegat, vt velut innoxius recedat. *Nequaquam is idoneam recedendi cauſam commentus eſt. Siquidem, neque Petrus, neque Andreas; Ioannesve, propter Iudæ improbitatem, ſe à reliquorum Apoſtolorum Choro ſubmouerunt: neque alius de Apoſtolorum numero quiſpiam, hanc ad recedendum anſam arripuit, neque quominus obtemperans eſſet; vlla in re, illius vitiis retardatus eſt: ſed contra potiùs relicta illius peruerſitate, Dominica diſciplina ſeruientes ac morigeri, pietatem virtutemque magno ipſi ſtudio teſtabantur. Ex quo intelligitur qui alterum improbitate cogi ſe dicat, vt à ſpirituali ſe ſegreget ſocietate, eum neutiquam idoneam leuitatis ſuæ cauſam inueniſſe, &c. Cur non hic admirabilem illum potiùs Petrum imitatur; & exemplum firmæ fidei, ac in rebus præclaris cōſtantiæ, reliquis exiſtit, vt fulgente rectè factorum ipſius ſplendore, etiam qui in vitiorum tenebris degunt, ad meliorem per eum viam reuocentur? Atque etiam Noë, iuſtus ille, cùm in illa peſſimorum hominum colluuie verſaretur; non dixit Deo, propterea oportere ſe exire de mundo quod reliqui omnes improbi eſſent; ſed eo magis more Generoſi ac fortis Athletæ, ad hæc occaleſcens, ſe obdurauit; & in profundiſſimo pietatis pelago, pietatem à tempeſtate incolumem conſeruauit; neque vlla in re Domino prorſus repugnans fuit, ſed patientia tolerantiaque, pietatis nauigium in mediis impietatis fluctibus tutatus eſt. Quid? Nonnè Loth, cum Sodomis in tanta impietate, tanta legum omnium ac iuris peruerſione verſaretur; virtutem tamen aſſiduè vſque ab omni vitio integram cuſtodiuit, neque vllis omnino paſſus eſt prauis inſidiis circumuentam captiuamue teneri; atque inter ſceleratiſſimos hoſpitum tonſores; & qui ſumma petulantia libidineque contra naturæ leges ferebantur, vitæ ſanctimoniam perpetuò, & intaminatam ſeruauit, & reliquis quoad*

CAP. XVI. *Diſiecti inuenda Apoſtaſia prætextus.*

fieri poterat, exemplo ſuo idem ſecum vt facerent, auctor fuit: nempe qui in docenda honeſtate, antiquiora facta habuerit quàm verba. Tu verò cum animo Apoſtaſiam cogites, ſpiritus ſancti reſectionem machineris, Fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel ſit, vel abs te fingitur, cauſaris; & improbitati iſti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores ſegnitiei contegendæ, fratrum abs te cauſam calumniat. quaſi velamen oppandis. Non puto neceſſarium, reliquam Sancti Baſilij diſputationem hic attexere, tametſi fortiſſima eſt, & quæ ibi legatur, digniſſima.

Tantum addo, ſi quem adeò vrgeat ſyncerus ſalutis ſuæ æternæ zelus, vt quia non putat ſaluus in Religione, æternæ ſalutis rationibus, ſiſti abs ſe poſſe, deligat abſcedere à Religioſo cœtu; non deeſſe in Dei Eccleſia, viam non vnam, proſpiciendi ſaluti ſuæ, abſque Apoſtaſia; quod eſt inter ea falſa remedia numerandum, quæ Innocentius III. veris eſſe ait periculis grauiora. Poteſt in primis huiuſmodi Religioſus, per aliquos qui ſemper ſuperſunt, tanquam à Domino Sabbaoth relictum ſemen, anniti ad Ordinis collapſi reſtitutionem, ſtimulando ſocios in quibus aliqua ſcintilla veræ religionis ſuperſit, vt exſuſcitatam velint gratiam Dei; & ædificata deſerta ſæculorum; & quæ malè diſiecta fuerant inſtaurata: quod tametſi operoſum eſt (vt S. Bonauentura rectè vidit, & tradiderat etiam *Petrus Cluniac. lib. 1. Epiſt. 23.* facilius eſſe ſtatuens, nouam Religionem condere, quam collapſam inſtaurare;) Non eſt tamen impoſſibile; Imò ſubinde videmus, Religiones primùm propè deploratas, refloruiſſe ad eum modum; & inſigni Eccleſiæ fructu, ac Ordinis bono, reuixiſſe. Quid ſi ergo Deus per hominem familiæ cuipiam collapſæ conſertum, velit ſalutem in ea magnam facere? Deinde ſi lignum aridum abſque vlla ſpe conſumptum eſſet, deeſſentque omnia media ad mortuum ordinem priſtinæ vitæ redonandum; nec è tot euerſis atque iacentibus eſſet qui adiiceret vt reſurgeret: itemque ſi ſeceſſionis intra ordinem, ſpes omnis præciſa eſſet, vel ſuperioribus facultatem exorabiliter negantibus, vel planè deficientibus qui participes eſſe tam laudabilis propoſiti vellent; non deſunt in Eccleſia ordines integerrimi, & vſquequaque ſani, ad quos religioſus poſſit legitimè adiungere, exorata ab iis quorum intereſt facultate. Hoc quoque ſi deſit, (& vix vnquam omnia iſta deerunt, ſi ſyncerè agatur, nec homo inertiam vel nequitiam ſuam gratis mulceat;) ad ſuperiores maiores qui ordini extra ordinem præſunt, cauſam referat; & ab eis in tanta neceſſitate conſilium ſimul ac opem exquirat. Non deerit ſupplici ſuo benignum numen, perque eos quos ſibi ſuffecit conſpicuos animarum curatores, opportunum prouidebit remedium, dimiſſa vltronea deiectione in apoſtaſiæ barathrum.

Pergo ad poſteriorem cauſam, quàm ſtudioſè fingendo, obtendi poſſe Apoſtaſiæ dicebam; ex neceſſaria cuiuſuis ſalutis corporeæ, ac vitæ tutela. Quid ſi enim ea reueniant ſumma tempora, quibus Religioſi nomine ac veſte tenus, reuera filij Belial, ſalutis ſuæ cura planè abiecta, in domo Dei horrendum quid cogitent, aut etiam exequantur? Quorſum refugio chartis illinere, quod impios homines non puduit præſtare? Referente Sancto Gregorio ſcimus, ſingulares feros falſo nomine Monachos, Sancto Benedicto venenum propinaſſe, exoſum habentes flagrans eius ſtudium Monaſticæ perfectionis, & religioſam accurationem qua eorum licentiam vitamque exlegem, Sanctorum exemplorum verberibus flagellabat. Quamquam enim colluſtratus à Deo S. Benedictus, maleficium proſpexit; interpoſitoque per eum crucis ſigno lagena crepuit; vinumque mortiferum, citra cuiuſquam noxam effuſum eſt, ſtetit tamen per ſceleratum Pſeudomonachorum agmen, quominus Sanctus Benedictus eo pacto daretur letho; vnde ab illis, peſtibus veriùs ac carcinomatis, quam ſodalibus, ocyùs abſceſſit. Par periculum à falſis fratribus ſubiit vir ſanctiſſimus Gerhohus, vt eſt in Chronico Reicherſpergenſi è quo eius vitam dedit Gretſerus. Si ergo ſimilis euentus contingeret, ita vt Religioſus haud vano metu ponendarum vitæ ſuæ inſidiarum tangeretur; quis poſſit eum adigere, ad habitandum cum ſcorpionibus, & vitam ſibi à Deo concreditam, perpetuò diſcrimini expoſitam, iugi cum angore videndam; circumferendo vt Dauid ait, animam ſuam in manibus ſuis non ſecus ac vas Chryſtallinum, cum aſſiduo prolapſionis & confractionis periculo? Qui ſecus faxit, inter Biothanatos numerandus videtur, ſibique nequam habendus. Cui ergo alij bonus erit?

In hoc ſecundo honeſtandæ apoſtaſiæ prætextu, ſupponitur euentus planè metaphyſicus, & qui in Religione vtcumque ſpeciem religionis retinente, nec verſa in ſpeluncam latronum, vix ac ne vix quidem timendus eſt, quaſi ſcilicet mors Religioſo imminere poſſit ab iis qui Religionis habenas moderantur. Norunt quippè, poteſtatem ſuam non eo vſque porrigi, (etiam cum de diſcolis agitur, atque exlegibus quantumuis immanis auſis,) vt eos vita ſpolient; ſiue aperta vi, ſiue clanculária machinatione. Quæ eſt concors ſententia Doctorum; & tanquam certa ſtatuitur à *Suarez Tract. 8. de Relig. 2. cap. 10. num. 1.* Quare ſuperiores cum Deum timeant, & homines reuereantur, ſintque terminorum poteſtatis ſuæ conſcij, nunquam ita degenerabunt in Buſiridas, vt vitæ eorum quos à Deo concreditos habent, inſidiati haberi poſſint. Nec à ſæculo auditum eſt, vt vllus aliquando Religioſæ familiæ moderator, tam auerſa à recto fuerit voluntate, id vt aliquando attentarit. Tametſi vt ex prolato Diui Benedicti exemplo liquet, raro nequitiæ ſpecimine, inferiores aliquando, profligatæ Religionis rei, nec cauteriatæ tantùm, ſed planè fauillaceæ conſcientiæ homines, in ſuperiorem, ſiue clàm, ſiue apertè, truculento, ac immani auſu inſurrexerint, vitam eius impetentes. Itaque ſeceſſio à Religione, prætextu diſcriminis vitæ religioſi à ſuperiore imminentis, deſtituitur omni prorſus colore excuſationis, & inexpurgabiliter ſordet. Vt inferior, æqualem alterutra ratione perditum vellet, poſſet contingere. Sed neque hoc, idoneum ſubminiſtrat prætextum à Religione diſcedendi, cum non deſint variæ rationes, diſcrimen quod inferior ab æquali timere fortaſſis poſſet, ſecurè auertendi; ſiue interpellato ſuperiorum immediatorum præſidio, ſiue (ſi res ferat,) captatis ab extrinſeco ſuppetiis. Quibus adhibitis cautionibus, ſi vmbra quæpiam ſiniſtræ ſuſpicionis ſupereſſet, eſſet permittendum aliquid Prouidentiæ Dei, in cuius manibus ſunt tempora noſtra; & ſine cuius nutu, ne folium quidem cadit ex arbore, vel capillus perit è capite.

Hæc dicta ſunto de poſteriore honeſtandæ apoſtaſiæ cauſa, ducta ex debita vitæ cura, eique inſidiantium declinatione, quando aliqua vtcumque veriſimilis, certè non prorſus vana & panica perſuaſio,

ſio, ſuſpicionem ingeneraret imminentis vitæ diſcriminis. De quo non eſt permittendum Religioſo vacillanti iudicium, quia nemo in propria cauſa eſt iudex idoneus. Pernecceſſarium cuiuis eſſe, non eſſe prudentem apud ſemetipſum, ſed aliena iudicia exquirere, & audire, diſputat præclarè *ſanctus Chryſoſtomus homil. 9. de laud. Pauli.* Hoc multo magis neceſſarium eſt, cum de re propria agitur, in qua nihil facilius eſt quam cœcutire, obſtruente iudicij claritatem & menti oculum iuffundente proprij commodi amore qui ſemper ſummus eſt, ac facilè imponit minùs attentis; dum ſibi abblandiuntur; & quod amant, hoc rectum arbitrantur. Quod ſi in humanis negotiis res ita habet, vt fert omnium ſapientum conſenſio, liquidiſſimum eſt, idem multo magis ſtatui oportere, cum agitur animæ æterna ſalus, quod eſt negotiorum omnium negotium. Itaque nihil periculoſius, nihil certo exitio vicinius, quàm ſe ipſum in cauſa ſua conſulere in ſalutis negotio, an quod cum executione diuinæ prædeſtinationis nexum ſit, quale eſt negotium de quo agimus. Enim verò Medicos, ſi pluſquam leuicula tententur ægritudine, præſcribere ſibi ipſis pharmaca, & ſanitatis recuperandæ curam ſuſcipere, canones prudentiæ, & recepta praxis vetant. Quanto magis cum non corporis ſed animæ ſalus agitur & dubitatio incidit circa eam non leuis, cuiuſmodi eſt ea in qua verſamur, par eſt, eorum quorum id eſt munus proprium exquirere iudicium, & non ſurda aure illud excipere? Mollius ago quam neceſſe ſit. Non modò par eſt, ſed iuxta omnia iura neceſſarium ita ſe gerere. Nemo non videt, ſi is abuſus inualeſcat, quanta ſit extitura confuſio, quanta peruerſio, dum quiſque pro tenerrimo erga ſe affectu, feſtucas rationum amplificabit in trabes, & muſcas ac culices cauſarum inertiæ ſuæ lenocinantium, transformabit ſibi in Elephantos. Itaque cortina Religioſo fixa à Deo, conſulenda eſt, & Iudex à Deo conſtitutus interrogandus, & audiendus à Religioſo eſt ex neceſſitate omnimodis vrgente, ſi veriſimilis quæpiam dubij ratio, ac non prorſus vana metuendi occaſio aliquando exoriretur in re de qua agimus. Cuiuſmodi occaſionem, inter euentus Metaphyſicos, & qui cogitari potius poſſint quàm timeri debeant, recenſendam non ambigo, quando ſiſtitur cum gente non prorſus conuulſa & dilacerata.

Ableganda verò prorſus, ac ne ad examen quidem vocanda, vel ad aures admittenda eſſet, ea quam dixi gratis aduocata & vltrò ſuſcepta panica perſuaſio, comminiſcentis ſibi pro arbitrio mortis diſcrimina, ac trepidentis timore vbi non eſt timor. Redoleret ea meticuloſitas, pauorem Caini, qui expreſſiſſima fuit Apoſtatarum imago, vt cap. 15. demonſtro. Siquidem nequam ille, profugus à facie Domini ac vagus, deſperabat vitam, & ad cuiuſvis folij caſum exterritus, tremens ſemper & præ pauore contabeſcens, *omnis* (inquit) *qui inuenerit me, occidet me*; cum tamen id nemo cogitaret; & Deus ipſe ſecuritatem ei appoſito ſigno præſtaret. Sed valuit in eo reproborum anteſignano, quod de poſterioribus impiis à Spirituſancto traditum eſt per *Sapientem cap. 17. diſperſi ſunt pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati. Neque enim quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat, quoniam ſonitus deſcendens, perturbabat illos. Frequenter enim præoccupant peſſima, redarguente conſcientia: cum ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia. Nihil enim eſt timor, niſi præſumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor eſt expectatio, maiorem computat ſcientiam, eius cauſa de qua tormentum præſtat.*

CAP. XVI. Liſiecti inuenda Apoſtaſia prætextu.

Cortex verborum, eſt non nihil implexus: Sed ſenſus eſt huic loco perappoſitus, quem rectè attigit optimus in paucis interpres Menochius. Conſcientia nequam, ſemper timida eſt, ac ſelpſam proprio teſtimonio condemnat: vnde male ſibi ſemper metuens, præſagit ſibi dura & grauia. Angitur autem ex defectu ſubſidiorum ad declinandum impendens malum, quod maius eſſe ſuſpicatur, quàm ſit reipſa, & inde impendere credit, vnde omnia ſunt tuta. Sicut enim charitas foras mittit timorem, ita è contrario iniquitas, degrauat & elidit animum; ita vt quamvis foris audaciam ementiatur, intus tamen tremor, ac pauor dominetur, vt *S. Gregorius* rectè diſſerit *12. moral. cap. 21. & lib. 17. cap. 16.* Conſonatque illud *Senecæ Epiſt. 97. Tuta ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt.* Videndus de eadem impiorum meticuloſitate, & vbiuis impendentis mortis metu Plutarchus lib. de ſera numinis vindicta, atque Iuuenalis Satyra 13. ac qui huc Tytij iecur aſſiduè à vulturibus exeſum accommodat *Macrobius l. 1. in ſomn. cap. 10.* Nimirum cum non lateat impios, quanta eos maneat poſt hanc vitam moles tormentorum, exhorreſcunt, ſcilicet, ad quamcumque de morte cogitationem; & cum pax ad tempus ſit, illi inſidias ſemper, & mortem incubantem ſuſpicantur. Sic *fugit impius nemine perſequente*, iuxta Salomonem; quod in his maximè quorum cauſam excutimus, verum comprobatur; quando quidem nemine de inferendo illis damno cogitante, ipſi vanos mortis horrores, & inania terriculamenta agitantes animis, fugæ ineundæ conſilium capiunt; incerto, imò inani & vano vitæ corporeæ periculo, certum animæ exitium poſt habentes.

In quibuſdam, vbertas atræ bilis mergens ex parte iudicium, poſſet his terroribus locum præbere. Notus mihi aliàs eſt, qui hac ex cauſa in magnas ſe induit moleſtias, & denique per huiuſmodi ſemi inſaniam, & mortis vndecumque inferendæ ſtultam imaginationem, eo perductus eſt, vbi commiſerationem excitaret. Vix enim ex mera malitia corripi his pauoribus credebatur; ſed magna pars mali, in tenebroſos ſpiritus, quibus ſcatebat præ atræ bilis exuberantia, & forti imaginoſitate referebatur. Refricant iſta recordationem quorumdam in hoc genere facetè delirantium, de quibus inſigniter philoſophatur *Gerſo tom. 3. Opuſc. de paſſionibus animæ conſider. 10.* de Melancholiæ ſiquidem triſtibus effectibus nonnulla prælocutus, ſubdit. *Hæc eſt ratio, cur aliqui timent non timenda, cur in ſuſpiciones mirabiles & falſiſſimas cadunt; ita vt credant ſe aliquando quæri ad mortem, vel ad incarcerationem, vel ſpoliationem: & inde fugiant nemine perſequente, trepidantes timore vbi nō eſt timor. Cognoui talem tempore meo, qui ingenioſiſſimus erat, & peritus valdè in medicina; qui tandem fugit in nemora occulta, nec vltra comparuit. Sic aliquis affirmabat ſe Gallum, & more Galli cantabat. Alius murilegum, & ſub lectis mures quærebat. Alius imaginans ſe habere cornua in fronte, verecundabatur quotieſcumque videbat ſe inſpici, & frontem tegebat. Alius imaginans ſe notari de infectione lepræ, vel de morbo caduco, homines fugiebat, & trepidabat aſpectus & ſermones. Alius imaginans ſe habere pedes ferreos, calcabat validiſſimè ſuper terram. Alius ambulare non audebat, phantaſians pedes ſuos*

CAP. XVI. *Diſſ. 3. iuxta Apoſtaſiæ prætextus.*

eſſe vitreos. Affine eſt quod ſcribit *Andreas Laurentius opuſc. de morbis melancholicis cap. 7.* de viro nobili, cætera ſano, in eo taptùm delirante, quod ſe vitreum crederet; & confractionem extimeſcens, amicos à quibus officij gratia viſebantur, oraret ne propiùs accederent, ſed eminus colloquerentur. Ex quibus ſapienter Genio eruit, quam cauendum ſit à profundata (vt vocat) imaginatione: in quod hypobrichium quiſquis demittitur, multis ſe ærumnis obnoxium præſtat, plenæque inſaniæ proludit. Qui ex huiuſmodi furuo ac turbido humore corpus inficiente, panicos terrores de quibus agebamus, ſubiret, commiſeratione dignus videri poſſet; nec aliter habendus, quàm vt homo ea ex parte inſanus, quantumvis in cæteris videretur ſapere. Non rarò enim aliqui in vna duntaxat ma eria delirant, ſalua in cæteris mentis ſanitate, de quo alibi actum plenè, & benè *Sanches lib. de ſponſal. diſput. 8. & Fonſeca 5. Metaph. cap. 28. q. 8. ſect. 2.*

Longè verò alia eſſe debet ratio, hominis, qui non ex inſania, ſaltem partiali, ſed ex mero impotentis animi œſtro, & captatione vitæ nexibus religioſis exſolutæ, terrores prædictos, & inſidiarum vitæ ſuæ poſitarum pauores, apoſtaſiæ ineundæ obtenderet, etiam ſi magnis ſe aliquibus dotibus eximium arbitraretur, V. G. etiam ſi ſe Illuſtriſſimũ Philoſophum ac Theologorum alpha iactaret, cuius vitam par eſſet admodum pretioſam & percarò ſeruandam cenſeri; transferendo in rem ſuam quod Ariſtoteles de iuſta virorum magnorum meticuloſitate notauit; eo quod vitæ ſuæ pretium norint, ſeque æſtiment iuſtis momentis. Idem dico, etiam ſi genus, & proauos, & quæ ipſe non fecerit, vbique creparet, referens natales ſuos ad Agamemnonem, vel ad Anchiſem Patrem, quorum ex glorioſis illis truncis progerminans vitæ Surculus, in Lucianica auctione vitarum, pretioſior haberetur, cariuſque venirer. His ſomniis vigilantium, ſi ab Apoſtata ad fugam capeſſendam allegarentur, deteſtatio ſimulque caſtigatio, nec exigua, ſed ſceleri commenſa deberetur. Sanè pretioſitas maior vitæ, penes inſula illa capita quæ propoſita ſunt, cum de tanto barathro agitur, quantum eſt Apoſtaſiæ, nullo modo eſt ferenda. Et vel nuda nobilitatis ſuæ per religioſum hominem commemoratio, nedum iactatio, refertiſſima eſt putoris. Quæ enim alia eſt homini Religioſo nobilitas, quàm virtutum? Hoc illi genus eſt, hoc totum ſtirpis decus, vt S. *Ambroſius lib. de Noe & arca, cap. 4.* ſcitè diſſerit. Videndus etiam *Boetius lib. 3. de conſo. proſa 6.* Doctrinam verò ſuam qui celebrat, & inde ſe magnum arbitratur, ac dignum cuius vitæ conſeruandæ ſupra communem cæterorum modum detur opera; ne is iudice *Nazianzeno orat. 34.* magnæ ignorantiæ reuincitur, quia de præcellentis illius Theologi ſententia, magna omnino ignorantia eſt, ſuam ipſius ignorantiam ignorare. Eſſet porrò hæc inſulſitas multo auctior & ad ipſum ineptiarum prouecta verticem, ſi conſtaret, & facta docerent, eum qui ſic gloriaretur inuentum eſſe minus habentem; ita vt non altè demitti bolidem oportuerit, ad fundum doctrinæ eius perruadendum V. G. ſi nunquam illa eximiæ doctrinæ ſpecimina edidiſſet, quæ viſus eſt edi ab ingeniis à doctrina benè conſtitutis; cuiuſmodi eſt pro ſcholaſticis Religioſis ingenio valentibus, propugnatio concluſionum ex vniuerſa ſacra doctrina; pro iis autem qui ſcholaſticos fines ſint transgreſſi, explicatio ſuperiorum diſciplinarum de publico ſuggeſto, cum laude, & communi approbatione; abſque angariatione per Auditores, qui Magiſtro pro doctrinæ eius exiguo cenſu, & curta domi ſupellectile, onerosi ſint; eo quod contra Euangelici dicti tenorem, ſint diſcipuli ſupra magiſtrum. Talem aliquem Religioſum, efferri propter nobilitatem ac doctrinam ſuam, & inde pretioſiorem ducere vitam, & ad omnes occurſus expaueſcere, metu perdendi adeò exquiſiti boni, orbi (ſcilicet) ac Eccleſiæ neceſſarij; nemo dubitarit indignitate ſordere; ſanè non ferenda; vel ſi auitæ & ad Reges ipſos referendæ gloriæ buccinatores, ſubornati præſto ſint; aut quod multo eſt putidius, ipſe ſibi ſpecie tenus Religioſus, ſub aliena perſona, per falſiloquium ſubinducta, coronam gloriæ imponat.

Fingamus verò (tametſi veritas liquida ſit) ſed fingamus tamen, homini Religioſo aliquid à falſis fratribus imminere poſſe, vnde non prorſus vanus metus poſſit exiſtere, de celeriore & aduentura ante tempus ſuum, peruentione ad ærumnoſæ huius vitæ metas. Quæ malum dementia fuerit, propter paucos & incertos, nec in bonis ducendos vitæ dies, animam per turpem à Deo defectionem, exitio æterno oppignerare? Vſque adeone, mori miſerum eſt? Tantine eſt paucorum dierum vſura, vt clara Dei per ocyorem mortem fruitio, & bonorum omnium ei comitans poſſeſſio, flocciſacienda videatur, omneſque timulæ ne qua mors ſubeat, tanto angore occludendæ? Ne annuncientur iſta in Geth, nec audiantur in compitis Aſcalonis. Lateat inquam Hæreticos atque a fide Chriſtiana prorſus extorres Ethnicos atque Iudæos, talem eſſe ſenſum alicuius è Chriſtianis Philoſophis, id eſt ex iis qui audiunt Religioſi, quos verè *Philoſophos Dei*, Græci nominare ſolent: id quod etiam benè illuſtrat *Nider lib. 3. de refor. relig. cap. 10.* Pudeat inquam talia de Religioſis noſtris audiri, quandoquidem Ethnici quoque Philoſophi, (vt latè proſequor tractans charitatis propriæ extrema, lib. 6. de virtut. à num. 46.) eximi oſtræo carnis, & exſolui limoſa corporis catena, conſueuerunt reponendum in votis eſſe ſapienti.

Occluſa itaque & obſtructa potenter ſunt, omnia ineundæ Apoſtaſiæ effugia; ita vt liceat ex S. *Baſilij clauſula cap. 20. Conſtit. Monaſticarum*, hanc diſputationem obſignare. *Omnis igitur prætextus excuſandi ſui, nimirum vt rationi diſſentaneus, præciſus ei eſt & ademptus, qui à ſpirituali cœtu ſegregare ſe velit; demonſtratumque, originem iſtius Conſilij, nihil aliud eſſe quam vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, ac iudicij corruptelam, inſtabilitatemque. Non enim hic, Danidem illud dicentem audinis, Beati qui cuſtodiunt iudicium. Qui cuſtodiunt, non qui cuerunt. Hi ſunt qui ſtultis aſſimilantur, qui ſuper arenam inſtabilis Conſilij ſui, locant fundamenta ſpiritualis ædificij, quod pauca tentationum torulenta aſpergines, & breuis maligni torrens, ſubducto fundamento diſſoluit ac diſicit.* Et nunc quidem poſſunt hominibus obtrudi vanæ excuſationes, poteſt luſcioſis oculis imponi per confictos metus, & gratis ac falſo exaggeratas aggrauationes, ita vt reuinci palam vix queat improbitas, eo quod lateat animus, & in tanta rerum noſtrarum tenebricoſitate, facile ſit implanare conculcantes mortales. Sed cum hoc velum æternitati oppaſſum diſiectum fuerit (ſic vitam præſentem nominat *Tertullianus in Apolog.*) & lux liquida rebus noſtris affulſa fuerit, quicquid nunc latet, apparebit, & inanes excuſationes vertentur in accuſationum argumenta, ita vt comprobandum ex hac quoque parte ſit illud Pſaltis, *omnis iniquitas, oppilabit os ſuum*; non habens quod pro ſe obtendat.

Fiet

Fiet tunc peccatoribus, nox ſolitaria, ideſt iuxta S.Gregorij interpretationem 4. Moral. cap.23. non cumulata alterius noctis acceſſu qualem adiungit peccator, tegens ac defendens peccatum ſuum. Hoc cum circa omnes peccatores valet, tum maximè erga Apoſtatas à Religioſis cœtibus, quia & eorum ſcelus ob ſtatus quem abiiciunt excelſitatem, eſt grauius, & ingratitudo in Deum eò prouehitur, vix vt poſſit altiùs ſuſtolli.

CAPVT XVII.

Leſſus in Apoſtatam.

IVſſum Sapientis eſt, *Eccleſiaſtici 22. Supra mortuum plora, defecit enim lux eius; Et ſupra fatuum plora, defecit enim ſenſus.* Eundemq ibi mortuum, ac fatuum dici, ſententia eſt *Iſidori Peluſiotæ lib. 1. Epiſt. 334.* Vt tamen demus aliud ibi ſonare *fatuum*, aliud *mortuum*; longe tamen aliam eſſe oportere moram mortuum & fatuum deflendi ſubiicit, ſtatim Siracides, eo quod mortuus cum ad requiem tranſierit, ad tempus permodicum deflendus ſit, tantùm vt ſenſus humanitatis proferatur; Fatuus autem toto vitæ tempore argumentum luctus ſuppeditet. Addere poſſumus cum *S. Chryſoſtomo Paræn.* priore ad Theodorum *ferè initio*, longè acerbiorem luctum deberi fatuo, cui verè lux defecit, eſtque anima mortuus, quàm ei qui corpore ſolo ſit mortuus; *Quandoquidem (inquit) hanc communem mortem deplorantibus quiſpiam facile paucis multum animi reddit. Cæterum quando vice corporis anima morti ſuccumbit, infinitis confecta vulneribus, vbi cum mortis bona forma quæ priùs apparuit, & habitus & pulchritudo omnis extincta eſt: quis tam durus tam alienus à condolendi affectu, qui in locum fletus, & lachrymarum ſermonem ſe ſolantem queat adducere? Quemadmodùm illic non lugere, ita è diuerſo hic lugere, philoſophiæ eſt.* Cum igitur Apoſtata quod ex ſuperioribus diſcimus, acceſſu ad tam eximios peccatores quos proximè propoſuimus, & tanta ſceleris ſui atrocitate quantam expreſſimus, & diuino humanoque ſuffragio munitimus, ſupremum fatuitatis verticem occuparit, ſitque anima mortuus, meritò ſuper eum Leſſus, aut (vt Tullius ac Lælius dixere) Leſſum, ideſt lugubris eiulatio, luctuſque ac ploratus indicitur.

Quinimò præ Apoſtata ne eum quidem qui ſimpliciter mortuus anima ſit, deflendum eſſe, intelligimus ex *Hieremiæ 22.* Interprete *S. Hieronymo Epiſt. ad Ruſticum votifragum.* Quod enim ait Hieremias *nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu, plangite eum qui egreditur.* Hoc ita accipit Hieronymus, vt mortui ſimpliciter, dicantur ij de quibus pronunciauit Chriſtus Dominus, *ſinite mortuos, ſepelire mortuos ſuos:* nimirum Gentiles ac Iudæi qui in Eccleſia non fuerunt, atque adeò neque ex ea egreſſi ſunt. Adde & ſeculares qui ſola atria domus Domini ſubierunt adytis & ſanctis excluſi, ex quibus proinde egreſſi non ſunt: Et idcirco Chriſtus non fleuit ſuper Ethnicos, ſed ſuper Hieruſal, vt eleganter verſat *Orig. hom. 38. in Lucam.* Non ſunt igitur iſti plangendi præ eo qui egreditur; qui ad interiora domus Domini admiſſus, ea nequiter deſerit, & ad quem propter ſcelus ſuum dicitur, *Egredere & abi*, quod dici de Apoſtatis à Religioſis Ordinibus, *S. Bernardus ſerm. 35. in Cant.* ſcitè proſequitur.

Quare ſi aliis peccatoribus viri Sancti, ipſeque ſanctitatis totius fons Chriſtus Dominus, lachrymas non negarunt, vt diſſerit *S. Chryſoſtomus homil. ne Regulares ſœminæ cum viris cohabitent*, eſt quod agnoſcamus, in repetere in Apoſtaſia argumentum vberrimorum & amariſſimorum ploratuum; quoſque edant non vnus, aut alter, ſed omnes populi. Autor ſanè libelli ad Virginem lapſam apud Ambroſium in ipſo libelli veſtibulo, imparem ſe agnoſcens ad dignam & conuenientem tam atrocis ſceleris deplorationem, aduocat & qui propè ſunt, & qui longè, vt ploranti adſint: nec veretur voce illa Ieremiæ conteſtari omnes mortales. *Audite me omnes populi, & videte dolorem meum.* Chryſoſtomus quoque initio prioris Parænefeos ad Theodorum non dubitat lugubre illud ex eodem Ieremia vſurpare in rem ſuam. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Quod item eſt exordium lucubrationis ad Sanctimonialem elapſam apud Baſilium. Id verò tempeſtiuius & conuenientius à ſe vſurpatum confirmat Chryſoſtomus, eo quod tametſi Ieremias populoſam Ciuitatem dirutam defleret, vnius tamen quondam Religioſi ac pij anima, per Apoſtaſiam euerſa, infinitis Iudæorum millibus, vt pretio ac dignitate præſtantior, ita amariùs & acerbiùs ſit deflenda. Præterquam quod vt Baſilius ibidem diſſerit, Hieremias corporum duntaxat ſtragem, & ædificiorum ruinam deflebat. Hic Animæ clades deflenda proponitur. At non eſt magnus, magnum putans ſi moriantur mortales, & cadant ligna & lapides, vt fert ſententia illius Sapientis qua ſe B. Auguſtinus in extrema per Vandalos & Gothos Africæ vaſtitate ſolabatur, quod *Poſſidius cap. 28.* retulit. Animam verò cadere, & quæ immortalis natura ſua eſt, culpa ſua ac ſcelere, tetriorem naturali deſtructione mortem ſubire, hoc verò eſt, cui quiſquis ſapit, negare lachrymas, nec poſſit, nec debeat. Leſſum & Monodiam in Philoſophiæ ſuæ Deſertores concinebant Pythagoræi vt ſcribit *Iſidorus Peluſ. lib. 5. Epiſt. 53.* Hos è Dei Philoſophis, (vt cum Chryſoſtomo & Macario loquar,) infatuatos, & vitæ anteriori mortuos, quis Leſſus ſatis deploret?

Itaque S. Baſilius priore ad Monachum Apoſtatam Epiſtola, oratione ad eum verſa, & profeſſus ſe eius cauſa plorare ſubdit. *Quis enim Sacerdos, cum audierit, non tuo nomine plorabit? Quis Eccleſiaſticus non lamentabitur? Quis Laicus non mœrebit? Quis Religioſus non lugebit? forſan & ſol obſcuratus fuit cum delinqueres & caderes, & virtutes cœli in perditione tua commota ſunt. Et inſenſati lapides inſaniam tuam defleuerunt. Plorarunt & inimici propter iniquitatis tuæ exuperantiam* Addit in Parænefi ad Apoſtatam Sanctimonialem, arbitrari ſe, *ipſas quoque Dei leges, magna ſuſpiria duxiſſe, dum tantum ſcelus in terra conſpexerunt.* Suſpiria quoque duxiſſe ipſos ſanctorum ſpiritus; quantum nimirum per beatitudinem licet; & agnoſcendo argumentum eſſe lachrymis digniſſimum, in quod ipſi, ni felicitate ſtatus ſui prohiberentur, prorſuſque in illis fletus exaruiſſent, vim aquarum copioſam vellent profundere.

Fleo, (ait S. Antonius Magnus epiſtola nona tertia) ſuper eos qui abiecto religioſo habitu, facti ſunt tanquam bruta. Magnum profectò lachrymarum argumentum, quod qui filiis Dei annumerati fuerant, & Angelicam in terra vitam ducere profeſſi erant, abiecto Angelico habitu (id Orientalibus Religioſi habitus nomen) degenerarint in pecudes & quaſi obbrutuerint, pro ſolemni more Apoſtatarum

CAP. XVII. Leſſus in Apoſtatam.

M 2 ſtatarum

CAP. XVII. *Leſſus in Apoſtatam.*

ſtatarum abſque fræno euadentium. Hoc ſe deflere aiebat S. Antonius Quanquam iuxta *S. Chryſoſtomi diſtinctionem hom.* 23. *in ad Hebr. in morali* non lachrymas, ſed lamentationem depoſcit caſus Apoſtatæ, quippè voluntarius & liber. Nam calamitas inuoluntaria Chryſoſtomo iudice, lachrymis digna eſt; quam verò quis ſibi vltrò aſciuerit, non eſt lachrymis digna, ſed eiulatibus & lamentationibus: quo nomine, peccatorem, qui cœli iure excidit, lamentatione proſequendum docet: additque mirabilem, nec tamen verum excedentem auxeſim. *Si vniuerſus orbis terræ, & lapides, & ligna, & arbores, & feræ, & aues, & vt ſemel dicam totus orbis terræ, voce accepta defleat eos qui cœlo excidunt, nihil, vt par eſt, deflebit, nihil lamentabitur.* Quam ergo notabilem inter eximios peccatores locum obtinet Apoſtata, tam dignus eſt cui lamentum impendatur etiam ab inanimatis, quæ vides à Chryſoſtomo ad luctum pro peccatore aduocari. Luxiſſe equidem ſuo modo aues & iumenta & arbores nec non montes & campos, obitum S. Simeonis Stylitæ, habetur in eius vita cap. 17. Verùm iuſti mortem in conſpectu Domini pretioſam, non tam luctum popoſciſſe quàm triumphum, qualem ei è corpore excedenti exhibuiſſe Cœlites habet Metaphraſtes 11. Decemb. nemo non videt. Super peccatorem autem, qui cœli iure, ad quod factus erat, excidit, nulla ſatis iuſta ac plena lamentatio indici poteſt; atque adeò nominatim ſuper Apoſtatam tanquam inter peccatores eximium & verè Stylitam mortuum morte teterrima, nullus exiſtere poteſt luctus iuſto vehementior. Edamus tamen qualem licebit.

Monodiæ formam & flebilium ſuper Apoſtatam modorum paradigma, petere licet ex Chryſoſtomo hom. ne Regulares fœminæ viris cohabitent. Multis enim ad complorandum hortatus omnes, propoſito Sanctorum, ipſiuſque Chriſti exemplo qui animas conſpicatus pereuntes, *veh ſubinde inclamauit ſicut & nos facimus in iis qui animam iam efflant*, ſubdit. Si *autem vultis, ipſe incipiam luctuoſum hoc canticum: neque enim confundar cum Hieremia hoc facere, & Eſaia & Paulo & in primis cum Domino noſtro. Incipimus igitur ſicut Chriſtus incepit primùm, & dicamus. Væ tibi anima; ad quam vocata es dignitatem per benignitatem & miſericordiam Dei; qualem reliquiſti? qualem accipies regionem propter ignauiam tuam? Væ tibi, quia ipſe te ad thalamos traxit ſpirituales; tu autem te ipſam ab hac gloria abrupiſti, & inducta es in Diaboli ignem, & ad incurabilia ſupplicia, vbi planctus & ſtridor dentium, vbi nullus qui conſolaturus eſt, quiue manum porrecturus; ſed tenebræ omnia, & perplexitas & turbatio, & mala neque conſolationem neque finem habentia. Hæc tibi omnia mundi fecit amicitia, quia prætuliſti cœlo terram, & noluiſti audire vocem ſponſi continuò admonentis. Nihil enim vobis & præſentis ſæculi rebus commune. Quis te miſeram & calamitoſam miſerari poteſt poſtea? Nam & ſi ipſum videas Noë, qui in communi, totius orbis diluuio totam domum ſaluauit, & in hac ira patrocinantem, etſi Iob, etſi Danielem, cumque illis Moſem & Samuelem, etſi Patriarcham Abraham, nullus tibi manum poſtea porriget. Etiam ſi genere illum attingas, etiam ſi filia ſis, etiamſi ſoror, etiamſi ſupplices multum, ſicut diues ille; omnia fruſtra & in vanum facies. Quomodò excidiſti è cælo, quæ non ſicut Lucifer, neque ſicut manè oriens, ſed ipſis ſolis fulgoribus plus radiare potuiſſes? Quomodò ſedes deſerta? Atque adeò haud quis aberrarit, ſi in captiuam hanc animam, & plura lamenta, quæ in ciuitatem illam dicta ſunt, transferat.*

Non diſſimiliter S. Baſilius priore ad Apoſtatam Monachum Epiſtola, his illi verbis & hac formula contexit planctum. *O grauem cæcitatem! O immanem crudelitatem! Deum non timuiſti, homines non es reueritus; nullam amicorum rationem habuiſti, ſed ſimul omnia facto naufragio perdidiſti, ſimul omnibus ſpoliatus es. Quocirca iterum miſer tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei vigorem annuntiabat, regno Dei excidiſti. Qui doctrina timorem omnibus incutiebas, non habuiſti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ ſanctimoniam prædicabas ſceleſtus deprehenderis. Qui paupertatis gratia cohoneſtabaris, pecuniarum raptor inuentus es. Qui ſupplicium quantum à Deo immineret, peccantibus per doctrinam oſtendebas, ſupplicium ipſe tibi accerſiuiſti. Quomodò te lugebo? Quomodò ſuper te dolebo? Quomodò cecidit Lucifer qui manè oriebatur, & ſuper terram contritus eſt? Ambæ prorſus aures tinnient cuicunque audituro. Quomodò Nazaræus auro ſplendidior, fuligine factus eſt obſcurior? Quomodò filius Sion præclarus, factus eſt vas inutile? Cuius diuinarum ſcripturarum commentationem omnes commemorabant, illius hodie memoria cum ſonitu periit. Qui acri eras & veloci ingenio, velociter & periit. Qui multa eras intelligentia, multifariam etiam deliquit. Qui namque per doctrinam tuam adiuti fuerant, è perditione tua damnum acceperunt. Qui aures cum doceres arrexerunt, ad rumorem perditionis tuæ, aures obturarunt. Ego verò lamentans, & triſtis incedens, vndique conſternatus, ac cinerem tanquam panem manducans, & ſaccum ſuper plagam meam induens, huiuſmodi tibi encomia recenſeo imò magis funeralem ſermonem adornans, abſque vlla conſolatione, aut recreatione perſoluo. Aufugit enim ab oculis meis conſolatio, nec eſt fomentum quod vulneri adhibeatur, nec oleum, nec obligatio. Eſt enim plaga mea doloroſa. Vnde ſanabor.*

Idem oratione in Principium Prouerb. *in fine* Apoſtatam exhibens ſpecie naufragi Mercatoris, ſic eum lamentatur *Plures ab ipſa iuuentute multa congregantes, inſtantibus deinde malignorum ſpirituum incitamentis, tempeſtatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, ſed omnium iacturam fecerunt. Ex quo circa fidem alij naufragium fecerunt: Alij autem pudicitiam, quam vſque à pueris theſaurizauere, voluptate deinde peſtilenti, veluti procella quadam irruente, perdiderunt. O miſerabile ſpectaculum! O ſortem lugendam! Poſt ieiunia multa, poſt durum vitæ genus, poſt longas ad Deum preces, poſt vberes effuſas lachrymas, denique poſt annorum viginti ſeu triginta abſtinentiam, ob indiligentiam, inconſiderantiamque, nudum omnibus, ac tot laborum mercede priuatum reperiri, & ſimilem omninò fieri mercatori cuidam diuiti qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento ſecundo nauem impellente, timēdas tutò per mare currens præteriit procellas. Naufragio denique propè portum ſuperueniente, omnium poſſeſſione, aceruatim ſimulque deſtitutus apparet. Itaque mille laboribus ſudoribuſque parta, vno tantùm Dæmonis impulſu facilè amittes, peccato velut acerbo quodam turbine depreſſus. Ex quo ſic de virtute omni ſimul periclitanti naufragantique, opportuna vox illa; Veni in profundum maris, & tempeſtas demerſit me.*

Gildas lib. de Excidio Britanniæ Magluconem ex Rege Monachum, mox autem Apoſtatam, his verbis deflet. *Nonne poſtquam tibi ex voto, volenti regni phantaſia ceſſit, cupiditate inuecta ad viam reuertendi rectam, diebuſque ac noctibus id temporis conſcientia fortè peccaminum remordente, de deifico*

tenore

tenore monachorumque decretis, ſub dente primum multa ruminans, dein popularis auræ cognitioni proferens, Monachum ſine vllo infidelitatis, (vt aiebas,) reſpectu perpetuò vouiſti? Coram omnipotenti Deo, Angelicis vultibus, humaniſque fratris, vt putabatur; moduli tui capaciſſimis illis quibus præcipitanter inuolui ſolent pingues tauri, retibus; Item omnis regni, argenti, & quod his maius eſt, propria voluntatis diſtinctionibus ruptis, & rete ac ſi ſtridulo cauum lapſu aërem validè ſecantem, ſæuoſque rapidi harpagones, accipitris ſinuoſis flexibus vitantem, ad Sanctorum tibi magnoperè fidas ſpeluncas, refrigeriaque ſalubriter rapuiſti ex coruo columbam? O quanta Eccleſia matri lætitia, ſi non te cunctorum mortalium hoſtis de ſinu quodammodò eius lugubriter abſtraxiſſet? O quàm prorſus ſpei cæleſtis fomes, deſperatorum cordibus, te in bonis permanente inardeſceret? O qualia, quantaque animam tuam regni Chriſti præmia in die iudicij manerent, ſi non lupus callidus ille, agnum ex lupo factum, te ab ouili Dominico, non vehementer inuitum facturus lupum ex agno ſimilem rapuiſſet? O quantam exultationem omnium Patri Deo ſanctorum, tua ſalus ſaluanda præſtaret, ſi non te cunctorum perditorum infauſtus pater veluti magnarum aquila alarum vnguiumque Dæmon, ad infelix filiorum ſuorum agmen, contra ius, faſque rapuiſſet? Ne multa; Tantum gaudij, ac ſuauitatis tum cælo terræque, tua ad bonam frugem conuerſio, quantum mœroris, ac luctus miniſtrauit ad horribilem more Moloſſi ægri, vomitum nefanda reuerſio. Et poſt pauca. *Cuius igitur Sancti viſcera tali ſtimulata hiſtoria non ſtatim in fletus ſingultuſque prorumpant? Quis ſacerdos cuius cor rectum Deo patet, non ſtatim hæc audiens magno cum vlulatu, illud propheticum dicat? quis dabit capiti meo; & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo in die & nocte interfectos populi mei? Heu ſiquidem parum auribus captaſti propheticam obiurgationem, ita dicentem? Væ vobis viri impij, quia dereliquiſti legem Dei altiſſimi; & ſi nati fueritis, in maledictionem naſcemini; & ſi mortui fueritis, in maledictionem erit pars veſtra.*

Planctum Helinandi ſuper Apoſtatam, deſcripſit *Vinc. Bellouac. in Speculo Hiſtor. lib. 29. à cap. 134.*

Hæc & alia ſuper mortuum & fatuum, ſuper Apoſtatam inquam, plorarunt ſancti & ſapientes viri. Ad quam formam alia omnia de Apoſtaſiæ atrocitate ſuperius propoſita ad luctus auctioris argumentum, accipi poſſent. *Sed fortè lamentorum ſatis.* (Obſignabo enim non iniuria hunc Leſſum, Chryſoſtomi verbis citata proximè homilia.) *Satis (inquam) quaſi in libello & anguſtè ſcripto: alioqui ad condignam deplorationem, neque omne tempus nobis ſuffic eret.* Eſſe tamen ſtultitiæ, vltra modum deplorare alienum caſum, egregiè proſequitur idem Chryſoſtomus Epiſtola 2.

***

CAP. XVIII. *Diaſticon ad Medicos Apoſtatarum*

CAPVT XVIII.

Reſina in Galaad, peritis Animarum Medicis ad Apoſtatæ curationem monſtrata.

AEgritudinis cognitio ad curationem vniuerſa refertur. Quid enim fructus, è morbi & grauitatis eius introſpectione exiſteret, niſi illa cognitio ad ægri reuelationem adhiberetur? Quare cum hactenus de Apoſtaſiæ grauitate diſputatum ſit, eiuſque malignitas ſatis demonſtrata; ſupereſt vt manum admoueamus ad eius curationem, quæ per animarum peritos Medicos, quales multos habet Dei Eccleſia, quæ eſt Medicinæ ſtatio, iuxta *Origenem hom. 8. in Leuitic.* & nominatim in re noſtra per prudentes ac eo nomine dignos Religioſorum cœtuum Rectores, adhibenda eſt.

Apoſtaſia, etiam iam contracta, curabilis; tametſi ægrè.

SVppono autem hunc morbum eſſe curabilem, ſiue priuſquàm contrahatur, ſiue ex quo contractus eſt. De hoc diuina oracula dubitare non ſinunt, quibus illud cuiuis ſpirituali ægro quantumuis afflicto & peſſimè affecto occinitur, *Nunquid Reſina non eſt in Galaad, & Medicus non eſt ibi?* Multi ſunt in hac curabilitate infigenda Patres, quoties cum Apoſtatis iam collapſis, agunt: vt Chryſoſtomus cum Theodoro Paræn. priore, & Baſilius cum Monacho Apoſtata Epiſt. 1. ac cum Sanctimoniali elapſa *ſub finem.* Quod enim Diabolus poſt patratum ſcelus, diſcuſſis nebulis quas æſtus concupiſcentiæ offundebat, grauitatem culpæ non modò non patiatur retegi & apparere peccatori, cuius ante lumina præſtrinxerat, ſed etiam eam grauitatem, quantum poteſt, ſoleat amplificare; vt exorta deſperatione, qui lapſus eſt, irreparabiliter iaceat: Propterea prouidentiſſimè Patres & ſpiritualis vitæ Magiſtri, infirmiora terræ muniturі, nullam eſſe tantam Apoſtaſiæ grauitatem, quæ admota curatione ſanari nequeat, diligenter & ante omnia tradunt. Idque nos & ex eorum doctrina perſpicuum, & ex fideiſcitis certum ac indubitatum ſupponimus; nec eſt quod quis inueteratum morbum (vt ſæpè contingit,) neglectui curationis eiuſue deſperationi obtendat. Id enim in animæ morbis nunquam valet. Doctrina eſt *Iſidori Peluſiotæ lib. 2. Epiſt.* 79. ad Lampetium Epiſcopum quem pro hominis Apoſtatæ curatione affatur. *Superbia te arceſſo, quoniam Zoſimo Presbytero obuius factus, (vt audio,) ipſius morbis, velut adhibitis quibuſdam fomentis, minimè mederis: verùm Hippocrati morem gerens, vt incurabili morbo laboranti, manum haudquaquam admoues. Quamvis enim in corporibus verum hoc eſſe quidam exiſtiment; (etſi alioqui perſæpè falſum inuentum eſt: & complures enim medici, admota manu iis qui incurabili morbo affecti eſſe videbantur, rem ex ſententia geſſerunt;) in animis tamen hoc magis adhuc falſum eſſe reperitur. Nonnullos enim nouimus, qui ex profundo vitij gurgite, ad ipſam virtutis arcem aſcenderint. Corpora quippè naturæ neceſſitate, tanquam vinculis quibuſdam conſtringuntur: anima autem*

voluntatis

CAP. XVIII. *Diætetices ad Medicos Apoſtatarum.*

voluntatis atque arbitrij poteſtate ornatæ ſunt. Quãobrem quo facilior eſt voluptas quam natura, eò quoque facilius ac procliuius eſt, animum è morbo recreare. Ac proinde ſubmota omni deſperatione, illud cura & enitere, vt eum ſanitati reſtituas.

Fateor hanc curationem, non modò in inueterato quopiam, ſed etiam in quocunque hac ex cauſa ægro, eſſe perdifficilem. *Cum declinaueris* (*ait Eucher. hom. 5. ad Monach. num. 7.*) *iam difficile ac penè impoſſibile erit, ad locum iſtum vel cogitatione reſpicere.* Idem ferunt illa S. Ephrem ſub finem Teſtamenti. *Si fieri poteſt vt ſterilis ſalix in loco arido & ſicco germinet, fieri quoque poterit, vt aliquando Apoſtata erudiatur.* Item illa ex *Iſidoro Peluſiota lib. 1. Epiſt. 129. Dei regnum Monaſtica vita eſt, vt quæ nulli vitioſæ affectioni ſuccumbat, verùm alta ſapiat, ac virtutes cælo ſuperiores præſtet. Hanc tu complectens, da operam ne quod te delectum in ſeruitutem addicas, ac Regiis templis, & palatiis exturbet. Difficile enim factu eſt, vt qui prolabuntur, ad eam rurſus reuocentur.* Denique S. Bernardus ſermon. 3. de SS. Petro & Paulo. *Eorum qui peccant antequam Deum nouerint, antequam miſerationes eius experti ſint, antequàm guſtauerint iugum ſuaue, & onus leue, priuſquam deuotionis gratiam & conſolationes acceperint, Spiritus Sancti: eorum inquam, copioſa redemptio eſt, & tales omnes nos fuimus. At eorum qui poſt conuerſionem ſuam, peccatis & vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & poſt miſſam manum ad aratrum retrò reſpiciunt tepidi & carnales facti; aut poſt agnitam viam veritatis, retrò eunt Apoſtatæ manifeſti: Eorum vtique perpaucos inuenias qui poſt hæc redeant in gradum priſtinum. Sed magis in ſordibus poſiti ſordeſcunt adhuc. Super quos propheta deplorat; Quomodo obſcuratum eſt aurum, (inquit,) mutatus eſt color optimus: & qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora. Nec tamen ſi quis huiuſmodi eſt, deſperamus de eo; tantum vt reſurgere velit citò. Quantò enim diutiùs permanebit, tantò euadet difficilius. Beatus verò qui tenebit, & allidet paruulos Babylonis ad petram. Etenim ſi creuerint, vix poterunt ſuperari.* Hanc difficultatem omnino magnam curandi Apoſtatæ, non inficior: ſed difficultas tametſi magna, longè differt ab impoſſibilitate, laborem & curam omnem excludente. Curabilitate itaque Apoſtaſiæ conſtituta, modus eiuſdem curandæ perſequendus eſt, extenſo *curationis* nomine ad præſeruationem: nam etiam Medici corporum, non modò operam ſuam conferunt vt morbus iam contractus depellatur, ſed etiam vt ab eo æger vindicetur.

Indigna præuentio Apoſtaſiæ, conceſſio exlex omnium, & laxatio diſciplinæ.

AD vindicationem à morbo contrahendo, ſiue ad induſtriam & ſtudium ſpiritualis Medici vt Apoſtaſiam nondum conſecutam impediat, non pertinet, Diſciplinæ laxationem, & Religioſi inſtituti conuulſionem permittere, cum ſumma impunitate, ac ne reprehenſione quidem defectuum interpoſita. Qua in parte magnæ reprehenſioni patent qui veriti imminutionem gregis, omnia diſſimulant, contenti vt quidlibet ab iis quos regunt admittitur, dummodò non dilabantur, & corpore ſaltem Religioſis ſeptis contineantur. Apud *Caſſianum certè Collat. 7. cap. 23.* tanquam nota magni teporis Cœnobia occupantis, profertur, tanta remiſſio, vt omnia ſint libera, dummodò non diffugiant. [In tantum (inquit) teporem videmus corruiſſe nonnullos, vt neceſſe ſit eos etiam remiſſioribus monitis appalpari: modò ne deſertis cellulis ſuis ad pernicioſiores inquietudines reuoluantur, & circumeuntes ac vagi, craſſioribus (vt ita dixerim,) vitiis implicentur: magnuſque fructus ab eis obtineri credatur, ſi ſolummodò ſe etiam cum qualibet ignauia valeant in ſolitudine continere, ac pro ingenti remedio ſoleat eis à Senioribus dici; ſedete in cellulis veſtris, & quantum libitum fuerit, manducate, & bibite, atque dormite, dummodò in eis iugiter perduretis.]

Poſſumus hunc errorem, vnde apertum exitium Religioſis Familiis in quas inuehitur, non imminet modò, ſed planè infertur, debellare potenti oratione *S. Chryſoſtomi hom. 7. in ad Coloſ. ſub finem*; vbi acerrime caſtigat errorem tunc latè fuſum, cupientiũ Catholicos non corripi cum delinquebant, ne diffluerent, & ad Hæreticos tranſirent. Mutata namque materia, & Religioſa domo, Eccleſiæ; Hæreſi autem, ſeculo ſubſtituta, omnia belliſſimè quadrabunt in rem præſentem. *Quid mihi* (*inquit*) *opus eſt ægrotantium multitudine? Quid verò ſi vos erudiens, non prohibeo quæ ſunt ſuperuacanea? Atqui Paulus prohibuit aurum & margaritas. Ridemur à Græcis, Res noſtræ videntur illis eſſe fabulæ. Et iam viris hæc ſuadeo. Accedis ad ludum literarium, philoſophiam diſcens ſpiritualem? Aufer illum faſtum. Hoc & viris ſuadeò & fœminis. Etſi quippiam aliter facias, non ampliùs patior. Duodecim erant diſcipuli, & audi quid Chriſtus eis dicat. Num & vos vultis abire? Nam ſi omninò adulemur, quando vos recreabimus? quando proficiemus? Adſunt, (inquit,) aliæ hæreſes, & tranſmutantur, ad eaſque deficiunt. Frigida eſt hæc oratio. Melior eſt vnus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui. Nam tu quoque, dic mihi, vtrum maligne mille habere ſeruos fugitiuos, & fures, an vnum beneuolum? Ecce ſuadeo & iubeo, vt & faciei ornamentum & huiuſmodi vaſa conteras, & des pauperibus, & ne ſic inſanias. Qui vult reſiliat. Qui vult, accuſet & reprehendat. Nullum patior. Quando iudicandus ſtabo ad tribunal Chriſti, procul vos ſtabit. Et quæ à vobis exiſtet gratia, me reddente rationem? Hæc verba omnia corrumpunt. Ne diſcedat, (inquit,) & ad aliam hæreſim deficiat; Eſt imbecillus, te demitte, & te ei aliquantiſper accommoda. Quo vſque? ſemel, bis, & ter, non perpetuò? Ecce rurſus denuncio, & congruenter Beato Paulo proteſtor, quod ſi rurſus venero, non parcam.*

Neque verò timendum eſt ſcandalo ſuauiter fortem rectionem conſecuturo Optimè enim monuit *S. Auguſt. Tract. 27. in Ioan.* ad illud. *Multi Diſcipuli eius abierunt retrò*, hoc ſcandalum eſſe negligendum, exemplo Chriſti. *Hoc* (*inquit*) *factum eſt ad conſolationem; quomodo aliquando contingit, vt dicat homo verum, & quod dicitur, non capiatur, atque illi qui audiunt, ſcandalizentur, & diſcedant. Pœnitet autem hominem dixiſſe quod verum eſt. Dicit autem apud ſe homo, non debui ſic dicere, non hoc dicere debui. Ecce* Domino *contingit dixit & perdidit multos; remanſit ad paucos. Sed non turbabatur ipſe, quia ab initio nouerat; & qui credentes, & qui non credentes. Nos ſi nobis contingat, perturbamur, ſolatium in* Domino *inueniamus.*

Quare prouidus Religioſæ Familiæ Præfectus, niſi velit pro malè captata ſuorum ſtabilitate, & tam fœdè quæſito inutili numero, graues aliquando pœnas Deo dare, eoque ſe obſtringere ſcelere; quod ſummoperè amplificat *S. Baſil. q. 25.* Fuſarum, non omittat,

omittat, quos argui intererit, arguere in tempore: certus ſi illi offendantur, vel etiam vſque eo exacerbentur vt diffugiant, non id ſibi vitio vertendum, ſed eorum malignitati tribuendum à Deo fore. Dicat quoties Diſcolos inuenerit, quibus ſollicitudo Præfecti exoſa eſt, quod S. *Auguſtinus hom. 24. ex 50. cap. 2.* iſtiuſmodi ſuæ curæ creditis hominibus ſecurè dixit. *Vobis dico ſiue præſentibus ſiue abſentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans; quibus conſulendo videor oneroſus, quorum requirens vtilitatem, cogor offendere voluntatem. Nolite fieri ſicut equus & mulus, non habentes intellectum. Nam & hæc iumenta eos calce morſuque appetunt, à quibus curantur. Vt curentur eorum vulnera contrectantur. Non parcis, non parco: aduerſaris, aduerſor; reſiſtis, reſiſto. Lucta nos comparat, ſed cauſa ſeparat. Tu inimicus es medico, ego morbo. Tu diligentiæ meæ, ego peſtilentiæ tuæ. Retribuebant, inquit, mihi mala pro bonis, ego autem orabam. Quid orabat, niſi Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt? Cum vobis, (inquit) detraxerint, & dixerint omne malum aduerſum vos propter iuſtitiam, gaudete, & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cœlis. Vos tamen corrigite peruerſitatem veſtram, agnoſcite charitatem noſtrã; reddite dilectionem dilectioni, nolumus maiorem cum veſtra perditione mercedem.* Non timuit, vt vides, S. Auguſtinus ne erga indociles & peruerſos adhibens ſtudium, arguendo, obſecrando, increpando, & quibus licebat rationibus fontes peccati obſtruendo, videretur improuidos implanaſſe & ad ruinam ſtrauiſſe viam. Sed eo vano metu neglecto, partes omnes boni Paſtoris obibat, certus prolapſionem omnem aut defectionem, ſi quæ conſequeretur; nihil ad ſe attinere apud Deum Iudicem; quicquid homines in contrarium aliquando oppinentur; nec nauitatem ſuam & ei rependendum præmium, numeroſitate ſed meritis ſubiacentium æſtimandum. Optimè *Nicol. 1. Epiſt. ad Mich. Imperat. Numerus puſillus nec obeſt vbi abundat pietas; nec multiplex prodeſt, vbi regnat impietas: Quinimo quanto numeroſior eſt congregratio malignorum, tantò validior eſt ad ſectandum ſuorum praua veterum.*

Cautior Apoſtaſiæ ſubditorum, per Superiorem, præuentio, deuinæ rectionis expreſſio.

QVod igitur à Præfecto curandum eſt, vt ſuorum defectionem præueniat, illud eſt, vt diuinam rectionem æmulatus, toleret quantum communis boni ratio patietur in multa patientia eos quorum fragilitati & imperfectioni meritò timendum, videatur; vt egregiè diſſerit creditus *Proſper lib. 2. de vita contempl. cap. 5.* Auertat quantum poterit labendi occaſiones, iuxta ſapientiſſimam S. Bernardi praxim: non tunc animum obfirmet, cum ſubditus per paſſionis œſtrum ægrè eſt ſui potens. Nemini ponat labendi occaſiones, vt ſapienter admonet S. Ephrem, in hanc rem obiter aliqua attingens ſerm. ad imitationem Prouerb. *pag. mihi 515.* quin potiùs compatiatur omnibus. Quam verò iuſtè increparit Deus quendam qui arundinem quaſſatam confregerat, & nutantem Monachum auſteritate medicationis impulerat in ruinam, docet *Caſſianus Collat. 2. cap. 13.* Non fatigetur, prudenter & in loco ac tempore monita ſalubria ingerendo. Ita fortis eſſe ſtudeat declinando rectionis ignauiam, vt ſimul tamen diſponat omnia ſuauiter: quæ eſt diuinæ Gubernationis ratio, ei qui cum fructu & ſuo & ſuorum regere velit, imitatione exprimenda. Diſputatum in eam rem eſt fusè ac plenè in Commonitorio, vt ſit moderatio quod dicitur. Nunc ſatis erit egregium monitum quo S. Theodorus Studita in ſuo Teſtamento, deſignandum ſui Cœnobij Rectorem informat, commemorare. Id enim ſi quilibet Præfectus religioſæ Familiæ reuocare ad praxim ſatagat, habebit vnde ſuorum ſtabilitati & impediendis quantum in ipſo eſt defectionibus, abundè proſpiciat. *En coram Deo (inquit) eiuſque Genijs electis, vniuerſam hanc Chriſtianam Rempublicam tibi committo, quam capeſſas. At qui capeſſes? Quemadmodum reges, & tuere? Vt agnos Chriſti, vt tuapte cariſſima membra: Fouens, defenſans, procurans vnumquemque pari beneuolentiæ menſura, poſtquam par corporis membrorum ſtudium cuique eſt. Viſceribus pro affectione recluſis, cunctos liberaliter acceptos nutricator, fingito, perficito, ingenium prudentia deacuito, animi alacritatem fortitudine excito, mentem fide ſpeque firmato, probitate omnibus praito, rectos contra imaginarios hoſtes propugnato, mactos in virtutis tanquam latifundium immittito, quaſi quodam innocentiæ ſolo diuidundo.*

Diæteticus ad Medicos Apoſtatarum.

Hæc veluti remotè & quoad omnes ſubditos Præfecto Religioſo ſeruanda, vt eos aduerſùs defectionis periculum muniat. Si quos verò ſpecialiter & proximè ad defectionem diſpoſitos offendat, adhibenda præterea erunt remedia quæ iam olim S. Ephrem, & poſtea Petrus Bleſenſis pro Religioſis in ſua vocatione nutantibus vſurparunt. S. Ephrem inſigniter in hanc rem ſcripſit Paræn. 47. quæ eſt ad Monachum cogitantem redire ad ſeculum. Petrus verò Bleſenſis Epiſtola 13. Monachum qui ſuſpirabat ad ollas Ægypti tametſi adhuc Nouitium, potenti & graui oratione deterret à regreſſu Epiſtola item 80. profeſſum Monachum, labentem in arrepto vitæ genere, ſtabilit. Vterque autem adhibet ea perſeuerantiæ incentiua, quæ ad iam proſtratos rurſus erigendos æquè pertinent; & idcirco inferiùs attingentur. Vrgent nimirum Dei iudicia in Deſertores Inſtituti, mortem vbiuis ac ſemper imminentem, extremi iudicij horrorem, infamiam, & ſannas apud homines, aliaque huiuſmodi. Validè quoque obſiſtunt excuſationibus quæ ad deficiendum obtendi ſolent, quas nos Sacra depellemus, quia iis item malè ſe muniunt qui iam ceciderunt. Itaque de curatione per præuentionem adhibenda à Præfecto Cœnobij, non plura.

Seruanda ad Apoſtaſiæ iam contractæ curationem. Ac primum, euitanda nimia indulgentia.

IAm verò quo ad curationem Apoſtaſiæ iam admiſſæ, certum eſt eam eſſe longè difficiliorem. Imò *Thomas Cantipr. libr. 2. cap. 30. num. 48.* affirmat omnes ferè ex ſuo ordine Prædicatorum lapſos, irreparabiliter cecidiſſe. Annuuntque vniuerſum nonnulli Patres initio huius capitis annumerati. Neque tamen idcirco abiicienda. Eſt Præfecto haſta, ſed pro more Medicorum, quo operoſior ſanatio, & morbus pernicacior, eò diligentiùs & ſollicitiùs in curationem eſt incumbendum. Educendus Frater lapſus ex imo puteo. *Ne quæſo beatiſſimi (ait ad Ianuarium Præfectum Bracarius) fratrem noſtrum in profundo putei ſub iniqui principis poteſtate demerſum, lapidibus deſperationis obruamus. Imitemur illum Æthiopem qui ſanctum Ieremiam in lacum ab iniquo Rege demerſum, aſſumptis*

30 hominum auxiliis & demiſſis ad eum pannis ac funibus veteribus liberauit. Ecce frater in lacu eſt; aſſumamus 30. homines, ideſt, ſine Beatæ auxilium Trinitatis, ſiue cum labore animi, carniſque & ſpiritus, demerſum in profundo putei liberemus. Mittamus ei pannos veteres; reducamus in memoriam eius, exempla antiquorum, qui per peccatum collapſi, poſtmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad ſuperna relati ſunt; quæ cum ei antè oculos poſita fuerint, deſperare non poterit. Ita tamen charitati ac miſericordiæ ſeruiendum eſt, vt bono communi non officiatur, quod poſtulat, eſſe aliquem ea in parte iuſtitiæ locum; ne facilitas veniæ, laxet habenas delictis, & ſtantes pelliciat ad ruinam.

Itaque duo extrema cauenda ſunt. Vnum ne plena ſit tanto ſceleri impunitas; quo faciunt rationes quas S. *Baſil. in Conſtitut. Monaſt. cap.* 34. profert, vt demonſtret, Deſertores vnius familiæ, non eſſe alibi facile admittendos. *Si quidem (inquit) hoc facere ſummà confuſio eſt, diſſolutio atque perverſio ſpiritualis opificij. Etenim de fratribus quidem, qui cordatiores ſunt, ij cum Dei timore teneantur, in officio perſiſtunt: qui verò lentiores ſunt, ac magis per ignauiam diſſoluti, ij pudore hominum, & ea quæ ex hominibus pendet, neceſſitate, veluti quodam pædagogo ad rectam viam diriguntur. Si igitur qui negligentior ſit, viderè ſibi animaduerterit impunè probata ſibi ſemel fratrum ſocietatis labores defugere, ſeſeque inde ad aliud quoduis domicilium transferre, & ſolutiorem in eo atque incontinentem vitam agere, facile ſeſe ab eorum cœtu abrumpet, & exitij illius cauſam ſuſtinebit, qui ad ſuſcipiendum eiuſmodi ſe exhibuit æquo paratiorem. Atque etiam fit ſæpe numero, vt tentatio iſta latiùs ſerpens, eos etiam qui in recto itinere ſunt, aberrare faciat, deductos à recta ac iuſta via: & cunctorum exitij ille pœnas luet, à quo peccandi cauſa profecta fuerit.* Hæc vt vides, accommodata ad rem noſtram, æque ac multò magis confirmant tranſitum ad ſæculum, quod quamvis ſoluta Religioſa familia, ſolutius eſt, non debere eſſe Apoſtatæ planè impunitum.

Pertinent quoque ad hunc locum æquè ac etiam multò magis quæ de fortitudine præfecti religioſæ familiæ in plectendis delictis, diſputantur in commonitorio. Nam quò Apoſtaſiæ culpa eſt auctior, eo conuenientius eſt, iuſtam illi caſtigationem rependi. Et ita fert antiqua praxis. Nam *Petrus Bleſ. Epiſt.* 82. agens pro Monacho, quem ait *de cibo ad vomitum, de cœlo ad cœnum, de Paradiſo in infernum, de Clauſtro ad ſeculum reuolaſſe*, tentans ei conciliare Abbatem, profitetur ita illum ad ſanam mentem regreſſum poſcere miſericordiam, vt tamen iuſtitiam & iudicium non excluderet. Et idem petiit alius apud *S. Anſelmum lib. 3. Epiſt.* 15. nec aliter pro Gemeticenſi quodam Apoſtata agit *Ivo Carnotenſis, Epiſtola* 184. Quod ſi qui reſipuerunt, dare tamen aliquas tantæ culpæ pœnas debent, quantò magis alij Apoſtatæ? Merito igitur *Concilium Tribuienſe cap.* 4. exprimens phraſim adhibitam per Syricium Papam, Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem quem Concilium illud allegat, iubet Apoſtatas omnimodis coërceri, & omni onere grauari: pertinaces autem & obfirmatos in ſcelere, ſuppliciis iam olim conſtitutis puniri, quæ vidimus eſſe pœnitentiam publicam, & concluſionem in ergaſtulo. Iure nouo paſſim damnantur ad Triremes.

Cum tamen mox à culpa admiſſa per ſubitum œſtrum, tangenti Deo obtemperant, & reuertuntur ad cor, præſumunturque vltro ipſimet ſcelus in ſe vindicaturi; tunc mitius cum Apoſtatis eſſe agendum, & expedire quandoque pro ratione circumſtantiarum conuentum eſſe rubore quo perfunduntur, & increpatione ab omnibus tali tum mutis vocibus facta, (vt Apoſtolus de Corinthio inceſtuoſo cenſuit,) multis exemplis confirmari poteſt. Perilluſtre eſt quod habetur apud S. Chryſoſtomum ſub finem primæ Parœneſeos ad Theodorum, de eo qui Monachum Apoſtatam in ipſo exitu è Monaſterio digreſſum ad proſtibulum conſecutus; in exitu è fœdo commercio reuocauit ad ſanam mentem, & ipſimet cruciandum voluntaria caſtigatione permiſit quod ſtrenuè ſanè & accuratè fecit.

Sed multo magis nimia durities erga lapſos Apoſtatas.

ALterum extremum æquè vel etiam ſtudioſius in hac parte vitandum, eſt inhumana atque diabolica durities, (ita enim loquitur *Petrus Bleſenſis Epiſt.* 88.) qua negatur indulgentia pœnitentibus. Non ita bonus paſtor erga ouem perditam ſe geſſit, vt optime diſſerit *S. Clemens 2. Conſtit. cap.* 24. loco in hanc rem planè aureo, quo immenſa Dei ac Chriſti in peccatores benignitas dilucidè proponitur. Idem vrget S. *Chryſoſtomus Parœneſi priore ad Theodorum* ante medium. *Ouis illa (inquit) quæ ſeparata fuit à nonagintanouem, moxque inuenta eſt & reducta, quid aliud nobis demonſtrat, quam caſum & reditum. Quoniam ouis erat, non alieni paſtoris, de reliquarum erat grege, priuſquam ſub eodem paſtore paſcebatur, & errauit nequaquam caſu, ſed per montes & ſaltus, hoc eſt per viam longam, deflectentemque à recto. Quid? Num neglexit errantem? Nequaquam: reportauit impoſitam humeris ſuis, non egit ante ſe, nec verberauit. Quemadmodum, optimi medici difficili diuturnoque morbo decumbentes, variis mediciniis ad ſanitatem reſtituunt, non ſemper vtentes arte. Interim enim nonnihil cupientibus diuerſa obſecundant: ſic Deus vehementer corruptos, non impellit magna vi ad virtutem, ſed manſuetè & ſenſim promouet: imò plerumque portat, ne immanior ſciſſura fiat, aut error productior. Non eſt vnum, hoc ſimile, quod huiuſmodi doctrinam confirmat. Parabola etiam de intemperante puero, ſtat ab eadem: qui non erat patri alienus, vtpote filius & frater pueri acceptiſſimi, nec in malitiam caſu incurrit quinimo ſciens prudenſque, vt ſic dicam, in alterum littus malorum prorupit, diues, liber, benè natus, omnibus ſeruis, omnibus mercenariis, nedum hoſpitibus, factus eſt calamitoſior: atqui redditus eſt priſtinæ dignitati, amiſſamque gloriam recuperauit.* Et quidem patre ad miſerum accurrente, non autem repellente, vt par viſum eſſet ingratiſſimi Nebulonis ſcelera attendendo.

Gregorius item Nyſſenus oratione in eos qui acerbiùs iudicant, ex eadem filij prodigi parabola, optimè damnat auſteritatem in eos qui ad cor reueniunt. *Qui acerbiores (inquit) ſe peccatoribus præſtant, eos ad ſe accedentes propellunt ſupplices, proſtratoſque fugiunt, à lacrymantibus oculos remouent, & ſe totos. Cur igitur mihi Lucas, immo verò Spiritus ſanctus, deſcripſit filium illum prodigum, qui primum diſceſſu ſuo ignominia patrem affecit; deinde voluptatibus ebrietatique deditus, & fœminarum amoribus captus, paternas omnes diuitias dilapidauit, atque exhauſit? Poſt autem multo, cum ſatis iam in miſeria verſatus eſſet, adeò vt ſubulcus effectus mercenarius, eodem quo porci veſceretur cibo,*

tandem aliquando reſipiſcens, cum ad patriam domum reuertiſſet, non auertit ſe pater, nec reuerſum excluſit filium. Quin etiam occurrit obuiam appropinquanti, & complexus eum, atque inhærens collo, miſericordia commotus, lacrymas fudit, & pro miſero rurſus beatum reddidit, ingenuo illum induens veſtimento, & in manu eius annulum imponens, ac diem feſtum agens, magnificumque ac ſplendidum conuiuium celebrans. Hac nobis ſimilitudo propoſita eſt, vt reſipiſcentibus Eccleſiam tanquam domum paternam aperiamus, eoſque humaniter, & benignè ſuſcipiamus, ne cum porcis, id eſt, cum dæmonibus vitam degant, ſed ex alienis rurſum ad filiorum numerum adſcripti, ex Dei præſcripto tanquam ex patris ſententia viuant, & ſanctorum hominum, vt fratrum conſuetudine perfruantur. Noli fratris maioris natu ſententiam ſequi, nec ob patris humanitatem indignari, quod nequiſſimum filium, qui familiæ dedecori fuit, ſuſceperit. Dei benignitatem potiùs, & clementiam admirans, eos qui relictis erroribus ad frugem bonam redeunt, amplectere, amanterque foue. Sic enim eris cæcorum dux, & viam errantibus demonſtrabis.

Neque tamen colligere ex his parabolis licet, adhibendam ſemper eſſe remiſſam & laxam indulgentiam quæ nullam depoſcat noxij ſatisfactionem pro tanto ſcelere; ſicut neque paſtor ouem perditam poſt recuperationem verberauit ob deflexionem: neque Pater prodigum filium reuertentem, aliquam inbonitatem experiri præcepit. Hoc (inquam) non poteſt opponi contra proximè conſtituta in ſuperiore puncto. Nam in parabolis accommodandis, non eſſe omnia exquiſitè aptanda, certum & receptum eſt apud bene multos quos nominatim appendit *Sherlogus Anteloq. 3. ſect. 2. numer. 76.* Cum igitur Chriſti ſcopus in illis parabolis fuerit, demonſtrare peccatores ſemper recipi ad pœnitentiam, reliqua humano more adiuncta, non ſunt exquiſitè vrgenda; quippe ad conuenientem deſcriptionem appoſita. Egregia eſt *S. Auguſtini doctrina lib. 16. Ciuit. cap. 2.* de propheticis parabolis, æquè pertinens ad omne genus huiuſmodi ſacrorum ænigmatum. *Non ſanè omnia quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt: ſed propter illa quæ aliquid ſignificant, etiam quæ nihil ſignificant, attexuntur. Solo enim vomere terra proſcinditur: ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria. Et ſoli nerui in citharis, atque huiuſmodi vaſis muſicis aptantur ad cantum; ſed vt aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, ſed ea quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Ita in prophetica hiſtoria, dicuntur & aliqua, quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant quæ ſignificant, & quodammodo religentur.*

Senſus Sanctorum, de humanitate Apoſtatis regredientibus exhibenda.

QVod igitur ex propoſitis parabolis colligebamus, quia ad ſcopum Chriſti in illis propoſitum pertinet, eſt omnino approbandum; nempè Apoſtatas regredientes & ſatisfacere non renuentes, eſſe admittendos à Prælatis. Ita latè Bracarius pereleganti Epiſtola ad Ianuarium pro lapſis: *Petrus Bleſenſis Epiſt. 88. ſanctus Anſelmus lib. 2. Epiſt. 35. & 45. ac 46. & lib. 3. Epiſt. 38. & 101.* quæ trium propoſitorum Autorum lucubrationes ſunt Epiſtolæ commendatitiæ pro lapſis ad præfectos eorum, vt eos admittant reuertentes. Miram Iordanus, Ordinis Prædicatorum ſanctiſſimi Generalis, in Apoſtatas regredientes admittendos charitatem, celebrant illius Ordinis Annales. Quendam certe in vnum Apoſtatam reuenientem ſeuerius ac durius animatum, emolliuit dicens, ſi vnam pro hoc guttam ſanguinis fudiſſes, pro quo Chriſtus totum ſanguinem ſuum fudit, mitiùs ageres. Sancti Theodori Studitæ in Gelaſium Apoſtatam lenitas, habetur ex limbo Epiſtolæ ad eum datæ. Idem in Mennonem Apoſtatam ad cor reuerſum, egit mitiſſimè vt liquet ex ſermone Catechetico 35. S. Gregorij in Venantium apoſtatam benignitas lib. 1. Epiſt. 33. *in ſine* elucet. Hildebertus Epiſtola 23. fortiter agit cum Abbate, pro Monacho apoſtata benignè recipiendo poſt pœnitentiam S. Chriſtinam, conſpecta Sanctimonial. fugam meditante, exclamaſſe ſcribit in eius vita Cantipratanus, *O vas inane, huic Monaſterio magno dedecori & offendiculo futurum.* Mox conſecuta apoſtaſia, eique adiunctis probris, cum tandem fœdifraga reſipuiſſet, nec à ſanctimonialibus ad ſuum cœtum vlla ratione admitteretur, egit pro ea inſtantiſſimè Chriſtina, his nominatim verbis. *Tametſi vos non magnipenditis perditionem eius, attamen non paruo illius anima Chriſto conſtitit, qui eius cauſa fudit ſanguinem ſuum, & mortem perpeſſus eſt,* quibus inſtantiſſimè & diu repetitis, emolliuit priùs inflexa pectora, & vt Apoſtatricem denuò reciperent, euicit. In Actis S. Petri Cauenſis cap. 22. refertur Apoſtatam cum reueniſſet & reſipuiſſet, fuiſſe benignè receptum, ſed quæ durante Apoſtaſia acquiſierat, fuiſſe combuſta. *Fulberti Carnotenſis Epiſtola 71.* data pro recipiendo Hermengaudo Apoſtata ad cor reuertente, pleniſſima eſt pietatis. In ſimili cauſa ſimilia profert Iuo Epiſtola data pro apoſtata Gemeticenſi: eſt 160. inter Iuonis Epiſtolas. Egregia item eſt Epiſtola 116. Petri Cellenſis, pro Anſfredo apoſtata reſipiſcente conſcripta ad Abbatem Villarienſem.

Robertus de Abruſcellis magnæ vir ſanctimoniæ vrbano 2. & Paſchali 2. laudatus, ſub mortem quanto potuit affectu commendauit ſuis Fontebraldenſibus, vt nemo apoſtata ad cor reueniens fraudaretur à deſiderio ſuo, ſed cuiuis quærenti impenderetur reconciliationis beneficium, vt ſcribit eius ſocius Andreas ſub finem deſcriptionis, felicis tranſitus ipſius Roberti.

Nihil addi poteſt ad eam humilitatem quam S. Baſilius ſub finem Epiſtolæ 1. ad Monachum elapſum, ei ſpondet ſi reueniat: Gregorij Theologi ad Glycerium Apoſtatam epiſtola, leniſſima eſt. Numero eſt 207. Apoſtolum Paulum ſic ſe geſſiſſe erga lapſos, optimè proſequitur *S. Chryſoſtomus Parœneſi priore ad Theodorum Epiſtola 228. S. Bernardi ad Abbatem Arremary,* pro Monacho fugitiuo, maternum eius pectus monſtrat. Et ex paritate rationis, habent hic quoque locum quæ diſſerit idem *S. Bernardus, Epiſtola* 328. Videri præterea poteſt Nicolaus quondam S. Bernardi Notarius epiſtola 2. & 3. quæ ſunt datæ ad quendam ſocium ipſius, apoſtatam.

Non pauci Patres, cum in hoc negotium incidunt, ſtatuunt factum Eliſæi germanam ideam curandi huiuſmodi Apoſtatam, impenſa omni humanitate. Ita Bracharius Epiſtola ad Ianuarium, ſic ex facto Eliſæi affatur Ianuarium Monachi apoſtatæ præfectum. *Ne ſpernas, quæſo, fratrem defunctum. Filius eſt Sunamitidis ſterilis, id eſt, Eccleſiæ ex repromiſſione natus eſt iſte qui mortuus. Quondam*

CAP. XVIII. *Diatriba I. ad Medelam Apoſtatarum.*

CAP. XIX. Symbola Apoſtatæ ad ſui curationem.

enim natiuitatem eius, ſecundo, Abrahæ Dominus in Iſaac ſemine ſpopondit, atque pollicitus eſt; cuius caput, in meſſe, calore percuſſum eſt, ideſt, principale mentis eius, inter ipſam ſpei & libidinis flammam concaluit. Currat ad Heliſeum mater eius, ideſt, ſollicitè plangat Eccleſia. Reſurget enim ſi fideliter ſperauerimus hoc à Chriſto. Et tu Beatiſſime, in defuncto fratre opus imitare Heliſæi: manus manibus, pedes pedibus, os ori compone primum, vt compatiaris ei qui mortuus iacet. Neque elatus integritatis tuæ triumpho, ſuper excreſcas eum, aut ſuper extendas te ei quem repentina mors rapuit, ſed imitare Apoſtolum, qui dicit; Timeo ne humiliet me Dominus Deus meus apud vos, & lugeam multos ex eis qui ante peccauerunt. Appone præterea oculos tuos oculis eius, manus manibus pedes pedibus; cuſtodi oculos ipſius, ne in perditionem ſui vlterius euagentur. Os illius, ne confabuletur iniqua: manus illius, ne operentur aduerſa; pedes illius, ne vagentur in turpibus. Et ſic cum pro cuſtodia ſui, membris membra tua fuerint copulata, non ſolum peccandi vlterius ſpatium non habueris, verùm etiam ſpem capies reſurgendi, vt qui per peccati frigus emortuus eſt, conſolationis tuæ tepore reuocetur ad vitam. Memento autem vt omnes à conſpectu eius eiicias, nullus videat, nullus in medio ſit, ne quiſquam ſibi viſionem eius, de propinquitate præſumat. Quid dico propinquum? ſit mater illa carnalis; nec ei ad illum detur aditus intrandi: nam ſic Heliſeum in Sunamitidis filio, ſic Dominum, noſtrum in principis filia, ſic Beatum Petrum in Dorcade vidua feciſſe cognoſcis: valdè enim debet ſecretus & ſolitarius locus mortuo in peccatis homini præparari, vbi nihil capiatur ampliùs quàm medicus & cadauer.

Similiter factum, Eliſæi accepit Victor Epiſtola ad Fulgentium, præfixa ſermoni Faſtidioſi. *Eliſæus Propheta (inquit) ſuſcitare non poſſit cadauer exanime, niſi infrænatis membrorum lineamentis, illo ſe corpori faceret æqualem. Minorauit ſe paululum magnitudo, vt cum oſculatur mortuum, implaſtraret, animam, & redderet puerum viuum. Unus ſe ſternit, & duo conſurgunt; & ſubito redditur incolumis Genitrici, qui alieno ſpiritu reuixit.* Sed optime omnino S. *Bernardus ſerm. 16. in Cant.* vbi longiſſimam illius facti expenſionem exhibet.

Quatenus aliquando de Apoſtatæ diſceſſione gaudere liceat, quamvis per ſe loquendo ſit reuocandus, & quoties.

Abſit verò vt vel in animum induceam eſſe hoc tempore, quibus illud S. Ephremi monitum ſit neceſſarium in ſerm. ad imitationem Prouerb. pag. mihi 515. *Frater chariſſime ſi tentatione victus Frater, recedat è loco ſuo; & poſtea pænitentia ductus cupiat poſtliminio reuerti; Tu vide ne impedias, ſed potiùs ad id cohorteris; Ignoras enim quid ſuperuentura pariet dies. Non oportet autem tales ſpernere tanquam illuſos; at potiùs conuenit eos ſuſcipere quaſi ab infirmitate iam liberatos ac ſanitati reſtitutos. Si inter fratres habitaueris, caue ne occaſionem alicui præbeas diſcedendi, à fraternitate, vt non in mũdo altero iudiceris. Enita quoque vehementer ne cuiquam ſis offendiculo ac ſcandalo, vt non cum facientibus ſcandala à regno cœlorum ſegregeris. Si debilitate aliqua laboret frater tuus, ſubleua & adiuua eum, vt merearis audire à Domino in die illa, Quod vni feciſtis ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Qui negligit infirmum, exacerbat præceptorem, & qui gaudet in lapſu fratris ſui; graui caſu corruet.*

Abſit inquam, vt quemquam eorum ad quos attinet, non modò repellere regredientes Apoſtatas, ſed etiam de eorum caſu gaudere contingat. Eſſet ea non ferina modò, ſed diabolica, ipſoque Apoſtaſiæ crimine quantumvis tetro, & horribili, tetrior horribiliorque malignitas: quia ita ſe gerere, eſſet cooperari ad perſeuerantiam alterius in malo ſtatu, & ſibi complacere in eius ſcelere quod non ſecus abominandum eſt, ac factum illius Diabolici organi apud *Caſſianum lib. 10. de Inſtit. c. 20.* quemcunque enim conſpicabatur alacrem in virtute, ſe ducere, & ad Apoſtaſiam adducere nitebatur, ſimulata eadem voluntate mox mandanda executioni, & tamen cum eo miſerum adduxerat, vt ſine rubore non poſſet regredi, perſtabat ipſe corpore tenus in Religione, è qua ſocium exturbarat: quia eius virtute ſuis luminibus offici exiſtimarat. Gaudium quo hic Satan ob proſtratum à ſe ſocium perfundebatur, affine eſt illi quod quis conciperet ob euerſum Religioſum, cui labendi occaſionem ſubminiſtraſſet meditato, & de cuius euerſione lætaretur. Aliud verò eſſet, ſi quis euerſo per ſeipſum, ſuamque meram malitiam aliquo peſſimè morato, & Religioſum ordinem peſſimè habente, gauderet de conſequente eius ruinam pace & puritate familiæ. Id enim ſanctum & innoxium eſſe, conſtat ex generalibus principiis Moralis Doctrinæ, & in ſpecie quoad hoc negotium traditur à *S. Bonauentura l. qq. circa Reg. S. Franciſci q. 14.* vbi (ait) cum talis Deo permittente ſeipſum eiicit, gratias eſſe Deo referendas; non quia ille peccauit, ſed quia paſtor bonus oues ſuas à peſtifera contagione liberauit. Vnde Prælatum de tali Apoſtata reuocando non debere eſſe ſollicitum, docet *Syluester v. Apoſtaſia q. 6. Io Miranda in Manuali t. 1. q. 1. art. 4.* At circa eos Apoſtatas qui alterius eſſent genij, aliter debet ſe gerere bonus religioſæ familiæ præfectus, & imitatione boni Paſtoris Chriſti, omnem humanitatem & charitatem intra fines æqui debet impendere regredienti.

Quin etiam iure communi cap. vlt. de Regular. & tertio Canone primæ & ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ in æde Sanctorum Apoſtolorum congregatæ, vt ſcribit Balſamon ad 6. Reſponſum Synodi ſub Nicolao Patriarcha, ad quæſita Monachorum; ſtatutum eſt, vt Prælatus regularis, oues aberrantes inquirat, & ad reditum omni ratione inducat, etiam cum adhuc aberrant, nec reditum cogitant. Id quod *Petrus Bleſenſis Epiſtola 88.* optimè confirmat exemplo Chriſti, *De throno (inquit) alloquens Abbatem Tuoberienſem cuius quidam Monachus pro quo rogabatur, apoſtatauerat. E coæqualitate patris deſcendit altiſſimi filius in hanc vallem plorationis, & conditionis humanæ miſeriam, vt ouem centeſimam reportaret ad caulas. Cum pauperes in neceſſitatibus ſuis adire ſoleant diuitem ac potentem: venit omnipotens ad infirmos, diues ad pauperes, beatus ad miſeros. Non expectauit vt ad eum veniremus, quos præuenit in benedictionibus dulcedinis ſuæ. Si eius tui ſator, aut filius eſſes, ouis errabunda regreſſum, & pœnitentiam non oportuerat expectare, ſed eam ſollicitudine paſtorali quærere, ac ſalutaribus monitis ab errore, & in viam ad vitæ ſemitam reuocare: ſalus enim illius & mors, de tuis manibus à diſtricto & terribili Iudice requiretur. Ad laboris itaque compendium, tibi ceſſit, quod regreſſus eſt, quod ianuam pulſat.*

Et

Et ferè initio Epiſtolæ. *quærenda erat erraoundæ ouis, ac paſtorali diligentia reconcilianda ouis, ſi fugeret, ſi ſanctorum congregationem, ſi [illegible] diſciplinæ, ſi iugum domini detrectaret.* Si igitur Prælatus aſtringitur quærere oues errantes de reditu non cogitantes, quanto magis aſtringitur non repellere reſipiſcentes, & eos qui ad ipſum veniunt, non eiicere foras?

Sed quid ſi ſemel, vel etiam ſecundò, aut tertiò admiſſus, in eandem relabatur ruinam denuòque poſcat redire? S. *Benedictus in Reg. cap. 24. alias 38.* ſic ſtatuit de huiuſmodi Apoſtata pluries lapſo, pluries reſtituto. *Frater qui proprio vitio egreditur de monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitij pro quo egreſſus eſt, & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc humilitas eius comprobetur. Quod ſi denuò exierit, vſque tertiò ita recipiatur, iam poſtea ſciens omnem ſibi reuerſionis aditũ denegari.* Idem habetur in Regula Magiſtri vt refertur in Concordia Regularum *S. Benedicti Anianenſis cap. 38. §. 4.* hac ratione addita. *Quia talis apud Deum eius (tertio iam dilapſi) agnoſcitur diuini ſeruitij fides, qualis apud homines pedum ſtabilitas conſtitit.* Violabant hoc præſcriptum Cluniacenſes, quotieſcunque liberet recipientes Apoſtatas: quod eis exprobrat S. Bernardus Epiſtola ad Petrum Cluniacenſem lib. 1. Epiſtolarum Petri Cluniacenſis Epiſtola 28. Et ſanet quod iuſto crebriùs abeuntem & reuenientem admittendum negat *Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 118.* Ea tamen miſericordiæ arctatio ad ternarium, non videtur placere Petro Bleſenſi illam commemoranti Epiſtol. 88. Quanquam ſi gloſſam Cardinalis Turrecrematæ admittamus, nihil erit in ea Regula, quod Bleſenſem offendat. Ait igitur Turrecremata ibi, fas eſſe Abbati, etiam poſt tertiam reſtitutionem Apoſtatæ, illum vlteriùs recipere; nec id vetuiſſe S. Benedictum; ſed exprimere tantùm voluiſſe, quid vi Regulæ poſſit circa toties reſtitutum fieri, nec vlla mei irrogandam eſſe iniuriam ſi vlteriùs non admittatur. Et ita quoque Regulam illam expoſuit, reſpondens S. Bernardo Petrus Cluniacenſis, Epiſtola 28. libri primi. latè pugnans pro licita ſemper Apoſtatarum receptione.

Diuerſa Apoſtatarum diuerſorum curatio; ac primùm dolentium, ſed damnoſo pudore laborantium.

SIc vitatis duobus extremis propoſitis, Præfectus Religioſus & miſericodiæ & Iuſtitiæ legibus ſeruiet, bonumque commune cum priuato Apoſtatæ bono ſic temperabit, vt Chriſti Paſtoris magni in reducẽdis ouibus aberrantibus ſtudium repræſentet. Nec Dei ipſius erga peccatores diſpar eſt animus, vt optimè expendit S. Hieron. Epiſtola ad Ruſticum votifragum, præſertim ex loco Hierem. cap. 3. vbi Deus ſuum in recipiendis iis à quibus immaniter violatus ſit beneuolum animum miſericordiſſimè aperit. Id vt præſtet bonus ſpiritualis medicus, ſuggerenda ei ſunt de Eccleſiaſticis ſeplaſiis remedia, quibus Apoſtatæ qui plerunque duræ ſunt ceruicis, nec ſtatum ſuum, & ruinam qua obrui ſunt, æſtimant ſuis momentis per ſe vel alios ad id adhibitos, mollire & in rationis gyrum flectere ac reuocare poſſit. Ea verò ſunt, quæ Patres agentes cum Apoſtatis propoſuerunt. Suntque totidem malagmata &

pharmaca ab optimis hiſce animorum curatoribus confecta, quæ pro [illegible] ſic verbis audire iucundius erit. Sed quod Apoſtatæ [illegible] curatio facienda eſt, diuerſi [illegible] generis, non ea lenitate [illegible] bus eſt impẽdenda curatio, Et alij quid [illegible] poſt [illegible] ſum facinus [illegible] quo acti in præceps fuerant, etiamſi regredi vellent, damnarentque ſuſceptum a ſe conſilium; pudore tamen prohibentur id facere, nec rarò etiam victi ac oppreſſi confuſione adducente peccatum, in deſperationem abripiuntur, ſicque dureſcunt in admiſſo ſcelere. Alij autem è contrario atritæ frontis ſunt ac meretriciæ, qui auertuntur auerſione impudenti; & niſi iam defeciſſent, eo perſtant animo, vt deficere vellent, nec vllo ſenſu ſui [illegible] tanguntur. Qui verò [illegible] fiabris ſucceſſiue ægrotant, (vt interdum contingit,) non faciunt vlteriorem numerum: quia primò ad priores, poſtea ad alios pertinent; vnde vtrumque remediis ſucceſſiuè iuuantur. Quare in duobus propoſitis ordinibus ſiſtemus.

CAP. XVII. Diuerſitas ad Medicin. Apoſtatarum.

Priores iuuandi ſunt vt damnoſum pudorem excutiant, ſed præſertim vt deſperationis barathrum caueant. Ad pudorem illum à Theodoro diſpellendum, laborabat *S. Chryſoſtomus Paræneſi 2.* ad eum [illegible], verbis illis. *Non eſt graue Theodore chariſſime, cadere luctantem, ſed iacere deiectum. Nõ eſt pernicioſum in prælio vulnerari, ſed poſt vulnus acceptum, deſperatione curandi, medelam vlteri denegare. Nullus ſe demergit, naue fluctibus ſemel merſa, ac poſt totum onus perditum deſiſt nauigare: ſed rurſus ad maria mulus quoque feſtinat, rurſus immenſa peruolat freta, & iteratò feliciùs vrſu, caſus prioris damna compenſat. Sæpè etiam athletas videmus, poſt frequentes lapſus, & deiectiones plurimas, coronatos: militem quoque ſcimus poſt fugas multas, virum fortaſſe fuiſſe, & viciſſe victores. Multi etiam qui negauerant priùs Chriſtum propter crudelitatem neceſſitatemque pœnarum, ſimile rurſus certamen aggreſſi glorioſè coronam martyrij receperunt. Quod ſi vnuſquiſque eorum quos dinumerauimus, propter aduerſa principia deſperando ceſſiſſet, nunquam ad ſequentium voluntatem at fructum bonorum peruenire potuiſſe potuiſſet, ſimilis profectò res eſt Frater Chariſſime: ideoque conſidera, vt quia paulliſper communis inimicus te vbi benè ſteteras, loco mouit; idcirco & ipſe te totum ad præceps, quod videt, impellas. Perſiſte, immò magnanimus eſto, & vnde extuleras pedem, reuoca; neuè ignominiæ vel opprobrij genus credas, exiguum hanc parui temporis plagam. Neque enim reprehenditur miles, cum de prælio reuertitur vulneratus, ſed reprehenſibile magis, ac ſemper turpe eſt, arma deponere, & ſeruitutis iugum ſubire captiuum. Quamdiu autem quis in conflictibus perſeuerat, ſiue pro tempore cadat ille, ſiue fugiat, nullus vſque adeò ingratus ac durus & bellicæ diſciplinæ expers, erit qui vituperet denuò dimicantem.*

Inſignis in hanc rem mihi ſemper viſa eſt S. Anſelmi adhortatio ad tres Apoſtatas reuerſos ad bonam frugem. Habetur lib. 3. Epiſtola 102. eſtque adſcripta digniſſima. *Audiui, quia perſuaſione ſerpentis antiqui, cuius aſtutia primos parentes noſtros de paradiſo eiecit; Clauſtralem paradiſum, & Religioſam conuerſationem quantũ ad vos deſeruiſtis, & valdè dolui; ſed conſolatus ſum, & lætificatus; quia non clauſit Deus oſtium paradiſi, ne vltra in illud intraretis, ſed potius vos miſericorditer coegit, vt ad requiem relictam rediretis. Si autem pro hac miſericordia quam vobis inuiſis fecit, gratias illi agitis, & non tantùm coram omnibus ore, ſed*

O [illegible] *etiam.*

CAP. XVIII. Diacriticus ad Medicus Apoſtatarum.

etiam coram Deo correctionem promittitis, agam vobiſcum gratias Deo, & omnem rancorem quem de culpa veſtra concepi, expellam de corde meo. Moneo igitur vt filios meos, quatenus illam prauam & diabolicam voluntatem quam habuiſtis, pœnitendo coram Deo de corde veſtro penitus expellatis, neq; occaſione alicuius verecundiæ, poſtquam vos Deus ad ſe reuocauit, mentem veſtram indiſcretè confundatis, ſed ſperantes in hoc, quia Deus pœnitentes benignè ſuſcipit, in bona voluntate & amore veſtri ordinis quieſcatis. Solet enim contingere, vt quoniam diabolus Deo miſerante & ſeruum ſuum defendente, non poteſt de eo quod incepit perficere, ad aliam ſe conuertat aſtutiam, & quem ſicut incepit deiicere nequit, deiiciat per immoderatæ verecundiæ impatientiam. Coram Deo tantùm admiramini quomodò hoc velle potuiſtis, & erubeſcite; & coram hominibus ex bona conſcientia comfortamini, & confidite. Per bonam conuerſationem, oſtendite omnem prauam voluntatem, alienam eſſe à vobis, & ſic facietis, vt nulla memoria ſit aliis de hoc quod feciſtis, & nulla praua ſuſpicio de vobis. Omnipotens Deus vos & à præteritis culpis abſoluat, & in futuro ſine fine ab omni peccato cuſtodiat.

Aduersùs deſperationem aliis infeſtam, munimenta.

DEſperationem quæ *extremum Diaboli gaudium* Antiocho dicitur homilia 27. tenere potenter S. Baſilius ſub finem Paræneſeos ad virginem elapſam, propoſita tanta Dei erga quoſcunque peccatores bonitate. *Num (inquit) qui cadit non reſurgit, aut qui ſe auertit, non conuertitur? Cur autem tu ſe virgo auerſione impudenti, & quidem cum audieris Chriſtum ſponſum per Hieremiam dicentem. Et dixi poſtquam ſcortata fuit ipſa hæc omnia, conuertere ad me, & non eſt conuerſa. Numquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt tibi: Cur non contingit ſanatio filiæ populi mei? Et multa ſane reperias in diuina ſcriptura mali auxilia, multa item ex interitu ad ſalutem medicamenta, de morte & reſurrectione myſteria, de iudicio horrendo ac æterno verba, de pœnitentia & remiſſione peccatorum dogmata. Innumera illa conuerſionis exempla, drachmam, ouiculum, filium qui conſumpſerat res ſuas cum ſcortis peraitum & repertum, mortuum & qui reuixit. His vtamur mali auxiliis, per hæc animam noſtram curemus.*

Propiora huic negotio exempla, eorum qui ex Apoſtaſia reſipuerunt, dabimus inferiùs. Nunc pergamus cum Baſilio ibidem paulò poſt, ſic vrgente motiua contra deſperationem, quæ nunc exquirimus. *Ne deſperemus (inquit) de nobis ipſis ſi à malis diſceſſerimus. Ieſus Chriſtus venit in mundum, vt ſeruaret peccatores. Venite adoremus & procidamus ante ipſum, & ploremus coram ipſo. Nos ad pœnitentiam vocans diuini verbi doctrina, clamat ac vociferatur. Eſt via ſalutis, ſi volumus. Deglutiuit mors robuſtior facta. Verum probè ſcito, quod Deus detraxit omnem lachrymam ab omni facie, pœnitentium. Fidelis Dominus in omnibus ſermonibus ſuis. Non mentitur qui dixit; Si fuerint peccata veſtra velut purpura puniceus, velut niuem dealbabo. Paratus eſt magnus ille animarum medicus, ſanare affectionem tuam. Illius verba ſunt. Illius dulce ac ſalutare os dixit. Non opus habent valentes medicos, ſed male habentes. Non veni ad vocandum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Vult Dominus purgare te à plaga maligni. Quærit te paſtor bonus, relictis ouibus non errantibus. Si commiſeris ipſi teipſam, non cunctabitur, neque dedignabitur ille hominum amator, te ſuper humeros proprios portare, gaudens quod reperit ouem ſuam deperditam. Stat ille pater, & expectat tuum ab errore reditum, ſolummodò reuertere, & dum adhuc longè abes, accurrens irruet in collum tuum, & amicis amplexibus complectetur te à pœnitentia iam purgatam, & veſtem induet primariam, animam exutam veterem hominum cum operibus ſuis, & addet annulum manibus quæ mortis ſanguinem ablucrunt, & calceamentum addet pedibus, qui auerterunt ſe à via mala, ad curſum Euangelij pacis; Et lætitiæ ac gaudij diem annunciabit ſuis tum Angelis, tum hominibus, & omnino ſplendido epulo celebrabit tuam ſalutem.*

S. Chryſoſtomus fusè & inſigniter in hanc rem hic diſſerit Parænesi priore ad Theodorum, *ab initium. Ne deſperemus, ne dubitemus de reditu ad ſuperos. Etenim cui deeſt fiducia, is fruſtra poſſidet vel infinitam ac fortiſſimam animi promptitudinem. Ianuam, enim ſibi reſpiciendi ſemel obfirmauit, & ad curriculum, aditum interclusit. Quis poteſt autem ferus manens, præclarum facinus deſignare? Quapropter malignus nihil non tentat, quò nõ nobis hanc diffidentem cogitationem inſerat. Etenim non eſt ſuadendum ei, neque à modò opus habet induſtria vt nos oppugnet, nimirum lapſos & iacentes, quibus nec reluctandi conſilium ſuperet. Qui verò vinculis magna vi ruptis receperit priſtinum robur, & in rebus iſtis perditiſſimis non eſt acturus quietem, ſedulò Diabolo reluctans, ſit vel millies lapſus, ſurget iterum, & hoſtem conficiet. Cæterum qui cogitatu deſperationis impeditus, animoque fractus eſt, quomodo abibit victor? Quomodò reluctabitur? Quin abiecto, (quod aiunt,) clypeo, mox fugam capeſſit. Caue dicas, iis tantum veniæ locum concedi, qui modicè reliquerunt. Nam finge, ſi lubet, aliquem vitiis & malitia redundantem, & patrarit omnia quæ à regno excludunt, is (vt demus,) non ſit extra fidem, ſed fidelis aliquando fuerit, acceptuſque Deo, poſtea verò factus ſcortator, adulter, mollis, pædico, fur, ebrius, calumniator, aliaque id genus flagitia ſedulo committat; equidem illis non ero deſperandi author, neque ſi perſeuerauerit ad extremam vſque ſenectam, cum infandis illis maximiſque vitiis. Quod ſi morbus eſſet ira Dei, non iniuria quis à ſpe decideret, perinde atque concitata tantis facinoribus flãma, deinceps reſtinguí nequeat. Cæterum diuinum numen, quia liberum eſt à perturbationibus, & punit & in promeritos animaduertit, neque tamen vlla vltionis cupiditate vnquam targitur.* Subiicit exempla grauiſſimorum quorumdam criminoſorum, in ſcripturis recenſita, quibus reſipiſcentibus patuit ad Deum, & ad veniam regreſſus. Tum iterat facilitatem reditus ad Deum & Religionem, quam facilitatem experimento deprehendendam eſſe conteſtatur. *Quanto tempore (inquit) ante veſtibulum oberras, optimo iure omnia tibi difficilia ac deſperata videbuntur. Ante nimirum experientiam, res facillimæ maximaque parabiles, arduæ difficultatis ſpeciem præbere ſolent: deinde vbi facto periculo paulum intro ſerpſimus, & animum praduraauimus, pro torpore, & pro deſperatione, confidentia ſubit, diminuit timorem, facilitatem auget, ſpes amplas confirmat. Propterea malignus Iudam inde ſeduxit, quominus facto feliciter initio, redierit per pœnitentiam vnde prolapſus erat. Equidem quod ſupra veri fidem aliis apparet, ne illud quidem peccatum Iudæ eſſe maius, quam auxilium quod nobis à pœnitentia venit. Quare rogo & obſecro omnem Satanæ cogitationem à ſeptis animæ procul arceas, atque ad hunc penetres portum ſalutis.*

Vni

Vniuerſa denique reliqua Paræneſi, totus ferè in eo eſt S. Chryſoſtomus, vt deſperationem procul pellat, & miſerum Apoſtatam benè animet. Vniuersè autem ad animationem cuiuſcunque peccatoris contra deſperationem, diſputat inſigniter hom. 2. in Pſalm. 50. Bracharius quoque inſigni Epiſtola ad Ianuarium pro Monacho lapſo, conuerſa in calce Epiſtolæ oratione ad ipſum lapſum, omnem lapidem mouet, vt ab eo deſperationem amoliatur.

Quæ idonea Apoſtatarum duræ frontis mollimenta. I. Mortis ſubitatio, & obitæ in Religione felicitas, cogitanda.

IAm his qui ſunt in poſteriore ordine ſuperiùs propoſito, & attrita fronte perdurant in Apoſtaſia, aliud remediorum genus eſt opportunum. Diuinis enim ſuppliciis impendentibus iam ex hac vita, terrendi ſunt, quod factum eſt à S. Ephrem Paræneſi 47. Nominatim verò vrgetur ab eo in hanc rem horrenda mortis in pleriſque ſubitatio illis verbis. *Cogitemus Frater chariſſime, nos peregrinos & aduenas eſſe in hoc ſeculo. Nam multi qui manè ſurrexerunt, non peruenerunt ad veſperam: alij autem qui cubitum veſperi conceſſerunt, non peruenerunt ad tempus matutinum. Dicentem audi: homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt. Adhuc modicum præſtolare, ac ſuſtine, frater dilectiſſime: nam qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Nemo enim nouit, an fortaſſè tempus reſolutionis noſtræ imminet: et ſi haud ob cauſam, noſtra inſoleſcunt & abundant tentationes.*

Idem obiter Theodoro ingerit *S. Chryſoſtomus Paræneſi 2. ſub finem* Nimirum dies noſtri *menſurabiles*, vt habet Dauid idest, interprete *Origene hom. xiv. Pſal. 38. quatuor digitorum*, tanta eſt pernicitas & ſubitatio mortis vnuſcuiuſque. Et contingit quidem, etiam bonos & perſeuerantes abripi interdum ſubitò, ſed quanta ſecuritate præ Deſer omnibus. Idem S. *Ephrem orat. in SS. Patres defunctos ſuit. ſi enim* deſcripta vitæ ratione quam Sancti Dei Philoſophi exigunt, ſubdit de ſubito interitu iſta. *Vbi interdum aliqui ipſorum ieiunium obſeruant, illis eodem in loco ipſis monumentum conſtruitur. Multi ex eis ſunt, qui precibus intenti, placidè atq; vnà ſuaue coram Domino requieuerunt. Alij ſimiliter in petris ac ſaxis firmati, ſuas proprio Domino animas tradiderunt. Alius ſimpliciter in monte deambulans, mortuus eſt, factuſque eſt locus ei ſimul in ſepulturam & ſepulchrum. Alius rurſus ſignans ſe Crucis ſigno, atque ſe ipſum in ſepulchro componens, quod mortem aduenisse intelligeret, ſeipſe quodammodo ſepeliuit, gratia ſui confirmatus Domini. Alius porro herbam depaſcens Domini, obdormeſcens in ſua ipſius menſa, expirauit. Alius autem rurſum in diuinis conſtitutus laudibus, à ſui ſtatûs voce abreptus eſt. Alius dum in monte Pſalmis & diuinis precibus recitandis vacat, venit ab inferis mors, quæ ipſius preces obſignat, terminatque.* Hæc ſubitatio mortis iuſtos nō opprimit, quia diſpoſuerunt, domi ſuæ tempeſtiuè. Impiis verò cuiuſmodi ſunt Apoſtatæ, & verè ſubitatio mortis, ideoque nullum debet eſſe pectus tam ferreum, quod hoc metu propoſito non molleſcat.

Putarim optimum quoque ac potentiſſimum, ſi-

ue nutantis frænum, ſiue iam digreſſi calcar eſſe debere, mortem tranquilliſſimè obitam in Religione contra quam in ſeculo accidit. Nam enim ex mortis momento omnia pendeant, nihil eſt quod conferri poſſit cum beneficio mortis quietæ & vt par eſt obeundæ. Id verò in Religione obtineri, monſtrant illa S. Chryſoſt. hom. de diſpenſandis cuiq; rebus ſuis per ſeipſum; cum agit de Monaſteriorum beatitate. *Vox itaque exultationis in tabernaculis iuſtorum. Nullus præterea ibi eiulatus aut lamentatio, vel gemitus; vacat iſtiuſmodi mœrore domicilium illud, aut vlulatu. Moriuntur ſanè inter eos nonnulli, cum haudquaquam ſint corpore immortales, neque tamen mortem pro morte ducunt. Suos enim canticis præmittunt mortuos, præcedere illos exiſtimantes, non emori. Quod è ſuis quempiam obiiſſe mortem enuncietur, gaudio ſummo, & lætitia afficiuntur: quinimo neque illum audebit quiſpiam mortuum appellare, ſed viuendi finem feciſſe dicet. Proinde gratiarum actio, diuina affatim laus, & ſuauitas oritur; optantibus ſingulis ſe talem vitæ finem habituros, eoque modo ſaculi huius certamen excedere, ab agoneque hoc, & laboribus requieſcere, & Chriſtum ipſum intueri. At ſi quis eorum ægrotauerit, nulla exprimuntur lachrymæ, nullus gemitus, ſed orationi iteratò incumbitur. Nulla medicorum manu, ſed fide tantum plerumque ſubleuatur, & ægrotus conualeſcit, quodſi vel medico opus habuerit, permagna patientia, & tolerantia præſtatur. Non adeſt præterea vxor ſoluta crines, non liberi futuram orbitatem deplorantes, non ſerui orantes & laturum mox ſpiritum, ſeſe cuinam commendatos relinquat; ſed horum omnium liber animus, vnum illud & ſolum aduertit, vti vltimo ſuo efflatu decedat Deo gratus.*

CAP. XVIII. Diatr. ... ad Medicos Apoſtatarum.

II. Iudicium diuinum.

PAſſim qui cum Apoſtatis agunt, Iudicij diuini diem, & confuſionem qua coram generis humani vniuerſitate perfundentur, illis proponunt, vt reſipiſcendo declinent tantum opprobrium. S. *Gregorius lib. 1. Regiſt. Epiſt. 33.* hinc vrget Venantium, verbis illis. [Culpam ergo tuam penſa, dum vacat, diſtrictionem futuri Iudicis dum vales, exhorreſce, ne tunc illam amaram ſentias, cum eam iam nullis fletibus euadas. Penſa quod ſcriptum eſt. Orate ne fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbato. Ad ambulandum quippè in hyeme torpor frigoris obſiſtit, & iuxta præceptum legis, ambulare in ſabbato, non licet. Hyeme ergo vel ſabbato fugere conatur, qui iram diſtricti Iudicis tunc appetit fugere, quando ei iā non licet ambulare. Dum vacat ergo, dum licet animaduerſionē tanti erroris fuge. Penſa quod ſcriptum eſt. Omne quod poteſt manus tua facere, inſtāter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapiētia, nec ſcientia ſunt apud inferos, quo tu properas. Teſte Euangelio, ſcis quia diuina ſeueritas de otioſo ſermone nos arguit, & de verbo inutili rationes ſubtiliter exquirit. Pēſa ergo quid factura eſt de peruerſo opere, ſi quoſdā in iudicio ſuo reprobat de ſermone.

Egregiè S. Baſilius ſub finem tractationis ad Virginem elapſam. *Aſſume in meditationem extremum diem (non enim ſola tu ſeculum æternum viues;) & anxietatem & ſuffocationem, & mortis horam, & ſententiam Dei vrgentem, & Angelos feſtinantes, & animam in his grauiter conturbatam, quæ à peccatrice conſcientia amarè flagellatur, & ad ea quæ hic ſunt miſerabiliter ſe conuertit; & ineuitabilem longæ illius peregrinationis neceſſitatem. Deſcribe mihi in mente tua, vltimam communis vitæ ſubuerſionē,*

CAP. XVIII. Diatriſis ad Medicos Apoſtatarum.

quum veniet filius Dei in gloria ſua cum Angelis ſuis. Veniet enim & non cunctabitur: quum veniet ad iudicandos viuos, ac mortuos, & reddendum vnicuique iuxta opus ſuum; quum tuba illa magno, & horrendo ſono edito excitabit eos qui à condito ſeculo dormierunt, & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij. Reuoca in memoriam, diuinam Danielis viſionem, quomodò nobis iudicium ob oculos ponit. Videbam (inquit,) donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedebat, & indumentum eius candidum velut nix, & capillus capitis eius velut lana pura. Thronus ipſius, flamma ignis. Rotæ eius, ignis ardens. Fluuius igneus decurrebat ante ipſum, mille millia miniſtrabant ipſi, centena millia adſtabant ipſi, iudicij locum conſtituit, & libri aperti ſunt. Bona, mala, manifeſta, occulta res, verba, cogitatus, omnia aceruatim, vt ab omnibus Angelis ac hominibus exaudiri poſſint manifeſtè reuelabuntur. Ad hæc, quales neceſſe eſt eſſe eos qui malè vixerunt? Vbi itaque anima illa mergetur quæ in tot ſpectatorum conſpectu de repentè turpitudine plena viſa eſt? Quali vero corpore infinita illa, & intolerabilia flagella ſufferet? Vbi ignis inextinguibilis & vermis indeſinenter caſtigans, & fundum inferni tenebricoſum ac horrendum, & eiulatus indecorus, & ploratus & ſtridor dentium & finem non habentia mala. Ab his non contingit liberatio poſt mortem, neque eſt aliqua induſtria, neque ars effugiendi amara illa ſupplicia. Hæc nunc effugere licet. Donec licet, nos ipſos à caſu eripiamus.

S. Chryſoſtomus paſſis velis hoc æquor decurrit Parænelis priore ad Theodorum; ſed quod eius oratio vt potentiſſima, ita & prolixiſſima ſit, ibi legi poterit. Eloquentiſſimè quoque hoc reſipiſcendi motiuum, Monacho pigro & vergenti in Apoſtaſiam, proponit *Eucher. hom. 8. ad Monachos, ſub finem.* Videnda quoque hom. de Machabeis, quæ præclarè idem verſat.

III. *Ira Dei æterna manens Apoſtatas.*

HIs autem dimiſſis quæ ab eo generaliter tantum tractantur, audiendus S. Ephrem agens cum Apoſtata Paræneſi 47. *Frater (inquit) reſipiſcamus, ad Chriſtum Dominum redeamus. Obſecro meminerimus inenitabilis tribunalis Dei, & iudicij æterni infirmitatiſque naturæ noſtræ, Ecce, quid culice minus ac vilius? Et huius minas ſufferre nequimus. Quid ergo aduerſus venenatum & non quieſcentem vermem faciemus? Veſpera porrò facta, dicet quiſpiam; Lucernam accende, quia tenebræ ſunt: At quid agemus in tenebris iſtis caliginoſis atque obſcuris? Quod ſi quis à ſolaribus vritur radiis, ad vmbram confugit. Et quid contra inextinguibilem flammam ignis, præſtabimus? ſumamus exemplum chariſſimi, à rebus quæ videntur, de iudicio futuro: In hoc ſeculo ſi malum quis egerit, & ſciatur, & in cuſtodiam à mundi huius principibus miſſus fuerit; in qua putas anxietate atque pudore, erit in eo anima ipſius? Et licet ſæpè à domeſticis atque familiaribus ei obſequia præſtentur, & à conſanguineis curetur, & ab amicis conſoletur, atque à ſibi notis ac charis aſſiduè viſitetur, hiſceque omnibus ſic perfruatur, non tamen ab ipſo dolor recedit. Denique verò poſt multa verba, ſiue per amicorum conſolationem, circumcurſationem, atque obſecrationem ſiue etiam per pecuniarum donationem, fortè ſpem concipit, ſe ſuo aliquando tempore è cuſtodia liberatum iri. At ibi qui à propriis condemnatus eſt operibus, non habet conſolatores, atque interceſſores: non circumcurſat pater, non aſſidens conſolatur mater: non ibi vxoris, & amicorum condolentia, non ibi annuntiatio bona, non fama atque auditio pacis, nec lux, nec ſonorus auium concentus; non ſolſtitiorum viciſſitudo, temporumque permutationes; non muſicorum ſonus atque lætitia: nam cuncta iſta ab impiis ſublata ſunt; pars autem eorum, contraria. Sicut ſcriptum eſt; pluet ſuper peccatores laqueos: Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit; æquitatem vidit vultus eius. Deprecemur igitur Dominum ex tota anima, vt nos in tremenda illa hora protegat, atque defendat. Nam in iis qui ſaluantur, gaudet: quippè quibus præparauit, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt Hæc mente reuolue, & ad Dominum conuertere.*

Rurſus inferiùs perelegan*ter. Non animo verſas quod ſi quis filium facinoroſum habeat, eum leges in conſpectu parentum punire decernũt, & non eſt qui ipſum ex tortorum manibus eripere poſſit? Quanto ergo magis, putas, timore omnia plena erunt in iudicio illo futuro: vbi Reges atque Tyranni, diuites atque pauperes, graui tremore detenti aſſiſtent, Deſcende ergo in te ipſum, frater cariſſime, & ne contemnas iuſtum atque infallibilem Iudicem; neque inextinguibilem vnquam flammam. Quod ſi paruipendas; vel hinc experire, an ignis aſperitatem, & tormentum ſuſtinere poſſis. Lucernam accende & extremitatem ſaltem digiti impone; etſi ferre queas dolores, fortaſſe poteris teipſum etiam ibi iuuare: Sin autem totum corpus tuum extra ignem ſit, & exigui huius membri dolores perferre nequeas: quid obſecro faciemus, quando totum corpus cum anima, in gehennam ignis proiicietur?*

Non malè quoque autor ſermonis 11. de cœna Domini apud S. Bernardum, agens cum Apoſtata cuius infeliciſſimam in peius mutationem graphicè expreſſerat. Concludit autem. *Quicunque ille eſt qui ſic commutatus eſt, ad verba mea inclinet animum, & non dedignetur audire concilium bonum. Peccaſti, quieſce, ne adiicias vltra; ſic dicit ſanctus Iſrael; ſi reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis, quia expectat vos Dominus vt miſereatur veſtri. Reuertere ergo ad Dominum Deum tuum, & placabilis erit ſuper malitiam tuam. Reuertere ad Dominum, via qua venitur ad ipſum: via cordis, via auris, via operis, via timoris, via doloris, & via amoris. Via cordis contriti, via confitentis labij, via operis recti, via timoris, ne protrahoris ad ſupplicium: via doloris, quia ſic offendiſti Chriſtum: via amoris vt ipſum iam Chriſtum perfectè diligas, qui tandiu ad pænitentiam te patienter expectat, Geme, dole, plange, plora. Non parcas tibi, vt tibi Dominus parcat. Noli indulgere tibi, vt tibi Dominus indulgere dignetur. Succinge lumbos tuos, rade capillos tuos; induere ſacco, puluescere humo, & dic Chriſto Domino tuo: O Ieſu bone, miſerere mei. Eſto mihi Ieſus, eſto mihi ſaluator meus, miſerere mei, qui pro me pium cruorem fudiſti. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia nullus iuſtificabitur homo, niſi per te ipſum ei peccatorum ſuorum tribuatur remiſſio. Non me tua iudiciaria ſententia premat, quem tua multa pietas leuat. Qui reſuſcitaſti Lazarum iam fœtentem, reſuſcita & me peccatorem iam confitentem. Qui pepercíſti peccatrici Mariæ, parce peccatrici animæ meæ: lætificaſti animam Crucifixi latronis, lætifica animam mei peccatoris. Si ſic feceris, adhuc cum Chriſto manebis, qui dicit: manete*

nete in me, & ego in vobis. Ipſe enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & ipſe in eo.

Habes hic, & modum quo bonus ſpiritualis Medicus Apoſtatam vtrouis modo propoſito ſe habentem, curare & redonare ſanitate poſſit; & quibus remediis, ſi mens ægri non læua fuerit, ei vtendum: quod quia obiter duntaxat ab his Patribus eſt tactum, pleniùs eſt exponendum, iis annotandis, quæ ex parte ſua conferre ægrum, par eſt ac neceſſarium.

CAPVT XIX.

Quæ ipſos Apoſtatas ad ſui curationem conferre par ſit. Excuſationum Præcluſio.

AD conficiendam ægro animo medicinam, præter ea quæ Medicus confert, ſubminiſtrari aliquid ab ægro neceſſe eſt, vt ægregiè diſſerit *Sanctus Chryſoſtomus homil. 2. in Pſal. 50.* Contra quàm accidit in corporalibus ægritudinibus, quarum ſanationem Medicus pharmacis ab vno ſe confectis operatur. Quia igitur de iis quæ ſpiritualis Medicus ad Apoſtatæ curationem conferre poteſt aut debet, ſatis hactenus eſt dictum, ſequitur ad medicamenti quod pro Apoſtata molimur perfectam confectionem, vt de iis quæ ex parte ſua conferre Apoſtatam par eſt, diſputationem ineamus.

Apoſtata quid de ſuo conferre, ad ſuam curationem debeat.

QVid illud ſit quod ab Apoſtata ſanando exigitur, eadem ratione exponendum eſt, qua ſanctus Chryſoſtomus loco allegato, circa illud, *Ampliùs laua me*, declarat quid ſit quod quilibet peccator ad ſui curationem debet conferre. Declarat id primum ſanctus Chryſoſtomus in Latrone ſancto, ineunte hora duodecima conuerſo, & in S. Matthæo: quorum illum (ait) ad conficiendum ſuæ ſanationis medicamentum, contuliſſe fidem & confeſſionem illam plenam miraculi, qua dilabentibus Apoſtolis, ipſe in cruce Petrus fuit, cum Petrus in domo Caïphe, latro fuerat; vt Drogo concinniſſimè de more prounnciauit. Matthæum verò (ait Chryſoſtomus) ex ſua parte contuliſſe ad ſuum medicamentum, obedientiam ad Chriſti vocem primam. Subdit poſt iſta ſanctus Chryſoſtomus. *Quemadmodùm in ægrotis ac periculoſiſſimo morbo correptis, ingentiſque pretij pharmacis opus habentibus, ſi ingrediatur medicus, atque ægrum admoneat, permultis ipſi medicamentorum generibus ad conficiendum pharmacum opus eſſe, iſque præbere ſe poſſe neget, quòd inopia laboret, dicatque medicus, hoc & illud mihi da, & ego reliqua omnia de meo ſubminiſtrabo: Eodem modo Deus quoque facit. Confeſſionem, (inquit,) & lachrymas, & pœnitētiam mihi præbe: & ego alia pro mea benignitate tibi largiar: hoc ergo etiam Dauid rogat, vt Deus videlicet peccata ſua abluat, cum ait miſerere mei; & ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quaſi diceret. Iam quidem per Nathan prophetam remiſſionem mihi dediſti, atque omnis generis calamitates, tanquam vſtiones quaſdam mihi adhibuiſti; verùm ablutionibus adhuc opus habeo, vt qui ingentem fœtorem ex peccato contraxerim. Quamobrem, O here rurſùm me ablue, vt omnem peccati triſtitiam abradas. Quid igitur viciſſim præbuit Dauid? quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Contractus quidam ac viciſſitudo eſt. Dat Deus: dat item ille cui ſalus affertur. Deus miſericordiam dedit: confeſſionem viciſſim is dedit, qui ſalutem accepit: Quid tribuis Dauid, vt ſalutem accipias, atque vt pharmacum miſceam? quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.*

CAP. XIX. *Symbola Apoſtatæ ad ſui curationem.*

Intelligere ex hac Chryſoſtomi oratione ad rem noſtram aduocata, licet, quid illud ſit quod Apoſtata pendere de ſuo, debet ad confectionem eius medicamenti quo curandus eſt. Nempè vt ſuppoſita Dei præuentione quam familiare eſt ſonanti exteriùs prædicationi & adhortationi Spiritualis Medici ſubiungi, ſubinferat ſic tactus æger, agnitionem & confeſſionem peccati ſui, illamque pœnitentiæ lachrymis perfundat. Pœnitentiam porrò lapſæ & elapſæ virgini cum indixiſſet Auctor antiquus apud *Ambroſ. lib. ad Suſannam lapſam cap.* 8. ſic eam deſcribit. *Secundùm conſcientiæ molem exhibenda eſt pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda eſt, ſed & actu. Hæc autem ſic agitur: ſi tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit: & ſi te iam credas propè ipſas poſitam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium ſine fine. Cum hæc certa fide; (ſicut eſt,) animo conceperis, quia neceſſe eſt præuaricatricem animam Tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt baptiſmum quàm pœnitentiæ ſolatium, quantamuis afflictiorem, quantumuis laborem ſubire, eſto contenta, dummodò ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprij facti tu ipſa iudex eſto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi eſt, & quaſi mortuam te exiſtimans, ſicut es, quomodò poſſis reuiuiſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens ac membra ſingula, digna caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt: defluant oculis lachrymæ, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt: palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè: denique totum corpus iniuriis maceretur: cinere aſperſum & opertum cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit. Cor verò ſit liqueſcens ſicut cera, ieiuniis ſeipſum inquietans, & cogitationibus ventilans, quare ſit ab inimico ſubuerſum. Senſus etiam crucietur, quia in membra corporis cum haberet dominationem, malo ceſſit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ ſi fuerit perſeuerans, audebit ſperare, etſi non gloriam, certè pœnæ euacuationem. Dicit enim Deus; conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Gloria, quam ſperandam negat, eſt virginitas, à qua exciderat illa cum qua hic Auctor agebat. Eſſe autem virginitatem irreparabilem, veriſſimè dixit Sanctus Hieronymus, nec benè negauit Petrus Damiani Opuſculo de Dei omnipotentia. At gloriæ æternæ ius, cum gratia acquirit qui reſipiſcit, conferens de ſuo propoſitam pœnitentiam.

Formula ex qua poſcere debeat Apoſtata in hoc conſtitutus articulo hæc peti poteſt ex lib. 5. vitæ Patrum interprete Pelagio ad finem libelli quinti. *Miſerator & miſericors Dominus, qui & barbaros ſaluare vis, & ad veritatis agnitionem venire, ad te confugi fidelium Saluatorem, miſerere mihi qui te*

CAP.XIX.

Symbola apoſtatæ ad reſipiſcentiam.

plurimùm exacerbaui. Inimicum gaudere feci, & ecce mortuus ſum, obediens ei. Tu domine qui & impiis, & his qui ſunt ſine miſericordia miſereris, ſed & proximis miſericordiam impendere præcipis, miſerere humilitatis meæ. Apud te enim impoſſibile nihil eſt; quoniam ſecus infernum diſſipata eſt ſicut puluis anima mea. Fac miſericordiam, quia benignus es & miſericors, figmento tuo, qui & corpora quæ non ſunt, in die reſurrectionis reſuſcitaturus es. Exaudi me Domine, quia defecit ſpiritus meus, & infelix anima mea. Tabefactum eſt etiam corpus meum, quod coinquinaui. Et iam viuere non valeo, pro eo quòd non credidi. Ignoſce peccatum per pœnitentiam, duplex habenti peccatum ex deſperatione. Viuifica me contritum, & igne tuo præcipe hanc lucernam accendi. Vt & ego accipiens fiduciam miſericordiæ & indulgentiæ tuæ, per reſiduum tempus vitæ meæ, quod mihi donaueris, mandata tua cuſtodiam, & à timore tuo non recedam, ſed deuotè ſeruiam tibi ampliùs quàm priùs. Poſcebat hic pœnitens, ipſa nocte Reſurrectionis Dominicæ, vt pro non frequenti in antiqua Eccleſia miraculo, lucerna igne cœlitus immiſſo, citra humanam operam accenderetur, in ſignum acceptæ Deo pœnitentiæ. Et bonus Dominus, orantem, poſt tertiò repetitam precationem, non eſt aſpernatus, & accenſa eſt lucerna. Quilibet Apoſtata, eandem precationem vſurpare, tanquam concipiendæ pœnitentiæ formulam poteſt, lucernam mentis cœleſti igne accendendam intelligens.

Aliam non minùs aptam formulam ſuppeditat his verbis *S. Ephrem Paræn. 42. in fine.* [Accede ad Patrem miſericordiarum & confitere peccata tua cum lachrymis dicens peccaui in cœlum & coram te Domine Deus omnipotens, & non ſum dignus vocari, Filius tuus, neque ſurſum aſpectum tollere, & cernere altitudinem cœlorum præ multitudine iniquitatum mearum, neque nomen tuum glorioſum nuncupare labiis mei peccatoris. Nam cœlo & terra indignum me reddidi, quia te Optimum Dominum exacerbaui. Precor obteſtorque Domine, ne me à facie abiicias, neque recedas à me, ne miſer peream. Niſi enim me tua gratia protexiſſet, jam ego periiſſem; & eſſem inſtar pulueris ante faciem venti, & quaſi nunquam in hac vita apparuiſſem. Nam ex quo vitam tuam dereliqui, nullus hîc mihi bonus occurrit dies. Qui enim in peccatis melior vnus eſt dies, acerbiſſimorum extitit acerbiſſimus. Verùm deinceps ſpero fore, vt gratia tua quæ me confortat, conſulat ſaluti meæ, nunc que ad te ſupplex recurro, obſecrans vt me à iuſtitiæ aberrantem via, ſuſcipias. Effunde in me miſerationum tuarum multitudinem ſicut in filium olim effudiſti prodigum, quia vitam meam dedecoraui diſſipatis diuitiis gratiæ tuæ. Miſerere mei Deus, & ne vitæ memineris meæ quæ ad extremam redacta eſt vilitatem. Miſerere mei ſicut olim Peccatricis & Publicani es miſertus. Miſerere mei ſicut commiſeratione tactus es latronis. Nam is in terra cum eſſet, ab omnibus reprobatus eſt: At tu eum ſuſcepiſti, & deliciarũ paradiſi, incolam feciſti. Quare & meam inutilis tui ſerui pœnitentiam ſuſcipe. Nam & ego à cunctis ſpretus ſum atque reiectus. Aduenisti enim Domine, non vt iuſtos, ſed vt peccatores vocares ad pœnitentiam.

I

Pœnitendi modus & ordo, Apoſtatæ reuenienti, tenendus.

ORdinem exhibendi quæ apoſtata reſipiſcens debet de ſuo conferre, notauit accuratè *Richardus Victor. lib. 1. de erudit. inter hom. cap. 27.* Multis enim de ſtatuæ myſticæ contritione, & percuſſione diuina præmiſſis, ſubdit. *In hunc itaque modum redarguitur, & infima ſui parte percuſſus fuerat, & per eiuſmodi percuſſionem ſeipſum contra ſeipſum erexerat, qui dicebat; Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper. Sed poſtquàm ferrum & teſta conteritur, etiam cætera conteruntur. Tunc contrita ſunt, (inquit,) pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum. Vidiſti ſuperius quibus gradibus bonitas defecit, creuit peruerſitas. Vide nunc quomodo gradatim proficiat totius bonitatis fundamentum, humilitas. Priùs erubeſcimus vera mala, poſtea ficta bona. Nouiſſimè etiam vera bona, cum ſint imperfecta & inconſummata. Sic ſanè primùm conteritur ferrum & teſta; deinde membra ærea, nouiſſimè argentea & aurea.* Sic igitur conteritur ſtatua iniquitatis, & homo internus reformatur per reſipiſcentiam.

Inſignia item ſunt, quæ circa pœnitendi modum & ordinem, Monacho apoſtatæ ſic præſcribit Brachiarius Epiſtola ad Ianuarium alloquens lapſum. *Sed cur Frater, adhuc iacendi te torpor delectat? Surge quia medicus venit, qui dicit ſecandas eſſe putredines peccatorum, & poſt hoc curandam plagam ipſius cicatricis. Quid expaueſcis, quid refugis curam? Qui haſtam Zaboliticam quæ ſexcentorum. Siclorum pondere prægrauatur, nequaquam veritus es, nunc ſubterfugis cultellos Euangelici ferramenti? Qui ignem inimici flammaſque perpeſſus es, cur ignem Domini, hunc quem venit mittere in terram qui conſumet fœnum, & ſtipulam, & ligna, formidas? Abſcinde à te patrem conſuetudinis voluntatem. Preme renes tuos, & cor tuum, damna inimicam tuam corporis ſpeciem, per quam aut ipſe deceptus es, aut alios decepiſti. Horreant extrauita membra ieiunio, & cilicium quod ſordida ratione pollueras, pro tegmine habere conſueſcas, vt cum affectu eius atque aſperitate compurgeris, ſemper peccatorum tuorum ſtimulos recorderis: Timet in te vitulum ſuum Moyſes, per quem luxuriatus es in eremo, ideſt carnem tuam, legis ac ieiunij diſciplina conficiat, vt ad nihilum redacta teneatur. Legiſti credo, iraſcimini & nolite peccare, ita & tu iraſcere peccatis tuis, vt vltra non pecces, præueni vltricis gehennæ ſaua tormenta; & ipſe tibi tortor exiſte; vt cum venerit, nihil inueniat quod in te poſſit punire inimicus: ſi venerit paſſionis occaſio, memento qualiter tibi ſub Regis tui præſentia dimicandum ſit, vt culpam emendare poſſis deſertoris & refugi. Si verò forſitan defuerit huius felicitatis occaſio, ipſe tibi in te, ipſe tuus poteris eſſe perſecutor, vt ſicut Apoſtolus dixit, per omnem mortem conſtituas te Deo. Ingredere monaſterij tui carcerem, & tenebras ſolitudinis, quibus ad lucem perditam reuoceris, exquire. Sit tibi fames pro gula, ſitiſque pro flamma, vt manu carnificis voluntatis, per abſtinentiæ pœnam, coſtarum compago nudetur viſceribus ſit & pro ſupplicio, ignis. Internas oſſium medullas, dura ſitis depaſcat, incendium; ſit tibi vigilia velut officiorum cuſtodia publicorum; ac ſicut catena rigentis ferri, ſic duriori conſuetudine & lege conſtrictus ſub*

imagine

imagine martyrij, veniam miſericordiæ cæleſtis expectia.

Hoc igitur eſt, quod debet de ſuo conferre Apoſtata vt ſanetur. Eſt quidem hoc pertenue & tantillum. Sed cum non habeat præterea Apoſtata quod conferat, feciſſe ſatis putabitur, ſi id paſſillum ſubminiſtret. Quo autem minus & exilius eſt quod ab eo poſcitur, eo damnabilior erit, ſi id præſtare neget, & auerti velit auerſione impudenti, cui Dominus dicit *va*, ait *Ambroſius in Pſal. 36.* ad illud *cum ceciderit, non collidetur.* Vocat auerſionem impudentem, qua quis lapſus & auerſus à Deo, fit frontis perfrictæ obfirmatur in ſcelere, ita vt nolit redire, aut peccatum ſuum gemitibus, ac confeſſione lachrymis rorante diluere, præſertim ſi non ex animi puſillitate, quam mœror nimius poſt diſcuſſas peccati nebulas; intulerit; ſed ex amore licentiæ & ſolutæ omni vinculo effrænationis obduretur. Sic quippè affectæ menti, verè impudenti, meritò denunciatur *væ*; nec vnum ſed multiplex, & in hac vita & maximè in altera; ni tandem aliquando mutetur; & quæ erat arida, fiat in ſtagnum, & rupes in fontes aquarum.

Vt autem lachrymæ non ſint crocodilinæ, & dolor non ſit mendax atque confictus, abrumpenda imprimis ſunt peccati vincula, & perfringendi (ſi qui interuenerint,) compedes à peruerſa & ſacrilega neceſſitudine. Volo dicere, ſi contigerit, Apoſtatam (quod frequentia eſſe docent exempla in regionibus ſoluti ac laxati rigoris iurium) ſpecie coniugij illigari fœminæ, faciendam ante omnia eſſe abiunctionem; nec illa ſpe condonationis Pontificiæ, (quæ certo ſemper negabitur,) fas eſſe eo visco diutius implicari, etiamſi prolis ſuſceptæ charitas, & dulcedo mortifera diuturni cum muliere conuictus, ad perſtandum in fœdere nefario pelliceret. Nuper, hoc eſt nondum exacto triennio Lugduni contigit caſus vnius de ex toris Ordinis ſanctiſſimi in quo per annos quatuordecim hæſerat; Sacerdotio in eo initiatus, & Euangelicæ prædicationis munere aliquot annos perfunctus; Is abiecto denique cucullione, adhæſit mulieri, eaque morti concedente, alteram ſpecie ſecundi coniugij accepit. Cumque ſcintillæ nefarij ignis erupiſſent, & ſcelus non poſſet celare aliquos penitiùs rem ſcrutatos, prætextu exorandæ à Pontifice veniæ Romam petiit, anno magno piaculari 1650. Regreſſus vero domum, mentitus eſt amicis illis ſecretorum eius conſcius, ſe Pontifici & peccatis confeſſum, ab eo impetraſſe multis lachrymis, vt ſacerdos licet & Religionem ſolemniter profeſſus, poſſet cum muliere cui conſueuerat, porro pergere; conteſtante Pontifice, ſe quidem ægrè id concedere, ne tamen anima periret, annuere. Impoſuit eo mendacio Apoſtata, non modo iis quos dixi, amicis ſed etiam eos Theologos non nemini. Mihi verò qui Romæ aderam quo tempore ille Romam peruenit; & certus eram, ipſum non fuiſſe à Pontifice de peccatis auditum; imo non niſi e longinquo vidiſſe Pontificem.; moris autem Romani in laxandis tantis vinculis, non eram rudis, non eſt à mendaciloquo impoſitum. Et Deus iuſtus iudex, non ita multo poſt, quale ſcelus eſſet veluti patientia numinis præſtolantis ad pœnitentiam ſeriam, horrendo miſeri exitio demonſtrauit. Nam per calores æſtiuos ad Ararim progreſſus in fluuio cui ſe immerſerat natans rudimento apoplexiæ correptus; nec abſque labore eductus in cymbam ſubita & improuiſa morte defunctus eſt; ita ipſa cymba inexpiatus ac ne ſignis quidē ex his tibi ad ſpem de eo bonam concipiendā idoneis. Sic miſer efflauit animam, vtinam ex aqua ad ignem æternum non abductus. Hic, ſi apoſtaſiæ ſuæ genuino dolore actus fuiſſet, imprimis à prætenſæ vxoris (reuera ſcorti) conſuetudine abiungi debuiſſet. Vel ſi ad extrema deueniſſet compos ſui, opus fuiſſet eum deteſtari talem ſuam anteriorem conſuetudinem, & inde ſuſceptam prolem ſpuriam agnoſcere; quod memini ante annos quadraginta in tali euentū ab Papa Caluiniano antea Apoſtata Eremitano Nemauſi factum, & quod pro miraculo eſſe poſſit, vigente ex liberis illis vno, cui patris ſalus pluris fuit, quam genitalis illius notæ probroſæ, inuſtio.

CAP.XIV.
Symbola apoſtata ad ſui curationem.

Contrarium, (hoc eſt fas eſſe in eo quaſi coniugali fœdere hærere Apoſtatam) tradidiſſe videri poteſt S. Auitus Epiſtola 4. quæ eſt ad Gundebadum Regem, à quo interrogatus fuerat de identitate pœnitentiæ momentaneæ hoc eſt breuiſculæ, vix vlla ſatisfactione cumulatæ qualis eſt quæ ſub mortem concipitur. Reuera tamen S. Auitus, ſi attentè legatur, nullatenus fauet Apoſtatis, imo eos diſerte proſcindit. Ad quæſtionem namque propoſitam ſub diſtinctione reſpondet, eo imprimis ſuppoſito, quod ſi æger ſanitate reſtituta, negligat pœnitentiā acceptam, vel fiat canis reuerſus ad vomitū; [Qui veniabilius onerabatur fragilitate peccati, plectibilius opprimendum eſſe abuſione remedij, & dicetur illud quod Ananiæ in Actibus Apoſtolorum; *Nonnè manens tibi manſerat, & de promittendo in tua poteſtate pendebat. Melius eſt autem*, vt ait Propheta (imo Siracides c. 5.) *non vouere, quam vouere, & non reddere.* Vnde contraxit conſuetudo ſermonis, vt donec quiſque noſtrum votum compleat, *voti reus* dicatur.] Infert inde S. Auitus, quoad coniugatos illis qui in ægritudine graui vouiſſent abſtinentiam à coniugio, quæ ſtatui pœnitentium nexa erat, (vnde abſque conſenſu alterius partis imponi vetatur in Concilio Arelatenſi 2. cano. 22. & in Aurelianenſi 3. cano. 24.) & tamen ſanitate recuperata reuerſi eſſent in idipſum; ſi denuò in grauem morbum inciderent, & leuitatis ac voti in priore ægritudine emiſſi, malè violati eos pœniteret, abſolutionem non eſſe denegandam ante obitum, neque ſuffragia poſt mortem. De his enim in vſu coniugalis copulæ repertis poſt votum ſimplex caſtitatis, agit S. Auitus. Fortaſſis etiamſi eſſent compertæ incontinentiæ, magnā eis indulgeri perſeuerātiam in vſu coniugij. Nam talibus aliqui Patres, fuere autores, vt poſt votum ſimplex matrimonio iungerentur. Ita S. Hieron. Epiſto. 47. & S. Auguſt. l. de Sancta Virgin. c. 34. Videſis Bellarminum l. de Monach. c. 34. ad 18. Sic igitur ſtatuit S. Auitus de coniugibus voto continentiæ illigatis in graui morbo, & recuperata ſanitate in cœnum reuolutis. Quoad Religioſos vero ad extrema deductos, in ſtatu nefario per vmbrā connubialis fœderis deprehenſos, ſic pronunciat; S. Auitus appoſitiſſimè ad reſolutionem à nobis datam. [E contra ſi profeſſam compunctionem ſeculo retrahente vacuauerint; quaſi iam Apoſtatas, ideſt à ſtandi firmitate deciduos, neceſſe eſt à communione ſuſpendi. Cum melius ſit manere intra quantulamcumque ſalutem humilitate mediocrium, quam ipſam ſalutem ex toto deſtrui violatione ſummorum; & tutius inueniatur cum honeſtate in Matrimonio viuere, quam caſtitate mentita, illicitis licita maculare. Quod præuidens Apoſtolus, & viduas quæ primam fidem irritam fecerint, maiorem damnationem denuncians ſubituras, perſonas legitimi atque irreprehenſibilis

ſibilis

CAP. XIX. *Symbola Apoſtatæ ad ſui curationem.*

ſibilis thori pace deuinctas, vacare orationi ad tempus, ac rurſus in idipſum regredi ſinit: *ne ſatanas* (inquit) *per incontinentiam illorum teneret* in promiſſione perfidos quos in carne non vicerat coniugatos.] Expendit S. Auitus, horum (Religioſorum deficientium & pedicis quaſi nuptialibus ſe implicantium,) ſcelus; quia contra deſponſam Deo continentiam peccant melius que eis fuiſſet in ſtatu viliore coniugatorum hærere, quàm ad ſtatum perfectionis ſe per vota obligando concidere. Vt autem inſiſtant in volutabro luti in quod miſerè deciderint, nullatenus aſſentitur S. Auitus. Qui autem verè eos amauerint, & manentis eos diuinæ vindictæ conſcij fuerint, autores illis ſemper erunt, vt recognoſcant in multo mærore vias ſuas, & lachrymis ſingultibuſque non temperent.

Vanæ excuſationes Apoſtatæ, quominus de ſuo prædicta conferat, excluſæ?

MOtiua ad id ſtimulantia & vrgentia Apoſtatam, ſunt permulta. Sed quod Medici ſit ea proponere ægro, & ingerere, ac recuſanti, quoque inculcare, ſuperius ſunt propoſita, cum de Medici in hanc curationem partibus, ſermo eſſet. Quare nunc in eam incumbemus operam, vt quæ interdum Apoſtatæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, deprehenduntur conferre, inania eſſe obtendicula demonſtremus. Sic enim nihil erit quod eos affigere luto poſſit, ne emergant.

Sunt autem hæ excuſationes, eædem magna ex parte cum tentationibus quibus votum etiamnum conſiſtens labefactatur. Nam quibus cauſis aliquid efficitur, iiſdem fere conſeruatur & continuatur in eſſe. Quidam igitur cauſantur, eorum quos deſeruere improbandos mores; indeque & defectionem excuſant, & regreſſionis impoſſibilitatem prætendunt. Alij iugum Religioſorum nimis durum, & ſupra ſuas vires aſperum, cauſlantur. Quidam ſpecie bonorum quæ geſturi ſibi videbantur extra Religioſam familiam, ſunt ad ſeculum reducti, & in eo retinentur. Sunt quibus carnis cura remoram iniicit, & in ſtercoribus voluptatum queis extra Religioſa ſepta frui poſſunt, volutari vlterius volunt; receptui, (vt ipſis quidem videtur,) canturi cum exſatiati longo vſu fuerint, & faſtidium eorum obrepſerit, in quæ nunc œſtro potiùs ac rabie, quàm appetitione feruntur. Quoſdam pudor improbandus, ſubortus poſt æſtum quo culpa admiſſa eſt, retrahit à regreſſu. Omnes has cogitationes, & excuſationes hominum, ſcit Dominus quia vanæ ſunt, nec erit difficile id ſigillatim demonſtrare.

Contra cauſantem, eorum quos deſeruit, peruerſitatem.

PRimum quod obſtinatæ negationi regreſſus, à pleriſque Apoſtatis obtenditur, refellit validiſſimè S. *Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap. 22. additur c. 16.* Euincit ibi S. Baſilius huius prætextus inanitatem. Cur enim qui eiuſmodi vmbram æquitatis obtendit, non potius conſideret quæ in Religione ſunt optima, & multos, benè ac ex Dei ſententia viuentes: Sic enim Noe, non exiuit de mundo, tametſi tunc inquinatiſſimo. Sed & Lot inter ſpurcitias deteſtabiliſſimas Sodomorum, purus ac incontaminatus permanſit. S. item Petrus iuſſit Chriſtianos non de mundo exire, ſed lucere in eo, vt luminaria. *Tu verò* (ſubdit è contrario S. Baſilius huiuſmodi deſertorem alloquens) *cum in animo deſertionem cogites & Spiritus ſancti reuelationem machineris, fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel ſit, vel abs te confingitur, cauſaris, & improbitati iſti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores, ſegnities contegendæ, fratrum calumniam quaſi velamen oppandis? Verùm enimuero qui eiuſmodi eſt, is in concordiæ vinculo Spiritus ſancti acquieſcat, quo ſe in cæleſti partu primis veluti faſciis inuoluit, ad frugem meliorem iſtis reuocatus exemplis. Neque ſi fortè contegerit vnum aliquem de iis qui in manu digiti ſunt, læſum ex dolore aliquo laborare, idcirco continuò etiam alius pertinaciter ſe præcidi iubebit: ſed contra dolorem primum amputationis fugiet: dein etiam conſtantiſſimè aſſiſtet, vt illius quoque qui in periculo ſit, officium corpori poſſit præſtare, ac non naturalibus omnino priuata ramis manus, proprio ac natiuo ſuo decore ſpolietur. Transfer ergo ſimilitudinem ad Monachum.*

Egregiè S. Auguſtinus in Pſal. 99. propoſita deliberatione eius qui vt benè ſibi eſſet, & ſocietatem improborum declinaret, Monaſterium adire conſtituit, reſpondet. *Modo ne ſecurus laudes quamlibet vitam. Ante mortem ne laudes hominem quemquam. Hinc autem falluntur homines, vt vel non ſuſcipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur, quia cum laudare volunt, ſic laudant, vt non ibi dicant mala quæ mixta ſunt: vt & qui vituperare volunt, tam inuido animo & peruerſo vituperant, vt claudant oculos aduerſus bona, & ſola mala quæ ibi vel ſunt, vel putantur, exaggerent. Inde fit, vt vnaquæque profeſſio malè laudata, ideſt, non cautè laudata, cum inuitauerit homines laude ſua, inueniant illi qui illuc veniunt, aliquos quales ibi eſſe non credebant, & offenſi à malis, reſiliunt à bonis.* Oſtendit id valere in quouis ſtatu. Tum regrediens ad Monaſteria ſubdit. *Sic & in illa vita communi fratrum, quæ eſt in Monaſterio, magni viri ſancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde viuunt, cum lectione illis res eſt. Laborant manibus ſuis, inde ſe tranſigunt, non auarè aliquid petunt. Quidquid enim infertur à piis fratribus cum ſufficientia, & cum charitate vtuntur; Nemo ſibi vſurpat aliquid quod alter non habeat. Omnes ſe diligunt, omnes inuicem ſe ſuſtinent. Laudat qui neſcit quid interiùs agatur, qui neſcit quomodò illo vento intrante, etiam naues in portu colliduntur. Intrat quaſi ſecuritatem ſperans, neminem quem toleret habiturus; Inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non poſſent, niſi admitterentur, & neceſſe eſt vt primo tolerentur, ne fortè non corrigantur; Nec excludi facile poſſunt, niſi prius fuerint tolerati: & fit ipſe intolerandæ patientiæ: Quis me huc quærebat? Ego putabam quia charitas eſſet hic, & paucorum hominũ moleſtia irritatus, dum non perſeuerauerit implere quod voluit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Iam verò cum inde exierit, fit & ipſe vituperator & maledicus, & dicit ea ſola, quæ quaſi ſe pati non potuiſſe aſſeuerat, & aliquando vera, ſed vera mala malorum, toleranda ſunt, propter ſocietatem bonorum.* Subdit latè & optimè, omnem profeſſionem habere & bonos, & malos: & ſeruandam eſſe propter bonos admixtos, patientiam erga malos.

Audiendus quoque in hanc rem *Petrus Bleſenſis Epiſtola* 80. ſic diſſerens. *Fama eſt, quod velis interdictum petere de migrando, atque ſalutata à primo limine congregatione ſanctorum, dicis, quod inuidiam tuo demus, & periculum in falſis fratribus*

bus ſuſtinere non potes. Vel nulla vel fruſtratoria eſt tui receſſus occaſio, cui cedere debuiſſet ad gloriam, habere vnde æmulus inuideret: nam ſolos miſeros ignorat inuidia. Virum fortem excitat ad virtutis exercitium, alieni liuoris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit inuidia detractorum. Iacob, qui in baculo ſuo Iordanem tranſierat, non rediiſſet cum duabus turmis, niſi eum inuidia Eſau agitaſſet. Ioſeph non imperaſſet Ægypto, niſi ipſum fratrum inuidia vendidiſſet. Scriptum quippè eſt, Abel eſſe non poteſt, quem Cain malitia non exercet. Inuidebat fortè tibi aliquis, ſed habebas vindicem tuum; Et qui aduersùs innocentiam tuam erigebat tormenta inuidiæ, ſuum gerebat in mente tortorem. Excurrit latè inuidiæ infamiam. Tum concludit. *Nihil in te glorioſius video, quam quod habes inuidos, quod odientes te affligis & vris, atque in deliciis tuis crucias inimicos. Vereor tamen, ne aliud quam inuidia fratrum, te excludat à clauſtro Noui enim tui animi leuitatem: & ſi publicæ voci creditur, non inuidiam clauſtralium fugis, ſed ſæcularium ſequeris voluptatem. Vide ne ſub prætextu maleuolentiæ alienæ, tuam velis palliare malitiam; & egrediendo clauſtrum, ingreſſum tibi prepares ad gehennam.*

Aduersùs querentem de iugi Religioſi importabilitate.

QVi negando regreſſui ex apoſtaſia, obtendunt aſperitatem iugi Religioſi, tantum non impingunt Chriſto mentitionem. Nam Chriſtus onus ſuum leue eſſe dixit, & iugum ſuaue. Iugum autem & onus Religioſæ vitæ, eſſe iugum & onus Chriſti ne ipſi quidem apoſtatæ audeant ire inficias. Quare vt in ſimili argumentatus aliquando eſt S. Bernardus, vel Chriſtum falli neceſſe eſt, (quorum verborum vel nuda prolatio, deprecatione indiget:) vel quod indubitatum eſt, aſſerere conuenit, decipi qui iſta obtendunt. Sed audiamus Chryſoſtomum 1. ad Theodorum Paræneſi, hanc excuſationem validiſſime deſiicientem, his verbis. *Sed forſitan naturali infirmitate tentabimus crimen obtegere, nec potuiſſe nos ſuſceptum iugum ferre dicemus. Et qualis hæc excuſatio erit, iugum nos placidum non valuiſſe ſufferre, onus non potuiſſe portare, quod ipſe vocauerit leue. Imò graue & onceroſum pondus putare, quietum laborem ad quem nos Chriſtus inuitat, dicens: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Et rurſus: Tollite iugum meum, quia ſuaue eſt; & onus meum leue eſt. Quid enim leuius eſſe dices ac melius, quam ſolicitudine ſeculari, & laboribus & metu exui, quam ab iſtius mundi fluctibus ſegregari, & poſſidere placidi tranquillique portus ſecuritatem? Agè proſpiciamus quid in hoc ſeculo nobis beatum, quid optabile eſſe videatur. Sine dubio dignitatem & opes dices, & ambitionis humanæ felicitatem. Sed quid his miſerabilius erit, ſi ea libertati Chriſtianorum volueris comparare?*

Monſtrat deinceps ſigillatim, nihil eſſe in propoſitis ſeculi beatitatibus, non refertiſſimum ærumna atque angoribus; ac proinde ſatius eſſe ſolida Religioſæ vitæ tranquillitate, & quantum in hac vita fas eſt, felicitate potiri, quàm fœculentias neſcio quas captare, innumeris conditas inſuauitatibus. Nec maiores Satanæ infeſtationes in Religioſos quam in Seculares, fouere debent apoſtatam in ſeculo: Hæ enim maiores infeſtationes inde ortum habent, quod Religioſis tantum bonum inuideat, quanto potiuntur. Seculares autem per ſe in malum præcipites, vrgere deſpicit Diabolus, vt ratiocinatur *Petrus Bleſenſis ſerm. 21. in fine.* At ne ignauiſſimo quidem, remorandi occaſio præbetur, ob aliquam ex flabris Satanæ difficultatem ex tanta ſtatus dignitate oriundam, & cum tanto fructu coniunctam.

CAP. XIX. *Symbola apoſtata ad ſui curationem.*

Non minùs fortiter eandem in peccato excuſationem repellere licet oratione *Petri Bleſenſis Epiſtola 13. in fine. Ama quæſo Clauſtrum, & abſcinde ab animo tuo deſiderium exeundi. Nam iuxta ſententiam cordis mei, ſi paradiſus in hac vita præſenti eſt, vel in clauſtro eſt, vel in ſcholis. Quidquid enim extra hæc duo eſt, plenum eſt anxietate, inquietudine, formidine, ſollicitudine, & dolore. Tu verò neſcio quam ſeculi dulcedinem ſomniaſti in clauſtro, quam ſi fortè per inſipientiam apprehenderis, auolabit vt ſomnium, & inter nugatorias beatitudines, quas ſuſpiras, inuenies te deluſum.* Agit cum Nouitio, ad ollas carnium quas in Ægypto abiecerat ſuſpirante, prætextu huius obtendiculi impietatis, in quo verſamur. Sed par eſt ratio, in re noſtra.

Simile eſt, etiamſi alio verborum ſchemate propoſitum, quod S. Bernardus ſermone 1. de Dedicatione Eccleſiæ, Religioſam crucem, malè oculatis, videri dixit crucem tantùm; perſpicacibus autem iniuncta apparere & eſſe, cuiuſmodi ſunt cruces quas in Eccleſiarum Encœniis ſacro oleo illinit Pontifex. Quo etiam *Petrus Cellenſis lib. de Panibus cap. 26.* traxit illud *Deuter. 33. Pes in oleo, ferrum in pedibus eius.* Præterea contra hunc, vt interpretatur timorem nocturnum, egregiè diſſerit *S. Bernardus ſerm. 6. in Pal. 90.* nec non Helinandus Epiſtola ad Gualterum apoſtatam, ex qua fragmentum retulit *Ioannes Nider lib. 1. de Reform. Relig. cap. 4.* quod bona fide repræſento. *Quid (inquit Helinandus) ordinem noſtrum accuſas intolerabilis duritiæ? Profectò non ordinis, ſed accuſantis eſt vitium. Neque enim ordo ita durus eſt, vt ſit inacceſſibis duritiæ, aut importabilis, aut contra naturam, alioqui nec ordo eſſet: ſed tu fluidus es. Præterea quid magis ſecundùm naturam quàm ordinatè viuere? At nulla vita ordinatior, quam noſtra. Ibi enim omnia in numero, & pondere, & menſura diſponuntur. Ibi cibus, & quies, & ſomnus ad ſufficientiam naturalem indulgentur. Ieiunia verò & labores, & vigiliæ, à nemine vltra vires extorquentur: ſed omnia in menſura fiunt. Simplici enim victu & veſtitu, vita ſuſtentatur, natura fouetur, conſeruatur, ſanitas. Denique quid naturalius, quid ſanius illo cibi & potus genere, ad cuius apparatum ſola natura & coquus & medicus eſt? Quis pane triticeo & leguminibus benè coctis famem non expellat? Ieiunus ſtomachus, raro vulgaria contemnit. Anima ſaturata, calcabit fauum: anima verò eſuriens, etiam amarum pro dulci habebit. Parabile enim eſt, vt ait Seneca, quod natura deſiderat, ad ſuperuacua ſudatur. Taceo quod ad ſeruandam ſanitatem nihil eſt efficacius, quàm cibi & potus identitas conſeruata. Varia enim fercula, variarum ſunt naturarum. Omnis autem talis varietas, parit humorum repugnantiam & omnis humorum repugnantia, repugnat ſanitati. Vnde elegantiſſimè & prudentiſſimè reſpondit quidam de noſtris adoleſcentibus Bellnacenſi Epiſcopo, eum interroganti, vnde contingeret, quod ſanior & pulchrior eſſet in clauſtro, quàm ſolebat eſſe in mundo: Quia, (inquit,) vniformiter viuo, & decenter. De quorum primo habeo, quòd ſanus ſim. In ſeculo autem, viuebam tam deformiter, quam multiformiter: de quorum primo, turpitudo naſcitur,*

etiam

CAP. XIX. *Symbola Apoſtatæ ad ſui curationem.*

etiam corporalis; de ſecundo, ægritudo. Perrexitque Epiſcopus quærere, dicens. Quid ergo comediſti hodie? ſatis, (inquit) quid heri? ſimiliter ſatis. Non quæro (inquit,) de quantitate, ſed de qualitate. Quid comediſti heri? quid hodie heri, (inquit), comedi piſa & oleva; hodie olera & piſa; cras autē comedā piſa cum oleribus, poſt cras, olera cum piſis. Refert iſta quoque ex Helinando, *Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtoriali lib. 29. à cap. 136.*

Faciunt eodem, quæ de virtutis ſumma facilitate in lege Gratiæ, prolixè tradit S. *Chryſoſtomus hom. 13. in ad Rom.* ad illud *qui in carne ſunt. Et ſerm. 2. in ad Epheſ.* ante partem moralem, & *hom. 14. in 1. ad Cor.* ad illud, *quid vultis, in virga veniam?* Quid verò timere iure poſſit, aut qua ex parte horrere ad Religioſi iugi difficultatem qui illud excuſſit, & ad iteratam eius ſubitionem impellitur à Deo? fas ſanè ſit eum compellare verbis illis quibus Heliodorum Hieronymus. *Quid agis Frater in ſæculo, qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum vmbræ premunt? quamdiu fumoſarum vrbium carcer includit? Credere mihi, neſcio quid plus lucis aſpicio. Libet, ſarcina corporis abiecta, ad purum ætheris euolare fulgorem. Paupertatem times? ſed beatos Chriſtus pauperes appellat. Panore terreris? At nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo, cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa ieiuniis membra collidere? ſed dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? Sed tu paradiſum mente deambula. Quotieſcumque illud cogitatione conſcenderis, toties in eremo non eris. Scabra ſine balneis attrahitur cutis: ſed qui in Chriſto ſemel lotus eſt, non illi neceſſe eſt iterum lauare. Et vt breuiter ad cuncta audias Apoſtolum reſpondentem; non ſunt (inquit,) condignæ paſſiones huius ſæculi ad ſuperuenturam gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cū ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto.*

Porrò vt hanc impietatis machinā in qua verſamur, planè conterat S. Chryſoſtomus Paræneſi priore ad Theodorum, ſemel & iterum illum admonet, quantumuis initio regreſſionis, propter tranſitum ſubitum ab extremo ad extremum, non nihil inſuauitatis ſit occurſurum, tamen mox quicquid erit amaritudinis, aſperſis cælitus benedictionibus dulcedinis fore diluendum. *Quamdiu quis (inquit,) in fornace voluptatum conſiſtit, etiamſi exemplis abundat infinitis, ipſi res eſſe ſupra vires apparet. Cæterum ſi vel leuiter cæpit illinc egredi, & identidem procedens, vim ignis à tergo relinquit videtque ante ſe, ad pedes propemodum viam roſcidam atque eximiæ facilitatis.* Idem breuiter & optimè notauerat *Philo lib. de Sacrif. Abelis & Caini (pag. mihi 118.)* Sed quod maximè rem confirmat, *S. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. c. 1.* miratur quàm ſubitò ipſi ſapuiſſent experienti, quæ ante exprientiam putabantur fore intolerāda. Idem de ſeipſo ante baptiſmū profitetur *S. Cyprian. Ep. 2.* Et hoc eſt quod ait Iſaias, Interprete *S. Gregorio 18. Moral. cap. 17. Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem.*

Accedit in hanc rem S. Anſelmi conſideratio, omninò ſuauis & digna quæ non lateat puſillum, qui metuit ex iugi Religioſi aſperitate, deſpitationes crebras, & caſus in peccata, ob quos formidat iugo collum denuò ſubmittere. Eſto enim, verum ſit Religioſum propter Regularis Diſciplinæ aſperitatem crebrò cadere; & verum etiam ſit, peccata ab homine ſanctioris profeſſionis patrata, eſſe grauiora: quod repugnante licet, *Ioanne Nidero lib. 3. de Reform. Religoſ. cap. 44.* ac etiam quod plus eſt *S. Chryſoſtomo lib. 3. contra vitupera. vitæ Monaſticæ:* Sed annuente *Iſidoro Peluſiota lib. 3. Epiſtola 15.* confirmat *Saluianus lib. 4. de Prouid. ſub finem & Richardus Victorinus lib. de Poteſt. ligandi atque ſoluendi*, de Chriſtianorum peccatis agentes; tamen vt bene, propoſita hac ipſa obiectione reſpondet S. *Anſelmus libr. 2. Epiſtola 29. ſub finem. Quod dicunt multi, grauius iraſcitur Deus peccanti Monacho, quàm alij, quia de propoſito altiori cadit: hoc verum eſt, quamdiu eſt in peccato. Sed certè benigniùs & familiariùs ſuſcipit Deus Monachum pœnitentem ſi ad ſuum propoſitum redit, quàm non Monachum, qui ad idem propoſitum non venit. Plus namque placet Deo, etiam poſt graue peccatum, cuius propoſitum eſt & ante & poſt, quo maius haberi non poteſt; quàm ille qui nec ante nec poſt ſimile peccatum, vult proponere quo melius non poteſt.* Idem habetur *lib. de Similitud. cap. 82. & 83.* Itaque Deus Religioſum à peccato reſipiſcentem, molliùs habet quàm Secularem, iudice D. Anſelmo: etiamſi Religioſus ratione ſtatus turpiùs impingat, & grauiùs offendat. Sperandum verò eſt ei qui ſic ſe affici ſenſerit, fore vt non tam crebri ſint caſus, quàm timebat: ac præſertim vt immunis à repetito defectu ſeruetur, ſi Deo innitatur, non ſibi. Quod eſt eiuſdem S. Anſelmi remedium ad eum qui percellebatur tentatione, ſatis affini huic de qua agimus. Ait enim *lib. 2. Epiſt. 19. Sed forſitan dicis. Si incipio ſequi Chriſtum, timeo ne imbecillitate deficiam.* Sequitur dilutio S. Anſelmi. *Iterum & iterum dolendum & lugendum de errore filiorū hominum; ad ea quæ deficiunt, imo ad ipſum deſertum currendo toto affectu, non timent defectum; & ad Deum nunquā deficientem & ſuum auxilium promittentem, non audent proficere, timendo defectum. Gaudent deficere, vt deficiant; & timent proficere, ne deficiant. Crede, rogo, conſilio Dei, & committe te totum auxilio Dei; & non ſentias defectum in ſeruitio Dei: Iacta amare, & deſiderate & dulcis & amice; iacta cogitatum tuum in domino, & certus eſto, promittentem Spiritu ſancto, quia ipſe te enutriet.*

Nimirum vt optime in hanc rem diſputat. *S. Bernardus ſerm. 85. in Cant.* Deus eſt qui dat laſſo virtutem; & his qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. Et itaq; fidendum innitendumque eſt. Ne obiiciatur ei qui ob hanc cauſam reſilit à bonis quod Iobi 35. dicitur, *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt, propter vim brachij Tyrannorum: Et non dixit, vbi eſt Deus qui fecit me qui dedit carmina in nocte?* Id eſt lætitiam & ſuauitatem inter procellas formidatas, vt S. *Gregorius* expoſuit *lib. 26. Mor. cap. 11.* In ſumma, *qui obſeruat ventum* difficultates inquam, per Satanæ flatus iniiciendas *non ſeminat: & qui conſiderat nubes*, id eſt caſus aliorum ex illius venti agitatione & impulſu, *nunquam metet*, hic fruges Iuſtitiæ copioſas, & in alio ſeculo, vitam æternam, iuxta eiuſdem S. Gregorij interpretationem, hom. 3. in Ezech. Inter Epiſtola. S. Catharinæ Senenſis ad Fratres Ordinis Prædicatorum, vltima eſt data ad quemdam illius Ordinis apoſtatam, ſanè egregia. Præ cæteris autem quæ illi perſuadere conatur, illud eſt ne dicat, *quis reuoluet nobis lapidem?* Fore enim vt lapis per Sanctos. Angelos inueniatur reuolutus. Tantùm velit opus Dei ſuſcipere. Eodem modo B. Clara Agolantia egit cum apoſtata cuius reuerſioni incumbebat pag. 75.

Aliqui in iugi Religioſi prætenſa impoſſibilitate qua dicunt ſe regreſſu prohiberi, vrgent ſpecialiter Præpoſiti auſteritatem. Diſpellit egregiè hunc prætextum S. Ephrem tomo 1. Tract. de abſtinendo

do à cupiditatibus, ſic diſſerens. *Sed quæ eſt ea exeuſatio? Quia, inquis, Præfectus eſt moleſtus, & metuo ne fortè me malè tractet. Quæ iſta duritia? aut quæ cæcitas? Admonet enim Dominus: nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs time te eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Vbi doctrina Apoſtolorum & Prophetarum ac pſalmorum meditatio? Ante certamen, athleta iniungitur, vt tempore certaminis coronari mereatur. Miles antequàm ad prælium deſcendat, exercetur, vt belli tempore probatus oſtendatur: at nos pacis milites ſumus; & in tranquillitate gubernatores. Oblitus ne es cuius cauſa mundum reliqueris, & à parentibus tuis carnalibus te abſtraxeris? Mundanus ne timor tuum animum occupauit? Doleo vices tuas frater.*

Spes inanis, perfectioris alibi vitæ, eliſa.

OStentatio ſpei, bonorum quæ geſturi ſibi videbantur apoſtatæ, ſi Clauſtra Religioſæ Familiæ perrumperent, vel ſpectat ad bona ſibi ipſis facienda, vel ad bona conferenda in proximos. Bona ſibi ipſis facienda, intelligo, bonam vitam & piam, quam ſperent ſe æquè in Sæculo ac in Religione poſſe exigere. *S. Baſilius ſer. de Abdicat. ferè initio*, hinc lapſos aliquos docet, & affirmat plectendum cuicunque id viſum fuerit. *Licet ſuo quodam opinionis errore perſuaſiſſe ſibi videatur, nihilo ſecius ſe, vt in priſtino ſe vitæ genere contineat, benefactis Deum ſibi poſſe propitium facere. Quod nullo modo verum eſt. Qui enim in eo vitæ genere, quod nullis extrinſecùs diſtrahentibus curis diuexatur, ac propterea peccatis minimè obnoxium eſt, reſiſtere aduerſario non valuit: qui credibile eſt, eum in eiuſmodi vita, in qua quamplurimi ad noxam aditus pateant, cuiuſque libera penes ipſum arbitrium poteſtas ſit, aliquid eſſe facturum, quod aliquo modo ſit cum virtute coniunctum?*

Facit huc quoque egregia diſputatio quam mox ſubiicit, vt oſtendat homini ſæculari, ſecluſis votis Monaſticis, eaſdem planè iniici obligationes, quibus innectitur Religioſus, eo quod Christi Euangelium ſit vniuerſale & Chriſtus Apoſtolis apertè teſtificatus ſit, [quod vobis dico, omnibus dico. Non eſt igitur quamobrem tu, qui ad vxorem applicare animum maluiſti, perinde quaſi ea re tibi mundum amplecti licitum ſit, deſidiæ te des: quando eo maiore tibi labore contendendum eſt, attentioreque animi vtendum vigilantia, vt ſalutem inuenias; veluti qui ſedem tibi in mediis laqueis, mediaque rebellium poteſtatum ditione delegeris, vbi peccatorum aſſidua ante oculos poſita irritamenta hebeas, ad quæ concupiſcenda omnes ſenſuum libidines ſuo aſſiduè loco veluti emotæ impellantur. Quocirca intelligere debes, neutiquam effugere te poſſe, quin cum Diabolo tibi ſit deluctandum, ex eoque nullo modo victoriam te ſine multis laboribus pro Euangelicorum præceptorum conſeruatione ſuſceptis reportaturum. Qui enim quæſo pugnã cum aduerſario poteris ſubterfugere, qui omnino ſis iam cum eo intra caueam pugnæ deſtinatam concluſus? Quæ ſine dubio vniuerſa ea eſt tellus, quæ ſub ampliſſimo cœli huiuſce ambitu continetur: quam quidem ex hiſtoria Iob accepimus, aſſidua illum obambulatione perluſtrare, circumireque quaſi rabioſum canem, quærentem quem deuoret. Quod ſi cum aduerſario inire pugnam non vis, in alium ex hoc ipſo mundum commigres, oportet in quo ipſe non ſit. Tum licebit tibi tuo more cum illo non decertare, & citra periculum ferias indicere Euangelicis dogmatis. Quod ſi hoc impetrari non poteſt, artem cum diſcas, conuenit, per quam ſcienter cum eo ſcias deluctari. Hanc autem haud dubiè traditura tibi diuina Scriptura eſt, ne ex imperitia ab eo ſuperatus ſempiterno igni in perpetuum cruciandus dedare. Atque hæc quidem, licet ſtrictim, eorum tamen cauſa memorata à nobis ſint, qui propterea quod matrimonij ſe vinculis obſtrinxere, licere ſibi arbitrantur Chriſti præceptorum obſeruationem impune negligere.]

CAP. XIX. *Symbola apoſtata ad pię curationem.*

Agens de *Eutrapelia lib. 6. de Virtut. n. 211.* eum errorem hic à S. Baſilio confutatum ex aliis quoque Patribus exploſi, docuique Chriſtianos omnes, & non Monachos duntaxat, aſtringi omnibus diuinis legibus. Quare ne ſibi blandiatur apoſtata, vel poſt apoſtaſiam credens, vel ante apoſtaſiam præcogitás poſſe ſibi benè eſſe in Ægypto; id eſt, poſſe in ſæculo æquè benè & commodè ſeruire Deo, & ſalutem ſuam æquè operari in ſæculo, ac in Religioſo ſtatu. Eſt enim id planè falſum, etiamſi daremus culpam apoſtaſiæ poſt ruptum Domini iugum, tolli poſſe ſine regreſſu ad cœnobium. *S. Eucherius hom. 5. ad Monach. n. 7.* hanc decipulam in quam nonnulli eo tempore Religioſi præda Satanæ fiebant, his verbis aperit. *Quid de illis erit qui hic quatuor aut quinque annos longiſſimum tempus credunt; & omnẽ reliqua vita tractum in ſæculi vanitate conſumunt? Cum etiam annus ſæculi, labores noſtros in eremo acquiſitos ita poſſit abſumere, quomodò ſi mare magnũ, paruiſſimum intra ſe riuulum recipiat & abſorbeat, atque eius nec nomen relinquat. Neſcio ad quæ lucra velimus in illo ſæculo viuere. Nam cum hic grande putetur damnum non quotidie aliquid acquiri, illic gradu quæſtus eſſe putandus eſt, vel acquiſita non perdere: vbi inquam graue detrimentum creditur, non quotidiè proficere, ibi verò ſumma virtus eſt non perire. Ideoque ſi adhuc tenues ac pauperes ſumus, hic aliquid conſequi laboremus; ſi verò aliquid conſecuti ſumus, hic illud ſeruare curemus.*

In aliam ſpem falſam, vberiorem in proximos bonorum, aliquando regreſſui obſtantem.

ALtera bonorum ſpes quæ oſtentatur interdum apoſtatæ, eſt ſpes fructus in proximos; quæ ſicut multos ab ineunda Religione auertit, ita aliquorum vocationem poſt ingreſſum conuellit. Eſt autem friuola prorſus excuſatio. Repellit eam agens cum quodam Gulielmo *S. Anſelmus lib. 2. Epiſtola 19.* verbis illis. *Dicis mihi Frater deſiderate; non iſta diligo, ſed in eis inuolutum fratrem meum; & idcirco feſtino in eis conuolui cum eo, vt adiuuem, & cuſtodiam. Væ ærumnoſus dolor de ærumnoſo errore filiorum Adæ? Quare ô homo, non potiùs dicis, non iſta diligo, ſed Chriſtum Deum meum; & idcirco iſta fugiens, feſtino ad eum, vt adiuuer & cuſtodiar ab eo. An tu audito fragore ruentis mundi ſuper fratrem tuum, eo contemnens vocantem Chriſtum, curris ſub ipſam ruinam, vt homunculus homunculum, vermiculus vermiculum ſub tam confuſo pondere, & ponderoſa confuſione adiuuet & cuſtodiat? Reſponde frater, quia adiuuabit & cuſtodiet illum, te adiuuantem & cuſtodientem Deus, quem minùs ſtudes ſequi quàm ipſum fratrem tuum. Chriſtum vocantem te, contemnis ſequi*

CAP. XIX. Symbola apoſtata ad ſui curationem.

in pace, & in patria, & inter propinquos & amicos, vt hæres quidem Dei, & cohæres eius poſſideas regnum cœlorum, & per tot & tantas itinerum difficiles aſperitates, per marium turbines & procelloſas tempeſtates, imbellicoſam confuſionem curris ad fratrem tuum, vt videas eum, vt multùm dicam tenentem regnum Græcorũ; & vt putas, quia Deus plus adiuuet & cuſtodiat illum per te, quàm ſine te; aut teipſum propter illum quam propter ſeipſum: imo minus hoc faceret. Iraſcitur enim ſi videt vllum ab vllo amari pluſquàm ſe.

Diſſerit in eandem ſententiam lucnlenter *Petrus Damiani Opuſcul. 12. cap. 26.* non quidem contra apoſtatas, vel contra reſilientes à Religione ea ex cauſa, ſed contra non multum ab eis ſeiunctos vagos Monachos, qui prætextu tementis ſpiritualis in proximis faciendæ, extra Clauſtrum contra ſui Inſtituti rationem diſcurſabant. Rationes tamen quas contra iſtos profert Petrus Damiani, & quibus artificium Satanæ in eis ſic illudendis demonſtrat, æquè vrgent in re noſtra. Quo item modo adduci in hanc rem poteſt præclara diſputatio Climaci gradu 3. aduersùs Monachum regredientem in patriam, illectũ propoſita eſca fructus in proximos. Et quia huiuſmodi Errones in cognatorum ſalutem ferè inardeſcunt cupidiùs, notanda eſt Sancti Baſilij doctrina q. 190. breu. qua verè ſitienti animas, perinde eſſe quaſuis animas iuuare, optime docet. Aduersùs hoc Mundi oſculum proditorium & fallax, diſputat fusè *Petrus Bleſenſis Epiſtola 13.* confirmans Monachum ex hac cauſa vacillantem.

Accedit ad hanc fallaciam, illa alia quam detego & refello verbis, *Eucheri, hom. 3. ad Monach. n. 6. Tempore diſceſſionis, multa promittit inimicus: perſuadet ſibi ſe illic quò tendit, maiorem profectum, multam gratiam, atque rerum omnium abundantiam reperturum, ac ſe tanquam Angelum ſuſcipiendum. Et poſt hæc quando anxietate repletus, & pace nudatus, memor quomodo profectus ſui ſtudium, & ſacrum ouile reliquerit, tunc animaduertit, & quaſi ſedata temporis ſui tempeſtate, tunc videt quid mali de ſe geſſerit; Tunc recognoſcit quid periculi incurrit, cum de loco ad quem cum gaudio venerat, ſine pace & cùm ſcandalo diſceſſit. Tunc ſe ſera pœnitentia ſuper ruinas ſuas pœnitet, ac deflet. Sicut quadam aues, quæ præ dolore ſuper eos quos occiderint, flere dicuntur,*

Spes alia falſiſſima & fallaciſſima, de pœnitentia ſerò denique concipienda.

FRequentiſſima excuſatio in peccatis eſt, quam poſtea referebam; nimirum fruamur bonis dum licet, poſtea reuertemur ad Dominum. Quæ fouea eſt, in qua miſerrimè iacent plerique apoſtatarum, tandemque prorſus pereunt *Sanctus Chryſoſtomus Parænesi 2. ad Theodorum ſub finem*, veritus ne hinc ille in impietate foueretur, monſtrat quàm ſit hæc excuſatio & inanis & indigna, ſic ad eum ſcribens. *Vt ſatis durum videtur, ac barbarum, his qui deuoluti fuerint ad profundum imi gurgitis cœnum, ſi tamen caſus prioris crimina emendent, ſalutare correctionis remedium denegare: ita rurſus haud tutum eſt hac ſpe hominem ad vitia nutriri, vt dicat, emendatio poſt iſta ſuccurret; nunc interim voluptatibus vitæ iſtius fruar, poſtea autem per exigui temporis arctitatem, mercedes tranſactorum quoque adipiſcar annorum. Memini namque te ſæpè dixiſſe his qui in ſtudiis tibi ſæcularibus poſito tam pernicioſa ſuadebant, etiamſi in iſto, (aiebas,) breui temporis ſpatio, bonum terminum vitæ minimè fuero conſecutus, quemadmodùm ad illum ibo, qui dixit, nolo differas conuerti ad Deum, neque diem ex die protrahas: neſcis enim quid pariat ſuperuentura dies; huius animi, huiuſque conſilij recipe ac recordare obſecrationem, & conſtringe vinculis furem. Hoc enim nomine, exceſſum de hoc ſæculo noſtrum Chriſtus appellat, quòd ignorantibus veniat, & neſcientibus nobis repentinus aſſiſtat.*

Contra vocem hanc coruinam, cui adiungitur ruina, iuxta S. *Auguſt. ſer. 164. de Temp.* diſputo pluribus, conuellens errorem quo aliqui dicunt ſe in fine vitæ cõuertendos, vt fecit S. Latro; ſub finem operis de eo. Legendus quoque *Tertull. cap. 7. de Pœnit. Iſid. Peluſ. l. 3. Epiſt. 157. S. Chryſoſt. ſer. 22. in 2. Cor. in Mor. Naz. Orat. in S. Baptiſ. à medio. Auguſt. ſer. 59. de Verb. Dom. & hom. 11. ex 50 Bern. ſer. 75. in Cant.* Adeundus etiam *Petrus Bleſenſis ſerm. 26. ſub finem*, vbi ſpecialiter de hac Religioſorum ad apoſtaſiam pellectione diſputat.

Aduersùs pudorem noxium, regreſſui obſtantem.

PVdor denique auocans à regreſſu, admodùm improuidè ſuſcipitur. Nam & ipſi apoſtatæ valdè noxius, & aliis quorum occaſione excitatur iniurius eſt. Apoſtatæ noxium dico, non modò quia à tam ſancto tamque neceſſario regreſſu abſterret, ſed etiam quia obſtat, ne per momentaneum ruborem æterna confuſio euitetur, vt Nazian. egregiè diſſerit Oratione 40. *in fine*: addens hunc pudorem non refugere, planè eſſe virilis animi, & probantis qaàm eum pœniteat peccati, vtpotè quod turpiter confuſum & traductum velit. Habet verò hic opportunè locum quod S. *Ambroſius 6. Exam. cap. 4. ſub finem*, habet de Brutis remedia ſua captantibus. *Capra vulnerata dyctamum petit, & de vulnere excludit ſagittas. Norunt & beſtiæ remedia ſua. Sanctus Pacianus* haud diſſimiliter, *in Parænesi ad Pœnitentiam. Capræ (vt dicunt,) feræ remedia ſua nouerunt. Confixas quippè audio venenatis ſagittis, ſaltus peragrare Dyctæos, quod Dyctami caule detonſo, ſalutarium virulento latice ſuccorum, pulſa decutiant tela corporibus. Nos ignita Diaboli ſpicula, nullo pœnitentiæ ſucco, nullo exomologeſis gramine repellemus? Excæcatos hirundo pullos nouit oculare de ſua chelidonia. Nos lumina mentis amiſſa, nulla mala tractationis radice curabimus? Ecce nec capreis, nec hirundini homo ſimilis, cæcitati ſuæ inuidet & doleri.* Nimirum dum præ pudore & mollitie, abhorret à pœnitentia.

Tertullianus ſub finem libri de Pœnitentia imitatione expreſſus à Paciano, ad Peccatorem ſauciatum & præ pudore à remedio vulneris ſui refugientem in hunc modum diſputat cap. 10. & 11. *Pleroſque hoc opus vt publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumo, pudoris magis memores quàm ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori, domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodacta reformari: Ne tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens. Ego ruberi locum non facio, cum plus de detrimento eius acquiro,*

æquire, cum ipſe hominem quodammodò exhortatur: Ne me reſpexeris dicens, pro te mihi melius eſt perire. Certè periculum eius tunc ſi fortè onerosum eſt, cum penes inſultaturos in reſiloquio conſiſtit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi proſtrato ſuperſcenditur. Cæterum inter fratres atque conſeruos, vbi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio (quia communis ſpiritus de communi domino & patre,) quid tuos aliud quàm te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, vt plauſores fugis? Non poteſt corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuerſum, & ad remedium conlaboret, neceſſe eſt. Vides ex prolatis Tertulliani verbis, quorſum dixerim, hunc pudorem iis ad quos regreſſum inhibet, iniurium eſſe. Neque enim de aliis videtur concipi, niſi de notis ad quos reueniendum; præſertimque de eiuſdem Inſtituti fratribus, quos habituros ſemper ad manum probrum quod exprobrent, impellente Satana, extimeſcunt apoſtatæ. At hoc eſt deterrimè de illis iudicare, & tanquam de imperitis, & tanquam de malignis. Imperitiæ damnantur, & quidem craſſæ, dum putantur non agnoſcere figmentum noſtrum, & quàm ſit humanum labi. Malignitatis verò notantur, dum putantur exprobraturi. Eſt enim malignitas non vulgaris, proſtrato illudere.

Pudor verò ex oblocutionibus improborum, quos fortaſſis contingeret regreſſum apoſtatæ iniquius ferre, contrucidandus eſt eo diuini verbi gladio multiplici, quem dexterrimus Chriſti bellator *Sanctus Paulinus tota Epiſtola* 29. exerit aduersùs ſannas Mundanorum in eos qui conuertuntur ad cor. Nauiter hunc virtutis Chriſtianæ arietem proſtraui ex aliis *lib. 5. de Virtutibus à nu.* 215. & *n.* 104. Et optimè quoque eò cadunt quæ *D. Auguſtinus ſer. 24. ex* 40. nouis diſputat aduersùs malè ſanum pudorem Paganorum tunc ſuperſtitum, ſe inuicem timentium, ſibi inuicem erubeſcentium, facientiumque longè à ſe ſalutem, eo quod timerent configi linguarum ſpiculis ob abiectam ſuperſtitionem, & nomen Chriſto datum.

Inſigne hac in parte artificium Diaboli, per pudorem auocantis à bono, quem pudorem excutere ſuaſit vt peccaremus, diſcere poſſumus ex egregia *S. Chryſoſt. diſputat. hom. 3. de Pœnit. ſub med.* contra erubeſcentem de pœnitentia nó de culpa. Eſt enim mutatis terminis aptiſſima huic loco Chryſoſtomi oratio. Sic habet. [Sciens Satanas peccatum quidé confuſionem habere, potentem ad ſe pœnitentem retrahere, mutauit ordinem, deditque confuſionem quidem pœnitentiæ, cõfidentiam verò peccato. Vnde hæc ipſe dico? Capitur quis prauis deſideriis de publica meretrice; ſequitur ſcortum, captiuus ingreditur locum, nequaquã erubeſcens, impudens meretricem complectitur, peccatum exequitur, nuſquam ipſi pudor nuſquam correctio. Egreditur inde cum peccatum conſummauerit, atque vt pœniteat, pudore tenetur. Miſer & infœlix, cum meretricem complectebaris, non te puduit, cum ad pœnitentiam veniſti, pudore tunc confunderis? Quorſum nam id? Cum fornicabaris, non pudebat; rem cum facis, non erubeſcis cum pœnitere & confiteri debes peccata verbo? Diaboli hæc aſtutia eſt, qui te in peccato erubeſcere vetat, & peccatum edicere impedit pudore. Nouit enim ſi homo erubuerit peccatum, fugiet illud; inuerecundus autem vel difficile pœnitere poteſt: & ita duo facit mala, & in peccatum trahit, & à pœnitentia arcet. Quid erubeſcis ergo? Cum fornicari te contigit, haud erubeſcebas: cum te peccato liberas, erubeſcis? Tunc erubeſcere debuiſti, tunc oportuit pudore confundi, cum peccabas. Cum factus es peccator, tunc pudere oportuerat; cum iuſtus efficeris, pudes?] Hoc ipſum, apoſtatæ regreſſum erubeſcenti occinendum. Plura in hunc pudorem in opere de Heteroclita pietate, cum de Confeſſione. Recolenda item quæ ſuperiùs hoc ipſo capite ſunt præmiſſa, cum de priore apoſtatarum ordine ſermo eſſet; nec omittendum, qua ratione S. Simeon Stylites, Menam apoſtatam ex diuina reuelatione deprehenſum, & obtendentem negationi regreſſus hunc inanem pudorem, ſapienter curauerit, vt narratur in Prato ſpirituali cap. 118.

CAP. XIX. *Symbola apoſtatæ ad ſui curationem.*

Omnes, planè inquam omnes, regreſſum Apoſtatæ intercludentes excuſationes, friuolæ, & nullo apud Deum loco.

Concludendum itaque vniuerſaliter videtur omnes excuſationes quas differendo aut prorſus intercludendo regreſſui in malè deſertum cœtum ſacrum obtendere poſſunt Apoſtatæ, eſſe excuſationes non modò vanas & futiles, ſed etiam (vt Saluiani voce vtar initio libri tertij ad Eccleſiam) mortiferas atque lethales. Valetque hic quoque quod mox ibidem ſubnicit Saluianus. *Dici aliquid poteſt, tametſi ſalubriter dici non poteſt. Eſt vmbra excuſatiuncula, non excuſans; dans reo deprecatiunculæ ſpeciem, non reatum ſecuritatem.* Sunt hæc perizomata è foliis quæ ſibi malè conſulti prætexunt cum debuiſſent dimiſſis foliis fructus eligere, vt ſapienter diſſerit *S. Ambroſius lib. de parad. cap.* 13. vniuerſè quidem agens de peccatore, ſed appoſitiſſime tamen ad hunc antonomaſticè peccatorem præuaricatum inita cum Domino pacta. *Quicunque (inquit) præuaricatur mandatum Dei, ſpoliatur atque nudatur; & fit ipſe ſibi turpis. Vult ſe operire quibuſdam ficus foliis, fortaſsè quibuſdam inanibus vel vmbratilibus ſermonibus, quos compoſitis mendaciis aſſuens, & verbum de verbo ſtruens ad operiendam conſcientiam ſuæ mentis, factique velamen peccator intexit, vt pudenda ſua contegat. Facit enim ſupra ſe folia qui culpam velare deſiderat.* Fecit hoc extorris è terreſtri Paradiſo Adam, faciunt itidem qui è myſtica Religionis paradiſo digreſſi, Adamum exulantem graphicè referunt, vt vidimus ſuperiùs cap. 15. Arma hæc diaboli potiſſima quibus aduerſus primos parentes noſtros vſus eſt, vt ait S. *Chryſoſtom. in pſal.* 140. nunc quoque adhibet Satan, perſuadens animæ vt dimiſſa quæ peccatum extergeret ingenua confeſſione delicti, fit egregie impudens, non conſido prolapſionem, ſed etiam tegendo & excuſando, quem cumulum eſſe peccati, perpulchrè ibidem monſtrat S. Chryſoſtomus, conteſtans tamen id eſſe peccatoribus perpetuum; *Nulli enim* (inquit) *peccatori deeſt impudens prætextus.* Eſt tamen peculiare grauia peccatoribus iuxta Pſaltem qui excuſare excuſationes in peccatis quod à ſe auerti poſtulat, ait eſſe hominum operantium iniquitatem: quo nomine non qualiſcunque culpa ſolet exprimi, ſed eminens & atrox vt obſeruat S. *Gregor.* 11. *Moral. cap.* 11. Vt mirum proinde non ſit, apoſtatam immani turpitudine ſordentem, excuſationes friuolas quærere, hoc improuidè facientem quod eſſe peccantibus ſolemne obſeruat Auctor Imperfecti operis in Matth. hom. 53. vt dum vnum peccatum tentat excuſare, plura accumulet.

CAP. XX. *Apoſta·a in ſe ſeuerſ.*

Æquè S. Bernardus ſerm. 16. in Cant. prolato Adæ exemplo, perniciem excuſationum in peccatis demonſtrat, dicens, iure Pſaltem hæc verba malitiæ deprecari, quia *in animam ſuam peccat, qui excuſat, repellens à ſe indulgentiæ medicinam, & ſic vitam ſibi proprio ore intercludens. Et quænam maior malitia, quàm propriam armari in ſalutem, & lingua ſua ſemetipſum mucrone confodere?* Reuera in propriam armatur ſalutem, & ſuomet mucrone ſe tranſuerberat, qui cum poſſet humili propaſionis ſuæ agnitione ac confeſſione ſalutem reparare, captat operimenta quæ lethali vulneri obducat, negligens malagmatis quo admoto quærenda fuerat expetita ſanatio. Agnoſcat itaque Apoſtata ſe immaniter ſaucium, deſinatque ſibi vanis excuſationibus illudere, prodereque ſalutem ſuam; ſed qui peccauit, ne adiiciat iterum: ne inquam pergat hærere in ſcelere, fruſtra allegans quibus non minuat vel aboleat, ſed augeat inſtigatque iniquitatem. Id enim tametſi aliquando apud homines qui latebras animæ non peruadunt, ex vſu eſt; apud Deum tamen qui omnia peniſſime peruadit, & de omnibus pronunciat quàm exactiſſimè, nunquam habere poteſt locum. Quare veh apoſtatæ obdurato, & pro ſtudio eluendi adeo fœdam maculam, captanti friuolas excuſationes quibus innoxius appareat. Vt enim poſſit hominibus ſiue ignorantia laborantibus, ſiue maleuolentia ſuffuſis imponere, at Deo, tamen non imponet, qui excuſationes tanto ſceleri prætentas reuincet, ac telas araneæ texuiſſe qui eas ſibi oppaſſas voluit, cum acceperit tempus, & iuſtitias iudicabit, faciet manifeſtum.

CAPVT XX.

Exempla Apoſtatarum, quibus curatio ad modum præſcriptum adhibita, collatò medici & ægri ſtudio, ſanitatem creauit.

ERit non modicum, animandis & ſpirituali medico, & apoſtatæ ægro, ad curationem de qua hactenus, vtrinque faciendam incentiuum, audire exempla quædam lectiora, eorum quibus profuit ſic inſtituta curatio; reſtituitque optatam ſanitatem. Hinc enim & ſtudium medentium acuetur, & ægrorum alacritas excitabitur ad ſpem concipiendam quanticunque obices opponantur, & quaſcunque difficultatum moles obiiciat Satan. Dicet ſiquidem vnuſquiſque æger ſibi, quod in non diſpari cauſa S. Auguſt. animans ſe exemplis eorum qui reſipuerant; *Tu non poteris quod iſti & iſtæ?* Non eſſe portò hæc exempla recentioris ſolùm memoriæ, & fructum quem ex eis quærimus, iampridem ex illis fuiſſe captatum, liquet ex illis S. Chryſoſtomi verbis priore ad Theodorum Parænesi, *ſub initium. Scimus ſpem eſſe de anima in priſtinā viam reducenda. Si quidem complures & hac tempeſtate, & progenitorum noſtrorum ſeculis, qui ordinis ſui deſertores & frequentata via præcipites euntes, tanta alacritate reſurrexerunt, vt priora ſequentibus facilè celarent, palmamque corriperent, ac redimiti corona cum victoribus prædicarentur, ac in cœtum beatorum allegerentur.*

Ex innumeris ergo in hanc rem exemplis, quæ in hoc genere & nunc ſuppetunt, & ab omni æuo Chriſtiano notari potuerunt, libabimus nonnulla. Et in primis duo illa quæ S. Chryſoſtomus priore Parænesi ad Theodorum *ſub finem* ad Theodorum animandum propoſuit. Præſtat ipſa Sancti viri verba appendere, quando idem quærimus hoc loco à permultis quod S. Chryſoſtomus a Theodoro expetebat, nec poſſumus luculentius id exequi, quam fecit S. Chryſoſtomus; eius hæc eſt oratio. *Narrabo tibi quæ noſtris contigere temporibus, & quorum ipſe teſtis eſſe valeo. Nouit Iuuenem illum filium Vrbani, qui continuò à teneris vnguiculis abſque cuſtodia fuit educationis legitimæ. Dominus autem multarum rerum, pecuniarum miniſtrorum, agrorum. Is cum dixiſſet, quàm ſit oblectatus conſuetudine vitæ monaſticæ, depoſito illo ſplendidiſſimo amictu, totoque vitæ huius faſtu, repentè pallio ſe viliore contexit, ad montes, ad ſolitudinem receſſit, egregiamque exhibuit philoſophiā non iuxta illius ætatis modum, ſed qualem poſſet vir quiſpiam admirabilis & excellens; deinde ad ſacra myſteriorum ſacerrima idoneus reputatus, magnam acceſſionem virtuti adiecit. Omnes gauiſi ſunt impensè, Deumque glorificarunt, quòd in affluentia deliciarum enutritus, clarus ex progenitoribus, & admodum adoleſcens, cunctam huius vitæ phantaſiam, fucatamque felicitatem, ſemel conculcaſſet, & euaſiſſet ad verum faſtigium virtutis. Cum eſſet eo loci conſtitutus, & nunc iure ſuſpiciendus; ecce corruptores quidam conſiderantes id eſſe præter dignitatem generis, iterum illum in fluctus priſtinos abduxerunt. Reiectis iterum cunctis eius vitæ, quæ pridem erant, ornamentis, à montibus in medium forum ſe contulit, & equis vectus & magno ſtipatus famulitio, totam vrbem obiuit, neque ſapere, neque temperatè viuere libuit. Nimiis enim deliciis inualeſcens, in abſurdos amores ceu nolens perpellitur. Nemo erat ex cœtu conuerſantium, qui non de ipſius ſalute putaret actum eſſe, tantum ei examen adulatorum cohæſitæ vi acceſſerunt, carentia parentum, iuuentus, multæ opes. Qui omnia ſolent calumniari, hominem traduxerunt eo nomine, quod à ſpiritualibus defeciſſet, inutilis futurus & rei familiari, quod ſuperiori tempore ſermoni & eloquentiæ deditus, retuliſſet pedem, illicque nihil fructus valuerit conſequi, huiuſmodi quiddam crebrò accinuerunt. Cum eſſet itaque multo ſuffuſus pudore, quidā Sancti viri qui ſæpenumero in tales belluas impegerunt, & per experientiam probè ſunt edocti, quòd ſpe diuina commonitis neutiquam ſit deſperandum, obſeruarunt eum aſſiduè, viſumque in foro acceſſerunt, amplexique ſunt quos ille principio ſequentes, velut è ſublimi, equo inſidens alloquebatur contemptim; Tanta primùm erat impudentia hominis. At illi miſericordes, ſtudioſique in rem alioqui perituræ pueritiæ, non ita multùm ea contumelia mouebantur, in vnum iſtud figentes obtutum, vt quacumque via lupo agnellum ſubtrahant, & callidè perfecerunt. Si quidem poſt hæc aliquando velut obſtupeſcens, intra ſe abreptus eſt. Aſſiduam eorum curam tum cœpit vereri. Quoties illos vel procul obuiam factos conſpexit, ab equo citò deſiliit, & oculis in terram deiectis, cum multo ſilentio, quæ apud illos agerentur, auſcultauit, propiorque factus maiori pudore ſuffundebatur, & eis habuit honorem debitum. Atque eo ingenio, lapſum diuinæ gratiæ paucis diebus reddiderunt, omniaque iſta retia ſimul expedientes, priſtinæ tranquillitati, philoſophiæque liberum tradiderunt. In tantam autem lucem tunc temporis emicuit, & ſuperiorem vitam, quæ poſt caſum peracta eſt, inceſſens homo nihili videtur. Cum enim probè perſpexiſſet, quæ ſit malorum eſca, diſtribuit in egentes diuitias omnes: eo facto ſe à noxiis curis exonerans, omnem occaſionem, quæ potuit inſidias tendere, abſcidit. Viam quæ ducit ad Cœlum incedens,*

incedens, ad apicem virtutis iamdudum penetrauit. En ille cum eſſet iuuenis, excidit, & iterum ſurrexit.

Alius quiſpiam poſt multos ſudores eremiticæ conuerſationis, cui duntaxat vnus fuit conuictor, cum quo vixit planè angelicam vitam, ad ſenectam vſque perſeuerans. Is aliquando ex verſutia Diaboli velut oſcitans ac remiſſior factus, acceſſum dedit maligno ad incitandam concupiſcentiam, & lapſus eſt cum muliere ſe commiſcendo, qui nunquam vidit mulierem ab eo tempore quo ſe ad monaſticam vitã contulit. Principio contubernalem ſuum orauit, vt ipſi daret carnes atque vinum, adiectis minis, niſi impetraret, in forum ſe perrecturum: quod dixit non ex deſiderio carnium, ſed cauſam & prætextum capturus deſcenſus in vrbem. Commilito eius cum varia curioſè diſpexiſſet, formidaretque ne renuens illum in maius flagitium coniiceret, permiſit vt ſatisfaceret affecto animo. Poſtquam in eo refriguit amor ſapientiæ, depoſita fronte fictionem (cernit, palamque profitebatur ſibi neceſſe eſſe, vt in ciuitatem proficiſceretur. Is qui prohibebat, dum vidit ſe fruſtra niti, tandem id etiam conceſſit, at procul aſſectatus, abeuntem obſeruauit, quonam terrarum eo deflexu deſcenderet. Vidit autem intrantem Lupanar, & cum intellexiſſet eum commixtum fuiſſe cum muliere meretrice, expectauit foris: & poſt abſurdã concupiſcentiæ ſaturitatem, egredientem obuiis manibus excepit, amplexumque ac multum exoſculatum, nihil expoſtulando de commiſſis flagitiis, tantum eſt adhortatus, vt expleta iam concupiſcentia, in ſolitudinis domicilium velit reuerti. De tanta manſuetudine pudere cœpit, moxque animo perculſus, compunctuſque ſuper temere perpetratis, ad montem eſt ſocium perſecutus; eoque loci conſtitutus vir ille, ſe caſa quapiam concluſit, & eius domunculæ ianua obſerata, alter ipſi panem & aquã quotidie præbuit: quærentibus autem de ſe, iuſſit vt reſponderet ſe ſomnum capere. Hæc cum dixiſſet, facilè inuenit illum ipſum amicum aſſenſorem, ſeipſum introcluſit, perſeuerauitque illic per omnem vitam in ieiuniis, in precationibus, in lachrymis, repurgans animam à ſorde peccati.

Hero Monachus, è bono & probato Monacho, per ſuperbiam degenerans, euaſit denique in ſpurciſſimum Apoſtatam, orſus ab inobedientia & Præfectorum contemptione, quam etiam ſtultè muniebat eo Chriſti oraculo *Ne vocaueritis Magiſtrum ſuper terram.* Cum autem eſſet abſtinentia ad prodigium accedente, (ferè enim trimeſtri integro abſtinebat,) & memoria Scripturarum eſſet in eo monſtroſa, præ ſuperbia eo deuenit, vt ne Sacramentis quidem participare vellet; aliquamdiu ferro vinctus à Maioribus, tandem erupit, & Alexandriam profectus eſt, omnique ventris & eorum quæ ad ventrem ſunt cupiditati ſe dedit, mercedem condignam turpitudinis breui recipiens, computreſcentibus & excidentibus ſponte ſua poſt ſemeſtrem ægritudinem inſtrumentis iniquitatis. Hæc corporis vexatio, ceſſit ei in animæ ſalutem. Nam per diuinum illud flagellum reuerſus ad cor, in ſolitudinem eſt regreſſus, & quæ malè admiſerat, ingenuè confeſſus reſipuit. Rem narrat qui hominem nouerat *Pallad. ſect. 32. Lauſ.* Valdè verò hallucinatur *Gazæus ad Collationem 2. Caſſiani cap. 5.* confundens Heronem illum de quo ibi Caſſianus, cum hoc Herone de quo Palladius. Sunt enim adiuncta vtriuſque narrationis diſiunctiſſima.

In vitis Patrum lib. 5. quem edidit Autor Græcus, vertit autem latinè Pelagius Diaconus numer. 38. habetur hæc narratio Diaconi religioſi qui fœdiſſimè apoſtatarat, & tamen reſipuit omnino benè. *Frater quidam impugnabatur à fornicatione. Contingit autem eum venire in vicum quemdam Ægypti, & videns filiam ſacerdotis Paganorum, adamauit eam, dixitque patri eius: da mihi eam vxorem. Ille autem reſpondens dixit ei: Non poſſum eam tibi dare, niſi rogauero Deum meum, & abiens ad Dæmonem, quem colebat, dixit ei, ecce quidam Monachus venit ad me, volens accipere filiam meam: do ei eam? Reſpondens dæmon, dixit; ſi negat Deum eſſe, & baptiſmum, & propoſitum Monachi, interrogat eum. Et veniens ſacerdos dixit ei: Nega Deum tuum, & baptiſmum, & propoſitum Monachi, & dabo tibi filiam meam. Ille verò conſenſit. Et ſtatim vidit columbam veluti exire de ore ſuo, & volare in cœlum. Pergens autem ſacerdos ad Dæmonem, dixit, Ecce promiſit ſe tria illa facturum. Tunc reſpondens Diabolus dixit ei: Non des ei filiam tuam in vxorem, quia Deus eius non receſſit ab eo: ſed adhuc adiuuabit eum. Et veniens ſacerdos dixit illi fratri: non tibi poſſum eam dare; quia Deus tuus adhuc adiuuat te, & non receſſit à te. Hæc audiens frater, dixit in ſemetipſum: ſi tantam bonitatem oſtendit in me Deus, cur ego infelix negauerim & ipſum, & baptiſmum, & propoſitum Monachi: bonus autem Deus etiam ſic malum, nunc vſque adiuuat me, cur ego recedam ab eo? Et in ſemetipſum reuerſus, recepit ſobrietatem mentis, & venit in eremum.* Pergit Autor deſcribere, quam prouidè magnus ac peritus ſenex in quem hic Apoſtata incidit, rudimentum hoc curationis Apoſtatæ promouerit, ac pœnitentiam quam illi impoſuit, & ſignum viſibile diuinitùs editum, vt pateret acceptam Deo fuiſſe pœnitentiam tam miſeri Apoſtatæ.

CAP. XX. *Apoſtatæ in ſe reuerſi.*

Sergius S. Romualdi Pater, cum Monachus eſſet factus, digreſſo in Gallias filio, ad ollas Ægypti ſuſpirauit. Monachi Cœnobij S. Seueri prope Rauennam, vbi ille vitam Monaſticam profitebatur, miſſis in Galliam ad Romualdum de Patris inconſtantia nunciis extremum remedium Sergij curationi expetierunt ab eo. Aduolauit Rauennam Romualdus: & patri ſuæ carnis, Pater in Spiritu factus, repenſurus ei gratiam bonam, durè Patrem habuit, compedibus & verberibus domans ferociam Patris Apoſtaſiam meditantis, iamque animo & voluntate eam executi. Sanatus demùm Sergius & vexatione Intellectum dante, redonatus ſibi, vitam poſteriorem exegit ſanctiſſimè, & clarus diuinis viſis ad ſuperos migrauit. Refert *Petrus Damiani in rebus geſtis ſancti Romualdi cap. 12. 13. & 14.*

Monachus Apulus, à Richerio Abbate Caſſinenſi ſub annum 1040, Monachus, cum ad cæpe, & ollas Ægypti ſuſpiraſſet, nec poſſet bona maiorum venia in patriam diu expetitam regredi, effractis repagulis apoſtata factus, domum parentum repetiit, & ad Abbatis eum ſæpè ſæpiùs reuocantis ſalubria monita obſurdeſcens, increpitus à Deo eſt per dolorem in lectulo. Vbi ab inuiſibili leone in coxa demorſus, & terræ alliſus, ſtatim atque tantiſper ſpiritum reſumpſit, magno cum eiulatu, petiit reportari in ſuum Monaſterium. Móxque inſigni Dei beneficio recuperata ſanitate pro noxa Apoſtaſia conuenienter multatus, per annos complures in ſancto propoſito perſtitit, vt ſcribit victor. 3. antea Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui Mancuſum iſtum abs ſe in monaſterio viſum, & ſuo tempore vita functum ſcribit l. 1. Dialog. pag. mihi 25.

CAP. XX. *Apoſtata in ſe reuerſi.*

Hugonis Monachi ex apoſtata in virum frugi & probatum Religioſum mutati, hiſtoriam ſcripſam reliquit, qui ſuppleuit opus Aſſonis Abbatis de vita S. Berthari Martyris, lib. 2. cap. 21. apud Surium pleniorem, 16. Octobris.

In rebus geſtis S. Petri Abbatis Cauenſis cap. 22. apud Surium 4. Martij, habetur hæc narratio huic loco peropportuna. *Miles quidam Gallus genere, in Monaſterio conuerſus eſt, qui cum plurimum temporis communi ordine religioſe vixiſſet, tandem poſt tergum reſpiciens, mundi delicias quas contemnendo fugerat, velut Ægypti ollas carnium deſiderauit. Relicto igitur monaſterio, ſe à culmine Religionis in præcipitium dedit, arma reſumpſit, & viuere ſeculariter capit. Qui cum tam dementer erraret, & dignum ſe faceret, quandoque diuina gratia, patris ſui meritis reſpectu, ad Monaſterium rediit, & multa quæ conquiſierat, quaſi gratiſſima munera ſecum portabit. Pater autem venerabilis, cum hunc rediiſſe cognoſceret, cum magno gaudio recepit: Ea verò omnia quæ attulit, contempſit, ingentemque foueam fieri iuſſit, in qua delata omnia, igne concremauit. Quod nimirum vir Sanctus faciens, exemplum poſteris dedit, vt Fratrum perſonas diligant, & animarum damna fieri, nullius lucri diſpenſatione permittant.*

Extat apud *Cæſarium lib. 1. Miracul. cap. 2.* inſigne exemplum apoſtatæ Ciſtercienſis qui in latronem ac graſſatorem breui euaſit, ſed ſub mortem reſipuit; & negata licet à ſtulto & immiti Confeſſario abſolutione peccatorum, per contritionem deuitauit Tartarum. Addit Cæſarius, de eiuſdem ſanati apoſtatæ anima, ſubſidiis per patruum Epiſcopum ſuppeditatis, erepta è Purgatorio poſt biennium, tametſi diuino decreto per annos bis mille hæſura erat in illis pœnis, niſi eas extrinſeca ſublenatio intercidiſſet.

Salomon Monachus Hemmenrodenſis, vt eſt apud *Cæſarium lib. 11. c. 19.* primùm Benedictinus, tùm Præmonſtratenſis, tertiò Ciſtercienſis, & vbique apoſtata, tandem poſt tertiam Apoſtaſiam reuenit ad Ciſtercienſes, vbi ſanctè obiit. Notatur eius memoria in Ciſtercienſi Menologio 9. Ianuar. vbi etiam 16. Martij narratur triplex Apoſtaſia Beati Conſtantij, conuerſi Claræuallenſis à S. Bernardo laudati, & poſt tot lapſus, ſancto fine conſummati.

Luculentum planè eſt exemplum quod recitat idem *Cæſarius lib. 2. Mirac. cap. 3.* de apoſtata Ciſtercienſi qui ſub ipſo S. Bernardo Monachus fuerat, & abiecta Religioſa veſte factus eſt Parochus? perque anno plurimos adhæſit Lupæ ex qua multiplicem prolem ſuſcepit. Tandem verò miraculo pueri elinguis per S. Bernardum qui ad eum diuerterat vſu linguæ redonati, compunctus corde, S. Bernardo qui eum non agnouerat, ſupplex accidit; & regreſſum popoſcit, quem vir Sanctus non negauit, ſed ad ſui reditus breuem moram diſtulit, ſecurum factum quod ſi interea moreretur, habendus eſſet apud Deum pro Monacho. Obiit reipſa in ea mora miſer quondam apoſtata, & quia habebatur Clericus habitu Clerici tumulatus eſt. Regreſſo autem Sancto Abbate, & corpore defuncti ad preces S. Abbatis extumulato, apparuit veſtitus habitu Monchi, manifeſtè comprobante Deo, non deſpici in Cœlo cor contritum, & humiliatum.

Nicolaus Roſchildenſis in Dania ſub Sancto Vvillelmo Abbate Monachus, poſt turpem à ſancto inſtituto defectionem, reuocatus eſt ad bonam frugem obiecto cœleſti viſo. Rem geſtam ſic deſcribit eiuſdem S. Vvillelmi rerum ſcriptor huius apoſtatæ ſocius apud Surium 6. Aprilis, poſt deſcriptum ſancti illius Abbatis tranſitum. Ex ſancti Viri alumnis. [Alter *Nicolaus* nomine, a Monaſterio aufugerat, & dabat operam lucri. Hildenj, quod eſt Saxoniæ oppidum. Is vidit per viſionem quandam ſibi ignotam in ſtola candida, cœlum ſcandere, & intra albicantes nubes ita recipi, & vt tantùm pedes, & extremæ veſtes cernerentur. Stetit igitur affixis cœlo oculis admirabundus. Sed mox adeſt quidam, ſciſcitans quid ita miraretur, ac deinde ſubiungens; Hic homo quem vidiſti in cœlum recipi, Abbas tuus eſt, qui multa patientia vicit ſæculi perſecutiones: nunc autem coronatur, quia fideliter permanſit in mandatis Domini ſui. Expergefactus Nicolaus, ducitur pœnitentia, reditque ad ſuum Monaſterium, & emendationi ſe offerens, hanc viſionem omnibus enarrauit.]

Roncelinus, in Gallia Narbonenſi, tempore Innocentij tertij, inſignis apoſtata fuit, vt habetur ex Innocentij Regeſto lib. 12. Epiſtola 95. vbi hæc de eo. [Cum Roncelinus qui habitu Monachali reiecto, Maſſilienſis ciuitatis dominium ſibi temerè vſurparat, propter apoſtaſiam, periurium, & inceſtum, nec non rapinas, & quædam alia dudum à nobis, & poſtmodum à te Frater Regenſis, & bonæ memoriæ Magiſtro Milone Notario noſtro tunc Apoſtolicæ Sedis Legatis, excommunicatus extiterit; tam ciuitate Maſilienſi, quam vniuerſa terra ipſius, Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto.] Summa hæc eſt ſcelerum Roncelini, de quibus item ſuperiùs in eodem Regeſto, mentio præceſſerat Epiſtola 40. Subdit verò Innocentius, iſta de reſipiſcentia Roncelini. [Sano conſilio tandem ductus, nobili muliere dimiſſa, reiectum habitum reaſſumpſerit, humiliter & deuotè, ac à te Frater Vticenſis excommunicationis & interdicti ſententias petierit relaxari; Tu ſufficienter ab ipſo cautione recepta, & ciuitate Maſſilienſi relaxati ſententiam interdicti, eidem Roncelino firmiter iniungendo, vt per ſeipſum, vel per fidelem nuncium, ſi forſan infirmitate vel alia iuſta cauſa perſonaliter ad nos accedere non valeret noſtro ſe curaret conſpectui præſentare, Apoſtolicæ benignitatis miſericordiam petiturus. Qui humiliter mandatis tuis obtemperans, laborem ſubiit ad ſedem Apoſtolicam veniendi. Sed tam propter viarum pericula, quàm propter inualitudinem corporis præpeditus, procedere non potuit vltra Piſas.] Addit Innocentius eum Piſis ægritudine detentum, graues Nuncios Romam miſiſſe, quorum rogatu, & vniuerſi populi Maſſilienſis, ac multorum Prælatorum poſtulatis annuens, conceſſit, vt ſuis Maſſilienſibus apud quos Conuicecomitem agebat, reaſſumpto monaſtico habitu præeſſet, patrimonium ſuum, annuente Abbate diſpenſaturus, eiuſque portionem Monaſterio aſſignaturus, ſalua ipſi Roncelino eius adminiſtratione: reliquam in ſatisfactionem ac compenſationem rapinarum, & damnorum, variis per tempus Apoſtaſiæ illatorum, erogaturus. Iubet verò eum meminiſſe, vt ob collatam ſibi gratiam, [nouæ conuerſationis ſtudio, ſe reddere audeat omnibus gratioſum, tam in habitu, quàm in aliis nihil prorſus attentans contra Monaſticam honeſtatem.] Exemplum eſt perilluſtre, apoſtatæ reſipiſcentis; cum poſſet, & gratia qua apud ſuos Maſſilienſes valebat plurimùm, contumaciam fouere ſi mens læua fuiſſet, & implicitus tot nexibus, etiam apparentis coniugij, conquirere excuſationes in peccatis, quas plerique in longè inferioribus adiunctis, nequitiæ obtendereunt:

Et

Et præterea exemplum inſigne benignitatis Innocentij, indulgentis Monacho, vſum & adminiſtrationem ampliſſimarum facultatum, vt expeditior via regreſſui pararetur, & remora ab obligatione reſtituendi, ob damna innoxiis illata, præcluderetur.

Petrus Marginet Populeti in Catalonia Monachus Ciſtercienſis, inde apoſtata, tandem reſipiſcens ſanctè obiit. Rem geſtam ſic paucis complexus eſt Chryſoſtomus Manriquez in Menologio Ciſtercienſi Martij 26. *Populeti in Catalonia B. Petrus Marginet qui ibidem ſub ſacro Ciſtercienſi iugo piiſſimè educatus, & ſanctis moribus informatus, Chriſto adhærere cœpit: ſed Dæmonis ſuaſionibus ſeductus, viam veritatis deſeruit, aufugit, & ex Monacho nefarius prædo & prædonum dux ac Capitaneus effectus, multis latrociniis, homicidiis, ſtupris, aliiſque criminibus animam ſuam ſordidauit. Sed tandem diuina potentia poſt aliquot annos conuerſus, ſponte ad proprium Monaſterium redijt, Ordinis rigori ſe ſubiecit: diu concluſus, diſciplinis, ieiuniis, ciliciis, aliiſque pœnalitatibus afflictus, ſpiritum ſuum emundari curauit. Et ecce iterum ex prædone pius, ex latrone Sanctus efficitur. Noctes inſomnes ducebat, nunquam lecto vtens, vix oleribus veſcens, pane & aqua contentus: ad tantamque perfectionem deuenit, vt à Cœlitibus ſæpè viſitaretur: Dæmones ſibi horrendis formis apparentes & terrere conantes, intrepidus aſpiceret, confuſos fugaret: imo ipſum ſuperbiæ Principem ſub ſpecie aſini, zona qua vir pius præcingebatur ligatum, ligna, lapides, & alia ad Monaſterij conſtructionem, vel reparationem neceſſaria portare coegit, & ſic plenus meritis pura mente & miraculis inſignis, migrauit ad Dominum.*

Quamuis rara & infrequentia eſſent huiuſmodi exempla, tamen ſatis ſuperque eſſe deberent ad animandos apoſtatas vt reuertantur: quia Deus iuxta *S. Paulinum Epiſtola* 29. oſtendit in raris, quod omnibus (ſi velint,) proſit. Cæterum nullum non æuum iſtiuſmodi exemplorum eſt feraciſſimum. Ex his, pauca ſelegi, quia vt dicit idem Paulinus, ſufficit vniuerſorum inſtitutioni forma paucorũ Ex his porrò paucis poteſt perſpicuum eſſe, verè omninò Siracidem affirmaſſe, meliorem eſſe iniquitatem viri, quàm mulierem benè facientem. *Vir enim* (Gloſſa eſt S. Gregorij 11. *Moral. cap.* 26.) *fortis quilibet & diſcretus vocatur: mulier verò, mens infirma & indiſcreta accipitur. Et ſæpè contingit, vt etiã diſcretus quiſque ſubito labatur in culpã: atque indiſcretus alius & infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is qui indiſcretus atque infirmus eſt, nonnunquam de eo quod benè egerit, ampliùs eleuatur, atque grauiùs in culpam cadit: diſcretus verò quiſque, ex eo quod malè ſe egiſſe intelligit, ad diſtrictionis regulam arctiùs ſe reducit, & inde altiùs ad iuſtitiam proficit, vnde ad tempus à Iuſtitia cecidiſſe videbatur. Qua in re rectè dicitur, melior eſt iniquitas viri, quàm benefaciens mulier; quia nonnunquam etiam culpa fortium, occaſio virtutis fit, & virtus infirmorum, occaſio peccati.*

Petrus Bleſenſis Epiſtola 50. pereleganter in hanc rem diſſerit. *Gratiùs (inquit) accepta eſt Deo pœnitentia peccatoris humilis & contriti, quàm innocentia iuſti tepidi & remiſſi. Sed & maius gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis qui non indigent pœnitentia. Cum in ſacro eloquio per ouem innocentia ſimplicis vitæ, per capram verò, peccantis immunditia deſignetur; ei tamen, longè ab oſtio tabernaculi iubetur offerri. Capra verò, quæ pacifica hoſtia eſt, in ipſo oſtio, vnde ouis elongata eſt, immolatur. Sacra enim ſcriptura vbique inuitat & recipit ad pœnitentiam peccatores. Elongantur autem à ſanctuario, qui vacuam & tepentem innocentiam ducunt: atque familiariùs admittuntur in ſinu matris Eccleſiæ, qui malitiam per pœnitẽtiã fortiter abſterſerunt. Vides Dominum comedentem & bibentem cum peccatoribus, & publicè proteſtantem, Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Habes Dauid, habes Petrum, habes Publicanum, habes Paulum, qui primam meritorum gratiam fructuoſa pœnitentia tranſcenderunt. Chriſtus exurgens à mortuis, non ſuæ Matri Virgini benedictæ, ſed Mariæ peccatrici, de qua ſeptem eiecerat dæmonia, priùs eſt dignatus apparere, vt puto. Capra igitur non abiicitur ab oſtio tabernaculi, ſicut ouis, quia Deo & Angelis eius, gratior eſt peccatoris conuerſio, quàm tepida ſimplicitas innocentis.* Quod ait, Chriſtum rediuiuum non primò apparuiſſe Deiparæ, repudio; & benè ibi reiicitur à Buſæo, nec nõn à *Suare Tom.* 2. 3. *p. d.* 49. *ſect.* 1. Cætera quæ ad rem præſentem pertinent, exoſculor.

Produnt ſe verò hac ratione qui lapſi ſunt, & fortiùs reſurgunt, Athletas bonos, vt eleganter tradit *S. Ambroſius in Pſalm.* 36. ad illud, Iuſtus cum ceciderit non collidetur. In quæ verba ſic diſſerit. *Athleta ſi lapſus fuerit non collidetur; & ſi ab eo qui ſuperior ſit prematur, manibus tamen ſe ſuſtinens, iure decertat: nec aufertur brauium, niſi fuerit fuſus in ventrem, aut diſtentus vinculo lacertorum. Inde oriuntur crebra certamina, quia multa & incognita pleriſque ſunt genera ruinarum Græcè enim πτώματα nuncupantur. Ergo quum ſtringitur & vrgetur, ſæpè ſe voluit, & fit ſupra, qui inferior habebatur; ſuperioremque dum ſurgit elidit: quod videtur ſcriptura ſignificare, cum dicit vniuerſum ſtratum verſaſti in infirmitate eius. Itaque de eo dicitur: cum ceciderit bonus athleta, non conturbabitur. Plerique enim volunt teneri quo maturiùs vincant, qui de arte præſumunt. Sed etiam ſi aſſignatus, vt ipſo verbo vtar & primò & ſecundò fuerit, non colliditur; licet ei interdum reparare luctamen: & vincere ſæpè contingit, & cedere eum qui ſecunda contentione ſuperauerit. Ita ergo etiam iuſtus, etſi offendiculum incurrerit & ceciderit, non relinquat tamen ſtudium deuotionis & fidei; ſobrietatem teneat, pœnitentiam gerat, ſæpè ſe ſeparet.*

CAPVT XXI.

CAP. XXI. Locus apoſtatæ perſanati.

Sanatus Apoſtata quo loco habendus.

QVO apud Deum ſit loco qui conualuit ex infirmitate, docent innumeræ ſcripturæ quibus Deus conteſtatur, ſe omnia ſcelera hominis conuerſi ad cor, obliuioni daturum, & omnium iniquitatum eius non recordaturum ampliùs. Parabola quoque filij prodigi in ſe reuerſi, docet iubere Deum, vt proferatur citò, id eſt, illicò, in momento conuerſionis perfectæ, ſtola prima, deturque annulus in manu peccatoris; id eſt, vt omnibus anterioribus prærogatiuis gratiæ potiatur, quibus frueretur ſi peccatum non interceſſiſſet. Ita quidem Deus erga peccatores conuerſos, quia ſcrutatur renes & corda, nec latet eum vlla humani pectoris fibra.

CAP XXI. *Labes Apoſtatæ perſanati.*

Non extergi ad purum labem Apoſtatæ ſanati, quæ ſuadere videantur.

AT humanum iudicium, quia prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, nec ſemper conſtat de reuertentis mente, aliter plerumque ſtatuit. Nec ago de iudicio priuato, quod interdum vitio non vacat, eique reprehenſioni ſit obnoxium, quæ his verbis inſtituitur apud *Richardum lib. de Incar. verbi cap. 3. Fortè dicis apud temetipſum, non ſum ſicut cæteri Fratrum, non ſum denique ſicut carnalis iſte qui omni die deſeruit ventri & gulæ, eo quod ipſe relicta Sion, Seir habitator effectus ſit, & inter Idumæos ſicut ſocietatem, ſic & ſortem acceperit. Hoc eſt tumultuari apud temetipſum, non clamare ad Dominum. Sed fortè ille quem iudicas, iam ſeipſum accuſat: Iam fortè ad Dominum clamat & exiit iuſtificatus à te, vt meritò debeas à Domino per improprium audire, ad me clamat ex Seir.* De hoc igitur idcirco nunc non ago, ſed humano iudicio publico, quod longè aliter plerumque ſe habet, quàm iudicium priuatum. Sic vidimus circa Hæreticos & apoſtatas à fide, etiamſi reſipiſcant, nonnulla eſſe Eccleſiaſtico iure conſtituta, quæ circa non ſeruarentur niſi peccaſſent. Agit de illis *Alfonſus à Caſtro lib. 1. de iuſta Hæreticorum punit. cap. 22. & 23. & Riciullus lib. 5. de iure perſonarum extra Eccleſiam cap. 34.* Quin etiam Neophiti & nominatim qui ſunt Iudaico ſanguine creti, quamvis conuertantur ad Deum viuum & verum, niſi ſint iampridem conuerſi, ad publica officia non promouentur, vt habent *Gloſſa in c. Conſtituit 6. q. 4. Tiraq. Tract. Ceſſante cauſa limitatione 12. num. 11.* & cum multis aliis *Riciullus Tract. de Neophytis cap. 5. num. 1.* conſentaneè ad Apoſtolum qui vetat Neophytum eligi in Epiſcopum 1. Timo. 3. concinitque Synodus Nicæna Can. 2. Imo in quibuſdam Eccleſiis expreſsè cauetur, ne oriundi à Neophytis admittantur ad beneficia Eccleſiaſtica, quod eſt quidem contra ius commune, vt conſtat ex *cap. Eam te de Reſcrip.* vbi Pontifex arguit Epiſcopum Tornacenſem, ob reiectum à Canonicatu quemdam ex Iudæis oriundum; tamen ſi ſtatutum arcens à beneficiorum conſecutione Neophitos, reſtringatur ad vnum aut alterum gradum, vel ad ſummum ad quartum gradum, non cenſetur iniquum, vt notat citatus proximè *Riciullus c. 6. n. 14.* & praxis inter pios & peritos vigens confirmat; nixa rationabili ſuſpicione quæ haberi poteſt, ne quid rubiginis ſuperſit in huiuſmodi vaſis interdum minùs benè deterſis. Quid quod ſtatutum arcens à Religioſa Familia certum genus perſonarum, puta Marranos, iuſtum & rationabile cenſetur, vt tradit *Caietanus Tom. 1. Opuſc. in vlt. ad q. 6.* Imò Minoritæ edito ſtatuto infirmarunt profeſſionem ſi ab huiuſmodi hominibus fieret, quod licet reprehendat *Nauarrus Conſil. 26. de Regul. & Sanch. lib. 7. de Matr. Diſp. 37. num. 30.* probatur tamen ab alijs, & nominatim à *Suare Tract. vlt de Relig. lib. 2. cap. 2. à num. 4.* & meritò: quia Religio ex conſenſu ſaltem generaliter præſtito, à Pontificibus, poteſt velle præbere aſſenſum neceſſarium vt profeſſio ſit valida, tantùm ſub hac conditione, vt profitens ſit ex ſanguine puro; eo quod plerique ea conditione deſtituti, notati ſint eſſe tumultuoſi & incentores factionum, vel aliter quoquo modo participes maledictionis illius quam ſibi & poſteris apprecati ſunt Maiores eorum Chriſtum ad furcam poſtulantes.

Quod ſi pro prædictis, & nominatim pro poſtremis, tametſi innoxiis, talia meritò ſunt conſtituta, quanto magis pro Apoſtatis, quorum macula teterrima eſt, & perſonalis? Nam quamvis certum ſit eos cum reueniunt, admittendos eſſe, per ſe loquendo, & niſi iuſto crebrius diſceſſerint ac reuenerint, vt eſt apud *Iſidorum Peluſiotam lib. 1. Epiſt. 318.* tamen in odium tam atrocis culpæ, & ſcandali dati, & videntur nota aliqua perpetua digni, vt & ipſi memores ſint iniquitatis ſuæ, & cæteri eorum exemplo arceantur à ſimili prolapſione. Eiuſmodi perpetua nota eſſe videtur, quam iuſſit Paulus 4. in motu proprio cuius initium eſt, *Poſtquam diuina bonitas*, firmato per Pium 5. alio motu proprio cuius initum eſt. *Quæcumque ſacrarum.* Eo quippè motu proprio, Paulus quartus, apoſtatas ſuſpendit in perpetuum, àb omni cuiuſcunque Eccleſiaſtici ordinis executione, & ab omni gradu, & à quibuſuis beneficiis quæ iam eſſent adepti, eorumque fructibus; addita inhabilitate perpetua ad quoſcunque gradus & beneficia. Sed neque poſſe in ſuperiores ordinis eligi, quamvis bonæ vitæ fragrantia putorem anterioris lapſus diſpulerint, cenſent *D. Antonius 3. p. Tit. 24. cap. 53. & Silueſter v. Excommunicatio. 9. caſu 24. num. 52.* & aliquot Veteres Canonum periti, quos adducit, & ſequitur *Archidiaconus cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* Vult hic Autor, huiuſmodi apoſtatas reduces, ſi eligantur in ſuperiores, teneri reſignare. Id quod idem autor probat ex *Capite. Per tuas* de voto; vbi quidam qui votum emiſerat ingrediendi Religionem, nec illud impleuerat, monetur à Pontifice dimittere ius ſuum ad Epiſcopatum, & inire Religionem.

Contrarium aſſeritur.

NIhilominus obliterari in Apoſtata ſanato omnem anteriorem labem, exiſtimo verum: & nominatim certum eſſe debet, Apoſtatam ſanatum, poſſe validè & licitè eligi in ſuperiorem ſui Ordinis, quod latiſſ. tradit *Oldradus Conſilio 202. ſubſcribit Bonac. de Clauſura, q. 2. puncto 11. §. 3. n. 6. Antonius Santarellus de Apoſt. cap. 3. dub. 2. num. 21. Azor. t. 1. l. 12. c. 17. q. vlt. & Sanches lib. 6. in Decalo. c. 8. num. 32.* adducens alios. Sanè Chriſtus Dominus, Petrum poſt negationem, & defectionem ab ipſo Chriſto, Eccleſiæ ſuæ rectorem & Apoſtolorum omnium Superiorem conſtituit, vt obſeruat S. *Chryſoſtomus hom. 1. de Pœnitentia.* Quanto ergo magis qui à cœtibus Religioſis deficiunt, poterunt ſi ſanentur præfici cæteris? De hoc non videtur dubitandum. Et ratio eſt quia nullum reperitur ius, quod priuet Apoſtatam ſanatum habilitate vt eligatur in ſuæ Religionis ſuperiorem. Nam caput *Per tuas*, quod adducebatur pro ea inhabilitate, ſpectat apertè ad alium ſcopum. Siquidem is qui eo capite memoratur fuiſſe electus in Epiſcopum, tenebatur voto Religionis ineundæ; quod cum poſſet implere; meritò Pontifex autor illi eſt vt voto ſatisfaciat, acquieturus deinde electioni, ſi poſt impletum votum continuaretur electio, aut de nouo fieret. Hoc verò quid refert ad irritandam electionem Apoſtatæ in ſuperiorem ordinis ſui Conſtitutiones Pauli 4. & Pij 5. ſuperiùs adductæ, non eſt quod vrgeantur. Neque enim ſunt vſu receptæ, vt ſcribunt *Rodericus in ſumma Tomo 2. c. 6. num. 7. & Sanchez cap. illo 8. num. 30.* Cum igitur nullum ſit ius vigens, quo Apoſtata ſanatus arceatur à quouis munere,

munere, non eſt cur gratis negemus, eum eſſe ad hoc idoneum. Ac proinde nulla ei nota & quaſi cicatrix ex priore allitione remanet, cum nulla præter illam inhabilitatem proferatur. Eſto in pœnam tanti ſceleris, poſſet inuri aliqua indelebilis nota, ſi ita videretur ſummis Eccleſiæ Antiſtitibus, vt aliquæ peculiares Religiones feciſſe dicuntur. Iure tamen ſcripto vniuerſali & communi, res habet vt dixi. Et meritò ita factum eſt, vniuerſim loquendo: Tùm ne regreſſus apoſtatarum ad ſanam mentem eſſet operoſior; tùm ne virtus eorum, eſſet irremunerata, quando per alias circumſtantias liceret. Eſt enim non exigua virtus apoſtatæ regredientis, & tot obices perrumpentis per inſignem planè de Satana triumphum. Imò ea virtus aliquatenus iluſtrior eſt, quam perſtantium Nam vt in ſimili de SS. Caſto & Æmilio aliquando lapſis, dixit *D. Auguſtinus ſerm. 4. & 11.* additis, alij vicerunt tentantem Satanam, iſti etiam triumphantem. Huc accommodari facilè poſſunt, quæ pro recipiendis poſt congruam pœnitentiam lapſis, reponendiſque in gradum priſtinum, latè ex variis antiquis Conciliis & Patribus diſſerit *Rabanus lib. pœnitentiali cap. 1.*

Eſt autem magna diſparitas inter Hæreticos, apoſtatas à fide ex vna parte, & apoſtatas à Religione ex parte alia. Nam iis qui infidelitate laborarunt, demptis quibuſdam euentibus in quibus hic rigor noceret Eccleſiæ, negatur regreſſus ad eoſdem titulos & gradus, vt eruditè ac fusè monſtrat vir doctus ad *l. 2. D. Auguſtini contra Epiſtol. Parmen. cap.* 13. Talibus quippè propter ingens periculum ſubuerſionis aliorum cum quibus eos verſari contigerit, meritò negatur regreſſus, cum iiſdem omnibus idoneitatibus ad munera ſacra quibus potiebantur ante prolapſionem in infidelitatem. Præterquam quod ea ratione, Eccleſia meliùs obſtruit, aditum fraudibus & ſimulationibus, quibus lapſi ſimularent ſe reſipiſcere, vt ad honores & munera quibus excluſi erant, remigrarent. Et tandem horror ex recordatione anterioris infidelitatis, plurimùm officeret fructui qui ſperandus & quærendus eſt ab iis quibus creduntur Eccleſiaſtica munera. Quæ omnes rationes ceſſant pro apoſtati à Religioſo ordine, ritè ſanatis, ſaltem vt plurimum. Vnde meritò Eccleſia, noluit vniuerſale aliquod impedimentum illis iniicere, quominus poſſent ad munera quælibet prouehi.

Quo etiam modo procedit Eccleſia circa poſteros Neophytorum: eos quippè admittit ad omnia munia: quamvis toleret ſtatuta particularia contraria; ſiue quia ita viſum eſt fundatoribus ac patronis, quibus liberum eſt apponere quaſcunque conditiones particulares & à iure non improbatas; ſiue quia alicubi occurrunt certæ cauſæ propter quas delectus ille perſonarum ad certos gradus, & excluſio hominum impuro ſanguine ſatorum, rationabiliter inducta videatur. Eademque ratione. Eccleſia tolerat ſpecialia ſtatuta contra Apoſtatas à Religione, etiamſi iure vbiuis locum habente, nihil tale ſciſcat.

Ipſos autem Neophytos, Canones Eccleſiaſtici arcent ab Epiſcopatu (ſecluſa infrequenti neceſſitate & diſpenſatione ob graues cauſas) ne lædatur in primo flore botrus eorum; id eſt, ne in ſuperbiam elati, in iudicium incidant Diaboli. Nimis enim ipſiſmet periculoſum eſſet, admoueri ad gubernacula Eccleſiæ, & docendis aliis adhiberi, ante plenam & eruditionem & virtutem partam, quod non eſt breuis temporis opus, ſed diuturni in re Chriſtiana ſtudij, iuxta generalem doctrinam de commodo tempore quo aliqui aliorum rectionem & eruditionem poteſt capeſſere, de qua *S. Gregorius 8. Moral. cap. 33. & 34. & 35. Et lib. 4. Epiſt. 51.* vnde hæc pauca delibo. *Scimus quid ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, niſi à nouitatis ſuæ humore ſiccentur: ne ſi ante pondera, quam ſolidantur, accipiant, cuncta ſimul fabricam ad terram deponant; & cum ad ædificium arbuſta ſuccidimus, vt priùs viriditatis humor exſiccari debeat, expectamus: ne ſi eis adhuc recentibus fabrica pondus imponitur, ex ipſa nouitate curuentur, & confracta citiùs corruant quæ immaturè in altum leuata videbantur. Cur ego hoc non ſubtiliter in hominibus cuſtoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus, tanta conſideratione perpenditur.*

CAP. XXI. *Locus apoſtata perſanati.*

Fuſius alio loco mox notando. Optimè quoque *S. Cyrillus lib. 10. de ador.* eodem refert quod vitulus & agnus non poterant Deo offerri priùſquam per ſeptem dies ſub matre fuiſſent; vt doceantur priùs ſubeſſe qui aliis ſunt profuturi. Nec ob diſſimiles cauſas, S. Gregorius tanto ſtudio arcuit nouos Clericos, id eſt, recens à ſeculo in Clerum cooptatos quos etiam vocat *Neophytos*, ab Epiſcopatibus, vt videre eſt *lib. 4. Regiſt. Epiſtola 51. ad Virgilium; & lib. 7. Epiſtol. 112. ad Siagrium:* firmaruntque S. Gregorij decretum Nicolaus I. Epiſt. 12. & Paſchalis Papa vt refert *Goffridus Vindoc. lib. 1. Epiſt. 1.* Itemque 8. Synodus Oecumenica actio. vltima Canone 5. vbi Neophytos & in Chriſtiana fide & in Ordine Clericorum, ſecernit, & ab Epiſcopatu arcet vtroſque, aſſignando Neophytis in Clericatu, decennium permanſionis in ordine Eccleſiaſtico, priùſquam ita promoueantur ad Epiſcopatum. Ambigit autem Goffridus ſupra, quorſum à S. Gregorio huiuſmodi Neophytus factus Epiſcopus vocetur *Hæreticus*, quo nomine etiam eum vocat *Iuo Epiſt.* 149. Et Breuiarium Romanum 12. Martij. Obfirmationem aliquam accedere neceſſe fuit, ob quam ſchiſma primo, deinde etiam vera Hæreſis ſit exorta, vt ferunt ſemper hæreſeon primordia, & fines ſchiſmatis, in quo fidem periclitari, rectè monuit *Ferrandus in 5. Regula.* Eſt igitur alia omnino ratio Neophytorum acceptorum quomodocunque, cur ad Epiſcopatus promoueri non debeant ex Eccleſiaſtica Conſtitutione; alia Apoſtatarum à Religioſis Ordinibus cum ſanati fuerint. Eorum autem qui à Neophytis priore modò acceptis, hoc eſt à Nouitiis Chriſtianis ſunt oriundi, eadem omnino quoad hoc eſt ratio, ac Apoſtatarum à Religionibus. Vtrique enim nullo generali Eccleſiæ decreto; arcentur ab Eccleſiaſticis Præfecturis, etiam Regularibus.

Video opponi in hanc ſententiam poſſe, Decretum Concilij Africani quod S. Auguſtinus adducit Epiſtola 235. quæ eſt ad Quintianum *ſub finem*, quo vetatur, ne qui fuerint Apoſtatæ Religioſorum, fiant Præpoſiti Monaſteriorum. Et ſimiliter Epiſtola 76. quæ eſt ad Aurelium, non vult Deſertores Monaſteriorum, ad militiam Clericatus eligi, & præfici cœteris. Verum ea loca nihil faciunt aduersùs propoſitam ſententiam. Cum in eis D. Auguſtinus tantùm neget, Monachos Apoſtatas poſſe diſcedere ex Monaſterio quod primum incoluerunt, & alibi fieri Monaſteriorum Præpoſitos; vel etiam in proprio ad dignitates illicò poſſe prouehi, priùſquam planè exerſerint Apoſtaſiæ infamiam per bonam vitam. Id enim planè dedecet, præbetque occaſionem lapſuum *Seruis Dei, ſi ſe faciliùs putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores:* verba ſunt D. Auguſtini Epi-

CAP. XXI. *Fructus Apoſtatæ ex ſuo caſu.*

ſtola illa ad Aurelium. At hæc quæ à D. Auguſtino negari videmus, longè differunt ab iis quæ admiſimus: nempè quod apoſtata ſanatus, poſt abſterſam perfectè infamiam: poſſit ibidem vnde receſſerat, eligi in Præfectum, ſiue Rectorem. Eodem autem ſenſu quo D. Auguſtinum expoſuimus, accipiendus eſt Canon. 47. Concilij Africani, quem D. Auguſtinus retulit; itemque Canon. 13. Concilij Quinti Carthaginenſis.

CAPVT XXII.

Fructus ipſimet Apoſtatæ ex anteriore Apoſtaſia legendus; ſimulque Diætetica vitæ ratio, eidem iam ſanato præſcripta, ne relabatur.

ELectis Dei omnia cooperantur in bonum, etiam peccata, quamvis tetra & atrocia. Qua in parte electi imitantur Deum, qui ex horrendis quibuſuis facinoribus eruit maxima bona, videlicet ex Adami lapſu, aduentum Christi, cæde & adulterio Dauidis, publicum pœnitentiæ valetudinarium, vt dixit *Baſil. Seleucia orat. de Dauide:* Ex Herodis ſæuitia immani, Innocentũ gloriam: Ex Chriſti nece (quod peccatum peccatorum fuit, iuxta autorem libri de oper. Card. ſerm. de Paſſione *in fine.*) redemptionem humani generis, & iuſtam pro peccatis noſtris ſatisfactionem. Sicut ergo Deus, ad hunc modum è ſpinis noſtris vuas & ex tribulis ficus legit, ſatiſque indicauit tanta bona è malis eruere, quam mala eſſe non ſinere, vt dixit *S. Auguſtinus cap. 27. Enchir.* Ita electi quique Deum ſtudioſè imitantes eruunt à malis ſuis bona magna. Idque quomodò faciat circa apoſtaſiam ſuam apoſtata, conſideratione dignum eſt, ad quam nunc aggredior, vnaque Canones præſcribam quibus vita exigenda eſt apoſtatæ ſanato, ne relabatur. Nam ea certa vitæ ratio, fructibus illis continetur.

Neceſſarius Apoſtatæ ſanato, gratus in Deum animus.

IN primis igitur depoſcitur ab Apoſtata ſanato, gratiarum actio commenſa beneficio, quod Deus ſanatione & indulta regrediendi voluntate contulit. Accommodatque ad id eſt pars illa Pſalmi 39. quam *S. Ephrem Paraneſi 47. in fine*, indicit Monacho qui labarat, poſtquam eum prolixè confirmauit. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & eduxit me de lacu miſeria & de luto facis: Et ſtatuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro.* Hoc veluti tributum repoſcit Deus ab iis omnibus quos è magno aliquo diſcrimine eduxit, & nominatim à magnis peccatoribus, poſt conceſſam illis liberaliter remiſſam criminum. Quod verò maius & horribilius periculum, quam illud in quod ſe Religioſus per apoſtaſiam coniecerat, regrediens ad ſeculum, è quo ſumma Dei benignitate extractus fuerat? Quod item atrocius peccatum intra ſtatus ſui limites admittere poterat, quam eos tranſgrediendo, & pactum cum Spiritu Sancto initum infringendo? Quare gratiarum actionem quam Apoſtata ſanatus pro nouo hoc beneficio debet Deo, eiuſmodi eſſe par eſt, vt omnis eius Spiritus, omnis (inquam) aſpiratio, laudet Dominum. Affectum hunc gratiarum actionis, primo loco indicebat. *S. Anſelmus lib. 3. Epiſtola 102.* tribus Monachis Apoſtatis cum ſanati redeuniſſent. Eundem dulciſſimum grati animi ſenſum, prodidit apud *Gulielmum Pariſ. 1. p. de vniuerſo p. 3. c. 9.* quidam è Clero, plurimorum ſcelerum infamia flagrans, nec minus vitiis quam diuitiis abundans. Cum enim accepiſſet ſe electum in Præſulem, homo ſpurcitiarum ſuarum & teterrimorum criminum conſcius exclamauit; viciſti Domine, viciſti me benigniſſime ac dulciſſime Deus, infatigabili bonitate tua. Quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Itaque actis medullitus Deo pro tanta erga ſe patientia & benignitate gratiis, Epiſcopatum quidem non admiſit, facultate autem omnes, gratam Deo victimam in holocauſtum Domino offerens, ſeculo valedixit, & mutatus in virum alterum, monſtrauit quantum poſſet apud gratum animum ſenſus beneficij eductionis ſtatu peſſimo. Non diſſimilem ergo ſenſum induat neceſſe eſt reſtitutus ſibi apoſtata, quippè ex immenſo gurgite eruditus, & denuò tranſlatus ex vligine & cœno Seculi in Paradiſum Religionis, & ad multa maiora bona quàm ſit Epiſcopatus, cuius delatio talem ac tantum gratitudinis ſenſum in pectore reſipiſcentis illius Clerici excitauit.

Item humilitas ex vilitatis anterioris memoria.

HAnc gratiarum actionem, ſtercorari (vt ſic dicam,) & impinguari oportet immiſſione cophini Euangelici, vt aliò transferam verba *S. Paulini Epiſtola 15.* id eſt, intimo & ſincero humilitatis affectu, concepto ex nunquam dimiſſa recordatione anterioris caſus. Laudat egregiè hunc affectum in Dauide ſanato *S. Chryſoſtomus hom. 2. in Pſalmum* 50. Et quia æquè illum depoſcit à quouis inſigni peccatore, cuiuſmodi ſanè eſt Apoſtata, adſcribam hic verba Chryſoſtomi loco prædicto, in expenſione verborum illorum; *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper:* quæ verba à Dauide magno duplicis ſceleris admiſſi ſenſu prolata, cum retuliſſet, exclamat. *O generoſam animam! Adeò peccatum obliuioni minimè mandauit, vt etiam ipſum, tametſi condonatum, litteris prodiderit: ſiquidem in conſcientia non ſecus atque in pictura mulierem eam, quam adulterio ſubdiderat, ſingulis diebus proſpiciebat: ſingulis inquam diebus ſaniem ſuam cernebat. Et peccatum meum contra me eſt ſemper. Ego illud video: tu illud ne videas: ego litteris mando; tu illud oblitera. Vide enim quid fiat. Si tu illud memoria teneas, Deus è memoria abiicit. Si te illius obliuio capiat, Deus illius meminit. Ego enim ſum (ait ipſe per Prophetam) qui deleo iniquitates tuas & earum non recordabor. Tu verò fac eas memineris. Quarum autem de cauſa me peccatorum memorem eſſe vis? Vt tu ſcilicet gratum animum prabeas, atque quidnam tibi condonarim agnoſcas. Nam ſi peccati timorem ſemper in memoria habeas, ſemper etiam beneficy magnitudinem in memoria habiturus es. Condonaui tibi: ſed tu ne obliuiſcaris, & ego contra, ipſius memoriam deponam. Hunc nimirum animum ſancti geſtabant. Virtutum enim ſuarum obliti, peccata ſola, memoria retinebant: non vt huius tempeſtatis homines, qui peccatorum ſuorum memoriam exuũt, at contra ſiquid boni egerint, in medium illud proponunt.*

ponunt. Hanc legem tulit ipſe Deus apud Prophetam; vt homo quidem, peccatorum præſertim immanium, cuiuſmodi eſt Apoſtaſia, humillimè recordetur, eo ipſo autem Deus illud eradat, & obliuiſcatur.

Cordolium item, ex Dei violatione.

HVmilem peccati recordationem, non poterit non aſſectari cordolium ob violatum tanto ſcelere tam bonum Deum, & lamentatio ob tetrum & horrendum ſtatum in quem homo ſe coniecerat, per peccatum quod menti obuerſatur. Suſannam ſanctimonialem quæ de ſanctitatis propoſito ac ſtatu ceciderat, longa oratione ſanatam & reuocatam ad bonam mentem, hunc quem dico affectum ſuſcipere, iubebat, antiquus autor apud *Ambroſium, Libello ad Virginem lapſam cap.* 10. Tametſi longiuſcula eſt eius oratio, tamen quia formulam huius affectus éliciendi continet, contextam ex variis ſcripturis, operæ pretium videtur eam non omittere. Quadrat enim perbellè in quemlibet Apoſtatam ſanatum, ſi modò nonnullæ ſcripturæ quas Autor ad fœminam ſcribens fœmineo genere expreſſit, mutentur à maribus in maſculinum. Ita habet. *Accipe lamentum. Et primum quidē nullo die quinquageſimus Pſalmus intermittatur, qui in negotio tali cantatus eſt, & vſque ad verſiculum illum; cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit, cum lachrymis gemituque percurre. Inſuper etiam hanc lamentationem non ſine compunctione cordis, in conſpectu Dei Iudicis funde: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam vulnera animæ meæ? Conuerſi ſunt dies feſti mei in luctum & cantica in lamentationem: receſſit ſonus hymnorum & lætitia Pſalmorum, & ſucceſſit ſtridor dentium & fletus oculorum. Obmutui & humiliata ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Abyſſus circundedit me, poſtremo merſit caput meum in ſciſſuras montium. Heu me quia facta ſum ſicut Sodoma, & combuſta ſicut Gomorrha: quis miſerebitur cineres meos? Durius offendi quàm Sodoma, quia legem illa neſciens deliquerat; ego autem accepta gratia, peccaui in Dominum. Si homo peccet in hominem, erit qui interueniat: ego peccaui in Dominum; quem propitiatorem inueniam? Concepi dolorem, & peperi iniquitatem. Lacum aperui, & effodi eum, & incidi in foueam quam feci. Ideo conuerſus eſt dolor meus in caput meum, & in vertice meo iniquitas mea deſcendit. Immunditia mea ante pedes meos, non fui memor nouiſſimorum meorum, & cecidi miſerabiliter, nec eſt qui conſoletur me. O quam acerbus fructus luxuriæ! amarior felle, crudelior gladio: quomodò facta ſum in deſolationem? Subito defeci, perij propter iniquitatem meam, velut ſomnium ſurgentis: ideò in ciuitate Domini, viliſicata eſt imago mea. Deletum eſt de libro vitæ nomen meum; facta ſum ſicut noctua in domicilio, ſicut paſſer vnicus in ædificio, nec eſt qui conſoletur me. Conſidero à dextris, & video, & non eſt qui agnoſcat. Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Facta ſum ſicut vas perditum, quoniam audiui vituperationem omnium circa me habitantium. Væ diei illi, in quo infœlicem vterus genuit, & lux iſta crudelis excepit. Oportuerat me potiùs non fuiſſe natam, quam ſic in gentibus fabula fierem. Propter me confuſio & improperium factum eſt omnibus famulis Domini, & eum dignè colentibus. Lugete me montes & colles, lugete me fontes & flumina, quia fletus filia ego ſum. Lugete me beſtiæ Syluarum, reptilia terræ, & volucres cæli, & omnis anima quæ vita frueris. Nam vos feræ beatæ, & volucres, quibus nullus metus de inferis, neque poſt mortem reddenda eſt ratio. Nos manet pœna crudelis Tartari, qui habentes ſenſum, delinquimus, & ideò non eſt pax peccatoribus. Meum eſt peccatum & mea iniquitas, non ſunt ſimilia, offenſa hominum, quia horribilis hæc impietas eſt, carne polluere virginitatem, & caſtitatem profeſſam publicè. Mentita ſum Domino; ideò non eſt mihi fiducia inuocandi Dominum altiſſimum, quia obrutum eſt os deliquentium. Nam meum malum Propheta cecinit; quod qui elongant ſe à Deo, peribunt, diſperdit omnem fornicantem à ſe. Et iterum: adhæſit anima mea faucibus meis, & in puluerem mortis deducta ſum. Verum tamen clamabo ad Dominum cum adhuc tempus eſt, dum datur ſpatium; quia in morte non eſt memoria, & in inferno non eſt confeſſio. Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me: quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & non eſt ſanitas in carne mea à vultu iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum: quoniam iniquitates meæ ſuper poſuerunt, caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Computruerunt & deteriorauerunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Miſeriis afflicta ſum, & curuata vſque in finem, rugio à gemitu cordis mei. Cor meum conturbatum eſt intra me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorū meorum & ipſum non eſt mecum. Deus repuliſti me, deduxiſti me oſtendiſti mihi dura, potaſti me vino cōpunctionis: expulſa ſum ab oculis tuis, iam non adiiciam vt reſpiciam ad templum ſanctum tuum, & facta ſum in exterminium. Quæ vtilitas in ſanguine tuo, dum deſcendo in corruptionem? Nunquid mortuis facies mirabilia, aut Medici ſuſcitabunt? Tuus ſermo eſt, tua promiſſio eſt; Nolo mortem peccatoris, ſed conuerſionem & vitam; vt poſſim viuere, ad te Deus me conuerto, qui ſolus potes renouare omnia, & ab inferis animas reuocas. Tu ſoluis compeditos, tu Deus eliſos erigis, cæcos illuminas, mortuos ſuſcitas. Erraui ſicut ouis perdita, require famulam tuam ne lupus crudelis glutiat me. Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius: ſed tuum conſilium mecum eſt. Quot ſunt dies famulæ tuæ, quando facies de me iudicium? Sed ne intres in iudicium cum famula tua. Defecit in ſalutari tuo anima mea; defecerunt in lachrymis oculi mei, effuſa eſt in terram gloria mea; quando reſpiciens reſtitues animam meam? Propter iniquitates corripuiſti me, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meam. Memento Domine quod puluis ſum. Vide humilitatem meam & laborem meum, & remitte omnia peccata mea. Remitte mihi vt refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero, nec in inferno erit confeſſio Potens es Domine diſrumpe vincula mea, quibus ligata ſum atque conſtricta, Qui Rahab ſordidam, non es aſpernatus, iram tuam Domine aufer à me, quia peccaui tibi crudeliter, donec iuſtifices cauſam meam, & educas me in lumine, Deus virtutum. Da pœnitentiæ effectum, confeſſionis perſeuerantiam, ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi donum, hanc mihi gratiam, de tuo fonte præſtari, cupio Deus; vt in æternum tibi confitear, qui viuis & regnas in Trinitate, in ſecula ſeculorum. Amen.*

CAP. XX. Fructus Apoſtatæ in ſuo caſu.

CAP. XXII. *Fructus apoſtata ex ſuo caſu.*

Nec non confuſio, ſed moderata, erga alios.

EAndem humilem peccati recordationem, & iugem lamentationem intra Prudentiæ præſcriptum, conſequetur confuſio quoq; & reuerentia erga alios, quippè admiſſi ſceleris teſtes, vel conſcios, apud quos effrontis ſit non erubeſcere. Et hac ratione Deus vt diſſerit *Richardus Victor. Annot. 1. in Pſal. 134.* educit nubes ab extremo terræ, id eſt, à peccatis confuſionem, quæ æſtum malum arcet, & fulgura, diuinas inquam, illuminationes in pluuiam facit, eliciens lachrymas. *Brachiarius Epiſtola. ad Ianuar.* pro lapſo, hanc ob cauſam volebat Apoſtatam iungi cæteris, vt ea confuſio eſſet pars ſatisfactionis. *Si mortuum dicis* (inquit,) *vel iuxta Heliſæi illum oſſa conſtituas. Nolo vt eum longè ſegreges à Chriſti membris, quia ipſo conſortio, meliorum erubeſcet, & reſurget ad vitam. Nouum emendationum paruum putas eſſe tormentum; ſi peccator aſciſcitur in conſortium beatorum, quia illorum præmia, ſua ſentit eſſe tormenta? Si quis laudatur, erubeſcit; ſi quis vituperatur, agnoſcit. Inter hæc flagella verborum conſtitutus, ſatisfactioni emendationique ſemper approximat.* Et inferius. *Plangatur defunctus, ſepeliatur mortuus. Id eſt partim noſtro labore, partim verecundia ſua confuſione, peccatum eius celetur, & auferatur è medio. Nos autem conſolationis linteamina, & cæleſtis ſpei pigmenta tribuamus. Ipſe autem intra ſepulchrum ſecreti ſui, confuſus peccati pudore, contineat ſe: Ibi conſcientiæ ſuæ verme laceretur, qui totas in eo putredines, obliget peccatorum, donec nullum, ex ſe fœtorem famæ turpis emittat.*

Quanquam tenenda eſt hac in parte moderatio quam *S. Anſelmus lib. 3. Epiſtola 102.* præſcribit, tribus Apoſtatis cum ſanati reueniſſent, & iam in Clauſtro degerent. *Moneo* (*inquit*) *vt filios meos, quatenus illam prauam & diabolicam voluntatem quam habuiſtis, pœnitendo coram Deo de corde veſtro penitus expellatis, neque occaſione alicuius verecundiæ, poſtquam vos Deus ad ſe reuocauit, mentem veſtram indiſcretè confundatis: ſed ſperantes in hoc, quia Deus pœnitentes benignè ſuſcipit, in bona voluntate, & amore veſtri ordinis quieſcatis. Solet enim contingere, vt quoniam diabolus Deo miſerante & ſeruum ſuum deferente, non poteſt de eo quod incepit perficere, ad aliam ſe conuertat aſtutiam, & quem ſicut incepit deiicere nequit, deiiciat per immoderatæ verecundiæ impatientiam. Coram Deo tantum admiramini, quomodò hoc velle potuiſti, erubeſcite, & coram hominibus ex bona conſcientia confortamini, & confidite. Per bonam conuerſationem oſtendite omnes prauas voluntates alienas eſſe à vobis, & ſic facietis, vt nulla memoria ſit alius de hoc quod feciſtis, & nulla praua ſuſpicio de vobis.*

Auctior religioſæ vocationis æſtimatio, deinceps curanda.

AFfectus omnes propoſitos aſſectetur neceſſe eſt longè maior æſtimatio vocationis Religioſæ quam haberetur ante Apoſtaſiam; nec non cautio longè accuratior, vt declinentur occaſiones ruinæ. Propoſuit hunc Canonem præclarè omninò *S. Irenæus l. 4. contra hæreſes cap. 72. in fine,* tractans Apoſtaſiam primi hominis, & quid Deus illi ſanato, & nobis omnibus qui in illo cecidimus, prodeſſe poſt recuperatam ſanitatem velit, permiſſam defectionem [Eſſet (inquit,) noſtrum inſenſatum bonum quod eſſet inexercitatum. Sed & videre, non tantum nobis eſſet deſiderabile, niſi cognouiſſemus quantum eſſet malum non videre. Et bene valere autem, male valentis experientia honorabilius efficit, & lucem tenebrarum comparatio; & vitam mortis. Sic & cæleſte regnum honorabilius eſt, his qui cognouerunt terrenum: quanto autem honorabilius, tanto magis diligimus illud: & ſi illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum. Pro nobis igitur omnia hæc ſuſtinuit Dominus, vti per omnia eruditi in omnibus, in futurum ſimus cauti, & perſeueremus in omni eius dilectione rationabiliter edocti diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem præſtante in apoſtaſia hominis; homine autem erudito, per eam, quemadmodùm & Propheta ait: emendabit te abſceſſio tua: præfiniente Deo, omnia ad hominis perfectionem, & ad ædificationem & manifeſtationem diſpoſitionum; vti & bonitas oſtendatur, & iuſtitia perficiatur.

Concinnè, (tametſi more ſuo fortiter) *Ennodius lib. 7. Epiſtol. 6. Ignoratur bonorum ſapor in proſperis, vix dignoſcitur ſuperni qualitas beneficij, dum tenetur. Poſt migrationem cupita dulceſcunt. Deſiderij pretia in manibus conſtituta neſcimus.* Non diſſimiliter *Sophronius Patriarcha Epiſtola ad Sergium. Non quæ iucundiſſima ſunt ante, experientiam illorum quæ triſtia ſunt ita iucunda eſſe perſpiciuntur. Sicut poſt experimentum & incurſum eorum quæ ſunt aſpera, diuerſa, ſuauia eſſe perſidentur. Sic valetudo valde iucunda eſt ijs qui poſt valetudinem ægrotant. Sic tranquillitas iis, qui poſt tranquillitatem tempeſtate iactati ſunt, lætiſſima eſt. Sic diuitiæ ijs qui poſt diuitias egentes fuerunt, gratiores ſunt. Omnia denique ad hunc modum ſe habere videmus: eſſe quidem & manere in naturali & ſubſtantiali qualitate, qualia ante periclitationem contrariorum eſſe videbantur: poſt cognitionem verò contrariorum, commodiora & ijs qui ea ſuſtinuerunt maioris æſtimationis, immo optabiliora & ſuauiora.*

Hæc eſt expeditiſſima ratio aduocandi protectionem diuinam, & vitiorum firmitatem noſtram quatientium peruicaciam contundendi. [Ieſus noſter (ait Guerricus ſerm. 2. in ramis Pſalm. in fine) qui nos in terram promiſſionis introducturus eſt, vitia quinque ſenſuum in nobis crucifiget, imo & extinguet ſi tamen, ſicut eſt iuſtum, pendeamus in patibulis vſque ad veſperum. Huius enim perſeuerantiæ in cruce, ſaluator de ſe ipſo tibi curauit exemplum præbere, nolens conſummari niſi in cruce, aut deponi de cruce, ante veſperum, tam diei ipſius quam vitæ ſuæ. Balaam dicebat, moriatur anima mea morte iuſtorum, tu verò dic, moriatur anima mea morte Domini mei Ieſu Chriſti, & fiant nouiſſima mea illius ſimilia: vt videlicet, in voluntaria cruce pœnitentiæ pendere merear vſque ad terminum vitæ. Quanta fiducia de cruce filij in manus Patris ſpiritum commendabis? imò quanta clementia Pater ſuſcipiet quem Filius commendabit? filius namque qui cauſam animæ tuæ ſemel in cruce ſuſcepit agendam, numquam eam agere deſinit, apud Patrem ſemper interpellans. Vade ſecurus, vade gratulabundus vbi iudex tuus eſt, aduocatus tuus; Tantummodò ſignum crucis, mortificationem Ieſu quam circumfers in corpore tuo, ſecum deferat ſpiritus tuus.

Videat itaque Apoſtata ſanatus, nec perfunctoriè aut oſcitanter videat, curandum ſibi eſſe, vt fiat quod dicitur; & vocationem ſuam magni faciens

ciens eam moribus conuenientibus honeſtare conetur. Nam ſi ſeculari et in Religione viuat, periclitabitur relabi in ſeculum, & vt minimum à Religioſis qui in ſeculo degunt, condemnabitur in Dei iudicio. Aio eſſe aliquos Seculares in Religione viuentes, quia ſicut ſunt aliqui veſte tenus Seculares, animo autem Religioſi, ita ſunt aliqui veſte tenus Religioſi, animo autem & virtute Seculares. Quoſdam ſub ſeculari habitu Religioſos late in Heteroclitis ſpiritualibus trado, & attigi ſuperiùs, agnoſcitque expreſsè S. Chryſoſtomus hom. de diſpenſandis cuique rebus ſuis per ſeipſum. Deſcripta enim fuſiſſimè Monachorum ſanctitate & felicitate, ſubdit; *Dices quiſpiam, licebitne iſtiuſmodi viros in media Chriſtiani populi frequentia ſpectare? Nos verò ita reſpondemus; non ea mente iſtorum nos vitam explicaſſe, vt videantur qui in Eccleſiis viuunt contemnendi. Quàm multi enim ſunt plerunque, iſtiuſmodi ſanctitate viri, (etſi haud propalam,) in ipſo Chriſtianorum conuentu medio?* En Monachos latentes in turba ſecularium. Hi ſunt veluti Lot in Sodomis, aut ſicut Iob in terra Hus, id eſt, (inquit S. Chryſoſtomus hom. 2. de Patientia Iob,) columba in medio accipitrum, ouis in medio luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum, germen iuſtitiæ in oppido iniquitatis. Hos porrò, (vt ita dicam,) in ſeculo Religioſos, ex eo quod inter impios tam multos ſint pij, auctior gloria & meritum longè præcellentius cohoneſtat, quia non modica laudis materia eſt bonum inter malos eſſe vt diſſerit *S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 1.*

Ab his igitur in ſeculo Religioſis, aio damnandos fore, qui ſunt in Religione ſeculares: quibus timendum dico, ne iuſto Dei iudicio relabi ſinantur exteriùs, quò iam interius deſcenderunt. Itaque ſi Apoſtata poſtquam ſurrexit, firmitati ſuæ conſultum vult, per bona opera & ſtatu ſuo digna, certam vocationem ſuam faciat. Ambulet ſecundùm ordinem ſuum, vt *Orig. hom. 2. in Num.* egregiè diſſerit; vel vt aliis verbis eodem ſenſu dixit *lib. de Spectac. S. Cyprianus, cum perſona profeſſionis ſuæ quiſque loquatur, nihil vnquam indecorum geret.*

Voluntas ex alliſu fortior, curanda.

ANimoſior denique & generoſior voluntas, inſeruiendi tam pio, tam bono Patri anteriorum oblito, & ad anteriora vocanti, conſequetur in nobili pectore reſipiſcentis ſeriò Apoſtatæ; quæ mutatio vitæ plerunque gratior eſt Deo quam teper non lapſorum ſicque iuxta expoſitionem *S. Gregorij 11. Mor. cap. 26. Melior eſt iniquitas viri, quam Mulier benefaciens.*

Hæc ſi ſeruet Apoſtata ſanatus, non modo nihil detrimenti ex alliſione percipiet, ſed etiam fructum inde non modicum colliget; Dæmonemque tantò acriùs vulnerabit, quantò ex maiore damno, vberius & grandius lucrum retulit.

EPIMET. I. *Fructus aliorum ex Apoſtatæ caſu.*

EPIMETRVM I.

Fructus aliorum ex apoſtatæ caſu & ſanatione.

TAmetſi de ſolis Apoſtatis inſtituta nobis eſt hoc loco diſputatio, tamen ne particula boni doni nos prætereat, operæ pretium eſt non omittere inſignes aliquos fructus quos æquum eſt ex Apoſtatæ caſu & ſanatione decerpi, ab iis qui ſteterunt: Idque ſpectaſſe diuinam Prouidentiam, mox dicam ex *S. Chryſoſtomo hom. 1. in Pſalm. 50.* Secernendi porrò ſunt fructus colligendi ex caſu Apoſtatæ qui non ſurrexit, à fructibus colligendis ex lapſu quem conſecuta eſt erectio. Priores ſunt fructus è ſolo lapſu legendi. Poſteriores prout à prioribus ſecernuntur, colligendi ſunt ex ſanatione Apoſtatæ. Vt autem proponam menſuram aliquam ad quam admetiri conueniat affectus eliciendos ab iis qui à caſu fuere immunes, alteriùs verò caſum & ſubſecutam diuinitùs erectionem conſiderant; ſuppetunt exempla eorum qui ſteterunt, collapſo vtroque præcipuo apoſtata, vno in cœlis, nempe Lucifero, altero in terra, nimirum Iuda. Si enim quos fructus vtrique illi ſtantes è ſociorum ruina collegerunt, nos quoque qui per Dei gratiam perſtamus, ex ſociorum lapſorum clade colligamus, extabit abundè pretium operæ. Nam bonos Angelos ex Luciferi deiectione, Apoſtolos autem ex Iudæ ruina illos fructus collegiſſe, qui eſſent pro ratione ſtatus vtrorumque planè eximij, dubitare non licet. Verùm hoc loco, ſiſtam in priore exemplo. De fructibus enim quos & Apoſtoli ex Iudæ lapſu collegerunt, & Chriſtianus quilibet colligere poteſt ac debet, tanta vbertate actum eſt in Tractatione de Iuda, toto Capite 17. vt nihil hic vltra addendum videatur.

Affectus, & ſenſus Sanctorum Angelorum, ad Luciferi lapſum perſtricti.

SEnſum ergo Sanctorum Angelorum deiecto Lucifero, & per irreparabilem ruinam proſtrato, expreſſit *Rupertus libr. 1. de Victor. Verbi Dei cap. 30.* verbis illis. *Sublato & terribiliter deturbato Satana, ſiue diabolo cum Angelis ſuis, continuò profectum hinc Sancti Angeli habuerunt, vt nouam diuinæ laudis habentes materiam, nouum inciperent, canere canticum. Fortitudinem namque Creatoris, in magna creaturæ deiectione viderant: gratiam & miſericordiam Creatoris eiuſdem, in ſemetipſis agnouerant, qua ſeſe ne & ipſi corruerent, præuentos fuiſſe non ignorabant. Eiuſdem quippè conditionis cum eſſent, ſuam in perditione illorum ſalutem reſeruatam, ſtatumque retentum, non leuiter appendere potuerunt, aut poſſunt. Laxata ſunt foramina lapidum pretioſorum, laxata & dilatata ſunt pluſque in ſemetipſis auri receperunt; groſſiores atque fortiores inſolubilis auri ligaturas admiſerunt, & ad Creatorem ſuum æterno amore aſtricti ſunt. Ex eo laudantes atque iubilantes tacere non poſſunt Sanctam Trinitatem glorificantes, ſilentium non habent, nec habebunt in ſempiternum.*

Præiuerat Ruperto *S. Gregorius 34. Moral. cap. 3. & 4.* circa illud *Iobi 41. Cum ſublatus fuerit,*

EPIMET. I. *Fructus aliorum ex Apoſtata caſu.*

timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Obſeruat enim in primis S. Gregorius, tempus futurum poſitum ibi eſſe pro præterito ex vſu Scripturæ, quæ vt ſignatis exemplis ibi probat S. D. tempora permiſcet; & aliquando præteritum adhibet pro futuro, vt ſignificetur futuritionis certitudo, in quam rem videndus *Tertull. lib. 3. in Marc. cap. 5. & Chryſoſtomus Tomo 5. Græcol. ſerm.* in illud *Pater ſi poſſibile eſt, & S. Auguſtinus lib. de Corrept. & Gratia c. 9. & l. de Agone Chriſtiano cap. 27.* ac ſæpè alibi. Alias autem Scriptura futurum adhibet pro præterito, ex *S. Auguſt. q. 16. in Numer.* qui ad id profert locum ex cap. 9. Numer. Addit tamen hoc eſſe inuſitatiſſimum, & difficillimè inueniri in Scripturis poſſe, præterquàm eo loco. Nec aliter ſtatuit concione 2. Pſal. 103. ad illud. *Super montes ſtabunt aquæ.* Imò ad hunc locum, etiamſi negare non vult vſpiam in Scriptura futurum poni pro præterito, tamen ægrè putat inuentum iri à quoquam locum vllum, in quo vſurpatum ſit futurum pro præterito. At locus Iobi prolatus, videtur in hanc rem appoſitiſſimus. Manifeſtè enim eo loco, futurum pro præterito eſt adhibitum, iuxta eos qui ibi putant agi de Satana deiecto, & bonis Angelis inde territis atque purgatis. Neque excludit eam interpretationem, quod boni Angeli purgari non potuerint, cum nunquam deliquerint. Nam purgatio illa pertinere poteſt ad Satanæ extramiſſionem, quo pacto eam accepit *S. Gregorius cap. illo 4.* Cœtus enim ille è bonis & malis Angelis adunatus, purgatione egebat; quæ interuenit excluſo Satana & ſociis: quia tunc ſoli puri & boni perſtiterunt abſque ſordibus vllis. Et purgati inſuper dici poſſunt, per augmentum puritatis & ſanctimoniæ. Non enim momentum peccati Angelorum malorum fuit clauſula viæ illorum: vt rectè docet S. *Bern. ſerm. 11. in Pſalm. 90. & Gerſo par. 4. ſerm. 1. ac Salmer. 2. Petri 2. diſp. 3. dub. 3.* Etſi malè contrarium tradant *Mol. 1. p. q. 63. artic. 6. concluſ. 5. & Leſſ. l. 13. de diu Perfect. n. 21.* ſed poſt admiſſam culpam qua primùm gratia ſanctificante exciderant, adhuc potuerunt per tantulam moram retrocedere à peccato, & conuerti; vt Scotus disertè cenſuit in *2. d 6. q. 2. litera S.* Per illam ergo moram, boni Angeli ſanctis actibus inſtiterunt, & territi purgati ſunt, id eſt, magis auxerunt primam ſanctificationem ſuam Sicut Pœnitentia, iuxta *Ennodium lib. 2. Epiſt. 1. Cum non inuenit quod diluat, inuenit quod ornet: & quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione conciliat* Item ſicut qui baptizantur poſt contritionem, dicuntur mundari & purgari à peccato; non quod ſuperſit in eis peccatum, ſed quod accipiant formam emundantem à peccato, quæ à peccato purgaret, ſi peccatum adeſſet. Qua ratione *purgatio*, varios Sanctorum Angelorum actus gratiam & ſanctitatem conuehentes deſignare poteſt, quamvis ſi priore ex propoſitis modis ſumatur purgatio Sanctorum Angelorum deiecto Lucifero, non exprimatur. diſtinctè niſi vnus eorum actus, nempe terror ex tanto caſu conceptus.

Celebrat eum terrorem Sanctorum Angelorum ex caſu Luciferi, & profuiſſe Sanctis Angelis, multoſque bonos actus connexiſſe, demonſtrat S. *Gregorius cap. illo 4.* in hunc modum. *Huius itaque lapſus, eos terruit & purgauit. Terruit ne conditorem ſuum ſuperbè deſpicerent: Purgauit verò, quia exeuntibus reprobis, actum eſt, vt electi ſoli remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus ſcit ad bonorum cuſtodiam etiam benè vti mala actione reproborum, lapſum cadentium vertit in profectum manentium; & vnde punita eſt culpa ſuperbientium, inde humilibus Angelis & inuenta, & ſolidata ſunt augmenta meritorum, Iſtis namque cadentibus, illis in munere, datum eſt vt cadere omnino non poſſent. Sancti enim Angeli, dum in iſtis naturæ ſuæ dona conſpiciunt, in ſeipſis iam cautius robuſtiuſque conſiſtunt. Vnde fit authore omnium rerum Domino, cuncta mirabiliter ordinante; vt illi electorum ſpirituum Patria, etiam ruina ſuæ damna perficiant: dum inde firmius conſtructa ſit vnde fuerat ex parte deſtructa.*

Agnoſcit, (vt vides,) S. Gregorius, præter terrorem ſiue timorem Sanctorum Angelorum ex deiectoine Luciferi, duplici eos alio affectu fuiſſe pulsatos; humilitatis & attentæ circumſpectionis, & cautelæ diligentioris circa ſeipſos ne caderent. Et lubens addiderim affectum tertium, commiſerationis in lapſos; nam eius tunc adhuc erant capaces qui reuerti poterant. Non eſt dubium primos illos actus interueniſſe. Nam humilitatem, diuinæ protectionis agnitio inducebat. Non enim ſtetiſſe ſe viribus propriis, ſed fortitudinem quam habuerant, cuſtodiendam eſſe ad Dominum, exemplo ſociorum diſcebant; videnteſque ibi cecidiſſe qui operantur iniquitatem, aiebant ſinguli ex animo ad Dominum,; *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Cautionem verò quamdiu via poſt Luciferi & Partiariorum eius ſeditionem motam durauit, adhibendam eſſe longè maximam, monuit Sanctos Angelos magnitudo periculi in quod corruerant ſocij, poterantque adhuc ipſi corruere, nondum firmatis & plane obſeptis peccati aditibus; ſicut poſtea mox factum eſt in viæ termino. Quare anteoccupabant illud Paulinum. *Qui ſtat, videat ne cadat:* Commiſerationem denique in ſocios lapſos, ſuadet magna lapſorum miſeria, & Angelorum ſtantium magna Charitas. Sanè ſi in iam damnatos abſtinent probris & felle, quantò magis in capaces redire ad cor? Hic igitur eſt fructus quem Sancti Angeli ex Luciferi caſu perceperunt.

Iidem proportione affectus ex mortalium prolapſione, nominatimque Apoſtatica, concipiendi aliis. Timor in primis.

EVndem fructum, ex caſu quorumcunque, colligere licet quoad omnes partes propoſitas. Ac primum timorem, de quo *S. Auguſt. in Pſal. 106.* ad illud *Seduxit eos in inuio & non in via.* Id enim interpretatus de diuina permiſſione, qua donat aliquos ſibi, & tradit in concupiſcentias eorum, addit, de iſtis ſeductis & exeuntibus à nobis quia non erant ex nobis. *Potuit illos pati intus ſemper; ſed nos de illis non proficeremus. Cum autem ſeparati ſunt, & per quæſtiones malignas inquietant nos, propoſitum eſt nobis ex illis, & inquiſitionis ſtudium & timoris exemplum. Vnuſquiſque tremit, cum alterum videt exiſſe; Tanquam ex illius exitu dicatur illi; quapropter qui ſe putat ſtare videat ne cadat. Proſunt ergo quia exeunt. Nam ſi intus eſſent, & tam mali eſſent, nihil de illis prodeſſet. Idem hom. 21. ex* 50 admonet permitti à Deo caſus magnorum, & velle caſus illos innoteſcere, vt ſit caſus maiorum, tremor minorum; & audiant qui non ceciderunt, ne cadant, audiant qui ceciderunt, vt ſurgant.

Eiuſdem Auguſtini nomine ſic habetur in Soliloquiis cap. 29. *Magna ſunt hæc iudicia tua Domine Deus, Iudex iuſte & fortis qui iudicas*

æquita

æquitatem, & inſcrutabilia facis, & profunda; quæ cum conſidero, contremiſcunt omnia oſſa mea. Et quoniam non ſecuratur homo viuens ſuper terram, vt ſeruiamus tibi piè & caſtè cunctis diebus vitæ noſtræ in timore, & exultemus tibi cum tremore, vt non ſit ſeruitium ſine timore; neque gaudium ſine tremore, & non glorietur accinctus æque vt diſcinctus, neq; glorietur ante te omnis caro ſed paueſcat atque contremiſcat à facie tua cum ignoret homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed in futurum omnia reſeruentur incerta. Vidimus enim multos Domine & audiuimus à Patribus noſtris, quod vtique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitùs quodammodò vſque ad cœlos, & inter ſydera nidum ſuum collocaſſe; poſtmodum autem cecidiſſe vſque ad abiſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe ab impetu ferientis caudæ draconis, & eos qui iacebant in puluere terræ, à facie ſubleuantis manus tuæ Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte reſurgentes; & eos qui inter filios Dei ambulant, in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe.

Nec aliter philoſophatur de quocunque Iſtorum eminentium caſu *Richardus Victorinus lib. 2. de Erudit. inter homin. cap. 19. Quis (inquit) niſi inſanus in tanto mutabilitatis ancipiti, ſibi ſecuritatem promittit, ſi verè aliquando talis fuit, qui poſtea ſuccisus cecidit? Verè (vt Scriptura dicit,) beatus homo qui ſemper eſt pauidus; neſcit enim quid futura pariat dies.* Agens item Origenes de eorum caſibus qui ſexui molliori, familiariores eſſe non dubitarant, ad timorem inde cæteros excitat *lib. de Singular. Clericorum ſub initium. Metuite (inquit) quantum poteſtis eiuſmodi caſus exitia, & in iſta ſubuerſione, labentium vos experimenta perterreant. Nimiùm praeceps eſt, qui tranſire contendit, vbi alium conſpexerit cecidiſſe; & vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator verò eſt ſalutis ſuæ, qui euitat alienæ mortis incurſum; & ipſe eſt prouidus qui ſolicitus fit cladibus cæterorum, ſicut Salomon approbat dicens; aſtutus videns malum puniri, vehementer erudietur. Et iterum. Cadentibus impiis iuſti vehementer terrebuntur.* Hoc ipſum monitum S. Ephrem ſerm. ad imitationem Prouerbiorum, ſigillatim in re noſtra inculcabat, dicens. *Si frater tuus chariſſime è cœnobio egreſſus ſit, ne mente aduersùs ipſum efferaris, neque ſit infamia notatus in oculis tuis. Ignoras enim quid ſuperuentura pariat dies. Dicentem audi, Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Et rurſus. Non qui ſe commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Nam multi cum putarent ſe alios viciſſe ac dominari illis; hi externi magis externis euaſerunt. Illi autem quorum deſperata ſalutis ſpes fuerat, gratiam à Domino acceperunt. Nam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Infigitur iſtis conſiderationibus humilitas quoque de qua mox:

Nunc autem proponuntur tantum ad incutiendum ſanctum timorem, tanto incerto diuitiarum quantarumcunque ſpiritualium quas procliuiſſimum eſt diffluere.

Item humilitas.

Iam verò humilitatem ex alienis quibuſuis caſibus eruere, ſuadent illa D. Auguſtini tam vulgata quam vera. *Non eſt peccatum quod faciat homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi ab eo deſeratur per quem factus eſt homo.* At qui id habuerit per pectum, quomodo efferri cogitatione poſſit, ac tumere ob bonum, quod videt alienum eſſe beneficium? Idem Auguſtinus vt eſt gratiæ Magiſter, & conſequenter veræ ac ſolidæ Humilitatis præco indefeſſus, inde infert *lib. de Corrept. & Gratia cap.* 12. ſubminiſtrari omnibus cùm probis tùm improbis, vberem Humilitatis ſegetem. Improbis quidem, quod non habeant vnde glorientur, probis autem quod ex aliorum egeſtate, agnoſcant vnde habeant ipſi bonum quo alij carent; ac proinde ſatis videant, eſſe cur potius Humilitate quam ſuperbia tangantur. Atque ita meritò non gloriatur omnis caro in conſpectu eius. Id verò maximè intendere Deum, permittendo aliquorum caſum, *Richardus Victorinus lib. de Erudit. inter hom. cap.* 30. his verbis docet, *Solet ſæpè multorum vtilitati militare, quod quoſdam contingit ex magno ſublimitatis culmine corruere, vt diſcant cæteri non altum ſapere, ſed de ſemetipſis ſemper humilia ſentire, & in quolibet virtutum culmine morum ruinam timere: & veraciter agnoſcant, quia ſolus Dominus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Hanc huiuſmodi ruinæ vtilitatem, Propheticus ſermo innuit, dicens, donec cognoſcant viuentes, quod dominatur excelſus in regno hominum. Diuina itaque diſpenſatione, (cum communis vtilitas hoc exigit,) magnæ autoritatis viri permittuntur cadere; eo duntaxat tempore quo inueniuntur de ſua magnitudine ſuperbire. Fit itaque circa eandem perſonam, vnum idemque iudicium, tam iuſtum, quam pium; quantum ad ipſam quidem iuſtum, pium verò in quantum proficit ad cautelam aliorum.* Nempè vt à præcipitio ſuperbiæ caueant, & diſcant non altum ſapere.

S. Gregorius l. 34. moral. c. 10. perpulchrè id confirmat. Nam expendens illud, *ſternet ſibi aurum quaſi lutum* idque accommodans ad inſtabiles Religioſos qui aureo ſtatu ſanctimoniæ derelicto, reuoluuntur in cœnum ſeculi; ait eorum & aditum in domum Dei & exitum ſeruire electis. *Sunt (inquit) qui non perſeueraturi viam ſanctitatis arripiunt. Idcirco enim virtutis iter non peruenturi inchoant, vt eis qui peruenturi ſunt, qua gradiantur oſtendant: Quorum etiam caſus, vtilitate non modica, electorum profectibus ſeruit, quia illorum lapſum dum conſpiciunt, de ſuo ſtatu contremiſcunt, & ruina quæ illos damnat, iſtos humiliat. Diſcunt enim in superni adiutorij protectione confidere; dum pleroſque conſpiciunt fidentes de ſuis viribus cecidiſſe. Quando ergo benè agere videntur reprobi, quaſi planum iter electis ſequentibus monſtrant, quando verò in lapſum nequitiæ corruunt, electis poſt ſe pergentibus, quaſi cauendam ſuperbiæ foueam oſtendunt.*

Hanc ob cauſam, voluiſſe Deum conſcribi lapſus magnorum virorum, ſic tradit *S. Auguſtinus lib. 3. Doctrinæ Chriſtianæ cap. 23. Si qua peccata magnorum virorum legerit, tametſi aliquam in eis figuram rerum futurarum animaduertere atque indagare potuerit; rei tamen geſtæ proprietatem ad hunc vſum aſſumat, vt ſe nequaquam de rectè ſuis factis iactare audeat, & præ ſua iuſtitia cæteros tanquam*

EPIMET. I. *Fructus aliorum ex Apoſtatæ caſu.*

PI*MET.I. ...hus alio-... ex Apoſtata caſu.

peccatores contemnat, cum videat tantorum virorum & cauendas tempeſtates & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum ſcripta ſunt; vt Apoſtolica illa ſententia vbique tremenda ſit, quæ ait, quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat. Nulla enim ferè pagina eſt ſanctorum librorum, in qua non ſonet, quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Similia habet *homil 21. ex 50.*

Sed illuſtriſſimè idem *S. Auguſtinus lib. de ſancta Virginit. c.* 39. agens cum Sanctimoniali. *Non humiliaris audiendo, nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram? Non te à præſidenti elatione reuerberat, Væ mundo ab ſcandalis? Non contremiſcis ne deputeris in multis, quarum refrigeſcit charitas, quoniam abundat iniquitas? Non percutis pectus cùm audis; quapropter qui ſe putat ſtare, videat ne cadat? Inter hæc diuina monita, & humana pericula, itane adhuc virginibus ſanctis humilitatem perſuadere laboramus? An verò propter aliud credendum eſt, permittere Deum, vt miſceantur numero profeſſionis veſtræ, multi, & multæ, caſuri & caſuræ, niſi vt his cadentibus timor veſter augeatur, quo ſuperbia comprimatur: quam ſic odit Deus, vt contra hanc vnam ſe tantùm humiliarit altiſſimus. Niſi fortè reuera ideò minùs timebis magiſque inflaberis, vt modicum diligas eum qui te tantum dilexit, vt traderet ſemetipſum pro te: quia modicum tibi dimiſit, viuenti videlicet à pueritia religiosè, pudicè pia caſtitate, illibata virginitate. Quaſi verò non multò ardentiùs diligere debeas, eum qui flagitioſis ad ſe conuerſis quæcumque dimiſit, in ea te cadere non permiſit?*

Cecidiſſe ſanè putandus eſt iudice *Proſpero Epigr.* 33. qui ſi non cecidit, cadente alio, ſibi tribuit.

Nam quod non cecidit, propriis ſi viribus aptat,
Hoc ipſo quod ſe ſtare putat, cecidit!

Nec non maior erga ſe attentio.

CIrcumſpectionem & attentionem maiorem circa ſalutis propriæ ac perfectionis negotium, (quam itidem ex aliorum caſu eruendam dicebamus,) facile vnicuique in alienum lapſum intento, ingenerat boni proprij amor, & ſuæ ſalutis cupiditas. Et quando Religioſum lapſum cum Lucifero è cœlis deiecto ſupra contulimus, habet hic profectò locum illa S.Bernardi ratiocinatio *ſer. 54. in Cant. in medio. Pauens tremenſque aio ad memetipſum: ſi ſic actum eſt cum Angelo, quid de me fiet, terra & cinere? Ille in cœlo intumuit; ego in ſterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite ſuperbiam, quam in paupere ducat? Væ mihi, ſi tam durè in potente illo animaduerſum eſt, pro eo quòd eleuatum eſt cor illius; nec ei profuit, quod cognata potentibus ſuperbia eſſe cognoſcitur, quid de me exigendum & miſero & ſuperbo?* Subdit quantam hæc cogitatio ſui curam homini ingerat, quantam ad bonum ſollicitudinem. Non diſſimiliter *Guerricus Abbas ſerm. 4. de S. Ioanne Baptiſta* Religioſum alloquens. *Ne ſis arundo vento agitata, & vt ſapiens ait; non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim peccator probatur in duplici lingua. Sed eſto firmus, (inquit,) in via Domini, ne te proiiciat ventus à facie terræ, ſeu loci cui profeſſus es, ſeu regni cui præparandus es. Solet repente ventus vehemens irruere à regione deſerti, & concutere quatuor angulos domus filiorum Iob, & fit ruina magna eius: ſi tamen ſuper arenam fundata ſit, non ſi ſupra petram: ſi arundinea ſit, non lapidea: Imo ſi qui ædificat eam, & inhabitat, arundo ſit; foris per hypocriſim viridis iactantia, vel promiſſione caſſa ſonorus, intus veritate vacuus. In ſecreto huius arundinis Behemoth dormire amat, quæ & in locis humentibus, vbi nulla fluxarum rerum penuria, ſed ad luxum ſuperfluunt omnia, ſæpius & vberius creſcit atque luxuriat. Huic arundini ſi quis innitatur, manum eius perforabit.*

Ad eandem mentem *S. Gregorius lib. 4. in 1. Reg. cap. 1.* præfatus, Deum mala eſſe ſinere, vt bona inde maxima eruat, concludit permitti ruinam aliquorum ruere volentium; *ſed vnde ſe illi præcipitant, agitur vt alij nequaquam cadant.* Nimirùm quia fiunt circumſpecti & attenti circa propriam ſalutem, declinata ſtudiosè oſcitantia. Profero denique in hanc rem *S. Baſilium orat. ad imitationem Prouerb. ſub finem.* vbi vitam ſanctam & religioſam, expreſſerat ſpecie nauigationis & cõmercij mercatorum: addiderat naufragium nauiculæ, ad portum ferè perductæ. Inde concludit. *Quamobrem vitæ clauum tutò moderare oculum rege, ne per eum, ſiue auditum, ſiue linguam, in concupiſcentiæ fluctus incidas, aut noxium aliquid accipias: ne aliquid eorum quæ tacenda ſunt loquaris, ne te iræ tempeſtas ac furor euertat, ne formidinum terrores vrgeant, non triſtitiæ pondus deprimat. Fluctus enim ſunt animi perturbationes, quibus ſi virtute occurras, ac illis te ſublimiorem reddas, tutus vitæ gubernator fueris. Si autem per imperitiam & inconſtantiam, quodlibet eorum præterieris, veluti nauigium aliquod compagibus diſſolutum ac fractum, vndis omnibus obnoxium ac verberatum iactatus, in peccatorum pelagus facilè corrues. Sed hæc gubernationis ſcientia quemadmodum tibi adeſſe poterit, attende. Mos eſt naucleris in cœlum aſpicere interdiu in ſolem, noctu in Arcton, vel aliud ſemper apparens aſtrum; ac per hoc rectam in pelago viam commentari. Tu quoque oculos ad cœlum attollens, ſecundùm eum qui ait; Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis; habitantem in cœlo, iuſtitiæ ſolem reſpice, ac velut aſtra quædam ſplendentia Dei mandata obſeruans, lumina vigilantiæ retine. Ne dederis ſomnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, vt idoneum itineris curſum ex diuinis præceptis habeas. Lucerna, (inquit,) pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Nam ſi nunquam ad claui moderationem conſtitutus, obdormieris, & dum eris in hac vita, in huius mundi rerum natura inſtabili, adiumentum eorum quæ ſunt agenda à ſpiritu nos comitante acceperis, auris ſpiritualibus & pacificis tutò nauigabis, donec incolumis ad portum euadas illum tranquillum ac ſine fluctibus, diuinam ſcilicet voluntatem.*

Clemens Alexandr. lib. 3. pædag. cap. 8. ait Deum hoc conſilio caſus virorum illuſtrium deſcribi voluiſſe, vt poſteri talia legentès vel audientes euaderent cautiores. *Qui enim quempiam in via ſequens, non cauerit, ſi prior in foſſam ceciderit, vt deuitet periculum, peccati conſequentiam fugiens?* Præmiſerat, hoc facere Deum ea in parte quod Lacedæmonij erga liberos ſuos, quos Ilotis (mancipiis nimirum domeſticis) multo vino ſopitis & fœdè iacentibus, conſiderandis inducebant, vt refugere ab ebrietate docerent, mali alieni exemplo.

Commiſeratio denique, temperato zelo immodico.

TAndem commiſerationem ſine inſultatione in proſtratos, communis fragilitatis conſideratio, & timor ſimilis ruinæ, facile inducunt. Itaque S. *Baſilius homil. 11. Martyrem Iulittam ad finem*, agens de bono vſu fletuum. *Tu (inquit) ſimul atque videris fratrem ob eorum quæ admiſit, pœnitentiam ſe proluentem lachrymis, huic collugeto, & condole. Ita etenim tecum fiet, vt ex alienis malis caſtiges proprium. Qui enim pro peccato proximi, lachrymas ſtillas præferuidas, hoc ipſo quod lapſum deflet fratris, ſummouet à ſe profligauit morbum. Talis erat, qui dicit: defectio ſiue defectio animi tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Fle igitur ſuper peccato. Peccatum animæ eſt ægritudo, peccatum mors eſt animæ, alioqui immortalis: peccatum luctu eſt & implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum, profluant effuſiſſimæ lachrymæ, non deſinat ex imo pectoris receſſu iugiter proſilire ſuſpirioſus gemitus. Flebat Paulus inimicos crucis Chriſti. Flebat & Hieremias internecionem pereuntis populi, qui ſanè quod lachrymæ ſuapte natura profluentes non ſatis illi eſſent ad planctus magnitudinem, cupidè expetebat ſibi infundi lachrymarum fontem, & extremum ſolitudinis diuerſorium, dicens; Et ſedebo & plorabo populum hunc dies multos; eos qui pereunt. Sanè iſtiuſmodi luctum ac lachrymas deprædicat Apoſtoli ſententia, & felices aſtruit.*

Non eſt hoc humanum duntaxat, ſed etiam Angelicum. Egregiè enim *S. Chryſoſtomus homil. 9. de Aſcenſ.* obſeruat, Cherubim accepto diuino mandato de homine extra Paradiſum retinendo, iuſſis quidem cœleſtibus paruiſſe, ſed miſerando vicem noſtram. Quod colligit ex commiſeratione proborum hominum erga improbos. Sunt quippè Angeli hominibus indulgentiores. At conſtat probos quoſque homines tangi miſeratione improborum, cum miſerabiliter ſe habent, etiamſi culpa ſua illuc ſint deducti. Id illuſtrat exemplo Moſis, Exodi 32. & Ezechielis ac Hieremiæ, qui ſortem Populi propter peccata ſua afflictiſſimi, leguntur miſerati. Hoc diſcimus quis ſenſus eſſe noſter debeat de Apoſtatæ caſu, & an ſit ei inſultandum, an verò concipienda eius commiſeratio, quam ad martyrij decus pertinere monſtratum fusè eſt, in opere de Martyrio p. 1. c. 5. Econtrario autem commiſerationis defectum & exprobrationem, ſimilis ruinæ cauſam fieri, docent illa *ſancti Hilarij in Pſalmum 14.* ad illud, opprobrium non accepit. *Quid tam inane tam miſerum, quam homo homini ſuperbiens, quam de ſe aliquid fidens? Nonne videmus plures per opum inſolentiam, cum exprobraſſent inopum egeſtatem, amiſſis omnibus egere; & aliorum miſeriam faſtidientes, rurſum eguiſſe miſerantum? Plures etiam per præſumptionem vitæ diu innocentes, ad omnia deuolutos; & delicta aliis exprobrarunt, ipſos vix ad pœnitentia veniam pertinere. Non eſt igitur opprobrium aduersùs proximos incundum, ſed ſi quid in iis incurioſum, ſi quid petulans, ſi quid incontinens deprehenditur, ſine exprobrationis amaritudine, blandimento etiam dictionis eſt corrigendum. Hoc humilitas, hoc ſuper metum diffidentiæ, quæ validiſſima fiduciæ cuſtos eſt, curat.* Quod verò commiſerationi aduerſetur zelus immoderatus, quo aliqui nolent vlli malo benè eſſe; non ſatis memores, qui malus hodiè eſt, cras poſſe

eſſe bonum, diſſerit contra hos *S. Auguſtinus hom. 6. ex 50.* Inſigne exemplum commiſerationis in Monialem Apoſtatam, & procum à quo abducta fuerat, quamque ſit temperandum zelo præpoſtero in huiuſmodi euentibus, legere eſt in vita S. Ioannis Eleemoſinarij apud Metaphraſtem ſcholio Aloyſij 10.

EPIMET. I. *Fructus alterum ex Apoſtatæ caſu.*

Ex perpenſa Apoſtatæ reſtitutione in integrum, qui affectus concipiendi.

VEnio ad fructus quos par eſt eruere ex ſanatione Apoſtatæ, poſt lapſum. Huc pertinent fructus quos ex S. Latronis curatione colligi poſſe, trado in Tractatione de eo, toto c. 17. quibus nunc dimiſſis, accommodatum exemplar horum fructuum rectè legendorum eſto, S. Dauid tàm fœde lapſus, & tam potenter reſtitutus in integrum. Eum enim præ cæteris SS. Patres conſiderare ſolent, quoties ex lapſorum reſtitutione proficere volunt, vel aliis vt ſimiliter proficiant edocere. Eorum itaque fructuum primus ac ſuauiſſimus eſt, inſpectio diuinæ bonitatis quæ Apoſtatam in cœno ſuo ac ſordibus ſaucium dignata reſpicere, dignata item eſt miſericorditer ſanare: Et hoc in Dauidis reſtitutione, egregiè penſauit *Baſil. Seleuc oratione de eo.* Multus in hac Dei bonitate ſuſpicienda eſt *Richardus lib. 2. de Erudit. inter hom. cap. 24.* Imò addit cap 45. reſurrectionem fieri plerumque ad multo auctiorem virtutem, quam parta fuiſſet non poſito caſu. *Ecce (inquit) iterum reſurgit, ecce ad priorem, imo ad potiorem potius gloriam redit, qui de tam ſublimi in tam profundum ruit. Quis non miretur? Quis non obſtupeſcat? Quis diuinæ pietatis viſcera digne penſare ſufficiat? Quis quæſo quantumlibet peccator, de diuina miſeratione non præſumat, & ad ſpem veniam non reuiuiſcat?*

Fructus alter ex lapſorum reſtitutione legendus, eſt ſpes magna, ſi quando labi nos contingat, fore vt cum Dei gratia denuò erigamur. In hunc finem prouidiſſe Deum vt lapſus Sanctorum cõ ſcriberentur annotauit S. *Chryſoſtomus hom 1. in Pſal. 50. ſub initium* tractans vtilitatem Pſalmi illius, caſum Dauidis & eius reſurrectionem exhibentis. *Ac (inquit) velim animum diligenter attendatis, tam iuſti, quam peccatores. Vtrique enim parti, vtilis hic pſalmus eſt. Iuſto nimirum vt ne ignauia ac ſocordiæ ſe dedat: peccatori autem, ne de ſua ſalute deſperet. Siquidem vtrumque graue ac periculoſum eſt: Nam & iuſtus cum ignauè & negligenter ſe gerit, proſternitur; Et peccator deſperatione affectus, non reſurgit. Quocirca ne aut hic in lapſu hæreat, aut ille in lapſum incidat, vtrique parti ſalutaris hic pſalmus à Pſalte noſtro datur. Iam autem Propheta peccata dicturus ſum, & quidem grauia & atrocia. Nec verò me hoc nomine quiſquam reprehendat. Dei quippe benignitas, communis hominum generis curam gerens, ſanctorum virorum tum virtutes, tum vitia, in medicamenta mutauit; vt aliorũ vulnera, aliis in remedium cedant, ac iuſti naufragium, peccatorum portus efficiatur. Nam cum iuſtus peccet, ſalutem ſuam haud quaquam iam deſpondet; atq; cum eum è cœlo prolapſum eſſe intueor, ipſius lapſus, reſurrectionis occaſionem mihi porrigit. Hinc enim factum eſt, vt Spiritus ſancti gratia, iuſtorum non modo rectè facta, ſed etiam peccata commemorarit. Non enim illorum duntaxat mentionem priùs fecit; ſed eorum etiam quæ poſtea geruntur. Libet igitur demonſtrare,*

P 3 quem

EPIMET. II. Ad Apoſtaſia concurſus & Medicos.

quemadmodùm hic egregius vir ſauciatus ſit, corruerit, ſurrexerit; quemadmodum decertarit, victus ſit, viceris, coronam obtinuerit. Non enim eum in lapſu tantùm ſuo iacentem, ſed etiam à lapſu reuocatum oſtendo; vt tu vtraque ex parte fructum atque vtilitatem capias; vt cum peccaris, in deſperationem ne ruas; Verùm ad reſurrectionem properè curras, nec dicas, me miſerum; actum eſt de me, adulterium admiſi, ſcortatus ſum, cædem perpetraui; habes enim ſalutis portum, qui peccatum propulſet. Nam cum tantum virum vulneribus affectum ac dilaceratum eſſe conſpicias, ſtatim ad pœnitentiam curre, fiduciamque concipe, lachrymarum vim profundens. Egregie quoque in eandem ſententiam ex hoc in Dauidis alacriùs poſt caſum reſurgentis exemplo *S. Chryſoſt. hom. 27. in Matt.*

S. Auguſtinus in eandem ſententiam, ad titulum Pſalmi 50. ſic diſſerit. *Multi cadere volunt cum Dauid, & nolunt ſurgere cum Dauid. Non ergo cadendi exemplum propoſitum eſt, ſed ſi cecideris reſurgendi. Attende ne cadas; non ſit delectatio minorum, lapſus maiorum; ſed ſit caſus maiorum, tremor minorum. Ad hoc propoſitum eſt, ad hoc ſcriptum eſt, ad hoc in Eccleſia ſæpè lectum atque cantatum; Audiant qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, vt ſurgant,* Et inferiùs. *Dixerim hæc eis qui non commiſerunt, vt vigilent cuſtodire integritatem ſuam; & cum attendunt magnum cecidiſſe, parui timeant. Si verò aliquis iam lapſus hæc audit & aliquid mali in conſcientia tenet, verba huius pſalmi aduertat. Attendat quidem vulneris magnitudinem, ſed non deſperet Medici maieſtatem. Peccatum cum deſperatione, certa mors. Nemo ergo dicat, ſi iam aliquid mali feci, iam damnandus ſum, Deus malis talibus non ignoſcit. Cur non addo peccata peccatis? Fruar hoc ſæculo in voluptate, in laſciuia, in cupiditate nefaria, iam perdita ſpe reparationis: vel hoc habeam, quod video, ſi non poſſum habere quod credo. Iſte ergo pſalmus, ſicut cautos facit eos qui non ceciderunt, ſic deſperatos eſſe non vult, qui ceciderunt.*

EPIMETRVM II.

Ad Cooperatores, cùm perficiendæ, tum tollendæ Apoſtaſiæ.

NE vlla ex parte hiet hæc tractatio, addendum pro coronide eſt, quantum ſit peccatum eorum qui quoquo modo cooperantur ad Apoſtaſiam; & quantum decus eorum qui in eadem tollenda operam ponunt. Quanquam enim vtrumque hoc punctum ex antedictis, præſertim circa grauitatem peccati Apoſtaſiæ, videtur ſufficienter expeditum; tamen cum rem ſpectet longè grauiſſimam, de qua plerique non videntur multùm ſolliciti, operæ pretium eſt ſeorſim id expendere: & duplex propoſitum genus hominum, ficus bonas, bonas valdè, & ficus malas, malas valdè in vnum hunc calathum congerere.

* * *

Cooperator ad Apoſtaſiam, alter Satanas, reſpectu Apoſtatæ.

VT autem ab iniquitate cooperantis ad Apoſtaſiam, quia anterior eſt, auſpicemur; non poteſt eius virulentia melius ac breuius patefieri quàm dicendo, cooperatorem ad tantum ſcelus, ſiue inducendo, & ſollicitando non cogitantem, ſiuè adiuuando præmeditatum, perſonam Satanæ ſuſtinere. Nam ipſummet Satanam in perſona Patris ſui S. Gulielmo apparentem, tentaſſe perſuadere illi Apoſtaſiam, habent eius acta c. 19. Habet ſimile exemplum *Pet. Clun. lib. 1. Mirac. c. 13.* Aliud exemplum refertur in Actis S. Nicetæ, apud Surium 3. Aprilis. Similiter autem quiuis ad Apoſtaſiam ſollicitator vel adiutor, dicendus eſt fieri mi eio Apoſtatæ Satanas. Id quod Chriſtus inſinuauit cum Petrum vocauit Satanam, quia ipſum abducere à cruce tentabat. Æquè verò iſti ab inſtituto quod perfectam (quantum fas eſt) crucis Chriſti expreſſionem & imitationem continet, abducunt ad mollitiem ſeculi & carnis curam in deſideriis. Et ob eandem cauſam non dubitauit S. Bernardus ſermone 1. de Paſchate, eos conferre cum Iudæis Chriſto confixo inſultantibus, & dicentibus *Deſcende de cruce.* Etenim ſicut Satanas ſollicitare & adhortari poteſt, cogere non poteſt, iuxta præclaram Diui Auguſtini diſputationem in Pſal. 91. *initio*: Ita & iſti malitiæ incentores vel adiutores, quia Apoſtaſiam inferre nolenti nequeunt, idcircò hortantur & ſuadent vt ipſemet Apoſtata deſcenſum e Religionis cruce eligat. At non plus Religioſo (ſi ſapiat,) acquieſcendum eſt his ſibilis, quàm Chriſtus acquieuerit ſuggeſtionibus Satanæ per Iudæos ingeſtis, quibus ad deſcendendum è cruce quam pro nobis deſcenderat, ſollicitabatur. *Quicunque (inquit ibi S. Bernardus) ſequimur caput noſtrum; tota die hac, qua plaſmati & redempti ſumus, non ceſſemus agere pœnitentiam; non ceſſemus tollere crucem noſtram perſeuerantes, in ea, ſicut ipſe perſeuerauit, donec dicat ſpiritus vt requieſcamus à laboribus noſtris. Neminem audiamus fratres, non carnem & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet, deſcenſum à cruce ſuadentem. Perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtra leuitate. Caput noſtrum depoſuere viri iuſti. Nos ergo dignatione ſua, Angeli Sancti deponant: vt conſummata viriliter die crucis, ſecunda, quæ poſt mortem eſt, quieſcamus ſuauiter, dormiamus fœliciter in ſepulchris, expectantes beatam ſpem; & aduentum gloriæ magni Dei.*

Tentant ergo iſti Religioſum à cruce abducere, & vt ipſe eam deſerat cohortantur: ac proinde meritò eandem *Satanæ*, nomenclationem reportant, quam Petrus à Chriſto, eam ipſam ob cauſam retulit. Et verò ſi notionem nominis ſpectemus, *Satanas* idem ſonat quod *aduerſarium*. Nullus autem aduerſarius teterior Religioſo eſt, quam qui ad apoſtaſiam cooperatur. Idemque Dei eſt aduerſarius, ac proinde Satanas ex vtroque capite iure audit. Religioſi quidem aduerſarium, imò hoſtem infenſiſſimum eſſe, ex eo liquet, quod illum ſpoliare tentat maximo bono; & è ſorte Sanctorum ac regno filij dilectionis Dei deiicere in Tartarum inchoatum, indeque in Tartarum inferiorem. Non eſt alia menſura aptior, ad pronunciandum de qualitate nocumenti quod Religioſo hac abductione infertur, quam conſideratio boni quod ſtatu Religioſo continetur. Sunt Religioſi beati, quia

quia hoc ſunt quod volunt, vt diſſerit *Saluianus lib. 1. de Prouidentia ſub initium.* Sunt in terra velut Angeli, ait S. *Chryſoſtomus hom.* 14. *in 1. ad Timotheum*, de eorum iam ex hoc mundo felicitate plenè ac piè diſputans. Quare in eam curam incumbere, vt quis tanta felicitate excidat, eſt Satanam alicui fieri: & idipſum erga miſerum Apoſtatam præſtare, quod Satanas erga ſuos Partiarios, quos è cœlo, & mox iucunda plena felicitate abduxit. Hos & inimicos ac peremptores nominat S. *Bernardus Epiſtola* 111. cognatos Eliæ Monachi, qui eum ad regreſſum à Claraualle ſollicitabant. Et quantum ex Epiſtolæ tenore colligitur, non erat ille Elias niſi tyro. Nihilominus ex eius perſona S. Bernardus, expoſtulat eos illum ab ipſo iam introitu gloriæ, propè iam rapto cœlo, triumphantem, tanquam canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum, ad ſeculum reducere molitos. Idem. *ſermon. 3. de Epiph.* ſic loquitur de ea culpa. *Herodiana malitia & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extinguere Religionem, & allidere paruulos Iſraëlis. Si quid enim ad ſalutem pertinens, ſi quid Religionis oritur; quicumque reſiſtit, quicumque repugnat, planè cum Ægyptiis paruulos Iſraëlitici germinis necare conatur. Imo cum Herode, naſcentem perſequitur ſaluatorem. Sed iam inchoatam proſequamur hiſtoriam; credo ſiquis conſcius eſt huiusnei, ſtudioſius ſibi canebit de cætero, & Herodianum execrabitur animum, ne ſimilem exitum ſortiatur.*

In vita S. Odonis B. Adhegrinus ait, Diabolum loqui per tales qui obſtare & auertere ſatagunt, ne quis ordinem ineat. Sed ea expoſtulatio, quanto aptius fiat, de homine Religioni per vota ſubſtantialia iam conſerto, nemo non videt. Quod igitur apoſtaſiæ autor vel adiutor fiat Apoſtatæ Satan, ratum eſto.

Eſt item Satan, reſpectu Dei.

IDem verò reſpectu Dei quoque, eſt Satan & aduerſarius. Quæcumque enim Deus inſpirauit, & magno ſi fas eſt dicere, labore ac ſtudio perfecit, deſtruere tentat. Eſſe ſanè Religionis ineundæ ac profitendæ conſilium à Deo, dubitare non licet. Quis enim alius tam abhorrentia à carne & ſanguine conſilia poteſt ſuggerere? Hoc adeò certum habuit *D. Tho. 2. 2. q. vlt. artic. vlt. ad* 1. vt dicat, illi qui ad Religionem accedit, non poſſe eſſe dubium, an propoſitum de ingreſſu Religionis in corde eius exortum, ſit à ſpiritu Dei, cuius eſt ducere hominem in terram rectam. Et quamuis ſint varij qui dicuntur Religioſorum inſtituta fundaſſe, vnus tamen eſt Inſtitutorum omnium primarius autor Deus. Nam diuerſas illas & multas ſcalas quibus in ipſum cœlum conſcenditur, (vt loquitur *Theodoretus ſect. 27. Relig. Hiſtor.*) homines excogitarunt, ſed autore Deo, qui eas ſuggeſſit: vt quemadmodùm communis hominum hoſtis, adinuenit multas vias vitij quibus homines perderet, ita haberent mortales, multiplicem vitæ viam. Conſilium igitur Deo inſpirante ſuſceptum, moxque eodem roborante votis firmatum, infirmare velle, & ad nihilum redigere, eius eſt qui Dei aduerſarium & ſatanam agit. Primus enim Satan, Dei conſiliis ac etiam iuſſis obſtrepuit, & vt negligerentur ſuaſor fuit; ſiue primos parentes noſtros attendamus, ſiue Partiarios Luciferi, quibus ipſe exemplo & hortatione præiens, factus eſt in ruinam & exitium ſempiternum. Eadem autem malignitate aduerſatur Dei conſiliis, & ex quo votum acceſſit, iam non conſiliis ſed præceptis, quiſquis impellere alium in apoſtaſiam tentat. Et vt liqueat huiuſmodi tentatorem Satanæ partes agere, eique ſubrogari in maledicto illo munere, plerunque Satan per ſeipſum hoc maleficium obiuit, vt initio monui. Ex quo indubitatum planè videtur; eum qui ita ſe gerit, eſſe Diaboli cooperatorem, & alterum Satanam: quod quam tetrum ſit S. Dorotheus pulchrè admonuit doctr. 6. numer. 9.

EPIMT. II. *Ad apoſtaſia concauſas & Medicos.*

Domeſtici hominis, iidem hic, quod Eua ſerpenti, & quanto ſuo malo.

POrrò ſicut Satan, vt hominem è terreſtri Paradiſo excluderet, non per ſeipſum modò eum appetiit, nec per quemcunque alium, ſed interuentu eius quam habebat coniunctiſſimam; nempe per Euam; ita nihil in hoc genere frequentius eſt, quam vt inimici hominis, ſint domeſtici eius: & vt parentes ipſi, aut fratres, aut ſorores, aliiue neceſſitudine intima hominem contingentes, fiant ei in decipulam & in laqueum diaboli, ob philtrum quo natura liberos parentibus colligauit, vt loquitur Nicobuli filij nomine ad Patrem, Gregorius Theologus. Lætum quemdam, cum Monaſterium ingreſſus, vexationem pateretur à matre, omnem mouente lapidem vt filium inde extruderet, longa Epiſtola firmat S. Auguſtinus; ſed his præter cætera, quibus oſtendit matrem illi Euam factam. *Qui non vult conuerti in melius, caueàs ne in deterius peruertat & euertat. Quid intereſt virum in vxore, an in matre, dum tamen Eua in qualibet muliere caueatur? Nam iſta vmbra pietatis, de foliis illius arboris venit, quibus ſe primum parentes noſtri in iſta damnabili nuditate texerunt. Et quidquid in illis verbis atque ſuggeſtione quaſi officium tibi charitatis obtendit, vt à germaniſſima atque ſinceriſſima Euangelij charitate; detorqueat, ad aſtutiam ſerpentis pertinet, & ad duplicitatem Regis illius, qui habet viginti millia, quæ nos docemur decem millium, hoc eſt cordis in qua Deum quærimus, ſimplicitate ſuperare. His potius intende chariſſime, & tolle crucem tuam, & ſequere Dominum.* Eſt Epiſtola 38. digniſſima quæ ab iis in quibus ab hoc (vt vocauit Hieronymus,) pietatis ariete, conſtantia labat, attentè legatur. Multa itidem præclarè in eam ſententiam ſcribunt S. Bernardus ex perſona Heliæ Monachi Epiſtola 111. & S. Hieronymus Epiſtola ad Heliodorum. Qui item Epiſtola ad Lætam, exemplum horrendum adducit, mulieris quæ neptem à ſancto propoſito abducere mariti imperio conata, vidit in ſomnis apparentem ſibi Angelum Domini, terribili voce minitantem pœnas; quæ mox per ordinem ſunt conſecutæ. Nam & manus illi ob eam noxam exaruerunt, vt Angelus prænunciarat; & marito ſimul ac liberis orbata eſt; & quod omnium fuit horribiliſſimum, quinto poſt menſe, abrepta, eſt in infernum. Paſſim alibi occurrunt exempla diuinarum huiuſmodi animaduerſionum in parentes vel cognatos, faceſſentes ſuis in hoc genere negotium.

Nec modo aduerſus ſollicitantes ad Apoſtaſiam ſuccenſuiſſe Deum legimus, ſed quod multo minus eſt, aduerſus tentantes obſtare ne liberi aut cognati Religionem ineant, quod feciſſe flagrantiſſimè

ſubintraret. Quà in re ſi tuo fractus imperio, à Chriſti militia apoſtataſſem, & ad mortale ſeculum, & carnale me conferrem matrimonium; obſecro te, quam tibi anima beatitudinem exinde venturam praeuideras, dum ex nobis filij & agnati progeniti, in conuiuia aut certè in vanam & pompaticam militiam effundentes, omne patrimonium deperderent? Quocunque verò anima tua pœnali ergaſtulo teneretur, nihil illi ſanè curarent, dum illis in deliciis & voluptatibus, iucundam ſibi vitam agere licuiſſet. Proinde ſi patrimonium veſtrum in æterno Teſtamento vultis adſcribi, talem ego vobis quæro heredem, per quem illud & nunquam amittere, & ſemper habere poſſitis; per quem illud & temporaliter habere, & æternaliter valeatis poſſidere. Heredem inquam qui vobis pater & mater ſit, qui vos nec in hac vita deſerat, & æternæ vos patriæ ciues efficiat. Si quæritis qui iſte tantus, vel quo parente editus? Eſt reuera diuini Genitoris vnica proles, noui & æterni Teſtamenti autor potens, Eccleſiæ ſponſus immortalis; quem ſi rerum caducarum veſtrarum vultis habere conſortem, nec mundana poteſtas, nec quæ cuncta ſubruit, mors æmula, vobis eas adimere poterit.

Aduersùs illas vaniſſimas, & iudice S. Hieronymo ſtolidiſſimas ac ridiculas voces, quibus in hoc genere parentes, imò perimentes, filiorum conſtantiam quatiunt, *deficiet ſtirps noſtra, vel ad alienos deuoluetur hereditas*, diſputant fortiſſimè S. Hieronym. ſub finem libri primi in Iouinianum, & Epiſtola 10. quæ eſt ad Furiam, Sixtus Pelag. lib. de Caſtitate, Chryſoſtomus hom. 18. in ad Epheſ. Obiter Tertull. lib. de Monogamia *ſub finem*, quos deflorauit Molanus lib. de piis Teſtamentis à cap. 25. ad 29.

Alieni ad Apoſtaſiam cooperantis, quantum ſcelus.

HInc itaque intelligitur, parentes cum ob euanidas illas cauſas (de quibus hactenus,) filiis negotium faceſſunt, & ad Apoſtaſiam eos ſollicitant, non carere graui culpa, quamvis eam vtcunque minuat amor in ſuos, & ſtudium perpetuationis familiæ: quod caput aliqualis excuſationis & extenuationis peccati, planè deficit eum; qui carne non attingens Religioſum; fit illi exitij incentor vel adiutor. Itaque mirum videri non debet, ſi tam atrocem culpam, & grauis Dei vindicta in hoc plerunque ſeculo excipit; & grauior in futuro per interminata ſecula manet. De hoc non ambiget, qui in mentem reuocarit quæ ſuperiùs dicta ſunt de atrocitate ſceleris Apoſtaſiæ: quo crimine quantum quantum eſt; ſe impiat, qui eius autor, vel adminiſter, aut quoquomodo cooperator exiſtit. Templi materialis & inanimi violatorem & profanatorem, deſtruet Deus, teſte Apoſtolo. Et idcirco horremus cum legimus quæ indignè in templa & ædes ſacras præſtiterunt fanatici Hæretici. Sanctesius illis atrocitatibus iuſtum librum de Templorum expilatione & euerſione impleuit Nec pœnæ diuinæ ſæpè defuerunt. Iuſtum itaque eſt, vt qui templum Dei viuum, fecerit profanum, & conculcata initiatione quam Religioſa profeſſio fecerat, (iuxta analogiam quam pulchrè proſequitur *Gul. Pariſ. lib. de legibus cap.* 29. conſecrationis templi & conſecrationis animæ,) ex Eccleſia fecerit catabulum, eoque pecora & feras ſecularium curarum induxerit, ſacrilegæ profanationis det pœnas, omni noſtra opinione atrociores. Nemo neſcit quas Deo impietatis pœnas dederit Conſtantinus Copronymus. Horroris plena eſt narratio cruciatuum eius, quam S. Nicephorus Conſtantinopolitanus longo fragmento, quod apud Theophanem legitur, repræſentauit. Eorum vna nec infima cauſa his verbis ibi refertur. *Angelicum illud & Apoſtolicum Monaſticæ vitæ genus, homo à Deo execratus ac profanus, & à Chriſtiana religione falsò cognominatus τῷ [illegible] hoc eſt illaudati appellatione notauit. Abominatio enim peccatori eſt pietas, & ſanctus impurus eſt apud ſceleratos. Iam verò qualem in eos Tyrannidem exercuerit, quis pro meritò, (vt ante dixi) commemorare poſſit? Quippè conuentiones, illa pacta que quibus diuino ſe numini obſtrinxerant, reſcindere coactos, ac ſacris veſtibus exutos, laicorum ad cultum lata lege, nefarius ille tranſtulit. Quæ verò ad honorem Dei conſtituta erant Monaſteria, ea, in militum diuerſoria & equorum ſtabula, & latrinas, ſtercoreus & à ſtercore cognominatus conuertit.* Nec minùs ſacrilegè facere videtur, qui templa Dei viua in porcorum haras & mandras conuertit.

EPIME II. *Ad apoſtaſia concauſas & Medicos.*

Ad nihil tenetur reſpectu Apoſtatæ, niſi vim, timorem, aut fraudem adhibuerit.

VErùm vt huius culpæ grauitas ſit apertior, diſtinguendus eſt & expendendus duplex modus quo admitti poteſt. Nimirum vel præbendo cauſam Apoſtaſiæ, per violentiæ aut metus immiſſionem aut per fraudem; vel certè nullo horũ interueniente. Si primum, tunc qui eam apoſtaſiæ cauſam præbuit, tenetur illam cauſam ſi adhuc pendeat amouere, & damna fortè in aliis bonis conſecuta reſarcire, ac etiam (vt vult *Rebellus 2. p. l. 4. q. 14. n. 2. & 3.*) tenetur in eodem genere reatum ad pœnam minuere, offerendo pro eo quem vt concauſa reatuí obnoxium fecit, partem ſuarum ſatisfactionum, niſi inaduertentia vt ferè vſu venit, vel læſi condonatio excuſet. Ratio autem obligationis propoſitæ; eſt manifeſta; quia factum eſt contra ius quod Religioſus habebat ne talem fraudem aut vim pateretur: eaque eſt vera iniuria contra iuſtitiam, ac proinde infert reſtituendi obligationem. Quà in re diſplicent, qui vim & deceptionem illatam in materiis quæ non ſpectant ad iuſtitiam, putant non inferre veram iniuriam contra iuſtitiam; idque meritò reprehendunt *Reginal. l. 10. n. 363. & Leſſ. lib. de Iuſt. cap. 8. num.* 4. Ratio enim propoſita, vniuerſalis eſt, & æquè militat in omni materia. Perperam item vt ex eadem ratione habetur, *Vaſques Tract. de reſtit. cap.* 8. *n.* 5. cenſuit illam tantùm virtutem, contra quam quis deceptus vel metu incuſſo læſus eſt, obligare ad ſatciendum damnum; quod eſt diffiteri, eam obligationem eſſe ſemper iuſtitiæ. Sed ratio propoſita, vniuerſaliter id euincit. Hactenus de priore modo quo quis efficitur concauſa Apoſtaſiæ per vim aut fraudem, qui non eſt adeò frequens. Vnde diutiùs circa illum non hæreo, ſed ſubdiſtinctionem, quæ circa hunc modum quoque locum habet cum contingit eum vſurpari, proponam circa ſecundum qui frequentior eſt & quotidianus.

Alter ergo modus concauſandæ Apoſtaſiæ, eſt, quo quis ad eam volens & lubens inducitur, vel in ea perficienda iuuatur. Et hæc culpa, tametſi grauiſſima, tamen quod attinet ad ipſum Apoſtatam, non eſt niſi contra Charitatem; vnde nulla

ex

EPIMET. II. *Ad Apoſtaſia con auſas & Medicos.*

ex ea iniicitur obligatio reſtitutionis, contra Adrianum & Gabrielem, locis notatis cap. 8. Nec qui Apoſtatam ſic impulit, aut iuuet, tenetur ex iuſtitia (quantum ad Apoſtatam attinet,) illum reuocare, vel ad id conari, vt perperam ſenſit *Scotus in 4. d. 15. q. 3.* quem refellit Soto cuius, argumenta latè roborat *Torres t. 2. in 2. 2. diſp. 15. dub. 1.* Sed breuiter ratio eſt, quia volenti non fit iniuria. Sicut qui abſque vi & fraude, puellam ſub Patris cura hærentem, induxit volentem ad meundum matrimonium dedecens, ad nullam reſtitutionem tenetur puellæ, ob generale illud principium, volenti non fit iniuria.

Etiam illis ſecluſis, quid Religioni debeat.

At quod attinet ad Religionem à qua Apoſtata auellitur, non videtur dubitandum, quin iſte malitiæ autor vel adminiſter, teneatur ad reſtitutionem damnorum, vel lucrorum ceſſantium Religioni, ex Apoſtatæ miniſteriis ſubductis. Quod contra aliquos inter quos Suares, Leſſius, ac Bonacina, aſſeruimus ſupra c. 8. cum Adriano, Gabriële, Valentia, Molina, Reginaldo, Rebello, quibus adde *Toletum lib. 4. cap. 17. in fine & Richardum quodlib. 3. q. 19. in fine.* Et ratio videtur manifeſta; Nam ille Satanas, fuit Religioni iniuſta cauſa talium damnorum: qui eſt titulus obligationis ad reſtitutionem. Nec verò tenetur tantùm ſecundario, & minùs principaliter, ac in defectum Apoſtatæ, qui executor fuit; (nam cap. illo 8. monſtrauimus Apoſtatam non teneri ad reſtitutionem prædictam:) ſed verè tenetur per modum principalis debitoris; quia reſtitutio facienda eſt eo modo & ordine quo iuſtitia eſt violata per cauſam iniuſtam. Cum ergo Apoſtata non peccauerit contra iuſtitiam, nec fuerit cauſa iniuſta impedimenti emolumentorum quæ Religioni obuenirent ex miniſteriis ſuis, præci e ſpectando deſertionem inſtituti & votorum conculcationem, manifeſtè ſequitur, eum qui Apoſtatam impulit aut iuuit, teneri principaliter ad reſtituendum Religioni damna ei conſecuta per Apoſtatæ defectionem. Sicut qui impedit iniuſtè, (per vim ſcilicet aut dolum, vel metum, donaturo incuſſum.) ne donatarius fruatur donatione quam alius illi ex charitate facere paratus aut obſtrictus erat peccat contra iuſtitiam, & principaliter tenetur ad reſtitutionem

Non deſunt graues Doctores qui aſſerant, huiuſmodi cooperatorem Apoſtaſiæ, ſi aliter nequeat reſtituere, teneri ſe ſubrogare loco Apoſtatæ. Ita cum antiquioribus *Molina tract. 4. d. 15. num. 8. Bonac. d. 2. de reſtit. p. vnico. num. 7.* & ex parte *Rebellus 1. p. lib. 4. q. 15. num. 4.* & ferè agunt de auertente Nouitium. Multo autem clariùs vrgent pro profeſſo ad Apoſtaſiam inducto, omnia quæ proferunt pro Nouitio, cui perſuaſa ſit retroceſſio. Verùm quatenus hi Doctores, cooperationem de quo agimus, obligant ad Religionis ingreſſum loco Apoſtatæ, non ſunt audiendi, quia profeſſio Religioſa ob ſummam difficultatem quã infert, & peculiarem Dei vocationem, & auxilia quæ poſtulat, non poteſt cuiquam intuitu ſarciendæ iniuriæ proponi tanquam neceſſaria: & qui in eum ſtatum deuenit, vt non poſſit aliter reſtituere, cenſendus eſt impotens ad reſtitutionem. Ita *Leſſ. l. de Iuſt. cap. 8. num. 14. Torres t. 2. in 2. 2. diſp. 15. dub. 2. nu. 11. Petrus à Nauarra lib. 2. de Reſtit. cap. 2. à numero 13. Miranda t. 1. Manua. Prælat. q. 15. art. 3. Suares tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 3. num. 5.* Valetque id quidem maximè quoad Nouitios tantum Proſelytos: ſed tamen valet etiam quoad Profeſſos. Dico maximè valere, quoad nondum obſtrictos votis, quia Religio quoad eos nullum habet ius, aut Iuſtitiæ, aut quaſi Iuſtitiæ ex votis reſultans, vel ex lege Eccleſiaſtica exoriens, vt ait *Azor. t. 3. lib. 5. cap. 2.* vi cuius emolumenta externa ex miniſterij, talis perſonæ aliquando obuentura ſibi debeantur. Vnde ſecluſo dolo & vi quibus Nouitius aut etiam Proſelytus à Religione auerteretur, (nam tunc penſata ſpe emolumentorũ facienda eſſet Religioni reſtitutio, vt Molina ſupra num. 10. animaduertit;) dolo inquam & violentia ſecluſis, auocatio Nouitij aut Proſelyti, non continet iniuriam erga Religionem: vnde nulla eſt reſtituendi obligatio, etiamſi ſuaſor aut Auocator id fecerit animo nocendi Religioni: in quo aliqui immeritò difficultatem faciunt. Nam circunſtantia actus odij ex quo Satanas ille operatur, non facit vt inducatur obligatio Reſtitutionis, cuius neceſſitas non pendet ex animo, ſed ex iure exterius violato. At non obſtante tali odio, ſuaſio illa non eſt actus iniuſtitiæ, ſed tantùm eſt contra Charitatem. In quo eſt diſparitas inter ſuadentem & occidentem vt noceat, illi tertio, ne tertio cuipiam bene fiat, quem conſtat ad reſtituendum non teneri. Nam qui tantum ſuadet; quia non eripit principium aliter operandi, nihil facit contra ius illius tertii: ſed qui occidit, eripit ex certa voluntate poteſtatem benefaciendi tertio illi; proindeque lædit ius eius, & obligatur ad reſtitutionem. Igitur prædicta de non neceſſaria ſui ſubrogatione pro auocato à Religione, maximè valent pro non ligatis per vota. Quod S. Raymundus cum quendam à Religione Prædicatorum auocaſſet, adhuc Proſelytum, ingreſſus eſt loco eius, ex abundantia Iuſtitiæ, non ex neceſſitate ſic ſe geſſit. Idem tamen de Auocatore Profeſſi & Concauſa Apoſtaſiæ ſentiendum eſt, quoad eam ſui ſubrogationem attinet.

Tacita pœna eiuſdem cooperationis in foro humano.

Qvamvis autem hæc culpa non ſtatuat cooperatorem reſtitutioni obnoxium, niſi iuxta prædicta; eſt tamen (vt præmiſi,) culpa grauiſſima, & excommunicationi patens quoad receptatores Apoſtatarum; qui conſcij eorum nequitiæ, retinent illos apud ſe, non animo iuuandi & reducendi ad ſanam mentem, (qua ratione Hæreticorum quoque receptio alias ſub grauibus cenſuris vetita, caret labe, & eſt immunis à cenſura, vt Nauarrus ſtatuit in Manua. cap. 27. num. 55.) ſed animo fouendi eos in Apoſtaſia, vel certè abſque formali quidem animo retinendi eos in illo cœno; ſed tamen non eiiciendo eos, cum primum vident illorum obdurationem, meritoque deſperant ſe per humanitatis exhibitionem fore illis vtiles vt redeant ad cor, vt idem *Nauarrus lib. 3. Conſil. de Regul. Conſil. 69.* adnotauit, & ex variis Pontificum Diplomatibus confirmat *Miranda tomo 1. Manu. q. 51. art. 2. Concl. 1. & 2.*

insignia

Inſignia è contrario decora, reuocantis Apoſtatam.

ABſtergamus huius conſiderationis amaritudinem, ſuauitate expenſionis bonorum quæ eos manent qui in ſubleuandis Apoſtatis & ad viam reducendis, operam ponunt, verè Nictycoraces in parietinis, vt S. Proſper pulchrè accepit Pſaltem. Hi ſunt è contrario incentorum apoſtaſiæ quos vicem Satanæ obire diximus; qui tutelares Angeli miſero apoſtatæ fiunt. Si enim qui hominem pertrahit aut impellit in exitium, fit ei Satanas; quidni qui ſalutem illi conciliat, Angelus eius tanquam Angeli coadiutor, appelletur? Ita planè argumentatur *S. Dorotheus* Doctr. 6. *n.* 10. verbis illis. *Væ, væ illi qui proximo ſuo turbidam ſubuerſionis potionem propinat. Cæterùm cum hoc agimus, dæmonis peragimus opus ac munus. Neque id cura prorſus nobis. Quod enim opus aliud agit dæmon, quàm lædere & obturbare quemque? Itaque dæmonum ſumus coadiutores & cooperatores in noſtram ipſorum ac proximorum perniciem & ruinam. Nam qui perdit animas, cooperator eſt & coadiutor dæmonum. Quemadmodùm & qui adiuuat aliquem, atque animæ prodeſt, coadiutor eſt & cooperator ſanctorum Angelorum.*

Tantumne? Imo etiam Chriſti ipſius, qui Angelorum princeps eſt. Vniuerſa enim Chriſti Domini induſtria in eo deſudauit, vt hominẽ infeliciter lapſum, feliciter erigeret, reduceretq; ab exitio. Ipſe eſt Paſtor bonus, qui ouem errantem & relicto grege miſerè palabundam; per auia & inuia, perque teſqua conquiſiuit ſollicitiſſimè, nec deſtitit donec ad ouile reuocaret, verè bonus, verè Paſtor. Hoc Chriſti ſtudium æmulantur, qui aberrantes à diuina caula oniculas, iuuant ad regreſſum, ne miſerè in pabulum lupis cedant, pereantque in æternum. Eſt quidem hoc decus omnibus illis commune, qui quibuſvis peccatoribus conuertendis nauant operam. Præcipuo tamen iure cadit in eos qui pro Apoſtatis reuocandis ſunt ſolliciti. Quo enim tetrius eſt apoſtaſiæ crimen, & quo perſona quæ illud admiſit, erat Deo coniunctior; eo miſerabilior fuit eius ruina: ac proinde ad maiorem Charitatem pertinet eius ſubleuatio per opem latam vt ab Apoſtaſia eruatur, eoque regrediatur vbi in vnum cum fratribus habitet, & fiat eius vita ſicut vnguentum ſacerdotale fragrantiſſimum, & ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Ipſa Peccatorum Mater Deipara hanc charitatem ſtudio ſuo indignam, iam Cœli Regina, iam cœlo illata, non cenſuit: quod monſtrat illuſtre exemplum Hugonis de quo in vita S. Berecharij? lib. 2. cap. 21. apud Surium 16. Octobris. Et perilluſtre item eſt exemplum Beatricis Monialis Apoſtatæ, pro qua Beata Virgo per annos multos claues Eccleſiæ Monaſterij ſeruauit, vt eſt apud Cæſarium lib. 7. cap. 35. qui ſic de ea ſcribit. *Erat corpore ſpecioſa, mente deuota, & in obſequio Dei Genitricis feruentiſſima. Quoties illi ſpeciales orationes, ſiue venias ſecretiùs offerre potuit, pro maximis deliciis reputauit. Facta verò Cuſtos, hæc egit tantò deuotiùs, quantò liberiùs; quam Clericus quidam videns & concupiſcens, procari cœpit. Illa verba luxuriæ ſpernente, iſto importuniùs inſtante, Serpens antiquus tam vehementer pectus eius ſuccendit, vt flammam amoris ferre non poſſet. Accedens verò ad altare B. Virginis Patronæ oratorij ſic ait:* Domina *quanto deuotiùs potui, ſeruiui tibi. Ecce claues tuas tibi reſigno, tentationes carnis ſuſtinere diutiùs non valeo; poſitiſque ſuper altare clauibus, clam ſecuta eſt Clericum; quam cum miſer ille corrupiſſet, poſt dies paucos abiecit. Illa cum non haberet vnde viueret, & ad Clauſtrum redire erubeſceret, facta eſt meretrix. In quo vitio cum publicè quindecim annos tranſegiſſet, die quadam in habitu ſeculari ad portam venit Monaſterij; quæ cum dixiſſet Portario: noſti Beatricem quandoque huius oratorij cuſtodem? Reſpondit optimè noui; eſt enim proba ac ſancta Domina, & ſine querela ab infantia vſque ad hanc diem in hoc Monaſterio conuerſata. Illa, verba hominis notans ſed non intelligens, dum abire vellet, Mater miſericordiæ in effigie nota ei apparens, ait. Ego per quindecim annos abſentiæ tuæ, officium tuum ſuppleui: reuertere nunc in locum tuum, & pœnitentiam age, quia nullus hominum nouit exceſſum tuum.* In *forma ſiquidem & habitu illius,* Dei *Genitrix vices egerat cuſtodiæ. Quæ mox ingreſſa, quamdiu vixit, gratias egit, per confeſſionem circa ſe geſta manifeſtans* Hactenus Cæſarius.

EPIME. II. *Ad apoſtaſiæ concuſſas & Medicos.*

Quanta hæc Eleemoſina.

NOn eſt difficile eodem modo accommodare præcipuo iure ad apoſtatarum curatores, quæ præterea in Scripturis & Patribus ad gloriam & commendationem, quorumvis peccatores ad conuerſionem iuuantium, paſſim occurrunt. V. G. omnium maxima eleemoſina eſt, pereuntem animam refouere. Egregiè id probat *Richard. Victor. l.* 2. *de erudit. inter. hom. c.* 38. verbis illis *Pauperes facit indigentia bonorum exteriorum, multo magis autem pauperes reddit inopia bonorum interiorum. Pauper eſt, qui diſcretione caret, qui conſilium non habet, qui virtutum diuitiis caret. Sed vbi paupertas eſt, ibi & eleemoſyna eſſe poteſt. Et quantò paupertas eſt verior, tantò eleemoſina maior. Magna eleemoſyna ſuo cibo reficere carnem quandoque morituram; maior autem, ſui generis alimento ſaginare animam in æternum victuram. Magna eleemoſyna nudum veſtire, maior autem, indiſciplinatum morum diſciplina ornare.* Hæc ratiocinatio videtur ineluctabilis: quia quanto præſtat anima corpori, tanto & miſeria eius, maior; & miſeratio ac ſubleuatio eſt illuſtrior. Idem habet *Chryſoſtomus hom.* 3. *in Geneſ. & hom.* 3. *in* 1. *ad Corinth. & S. Gregorius hom.* 6. *in Euang. Dorotheus Doctr.* 14. *n.* 25. Anterus Papa Epiſt. ad Epiſcopos Boeticæ. Quare pergit Richar. *Optimum eleemoſinæ genus, corripere inquietos, conſolari puſillanimes, patientem eſſe ad omnes. Miſericordia magna alienæ afflictioni compati, maior autem pro alienis erratibus compungi: præclarum genus miſericordiæ, delinquentes deflere, pœnitentibus indulgere, aliena delicta propriis lachrymis delere.*

Funguntur quidem his pietatis officiis erga peccatores quoſcunque quotquot in eorum conuerſione ſtudium collocant Sed ij profecto præter ac ſupra cæteros munia illa charitatis obeunt, qui circa Apoſtatas curandos laborant. Nam & corripiendi ſunt vt culpam agnoſcant; & conſolatione mulcendi, ne deficiant præ deſperatione; & patienter audiendi, cum interdum initio excuſant excuſationes in pecccatis, & lapſum ſuum ac ruinam in alios referunt. Iiſdem compatiendum neceſſario eſt Curatori induſtrio ac prudenti, & propria compunctione ac dolore & luctu ſupplendum quod in obdurato pectore ad deflendam turpiſſimam prolapſionem deſiderari ſolet. Quare negari

non

EPIMET. II. Ad Apoſtaſiæ concauſas & Medicos.

non poteſt, quiſquis eiuſmodi eſt, quin ſummus ac peritiſſimus Eleemoſinarius ſit habendus. Quia verò Scripturæ & Patres, ſcatent elogiis Eleemoſinariorum, iiſque omne à Deo cœleſtis benedictionis genus ſpondent, cum in hac vita, tum in futuro ſeculo, vt pleniſſimè tradunt qui de corporalis eleemoſinæ fructu diſputant, quorum benè multos corraſit vndecunque Iulius Fulcus ſyntagmate de eleemoſina, & Serarius ad cap. 4. Tobiæ præcepto 3. eſt quod ſe ſoletur Apoſtatarum Curator, de eo ſibi, ac etiam pro ſuæ eleemoſinæ nobilitate maiori, auctiore cumulo repoſitis diuinis bonis.

Eſt ædificatio templi Dei

AD hæc qui animas ad Deum Creatorem reuocat, dicitur ædificator templi Dei; illius inquam templi viui, præ quo ipſum cœlum ſordet & cum quo materialia templa quantacunque, ne comparari quidem poſſunt. Formicarum operibus, præ cœlo, magnificentiſſimas quaſque ædes noſtrates confert *S. Chryſoſtomus hom. de vanitate vitæ, & ſerm. 15. in 1. ad Timo. in Mor.* vel nidis ex luto & feſtuca copioſa compactis, vt habet *ſer. 2. in Epiſt. ad Colloſ.* At ipſum cœlum præ templis viuis Dei viui, planè iacet. Huiuſmodi templa collapſa, ſuſcitat & inſtaurat & Deo vero denuò conſecrat quiſquis conuertit peccatorem ab errore viæ ſuæ. Is (inquam) ædem ſacram ac cœlum Deo viuo & vero inſtaurat; quod quantum ſit, agens de pietatis opere multum depreſſiore, egregiè proſequitur *S. Chryſ. hom. 14. in ad Rom. in fine* verbis illis. *Si tantum tibi poteſtatem faceret vt collabens cœlum erigere ac reſtituere poſſes; nonne hoc facto interpretatereris honore te honeſtatum, qui conditionem maximè ſuperaret tuam? Ecce igitur maiori te honore dignatus ille eſt. Nam quod illi vel cœlo ipſo honoratius eſt, huius tibi erigendi, reſtituendique curam credidit. Deus enim ea inter omnia quæ videntur, homine nihil maioris æſtimat: propter quem videlicet, & cœlum & terram & mare fecit. In quo ipſo ſanè inhabitare magis gaudet quàm in cœlo.*

At eſſe Religioſos templa Dei longè potiore iure quam ſeculares fideles, nemo ambiget, & optimè tradit *Theodorus Studita Cathec.* 114. Qui igitur Religioſum collapſum reſtituit integritati priſtinæ, idem ſibi decus conciliat quod Zorobabel ob inſtauratum Dei templum à diuini nominis hoſtibus dirutum. Qui verò id negligeret, reus eſſet ingentis culpæ, vt licet eruere ex illa Chryſoſtomi ratiocinatione hom. 2. de Anna *ſub finem* in alio licet argumento. *Annon abſurdum eſt, nos domum veterem ruinam minitantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accerſentes, denique nihil non facientes. domum autem Dei, (nam Dei domus eſſe debet adoleſcentis anima,) ne vulgari quidem dignari cura? Vide ne idem audias quod olim audiere Iudæi. Nam illi poſtquam è captiuitate, templum materiale conſpicientes neglectum priuatas ædes ſuas exornarunt, adeò Deum exaſperarunt, vt mitteret eis Prophetam qui famem minitaretur, magnamque rerum neceſſariarum penuriam, atque hanc comminationis cauſam eloqueretur. Vos quidem in domibus vndique habetis manſiones, domus autem mea deſerta eſt. Quod ſi illius templi neglectus, tantam excitauit iram numinis, multo magis huius templi neglectus, ad iracundiam prouocabit Dominum. Siquidem hoc templum, tanto eſt illo honoratius, quanto plura habet ſanctimoniæ ſymbola. Caue igitur committas, vt templum Dei fiat ſpelunca latronum, ne & alteram audias obiurgationem qua Chriſtus obiurgauit Iudæos, dicens, domus patris mei, domus deprecationis eſt; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Sed quomodò fit ſpelunca latronum? Cum patimur illiberales & ſeruiles concupiſcentias intrare, ſedemque figere in adoleſcentum animis. Tales enim cogitationes, grauiores ac pernicioſiores ſunt latronibus, quæ puerorum ingenuitatem vertunt in ſeruilitatem, ipſoſque brutis cupiditatibus dedunt in ſeruitutem, vndique confodientes illos, ac mentem illorum multis implentes vulneribus.* Proportione ſeruata, in rem præſentem optimè cadit vniuerſa Chryſoſtomi diſputatio.

Item procuratio ſalutis humanæ, idque quantum.

SAluiano iudice, ſub finem libri 7. de Prouid. Procurator eſt quodammodò ſalutis humanæ, qui non tantùm id agit vt ipſe bonus ſit, ſed efficere hoc nititur, vt alij mali eſſe deſiſtant. Non eſt hæc laus exigua illius qui animarum ſaluti dat operam; ſiue procurationem illam per modum negotiationis accipiamus, ſiue per modum curationis & medicinæ; quo vtroque modo in Scripturis plerunque expreſſa habetur, vt trado cum de Chriſto medico & Verbo negotiante. Præcipuo verò iure, ad eos de quibus agimus accommodari poteſt procuratio illa, vtrolibet modò ſumpta; quod hæ merces Chriſto chariores, & hi ægri in Dei Eccleſia meliore ſint loco. Non ſane tenuior debet eſſe gloria ſic fœnerantis Deo, vt eſt apud Prophetam; id eſt negotium Dei in animarum ſalute curanda gerentis, quam eius qui ſatagit ad Deum adducere reliquos lapſos, cuius tamen curæ tantam gloriam celebrat S. *Chryſoſtomus Orat. 5. contra Iudæos ſub med.* occaſione iuuantium Chriſtianos Ieiuniis Iudaicis addictos, (id quod mox æquè ad omnes quorumcunque lapſorum adiutores vult pertinere,) vt dicat nihil eſſe meritorium magis, nec ſinat eam curam aliis ab vnoquoque permitti.. *Si inueneris (inquit) aurum iacens, non dicis apud teipſum, quare ille aut ille hoc non ſuſtulerunt; ſed feſtinas ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapſis cogita, putatoque te theſaurum reperiſſe, nimirum occaſionem illis medendi. Etenim ſi inſtillaueris illis velut oleum ſermonis doctrinam; ſi obligaueris humanitate temperantiaque vulneratum; ſi ſanaueris; ille te faciet ditiorem quouis theſauro. Qui enim eduxerit pretioſum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit ille. Quid huic poterit æquiparari?* Quod *neque ieiunium, neque humi per acta cubationes, neque peruigilia, neque aliud quidpiam poteſt, efficit fratris procurata ſalus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccauerit, quam multa verba obſcœna protulerit, quam multa conuicia, quam multa maledicta euomuerit, & omnino ſuſcipies collapſi curam. Nam hoc vno benefacto omnem illam delere maculam poteris. Et quid dico delere? Facies vt ſit os tuum ſicut os Dei. Quid huic honori, poſſis æquiparari? Non enim ego iſta polliceor; ipſe Deus hoc dixit. Si vnum quempiam eduxeris, inquit, vt os meum erit os tuum, purum ſanctumque.*

Præcellit ſuſcitationi defuncti.

TAndem qui peccatorem conuertit, dicitur mortuum ſuſcitare. Peccator enim abſceſſu Dei qui anima & forma ſupernaturalis noſtra eſt, morte moritur, vt monſtrauimus cap. 8. *ſub finem*, & egregiè etiam tradunt *Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſtola 252. Auguſt. lib. 14. Trin. cap. 4. & Greg. 31. Mor. cap. 37.* confirmarique optime poteſt, quia ex abſceſſu ſpiritualis illius animæ, omnes ſpiritualium ſenſuum functiones in peccatore ceſſant. Peccator enim cœcus eſt, vt egregiè docet *S. Gregorius 11. Mor. cap. 18.* Eſt item mutus, de quo benè *Aug. in pſal. 139. ad verſ. 7. & S. Ambroſ. lib. 1. in Lucam ad cap. 1.* Eſt ſurdus, ex eodem *Aug. lib. 1. qq. Euang. in 18.* Eſt abſque olfactu, ex *Aug. in pſal. 37.* Eſt denique leproſus, & corrupto ac quaſi exterminato tactu ex *Origene hom. 8. in Leuit.* Igitur peccator eſt mortuus; ac proinde qui peccatorem iteratò ſubſternit diuinæ veluti formæ, iure dicitur ſuſcitare peccatorem; & opus maius ac fructuoſius edere, quam ſi cadauer hominis redanimaret. Doctrina eſt *S. Gregorij 19. Moralit. cap. 16.* ad illud quod optimè huc cadit, *Benedictio perituri ſuper me veniebat*; quod ſic accommodat ad Eccleſiam animas conuertentem. *Benedictio etiam perituri ſuper eam venit, cum peccatoris interitum præuenit, & eam ſanctis exhortationibus, à culpa ſua reducit. Vnde ſcriptum eſt: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Si enim magnæ mercedis eſt, à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti eſt meriti à morte animam liberare, in cœleſti patria ſine fine victuram?* Eſto, non ſoleat id opus vocari miraculum, ob rationem à Diuo Thoma aſſignatam 1. 2. q. 113. art. 10. Quanto ergo iuſtius ſuſcitator mortui audire poteſt, qui Apoſtatam bis mortuum vt S. Iudas dixit de Hæreticis, qui & fide & charitate exciderunt (quod & iſti proportione contigit, quatenus è ſtatu Religioſo & Dei gratia eſt exturbatus,) reuocat ad vitam priſtinam, & functiones vitæ illi reſtituit? Ingens planè eſt beneficium quod Deus concedit homini, cum iſta patrare concedit. Audi *Rich. Vict. in Beniamine minore c. 44.* *Neſcio ſi poteſt homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere, ignoro an poſſit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quam vt eius miniſterio, peruerſi homines in melius mutentur; vt de filiis Diaboli, filij Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur eſſe mortuos ſuſcitare? Ergone maius erit ſuſcitare carnem iterum morituram, quam animam in æternum victuram? Ergòne maius erit carnem reuocare ad gaudia mundi, quam animæ reſtituere gaudia cœli? Ergone maius erit reſtituere carni bona tranſeuntia iterum peritura, quam animæ reddere bona æterna in æternum manſura? O qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam à Deo accipere. Non debuit Dei ſponſa à ſponſo ſuo dotem aliam accipere; non decuit cœleſtem ſponſum ſponſæ ſuæ dotem aliam donare, quam vt per adoptionis gratiam poſſit multos Dei filios gignere, & de filiis iræ, filiiſque gehennæ, regni cœleſtis hæredes adſcribere. Meritò ergo Zabulum nato, exclamat mater eius Lia; ditauit me Deus dote bona.*

EPIMET. II. *Ad Atelaſia concariat & Medicos.*

Antonomaſticè planè cadit in huiuſmodi hominem quod S. Iacobus cap. 5. Epiſtolæ dixit de eo qui Gnoſticum aliquem ex iis qui tunc graſſabantur, (& erant fere, vt ſupra vidimus, à Religioſo inſtituto Apoſtatæ,) reduxiſſet ad ſanam mentem. *Fratres mei ſi quis ex vobis errauerit à veritate & conuerterit quis eum ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* non video quo poſſit altius ſubuehi, dignitas & fructus huius beneficentiæ. Nam & homo adiuuans in hac parte hominem, dicitur fieri eius Saluator, & eſſe homini Deus, quo non poteſt eſſe auguſtior titulus: & præterea etiamſi innumeris ipſemet ſordeat maculis, charitas quam fratri lapſo adhibuit, eas operiet & auferet. Id enim eſt Deo tegere peccata, hoc eſt ingenti eum gratia cumulabit, quam ſubſequetur gratia pro gratia, id eſt, gloria per omnem æternitatem. Amen.

FINIS.

SYLLABVS CAPITVM.

ANTELOQVIVM.
Cap. I. Quid ſit Apoſtaſia à Religioſo Ordine de cuius horrore agendum eſt.
Cap. II. Mirum videri non debere, quod aliqui à Religione deficiant.
Cap. III. A quo tempore cœperint eſſe in Eccleſia, Apoſtatæ à Religioſo ſtatu.
Cap. IV. Syllabus inſignium Apoſtatarum.
Cap. V. Quæ in prædictis & aliis notata ſint ſigna portendentia Apoſtaſiam.
Cap. VI. Cauſæ quæ prædictos & alios Apoſtatas, ad defectionem à Religioſo Ordine aptauerunt.
§. I. De abiectione familiaritatis cum Deo, & ingratitudine pro Religioſæ vocationis beneficio.
§. II. De abiunctione à ſuperioribus & neglectu ſpiritualium Magiſtrorum.
§. III. De diuulſione à ſociis, & domeſtica charitatis ſciſſura.
§. IV. De torpore in via ſpiritus aut acedia.
§. V. De animi elatione atque ſuperbia.
§ VI. De nimia ſecuritate.
§. VII. De neglectu minimorum.
§. VIII. De cura carnis in deſideriis, eiuſque fæcibus, præſertim ob familiaritatem non ſobriam cum ſexu molliore.
Cap. VII. Fœdi Apoſtaſiæ natales, ſiue de Apoſtaſiæ conſecutione ad diſpoſitiones propoſitas.
Cap. VIII. Quam immane quamque horrendū ſit ſcelus Apoſtaſiæ à Religioſo ordine.
Cap. IX. Apoſtaſiam & peccatum, & peccati effectum, ac pœnam eſſe, idque quam tetrum & graue haberi debeat.
Cap. X. Apoſtaſiæ horrifica facies, ex eam conſequentibus defectibus.
Cap. XI. Suffragium diuinum pro Apoſtaſiæ atrocitate, ex modis loquendi Scripturarum de Apoſtatis.
Cap. XII. Aliud diuinum pro Apoſtaſiæ atrocitate ſuffragium, ex vltionibus diuinitùs intortis in Apoſtatas.
Cap. XIII. Iudicium Eccleſiæ de Apoſtaſiæ atrocitate, ex pœnis quibus ob tam mulctat Apoſtatas.
Cap. XIV. Senſus Sanctorum Patrum de criminis Apoſtaſiæ enormitate.
Cap XV. Apoſtatarum à Religionibus Imagines.
Cap. XVI. Occaſiones quæſitæ à volentibus diſcedere, & iugum Religionis excutere, quanti reuera eſſe debeant, æſtimatum.
Cap. XVII. Leſſus in Apoſtatam.
Cap. XVIII. Reſina in Galaad, peritis animarum Medicis ad Apoſtatæ curationem monſtrata.
Cap. XIX. Quæ ipſos Apoſtatas ad ſui curationem conferre par eſt. Excuſationum præcluſio.
Cap. XX. Exempla Apoſtatarum quibus curatio ad modum præſcriptum adhibita, collato Medici & ægri ſtudio, ſanitatem creauit.
Cap. XXI. Sanatus Apoſtata, quo loco habendus.
Cap. XXII. Fructus ipſimet Apoſtatæ ex anteriore Apoſtaſia legendus. Diætetica vitæ ratio; eidem iam Sanato præſcripta ne relabatur.
Epimetrum I. Fructus Aliorum ex Apoſtatæ caſu & Sanatione.
Epimetrum II. Ad Cooperatores cùm perficiendæ, tum tollendæ apoſtaſiæ

RELIGIO

RELIGIOSVS LORICATVS.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

An & quatenus Religioſus, illæſa Pietate, & ſaluo Regulari Inſtituto, nominatim in patriæ obſidione, arma tractare, & nauare in bello operam poſſit.

Nos qui reliquimus ſæculum, id modis omnibus obſeruare volumus; vt arma ſpiritualia habeamus; ſæcularia dimittamus. *Conc. Mogunt. 1. c. 17.*

PROPOSITVM.

ROGAMVR ſententiam, quid de Religioſis, bello inter Catholicos Principes flagranti, operam dantibus, ſtatuendum videatur. Primam quidem exquirendæ in ea re mentis noſtræ occaſionem, ſuppeditauit generoſitas, (an ſecundùm ſcientiam?) Religioſorum qui intra vrbem hoſtili obſidione cinctam concluſi, pugnauere aduersùs hoſtes Catholicos, quâ irruentes repellendo, & obſiſtendo ne muros conſcenderent, qua telis eminus impetendo; aliquando etiam cum turma militari erumpendo in hoſtes vrbem cingentes. Tamen mota per eam occaſionem difficultate, tranſitum eſt ad vlteriorem diſquiſitionem, vniuersè quærendo, an & quatenus Religioſi ad bella procedere, inſtrui omnis generis armatura, machinas & tormenta bellica perterricrepo fragore diſplodere, ſaluo ſtatu ſuo & integra conſcientia poſſent; Ea quippè omnia per nonnullos Religioſos (& quidem ex ordinibus non laxatæ diſciplinæ) præſtita in exercitu aduersùs Catholicos, fama tulit, & conſtanti rumore increbuit. Quinetiam eiuſdem farinæ religioſum, audiuiſſe Archiſtrategum, & exercituum directionem egiſſe, nec exiguo tempore munus illud obiuiſſe, vulgatum eſt: quod malo ad calumniam ſeminiuerbiorum referre, alioqui illud Maronis in Ventidium Baſſum ex mulorum Curatore conſulem, inclamandum eſſet quàm concentiſſime: *Concurrite omnes, augures, aruſpices: portentum inuſitatum conflatum eſt recens. Qui ad reſtim venerat, Archiſtrategus factus eſt.* Sanctus quidem Bernardus in Carnotenſi conuentu, in ducem & principem militiæ electus eſt, præfuturus exercitui cui Rex ipſe Francorum Ludouicus, & Principum ac Dynaſtarum conferta multitudo quæ illum conuentum conflabat, ſub huiuſmodi Generaliſſimo dabat nomina. Sed hoc ipſemet S Bernardus, quoniam iudicio factum eſſet, mirari ſe profitetur epiſt.256 [quis enim ſum ego (inquit,) vt diſponam caſtrorum acies, vt egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum à profeſſione mea, etiamſi vires ſuppeterent, etiamſi peritia non deeſſet?] Itaque enixè rogat Eugenium Papam, quem rex ac conuentus procerum vniuerſus, ad virum ſanctum adigendum vt ei oneri humeros ſupponeret, interpellabat; ne ſe humanis conſcriptorum voluntatibus, ad eius expeditionis rectionem obeundam vellet expoſitum: Et agebatur de exercitu à lectiſſimis & fide ac religione præſtantibus Catholicis conflato, ad terram pedibus domini calcatam, gētium opprobriis liberandam, fidelésque ibidem verſantes luctuoſiſſimæ captiuitati eximendos; denique gloriam crucis, & Chriſtiani nominis, tetræ infamiæ ſubducendam. Vt autem homo religioſus atque ſacerdos ductandos ſuſceperit hæreticorū copias aduersùs Catholicos, & præfuerit director; hoc ego inter calumnioſa figmenta recenſeo. Conſtat enim hæreticum exercitum in oras Catholicorum deuocatū, ſtrenuam

dare operam Eccleſiarum expilationi, cimeliorum ſacrorum direptioni, ſacerdotum ac Religioſorum tam multorum adfringentis pietatis inter externos argumenta captanda adactorum diſperſioni, fœdationi Parthenonum; omnium diuinorum & humanorum iurum euerſioni, quæ tametſi non niſi per accidens conſequentia ad per ſe intentam hæreticarum copiarum in Catholicos euocationem & directionem; ex ea tamen conſequuntur. Itaque vt homo religioſus ei euocationi ac directioni ſe dediderit, mihi quidem non niſi ad locupletandam Luciani veram hiſtoriam, facere videtur: nec minùs incredibile arbitror, quàm portentoſum atque monſtroſum.

Quicquid tamen ſit de ſingularis illius exempli veritate; comprobatum à pleriſque paulo ante volunt in ſenſu maximè plano, quod alia fortaſſis mente, de ſuo æuo ſcriptum eſt à Petro Bleſenſi epiſt. 27. clauſtra verſa eſſe in Caſtra. Non ea caſtra, eaſvè militares copias quibus Religioſam congregationem componebat Petrus Cluniac. l. 1. Epiſt. 20 & regula Carmel. c. 12. poſt S. Chryſoſtomum hom. 57. ad populum; ſed quæ vulgo caſtra audiunt & militares globos populariter dictos. Extiterunt enim, vel ita pridem homines in religioſis cœtibus, qui illud vltrò ſuſceperint nullo regente tyranno, ad quod ſui æui monachos adegit Valens referente Theodoreto 4 hiſtor. c. 18. & 19. Sozomeno. l. 6. c. 18. & Socrate l. 4. c. 27. Eſtque etiam à Mauritio attentatum, tametſi obſiſtente S. Gregorio, caſſum & irritum fuit. Inuenti ſunt inquam recens è Religioſis cœtibus, qui bella adirent ac gererent præcincti, haſtati, galeati, & re ipſa homines dominici Loricati, ſed alio apparatu quàm quo ſuum Dominicum Loricatum, inſignem plane Dei bellatorem, expingit Petrus Damiani in ſancti illius monachi rebus geſtis. c. 8. & 12. Neque hoc ab illis, quos dico Religioſis è cœtibus nequaquam laxatæ, aut profligatæ diſciplinæ, ſuſceptum aduerſùs Turcas, aut hæreticos ſacris noſtris imminentes, aut prædas agentes è ſacrariis, vel è finibus Catholicorum: ſed aduerſùs eiuſdem Romanæ fidei profeſſores; non pro Eccleſiæ iuribus tuendis, aut infidelitatis lolio extirpando, ſed pro mere temporalibus principum diſſidiis, pro bellis non niſi, ad gentis gloriam, vel imperij fines amplificandos ſpectantibus: in quibus nihil religioſis (quippe ſæculo mortuis,) ſeritur aut metitur; niſi fines ſuos tranſgredi, velint, & mortuum male & ante tempus ſuſcitare. Ex hoc genere Religioſorum belligerorum, vnum nobis, notum, nuper apud Inſubres tunica in ſagum commutata, in omni militari functione peritiam diligentiámque probaſſe, haud dubiis nunciis accepimus.

Quare diſcuſſione dignum videtur, quid integra conſcientia & ſalua ſtatus incolumitate præſtari hac in parte à Religioſis poſſit: non modò in euentu de quo rogati ſumus ſententiam ſed etiam vniuerſe; & vocatus ad diſcuſſionem ac examen modis omnibus quibus, Religioſos dare bello operam contingit. Id vt rite ac plene exequamur, de S Hilarij conſilio. l 1. de Trinitate. [Quia nullus ad prærupta conſcenſus eſt niſi ſubſtratis paulatim gradibus, feratur greſſus ad ſumma; nos quoque gradu gradiendi initia ordinantes, arduum hoc intelligentiæ iter, cliuo quaſi molliore lenimus; non jam gradibus inciſum, ſed planitie ſubrepente deuexum; vt prope ſine ſcandentium ſenſu euntium proficiat conſcenſus] Paucis inquam ſuppoſitionibus præmiſſis, quas maxime ad rem hanc vniuerſam pertinere, liquidò poſtea deprehendetur, ſenſim ac leniter in præcipua controuerſiæ capita, & anfractus totius huius negotij, irrepemus.

PRÆSVP

PRÆSVPPOSITIO FVNDAmentaria prima; Eccleſia pacis ſemper ſtudioſiſſima, miniſtrorum & domeſticorum, pacis filiorum, amica.

EST Dei locus S. Eccleſia; quod varij patres confirmant ad illud pſalmi 67. *Deus in loco Sancto ſuo*, de Deo autem Scriptum eſt, *in pace factus eſt locus eius*. Itaque ne Deum pacis, & Chriſtum principem pacis, quoquomodo auertat Eccleſia; ſumma ſollicitudine ſatagit, vt omnia quæ circum ipſam ſunt, in pace degant, ſi fieri poteſt & quantum in ipſa eſt, iuxta Apoſtoli monitum. Plerumque quidem fieri non poteſt, vt filij pacis, quantumque conentur eſſe pacifici, etiam cum iis qui oderunt pacem, expetitam tamen aſſequantur pacem. Sed quia quod in ipſis erat præſtiterunt, pax eorum quæ non requieuit ſuper alios, ad ipſos reuertitur, ex Chriſti oraculo, quo apud Deum ſtatuuntur in Dæmones, & citra labem ac noxam.

Hæretici à pace auerſi.

IVuat ſerutando & aperiendo huic pacis ſtudio in Catholica eccleſia, tantiſper inſiſtere. Eſt enim id decus eius præcipuum, à quo procul ſunt Synagogæ Satanæ omnes, hoc eſt non ſpelæa modò infidelium, à pace Dei (etiam nomine tenus,) extraneorum; vt paganorum atque Turcarum, de quibus à Pſalte dictum eſt, *diſſipa gentes quæ bella volunt*; Sed etiam mandræ ſectariorum, qui ædificant Hieruſalem ſuam, (& verè viſionem imaginariam pacis ementitæ,) in ſanguinibus quod de Arrianis notatum eſt à Lucifero Calaritano l. 1. pro S. Athanaſio. Oblique quoque, iiſdem obiectum eſt à Sancto Ambroſio epiſt. 54. cum agit de opera per ſanctos Geruaſium & Protaſium præſtanda fidelibus & liquido patet, eundem eſſe ac fuiſſe noſtratum ſectariorum genium. Caluino quippè parenti ſolemne fuit, verbo & facto bella crepare. Ipſo item deformationis initio, ex vſu fuit, fronti Alcorani Caluiniſtici; primæ inquam inſtitutionum Caluini paginæ, enſem ſtrictum appingere, addito lemmate, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Non denique vnius Theodori Bezæ proprium, ſed omnium æquè hydræ Lemanicæ capitum commune fuit, quod Franc. Balduinus apologia contra Caluinianum *pag. mihi* 37. de Beza dixit, ipſum *de piſtolico milite, ſubitò euaſiſſe in Apoſtolicum præconem, & buccinatorem quinti Euangelij.* Nimirum tametſi pro more antiquorum pſeudoprophetarum, ore pacem præferunt, dicendo pax pax, tamen non eſt reipſa ab eis pax: & quod Diuus Auguſtinus tract. 6. in Ioann. de eorum atauis dixit, ſunt illis oſcula quaſi pignora pacis, ſed oſcula coruorum laniantia, quia de morte paſcuntur; non oſcula columbarum ſignificantia veram pacem. Eccleſiam ergo Catholicam, verè columbam, verè pacificam, conſiderare in hoc veſtibulo placet, quia intereſt permagni ad accuratam dubitationis propoſitæ diſcuſſionem. Exquiremus ergo varia adiuncta ex quibus liquebit, pacem ſummoperè cordi eſſe Catholicæ Eccleſiæ, eamque à bellis & bellorum vicinia, (quantum ipſa eſt,) abhorrere.

Contraria Eccleſiæ ſtudia.

ARdens Catholicæ Eccleſiæ erga pacem ſtudium, accipio de ea pace, quæ vulgo & populariter *pax* dicitur; quiete inquam à bellis & tumultu ac opinionibus præliorum. Nam pacem illam internam quæ eſt opus Iuſtitiæ, iuxta Iſaiam. cap. 32. alterius inſtituti eſt executere. Celebrat eam iuſta lucubratione Guibertus Tornacenſis. Breuiùs ſed inſigniter Chryſoſtomus in pſalmum quartum. *Ad verſum penultimum*, Excipit illam pax ſuper pacem, pax plena & vndecumque perfecta quæ non niſi in cœlo obtinget, vt egregiè tradit Sanctus Auguſtinus tract. 77. in Ioann. & in pſal. 147. tractans illud, *qui poſuit fines tuos pacem.* Alterius item inſtituti eſt, proſequi eam pacem qua vocatur à certaminibus diſputationum & factionibus ex cauſa Religionis. Cuiuſmodi pacem, per ſuos denique, poſt longa diſſidia initam, duplici oratione de pace exornauit Nazianzenus, addita oratione tertia ad medendum inteſtinæ diſcordiæ, quæ vrbem Conſtantinopolitanam per Epiſcoporum diſſidia ſciderat, pro more, ſcitè expreſſo ab Iba epiſtola ad Maium, quæ extat in Concilio Calcedonenſi & apud Facundum l. 6. cap. 3. Pax itaque de qua hic ſermo eſt, illa ipſa eſt, quæ populariter *pax* audit; videtúrque id nomen antonomaſticè præferre. Eſt autem adeò pretioſa, vt etiam bellis captetur. Non enim aliud quærunt qui prælia exercent, ſi iuſtè quidem exercent, in quam rem ſplendidè philoſophatur Diuus Auguſtinus l. 19. ciuit. cap. 12. & epiſtol. 207. Et quamquam diffiteri non licet, pacem in anterioribus quoque notionibus propoſitis, cordi eſſe Eccleſiæ: tamen eo ipſo quod Eccleſia aliam quamcunque pacem conſectatur, & ab omnibus diſſidiis ac contentionibus etiamſi incruentis

cruentis

[illegible] amica.

cruentis alienam ſe præbet, multo magis dicenda eſt hanc quoque pacem con'ectari, qua excluditur longè procelloſior & tumultuoſior animi agitatio: mel oque grauior & atrocior diſiunctio, horrens humani ſanguini, apud Deum prætioſiſſimi effuſione, remouetur. Quare omnia prorſus, quæ Eccleſiæ ſtudium erga aliquam pacem produnt, æquè, ac etiam fortiùs, affectum Eccleſiæ circa hanc pacem conteſtantur. Quæ enim quod minus efferum & atrox eſt, tam ſtudiosè amplectatur, multo ſollicitiùs cenſenda eſt refugere quod tetrius eſt atque damnoſius.

Affectum ergo Eccleſiæ erga pacem populariter dictum prodit in primis perpetua & iugis frequentatio pacis. Præiuerat quidem ſynagoga, etiam inter communes ſalutationes vſurpans nomen pacis; vt propterea Apoſtolo (quod notauit Tertullianus l. 5. in Marcio c. 5.) paci quam initio cuiuiuis epiſtolæ donat, ad ſuam ſalutationem vtcumque à Iudaica ſecernendam, gratiam præferat: ſolitus apprecari gratiam & pacem. [Nam & hodie, Iudæi, (inquit de ſuo tempore Tertullianus), in pacis nomine appellant; & retrò in ſcripturis ſic ſalutabant.] Tamen Eccleſia Chriſtiana, quo vberius & veriùs pacem ex gratia conciliatam obtinet, eo iuſtius pacem dicere ac frequentare priuatim & publicè amat. Ordiamur a publica pacis frequentatione in Eccleſia per publicos miniſtros. [Ipſi in Eccleſia ſacerdotes & leuitæ, (aiunt Etherius & Beatus l. 1. contra Elipandum), ſi cuilibet tranſeunti viam, ingredienti in Eccleſiam, orationem vel benedictionem dederint; cum compleuerint, orationem abſoluunt, & dicunt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, eamus cum pace & ſi in domo orauerit, ita dicit: ſi in via ſimiliter. Si in veſpertinis lucernarium ante altare obtulerit, non poteſt aliter offerri niſi dixerit, *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, tamen cum pace.* ſic etiam completo, officio non poteſt egredi ſine hac ſolutione, niſi prius dixerit, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, eamus cum pace*, ſic in veſpertinis, ſic in matutinis, ſic omnibus horis quibus neceſſaria officia vel canonica in Eccleſia peraguntur, ſic in Miſſa, non ſolum Dominicis diebus ſed etiamſi quibuſcumque feſtiuitatibus, *gloria in Excelſis Deo, & in terra pax hominibus*, conclamamus.

Pax vobis, quàm crebro auditum in Eccleſia.

FRequens eſt pacis per publicas miniſtros in Eccleſia iā olim dictæ, mentio apud patres. Optime S. Chryſoſtomus hom. 3. 3. in ad Coloſſ. Oramus, & dicimus petentes Angelum pacis, & ſemper pacem petimus. Nihil enim poteſt ei æquiparari. In Eccleſiis pacem, in ſupplicationibus, in ſalutationibus ſemel, & bis, & ter, & ſæpè eam dat is qui præeſt Eccleſiæ, dicens *pax vobis.*] Et paulo poſt. [Cum ingreſſus fuerit is qui præeſt Eccleſiæ, ſtatim dicit, *pax omnibus.* Quando ſermonem facit ac concionatur *pax omnibus*; quando benedicit, *pax omnibus*; quando iubet ſalutare, *pax omnibus*; quando peractum fuerit, ſacrificium, *pax omnibus.* Et rurſus in intermedio, *gratia vobis & pax.*] Idem hom. 36. in 1. Cor. [Pacem, nunc quoque, precatur omnibus, is qui præeſt Eccleſiæ, vt qui in domum ingreditur paternam.] Et homil. 33. in Matth. expendens illud *pax huic domus*, affirmat eum qui præeſt Eccleſiæ præſtare pacem. Et hoc illius figuram eſſe, quod dictum eſt a Chriſto abeunte, *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Figuram vocat expreſſionem ac imaginem realem eius quod à Chriſto pacem præbente eſt delineatum. Itemque adimpletionem mandati de dicenda pace iis qui eſſent in domo ad quam Apoſtoli ingrederentur. Vnde ſubdit. [Communis certe domus Eccleſiæ omnium eſt, quam vos priores, nos poſteriores intramus, illorum formam & exemplum obſeruantes: atque ideò communiter omnibus confeſtim cum intrauerimus pacem ſecundum illam legem offerimus] Æquè S. Cyrillus 12. in Ioann. c. 54. & ex ea Chriſti ſalutatione, qua rediuiuus dixit *pax vobis*, poſitam ait Eccleſiæ legem ſæpius in ſanctis congregationibus pacem adinuicem dicendi; Epiſcopo primùm eam dante, & reddente populo. Et Concilium quidem Bracarenſe 1. Cano 21. edixit, vt Epiſcopi, populi ſalutione abſtinerent concepta per eas voces *pax vobis*: ſed communiter, cum ſacerdotibus inferioribus, populum ſalutarent, ex ea formula quam liber Ruthi adhibitam à Booz teſtatur cum ad ſuos accedens dixit, *Dominus vobiſcum.* Tamen & re ipſa idem eſt *Dominus vobiſcum*, quod *pax vobis*, iuxta illud S. Cyrilli de Chriſto Domino 12. in Ioann. cap. 53. [Salutat diſcipulos dicens *pax vobis*, ſeipſum pacem appellans.] Et quidquid ſit de illo Concilij non niſi Prouincialis decreto, quod fortaſſis (vt inferius dicam,) abuſum duntaxat tunc inuectum ſpectauit. Nec ſi aliò ſpectauit, legem vniuerſalem ſtatuere potuit: Epiſcopus ex vſu antiquiſſimo, in actu ſignato pacem populo dicit, tum alias, tum nominatim in concionis & liturgiæ principio. Et hoc eſt quod aiebat Theodoretus Præfat. ad Euſtathium in 17. opuſculo cum retuliſſet varia crudeliter geſta à quibuſdam Hæreticis epiſcopis. [Atqui (inquit), huius tragœdiæ multi ſacrorum Antiſtites authores. O audaciam minimè ſacram! O intoleranda iura. Peracturis ſacra, aut docturis, illa blandiſſima in ore eſt ſalutatio; *pax omnibus.* Circumferunt Euangelium:] Diſertè ſignat illud vtrumque tempus apprecandi pacem per antiſtitem. Sed dicamus ſigillatim de vtroque.

De concionis initio, eſt locus proximè adductus ex Chryſoſtomi homil. 33. in Matth. nam ibidem paulo poſt, ingreſſus ſacerdotis, (vtique ſummi, ſiue epiſcopi, in Eccleſiam in quo pacem dediſſe aſſeritur, exponitur de ingreſſu ad prædicandum: ſubditurque longa increpatio eorum qui poſt auditum de ſacro ſuggeſto epiſcopum, verborum telis eum impeterent. Similiter Naz. orat 3. de pace *ipſo initio pax*, (inquit) amica, non re dumtaxat, ſed nomine quoque ipſo iucunda quam nunc populo dedi ac recepi? haud ſcio an ſynceram ab omnibus vocem, ſpiritûque dignam, ac non potius pactu publica Deo teſte violata.] Erat iam tunc Gregorius in epiſcopum conſecratus, & patris in regendo Saſymorum Epiſcopatu adminiſter. Intraturus ergo concionem, dederat, pacem populo, à quo reſpondente, *& cum ſpiritu tuo*, pacem viciſſim receperat. Quanquam Iſido. Peluſ. l. 1. epiſt. 122. reſponſum plebis non dirigit ad epiſcopum pacem populo precantem, ſed ad Deum. [Pacem (inquit) ſacerdos ex cathedræ faſtigio, Eccleſiæ pronunciat. Dominum ſcilicet, imitans, cathedram aſſumentem, cum pacem ſuam diſcipulis relinqueret, ne daret. Illud autem quod à plebe reſpondetur *& cum ſpiritu tuo*, hanc habet ſententiam: pacem quidem nobis præbuiſti Domine hoc eſt mutuam inter nos concordiam? pacem

cem autem nobis da, hoc eſt eiuſmodi tecum coniunctionem, quæ nullo modò diuelli poſſit; vt cum ſpiritu tuo ſpecati (ignem nobis in creationis initio indidiſti) à tua charitate diſtrahi nequeamus. Sed ſenſus quem ex Nazianzeno expreſſimus, ſimplicior eſt, videturque genuinus: Traditur enim non ſolum à Floro magiſtro in miſſæ expoſitione, & ab Amalario l. 3. c. 9. Sed etiam à Chryſoſtomo hom. 18. in 2. cor *in morali* cuius hæc ſunt verba. [In tremendis quoque myſteriis, vt ſacerdos pro plebe, ita plebs pro ſacerdote vota facit. Hæc enim verba, *& cum ſpiritu tuo*, nihil aliud quàm hoc ſignificant.] Idem homi. 36. in 1. Cor. ad illud, *non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*, affirmat reſponſum illud *& cum ſpiritu*, dirigi ad antiſtitem pacem apprecatum ex diuini ſpiritus afflatu & cæleſti notione. Scribunt Georgius Alexandrinus in commentario de S. Chryſoſtomi vita, & Nycephorus l. 14. c. 43. ipſum S. Chryſoſtomum cum iam vita functus (eſſet reportatus Conſtantinopolim, collocatiſque in cathedra è qua concionari ad populum ſolitus erat, pro ſuo dum viueret vſu dandæ initio concionis, & recipiendæ pacis, auditum eſſe à Proclo & aliis promere ſalutationem illam *pax vobis*. In S. Eutichij Conſtantinopolitani antiſtitis Actis, Euſtathius presbiter deſcribens viri ſancti creationem in Pontificem; [Sanctificatus ipſe (inquit,) viciſſim præſentes omnes pontifices ſanctificat, ouis errantis typum ſuper humeros tollit, in ſedem ſublimem aſcendit, in ſolio ſedet, atque principem paſtorum Chriſtum, in cœlum reuertentem imitatur. Dicit enim ipſe quoque populo vniuerſo, verbum illud quod coniunctionem, conciliationemque & conſeruationem ſignificat, nempe *pax omnibus*, & ab omnibus viciſſim illud accipit.] Vtique in ea allocutione quam recens conſecratus Epiſcopus habebat ad populum, cuiuſmodi eſt quæ extat apud S. Gaudentium, titulo Tractatus ſiue ſermonis in die ſuæ ordinationis. Rata hæc omnia de ſalutatione plebis per Epiſcopum in concionis veſtibulo Clemens Roman. 8. conſt. cap. 21. agens de clauſula miſſæ catechumenorum, ante oblationem, quo tempore habebatur olim concio. An verò recto ſubnectat appreſſionem oſculi ſancti ante oblationem (quod facit quoque Cyrillus catech. 5. Myſtag.) attingam infra.

Iam quod aiebam, Epiſcopum in liturgiæ principio pacem populo dicere, ratum eſt ex antiquis libris liturgicis vt videre eſt in liturgia ſancti Iacobi, & ſancti Baſilij, nec non apud S. Ambroſium l. de dignitate ſacerdo. c. 5. Eius verò vſus rationem, Innoc. 3. lib. 2. de Miſſa c. 24. & Alex. Alenſis 4. p. q. 37. §. 4. inde petunt, quod prima vox Chriſti rediuiui ad Apoſtolos, fuerit *pax vobis*. Fortaſſis autem Concilium Bracarenſe 1. can. 21. quod ſupra retulimus edixiſſe, vt Epiſcopi eodem modo quo presbyteri populum ſalutarent; non conuulſit hunc vſum quo Epiſcopus initio liturgiæ populum ſalutat, dicens *pax vobis*, Concilium namque ſaluo antiquo vſu, ſublatas dumtaxat voluit nouitates à Priſcillianiſtis inductas ea in parte, contra Apoſtolicam traditionem, & vſum tunc vigentem in vniuerſo oriente; Mutatio autem facta à priſcillianiſtis, vt Garcias ad eum canonem admonuit, in eo videtur fuiſſe ſita, quod cum Epiſcopus prima tantum vice ſub initium liturgiæ ſalutet populum, dicendo *pax vobis*, deinceps autem eandem cum ſacerdote ſalutationem adhibeat, dicens *Dominus vobiſcum*, Priſcillianiſtæ immutato eo antiquo vſu, vellent Epiſcopum populo ſemper ſalutem dicere adhibitis verbis illis *pax vobis*; aucupantes ex ea nouitate vanum decus Epiſcopo.

PRÆS. I. *Eccleſia pacis & miniſtrorum eius amica.*

In liturgiæ decurſu, & Epiſcopus & ſacerdos pacem populo apprecantur aliquoties, vt verbis illis, *dieſque noſtros in tua pace diſponas*; quam fuiſſe S. Gregorij magni adiectionem, tradunt paſſim tractatores ſacrorum rituum, adducti magno numero à Stephano Durantio l. 2. de ritibus. c. 36. n. 6. præterea & Epiſcopus & ſacerdos, in liturgiæ miniſterio, orationem prælocuti dominicam, pacem Domini ſemper cum populo eſſe apprecantur. Moxque etiam in tertia agni Dei, peccata mundi tollentis allocutione, pacem poſtulant. Sed hoc recentioris moris eſt, à Sergio Papa inducti. Illud verò de pace poſcenda poſt recitationem orationis Dominicæ, perantiqui vſus eſt; vt diſertè expreſſit: S. Dionyſius c. 3. Eccleſ. hierar: verbis illis. [Ad hæc venerandus Antiſtes orationem ſanctiſſimam peragens, pacem ſanctam omnibus nunciat: & cum ſe mutuo omnes ſalutauerunt, myſtica ſanctorum diuiſio perficitur.] Hæc poſtrema, Græcè, ſic habent, ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν ἀπόρρησις ἐπιτελεῖται. Quod eſt dicere, poſt peractam orationem ſanctiſſimam quam à Chriſto edocti ſumus, poſtulari à ſacrificante vt pax Domini ſemper ſit cum fideli plebe ſtatimque ſubiici ſalutationem mutuam, ſiue effluxum mutuum aliorum in alios per ſacrum oſculum; ſicque diuidi ſacram Euchariſtiam, & perfici communionem: quod ſtatim ibi diſtinctiùs exponitur, reſumpto breuiſſimè vniuerſo ritu ſacro, ab initio miſſæ fidelium, ad eius vſque finem per communionem, & gratiarum actionem poſt eam.

Oſculum ſanctum, pro pacis teſſera.

SAlutationem cuius meminit Diuus Dionyſius; accepi pro oſculo ſancto; quod & ſalutationi adiungebatur & ob concomitantiam nomine *ſalutationis* quandoque venit ſanè verbum Græcum ἀσπάζειν, quod propriè ſignificat *figere oſculum*, ſæpè idem ſonare quod *dare ſalutem* obſeruauit Maiſtreus ad 4. Sancti Ignatij epiſtolam, *in fine* Athenagoras orat. pro Chriſto ſalutationem & oſculum nexuit; vocans *adorationem ſalutationis*, ideſt oris ad os admotionem inter ſalutandum. Nec aliter Apoſtolus verbis illis, *ſalutate inuicem in oſculo ſancto*; ſalutationem nectit cum oſculo.

Huius porrò vſus ſalutandi in oſculo ante Euchariſtiæ perceptionem, habemus aſtipulatos S. Dionyſio teſtes grauiſſimos. Nam acta Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ omni fide conſcripta, ſic habent. [Expleto *pater noſter qui es in cælis*, ſicut mos eſt, pacis oſculum obtulit ſeniori; Et ſic viuificat myſteriorum ſanctorum ſuſcipiens dona &c.] Idem habet S. Auguſtinus ſerm. 83. de diuerſ. & S. Chryſoſt. l. 1 de compunct. cord. ac homil. de prodit. Iudæ, iterumque S. Gregorius 3. Dialo. c. 37. cum de Maximiano Abbate, & fratribus vt mari Adriatico periclitantibus. Fauet Concilium Antiſſiod. can. 12. quatenus ſimul vetat præberi defunctis oſculum & communionem; quia ſcilicet, oſculum figebatur in procinctu ad communionem ſimiliterque S. Ferreolus in Regula c. 25. reum

quem

PRÆS. I. *Eccleſia Pacis, & miniſtrorum eius amica.*

quemdam, priuatione oſculi ſimul & communionis mulctat, ad ſemeſtre. Non video cur non poſſit ad eundem ſenſum flecti Tertullianus l. de orat. c. 14. vocans oſculum pacis, *ſignaculum orationis* quia ſcilicet figebatur poſt orationem dominicam ante communionem. Quo eodem modo, Origenes in c. 10. ad Rom. ad illud, *ſalutate inuicem in oſculo ſancto*, ait;] Ex hoc Pauli ſermone, mos in Eccleſia traditus eſt, vt poſt orationes, oſculo ſe inuicem ſuſcipiant fratres.] Conſonat finis figendi huius oſculi, nempe abſterſio cuiuſcumque amaritudinis, ſi fortè anteceſſiſſet. Os enim fratres oſculantes tanquam veſtibulum templi quod Chriſtus toties ſubit, vt philoſophatur S. Chryſoſt. hom. 30 in 2. cor. Sibi mutuo inuicem venerabundi, & pacem dicentes omnem, ſi quæ præfuit; radicem amaritudinis ſtitipitus euellant, neceſſe eſt: niſi talia oſcula imprimant qualia Iudas, hoc eſt in ſimulatione & nequitia: quod cauendum monebat Origenes loco proximè annotato.

Quæ diximus de oſculo ante communionem appreſſo inter eandam pacem, videri paſſim ex duplici capite nutare primum quod Clemens Romanus 8. conſtit. cap. xi. oſculi fixionem ſtatuat in calce Miſſæ catechumenorum, ante oblationem: quod item facit Iuſtinus Apolog. 2. *ſub finem* & Cyrillus Hieroſol. catechum. 5. Myſtag. vbi poſt deſcriptam manuum ſacerdotis ablutionem præuiam, addit. [Deinde clamat Diaconus complectimini & oſculamini vos inuicem: atque tunc mutuo nos oſculo ſalutamus.]Non hoc ita accipias, quaſi oſculum illud ſit eiuſmodi, quale in foro inter communes amicos eſſe conſueuit Neque enim tale eſt. Hoc igitur oſculum animas mutuo conciliat & omnem malorum obliuionem illis ſpondet. Signum igitur eſt hoc oſculum, reconciliationis animorum, vniuerſæque iniuriarum memoriæ deletæ. Propterea & Chriſtus Dei filius dicebat, *cum offeres munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque munus tuum ad altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc accedens offer munus tuum.* Igitur oſculum hoc, reconciliatio eſt, atque idcircò ſanctum, de quo & Paulus dicit, *ſalutate vos inuicem in oſculo ſancto.* Et Petrus, inquit, *in oſculo dilectionis.* Idem ordo præbendæ pacis indicitur in Concilio Laodicæno can. 19.

E contraria autem Clem. Alexandrinus 3. pæd. exi *ſub finem*, conclamans aduerſùs impudicum oſculum, veneno plenum & Eccleſias conturbans, ait, oſculum ſanctum fuiſſe exhibitum *regno dignè guſtato*; quod idem ſignificare videtur, ac Chriſto iam percepto in Euchariſtia. Sed diſertè ſanctus Innoc. 1. Epiſtola ad Decentium cap. 1. poſt. multa aduerſùs diſcrepantes ſacrorum ritus ob neglectam Apoſtolicam traditionem, & non ſeruata Romanæ Eccleſiæ inſtituta, ſic ſcribit in rem præſentem. [Pacem ergo aſſeris ante confecta myſteria quoſdam populis imperare; vel ſibi inter ſacerdotes tradere: cum poſt omnia quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſariò indicenda; perquam conſtet populum ad omnia quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum; ac finita eſſe, pacis concludentis ſignaculo demonſtrentur.]Hic locus allegatur in Capitular Regum Franc. lib. 1. cap. 53. Adducitúrque à VValafrido l. de rebus Eccleſ. 2. ſed falſo, & quaſi Innocentius oſculum ante communionem probaſſet. Melius author Micrologi cap. 18. Innocentium allegat pro oſculo poſt confectum ſacrificium. Credimus item Auguſt. l. de amicit. cap. 6. agens de fixione oſculi honeſti & variis eius cauſis, vnam inter alias præfert, qua figitur. [in ſignum pacis: ſic vt communicari in Eccleſia interiorem pacem, exteriori oſculo demonſtrant.] En oſculum poſt communionem. Liquere ex dictis videtur, pacis oſculum ſuper ſacrificium, variis locis ac temporibus, non fuiſſe ſemper eodem modo adhibitum; ſed alicubi quidem ante oblationem iuxta Chriſti monitum de prætermittenda oblationi reconciliatione; alibi autem proximè ante communionem; denique alibi poſt peractum planè ſacrificium, conſummatamque ſacram liturgiam, dari ſolitam pacem mutuam cum oſculi appreſſione. Inter quos vſus, is maximè inualuiſſe videtur, qui ad teſtandam pacem communicaturis neceſſariam, oſculum adhibebat proximè ante communionem quo tempore pacem præberi, ex vſu eſt, nunc quoque, ſed abſque mutuo oſculo. Ita enim denique vſum, ad ſpurcitias abutentium ſymbolo charitatis, eliminandas ab Eccleſia: Et loco illius oſculi corporei, ſubſtitutum eſt oſculum piæ cuipiam imagini fixum, de quo Gabriel lect. 81. in Can. *litera* S. Quanquam enim viri duntaxat viros, & fœminæ non niſi fœminas oſculabantur, vt videre eſt apud Clementem Romanum 8. conſtit. cap. xi. verbis illis. [Oſculamini vos mutuo oſculo ſacro; Et clerici oſculentur Epiſcopum, & viri laici laicos, & fœminæ fœminas:] Tamen carnalis amplexus & baſium corporeum perſonæ, etiamſi eiuſdem ſexus, virulentum quippiam apud improuidos afflare poterat. Itaque præſtitit eum morem figendi mutuum oſculum corporeum, exoleſcere ab omnibus ſacris. Sed neque olim ſemper eſſe adhibitum oſculum, eſt exploratum. Impreſſio quippè oſculi, prætermitti ſolebat in ſacro pro defunctis, vt tradit gloſſa cap. *pacem* de conſecr. diſt. 2. nimirum, eo quod in tali ſacro non præberetur communio, qua de re fusè cum de ſuffragiis. Et conſtat etiam, inter monachos non eſſe olim datum oſculum, eo quod habeantur ſeculo mortui, vt habetur cap. *placuit* 16. q. 1. Denique nec oſculum, nec pax dabatur, per illud tempus quo Chriſti paſſio recolebatur, vt Berno Augienſis l. de rebus ad Miſſam ſpectantibus cap. 7. Amalarius l. 1. de officiis eccleſ. cap. 13. & lib. 3. cap. 44. & Hugo victor. l. 3. de officiis c. 18. monuerunt: habeturque etiam ex Procopio in hiſt. arcana *pagina mihi* 45. Nam velut ominoſum proponit, quod Iuſtinianus & Theodora imperium iniuiſſent, tertio die ante Paſcha. [Quando (inquit Procopius) nulli dicere ſalutem, vel pacem fas eſt, hoc eſt quando interdicitur oſculo, & ei adiuncta ſalutatione in ſacris, quod ad deteſtationem oſculi proditorij à Iuda fixi, inductum eſſe, admonent authores allegati. Aliqui vſum abſtinendi pacis præbitione, & oſculo, in diebus illis magni Ieiunij, ad omnes Ieiunij dies extenderent, improbant Tertulliano. l. de orat. c. 14. Extra hos paucos euentus, figebatur olim oſculum inter dandam mutuam pacem ſuper ſacrificium, vt dictum eſt Nec plura de poſtulatione & exhibitione pacis, ab Eccleſia ſuper liturgiam indicta.

Extra ſacrificium frequenter quoque poſtulata eſt

eſt mutuoque data pax à fidelibus; non modò in publicis orationibus quibus pacem po cere ſolemne fuit, vt videre ſæpè eſt apud Clementem Romanum, & in formula liturgica; ſed etiam priuatim. Et adiungi oſculum ſanctum. Ex vſu fuit vt liquet ex Chryſoſtomo homil. 18. in 2. Cor. verbis illis [Cum pax danda, viciſſimque accipienda eſt, omnes æquè inter nos exoſculamur.] Quæ verba non pertinent ad fixionem oſculi ſuper ſuper ſacrificium, nam continenter ſubdit S. Chryſoſtomus. [In horrendiſſimis quoque myſteriis &c.] qui modus loquendi aperte fert, non eſſe actum immediate ante de myſteriis illis horrendiſſimis, deque adhibito in eis oſculo. Agebat ergo S. Chryſoſtomus de eo oſculo & pacis exhibitione, quæ erat in vſu fidelium vbicumque ſibi occurrerunt, poſt diuturnam abſentiam; vel cum hoſpitem exciperent, vt notat creditus Auguſtinus l. de amic. c. 6. Idem ſeruabatur cum quis Baptiſmo initiabatur, quantumvis infantulus, de quo vtu eſt locus perelegans apud S. Cyprianum Epiſt. 59. ad Fidum, qui inter alia argumenta differendi baptiſmum paruulorum poſt octiduum a natiuitate, proferebat) quod recens natis infantibus pacem & oſculum dare, (vt in ſuſceptione baptiſmi ſolemne erat,) illuuies recens fuſi ex vtero corporis prohiberet. Hoc ita refellit S. Cyprianus; [Quod veſtigium infantis in primis partus ſui diebus conſtituti, mundum non eſſe dixiſti, quod vnuſquiſque noſtrum adhuc horreat exoſculari; nec hoc putaremus ad cæleſtem gratiam dandam impedimento eſſe oportere. Scriptum eſt enim, *omnia munda ſunt mundis*. Nec aliquis noſtrum id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere. Nam etſi adhuc infans à partu nocuus eſt, non eſt tamen, vt quiſquam illum in gratia danda atque in pace facienda, horrere debeat oſculari, quando in oſculo infantis, vnuſquiſque noſtrum pro ſua religione ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, in homine modò formato, & recens nato, quodammodo exoſculamur quod id quod Deus fecit amplectimur.]

Ad has ſimileſue circunſtantias, reſtrinxere veteres Chriſtiani, iuſto frequentiorem apud Ethnicos oſculandi vſum inter dandam pacem; vt apud Martialem videre eſt l. 7. epigr. 78. ad *Linum*. Et lib. 11. epigr. 97. ad Baſſum. Et lib. 12. epigr. 47. alias 59 legendus ibi Ruderus & Lipſius 2. electo. c. 6. vbi de variis partibus quibus hæc humana oſcula figebantur, agit pereruditè. Quod quantum ad pia Chriſtianorum oſcula, tractatum quoque eſt a Rosuedio in Onomaſtico v. *oſculum*. Temperatius ergo Chriſtiani, nec niſi in prænotatis, aliiſue ſimilibus euentibus, pacem ſibi appreſſo oſculo dabant, ad teſtandam pacem, & animorum conſenſionem: cui tamen ita cauebant, vt attentiſſimè proſpicerent ſanctitati oſculorum, quæ apud Ethnicos plena erant impudentiæ. At apud Chriſtianos, ſancta erant atque nitentia, & nihil redolentia fæculentum atque corporeum: vt propterea creditus Auguſt. l. de amicitia c. 6. dicat ea non fuiſſe corporea, & facta oris attactu, vel coniunctione labiorum ſed mentis affectu, & coniunctione ſpirituum eſſe peracta caſtificante omnia Dei ſpiritu; & ex ſui participatione, cæleſtem immittente ſaporem.] Senſus eſt, ea oſcula, tametſi verè figerentur labris corporeis, tamen nihil è corporeis ſpurcitiis redoluiſſe; ſed tantum ſapuiſſe quod eſt ſpiritus, & pura ac ſancta pacis pignora extitiſſe.

Pontifices, Angeli pacis.

PRÆS. I. *Eccleſia pacis & mansuetudini amica.*

PRæter hactenus propoſita argumenta ſtudij pacis quo flagrat Eccleſia, ſuppetunt alia non pauca. Et in primis; quod pontifices tanquam Angeli pacis, frequentiſſime fœderauere & conciliauere diſſidentes, belliſque ſe impetentes Principes. [Scire debes (aiebat Leoni Iſauro Gregorius 2. epiſtola *ſub finem*.) ac pro certo habere, Pontifices qui pro tempore Romæ extiterunt, conciliandæ pacis cauſa ſedere, tanquam parietem intergerinum, ſeptumque medianum Orientis, & Occidentis; ac pacis arbitros & moderatores eſſe. [Multo pro ſtudio ſummorum Pontificum in hanc rem congerit Ioannes Lupus. Tract. de confœderatione principum, membro 1. à numer. 12. & Ignatius Braccius l. de Ethimologia nominis *Papa* cap. 15. Quid verò frequentius, quam vt inter bellantes principes legationibus Eccleſiaſticis componatur? exemplo ſancto, ſanctus Ambroſius adiens Maximum Sanctus Leo agens cum Atila Sanctus Epiphanius, Ticinenſis agens cum variis. Theodorus Epiſcopus apud Bedam l. 4. hiſto. Angelorum cap. 21. Franciſcanum Anthiochenum taceam, qui ſubditorum cum Principe gratiam redintegrauit. Scatent hiſtoriæ cum antiquiores tum, nuperæ, exemplis legationum per viros Eccleſiaſticos obitarum; mandante Eccleſia ad conciliandam vel ſtabiliendam inter diſſidentes pacem. Videndus Stapletonius l. 2. de magnitudine Roman. Eccleſiæ cap. 13. & Ignatius Braccius l. de Ethymol. nominis *Papa* c. 15. qui ſignat exempla particularia legationum, ſupra quadraginta à variis Cardinalibus in eum finem ſuſceptarum. Videndus item Abraham Bzouius in opere de Pontifice Rom. cap. 48. Aliorum verò Antiſtitum & ſanctorum hominum legationes, ad principes pro pace Eccleſiæ, exempla addenſat Ioannes à Cochier Tract. de legato c. 8. ſic ſanctus Ambroſius; Maximum pro pace adiuit, ſanctus Chryſoſtomus Gaïnam; Reparatus carthaginenſ. Gilimerem; Magnus Berrhoenſis Choſroem; Epiphanius Ticinenſis & Victor Taurinas Gundobadum Burgundionem; alij alios. Nec mirum idoneos haberi ad conciliandam pacem inter homines, quos Deus voluit ſuos eſſe legatos ad ineundam nobiſcum pacem. Audi Chryſoſtomum homil. 3. in Epiſto. ad Coloſſ. *in fine*. [Chriſtus quoque in nobis poſuit miniſterium reconciliationis. Legati quicumque ij fuerint, propter dignitatem legationis, multum honorem aſſequuntur. Vide enim, veniunt in mediam regionem barbarorum, ſoli inter tot hoſtes; & quoniam magnam vim habet ius legationis, omnes eos honorant, omnes eos intuentur, omnes eos tutò emittunt. & nos ergo ſuſcepimus munus legationis, & à Deo venimus; hæc eſt enim dignitas Epiſcopatus; venimus ad vos legatione fungentes, rogantes vt finem bello imponatis; & dicimus quibuſnam conditionibus. Non ciuitates vobis daturos pollicentes, neque tot, & tot frumenti modios, neque mancipia, neque aurum; ſed regnum cœlorum, vitam æternam, cum Chriſto conſuetudinem, & alia bona quæ neque verbis à nobis poſſunt exprimi neque à vobis audiri, quamdiu fuerimus in hac carne & vita præſenti. Legatione ergo fungemur.

PRÆS. I. *Eccleſia pacis & miniſtrorum eius amica.*

Intra ſepta Eccleſiæ, interdictum armis, cuicunque.

AD hæc, Eccleſia armorum tanquam paci aduerſorum & belli inſtrumentorum vſum, intra ſua ſepta quibuſuis, à ſuis verò domeſticis vbiuis remouit Concilium Aurelian. 3. Can. 28. Ita ſanxit in hanc rem. [Sacrificia matutina Miſſarum, ſicut veſpertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum vſum ſpectet: quod qui fecerit, in ſacerdotis poteſtate conſiſtat qualiter eius diſtrictione debeat caſtigari.] Salegunſtadienſe Concilium cap. 17. interdicens delatione armorum intra Eccleſiam, excepit gladium Regalem. Sed ne hunc quidem, exceptum voluit Theodoſius Iunior, qui vel hoc interdictum tulit, vel firmauit, quoad eos qui in templa confugiebant, captantes aſylum. Eius edicti plagulam exibet Balſamon ad Nomocano. Photij titul 5. cap. 2. extat autem breuiatum l. 9. Cod. Theodoſ. titul. 43. Plenum verò & integrum in calce Concilij Epheſini, vbi ſic habetur. [Ferrea vel alterius generis arma, ad defenſionem comparata, ne confugientes habeant; neue intra ſanctam Eccleſiam inferant, omnino prohibemus: hæc namque vt reliqua omnia huiuſmodi, non modo à ſacris templis & aris abeſſe volumus, ſed à reliquis quoque omnibus Eccleſiaſticis habitationibus, manſionibus, hortis, balneis, atriis, ac porticubus, quæ præſidio eſſe fugientibus, ſuperiori ſermone declarauimus. Etenim fas non eſt, ſanctiſſimis templis aliiſue Eccleſiæ locis, ex nimia ſollicitudine, diſcordiæ ac bellorum materiam, inferre. Sufficiat profugis iſtis, Dei auxilium, cui & arma & leges, & ipſa etiam regia maieſtas ſubiecta eſt. Nam & nos qui ſemper iure imperij armis circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri, foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema deponimus, & quò ſubmiſſioris imperij ſpeciem præferimus, eo magis imperij nobis maieſtas promittitur.] Et inferius. [Porrò ſi qui diuinam opem expetentes, ſanctiſſima Dei templa cum armis ingrediuntur, aut cum apparatu qui naturæ, & gentium Iure à religione arcetur, non modò illa inferre ſacratis locis, verum etiam attingere conabuntur (quod vt adiuuentur; vel audiantur, vel quia ſæuitiam videant, tolerandum eſſet:) pleniſſima ſeueritatis iuſſione & horrendis comminationibus, præcipue ne id faciant admonebis. Nam qualem ille ſpem, in religione, collocat, qui in religionis contumeliam, armis accinctus ingreditur?] Addit ibidem Theodoſius, alia pleraque, aduerſus eos, qui quantumuis ſibi ab hoſtibus metuerent, obfirmarentur in ea armorum intra templa geſtatione; quæ omnia ſpectarunt retentionem aut innouationem antiqui vſus ab Eccleſia pacis ſtudioſiſſima indicti, ne arma intra templum & templi ſepta inferrentur: de qua re profertur etiam Canon. 17. Concilij Cabilonenſis ſub Vitaliano, his verbis conceptus. [Sancta Synodus inſtituit, vt nullus ſecularium nec in Eccleſia, nec infra atrium ipſius Eccleſiæ, qualecumque ſcandalum, aut ſimultates, pœnitus extare præſumat, nec arma trahere, aut quemcunque ad vulnerandum, vel interficiendum penitus appetere. Quod ſi quis fortaſſe præſumpſerit, ab Epiſcopo loci illius vbi factum fuerit, ipſe iuxta ſtatuta canonum, communione priuetur.]

Profertur (vt dixi) hic canon à nonnullis in rem propoſitam. Sed ni fallor, illud *arma trahere*, non ſignificat delationem armorum de qua nunc agimus; ſed eductionem enſis, ita vt ſit Galliſmus; & *trahere arma* idipſum ſit quod vernaculè dicitur, *tirer les armes* vel *tirer l'eſpée*: quod item ſeuere vetatur in Concilio Tribunenſi ſub Formoſo cap. 6. Sed vt patet longè diuerſum eſt à delatione armorum intra templum eiuſue ſepta, quam Theodoſius vetabat, & congruit. Nam vt dixit ſanctus Amator adductus à Conſtantio in vita ſancti Germani l. 1. cap. 4. vrgens ſuos templum intrantes ad arma deponenda; [Eccleſia domus orationis, non Martis ſtatio petulantis.] Quod ſi in palatio non licet geſtare arma, etiam abſente Principe, vt ex variis confirmat Menoch. de arbitrar. caſu 394. numero 39. & 40. & Heningus Arniſæus l. 2. de iure maieſtatis c. 3. numer. 6. quanto conuenientius eſt, eandem reuerentiam deferri palatio Regis æterni, ſiue templo, quod inde nomen *Baſilicæ* ſortitur?

Negare tamen non licet, quin ius illud Theodoſianum pleriſque locis vel nunquam ſic inductum, vel planè euiguerit. Imo magnæ laudi datum à pleriſque, Mieceſlao Polonorum Principi, quod exacta idololatria, ad profeſſionem claram Chriſtianitatis, edixerit, vt ad lectionem Euangelii in Miſſæ ſacrificio, quilibet Polonus gladium quem præcinctum geſtaret, è vagina educeret, media ex parte; ad conteſtandum ita ſe animo eſſe comparatum, vt ſi res ferret, ſanguinem luben ac volens pro Euangelio profunderet. Quod à Gaguino in actis Regum Poloniæ eſt conſignatum. Pro argumento itidem geſtatorum intra Eccleſiam armorum proferunt aliqui Hildebertum, quaſi ad lectionem Euangelii, non ſtrictos ſiue eductos gladios, ſed depoſitos dixerit, ita canens in metrica Miſſæ expoſitione.

Inde ſiniſtrorſum Domini ſacra verba loquuntur.
Plebs baculos ponit, ſtat retegitque caput.

Baculos enim poni, interpretantur deponi arma ſiue enſes. Quamquam Amalarius l. 3. de offic. cap. 18. baculos accipit iuxta vulgatam vocis notionem, aptatque eum ritum ad ſignificandam deſtitutionem noſtram ab omni humano auxilio dum Chriſtus præſto eſt, vocem eius audimus. Haud incommodè tamen humanum auxilium per baculos ſignificatum, ad arma quoque extenditur; Imo ad ea maximè pertinere videtur, quæ proinde inferebantur in templum, tempore Hildeberti.

Fauet porrò vſui quem aſtruebamus ex Theodoſii lege, quod ſaltem arma deponebantur audiendo inſonans in Euangelio Dei verbum, vt placatus & ſubiectus ac humilis & obſiſtiue neſcius, auditoris animus ſignificaretur. Quā ipſam ob cauſā paſſim fideles (in his quidem oris,) in præceptione ſacramentorum pœnitentiæ & euchariſtiæ, quantumuis nobiles aut milites, & alias ſemper accincti, arma deponunt tanquam humili & placido pœnitentis vel communicantis ſtatui parum conſentanea.

Quid de Equitibus Sacramenta percipientibus, nec non de aliis.

REprehendit hunc morem Ioannes Sancius diſp. 45. ſed ego non ſolùm quoad religioſos militares, de quibus à n. 2. quod enim eorum pugionem, ac calcaria, ad eorum habitum pertinere contendat, ſed etiam quoad quoſvis fideles quos cuperet militari præcinctu teſtari: ſe eſſe paratos ad fidei defenſionem. Hæc tamen reprehenſio non eſt ſolida, ſi attendamus religioſos ordinum militarium, ſiue ſeculares. Quod enim ad milites religioſos attinet, falsò obtenditur eorum habitus. Nam ad eum pertinent calcaria iuxta Sancium, quæ tamen non vult geſtari à milite religioſo communicante aut pœnitentiam ſuſcipiente. Reſpondet Sancius, calcaria non ſpectare ad habitum militarem religioſum vt quid principale, ſed tantùm vt acceſſorium minutum, quo dempto vel poſito habitus religioſus æquè maneat.

Ego vero idem dicam de gladio, pro principali namque & veluti characteriſtica habitus prædicti, aſſignabo ſolam crucem aſſutam. Vt minimùm autem, idem dicam de pugione, quem tamen Sancius, inter confitendum & communicandum non vult deponi. Quid quod vis argumenti ex habitu ducti planè eneruatur, ex eo quod nemo neſcit Reges & imperatores in ſua inauguratione præcingi gladio, & tamen Theodoſius Imperator, in edicto de aſylo Eccleſiaſtico, profitetur ſe vbiuis alibi accinctum gladio, intra templa tamen abſque armis fuiſſe; atque adeò inter communicandum prodiiſſe inermem. Eſto denique, & enſis, & pugio, & calcaria, pertineant ad habitum militarem religioſum; tamen nihil eſt quod ſuadeat, habitum militarem eſſe opportunum ad functiones pacis, remotiſſimas a militari ſtrepitu, cuiuſmodi ſunt ſuſceptio pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Religioſi enim non confitentur vt milites, ſed vt peccatores: nec communicant vt accingantur ad prælium, ſed vt alantur ad vitam æternam, ad quam non tam bello, quam pace attingitur.

Iam quidquid ſit de Religioſis militaribus, nihil hæc omnia ad ſeculares fideles, ſiue milites ſiue non milites, quos Sancius æquè vult enſe, & pugione inſtrui ad confitendum & communicandum. Quidni verò etiam haſta & lorica, ac caſſide? Nam quoad iſtos, non plus ad habitum eorum ſpectant enſis & pugio, quàm haſta, & lorica, vel caſſis. Quare rectè habet mos receptus. Et verò ſi nemo etiamſi miles, aut Religioſus militaris, admittitur ad ſæculi tribunalia armatus, vt probat Menochius de arbitrar. caſu 394. numer. 35. quanto minus ad tribunal Dei? Confirmatur, quia olim milites, ſi graue quid deliquiſſent, & in pœnitentium claſſem ſed geren ur, iudicio Eccleſiæ, priuabantur armis, tanquam non congruentibus ſtatui pœnitentis. Meritò eſt illius ſpoliationi armorum, c. *admonere* 33. q. 2. & c. *de his* 26. q. 7. & c. *falſas pœnitentias* d. iſt. 2. & c. *contrarium* de pœnitentia diſt. 5. Extat etiam decretum Synodi Vvormatienſis ſub Ludouico Imperatore contra vxoris deſertorem aut interfectorem, vt ſpoliatus armis publicæ pœnitentiæ addicatur. Idem confirmant varia exempla nam Sigebertus in Chronico teſtatur, Ludouicum Pium, filiis quibuſcum bellabat proditoriè deditum, iudicio Epiſcoporum inter pœnitentes redactum, armis fuiſſe ſpoliatum eodem iudicio. Illuſtre quoque eſt exemplum Raimbaldi militis apud Iuonem Epiſto. 135. qui ob manus violenter, (imo truculenter,) iniectas in presbyterum, ad pœnitentiam diuturnam damnatus, armis ſimul exutus eſt. Quam mulctam cum poſt aliquod tempus deprecaretur, & armorum vſum ſibi reſtitui, adhibitis multis ac magnis interceſſoribus rogaret, allegans inimicorum infeſtationes; auditus tamen ab Iuone non eſt; ſed amandatus ad Pontificem, vt fatigatione longi itineris, partem contracti reatus abolente, eſſet poſt exoratam multæ remiſſionem ſecurior. Itaque vſus non inferendi arma in templum, quo omnes fideles, ſpecie pœnitentium, in ſpiritu humilitatis & animo contrito conuenire par eſt, non parum firmatur ex vſu ſpoliandi armis publice pœnitentes; vel ponendi arma cum acceditur ad tribunal Sacramenti pœnitentiæ, ac diuinam menſam.

PRÆS. I. *Eccleſia pacis & non ſtrepitus amica.*

Domeſtici Eccleſiæ, vbiuis inermes.

Alebam Eccleſiam pacis ſtudioſiſſimam, arma à quibuſvis intra ſacra ſepta remouere, à ſuis verò domeſticis, vbiuis. *Domeſticos Eccleſiæ* appello, quoſuis homines Dominicos, ſiue Clericos, ſiue Religioſos. Clericis enim vetari armorum delationem, perſpicuum eſt ex Canone 4. Concilij Claromontani ſub Vrbano 2. qui his verbis conceptus refertur ab Antonio Auguſtino ex veteri M. S. Codice Lamberti Attrebatenſis Epiſcopi. [IV. ne aliquis Clericus arma deferat.] Idem de Sacerdotibus habet Capitulare Epiſcoporum confectum anno 801. can. 18. adducit in eam rem Menochius de arbitrar. caſu 394. numero 31. varios Canones, nempe cap. *Clerici* de vita & honeſt. Cleric. cap. *conuenior* 23. quæſt. 8. cap. *porrò* 16. quæſt. 4. vbi Gloſſa. Multa item in hanc rem addenſat Antonius Auguſtinus in Epitome Iuris Canon. antiqui l. 8. tit. 43. c. vnico. Quod ſi Clericus incedat armatus contra hæc decreta, puniri poſſe à Iudice competenti, qui in hoc puncto in variis regionibus varius eſt, & à miniſtris Iudicis ſeculares armis ſpoliari poſſe, notant varij quos ibidem ſignat Menochius num. 32. & Couarr. lib. prim. practic. qq. cap. 33. num. 7. & l. 2. var. reſolut. cap. vltimo *ad finem*, ac Chaſſan. in Conſuetudines Burgund. Rubr. 1. §. 5. Archid. numer. 79. necnon Michael Rouſſel hiſtor. Iuriſd. Pontif. lib. 4. cap. 5. numer. 39. qui notat, ſolitum olim in Clericos armatos ignominioſè animaduerti. Nam tubis præcedentibus atque ſonantibus remittebantur ad Epiſcopum, in medio multitudinis armatorum militum, circum eos frementium, de collo ſuſpenſa geſtantes arma quibuſcum deprehenſi fuerant, factum id quidem in Prouincia Rauennate, ſed ſupra iuſtum & æquum. Eam quippe ſtatus Clericalis dehoneſtationem, Concilium Rauennatenſe 4. ſub Ioanne 20. vulgo 21. celebratum Rubr. 18. ferit anathemate. Neque tamen innoxiam eſſe Clericis voluit armorum geſtationem, vt liquet ex Rubr. 4. vbi Clerici ſeculares arma portantes, mulctantur pœna pecuniaria, quæ iiſdem ſupra excommunicationem per canones intentatam irrogata fuerat in 1. Concilio Rauennatenſi Rubr. tertia.

Iure tamen communi, Clericus arma portans non eſt ipſo facto excommunicatus, ſed tantùm decernitur excommunicandus, vt patet ex c. *Clerici* de vita & honeſtate Clerico. Ex quo rectè infert Suares, t. 5. 3. p. d. 18. ſ. 3. numer. 19. & Salas diſput.

PRÆS I. Eccleſia pacis & miniſterij eius amica.

10. d. leg. ſect. 9. numero 58. poſt Panormitanum ad dictum caput ſecund. initio, & Nauarrum in ſumma cap. 25. numer. 109. eſſe peccatum mortale clericis, portare arma, quia excommunicatio non poteſt decerni niſi ob mortale peccatum. Et confirmatur huius materiæ grauitas, quia clericus deferens arma ſine iuſta cauſa, ſi tertio admonitus non reſipiſcat, priuatur priuilegio canonis *ſi quis ſuadente*, vt notat Gloſſa ibi ex cap. *in audientia* de ſentent. excommunic. & cap. *contingit* 2. de ſentent. excommunic. Hæc tamen omnia intelligi debent de armis offenſiuis, nec niſi cum portantur extra iuſtæ defenſionis neceſſitatem, qua iniecta vt benè notat Maior in 4. d. 15. quæſt. 20. *ſub finem*, fas eſſet clerico, arma etiam offenſiua portare, iuxta cap. *olim* de reſtitut. ſpoliato. & cap. *ai ecto* de ſentent. excommunic. in 6. quia tunc arma offenſiua non inſeruiunt niſi ad iuſtam defenſionem. Porrò hæc defenſio quantum extendenda ſit, & an ad verum quoque temporalium propriarum, aut proximi innocentis defenſionem poſſit extendi, excutit Panormitanus ſupra. Nobis in præſentia ſat eſt, Eccleſiam quo flagrat pacis ſtudio, domeſticos ſuos grauis peccati obligatione iniecta, & intentatione excommunicationis, arcere ab armorum delatione priuata, & extra militiam; (De tali quippe armorum delatione nunc agimus,) rectéque Maiorem in 4. d. 15. quæſt. 20. *ſub finem*, notaſſe peccati, Epiſcopos Anglos & Scotos, ſui temporis, qui vbique incedebant inſtructi pugione; de Sacerdotum ibidem bellicoſitate, alia indigniora habet lib. 6. hiſt. Scotor. cap. 3. vt videas quibus moribus Epiſcopi illi, ad defectionem ab Eccleſiâ mox conſecutam proluſerint.

Quo autem Religioſi, per ſuum inſtitutum addictiores paci, & manſuetudini eſſe debent, eo iuſtiùs vetantur ipſi quoque, arma portare: vt expreſſe cautum eſt Concilio 3. Rauenn. rubr. 10. rurſuſque Concilio 4. Rauennatenſi rubr. 4. vbi de eo qui legem illam violauerit, ſic ſtatuitur. [Ieiunet bis in hebdomada in pane, & aqua, publicè cum fratribus comedendo, & ſedendo in terra.] Adduntur alia in oſcitantem talis mulctæ executorem. Et ſanè vix capi poteſt, quomodo armatura ſecularis cum Religioſo cohæreat: vnde in Capitulari interrogationis confecto ſub Carolo Magno numer. 8. ita habetur. [Miramur, vnde accidiſſet vt is qui ſe confitetur ſeculum reliquiſſe, neque omnino vult conſentire vt ipſe à quolibet *ſecularis* vocetur, armatus homo ſit, & propria velit retinere: eum ad eos qui nondum in totum, ſeculum renunciauerint, hoc pertineat. Ad Eccleſiaſticos verò quomodò iuſtè pertineat peni us ignoramus, niſi illi nobis inſinuauerint, qui hæc quaſi licita vſurpare non dubitant.]

Quin etiam, ne in monaſterio quidem abſque licentia ſuperioris poſſe haberi arma offenſiua abſque excommunicatione ipſo facto incurrenda, notat Panormitanus in cap. *Clerici* de vita & honeſt. Clericorum, & habetur Clement. *in agro* de ſtatu Regular. Anteriùs quoque id vetitum fuiſſe, nec monachis habere licuiſſe pugiones, (multo magis enſes vel haſtas,) disertè tradit Arnulphus Lexouienſis Epiſcopis Epiſtol. 58. agens de quodam ſuæ Diœceſis Monaſterio corruptiſſimæ diſciplinæ, in cuius clauſtro Monachi (vt in ſimili dixit Theodorus Studita Catech. 46.) ſtrictis inuicem cultellis concurrerant, [ac niſi (inquit) de cultellis eorum pugionem prouida ſuſtuliſſet antiquitas, ſæpiùs vſque ad alternas etiam mortes intem peranȝia deſæuiſſet.] Quid illud *de cultellis eorum?* Num legendum *cubiculis?* Addit mox Arnulphus è Monachis einſdem cœnobij vnum; miniſtro coquinæ, ſeculari homini infenſum, quod de nimia illius Monachi circa vxorem ſuam frequentia murmuraſſet, immani furoris œſtro correptum, letho dediſſe miſerum miniſtrum, & pulmenta ſanguine innoxio reſperſiſſe; non adacto enſe vel pugione ſimilibuſue armis quæ illum deficiebant in monaſterio ſed intorto validiſſimè in eum grandi piſtillo. Itaque arma è monaſteriis exulabant, tanquam dedecentia filios pacis; tantum abeſt vt ea ipſimet Monachi portare ſinerentur. Quod communiter, & Clericis & Monachis, de Concilij Francici ſententia prohibuit Carolomannus Princeps anno 742. Non hæreo in exponendo quid intelligatur nomine armorum, quod latiſſimè verſat Nauarrus ad cap. *quia quorumdam* de Iudæis, notab. 5. Ad rem namque præſentem ſufficit, rudis illa & craſſa notio quam auditum nomen *armorum* ingenerat. Etiam cultellos veniſſe nomine *armorum* conſtat ex Concilio 1. Nicæno quo cap. 76 Religioſis & Monachis & Monialibus interdicitur geſtatione cultellorum: [ſicut ſolent (inquit) milites & homicidæ quando eunt ad bellum, & homicidium.] Quæ verba monſtrant, Concilium egiſſe de cultellis grandioribus, quales vſui ſunt militibus, non autem de paruis cultellis quos Sanctus Benedictus cap. 55. alias 62. regulæ in ſupellectili monaſtica recenſuit. Quanquam quo cunque cultellos cum cuſpide, Sacerdotibus & Clericis eorum in vſu eſſe, prohibitum legimus in ſynodicis Odonis Epiſcopi Pariſienſis anno 1011. Sed ad teſtandum pacis ſtudium & ne multis neceſſariis vſibus incommodetur, non videntur parui cultelli, etiamſi non retuſi, inter arma Religioſi vetita comprehendendi.

Veſtes militares à Religioſis, & Clericis alienæ.

EAndem in ſuis pacis curam prodidit Eccleſia, cum interdixit Clericis viu veſtium quæ militiam redolerent. Quoad Monachos enim nihil tale vetandum fuit Eccleſiaſtico decreto ſpeciali, cum per cuiuſvis inſtituti decreta ſatis occurſum videretur abuſioni contrariæ: in quam ſi interdum aliquantiſper deflexiſſe viſi ſunt, illicò viri Sancti ſtrinxere aduerſus delinquentes cenſuram, vt videre eſt apud S. Bernardum. Clericis ergo quibus hac in parte magis timendum fuit, grauiter mandatum eſt variis Sacris Sanctionibus, ne ea vtantur veſtitus forma quæ militiam redoleat. Sic in Concilio Matiſcon. c. 5. [Si Clericus aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniore ita coerceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aqua tantùm, & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.] In Concilio Metenſi c. 3. [Nemo clericorum arma portet, vel indumenta laicalia induat; id eſt, cottos, vel mantellos ſine cappa non portet: & laici cappas non portent.] Eodem reuoluitur decretum Concilij Meldenſis cap. 37. [Quicunque ex Clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant, ſed profeſſionis ſuæ vocabulum, religioſis moribus, & religioſo habitu præbeant; Quod ſi contempſerint &c. proprij gradus amiſſione

amiſſione mulctentur, quia non poſſunt ſimul Deo, & ſeculo militare.] Quod religioſus habitus in Clericis requiritur, demonſtrat veſtitum qui ibi immediatè ante improbatur, non armis munientibus duntaxat contineri, ſed etiam alio quovis corporis operimento, ſapiente militiam: cuiuſmodi eſſet ſagum, cuius vſus divertè vetatur ſacris hominibus in Concilio Leptinenſi can. ſeptim. Et in Concilio Metenſi ſimilia ſtatuuntur cap. 6.

Ex his decretis Eccleſiaſticis, manauit ſenſus ille fidelium, quod veſtimentum militare apprimè dedeceat Eccleſiaſticos homines. Extat in Philippi Melanchtonis (quem *Paulum* Lutheranorum appellant,) tom. prim. ſelectarum declamationum, oratio contra affectatam veſtimenti nouitatem. Locus eſt in hanc rem eximius, quem ipſius Philippi verbis adſcriptum volo, vt liqueat hanc veritatem eſſe lucem in tenebris lucentem. Præterquàm quod is cuius factum refert; erat Catholiciſſimus. [Audiui (inquit Philippus,) in terra Sueuica, principem fuiſſe ſumma prudentia, & pietate præditum, Eberardum Barbatum; ſic enim vocant. Ad hunc aiunt veniſſe iuuenem quemdam petentem Sacerdotium. Fortè huic ventus aperuit veſtem, vt videret Princeps, ſciſſas militari more caligas. Id nunc nemo tegere ſtudet, tanta eſt impudentia, in illo caſus retexerat. Ibi Princeps vt erat acerrimus exactor cuſtóſque diſciplinæ morum, ita commotus eſt, vt quamquam loqui latinè non ſoleret, tamen ira hæc ei verba expreſſerit. *Vide ira.* Sic illum quia ei ſuccenſerit, è conſpectu ſuo abire iuſſit: ac tantum abfuit vt Sacerdotium conferret, vt etiam vehementer obiurgatum dimiſerit, quod in Principis conſpectum venire cum ſcurræ habitu, quod ambire Sacerdotium auſus eſſet cum hac ſignificatione impudentiæ ac leuitatis, à qua longiſſimè abeſſe Sacerdotes decet.] Subdit Philippus inſignes illius Principis ob hoc factum laudes, eundémque ſuo tempore bonorum, & honeſtorum omnium fuiſſe ſenſum, confirmat. Regredior ad Eccleſiaſtica in rem propoſitam edicta.

Non videtur dubium, quin æquè eo pertineant quæ de certarum veſtium vſu Dominicis hominibus interdicto ſtatuit Bonifacius 8. cap. *quoniam* de vita, & honeſt. Cleric. in 6. vbi multipliciter plectit perſonas clero vel religioni adſcriptas, *Si veſte virgata, vel partita vtantur.* Item *ſi epitogio ſeu tabardo foderato vſque ad oram contecti prodeant*; nominatim ſi *tabardus ille adeò breuis ſit, quod veſtis inferior notabiliter videatur*: Sicut accidere ſolet in iis qui vt expeditiores ſint, breuioribus veſtibus induuntur. Id omne genus veſtium, prohiberi præſertim videtur Religioſis ac Clericis, quia ſapit veſtitum militarem atque Caſtrenſem. Eritque id longè manifeſtius, ſi veſtis partita, non veſtem diuerſis coloribus contextam, vt aliqui explicant, ſed veſtem in latere fiſſam ſonet ad commodam enſis geſtationem. Haud abſimile decretum legere licet in Concilio Rauennat. 4. rubr. 4. vbi ſeuerè vetatur ne quiſpiam Religioſus vel Clericus, neque arma portet, neque veſtitum alterius coloris quàm iure permiſſi, quodque deſuper clauſum ſit atque talare. Quæ totidem verbis ſancita anteriùs fuerant in eiuſdem verbis Concilio 3. rubr. 10. & generatim quoque fuerat conſtitutum ibidem in primo Concilio rubr. 3. huc pertinent quæ de calceis roſtratis non aſſumendis ab Eccleſiaſtico, eo quod ſint pars militaris habitus, dixit Gerſo, benè illuſtratus à Balduino l. de calceo cap. 8. Apertè idipſum inſinuat Concilium 1. Matiſc n. cap. quint. ſic edicens. [Vt nullus Clericus, ſagum, aut veſtimenta, aut calceamenta ſecularia, niſi quod religionem doceat, induere præſumat. Quod ſi poſt hanc definitionem, Clericus aut cum indecenti veſte aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniore ita coërceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aqua tantùm, & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.] Calcei *ſeculares* dicuntur à Concilio qui ſunt roſtrati, & militum proprij. Ideóque eos iungit cum ſago, quod veſtimentum eſt militare. Eccleſiaſticum porrò indutum habitu militari, ſi percutiatur, non incurrere excommunicationem, notauit Bernardus Laurentius tract. de caſibus Iurid. in Eccleſiaſticos num. 10.

PRÆS. I. *Eccleſia Pacis, & miniſtrorum eius amica.*

Item venatio, & ludi bello proludentes.

EAndem ob cauſam, interdictum eſt perſonis Eccleſiaſticis ſiue Clericis ſiue Monachis, ne venationi dent operam. Qua de re Carlomannus in decreto proximè adducto, hæc verba dabit. [Nec non & illas venationes, & ſylvaticas vagationes cum canibus, omnibus ſeruis Dei interdiximus; Et vt accipitres, & falcones non habeant.] Vt ſenſus conſtet, pro *illas venationes*, cenſuerim legendum *illicitas*. Neque enim quidquam præmiſſum erat de venationibus, quò pronomen relatiuum *illas* poſſit pertinere. Illicitas ergo venationes (neque enim omnis venatio Clericis vetatur, nimirum non ea quæ laqueo aut reti perficitur, vt habet Gloſſa cap. *qui Venatoribus* d. 86. & cap. *Epiſcopum* de Cler. Venato. neque item ea quæ ex neceſſitate arcendi feras noxias, vel confirmandæ valetudinis, aut ciendæ ſibi appetentiæ obitur, vt habent Syluest. & Fumus V. *venatio*;) alias inquam, ab his venationes, præſertim frequentes, damnat in Clericis, de Patrum Concilij Francici ſententia Carlomannus; Idque fuit vnum caput damnationis Geruilij Moguntini per S. Bonifacium in Concilio Germanico anno 745. Latè idem confirmat Bleſenſis Epiſto. 56. quæ eſt ad Epiſcopum octogenarium, venationi impenſè deditum; iungendáque eſt Epiſtola 64. quæ eſt ad Reginaldum Sariſberienſem Archidiaconum, accipitres, & huiuſmodi aues prædatorias adhibentem ad venandum; quod damnatur quoque canone 3. Epau. Ratio improbatæ venationis per Clericos obitæ, duci quidem poteſt ex iis quæ ibi Bleſ. fuſè contra venationem adducit, & Ioan. Sariſber. lib. prim. polycr. cap. quart. & alij quos memorat Ritherufius ad lib. prim. Cynei. Oppiani verſu 86. Tamen germana ratio interdicti eſſe videtur, quod ars Venatoria ſit artis militaris germana; & Venatio ſit quoddam bellum, vel belli ſimulachrum aut præludium, vt tradit Xenophon lib. prim. Cyripæd. & l. de venat. Plato in ſophiſta & Thæteto, ac 7. de leg. Dio orat. 3. de regno, Tullius l. 1. de Natu. Deo. Athenæus l. 1. Dypnoſoph. Pollux in præfat. libri quinti, Philo l. 1. de vita Moyſis, & ex recentioribus fuſè Mercurialis lib. 3. gymnaſt. cap. 15. Quia ergo Eccleſia pacis amantiſſima, Clericos & Monachos ſtudiis pacis diſtineri auidiſſimè

PRÆS. I. *Eccleſia pacis & miniſtrorũ eius amica.*

expetit, venatione quæ belli ſpecies eſt atque præludium, illis interdixit.

Nec alia eſt ratio, cur ludi quidam cum pace minùs cohærentes, & veluti belli præludia, vetentur Clericis, & Monachis, vt notauit Abul. in cap. 6. Math. quæſt. 52. numerans inter huiuſmodi ludos, curſum, & ſaltationem, intorſionem haſtæ, iactationem lapidum, & ſimiles ludos qui fiunt ad exercendam virtutem: vnde homo magis diſpoſitus ad bellum redditur, & ad pacis ſtudia minùs accommodatus euadit. Quoad haſtiludium, & torneamenta, Concilium Saliburgenſe ſub Martino quarto de haſtiludio Clerico. Ferit anathemate ſacros homines aut Eccleſiaſtica dignitate collucentes qui vel armis adhibitis vel abſque eis vacauerint tali exercitio. Tametſi enim remotis armis, nullum immineat profligandæ vitæ periculum, tamen vel ipſa ſpecies bellicæ exercitationis à pace abhorrens, dedecet homines Dominicos, vt proinde meritò illos à tumultu illo, & prælij præludio auocans Eccleſia, inſtillare eis voluiſſe amorem pacis videatur. Præſertim quia à torneamentis abſque armis, facile erat progredi ad torneamenta cum armis, in quibus plerique feriebantur aut necabantur, vt videre eſt apud Cantipratanum lib. ſecund. Apum. cap. 49. à numer. 3. ac etiam apud Cæſarium lib. 12. miracul. cap. 16. & 17. Et idcirco Innocent. 2. Eugenius 3. & Alexander 3. & vt ait Gulielmus Neutrig. lib. quint. hiſtor. Angl. cap. quart. tria Concilia generalia, ſeuerè torneamentis interdixerant. Meritò ergo Eccleſia militares hos ludos, & belli velut præludia, ſpecialiter hominibus dominicis vetita voluit, etiam ſi quoad laicos ſiue ſeculi homines, aliter reus habeat. Videſis Molinam tract. 2. d. 111. *in fine.*

Quæ incentiua Eccleſiæ ad tantoperè amandam pacem.

CAuſas cur Eccleſia ſit tantoperè paci addicta, eiúſque ſtudia tanto ſtudio adamet, vix eſt neceſſe proponere, cum vel perfunctoriè rem conſideranti, illicò incurrant in oculos. Sanctus Chryſoſtomus homil. 3. in Epiſto. ad Coloſſ. præfatus pacem in Eccleſia iugiter inſonare, cauſam veſtigans, ſubdit; [quoniam ipſa eſt mater omnium bonorum, ipſa eſt gaudij materia, & argumentum. Propterea Chriſtus quoque, Apoſtolis domos ingredientibus, hoc iuſſit ſtatim dicere, tanquam aliquod bonorum Symbolum. *Intrantes* (inquit) *domos, dicite, pax vobis.* Nam ſi ea non ſit; omnia ſunt ſuperuacanea. Et Chriſtus dicebat diſcipulis, *pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis*, ipſa viam munit ad charitatem &c. Tale bonum eſt pax vt filij Dei vocentur eius effectores, & opifices. Et meritò. Nam Dei filius, ideò quoque venit in terram, pacificaturus quæ in terra, & quæ in cœlis.] En cauſarum plus ſatis, cur tantoperè Eccleſia pacem adamet. Poſſumúſque cum Nazianzeno orat. 12. addere, Dei erga pacem ſtudium, ad quod perfectiſſimum exemplar probatorum morum, conformari geſtit Eccleſia. Deus autem adeò pacis amans eſt, (inquit ibi Theologus) ait [pax, & charitas. atque id genus nominibus appelletur; quo videlicet per ipſa quoque vocabula nos admoneat, vt has virtutes tanquam Deum conſequi ſtudeamus.] vt ſcitè addit de pace, [quam Dei, & cuius Deum, & quam Deum eſſe pronunciamus.] Alludit ad Scripturas, quibus Deus pacis, & charitas denominatus eſt Epheſ. 2. & 1. Ioan. 4. & aliquoties alibi.

Deum item carne amictum, denominari pacem, & pacis Principem vulgatiſſimum eſt. at præter Sanctum Cyrillum ſupra adductum, qui illud Chriſti rediuiui *pax vobis*, perinde eſſe putat, ac *ego me vobiſcum*, aptato ad Chriſtum *pacis* nomine in ea ſalutatione; diſertè Michæas cap. quint. de Chriſto dixit, *& erit iſte pax*, quod expreſſit Apoſtolus dicens de Chriſto *ipſe eſt pax noſtra.* [Quid poſſumus de pace proloqui (ait Seuerianus ſermone de pace,) pax nomen eſt ipſius Chriſti ſicut dixit, & Apoſtolus, quia Chriſtus pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Nimirum [in ſalutis noſtræ miraculo, (voces ſunt Nazianzeni orat. 42.) exiguæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt; atque idem quod lacti coagulum hominibus præſtiterunt, in vnum nos coniungentes, & conſtringentes.] opuſc. Plurima in hanc rem addent Clyctoueus de bello, & pace, capite quart. Aliter (& quidem inſigniter,) ex Chriſto, ad pacem ſuos vrget Iuo epiſt. 44. ac Leo 9. epiſto. ad Mich. *ipſo initio*, ſed hæc vulgatiora ſunt.

Illud potiùs proferendum videtur, Chriſtum non modò ſub humana ſpecie viſibili fuiſſe pacem, ſed nunc quoque ſpecie illa peregrini (vt Sanctus Bernardus dixit ſerm. de duobus euntibus in Emaüs) qua inter nos verſari dignatur, eſſe pacem, & pacem eximiam, in quam rem fuſe diſſerit Theologus Anteloq. 2. ſect. 10. An idem voluit Seuerianus ſerm. de pace, cum pacem ait eſſe cœleſtem altaris domini armaturam, quæ ſanè alia non eſt quàm Euchariſtia? Sed diuinè Chryſoſtomus ad finem homiliæ tertiæ contra Anomæos, agens de fructu orationis tempore ſacrificij Chriſtiani, & clamore felici ſocietate ad Deum excitato, cum Chriſtus communis Magiſter, & Dominus noſter, in ſacris myſteriis oſtenditur, ſubdit hæc verba aduerſùs eos qui finita concione abſcedebant ante conſecrationem, & elationem ſacræ hoſtiæ. [Ne ita facias tempore illo mi frater chariſſime. Non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant. Habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos oliuarum gerentes, mouere Reges conſueuerunt, eóque arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem; ſic Angeli nunc pro ramis oleagineis corpus ipſum Domini protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant, pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares, pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem, pro his oramus, pro quibus hoc corpus immolaſti.]

Scitè Chriſti corpus cum ramo pacifero componit. Quod item facit quod Dionyſius Alex. in epiſto. contra Paulum Samoſatenum ad q. quartam *ſub finem reſponſionis*; columbam Geneſis 8. à Noë ex arca emiſſam; & ab eodem receptam portantem ramum oliuæ paciferæ in ore ſuo, interpretatur de corpore, & ſanguine Domini ad nos emiſſo, id eſt per Chriſtum ex altari diſtributo

ſtributo mortalibus. Et fortaſſis eos ſpectauit priſcus vſus, hodiéque pleriſque locus vigens, Euchariſtiam aſſeruandi intra columbam argenteam de altari ſuſpenſam, vt notat Stephan Dur. lib. prim. de rit. cap. 16 Et Claudius Eſpenc. lib. ſecund. de Euchariſtia cap. quint. *ſub finem*, qui ſcribit ſe huiuſmodi columbam vidiſſe in monaſterio vallis Dei in agro Turenſi. Vidimus nos quoque ante annos quadraginta in Eccleſia Monaſterij oppidi, apud Veliates. Eſt in eam rem exemplum in vita Sancti Baſilij ab Amphilochio conſcripta, cap. 6. Fit item earum columbarum mentio in Epiſto. Cleri Antiocheni, ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ refertur act. quint. Synodi Conſtantinopolitanæ habitæ ſub Menna poſt obitum Agapeti Papæ, & in ſeptimo Synodo actione ſecund. Antonius Monachus ob expilatas à Seuero Antiocheno columbas aureas, & argenteas querimoniam texit. Nec abſurdè quis eodem retulerit, quod Columba Virgini Vernonenſi ſingulis ſabbathis afferebat, & ori immittebat Euchariſtiam, dicens, *accipe vitam æternam*, vt refert Card. Vitriacens lib. ſecund. hiſtor. Orient. cap. 5. Bellè nimirum columba felle carenti, conuenit cum Euchariſtia, in qua Chriſtus pro nobis immolatus, nuncium pacis, & conciliati nobiſcum numinis, profert ad nos; Eáque Euchariſtia per roſtrum columbæ delatio rami oleaginei, à Noëtica columba delati memoriam refricat.

Meritiſſimò igitur Euchariſtia cenſetur Sacramentum pacis, multo iuſtiùs quàm Epulum illud cui Romani à redintegrata pace nomen fecere *charistia*, vt eſt apud Valerium lib. ſecund. & alios quos profert Giraldus hiſtor. Deor. Synt. 17. Eáque eſt germana cauſa, cur qui pace carent, & inimicitiis ardent aduerſus aliquem, omnium maximè indiſpoſiti ad huius Sacramenti vſum, ſemper ſint habiti. Imo Thomas à Kempis in vita Henrici Brune, teſtatur quemdam ſuo tempore cum eſſet hoſti inconciliabilis, non potuiſſe videre hoſtiam, quam Sacerdos tenebat manu, quantumcumque ad Sacerdotem accederet. Sanctus Theodorus Studita Catech. 46. cum pugna quædam fuiſſet excitata in ſuo cœnobio, eo nominatim ex capite vrget ſuos ad pacem, quod Deum pacis in Euchariſtia ſuſciperent. Varij Patres ex vtraque Euchariſtiæ materia, collegerunt hoc Sacramentum eſſe Sacramentum pacis. Nam & panis ex multis granis coaugmentatur; & vinum ex multis acinis conficitur. Obſeruauit id Sanctus Cyprianus Epiſt. ad Magnum, adductus à Sancto Auguſtino lib. ſeptim. de baptiſmo cap. 49. videndus quoque Sanctus Auguſtinus tract. 26. in Ioan. & ſermone ad Infantes, quem Sanctus Fulgentius deſcripſit in calce libri de Baptiſmo Æthiopis. Pulchrè quoque in eam rem Sanctus Chryſoſtomus homil. 24. in 1 Cor. ad illud, *quoniam vnus panis, multi ſumus.* Itaque Eccleſia ex parte Dei & Chriſti, in quacumque forma conſiderati, habuit vnde ad pacem ſtudioſiſſimè incenderetur.

Habuit etiam vnde ad conſectandam pacem induceretur, exemplo Eccleſiæ primitiuorum qui conſcripti ſunt in cœlis: Nam & eius ſoror eſt, etiamſi paruula, & in vnam cum ea generalem Eccleſiam eſt adunata, dirupto per Chriſtum interiecto inimicitiarum pariete; & quod egregiè attigit Sanctus Bernardus 1. de conſid. cap. 4. ad eius formam ex variis ordinibus ſubordinatis

eſt conſtructa. Illi ergo beati ſpiritus, verè ſunt Angeli pacis; Non modò quia in ſe ipſis, & inter ſe ipſos pace potiuntur pleniſſima, ſed etiam quia toti ſunt in curanda pace mortalium, iunxit hunc adamandæ pacis ſtimulum, cum eo qui ex diuina pace, & pacis per Deum ac Chriſtum ſtudio ducitur, Nazianz. orat. 12. numero 30.

PRÆS I. *Eccleſia pacis, & miniſtrorum eius amica.*

Ex Angelis (inquit), is qui ſeditionem concitare, ac ſupra dignitatem ſuam ſe ſe efferre, ceruicemque aduerſùs dominum omnipotentem attollere, atque vt ſcriptura teſtatur, ſupra nubes ſedem ſibi ipſi excogitare auſus, dignas arrogantia ſua pœnas dedit, lucis loco, tenebris mulctatus; aut vt veriùs loquar, à ſe ipſo caligo effectus: Reliqui verò in ſua dignitate perſtant, cuius primum illud eſt, quod pacati ſunt ac diſſidij expertes, quippe qui à Sancta, & laudanda Trinitate hoc acceperint, vt vnum ſint, quemadmodùm, & ab eadem illuminationem acceperunt. Nam & illa Deus vnus eſt, & eſſe creditur; non minùs propter concordiam, quam propter eſſentiam eandem. Itaque omnes ij qui pacis bonum amplectuntur, eíque contrariam diſcordiam, & ſeditionem impensè oderunt, ad Deum & diuinas mentes accedunt. Contrà, qui iis ſunt moribus, vt pugnis gaudeant, ac nouitate famam captent, atque in ignominia ſua glorientur, aduerſæ partis ſunt. Nam ille quoque, tum multiplici ſpecie, tum vitioſis permotionibus, vt ſecum ipſe pugnat, & vt ab initio homicida, boníque odio percitus, hoc ipſum in aliis operatur, vt commune Eccleſiæ corpus in occulto ſagittet, ſub ſeditionis caligine ſe ſe occultans. Quemadmodùm, ni fallor, ad vnumquemque noſtrum captioſè vt plurimùm ac ſubdolè accedit, ac velut locum ſibi ipſi furtim aperiens, vt totus: non ſecus ac ſtrenuus quiſpiam exercitus, per diſiectam muri partem, aut hoſtilem aciem irrumpat. Atque hoc vnum eſt vt quidem tale, vt nos ad beneuolentiæ concordiæque ſtudium neceſſariò adducere debeat, nimirum Dei ac ſuperorum imitatio, in qua ſola, animæ ad Dei imaginem creatæ, intueri tutum eſt.

Tandem vt alia omnia ad pacem emendata, & omni ſtudio conſectandam incentiua deeſſent Eccleſiæ, idipſum præſtare potuerunt. (ei verò etiam debuerunt,) inſignia ſuprà quàm cogitari nedum dici queat, pacis commoda ad animarum bonum; ſicut è contrario, nihil exitialius animarum bono, quàm bella, in quibus cum ſtrage corporum, & clade fortunarum, dilatat infernus animam ſuam abſque vllo termino: ita vt habeat verè hîc locum illud de ſeculo, *Nulla ſalus bello*: Nulla inquam, ſiue corporum ſiue fortunarum, ſed maximè animarum. Quæ cauſa eſt, cur Gerſo 4. 1. ſerm. de pace ad Regem Franciæ, expoſitis immenſis belli malis, & pacis commodis, confirmet, veros, nobiles, ſeculares, etiamſi milites; pectorum generoſo honeſto incoctorum homines, nec niſi quid melius eſt attendentes, pacem ſemper bello prælecturos, quantò magis Eccleſia idem præſtiterit? præſertim cum, etiamſi deeſſent extrema mala, nullus ſit in bellis locus collectioni internæ, & vacationi neceſſariæ ad videndum quoniam ſuauis eſt Dominus, quæ ſunt ornamenta Eccleſiæ pretioſiſſima. Mirum itaque videri non debet, tanto pacis ſtudio flagrare Eccleſiam, de qua illud non abſurdè dixerim, valere myſticè quod de vrbe Ro-

PRÆS. II. *Eccleſia humani ſanguinis effuſionem auerſata.*

mana tradit Quintilianus decl. 42. non licuiſſe intra eam arma geſtare. Et quod à vitruuio ſcriptum eſt l. 1. cap. vltimo, Templa Veneris, Vulcani, & Martis, extra eius ambitum locari; quod libidini; incendiis litium, & tumultui bellorum, non debeat eſſe in vrbe locus; ſed templum ſanctæ pacis intra eam viſatur, quale Romæ erat, in quo concertationes & diſputationes peragebantur, authore Galeno, vt ex ipſa loci nomenclatura, ſedatè & pacatè agere docerentur qui diſputabant.

Eccleſia, templum pacis

IMo ipſa Eccleſia eſt templum pacis ſanctæ, eáque denominatio longè congruentius in vniuerſam Eccleſiam cadit; quam in templum illud Conſtantinopolitanum, in quo orans S. Alexander extinxit Arrium, ex Nicephoro l. 8. c. 51. Et in quo celebratum ſit primum Concilium Conſtantinopolitanum, vt eſt in actis S. Stephani Iunioris; & memoratur etiam ſub nomine *pacis Dei*, in actis S. Matronæ 8. Nouembris. Itémque apud Nicephorum l. 7. c 49. & duplex fuiſſe huiuſmodi templum Sanctæ pacis Conſtantinopoli, alterum quod *vetus*, alterum quod *nouum* dicebatur, habent acta S. Pauli Conſtantinopolitani 7. Iun. *initio*. Item aliud eodem nomine templum fuiſſe patet ex Concilio Africano celebrato anno 395. & ex S. Auguſtini allocutione ad Clerum, & plebem, cum deſignauit ſibi ſucceſſorem. Habetur poſt Epiſtolam eius 109. Illa quippè allocutio dicitur habita in Eccleſia pacis. Eccleſiam Gazenſem, dictam *Eccleſiam pacis*, memorant acta S. Porphyrii Gazenſis Epiſcopi. Quamcumque denique Eccleſiam nomine domus pacis ſignari poſſe, diſertè habetur in liturgia Æthiopum, & colligitur ex S. Paulino Nat. 9. S. Felicis, vbi agens de ſacra æde S. Felicis contexta iunctis ſibi molibus, ait;

——— ———Etſi culmina plura
Sint domibus ſtructis, ſancta & tamen vnica pacis
Eſt domus, & multis vnum concordia membris
Corpus agit, cui compago ſtat vertice Chriſto.

Apertè Dominæ dij ſui felicis ædem nominat domum pacis; Et cum ex nulla peculiari cauſa eiuſdem ædis propria, ſit ad eum modum denominata, ſed tantùm quia Eccleſia erat; liquet, omnem ſimiliter Eccleſiam, dici poſſe *domum pacis*. Et idcirco iure Sanctus Chryſoſtomus homilia de recipiendo Seueriano, acturus de pace in Eccleſia, ſic conteſtatur. [Loquimur rem quam dignum eſt in Eccleſia loqui, & quam dignum eſt, libenter audiri. Pro pace loquimur ad vos. Et quod ita conueniens, quam ſacerdotem Dei, pacem populo perſuadere? Contradictio nulla eſt, vbi & legatio ſancta, & legatus acceptus eſt. Pro pace loquimur, pro qua Filius Dei deſcendit ad terras vt pacificaret per ſanguinem ſuum, non ſolum quæ in terra ſunt, ſed & quæ in cælis, & terrena cœleſtibus ſociaret. Pro pace loquimur, pro qua Filius Dei paſſus eſt propter quam Crucifixus eſt, & ſepultus, quam nobis pro omni hæreditatis cenſu reliquit, & velut murum Eccleſiæ dedit; quam ſcutum aduerſus diabolum poſuit; quam gladium aduersùs Dæmonas dedit; quam portum tranquilliſſimum fidelibus collocauit; quam repropitiationem ad Deum dedit; quam delictorum abſolutionem conceſſit. Pro hac ego legatus ad vos miſſus ſum.] Nihil aptius, (vt præmittebat) poſſit Sacerdos effari. Hac igitur eſto conueniens clauſula ad obſignandum quod dictum eſt, de ardentis pacis ſtudio quo flagrat Eccleſia.

PRÆSVPPOSITIO II.

Eccleſia, humani ſanguinis effuſionem per homines dominicos, quomodolibet cauſatum, exactiſſimè auerſata.

OPeræ pretium inſuper eſt, conſiderare quantoperè Eccleſia ab hominibus Dominicis remotam voluerit humani ſanguinis effuſionem. Hoc enim fundamentum, ad reſolutiones poſtea inædificandas, præiacietur commodiſſimè.

Non omnis effuſio humani ſanguinis, reproba.

ECcleſia ergo cauſationem alienę mortis aut mutilationem, ab hominibus Dominicis quàm ſeueriſſimè ablegat; tametſi effuſionem humani ſanguinis, ſanctam plerumque & iuſtam eſſe poſſe, non diffitetur: contra Valdenſes apud Ebrardum l. contra eorum errores cap. 25. & apud Caſtrum V. *occidere*, hæreſi prima, & contra Edranum Comitem in actis Danielis Stylitæ *poſt medium*, quibus præiuerat Lactantius 6. Inſtit. c. 20. Aliter enim edocta eſt Eccleſia, non modò ex traditione Patrum, præſertim Auguſtini 1. ciuit. c. 26. ſed etiam ex variis ſcripturis & rationibus quas proferunt Couarr. 2. var. c. 4. victoria relect. de homicid. a n. 14. Molina tract. 3. de iuſtitia d. 5. n. 2. & paſſim Scholaſtici. 2. 2. q. 64. Quod tamen inter ſcripturas id comprobantes, Salas. in c. 1. prouerb. n. 11. adducit locum ex Geneſ. 9. non videtur approbandum. *Quicumque* (inquit ibi Deus) *fuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippè Dei, factus eſt homo*: His poſtremis verbis (iuxta prædictum authorem) deſignatur poteſtas publica, quæ eſt viua, & expreſſa Dei imago: in cuius proinde manu eſt, noxium ſanguinem fundere citra noxam, communis tamen Patrum ac Doctorum expoſitio, inſigniter expreſſa in Pœnitentiali Rom. titul. 1. cap. 24. poſtrema illa verba refert ad imaginem Dei, in homine occiſo deſtructam per homicidam priuatum; cuius proinde grauiſſimum ſit peccatum, reciproca noxij ſanguinis effuſione plectendum. Idque intelligendum eſt licere, etiam extra euentus ſigillatim in Scriptura notatos, contra non ſatis fundatam diſtinctionem Scoti in 4. d. 15. quæſt. 3. *litera G. & H.* qua viſus honeſtus facultatis publicæ ad fundendum humanum ſanguinem, reſtringitur ad euentus à Deo ipſo in variis ſcripturis diſtinctè ſignatos. Quam reſtrictionem, nego eſſe ſatis fundatam; quia Deus dimiſſa omnium euentuum ſignatione in quibus ſanguis noxius iure fundi poſſit à publica poteſtate, permiſit naturali lumini, diiudicandum,

quæ

quæ ſint graues culpæ, ob quas poteſtas publica membrum putre acciuili corpori noxium poſſit abſcindere, & vita priuare: ſicut fas eſt truncare & vita priuare humani corporis membrum, à quo clades aut graue damnum reliquo corpori imminet. Horum ergo omnium gnara eſt Eccleſia, nec Doctoribus, iſta communiter tradentibus obſtrepit, ſed ea rata habet.

Quæ fit ab Eccleſiæ domeſticis, vitioſa.

ET tamen humani ſanguinis effuſionem per homines Dominicos planè auerſatur; ita vt nullus eorum qui Eccleſiaſtici audiunt, permittatur ſanguinem humanum fundere; hoc eſt mortem aut mutilationem, etiamſi iuſtè, inferre alteri. Humani ſanguinis effuſionem interpretatus ſum mortis cauſationem vel membri truncationem. Neque enim is modus loquendi *effuſio ſanguinis*, in hoc negotio accipiendus eſt materialiter, & vt Verborum extrema cruſta præfert, quod factum ab Epiſcopo quodam Belluacenſi, refert Gulielmus Britto in Philipp. & ex eo Tilius in memorabilibus *pagina* 366. Erat is Epiſcopus Belluacenſis Princeps è regio ſanguine, ac germanus Comitis de Dreux. Moris eius erat, claua percutere & occidere, duntaxat abſtinebat gladio & lancea, aliiſque huiuſmodi armis quibus ſanguinem interemptorum eliceret. Id enim iure Eccleſiaſtico quod excutimus, vetari hominibus Dominicis arbitrabatur; quaſi mortem non inferat, qui ſicca & incruenta morte perimit. An imitatus Cappadoces Pyretœos, apud Strabonem L. 15. qui non cultro, ſed ſtipite tanquam malleo impacto iugulabant hoſtias: ſic iſte œſtro ſuo litabat.

Nec aliter Circumcelliones Donatiſtarum priuſquàm œſtro maniaco furerent. Nam velut religione tacti, ob dictum Chriſti ad Petrum, vetantis ab eo exeri gladium, eo quod omnis qui gladio interficit gladio pereat; gladio abſtinebant, & fuſte contundebant aut necabant Catholicos, vt ferunt illa S. Auguſtini in pſalmo contra partem Donati.

Quia ſcriptum eſt conde gladium, *ſolus non putant in fuſte.*
Non vt homo moriatur, ſed vt conquaſſetur valdè.
Et poſtea moriatur, vnde iam cruciatus languore.
Sed tamen ſi miſerentur occidunt, & vno fuſte.
Fuſtes Iſraeles vocant, quod dixerunt cum honore.
Vt plus vaſtent ipſum nomen, quàm corpus quod cadunt inde.

Sic ſe gerebant initio Circumcelliones aduersùs Catholicos: tametſi poſtea, nec ferro, nec vllo telorum genere abſtinuerunt, vt conſtat ex eodem Diuo Auguſtino in Pſalm. 54. & l. 1. in Parmen. c. 11. & l. 2. in Petil. c. 88. Quod autem initio præſtabant per iniuſtitiam palliatam, duplex iniuſtitia erat. Nam & idem patrabant, & Chriſto eiuſque verbis illudebant. Omnis ergo mortis illatio, vel hominis truncatio, in negotio de quo agimus, appellatur *Sanguinis effuſio*; qua tametſi iuſtè admitti poſſet ratione occiſi, aut truncati, ſeuerè interdicitur Clericis, attenta ipſorum perſona. Quod valere etiam quoad Clericos ſolius primæ tonſuræ, affirmat Valentia 2. 2. d. 5. q. 8. p. 3. *in fine*. Et certè qui tales ſunt, dummodò interueniant conditiones à Tridentina ſynodo requiſitæ; gaudent priuilegio Eccleſiaſticæ immunitatis, & veniunt nomine *Clericorum* vt dicemus infra quando exponemus quid intelligatur per Clericos bellare prohibitos. In re tamen præſenti, quidam per *Clericos* intelligunt tantùm initiatos aliquo ordine, ſiue maiori, ſiue minori: nec volunt nomine *Clericorum* quibus vetatur effuſio humani Sanguinis, comprehendi eos qui duntaxat ſunt attonſi, ſic Salon 2. 2. q. 64. artic. 4. controuerſ. 3. concluſ. 4. Sa V. *Clericus*, initio, & Sayrus in Claui l. 7. c. 11. dub. 1. quia licet qui primam tonſuram ſuſceperunt, habeantur pro Clericis quoad fauores, non tamen quoad odioſa, quale eſt iſtud. Reuera tamen nulla profertur idonea ratio, cur iſti quoad odioſa non veniant nomine *Clericorum*. Et quidquid ſit de iſtis, nullo ordine (etiam minore) initiatis, & nullo beneficio præditis: ſaltem de cæteris Clericis, eſt extra controuerſiam, quod iure Eccleſiaſtico, ſeuerisſimè arcentur à ſanguinis humani effuſione, per cædem aut mutilationem: ita vt etiamſi interdum poſſint irrogari abſque violatione Iuſtitiæ & ſine peccato, ad ſui rerumque ſuarum defenſionem; nec id ius, à natura ipſa conſertum Dominicis hominibus adimat, tamen abhorrere ſe ab eius iuris exercitio, conteſtetur.

PRÆ·V II. *Eccleſia humani ſanguinis effuſionem auerſata*

Vius perantiquus, id confirmat. Conſuluerat Hildebertum Carnotenſis Epiſcopus, quid ſtatuendum videretur de ſacerdote, qui latronem vitæ ſuæ imminentem impacto lapide percuſſerat, & letho dederat, num poſt ſeptennem pœnitentiam qua eum Antiſtes mulctauerat, reſtituendus eſſet ſacro miniſterio. Non negauit Hildebertus fas fuiſſe ſacerdoti, latronem (etiam illata morte) repellere, abſque iniuſtitia, & quocumque peccato; repellendum tamen in perpetuum ab altaris miniſterio huiuſmodi ſacerdotem pronunciauit, Verba eius ſunt. [Conſideranti igitur mihi, quanta in ſacerdote poſtuletur innocentia, & maximè quod immunis eſſe debeat à Sanguine, non videtur, Sacerdotem reum ſanguinis, oportere deinceps miniſtrare, quamuis tuendæ ſalutis neceſſitate, homicidium occurrerit. Quod enim vir Chriſtianus, quærere ſibi vitam aliena morte non debeat, S. Ambroſius his oſtendit verbis. Quærit aliquis ſi ſapiens in naufragio poſitus inſipienti naufrago tabulam extorquere poſſit, vtrum debeat? Mihi quidem & ſi præſtabilius communiter videatur vſui, ſapientem de naufragio, quàm inſipientem euadere; non tamen videtur, quod vir verè Chriſtianus ſapiens & iuſtus, quærere ſibi vitam aliena morte debeat; vt potè qui etſi in latronem armatum inciderit, ferientem referire non poſſit; ne dum ſalutem defendit, pietatem contaminet. De reformatione igitur ſacerdotis, mihi rem intuenti, nihil aliud quàm quod ſupra dictum eſt videatur; quod etiamſi liceat, non tamen expediat; quoniam & exemplo offendit & vlciſcendi ſecuritatem adducit.] En expedire negat, quod licere non diffitetur. Et erant, cum Hidelbertus qui conſulebatur, tum Iuo qui conſulebat doctrinæ ſacræ, & decretorum Eccleſiæ conſultiſſimi; quæ tunc, nondum mollito per ius poſterius Clementinæ *ſi furioſus*, priſco rigore, ita ferebant.

His antiquior S. Bonifacius, in Concilio Germanico, anno. 745. celebrato, exauctorauit Geruilionem Epiſcopum Moguntinum, qui Carolomanno Principi Comitatus, inciderat in Geroldi patris ſui interfectorem Carolomanni hoſtem, & omni iure letho dignum. Tactus iuſto dolore cordis intrinſecus Geruilio, interfectorem patris confodit, ea profatus.

Accipe iam ferrum, quo patrem vendico charum.

Non fuit qui pro homicidio duceret, cædem à Geruilione in illis adiunctis patratam. Itaque domum reuerſus, perrexit more ſolito agere Epiſcopum. Sed S. Bonifacius in Synodo conteſtatus eſt, neminem qui hominis cæde pollutus ſit, ſacerdotio fungi poſſe. Itaque de omnium Patrum ſententia, annuente Carolomanno, & Pipino patre, Geruilio exauctoratus eſt, & in eius locum ſuffectus S. Bonifacius, qui Eccleſiam hortere ſummopere ſ... ab homine Dominico quantumuis ſpecioſa de cauſa humanum ſanguinem, canonica autoritate demonſtrauit, vt videre eſt apud Secarium l. 3. Mogunt. c. 44.

Etiam chirurgia, in Eccleſiæ domeſticis, improbata.

QVid verò mirum, Eccleſiam manus domeſticorum ſuorum ab homicidio per ipſos admiſſo nolentes velle; cum etiam interdicat eis exercitio artis chirurgiæ, ad inciſionem vel aduſtionem deuenientis, extra euentum extremæ neceſſitatis proximi, cui aliàs opitulari non poſſit, aut velit? Nam Eccleſia propter interficiendi aut mutilandi periculum, quoſcumque ſacris ordinibus initiatos, aut beneficiarios, & Monachos, etiamſi Chirurgiæ peritos, ab ea operatione arcet vt habetur quoad Monachos c. *tua nos* de homicid. quoad reliquos verò cap *ſententiam ne Cler. vel Monachi*. Nam & ſi is textus meminit duntaxat Clericorum conſtitutorum in ſacris, tamen D.D. communiter id extendunt ad Clericum minorem, ſi ſit beneficiarius, vt videre eſt apud Panormitanum ibi n. 2. Syluestrum V. *homicid.* 2. q. 12. & V. *Medicina* q. 2. Couarruuiam ad Clem. *ſi furioſus* p. 2. §. 4. n. 3. Henriquem l. 14. c. 11. n. 1. Sayrum l. 7. Theſau. c. 6. n. 7. Gutierrem l. 2. qq. Canon. c. 6. n. 22. non etiam qui inſinuent idem eſſe extendendum ad Clericos minores gaudentes priuilegio fori; qui ſcilicet ab Epiſcopo in alicuius Eccleſiæ miniſterium deputati, Clericalem habitum & tonſuram deferunt; vel ſunt in via ad maiores ordines, iuxta ea quæ ſanxit Tridentinum Concilium. Sanè Molina tract. 3. de iuſtitia diſp. 8. n. 13. indiſtincte ait Clericum qui interueniente mutilatione, aut morte, vel mortis periculo, Chirurgiæ dat operam, incidendo aut vrendo, peccare mortaliter. Eſto, is actus, licitus alioqui eſſet Laico. Quæ grauior obligatio, cum nitatur lege Eccleſiaſtica interdicente exercitio talis actus ex ſe non mali; videtur hic auctor canonem prædictum exercitio Chirurgiæ in euentu propoſito interdicentem, ad omnes Clericos fori beneficio potientes extendiſſe, vtvt verò res habeat quoad minores Clericos, non beneficiarios, de maioribus Clericis aut beneficiariis, & de quibuſuis religioſis, ratum eſt quod dixi, refragante nemine.

Iiſdem vetitum ſe immiſcere cauſæ ſanguinis.

NEc tantùm Eccleſia Clericos & Monachos à cæde aut truncationes hominis per ipſosmet immediate cauſata arcitos voluit, vt hactenus eſt conſtitutum; ſed etiam vetuit eoſdem Dominicos homines, cauſæ ſanguinis humani quantumuis iuſte fundendi ſe immiſcere. Ita habetur cap. *Clericis* & cap *Sententiam ne Cler. vel Monachi*; & cap. *his a quibus* 23. q. 8. Et quamuis qui Clerici vel Monachi potiuntur temporali iuriſdictione idonea ad fundendum ſanguinem noxium, poſſint Iudicibus laicis ſibi ſubordinatis committere cauſas ſanguinis, non modò vniuersè (quod vnum videtur admittere Sayrus in Claui l. 12. c. 11. dub 3.) Sed etiam ſigillatim hanc, aut illam, vt ſtatuant quod in ea iuſtum fuerit, quod agnoſcit Panormitanus. d. cap. *Clericis*. num. 12. Eponius l. 2. qq. Eccleſiaſticarum quæſt. 4. à numero. 4 & Molina tract. 3. de iuſtitia diſp. 8. n. 2. & apertè colligitur ex cap. vltimo, ne Cler. vel Monac. in. 6. Tamen vetantur, vel dicto vel facto, monere Iudicem ad inferendam noxio mortem aut mutilationem; vel ipſimet cauſæ ſanguinis ſe immiſcere; quod vt enorme, inſectatur Petr. Bleſenſis Epiſto. 42.

Sed vt diſtinctiùs explicetur quid ſit *ſe immiſcere cauſa ſanguinis*, quod omnibus Clericis ac Religioſis vetitum vidimus, indeque appareat nitor ille à ſanguine, quem Eccleſia in ſuis domeſticis exigit; euoluamus hoc paulo magis in particulari. Itaque comprehenditur inprimis eo nomine, latio & executio ſententiæ, mutilationem ac mortem decernentis, quantumuis is qui reus eſt, ſit eas pœnas commeritus. Quod ſi crimino ſus, ſit Clericus aut Monachus, ideoque eius cauſa ad tribunal Eccleſiaſticum deferatur, vetat Eccleſia, Iudicem Eccleſiaſticum, vel mutilatione, vel morte illum damnare, ſed mandat vt proteſtatione de qua inferiùs per Iudicem Eccleſiaſticum vel inquiſitorem præmiſſa, reus ſeculari brachio dedatur plectendus, quod olim dicebant *tradi curiæ*, vel *manui externæ*, vt loquitur ſynodus Antiochena can. 5. ſic Pium primum exponit Turrianus l. 2. contra Magdeb. c. 14. cum mandauit, vt ſacerdos vel Clericus, ſi capitale crimen admiſerit, tradatur curiæ. Et eodem ſenſu accipiendum eſt, quod legitur apud Iuonem Epiſto. 53. & 66. ac 137. & apud Hildebertum Epiſto. 30. de tradendis curiæ Clericis capitaliter criminoſis, quibus ſecundum pondus delicti, pœna ſanguinis eſſet irroganda. Nimirum vt diſertè ait Origen. c. 13 ad Rom circa illud *non ſine cauſa gladium portat*, [Omnia crimina quæ Vindicari vult Deus, non per Antiſtites & Principes Eccleſiarum, ſed per mundi Iudices voluit vindicari.] Erat tamen alia ratio tradendi Clericos noxios curiæ, diuerſa ab iſta qua dedebantur ad necem vel mutilationem inferendam per Iudicem Laicum. Nam Fabianus Papa c. *Statuimus* 11. q. 1. Indignum qui in Clero retineretur, mandat è gradu deiici & tradi curiæ, omnibus diebus vitæ ſuæ illi ſeruiturum. Idem in ſimili euentu præcepit Stephanus Papa cap *Clericus vero* 3. q. 4. Sic Chriſtianos, a perſecutoribus loco ſupplicij Curiis addictos ad ſeruitium, legimus 1. Tripart. c. 9. & l. 6. c. 7. quod ne deinceps fieret, vetitum eſt à Gratiano, ea lege quæ extat in Cod. Theodoſ. l. 108. de decur. Videndus Alciatus 2. parergon. c. 26.

Præter ferentes vel exequentes ſententiam cædis humanæ aut mutilationis, alij quoque cenſentur ſe immiſcere cauſæ ſanguinis, Clericos Aduocatos longè decentius ab omnibus cauſis criminalibus abſtinere, tradit optime Ioannes Petrus a la Tractatu de Aduocato Chriſtiano parte 1. q. 4. Quod ſi cauſa criminalis referuntur ad infligendā pœnā ſanguinis tunc ſi in ea implicentur, cenſeri attigiſſe cauſam ſanguinis, & idcirco nulla ratione fas eſſe Clerico ſe tali cauſæ immiſcere. & Aduocatum in ea contra reum agere confirmat idem Author ex cap. *ſententiam. Ne Clerici nec Monac.* Et præiuerant Gloſſa in c. 1. de

1.de poſtulando, Anton.ibidem num.8. Hoſtienſis in princip.Hetor.num.2.Abbas n.5.& Bellameta n. 8.qui tradunt talem aduocatum fore irregularem: Id quod etiam habet Nicol.Plottius tract. de Irregular.n.5. Addit etiam Ala,ne conſilium quidem præberi Iudici à Clerico poſſe, vt pœnam corporalem inſtigat reo, iuxta Felinum cap.*ſicut dignum* n.7. verſic. *fallit tertio* de homicid. & iuxta Gloſſam ac D.D. cap.*ex literis*, Verſic.*conſuluit* de exceſſibus Prælatorum.

Cenſet item Bleſenſis, eos Eccleſiaſticos deliquiſſe in canones vetantes ne immiſcerentur cauſæ ſanguinis,qui contenti à pronunciatione & executione ſententiæ abeſſe, aderant tamen diſcuſſioni ac diſceptationi cauſæ,eamque verſabāt & definiebant. Hoc in hunc modum damnat Bleſ. tract. de Inſtit.Epiſcop. [Illud cæleſtem exaſperat iram, & pleriſque diſcrimen æternæ damnationis accumulat, quod quidam Principes ſacerdotum & ſeniores populi, licet non dictent iudicia ſanguinis, eadem tamen tractant diſputando & diſceptando de illis; ſeque ideò immunes à culpa reputant, quod mortis aut truncationis membrorum iudicium decernentes, à pronunciatione duntaxat, & executione pœnalis ſententiæ ſe abſentant. Sed quid hac ſimulatione pernicioſius eſt? Nunquid diſcutere & definire licitum eſt,quod pronunciare non licet? Certè Saul de morte Dauid, multiplici machinatione tractabat, & vt malitiam ſub vmbra innocentiæ palliaret, dicebat,*non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum*. Sane quantum hæc diſſimulatio eum excuſabat apud homines, tantum apud Deum,eumdem damnabilius accuſabat. Expreſſa ſimilitudinis forma in conſiſtorio illo, in quo Chriſtus ad mortem damnatus eſt.Phariſæi & ſcribæ dicebant, *nobis non licet interficere quemquam* cúmque tamen clamarent dicentes; Crucifige ſententiam in eum occiſionis cruenta malignitate dictabant. Quem occidebant gladio linguæ, publicè proteſtabantur ſibi occidere non licere; eorúmque iniquitas eo ipſo deteſtabilior erat, quia vt euaderent humanum iudicium, eam ſimulatio innocentiæ occultabat. Animabus prælatus es, non corporibus,Nihil prælato commune eſt cum Pilato.]

Vrgentes quoquomodo Iudicem ad fundendum ſanguinem, noxij in hoc negotio.

INſuper cenſentur ſe immiſcere cauſæ ſanguinis, qui iudicem vrgent aut mouent ad mortem vel mutilationem noxio irrogandam. Et quamquam ne foueatur licentia & malignitas impiorum,non eſt prohibitum hominibus Dominicis expoſtulationem apud iudicem interponere in propriis iniuriis, quæ ſcilicet vel perſonæ propriæ,vel rebus,aut famulo vel mancipio, vel propriæ Eccleſiæ inferantur, (de iniuriis quæ inferrentur cognatis aut affinibus, aliud eſt):Tamen cum præuidetur, iudicem ſecularem apud quem expoſtulatio deponitur, mortem aut mutilationem illaturum, iubentur expoſtulationi præmittere proteſtationem, quæ planum iudici faciant, mentis ſuæ non eſſe, vt reus morte aut mutilatione plectatur; cui conteſtationi comitari debere intentionem internam accommodatam, qua ſcilicet directè & per ſe non intendant mutilationem aut mortem, affirmant Molo tract.3.d.8. n.4.Nauarrus in ſumma c.27. num. 226. & Tol.l.1. c. 82. num.5. tametſi Victoria relect. de homicid.p.2.§. 5.eam directam intentionem internam, præmiſſa exterius conteſtatione, negat eſſe attendendam, ſubſcribuntque Suares. t. 5.3.p.d.47.ſect. 2. n. 3.Auila de cenſur p. 7. d. 5. ſect.2.dub.9. concl. 1.& multi alij quos adducit & ſequitur Diana p.4.tract.2.reſolut.76.Nec ſanè cap. *prælatis* de homicid. in 6. quo ſancitur huiuſmodi proteſtationem eſſe adhibendam,aliud videtur poſcere, quàm externam proteſtationem, quæ apud iudicem fictionis ignarum,tantumdem valet quantum ſi ex animo ad hiberetur. Extra expoſtulationem prædictam, adiuncta proteſtatione & adiunctis propoſitis temperatam, vetantur homines Dominici quoquomodo iudicem mouere ad cædem vel mutilationem.

PRÆS. II. *Eccleſia humani ſanguinis effuſionem auerſatur.*

Laudatur hoc nomine Antiſtes & Clerus Arelatenſis apud Munſterum. l. 2. Coſmogr. quod cum Boſo Arclatenſis Princeps publicè impacta alapa dehoneſtaſſet Antiſtitem,quia is in peruigilio Natiuitatis Domini, diu fruſtra expectato Boſone, matutinum officium ſolemne occepiſſet,interpellatum primò à ſe Othonem Imperatorem, poſtea obfirmatè vrgentes, remouerint à voluntate trucidandi Boſonis, quam Otho iuramento per barbam ſuam concepto firmauerat, nec irritam abire patiebatur; Antiſtite ac Clero è contrario vrgentibus mititatem, Eccleſiaſticis hominibus congruentem, quæ ob perſonæ ſacræ expoſtulationem, effundi humanum ſanguinem prohiberet. Quod cum ex animo & enixè flagitaſſet, ægrè denique exoratus eſt Otho, vt Boſo monachus viueret.

Quantum verò laudis referre par eſt.mititatem illam Antiſtitis & Cleri Arelatenſis ab effuſione noxij ſanguinis per iudicem ab ipſis interpellatum piè abhorrentem; Tantum apud omnem retrò Eccleſiam abominationi fuit factum Ithacij atque Idacij Clari (illius ipſius cuius extat commentarius aduerſus Varimadum Hiſpanorum Epiſcopum,) qui Maximum ad cædem Priſcilliani permouerunt. Exemplum eſt omnino luculentum, quo nihil proferri poteſt, vnde liquidius pateat quantoperè Eccleſia auerſetur effuſionem humani ſanguinis incentoribus hominibus Dominicis per iudices patratam; vt propterea operæ pretium videatur, paulo exactius illud exponere.

Probrum Ithacii & Idacij ex cæde Priſcilliani.

ITHacius itaque atque Idacius Epiſcopi Hiſpani. Zelo permoti aduerſus nefarium hæreticum Priſcillianum,factione hæreticorum quorumdam Epiſcoporum, ſubitò è laico Epiſcopum, implorata ſecularium iudicum authoritate,à Gratiano tunc Imperatore reſcriptū Elicuere, quo exilium Priſcilliano ac ſociis decretum eſt; eorúmque infamia ſcriptis ab Ithacio editis euulgata,teſte Iſidoro de viris Illuſtr. Malè aliquandiu habuere res Priſcilliani.Romam quippè cum Collegis purgandi ſui gratia profectus ad Damaſum;& ne ad conſpectū quidem ſancti Pontificis admiſſus,à D. item Ambroſio quem Mediolanum poſtea adiit, æquè repulſus, vbique fœtere nomen ſuum deprehendit: augebatque infamiam ſpurci hominis, turpis pudibundúſque comitatus mulierculæ, quam Priſcilliani. ſtupro grauidam, partum graminibus abegiſſe, fama ferebat. Sed non ita multo poſt, acto in fraudem Gratiano, reuerſus in Hiſpaniam, & in ſuam Labilenſem Cathedram retruſus Priſcillianus, verſa vice,per Macedonium Magiſtrum officiorum

impium

PRÆSV II. *Eccleſia humani ſanguinis effuſionem auerſata*

impium hominem, S. Ambroſij prophetica denunciatione, in neceſſitate ſumma, templo excluſum, Gratiani in ea cauſa implanatorem, exegit ex Hiſpania in Gallias Ithacium aduerſarium, qui occaſione Synodi Burdegalenſis quæ inſtantium collegam eius damnarat, idem ſibi iudicium imminere præſentiens, ad Maximum Imperij cæſo Gratiano occupatorem, perrexit Treueros; vbi Maximus amicis vtebatur Epiſcopis, quos hic coloribus depingit Latinus Pacatus in panegyrico quem Theodoſio poſt Maximi cladem dixit. [Fuit fuit, & hoc delatorum genus, qui nominibus, Antiſtites, reuera autem ſatellites, atque adeò carnifices, non contenti auitis euoluiſſe patrimoniis, calumniabantur in ſanguinem, & vitas promebant reorum iam pauperum. Quin etiam cum in iudiciis capitalibus aſtitiſſent, cum gemitus & tormenta miſerorum auribus ac luminibus hauſiſſent; cum lictorum arma, cum damnatorum frœna tractaſſent, pollutas pœnali manus contactu, ad ſacra referebant & ceremonias quas inceſtauerunt mentibus, etiam corporibus inquinabant. Hos ille Phalaris in amicis habebat, hi in oculis eius atque etiam in oculis erant, nec iniuria à quibus tot ſimul votiua veniebant, auaro, diuitum bona; cruento innocentium pœna; impio religionis iniuria.] Non mirum ergo ſtipatum talibus Epiſcopis Imperatorem, inter amicos Ithacium quoque, habuiſſe, & cruentis eius ſuggeſtionibus aures præbuiſſe. Itaque acribus & vrgentibus Ithacij perſuaſionibus in Priſcillanum inflammatus, accedente ſuffragatione aliorum quorumdam Epiſcoporum, quos Ithacius de Priſcilliani ſceleribus atque Blaſphemiis fecerat certiores, Priſcilliano machinatur exitum; Tametſi renouato poſtremùm iudicio, Ithacius cruentæ accuſationis inuidiam declinans, ſubduxit ſe ſe; & Patricio cuidam fiſci Patrono, accuſationem permiſit. Priſcilliani dogmata omnino horrenda, proſtant apud S. Hieronymum Epiſtola ad Cteſiphontem, S. Auguſtinum l. de hæreſi c. 70. S. Leonem Epiſto. 93. Oroſium in conſultatione de Priſcillianiſtis, ad D. Auguſtinum tranſmiſſa. Profitentem nefaria hæc dogmata Priſcillianum, ſcelera item turpiſſima quibus ſordebat, palam confeſſum, Maximus ſecuri ſubiecit vt Seuerus l. 2. Hiſtoriæ *ad finem* res ſui temporis deſcribens narrat. Hinc Priſcilliani (tametſi hæretici, tametſi ſceleratiſſimi,) necem à Maximo patratam incentore Ithacio, ita in Maximo comprobauit S. Leo Epiſtola illa 93. & vniuerſus orbis teſte S. Hieronymo Epiſt. ad Cteſiphontem; vt in Ithacio execrationi patuerit apud vniuerſam deinceps Eccleſiã. Nam tametſi Priſcillianus & ſocij, erant luce indigniſſimi, vt Seuerus disertè affirmat; tamen quod agente Ithacio Epiſcopo, necem ſubiiſſent, peſſimè ac cum odore mortis in mortem, vbiuis acceptum eſt. Ipſeque Ithacius tametſi illius inuidiæ vſtionem non ferens, in aliorum mandata & conſilia refundebat culpam, tamen à Theognoſto Epiſcopo exturbatus eſt. Socius eius Narducius, tametſi minùs nocens, deiectionem anteoccupauit, vltrò cedẽs Epiſcopatui. Multi Antiſtites qui ſanioris videtantur conſilij, Theognoſto adhærentes, pro abſtento habebant, & tanquam ſanguinatium deuitabant Ithacium. Sed is paulo poſt, Treueris patrocinante Maximo, abſolutus eſt, & ſuis iuribus reſtitutus à ſynodo Epiſcoporum, quibus S. Martinus poſt longam tergiuerſationem, tandem communicauit ad tempus perbreue, vrgente Maximo, multáque mala intentante ſi Ithacianos quos illuc vſque auerſatus erat, porrò refugeret. Verùm non ita multo poſt, Ithacius Maximi à Theodoſio profligati præſidio deſtitutus, apprehendente ipſum diuina vltione, in exilio expers communionis Catholicæ defunctus eſt, vt ſcribit Iſidorus l. de vir. illuſtr. c. 2. Sanctum verò Martinum (quod demiratur Leodienſium Epiſtola contra Paſchalem 9.) quia ad horam cum Ithacianis Epiſcopis communicauerat in conſecratione Felicis Treuerenſis Epiſcopi, viri planè eximij, & poſt obitum ſacris faſtis adſcripti, tametſi ad tantulam communicationem metu grauium malorum pleriſque innocentibus à Tyranno imminentium ad actum; nec adduci ſe vllo modo paſſum, vt breuem illam communicationem, (quod iidem Epiſcopi maximè vrgebant), ſubſcriptione ſua firmaret; Angelus ex diuino mandato corripuit; nec virum ſanctum eadem deinceps facilitas patrandorum miraculorum eſt affectata, ita vt habuerit per vniuerſam reliquam vitam, maioris ac lachrymarum argumentum indeficiens; nec vt ad vllam poſtea ſynodum, aut Epiſcoporum conuentum accideret, adduci vnquam in poſterum potuerit, memor contractæ labis, ex communicatione ad horam, cum Ithacianis: Id quod metro Venantius Fortunatus, Seuerus autem Sulpitius dialo. vltimo, (qui eſt ſecundus de vita S. Martini,) ſoluta oratione eſt proſecutus. Eoſdem Ithacianos Epiſcopos, auerſatus tantoperè eſt S. Ambroſius, cum Treueros ad Maximum de pace & ſalute Imperij legatus eſſet; vt quod ipſe, ad Valentinianum 2. Imperatorem Epiſto. 27. ſcribit, ob eam cauſam iuſſus illicò ſit Treueris excedere, literæ S. Ambroſij contra eoſdem Epiſcopos, mortuo iam S. Ambroſio, lectæ ſunt in Concilio Taurinenſi paulo poſt celebrato. Placuit paulo diffuſius eam narrationem referre quod ex ea manifeſtè liqueat, quantoperè SS. Antiſtites Martinus & Ambroſius, & vniuerſa eo æuo ac deinceps Catholica Eccleſia, auerſata ſit homines Dominicos incentores effuſionis quantumuis noxij ſanguinis, ac cædis impiiſſimi & profligatiſſimæ vitæ Hæretici; multiplici, ſi inferri potuiſſet nece digniſſimi, quem auferre de terra tantoperè intererat. Talem quippe fuiſſe Priſcillianum, in confeſſo eſt.

Innocentij 3. in Epiſcopum Albingaunenſem concitatio ex minori cauſa.

Aliud exemplum accurationis & exquiſitæ diligentiæ, quam Eccleſia ſeruatam iam olim voluit hac in parte, ſplendet luculenter in facto quod ſubiicio, dimiſſis pleriſque aliis. Non mouerat apertè Iudicem ſibi ſubordinatum ad necem furi inferendam Albigaunenſis Epiſcopus, cuius factum refertur cap. *ex literis* de Exceſſibus Prælator. Tamen quia verba quædam protulerat è quibus Iudex ad decernendum furi ſupplicium capitale, qualicumque Epiſcopi impulſu ſubobſcurè indito Venerat, Epiſcopus Pontificis mandato exturbatus eſt, tanquam indignus altaris miniſterio, ob eam qualemcumque cooperationem ad effuſionem noxij ſanguinis. Quanquam, interuenit inſuper quod Pontificem re audita valdè pupugit; nempe quod Epiſcopus, præſens affuiſſet cum fur in furcam ageretur; eique Sanguinario actui exhibuiſſet ſuam præſentiam. Cohorruit Innoc. 3. ad eam Epiſcopi veluti truculentiam, qua præſens adeſſe effuſioni humani ſanguinis ſuſtinuerat. Itaque Epiſcopum indignum ſacro miniſterio pronunciauit, & gradu excidere iuſſit.

Etiam nuda aſſiſtentia fundendo ſanguini exhibita, improbata.

NOn poteſt ergo mirum videri, quod Eccleſia qualemcumque ad cauſam ſanguinis cooperationem (præterquam expoſtulando ad modum ſupra propoſitum,) ſit auerſata, vſque adeò vt etiam domeſticos ſuos teſtificatione in cauſa ſanguinis apud Iudicem laicum prohibeat, & omni alio quantumuis tenui ad talem cauſam interuentu vt Couarru. cum communi ſententiâ tradit Relect. de homicid. p. 2. §. 5.

Non poteſt inquam hoc mirum videri, cum Eccleſia eoſdem Dominicos homines, nudam præſentiam exhibere executioni capitalis ſententiæ, & effuſioni humani ſanguinis per cædem aut mutilationem, non patiatur. Diſertè enim id vetatur d. cap. *ex literis.* Ac ne illud caput accipiatur tantùm de præſentia authoritatem conferente, qui videtur eſſe euentus in illo textu propoſitus; apertè nuda quæcunque præſentia hominum Dominicorum in executione cauſæ ſanguinis, prohibita eſt cap. *ſententiam Ne cler. vel Monac.* vt notat ibi Panormitanus, & poſt eum Albertus Trotius, lib. 2. de perfect. Clerico. c. 23. n. 9. Eadem prohibitio fertur in 2. Concilio Matiſc. c. 15. vetante ne Clerici adeant locum examinationis reorum, & locum cædis eorum. Quanquam hæ prohibitiones intelligendæ ſunt, niſi intercedat iuſta cauſa; cuiuſmodi eſſet confortandi reum, aut iuuandi eum ad piam mortem; id enim à Pontifice aut Concilio vetitum non eſt, vt rectè notat Armilla V. *Irregularitas* num. 20.

Quis verò miretur, Eccleſiam indecorum ac incongruum duxiſſe, homines Dominicos adeſſe effuſioni humani ſanguinis, eóque cruento ſpectaculo oculos paſcere, cum Iulianus apoſtata, longo fragmento quod apud eum ſupereſt ex longiore Ethnici Hierarchæ informatione, mandet, & ſacerdotes idolorum & ſacerdotum liberos, à cruentis ſpectaculis procul abeſſe? Quamquam non abſurdè fortaſſis quis cenſuerit Iulianum (vt erat in pleriſque ſimius Chriſtianorum, quod ex ipſius epiſtola teſtatum facit), id quoque ex vſu Chriſtianorum iam tunc vigente expreſſiſſe, & indixiſſe ſacerdotali generi; cum tamen teſtetur Prudentius l. 2. contra Symmachum, veſtales quæ apud Ethnicos ſacerdotio fungebantur, interfuiſſe mactationi hominum. Sic enim canit Prudentius.

Interea dum torta vagos ligat infula crines
Fatáleſque adolet prunas innupta ſacerdos;
Fertur per medias, vt publica pompa, plateas
Pilento reſidens molli, ſeque ore retecto
Imputat attonita virgo ſpectabilis vrbi.
Inde ad conſeſſum caueæ, pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentos
Congreſſus, morteſque, & vendita munera paſtu
Spectatura ſacris oculis, ſedet illa verendis
Vittarum inſignis phaleris, fruiturque laniſtis.
O Tenerum mitemque animum! Conſurgit ad ictus,
Et quoties Victor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectuſque iacentis
Virgo modeſta, iubet conuerſo pollice, rumpi
Ne lateat pars vlla animæ vitalibus imis
Altiùs impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.

Quis ille *conuerſus pollex* ſanguinariæ veſtalis index, pete ex Lipſio 2. ſatur. c. 22. apud quem ibidem c. 7. exponitur quis *Secutor* cuius eſt in extremo verſu mentio. Aderant igitur cruentis ſpectaculis fæmellæ ſacerdotes. Quidni etiam mares, quippè robuſtioris pectoris? Chriſtiani longè aliter. Nã eiuratio baptiſmi fuiſſet, inter eſſe huiuſmodi ſpectaculis, quibus in Baptiſmi ſuſceptione ſignatim renunciabat, qui fiebat Chriſtianus, vt eſt apud Tertullianum c. 38. Apologetici, & l. de ſpectaculis c. 24. & S. Irenæus l. 1. c. 1. n. 52. Gnoſticis vitio vertit, quod adeſſent homicidali ſpectaculo. In ſacerdote autem, adeſſe ſpectaculis illis cruentis, omnem ſceleris immanitatem tranſcendens habitum eſſet. Adeò effuſio humani ſanguinis, etiamſi alieni ſceleris partus, conſpectu tamen & quaſi fauore probata, abhorret ab homine diuinis miniſteriis addicto, iuxta ſenſum Eccleſiæ.

PRÆS. II. *Eccleſia humani ſanguinis effuſione auerſata.*

An tantus horror effuſionis ſanguinis, ex decreto Apoſtolico Actor. 15.

QVid in tam ſcrupuloſa, certè anxia & accurata Eccleſiæ ſollicitudine, vt homines Dominici à quacumque humani ſanguinis violenta effuſione eiuſque conſpectu arcerentur, ſpectatum ſit, non eſt adeò exploratum. Quidam proferunt in hanc rem, Apoſtolicum decretum, latum Actor. 15. Ab ea quippè Apoſtolica lege, manaſſe putant, tantum in Chriſtiana Eccleſia horrorem effuſionis humani ſanguinis, de qua eum locum accipiunt S. Cyprianus l. 3. ad Quirinum *in ipſo fine* & Tertull. lib. de pudic. c. 12. Sed hoc non videtur congruere præſenti inſtituto. Nam decretum illud, non ſpectauit peculiariter homines Dominicos, pro quibus ſolis Eccleſia tam ſollicitè refugit humani ſanguinis effuſionem; ſed fuit decretum promiſcuè latum pro quibuſcunque Neophytis, è Gentiliſmo ad Chriſtum aduenientibus. Præterea *Sanguis* de quo in eo decreto agitur, æquè ac *Suffocatum*, quod item ibidem vetatur, non pertinet ad hominem: ſed eſt ſanguis pecuinus, quem Neophyti, ſiue iam effuſum, ſiue adhuc in ſuffocato pecoris cadauere abditum, vetiti ſunt deguſtare; vel vt Synagoga cum honore ſepeliretur, retentis ad tempus aliquod, nõnullis eius ritibus, inter quos erat abſtinentia à ſanguine & ſuffocato; vel certè ad ſemotionem Neophytorum ab Idololatriæ inquinamentis, vt optime obſeruauit Turrianus l. 1. contra Magdeburg. c. 5. & ad l. 6. Conſtit. c. 12 ac in eiuſdem capitis defenſione. Et ita videtur innui verbis decreti quod in hunc modum eſt conceptum. *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis honoris, quàm hæc neceſſaria; vt abſtineatis vos à contaminationibus ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Vocem *fornicationis* pro Idololatria vſurpari, frequens eſt in ſcripturis, vt obſeruauit Gregorius Nazianz. orat. 19. & Aug. tomo 10. fragm. 3. vnde ſi placeat *fornicationis* vocem eo loco in huiuſmodi notione vſurpatam dicere, (quod eſt profectò non improbabile, cum de vitanda fornicatione, in notione illius vocis peruulgata, vix eſſet cur monerentur Neophyti in tam explorata ſpurcitiei illius turpitudine); totum decretum poterit ad inquinamenta Idololatriæ referri.

Sanè eò pertinere ſuffocatum & ſanguinem, probat inprimis Turrianus, ex Nazianzeno orat. 2. de Paſch. qui eatenus *Sanguine* interdictum inſinuat, quatenus ad Idolorum nefarium cultum pertinebat: Ideò enim vocat *nefarios cruores.* Laudat item pro ea expoſitione Turrianus, alios pleroſque Patres; Iuſtinum q. 45. ad Orthodoxos Origenem, 8. contra Celſum, Tertullianum c. 19. Apolog. Cyrillum Hieroſolymitanum catech. 4. Heſichium

PRÆS. II. *Eccleſi. humani ſanguinis effuſionem auerſata.*

chium in c.22.Lenit. cum de vetatione morticini; quod can. 54. Apoſtol.& ſæpè alibi, complectitur ſuffocatum;ſicut è contrario, alibi ſuffocatum complectitur morticinum. Denique adducit Turrianus pro ea interpretatione, Magnetem l. 3. apolog. pro Euangelio contra Theoſtenem, qui docet, apud Ethnicos magnam victus humani partem, pertinuiſſe ad contaminationes ſimulachrorum;quippè dæmonibus dedicatam. Et nominatim aues aeriis ſpiritibus mactaban ur, terrenis verò nigræ quadrupedes; ſubterraneis denique, item nigræ quadrupedes; ſed in foueis ſeu ſcrobibus quibus infodiebantur, ibique ſuffocatæ ſanguine non effuſo ob ereptam vitam immolatæ habebantur. ſuffocatum ergo quo interdicebatur Neophytis, videtur fuiſſe immolatitium.Et idem dici poteſt de ſanguine fuſo, à quo item iubebantur abſtinere, quia exquo proſtabat venalis in macello, (vt idem Magnetes ſcribit), aderant plerumque ſerui ad hoc conſtituti, vt myſterio quodam libarent ex eo idolis, vetantes rem ſic conſecratam tangi à non puris,iuxta ſuam impietatem: hoc eſt ab iis qui idola non venerarentur. Quo pertinere dictum Apoſtoli Coloſſ. 2.referentis fuiſſe qui iactarent, *ne tetigeris neque guſtaueris,neque contractaueris*, exiſtimat Turrianus in defenſione dicti capitis 12.

Hæc expoſitio *ſanguinis* & *ſuffocati* de quibus agitur in decreto Apoſtolico, eſt admodùm veriſimilis: Nec eam reuera quatit, quod alicubi, diu poſt idololatriam extirpatam, viguerit vſus abſtinendi ſanguine & ſuffocato; non modò apud Græcos, qui etiamnum ita obſeruant, ſed etiam apud Latinos.Ita enim videre eſt inConcilio Aurel.quod celebratum eſt anno 563. Ibi namque cap. 20. arcentur à cœtu Eccleſiæ, illi qui vel cibos edebant immolatitios, vel qui beſtiarum morſibus extincto, vel quolibet morbo aut caſu ſuffocato veſcerentur In Annalibus item Gallicanis à Pithoeo editis anno 850.narratur, quo dam coniuges, comediſſe in neceſſitate extremæ famis, carnes ceruæ à lupis laceratæ & cruentæ, quæ ibi dicuntur *carnes lege prohibitæ*, quas ſola neceſſitas coegerat aſſumere in cibum longè etiam ſeriùs, id eſt anno 1054.Tempore S. Leonis Noni, & Conſtantini Monomachi, Humbertus Epiſcopus Syluæ Candidæ,eo dialogo quo Græcorum calumnias confutauit, cum præmiſiſſet, nihil vetare, manducare omnia quibus vel deſuetudo, vel vſus à maioribus receptus veſci minimè prohiberet, ſubdit.

Nobis Euangelica & Apoſtolica authoritas,omnia edenda conſtituit. Nec hoc dicentes, ſuffocatum & ſanguinem, nobis contra vos defendimus. Antiquam enim conſuetudinem ſeu traditionem maiorum noſtrorum diligenter retinentes,nos quoque hæc abominamur; adeò vt ſanguine vel quoque morticinio, aut agnis, ſeu quacunque negligentia humana præfocato apud nos aliquando veſcentibus,abſque externo periculo vitæ huius, pœnitentia grauis imponitur: pro eo maximè quia antiquas conſuetudines & traditiones Maiorum, quæ non ſunt contra fidem, leges Apoſtolicas arbitramur. Nam de cæteris quæ aucupio aut canibus, ſeu laqueo venantium moriuntur; Apoſtoli præceptum ſequimur. *Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam*. Pamelius ad c. 9. apolog. Tertulliani, exiſtimat legem illam viguiſſe adhuc ante annos quadringentos,vt colligit ex pœnitentialibus libris per eius æui authores conſcriptis; quibus, contra facientibus, mulcta indicetur. Quod ergo lex Apoſtolica de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato, alicubi; etiam inter Latinos, diu viguerit poſt abolitam a cibis illis omnem ſuſpicionem de contaminatione per Idololatriam;non probat, primam vetandi cauſam. non per inuiſſe ad Idololatriam. Reuera enim potuit ad illam pertinere; etiam ſi poſtea, vel ob vſum inductum, & horrorem pridem deſueti cibi, vel ad honorem Apoſtolicæ legis tunc neceſſariæ authoritas deferendam, diu ſeruata ſit lex, etiam cum deſiit eſſe neceſſaria. Porrò ſuppoſita ea interpretatione decreti Apoſtolici, planè concidit ratio quæ ex eo ducebatur, cur Eccleſia auerſetur humanum ſanguinem, & ab eo ſuos Domeſticos arceat. Nihil enim humano ſanguini ab hominibus Dominicis deuitando, & illi de quo agitur in decreto Apoſtolico, iuxta eam interpretationem.

An ex diuino edicto prohibitorio, Geneſ. 9.

DIxerit alius, Eccleſiam indicta adeò ſeuerè Domeſticis ſuis remotione à cauſa ſanguinis; idipſum ſpectaſſe quod intendit Deus Geneſ.9. interdicens eſu ſanguinis. Hoc interdictum Procopius ibi, retulit ad prohibitionem omophagiæ, ne homines pabulo crudæ aſſueti, in ſeipſos inuicem irruere, ſeque lacerare aſſuefacerent.Quod reduci etiam poteſt, ratio vetiti per Apoſtolos ſanguinis, prolata à Iuſtino q.45.& à Cyrillo Hyerol. catech. 4. nempe vt fideles belluinum morem potandi ſanguinem dediſcerent Maſſagetæ enim & Sarmatæ (iuxta illud Poetæ in Amphiteuthio.

Venit & epoto Sarmata paſtus equo)

Sanguinem è venis equorum prolicitum, bibere ac edere conſueuerant;& ex eo ferino ſeu potu, ſeu cibo,euadebant ſanguinarij,quod ne fidelibus contingeret, iuſſi ſunt abſtinere ſanguine, iuxta prædictos Patres. Alij verò Patres, Inter diſputandum cum Ethnicis calumniantibus Chriſtianos de cruentis dapibus, & Infantis fatre confectis eſu, repellunt eam calumniam, allegantes, tantum abeſſe vt Chriſtiani eſſent Antropophagi, vt neque edulium pecorum ſanguinem, in cibum noſſent, Ita Minutius in Octauio, Et S. Blandina apud Euſebium 5 Hiſtor. c. 1. quaſi Chriſtiani plus futuri fuiſſent obnoxij calumniæ de infanticidio & pabulo crudæ, ſi conſueuiſſent cibari è pecuino ſanguine;nulla autem ratione paterent ei calumniæ, cum ne ferarum quidem ſanguine veſcerentur. Tertullianus apertè ita ratiocinatur c.9. Apolog. [Erubeſcat (inquit,)error veſter de Chriſtianis;qui ne animalium quidem ſanguinem, in Epulis eſculentis habemus;qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo modo, ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto.Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admouetis; certiſſimi ſcelicet, illicitum eſſe penes illos,per quod exorbitare eos vultis. Porrò quale eſt, vt quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis?]

Vt Ergo homines à mutua ſui ipſorum voratione auerterentur,edixit Deus per Moſem ne comederetur caro cum ſanguine ſiue vt 70. habent *in ſanguine*, hoc eſt caro cruda. Sæpè etiam in Deuteronomio vetatur eſus ſanguinis ſeorſim ſumpti, tanquam id in quo eſt anima ſit vita viuentis, ne viuens principale corporeum à Deo fabricatum vitæ diſpendium facilius ſubiret per alium hominem. Vnica hæc eſt ſolida ratio huius præcepti,inter ſeptem quas proponit Barthol Ferrarienſis l. 4. de Chriſto abſcondito. Et hoc ipſum ſpectaſſe Apoſtolos interdicentes eſu ſanguinis pecuini, videri

videri poteſt non improbabile: & inſinuatur a Patribus allegatis; vnde videtur duci poſſe ratio, cur Eccleſia vetuerit Dominicos homines ſe immiſcere quoquomodo cauſis ſanguinis. Vnum tamen eſt quod pro noſtra doctrina ad præſens inſtitutum accommodatæ, valde incommodat, nimirum quod generale interdictum abſtinentiæ a ſanguine belluino, latum a Deo pro omnibus mortalibus; & ſimile interdictum, latum ab Apoſtolis pro vniuerſo cætu fidelium; aſſignatur pro fundamento interdicti Eccleſiaſtici, ſolos homines Dominicos arcentis ab effuſione humani ſanguinis: in qua accommodatione deeſt proportio inter extrema, à quorum vno, ad alterum, ducitur argumentum.

Vera eiuſdem horroris ratio, ex ſtatu hominum Dominicorum Et Chriſtianæ Eccleſiæ ſublimitate.

Genuina itaque ratio cur Eccleſia homines Dominicos tantoperè ſemouerit à quacunque cooperatione ad effuſionem humani ſanguinis, petenda eſt ex mititate & lenitate congruente hominibus Dominicis in noua lege, tanquam domeſticis Dei, & addictis famulari obſequio Chriſti agni innocentiſſimi, qui ne comminatus quidem eſt, cum pateretur. In antiqua quidem lege, quia omnia ſacrificia effuſione ſanguinis perficiebantur, nec ſine ſanguinis effuſione fiebat remiſſio, nec ipſe quidem ſummus Sacerdos, prohibebatur humanum ſanguinem inſte fundere. At Chriſtus Pontifex noſter, & ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, incruentam victimam offerri inſtituit; admirabili, & diuinæ ſapientiæ artificio pleniſſima ſacrificandi ratione excogitata; vt quando Religio abſque hoſtia immolata & ſacrificio conſtare non poterat, ſuppeteret tamen ratio, qua Dei ſupremus cultus, prouiſo vero ſacrificio retineretur; & ſimul abſiſteretur ſanguinis effuſione, & immolatione cruenta; quando quidem Agnus qui immolatur, integer perſeuerat & viuus. Conuenientiſſimum itaque eſt, vt ipſi quoque Miniſtri incruenti ſacrificij, Chriſti manſuetudinem ac lenitatem æmulentur, planè auerſam à fundendo ſanguine. Vnde tametſi. Moyſes & Samuel extraordinarij legis antiquæ ſacerdotes, manus ſuas Domino conſecrarunt in nocentium ſanguine; ipſeque Phinëes præmium conſolli cum Moabitide ſpurci Hebræi, retulit ſacerdotium alligandum familiæ ſuæ quamdiu Synagoga ſtaret: Tamen Miniſtros Chriſti, & Noui teſtamenti ſacerdotes, alij mores decent, vt S. Hieronymus Epiſto. ad Ageruchiam optimè vidit.

Iuuare id quoque poteſt, ad ſuſtollendam conſiderationem noſtram, vt ad ſublimitatem Euangelicæ hierarchiæ peruadendam aſſurgat; indéque ad religionis Chriſtianæ excellſitatem rite perpendendam feratur; quandoquidem eius Miniſtri, non irrogant noxiis pœnas corporeas nec eos vel morte vel mutilatione mulctant, vt optimè notauit Gregorius 2. Epiſt. 2. ad Leonem Iſaurum, tractans diſcrimen Pontificum & Imperatorum. [Vides (inquit), Imperator, Pontificum & Imperatorum diſcrimen, ſi quiſpiam te offenderit, domum eius publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandemque illum vel ſuſpendio necas vel capite truncas, vel relegas, eumque longè à liberis & ab omnibus cognatis & amicis ſuis, amandas. Pontifices non ita, ſed vbi peccarit quis & confeſſus fuerit, ſuſpendij, vel amputationis capitis loco, Euangelicum & crucem eius ceruicibus eius imponunt, eumque tanquam in carcerem in ſecretaria ac diaconia ablegant; ac viſceribus eorum ieiunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori eius indicunt; eumque probè caſtigarint, probeque fame afflixerint, tum pretioſum illi Domini corpus impartiunt, & ſancto illum ſanguine potant; & cum illum, vas electionis reſtituerint, ac immunem peccati, ſic ad Dominum purum inſontémque tranſmittunt.] En quæ ratio plectendi noxios per ſacerdotes atque Pontifices iuxta Gregorium. Tormenta quibus excruciant noxios, non alia ſunt quam quæ Bracharius lapſo indicebat Epiſto ad Ianuar, his præter cætera. [Sit tibi fames pro gula; (hoc eſt pro laqueo ad gulam frangendam:) Sitiſque pro flamma, vt manu carnificis voluntarij, per abſtinentiæ pœnam, coarctem compago nuda a viſceribus ſit, & pro ſupplicio ignis, internas oſſium medullas duræ ſitis depaſcat incendium. Sit tibi vigilia, velut officiorum cuſtodia publicorum; ac ſicut cæteri rigenti ſe ri, ſic duriori conſuetudine & lege conſtrictus, ſub imagine martyrij, veniam mi erico diæ cæleſtis exper a.] Has vltrò aſſumptas pœnas, hæc voluntaria ſupplicia, pro cruentis, præſcribunt ſecli iuſti iudices, ac ſacerdotes Dei atque Pontifices. Quod ſi gladius exerendus ſit, habent machæram pene rabidiorem omni gladio ancipiti, excommunicationem dico; quæ carne intacta, confodit animam, immani ictu de quo Gregorius Niſſ. orat in eo qui ægrè ferunt reprehenſiones; Eam verò Deus nouæ legi miniſtris prouidit, exempta facultate antiquæ fundendi per ipſos met ſacros miniſtros noxiorum ſanguinem; quia vt dixerit S. Cyprianus Epiſto. 62. [Tunc gladio occidebantur, quando adhuc & Circumciſio carnalis manebat. Nunc autem quia Circumciſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſeruos Dei cœpit, ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia eiiciuntur; Neque enim viuere foris poſſunt, cum Domus Dei, vna ſit, & nemini ſalus niſi in Eccleſia eſſe poſſit.] S. Chryſoſtomus homil. 14. in Epiſtol. ad Rom. ad illud, *non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem*, pulcherrimè idem tradit, recenſens varia diſcrimina, inter Iudæos vt potè ſeruos, & Chriſtianos tanquam filios; inter quæ vnum eſt de ſuppliciis peccantium. Sic enim ait, [Si de delinquentium pœna, ratio ineunda eſt, & hic quoque diſcrimen ingens; Neque enim vt illi lapidati, vſti, manus pedeſue à ſacerdotibus truncati, ſic & nos conuertimur; ſed ſufficit à paterna menſa eiectos, & à conſpectu certum dierum numerum ſubmotos eſſe.] Fit ea eiectio de Eccleſia, per Chriſtianos ſacerdotes; atque adeò gladium ſpiritualem acceperunt, quo vita longè ſupra corpoream pretioſiſſima eripitur; negato iiſdem vſu materialis gladij per ſe ipſos ſtringendi, & effundendi noxium ſanguinem.

PRÆS. II. *Eccleſia ... Chriſti ... ſt ... amica.*

Ratio alia ex diuinæ plaſticæ oblæſione per ſanguinis effuſionem.

Nec illa, ſemotorum à cauſis ſanguinis Dominicorum hominũ ratio, prætereunda videtur, quæ ducetur ex natura homicidij, vel truncationis homini

PRÆS. II. *Eccleſia humani ſanguinis effuſionem auerſata ſemper.*

homini irrogatæ. Benè & concinnè de more Philo l. de ſpecial. leg. [Qui hominem occidit appellatur homicida, reuera autem eſt ſacrilegus, & quidem inſignis, quando nihil eſt Deo tam ſimile, quam hoc ſigillum pulcherrimum, expreſſum è matrice pulcherrima; ad exemplar ideæ rationalis effectum. Ergo quilibet homicida confeſtim pro impio ſceleratoque habendus eſt.] Et idem proportione ſeruata ita ſentiendum eſt, de mutilante ac truncante hominem. Quæ enim Deus perfecit, ipſe deſtruit, & in diuinam fabricam inſurgit. Quamuis autem humanus ſanguis effundi, atque adeò homicidium patrari, vel irrogari mutilatio abſque peccato poſſet, vt ab aliis, ita & ab hominibus Dominicis ſacrisque Miniſtris; tamen indecentiſſimum videtur, vt idemmet materialiter opus, etiam ſi abſque peccato, exequantur homines ſacri & Domeſtici Dei, propter quod aliqui extra eorum ordinem, ſacrilegi, & quidem inſignes, ob deſtructum vel truncatum opus à Deo fabricatum, pronunciantur.

Inde piis quoque laicis, horror effuſionis ſanguinis.

MInùs ſanè admiratione dignum videbitur, hanc diuini operis deſtructionem aut obtruncationem per cædem vel mutilationem, pronunciari a nobis indecoram Chriſtianis, ſacerdotibus & ſubordinatis eorum Miniſtris, totaque (vt ſic dicam) Dei familia, quæ ad Deum iugiter accedere & ſacris myſteriis adduc inſiſtere, ex inſtituto debet; quando etiam Laici pij, poſt iuſtè ac ſanctè effuſum noxium ſanguinem, abſiſtunt aliquamdiu à ſacramentis, exemplum luculentum ſuppeditauit iam olim vir magnus. Fuderat Theodoſius Imperator Eugenium Tyrannum ſemi-chriſtianum hominem, & a S. Ambroſio excommunicatum. Qui ei adhærebant, impius Arbogaſtes Comes (qui Gratiani Domini ſui Iudam egerat) & Flauianus præfectus, multa in Dei miniſtros Catholicos comminati, auſique de ſacra Baſilica in ſtabulum conuertenda terrorem inijcere, fuſi ac cæſi ad internecionem, non abſque cæleſti miraculo fuerant, æthere vt Claudianus cecinit in Panegyr. ad Honor. aduerſus impios militante in Theodoſij fauorem. Quid tamen poſt cæſos tam nocentes, tam morte dignos hoſtes Theodoſius? Dicat S. Ambroſius in Theodoſij Monodia. [Præclaram adeptus victoriam, tamen quia hoſtes in acie ſtrati ſunt, abſtinuit à conſortio Sacramentorum; donec Domini circa ſe gratiam, filiorum experiretur aduentu.] Venerant quippè ad eum iam victorem, Conſtantinopoli Arcadius & Honorius filij, quos in Eccleſia Mediolani excepit; ibique tandem ſacris myſteriis participauit, à quibus pia reuerentia, poſt cæſos hoſtes abſtinuerat. Sed & S. Baſilius in Epiſtola Canonica ad Amphilo. can. 13. eos qui hoſtes in bello occidiſſent, per triennium arcetà communione diuinorum myſteriorum; etiam ſi fatetur, cædes in bello iuſto patratas, non eſſe pro cædibus habendas, & culpa vacare. Sed Reuerentia diuinæ menſæ, cum à ſanguine humano haud ita recens fuſo nitorem, viſa illi eſt depoſcere. Nimirum nondum tunc inualuerat noua Doctrina, quæ à recenti & propè calenti adulterio, vel homicidio, per confeſſionem mundatos, & fœtorem vel cruorem illorum criminum adhuc inſalantes, illicò intrudit in ſanctuarium, ad participandum incruentis myſteriis. Non ſic pij Laici De S. Baſilij ſententia. Non ſic Laudatus à S. Ambroſio Theodoſius. Si ergo pij Laici abſtinent participatione ſacramentorum poſt Sanctè ac iuſtè fuſum noxium ſanguinem, quanto conuenientius eſt, miniſtros legis nouæ qui ea Sacramenta aſſiduè tractant, ab effuſione noxij ſanguinis planè alienos eſſe?

Quid Myſtæ Ethnicorum hac in parte;

COnſulto miſſos feci ſacerdotes Ethnicos, qui puras ſeruare manus iubebantur; eoque conſilio Titus, (quod Suetonius c. 9. teſtatur.) profeſſus eſt ſe Pontificatum admittere. Apud Senecam in Hercule Furente, Hercules ſacrificaturus monetur meminiſſe, ſe à bello redire.

—— —— Nato manantes prius
Manus cruenta cæde & hoſtili, expia.

Sed & Poeta 2. Æneid. digreſſum è iuſto bello Æneam, non auſum ſacra contingere ante purificationem, ita deſcribit.

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque penates.
Me bello tanto digreſſum, & cæde recenti.
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

De Coifi, primo Pontificum qui Regi Eduino Anglo, tunc Idololatræ aderant, ſcribit Beda l. 2. Hiſt. Anglo. c. 13. quod abiecta ad prædicationem B. Paulini Ethnica vanitate, rogauit Regem ſibi arma dare, & equum emiſſarium, quem aſcendens ad idola deſtruenda venit. Non enim licuerat, Pontificem ſacrorum, vel arma ferre, vel præter in equa equitare. Accinctus ergo gladio, accepit lanceam in manu, & aſcendens emiſſarium Regis, pergebat ad idola; quod aſpiciens vulgus, æſtimabat eum inſanire. Adeò ſcilicet erat inſolens, ſacrum hominem armis inſtrui, & equum gloriæ ad bella factum, conſcendere; Occinam hic meritò illud Tertulliani.

Tanti vitreum; quanti verum margaritum?

PRÆSVPPOSITIO III.

De bellorum, ac Religioſorum hominum, operæque per eos in bellis præſtandæ varietate.

VT conſtet an Religioſi homines, prorſus aut cum temperatione aliqua, ſint à bellis arcendi, & quid hac in parte ius Eccleſiaſticum, quid item ius naturale, attento ſtatu eorum ferat, (in quo ſitus eſt controuerſiæ propoſitæ cardo;) reſtant præmittenda nonnulla, tum quoad bellum, tum quoad perſonas religioſas, & ea ad quæ in bellis conferri opera poteſt.

Belli in aggreſſiuum & defenſiuum diſtinctio.

AC primùm quod ad bellum attinet, neglectis minutiis Grammaticalibus quas vacauit Ioanni

Ioanni Maiori excutere in 4. d. 15. q. 20. inquirendo quomodò bellum à prælio, & pugna ſecernatur, & iuxta vulgatiſſimam notionem voces prædictas confundendo, eſt hoc loco ſermo de bello propriè dicto, quod non niſi publicum eſt, & publica authoritate geritur. Nam quod Siluester V. *bellum* 1. num. 1. appellat bellum priuatum, non eſt reuera bellum, vt rectè aduertit Panorm. ad cap. *ſicut* 3. de iureiur. Bellum ergo propriè dictum, de quo eſt hoc loco ſermo, aliud eſt aggreſſiuum, aliud eſt defenſiuum; Item aliud eſt iuſtum, aliud iniuſtum. Vocatur bellum *aggreſſiuum* ſiue *offenſiuum*, quo alius impetitur: *defenſiuum* autem, quo quis ſe ab impetente tuetur, vim vi repellens; ſed quam repulſam, ſi neceſſe ſit inſurgere in aduerſarium, non exceditur limitibus belli defenſiui; ſicut contingit, cum obſeſſi in vallum obſidentium irruunt ex improuiſo, eoſque adoriuntur: Id enim ad defenſionem reuera pertinet, cum ſit propulſio hoſtium obſtantium libertati obſeſſorum: Non diſſimiliter ac extra bellum, cum quis vt rem ſuam vel vitam tueatur, inſurgit in inuaſorem; ea inſurrectio, ad tutelam & defenſionem, non ad aggreſſionem pertinet.

Item in iuſtum, ac iniuſtum.

VTrumque præterea hoc bellum, vel eſt iuſtum, vel iniuſtum. Erit iniuſtum, ſi conditiones ad honeſtatem belli requiſitæ, deſiderentur. Cuiuſmodi bellum gerentes, ſceleſti quidam dæmones reputandi ſunt, iudice Iſidoro Peluſiota lege quinta, Epiſto. 386. vbi tamen diſertè approbat bellum iuſtum; illud ſcilicet ad quod belli iuſti conditiones interueniant. Nimirum ſi à legitima poteſtate, & iuſto titulo de quo ſufficienter conſtet, ac ex neceſſitate quadam ſuſcipiatur, talique modo geratur per perſonas quibus non ſit illicitum, vt iis demptis quæ ad iuſtam ſatisfactionem atque vindictam, & congruum futuræ pacis ſtabilimentum pertinent, abſtineatur irrogatione veteriorum damnorum. In quibus conditionibus exponendis, multi ſunt qui de Charitate, eique aduerſante bello diſſerunt cum S. Thoma. 2.2.q. 40. art primo & ſummiſtæ V. *Bellum*, & alij qui de bello tractationes ediderunt, nominatim victoria relect. 6. Molina tract. 2. de Iuſtitia a diſputatione 98. Sayrus lib. 7. Clauis regiæ cap. 12. Thomas Henrici lib. de bello cap. 7. & Alphonſus Guerrerius lib. de bello iuſto & iniuſto. Adhibitis prædictis conditionibus quas iſti fusè excutiunt, certum plane eſt, Chriſtianos, bella etiam aggreſſiua gerere poſſe abſque peccato, non obſtantibus conſiliis pleriſque Euangelicis, quibus Chriſtus author fuit ſuis, vt pacem ſtudioſiſſimè colerent, ac vel ſi cedendum eſſet iuri ſuo; quibus conſiliis nemo Chriſtianus vrgitur ſub peccato ad non bellandum vt latè monſtrat Ioannes Lupus tractatu de confœderationibus principum §. *Iſta quæſtio* à num. 6. quicquid è contrario aliquibus erroribus ſit viſum, quibus Victoria initio relectionis de Iure belli, malè annumerat Tertullianum; cum quippè Pamelius rectè purgat ad lib. de coro. milit. cap. 11. num. 122. & Claudius Rangolius 1. Reg. 14. ad verſ. 21. §. *quærebat aliquando*, & congruentem eſſe purgationem, liquere poteſt e. cap. 42. Apolog. Fuere verò inter illos Errores, Lactantius 6. Inſtit. cap. 20. & Manichæi ad factum & ſpiritualia nequitiæ omnia bella referentes, vt author eſt Titus Boſtrenus lib. 2. contra eos, itemque Vvicleffus, & Agrippa aliique eiuſdem farinæ, quos cribrant & excutiunt, à Caſtro V. *Bellum*. Valentia 2.2. d. 3. q. 16. p. 7. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 259. & Hugo Grotius lib. primo de iure belli cap. 2. ac Malderus 2.2. q. 40. artic. primo. Alij inſuper nonnulli oblæſæ fidei aut doctrinæ, idem cænum ſibi aſſricuerunt, vt eraſmus in cap. 3.3. & 22. Lucæ, & Chiliade 4. adagiorum centur. prima reiectus à Pamelio ad Epiſto. 2. S. Cypriani num. 21. item Rhenanus, ſolo nomine Beatus, caſtigatus ab eodem Pamelio ad caput 11. Tertulliani de coro. mil. nec non Ioannes Ferus, ab hæreticis forsè adulteratus, ad illud Matthæi, *omnis qui acceperit gladium, gladio peribit*: & denique Viues primo ciuit cap. 21. meritò Louanienſem ſpongiam paſſus. Multis eos omnes impugnat Ioannes Buæus in Tractatione de ſtatibus V. *Militaris ſtatus* cap. 2. & Thomas Henrici l. de bello cap. 6. Ad extremum verò inſaniæ verticem pertigit Lutherus, ſpecialiter improbans bellum à Chriſtianis aduersùs Turcas ſuſceptum; quem delirum, ferè fruſtra in hoc puncto refellunt Roffenſis ad artic. 34. aſſertionum, Bellarminus l. de laicis cap. 16. valentia q. illa 16. p. 1. & Serarius in orationibus Luthero-Turcicis. Præiuerat de more Luthero, Eraſmus adagio *Dulce bellum in expertis*. E Caluini combibonibus, Lambertus Danæus illicita eſſe bella in Turcam pro recuperandis Chriſtianorum prouinciis ab eo occupatis, impiè æquè ac Turcicè effutiuit, contritus à Gretſero in Apologia pro Cruciatis, cap. 8.

PRÆS. I.I. Varietas præſtanda in bellis à Religioſis.

Nos ex ſcripturis & Doctrina Patrum, de qua late Petrus Bacherius in ſpeculo militiæ Chriſtianæ cap. primo, ſecundo & 3. itémque Bellarminus ſupra cap. 14. & Molina tract. 2. de Iuſt. diſp. 99. & nominatim ex Diuo Auguſtino ſcripturas in hanc rem addenſante Epiſt. 207. Supponimus, bella non modò aduerſus Turcas (quod nemo niſi Turcico ſpiritu afflatus negarit); ſed etiam aduersùs Chriſtianos ſuſcepta, omni labe vacare poſſe, ſi ea quas attigimus conditiones adhibeantur; inter quas ea tantùm hoc loco diſcutienda occurrit, quæ ſpectat perſonas bellum gerentes? Nam ratione earum bellum poteſt dehoneſtari, non modò ſi militia coniuncta ſit cum eiuratione fidei, facta à bellantibus, ſed etiam ratione ſtatus quarumdam perſonarum. Vt militia contineret eiurationem fidei, frequens olim fuit ſub Ethnicis Imperatoribus; qui quoſcunque reſpuentes profana ſacra, exuebant militiæ cingulo. Vt de Diocletiano ſcribit Euſebius 8. Hiſtor. cap. 4. Idem tradens de Licinio lib. 9. cap. 10. De Iuliano idem habet Ruffinus lib. 10. Hiſtor. c. 32. addens lib. 11. cap. 2. Valentinianum quod ſub Iuliano maluiſſet cingulum quam fidem abiicere, accepiſſe à Deo imperium. Quod autem aliqui Chriſtiani milites abiectum præ fidei ardore cingulum, denuò reſumerent, numerata ad temperationem cinguli pecunia, intortus eſt in eos canon. 11. Concilij primi Nicæni, cui idcirco Lutherus l. de Conciliis parte. 1. imperitè æquè ac malignè calumniam ſtruxit, quaſi negauerit militiam eſſe honeſtam; cum tamen duntaxat

PRÆSV. III. *Varietas præſtanda in bellis à Religioſis.*

improbauerit militiam initam cum fidei eiuratione; qualem item ſolam improbauit Tertullianus, iis locis quibus criminationi patuit, quaſi abſolutè inficiatus eſſet honeſtatem militiæ. Ratione verò ſtatus & conditionis quarundam perſonarum, poteſt militia dehoneſtari, ſi tales ſint perſonæ, quas neceſſaria aliqua Cura domi diſtineat, aut quarum vitæ ratio à militandi functione abhorreat; inter quas an numerentur Religioſi, vocatum eſt in controuerſiam, ad cuius diſceptationem accingimur. Nec plura de primo puncto propoſito, ſeu de varietate bellorum.

Quoad Religioſos, ſeponendi qui addicti, militiæ.

2. QVoad Religioſos, adhibenda eſt diſtinctio. Quidam enim ſunt adſcripti iis ordinibus Religioſis, qui dicuntur *militares*, alij verò ſunt adſcripti ordinibus non militaribus; cuiuſmodi ſunt omnes ordines Monachorum, & Mendicantium, ac Clericorum Regularium. Ordines militares, ſunt duplicis generis, vt videre eſt apud Rodericum de eis latè diſſerentem Tomo 1. de Regular. q. 5. Quidam enim verè & propriè Religioſorum cœtuum nomen obtinent. Tales olim fuere Templarij, magnificè (dum florent,) celebrati, ab Alexandro 3. in Concil. Lateranenſi parte. 44. cap. 5. & à Petro Cluniacenſi lib. 6. Epiſtola 26. Et à S. Bernardo ſerm. ad milites templi cap. primo & 3. ac ſeqq. itemque à Gulielmo Tyrio liber. 12. Belli ſacri cap. 7. necnon à Iacobo de vitrico caput 65. Hiſtor. Orientis. Tales nunc ſunt aliqui ordine de quibus Thomas Boſius liber 19. de ſignis capite primo. *ſub finem* nominatimque equites S. Ioannis Hieroſolymitani ſiue Melitenſe. His quippe contra Sarmientum lib. de reddit. Eccle. p. 4. capite primo, numero 13. verum & propriè dictum Religioſorum decus, meritò vendicant Suarez, Tomo quarto de Relig. tract. 9. libro primo cap. quarto numero 5. Azor T. 1. lib. 13. cap. 6. q. 4. Baſilius Pontius libro. 9. de matr. cap. 7. numero 3. ac Thomas Sanches lib. 4. ſumma, capite 16, numero 12. & bene multi quos adducit & ſequitur Ioannes Sanches d. 49. ſelecta numero 10. ac Garſias de benefic. p. prima, capite quarto, numero primo & ſequentibus. Cur hic ordo militaris, ſit vera & propriè dicta Religio non eſt obſcurum, cum in eo reperiatur quidquid in veri Religioſi ordinis conſtitutione deſiderari poteſt. De hoc ordine alia addit Petrus Gregorius lib. 15. Syntag. capite 34. & Gretſerus tom. 3. de Cruce libro 2. capite 15. differens capite 16. De Theutonicis militibus, atque Linonicis, deque aliis occidentalibus ſacris militiis, ſiue ordinibus militaribus ad ſecundum genus ſupra propoſitum pertinentibus; hoc eſt in quibus non cernitur niſi diminuta paupertas; & caſtitas arctatur ad coniugalem quoad eos qui addicuntur militiæ. Sunt enim inter hos quoque, aliqui Clerici & ſacerdotes in vnum quidem corpus adunati cum militibus, ſed non addicti militiæ, quos eſſe propriè Religioſos, extra controuerſiam eſt, vt Baſilius ſupra ſtatuit numero 28. His verò ſepoſitis, alii qui militiæ addicuntur, nec vota emittunt niſi cum reſtrictionibus prætactis, ſint ne verè & propriè Religioſi, controuerſia eſt, fortaſſis de nomine, de qua plenè Suares libro illo 9. capite 4. à num. 8. Michael Medina libro 4 de contin. contrau. 7. capite 39. Baſilius dicto capite 7. Sanches libro 4. ſumma, capite 16 numero 12. Didacus à Mora libro 2. de confirm. ord. S. Iacobi capite 1. & latè Nauarrus Conſilio 12. de Regular. ac tract. de reddit. Eccleſ. q. prima, monito 55. & 56. & quæſt. 3. monito 17. & ſeqq. Garſias prima p. operis de beneficiis capite quarto, numero 6. & 15. ac ſeqq. Alios in eandem ſententiam benè multos, profert Ioannes Sanchez d. 49. ſelecta num. 11. & 13.

Non eſt hoc loco contronerſia de huiuſmodi ordinum militarium Religioſis. Nec enim vetantur militare, cum ad hoc ipſum ſint ex inſtituto ſuo addicti. Et verum, quidem eſt, militiam cui addicuntur huiuſmodi Religiones, non modò debere eſſe iuſtam, ſed etiam ſacram & piam, vt habetur ex Doctrina D. Thomæ 2.2.q.188.art. 3. Vbi optimè id aduertit Caietanus, Neque enim Eccleſia inſtituens ordinem militarem, habuit propoſitum finem ad quem ordinatur bellum temporale iuſtum, quale geritur plerumque ad ſolam temporalis Dominij de quo quis deiectus ſit, recuperationem; vel ad publicæ alicuius iniuriæ iuſtam vindictam; aut ob aliam temporalem & mundanam cauſam, etiam ſi honeſtam & cum belli iuſtitia cohærentem; ſed finis quem propoſitum habuit Eccleſia, inſtituens vel approbans Religioſum ordinem militarem, fuit pius, & cum reſpeſtu ad fidem, aut ad Religioſum Dei cultum & pietatem. Ex huiuſmodi præſertim fine, bellabant Machabæi in antiquo Teſtamento, & in nouo benè multi qui ex voto, in Cruciatas expeditiones dedere nomina, de quibus capite *ex multa* & capite *poſtulatis*, & aliis pleriſque capitibus tituli de voto. Nec aliter ſtatuendum eſſet de bello quod pius aliquis Princeps ex chriſtiana charitate ſuſciperet ad innocentum iniquè oppreſſorum ſublevationem, veriſſimum igitur eſt, ordines militares ad tale duntaxat bellum addici vi ſuæ inſtitutionis, & approbationis collatæ ab Eccleſia, nec deſtinari ad bella quæ communiter geruntur inter Principes Chriſtianos; tametſi iuſta, ſaltem altera ex parte. Tamen exquo Religioſis de quibus agimus, conceſſum eſt agere bella ſacra, vſu receptum, ſit, vt quibusvis bellis iuſtis nauare poſſint operam, præſertim ſi bella aduerſus Chriſtianos eiuſmodi ſint, vt videri poſſint æquiualere bellis contra infideles; iuxta illud Petri Cluniacenſis ad Ebrardum Magiſtrum Templi, à quo poſcebat relaxari ſibi Humbertum de Belloioco militem templi, quod eius præſentia videretur neceſſaria ad comprimendos factioſos; tametſi Chriſtianos, atque Catholicos profeſſione non moribus. [Sed fortè dicitis; contra Paganos, non contra Chriſtianos arma ſumpſimus.] Id eſt, ad hoc coaluimus in religioſum cœtum militarem. Reſpondet Petrus Cluniacenſis. [Sed quis magis, à vobis vel à veſtris impugnandus eſt? Deum neſciens Paganus, aut ipſum verbis confitens & factis contra eum dimicans Chriſtianus quis magis perſequendus eſt, ignorans & blaſphemans, aut cognoſcens & impugnans? an non deum impugnant, an non perſequuntur, qui Eccleſiam eius, qui populum emptum ſanguine eius, abſque vlla vbi poſſunt vel audent, perſonarum, graduum,

graduum, dignitatum exceptione deprædantur, cædunt, verberant, quandoque etiam quod ſæpè contingit, perimunt? Non eſt, non eſt minus defendendus conſiliis, imo gladiis veſtris, Chriſtianus vim iniuſtè patientis à Chriſtiano, quàm ne ſe deſerēdus eſſet, ſi id pateretur à pagano] Præſertim ergo ad huiuſmodi bellum contra Chriſtianos, decens ac iuſtum eſt inconuenire milites Religioſos, quamuis ad alia quæcunque iuſta bella ſoleant concurrere, citra probrum Quod de iis maximè Religioſis militaribus exploratum eſſe debet. Nam quamuis teneantur data occaſione bellare pro fide aut pietate, tamen ſi ea obligatio non vigeat, nihil eſt cur prohibeantur in alia bella iuſta conferre operam. Quam facultatem, vſus receptus ad illos alios milites Religioſos extendiſſe videtur, quos primæ inſtitutionis vigor, niſi vſu eſſet emollitus, ad ſola bella ſacra arctaret.

Quod ius ſupremi Præfecti Ordinis militaris circa bella indicenda.

Sicut autem militibus Ordinum Religioſorum fas eſt militare, nec de eis quæritur, cum diſceptandum proponitur, fas ne ſit Religioſis bella gerere, ita qui horum Ordinum ſupremos præfectos agunt, vt Princeps Melitenſis, & magnus Magiſter Theutonicorum militum, & quotquot Religioſorum Præfecti conſertam habent muneri ſuo ſupremam temporalem poteſtatem, vt Abbas Fuldenſis, & ſi qui alij tales, pollentes authoritate temporali qualis in laico requiritur ad indicendum bellum, poſſunt citra labem bella indicere, interueniente iuſta cauſa. Quæ ſit ea ſuprema poteſtas ad belli indictionem neceſſaria, iuxta D. Auguſtinum 22. contra Fauſtum c. 75. & alios quos profert Couaru. reg. *peccatum* 2. p. 5. 9. non eſt huius loci diſquirere Alphonſus de Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit. cap. 14. vult eam dignoſci penes tribunal a quo non detur prouocatio Melius molina tract. 2. deſp. 102. eam veſtigat ex modo regiminis, iuncto antiquo vſu, & legitima conſuetudine. Si ergo præfectus quiſpiam Religioſorum, talem poteſtatem temporalem præfecturæ ſuæ conſertam habeat, non minùs poterit bella indicere, quam quiuis alius ſupremus Princeps laicus. Sanè Epiſcopi quoque, & Clerici, tametſi per Canones arceantur à militia, æquè ac Religioſi tamen ſi ſuprema temporali poteſtate potiantur, non vetantur bella indicere, imo & bellis adeſſe, vt præſentia ſua & authoritate animent milites, & hoſtibus incutiant terrorem, dummodò nec manu ſua obtruncent quemquam, vel mutilent, nec milites inducant ad aliquem determinate mutilandum vel occidendum. Sed tantum generatim hortentur ad ſtrenuè bellandum, & explendos omnes boni militis numeros Doctrina eſt communis Theologorum, quam rectè præter cæteros tradunt Valentia, 2. 2. d. 3. q. 16. p. 4. certo 5. Suarez 2. 2. diſp. 13. de Charitate ſect. 2. num. 2. Conink. diſp. 31. de act. ſupern. n. 92. Syluester V. *Bellum* 3. q. 1. Mol. tract. 2. de Iuſt. d. 100. & 108. Conſentiunt Iuriſperiti ad c. *dilecto* de ſent. excommun. in 6. Innocentium & Hoſtienſem allegat & ſequitur Paris de Puteo, tract. de Duello, q. de duello in terris Eccleſ. num. 2. ſuppetitque in eam

rem argumentum a ſimili ex cap. *Epiſcopus Nec Cler. vel Monach.* in 6.

Nihil porrò vetare, ſiue Religioſas perſonas, ſiue Clero adſcriptas, ſuprema temporali poteſtate potentes (quidquid in contrarium garriant hoſtes Eccleſiaſticæ maieſtatis hæretici, & quidquid etiam interi Græci deliraent apud Anonymum Ord. Prædicatorum tract. contra Græcos per Steuartium edito *tertio ſuſpectè*) demonſtrant Bellarminus l. 5. de Pontif. c. 9. Molina, tract. 2. de iuſt. d. 21. & 29. Eponus l. 2. Eccleſiaſticarum quæſtionum. 2. q. 2. à num 9. & Salas diſp. 7. de leg. ſ. 6. Et ante eos Bertrandus Cardinalis contra Petrum de Cugneriis actione 1. & lib. de origine & vſu iuriſdictionum q. 3. par item eſſe, vt Cardinales regant arma, quæ pro Eccleſia capiuntur, Etiamſi de temporali duntaxat damno Eccleſiæ agatur, monſtrat Hieronymus Platus l. de Cardinali cap. 32.

Ex ſequentibus porrò præſuppoſitionibus diiudicari poterit, congrue ne aliqui, ſiue Religioſi præfecti, ſiue è Clero Antiſtites in ſignum illius ſupremæ poteſtatis ac iuris ad bella indicenda, enſem nudum ſuper altari inter ſacrificandum ſolemniter, collocari curent, vnà cum pedo & mythra. Videſis Chopinum l. 2 de ſacra politia tit. 1. num. 7 Epiſcopus item Teramenſis in regno Neapolitano, eius loci Princeps & comes, Biennis cum ſolemniter celebrat, ſtat armatus albentibus armis vt ſcribit Henricus Baccius recognitus à Carolo Eugenio, in deſcriptione Epiſcoporum Regni Neapolitani. Minùs abſonum quis cenſuerit quod Munſterus de Germania l. 3. in deſcriptione Ciuitatis Viceburgenſis, ſiue Herbipolenſis teſtatus, Epiſcopos Herbipolenſes Franconiæ Duces ad ſepulturam deduci in Epiſcopali amictu, altera manu nudum enſem, altera pedum paſtorale geſtantes; eodemque pontificio amictu & nudo enſe inſtructos inferri tumulo, in vtriuſque poteſtatis argumentum.

De quibus tantùm Religioſis poſſit eſſe controuerſia, circa belli geſtionem, & armorum tractationem.

His ita conſtitutis, ac ſecluſis ambitu præſentis controuerſiæ Religioſis quibuſuis militaribus, (qui quidem ad arma tractanda ſint addicti,) tota difficultas reſtringitur ad Religioſos Ordinum non militarium, ſiue ſint cœtus alicuius Monaſtici, ſiue Mendicantis, ſiue Clericorum Regularium; quibus poſtremis accenſendi quoque ſunt Clerici illi ordinum militarium, qui in huiuſmodi Ordinibus, non ad arma tractanda, ſed ad functiones ſpirituales ſunt deſtinati. Nam horum Clericorum longè diuerſa eſt ratio, quàm cæterorum qui laici ſunt, & ex inſtituto arma tractant. Difficultas inquam agitanda eſt, an horum ordinum militarium Clerici, & quicunque cæterorum Ordinum non militarium Religioſi, poſſint militare. Et cum inter huiuſmodi Religioſos, non omnes ſint deſtinati ad ſacros Ordines, ſed aliqui ſunt laici, velut alicubi Vocantur *conuerſi*, qui tamen verè ad Religionis corpus pertinent, quamuis ſacra non tractent, nec vnquam ſint tractaturi; videndum erit, an

PRÆS. III. *Varietas, [illegible] bellis à Religioſis.*

PRÆSV. III.

Varietas præſtanda in bellis à Religioſis.

hi quoque, à bellis arceantur, ſicut cæteri, qui vel iam ſacris initiati, vel procedente tempore initiabuntur, & iam ab ingreſſu ſacræ familiæ ſunt deputati choro. Vt enim quotquot choro deputantur, tandem aliquando promoueantur ad ſacra miniſteria, & ordines ſacros aſſumant, ex vſu eſt; quamuis olim aliter factum fuiſſe, SS. Benedicti, & Franciſci exemplis liquet. De his ergo duntaxat Religioſis, ſiue Clericis, ſiue laicis, eſt nunc controuerſia.

Suppono tamen, Religioſos illos hærere intra cœnobium, nec pontificia authoritate eſſe reuocatos ad ſeculum, ſaltem ad tempus, publici boni cauſa. Tunc enim ſunt non obſtante voto paupertatis, opes congerere, & non obſtante voto Caſtitatis, (cum ita tulit facultas,) liberis operam dare potuerunt; ita non obſtante militandi prohibitione quoad Religioſos, arma tractare & regere poſſent. Suppetunt in eam rem vulgaria exempla, vt Sigeberti Angli, è Monaſterio ad Regnum reuocati, ob publicam neceſſitatem referente Philippo Abbate in vita S. Freilliani c. 3 Nec non Caſimiri Poloni, Cluniaco educti per Benedictum 9 anno 1041. vt ſcribit ad eum annum Longinus, & ex eo Baronius. In Chronico tamen Cluniacenſi, cum de Hugone 11. ea narratio ſeriùs refertur, & ſub nomine Boleſlai. De Remelio, idem habet Robertus de monte in appendice Sigeberti ad annum 1160. De Ramireſio Rege Aragonio ex Abbate & Epiſcopo ad coniugium regnúmque reuocato, idem habet Mariana lib. 10. Hiſtor. c. 15. Tales ergo Religioſi, æquè ſoluti ſunt ad bella gerenda & regenda, ac ſi nunquam adiiſſent cœnobium. Vnde de eis in præſentia non diſputamus. Sed tota controuerſia eſt de aliis, non ſolutis per Pontificem nexu votorum Religionis.

Poteſt etiam controuerſia propoſita extendi ad Nouitios, quamdiu nouitij perſeuerant. Nam ſi à ſtatu Religioſo reſilirent, ſublata eſſet dubitandi ratio. Habemus affine exemplum clericorum inferiorum, præſertim ſi minoribus ordinibus ſint inſigniti. Hi enim tametſi, ordo minor ſemel ſuſceptus non aboleatur; tamen ſi renuncient ſtatui clericali, nec eius priuilegiis fruantur, gerunt, ſe vt laici, & abſque ſcrupulo, dare ad bellum nomina poſſunt, perinde ac reliqui laici; quamuis quamdiu clero adſcribuntur, non poſſint id præſtare abſque peccato, graui aut leui, iuxta varias ſententias de quibus inferius. Similiter ergo Nouitii Religionum non militarium, etiamſi recedendo ab ordine inito, (ad quod eis libera facultas remanet,) poſſint obſtringi militari ſacramento; tamen controuerti iure poteſt, an hærendo in nouitiatu inito, & non reſciſſa adſcriptione inter tyrones ſacræ familiæ, prorſus arceantur à bellis, perinde ac veri eiuſdem familiæ Religioſi, eorumque ambitu comprehendi ſint cenſendi, quantum ad rem præſentem attinet.

Opera in bello ad ſacras functiones, Religioſis licita.

5. Quoad actiones in bello à Religioſis præſtandas, poteſt tantùm eſſe controuerſia, de actione bellandi, vel aliqua ad eam cooperatione, aliter quam per ſacrum quodpiam miniſterium vel certe per munus aliquod incruentum, ad commune bonum conducens. Hoc ſecundum addo, propter eos, ſiue Religioſos, ſiue clericos, qui tantum nauarent operam quibuſdam functionibus ad bellum remotè & mediate neceſſa iis, citra immediatam cooperationem ad pugnam. Quod de ſe ipſo teſtatur Gulielmus Duranti, cognomento *ſpeculator*, tit. de disp. ... 8. *iuxta*. Tametſi enim ſacerdos, erat, tamen in bello quod Martinus 4. aduerſus rebelles Romandiolæ ciuitates gerebat, commiſſatus eſt exercitum ad cauſas militares de iure tractandas, ad annonam miniſtrandam, ſumptuſque bellicos ſuppeditandos, nec non ad conſilium circa bellica negotia pro Eccleſiæ vtilitate præbendum. Nec tamen ob eas actiones, vel vllam Irregularitatem contraxit, (quod ipſe diſertè negat loco annotato.) Vel impeditus eſt quominus in Mimatenſem Epiſcopum promoueretur, ac (ſi ipſe aſſenſus eſſet,) in Archiepiſcopum Rauennatenſem, Nimirũ quia omnes prædictæ actiones ſunt prorſus incruentæ, nec proximè aut immediatè influunt in actum præliandi. Si ergo ex iuſta cauſa, onus earum obeundarum committatur religioſo aut Clerico, idoneo ad eas exercendas, nullam inde labem contrahet. Idemque multo apertius eſt de aſſiſtentia in præliis, ad ſacra aut pia munia. Quid enim decentius aut congruentius, quàm vt viri pij ad huiuſmodi actiones obeundas aduocentur? Et eſt id quidem omnium Eccleſiaſticorum hominum æquè proprium, vt rectè pronunciauit Ioannes à Cochier l. de legato c. 8. Et Petrus Bacherius l. de militia Chriſtiana c. 15 Nominatim tamen ad id videntur valdè accommodati Religioſi, qui & exſolutione ab omnibus terrenis, & flagranti zelo animarum, maximè habiles ſunt, vt præſto ſint fidelibus in ſummo illo diſcrimine. Vt vt verò res ſe habeat quoad eam maiorem aptitudinem ad fructuosè obeunda ſacra munia in præliis, poſſe Religioſos eorum munerum gratia, præliis intereſſe, docet exemplum clericorum, quos Innoc. 3. cap. *ex multa* 8. *de clericis*, ait clericatus officio reddi inhabiles ad pugnandum; Et tamen ibidem annuit, vt ad ſana bella pergant, ſi vel conſilio valeant, vel officio prædicationis poſſint inſiſtere; aut ſi ſint magnatum obſequio deputati, vtique ad ſacrificandum coram ipſis, vel ad miniſtranda ſacramenta. Ex quo patet, ob huiuſmodi functiones, religioſas & pias perſonas ad pugnandum inhabiles, poſſe intereſſe præliis. Idem habetur & cap. *quod hortatu* 13. q. 8. Serarius l. de Ioſuanis ſacerdotibus n. 55. huc aduocat exemplum priſcorum illorum ſacerdotum, qui citra pugnam aderant bellis, circunducentes arcam, & Deo ad illam miniſtrantes, vt habet liber Ioſue & primus Regum.

Ac ne quis cauſetur, ſacerdotes antiquos quorum cruenta erant ſacrificia, acceſſiſſe ad prælia citra pugnam, idipſum tamen dedecere Chriſtianos ſacerdotes, quorum incruentum eſt miniſterium, habemus in contrarium, Magni Conſtantini exemplum. Scribit enim Euſebius l. 4. de vita Conſtantini, eum ſacerdotes ad bella duxiſſe, non ad pugnandum, ſed tanquam animæ cuſtodes, hoc eſt ad Religionis officia, eundem habuiſſe portatile templum, ſuis Caſtrenſe oratorium, & quocunque pergeret illud circumtuliſſe, narratur in Hiſtoria tripart. l. 1. c. 10 & apud Nicephorum lib. 7. cap. 46. Nimirum piiſſimus Imperator in omni expeditione, (Sed in bellicis maximè,) volebat ſacros miniſtros adeſſe, per quos cultum Deo in eo portatili templo exhiberet, indéque factum notat Tripartita ex Sozomeno lib. 1. cap. 8. vt Romanorum cohortes quibus poſtea datum eſt nomen *numerorum*, ſingulæ haberent tabernaculum

colum proprium, & Sacerdotes atque diaconos diſtributos, qui ſecundùm legem Eccleſiaſticam ſacris operarentur, & caſtris ea ratione ſecundùm Deum nauarent operam. Adeant ergo prælijs Sacerdotes, (ſed ad peccandum non ad bellandum) ex Conſtantini decreto.

Idem conſtitutum eſt in Concilio, veribus conuentu Francico ſub Carlomanno Principe, celebrato præſente Sancto Bonifacio anno 742. vbi cum vetitum eſſet, ne ſerui Dei militarent, pugnantes vel in hoſtem pergentes, aut adſtantes exercitui, excipiuntur illi tantùm, qui propter diuinum myſterium, (miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda), & ſanctorum patrocinia, ad hoc electi ſunt: Id eſt, vnum vel duos Epiſcopos cum Capellani præsbyteris princeps ſecum habeat, & vnuſquiſque præfectus vnum Præsbyterum, qui hominibus peccata confitentibus, indicere pœnitentiam poſſit,] verba ſunt decreti à Carlomanno Principe in eo Antiſtitum, & optimatum conuentu editi, quod Auentinus lib. 1. Annal. Boior. his verbis conceptum retulit. [Nemo ſacris initiatus, diuiniſque miniſteriis mancipatus, arma omnino ferat, aut in bellum, aut in hoſtem pergat vnus, aut ad ſummum duo Epiſcopi, delecti ſuffragio, cum ſuis Sacerdotalis, Principem comitentur ad bella, ſacrificandi comprecandique cauſa, cuique tributo, vnus duntaxat à ſacris, pœnitentia, & confeſſionibus eſto.] Commiſcuit Auentinus, Legem Carlomanni, cum ſupplicatione populi quæ habetur 6. capitular. Regum Francicorum cap. 185. vbi quod prætermiſſum eſt in Carlomanni decreto de ſuffragio eligendis ſacris Præſulibus Principem ad bella comitaturis, ſic proponitur, poſt eoſdem prorſus à pugnandi actu excluſos. [Obnixè omnes precamur; Et vt concedatur rogamus, quia nullatenus volumus aſſentire, vt nobiſcum ad talia pergant, niſi duo aut tres benedicti electione videlicet cæterorum, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos & nos ſimul cum pluribus pereamus: ſed eorum precibus (vt iam memoratum eſt,) fulciamur. Quam formam; & de Sacerdotibus tenere optamus, id eſt vt nec illi in hoſtem pergant, niſi benedicti, & ipſi electione atque permiſſione propriorum Epiſcoporum; qui tamen tales ſint, de quorum ſcientia, & vita, ac conuerſatione, omnes ſecuri eſſe poſſimus.]

Inter eas functiones, benedictio, & geſtatio patrociniorum.

QVid illud *benedicti?* Ægrè poſſint ad huius vocis notionem intelligendam commodare, quæ adducit Sirmondus ad Sidonium l. 7. epiſt. 9. monſtrans, *benedictum* paſſim apud veteres, pro Chriſtiano frugi, & probato accipi. Quadrant potiùs ad hunc locum, quæ tradunt Pamelius cum Rhenano ad l. Tertulliani ad Martyres cap. 1. & Ioannes Quintinus ad c. 30. lib. de præſcript. monſtrantes, *benedictum* quandoque, idem ſonare quod dignum laude & commendatione. Et affinis eſt ea apud Iuriſperitos laudatio quæ idem ſonat quod cooptationem & aſſumptionem ad aliquod munus. Nam eandem interdum eſſe notionem *benedictionis* eruitur ex cap. 1. tituli de ſuppl. neglig. Prælat. Sicut etiam inſtitutionem alicuius in hæredem, aliquando *benedictionem* appellari, notauit Baldus in proœm. decretal. *benedicti* itaque in loco propoſito dicti videntur, inſtituti, & electi, vel cooptati ab iis quorum intereſſet, vt eo Caſtrenſi quaſi Sacerdotio fungerentur. Nec eſt quod ſuſpicemur irrepſiſſe mendum, legendúmque eſſe, *benedicti*, vel *benedictuti*. Codices enim omnes legunt *benedicti*, non *benè dicti*, vel *benedictutis* vtique exercitui. Tametſi verum eſt, eos ad huiuſmodi benedictionem, ſiue ſolemnem, & ceremonialem, ſiue Sacramentalem in Sacramento pœnitentis, benedictos & electos eſſe vt comitarentur exercitum; ad quam benedictionem, cæteræ quoque Sacerdotales functiones, & tempori opportunæ, ſunt reducendæ; & nominatim geſtatio reliquiarum ſanctorum, quarum meminit in decreto ſuo Carlomannus, annuentes vt ad exercitum proficiſcantur ſerui Dei *ob ſanctorum patrocinia*, id eſt ad geſtandas reliquias ſanctorum; Inter quas ſolemne erat Francis, geſtare cappam B. Martini, vnde ductum eſt *Capellani* nomen, his verbis tradit Vvalafridus ſtrabo l. de rebus Eccleſ. cap. vltimo. [Dicti ſunt primitus *Capellani*, à Cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium Victoriæ in prælijs ſolebant ſecum habere: quam ferentes, & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici, *Capellani* cœperunt vocari. Nec diſſimiliter Monachus Sangallenſis (NotKerum eſſe volunt) lib. 1. de vita Caroli Magni cap. 4. agens de quodam à Carolo in Cappellam ſuam aſſumpto, [*Cappella* nomine, Francorum Reges propter cappam Sancti Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem, & hoſtium oppreſſionem iugiter ad bella portabant, Sancta ſua appellare ſolebant.] Minùs itaque appoſitè Rhenanus, ad ſacella ſiue ædiculas B. Martini à Clodouæo dicatas quibus veriori lingua Francica *Cappellanum* nomen tribueretur, nomen *Cappellanorum* reuocauit. In ea ſiquidem ſignificatione, vox *cappella* cuius ſæpè meminerunt iura, tota cauſa 16. decreti & l. 3. decretalium, titulo 37. Idem ſonat atque *tenterium*, vt eſt apud Vincentium Bellouac. lib. 2. ſpeculi hiſtor. cap. 92. & apud Gloſſam cap. *concedimus*, de conſecr. diſt. 1. vbi permittitur, vt dirutis Eccleſiis, ſacrificetur in Cappellis cum tabula conſecrata. Fortè verò nomen *cappella* inductum eſt, quod ea tentoria, primùm è caprarum pellibus conſtruerentur, vt eadem Gloſſa affirmat; tametſi poſtea nomen *cappella* hæſit quibuſvis ædiculis ſacris, etiam ſi fixis, & è quacumque materia ſtructis.

PRÆS III. *Varietas præſtanda in bellis à Religioſis.*

Item crucis, aut ſacræ lanceæ, prælatio.

IN bellis contra infideles, frequens iam olim fuit, homines Dominicos aliud ſacrum miniſterium præſtare: nempe præferre crucem. Exempla proſtant apud Gretſerum lib. 1. de cruce cap. 90. Adde illuſtre exemplum Paſchaſij Canonici Toletani, qui Crucem, quam Roderico Antiſtiti Toletano de more præferebat, per confertiſſimos Maurorum cuneos (ducenta eorum millia cæſa ferunt,) ſemel & ſecundò circumtulit, & quamvis telis omnibus peteretur, & multæ ſagittæ Crucis haſtili confixæ eſſent, tamen incolumis euaſit. Rem miraculo ſimilem deſcripſit, qui aderat Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, & ex eo Mariana l. 11. hiſtor. hiſp. cap. 24. ad annum 1212. In actis S. Nicetæ Martyris quæ Surius tom. 5. exhibuit, narratur, Phitigernen Gotthum, prælata cruce omnes copias præcedente, confixiſſe

PRÆS. III. *Variæ, per ſtanda in illis à Religioſis.*

cum Athanarico ; eúmque fudiſſe. In obſidione vrbis Damaſci per Ludouicum Francorum Regem, allatam crucem ipſam Domini deſcribens author geſtorum Ludouici, ſic habet. [Illhuc delata fuit crux ſancta, cum magna deuotione, à Foucharo Patriarcha, quia mos is erat tunc temporis, ad Chriſtianam nuſi iam ſemper illam præferri in negotiis præliorum :] à quo autem, niſi à Dominico quopiam homine ? Abbatem Religioſum, eo munere functum in prælio ſub Godefrido Bullonio, ſcribit Tyrius l. 10. belli ſacri cap. 17. qui etiam videndus l. 17. cap. 2. & 6. & l. 21. cap. 21. & 22. & l. 22. cap. 26. Alium Abbatem in alio prælio ſub Balduino idem præſtitiſſe, ſcribit Abbas Vrſpergenſis in chronico anno M. C. I. Alludens ad hunc vſum Prudentius in Pſychomachia, deſcribens ſobrietatis & Luxuriæ conflictum, ſic canit.

Vexillum ſublime crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, dextra ſuſpirat ſiſtit
Inſtauratque leuem dictis mordacibus alam.

Mirum videri debet, tam antiquum vſum præferendi in acie Crucem Regis noſtri vexillum, potuiſſe improbari a Luthero, Tom. 2. German. l. de bello contra Turcam *fol.* 447. edit. Vitemberg. anni 1588. vbi ſic loquitur ; [ſi eſſem miles, viderémque in acie Sacerdotem aut vexillum Cruce inſignitum, vel ipſam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem, quam ſi ipſe Diabolus me fugaret.] Sunt hæc digna Lutheri ore vt calamo, in quibus confutandis cùm ſint adeò perſpicuè impia, fruſtra tempus contererem.

Pontius ex Abbate Cluniacenſi Hieroſolymis peregrinus, in bello ſacro, ipſam lanceam quæ latus Saluatoris aperuit, egitur prætuliſſe in Cluniacenſi hiſtoria. Et in appendice ad Sigebertum anno 1124. vbi ſimilia alia exempla tanguntur. Obiicitur mihi, an de eiuſdem lanceæ Chriſto infixæ prælatione in prælio, ſermo fuerit in rebus geſtis S. Bernuuardi Epiſcopi Hildeſheimenſis, à Tangmaro Presbytero conſcriptis. Cum enim Romani ab Othone Imperatore (cui vir Sanctus ad Vrbem aderat,) defeciſſent, & arma in eos educenda eſſent Palatini ; (inquit, Tangmarus) à Beato Bernuuardo Epiſcopo, ſalutaribus moniti inſtructi, confeſſione nihilominus purgati, ſacro etiam viatico inter miſſarum ſolemnia muniti, contra egredi & hoſtes impellere conantur. Bernuuardus Epiſcopus Dominicam haſtam ſubiit, ſe quoque, atque omnes viuificæ crucis munimine ſignat, benedictione publicè data, ac vitalibus monitis conſolans, & corroborans, ſignifer ipſe cum ſancta haſta in prima fronte aciei, egredi parat.] *Haſta* hic dicitur, quæ alibi *Lancea* vocatur. Hic enim Epiſcopus Lauſanenſis, Henrici tertij in ſaxones mouentis ſigniferum egit, præferens ſacram lanceam vt habet Crantzius lib. 5. Saxon. cap. 1 : habebatúrque ea ſacræ lanceæ prælatio fortunatiſſima, & victoriam portendens, vt ex his Godefridi Viterbrienſis carminibus, (inſolitis licet) perſpici poteſt. Leguntur parte 19. Chronici cum inſignia deſcribit Imperij.

Lancea Mauritij reliquis prœmaxima ſignis
Plurima Chriſticolis peperit miracula dignis
Clauus namque Dei, inſertus habetur ei.
Subiicit imperio, bello geſtita potentes.
Moribus iſtius, nequeunt obſiſtere gentes
Hac vbi bella mouet, vincere cuncta ſolet.
Lancea ſancta ſolet regnorum vincere lites.
Iſta facit proceres Romanos, eſſe Quirites.
Ex hac Cæſar habet, quod ſibi regna fauent.

Hoc poſtremum ſpectare videtur ad illius temporis vſum, quo delectus in Imperatorem, præ cæteris ad hoc inſigni ſacræ lanceæ inueſtiebatur, vt conſtat ex Ditmaro ; narrante, Sanctum Heribertum mortuo Othone tertio, ſacram lanceam, vt imperij pignus, ſui iuris feciſſe, Sancto Henrico per proceres reddendam. Sed & apud Vuitichindum, ſuprema Conradi Regis mandata deſcribentem, lanceæ ſacræ & reliquorum imperij inſignium, ad Henricum aucupem delatio recenſetur. Hoc igitur voluiſſe videtur extremo illo verſu Goffridus ; Anteriores verò ſpectant ad auſpicatiſſimam lanceæ ſacræ in bellis prælationem, per Epiſcopum quempiam, aliámve ſacram perſonam, vt conſtat ex propoſitis ſupra exemplis, quibus affinia leguntur cum in Actis S. Gerardi 3. Octobris, tum apud Luitprandum lib. 4 cap. 11. Erat ei lanceæ coniunctus clauus, ex iis quibus confixus fuit Redemptor noſter, vt Goffridus memorauit. De pluribus clauis eidem lanceæ conſertis, vt alij volunt, non eſt concors omnium ſententia. Quin etiam Baronius ad annum 929. aliquam duntaxat vnius claui Dominici partem arte commixtam fuiſſe ei lanceæ, veriſimilius putat. Vt igitur præmittebant cum hæc imperialis lancea, à Goffrido dicatur *lancea S. Mauritij*, & eam ipſam prætulerit S. Bernuuardus, alia fuiſſe videtur hæc lancea ab illa quæ Chriſti latus transfixit, & a Carolo Magnó fœliciter adhibita in præliis aduersùs Saracenos refertur. Quamquam huic quoque clauus Domini conſertus proditur. Videſis de hac dubitatione Gretſerum To. 1. lib. 1. de cruce c. 96. Et de lancea Chriſti lateri infixa Iacobum Boſium lib. prim. de cruce Triumph. 1. cap. 17. & Ioannem Seueranum in Eccleſiæ Sancti Petri deſcriptione. Mihi ſatis eſt eum morem præferendæ in bellis per ſacros homines, ſacræ lanceæ, ſiue eius quæ latus Chriſti transfixit, ſiue eius quæ ob ſacri claui inſertionem religioſè celebratur, illuſtraſſe per exempla adducta.

Concluditur honeſtas, & congruentia, talis operæ in bello per Religioſos præſtitæ.

LIquet ex his omnibus, perſonas quibus vetitum eſſet pugnare, potuiſſe adeſſe plus ad ſacra & pia miniſteria. Et quanquam D. Thomas 2. 2. quæſt. 40. artic. ſecund. videatur ad hoc exigere licentiam ſummi Pontificis, tamen nihil eſt quod euincat eius licentiæ neceſſitatem quoad prælatos & Clericos de quibus agit S. Doctor : Ac proinde, non eſt quod in controuerſiam vocetur, an Religioſi, ad eadem pietatis officia, poſſint abſque labe adire bella. Et fauet vetus nomenclatura. Nam olim Sacerdos huiuſmodi muneribus addictus in prælio, ſaltem ſi curam talium munerum per quoſcunque Sacerdotes obeundorum haberet demandatam, dicebatur fungi officio *Abbatis*. Vt habent Acta S. Sulpitij cognomento *Pij*, quem Rex Clotarius petiit ab Epiſcopo ; vt pro ſua & exercitus ſui ſalute, in caſtris, Abbatis fungeretur officio. Nimirum quod prisci moris eſſet, vt Abbas cum aliquot Monachis, ad officia pietatis, & ſacra quæcunque miniſteria nauaret militibus operam, manaſſe poſtea videtur, vt nomen *Abbatis caſtrorum*, ad quoſcunque ſacris illis miniſteriis præfectos extenderetur. Aderant ergo iam olim bellis, Religioſi ad pia, &

ſacra munia præſtanda; Nec dubium eſt, quin nunc quoque ad eumdem finem adeſſe poſſint. Eſtque id Religioſorum charitate dignum, quos par eſt, proximis in ſummo illo periculo non deeſſe, æmulantes fortitudinem priſcorum illorum Monachorum, quos Sanctus Chryſoſtomus homilia 17. ad populum, celebrat ob occurſum in Vrbem Antiochenam, vt ciuibus ſolatio, & ſpirituali ſubſidio eſſent, in ſummo ciuitatis diſcrimine.

Congruentiſſimum id quoque, neceſſitati militum; Quo enim grauius, & proximius eſt mortis periculum in bellantibus, eo magis egent ſacrorum hominum opera, ne vel inexpiati, vel ſacro cibo impaſti excedant, & æterni exitij diſpendium ſubeant; quod accidere pleriſque militibus qui ſe Chriſtianos dicunt, nec niſi nomine tenus ſunt Chriſtiani, ad certam verò mortem nulla animæ cura progrediuntur; non ſine ſtupore refert Sanctus Bernardus in exhortat. ad milites templi cap. ſecund. [Ordo militum nunc eſt, (ait de ſuo tempore Petrus Bleſenſis Epiſtol. 94.) ordinem non tenere; Nam cuius os maiore verborum ſpurcitia polluitur, qui deteſtabilius iurat, qui minùs Deum timet, qui miniſtros Dei vilificat, qui Eccleſiam non veretur, iſte hodie in cœtu militum fortior, & nominatior reputatur.] Nec diſſimiliter Vrbanus 2. ea allocutione ad milites quam refert Tyrius, libro prim. de bello ſacro capit. 15. ex concione eiuſdem Pontificis in Concilio Claromontano. [Quid dicimus (inquit,) fratres? Audite, & intelligite. Vos accincti cingulo Militiæ, magno ſupercilio fratres veſtros dilaniatis, atque inter vos diſſecamini. Non eſt hæc militia Chriſti, quæ deglubit ouile Redemptoris. Non tenetis verè viam per quam eatis ad ſalutem & vitam, vos pupillorum oppreſſores, vos viduarum prædatores, vos homicidæ, vos ſacrilegi, vos alieni Iuris direptores, vos pro effundendo ſanguine Chriſtiano expectatis Latrocinantium diſpendia, & ſicut Vultures odorantur cadauera, ſic longinquarum partium auſpicamini, & ſectamini bella. Certè via iſta peſſima eſt, quoniam à Deo omnino remota eſt.] Homines ſic affecta conſcientia, accedentes ad bellum cum certo vitæ amittendæ periculo, quis non videat eſſe ſpiritualis opis per bonos ac Nauos Religioſos conferendæ egentiſſimos? Suntque ad ſpiritualia ſubſidia adhibenda periclitantibus militibus accommodatiſſimi præ cæteris Religioſi, tanquam minùs terræ affixi, nec de ſuis commodis ſolliciti: Imbonitatibus verò, & aſperitatibus quæ graues, & multæ ſubeundæ ſunt, in his miniſteriis magis aſſueti: Pro vita denique retinenda minùs anxij, cum eius perdendæ aleam non rarò ſubire neceſſe ſit, ſtrenuos curatores ſalutis militum; qui ſæpè in vallo, ex aduerſo hoſtium miſſilium grandinem in aduentantes eiaculantium agunt animam, ibique animandi ad ſanctè moriendum, vel Chriſtianis Sacramentis muniendi ſunt, vt ſecurè excedant. Quæ auulſio à ſuis commodis; & à cura carnis, ipſiúſque etiam vitæ, longè faciliùs eſt vt in Religioſo probato locum habeat, quàm in alio ſacro miniſtro.

***

Etiam ad bella iniuſta, præſtari poteſt.

PRÆS. III. *Varietas præſtanda in bellis à Religioſis.*

EX tanta verò militum in bello periclitantium neceſſitate, quantam obiter attigimus, liquido infertur, longè potiorem eſſe ſortem Religioſi, militibus in bello operam nauantis ad munia prædicta, quàm ſit ipſorum militum ad bellum nomina dantium, & militari Sacramento ſe adſtringentium. Nam apud omnes DD. in confeſſo eſt, milites qui ita animo ſunt comparati, vt non refugiant nomina dare ad quodcunque bellum, modò ſtipendium accipiant, eſſe in malo ſtatu, & niſi animum mutent, eſſe Sacramentalis abſolutionis incapaces. Quid ſi enim bellum cui tot, & tam grauia damna comitantur, iniuſtum ſit, & ex iniqua voluntate ſuſcipiatur ab eo qui bellum indicit, neque id militem lateat? Diſtinctio itaque adhiberi ſolet de militibus ſubditis, vel ab antiquo etiam in tempus pacis conductis, & inter ſubditos enumeratis, quos proprius Princeps propoſito edicto ad bellum vocat; déque extraneis aut voluntariis: Nam priores in dubio de iuſtitia belli, poſſunt (imo debent,) ſibi formare iudicium in fauorem præcepti à Principe lati, quia tenentur ei obedire, cum non conſtat de præcepti iniquitate, vt diſertè agnoſcit Sanctus Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 75. ſubſcribúntque Caietanus V. *bellum*, victoria releſt. de iure belli numer. 31. Maior. in 4. diſt. 15. quæſt. 20. & ibidem Gabriel quæſt. 4. artic. ſecund. Nauarr. in Rubr. de Iudic. numer. 106. Molina tract. ſecund. d. 113. paſſimque cæteri. Et habetur apertè ex generali doctrina de honeſtate, & neceſſitate obedientiæ legitimo ſuperiori præſtitæ in dubio: de quo principio Sanches l. 6. in decalo. c. 3. numer. 3. & ſeqq. ac Suarez tract. 10. de Relig. l. 4. cap. 15. à numer. 17. At milites extranei, id eſt non deuincti Principi bellum indicenti, vel voluntarii, qui præcepto ſuperioris non adiguntur ad bellandum, ſi planè dubii ſint de belli iuſtitia, nec ſaltem poſſit probabile iudicium practicum de eius honeſtate concipere, tenentur ad huiuſmodi bellum non accedere, ex communiſſima Theologorum doctr. de qua propter proximè adductos Val. 2. 2. d. 3. q. 16. p. 2. Mol. tract. 2. de iuſtitia d. 114. Layman l. 2. tract. 3. cap. 12. Religioſi autem, & quiuis alii animarum curatores, è contrario, etiam ſi explorata ſit belli iniuſtitia, nec vllius præcepto vrgeantur ad opitulandum militibus per Sacramentorum adminiſtrationem, aliáque Chriſtiana, ad iuſtificationem peccatoris, & Sanctam mortem ſubſidia; poſſunt tamen ad bellum accedere abſque iniuſtitiæ periculo, & alia quauis labe per huiuſmodi miniſterium contrahenda. Nam præter quàm quod plerique militum ignorantia inculpabili laborant, nec peccant bellando, illi ipſi qui ſoluto errore verſantur in malo ſtatu, maximè indigent iuuari ad concipiendum ſanctum dolorem de bello malè adito, déque aliis peccatis; quibus non deterſis, ſi è vita excederent, æternùm perirent. Itaque Religioſi poſſunt ſecurè ad bellum, etiam ſi apertè iniuſtum accurrere, non quidem ad omnes pias functiones præſtandas quarum eſſe poſſet vſus in aliis bellis, v. g. ad præferendam Crucem, vt in bellis ſacris aſſolet; vel ad animandos milites ac fortiter irruendum in hoſtes, & ſtrenuè incumbendum in victoriæ adeptionem; Quis agere huiuſmodi incentorem velit, iuſtus & pius, in bello apertè iniuſto? Sed

PRON. I. *De bello defenſiuo.*

Sed tamen ad Sacramentorum adminiſtrationem, & accommodata ad piè moriendum ſubſidia, excedentibus in prælio, nauiter impendenda.

De pugna per Religioſos obita, deinceps agendum.

EO igitur rem deduximus, vt ſtatus quæſtionis eſſe tantum poſſit, ſanè ſit Religioſis Ordinum non militarium, aut Religioſis Ordinum militarium non addictis pugnæ, ſed ſacris functionibus, bello dare operam pugnando, aliterve ad illud cooperando, quàm per ſacra miniſteria, & functiones pietatis. Quanquam autem de Religioſis duntaxat mota eſt dubitatio, nec nobis propoſitum eſt niſi quoad Religioſos diſcutere hoc negotium, cogemur tamen interdum argumenta corrogare ex iis quæ ad ſeculares Clericos pertinent, eoſque aduocare in hanc cauſam, quia omnia iura quæ Clericos arcent à bellis, æquè aut etiam multo fortiùs militant pro Religioſis ab ea occupatiône auocandis, quorum eſt cum odio nexus intimior, & quibus maior animi collectio, & à multis ſeceſſio eſt neceſſaria, vt ex fide obeant functiones ſacrorum inſtitutorum pro quibus apud Deum defixerunt manus. Et verò *Religioſos*, in iure & decretis vniuerſalibus, comprehendi nomine *Clericorum*, demptis odioſis euentibus, recte notauit Panormitanus ad cap. prim. de Iuram. calum. notab. vltimo: Et Albertus Trotius l. 1. de perfecto Clerico cap. 9. num. 1. Habemus exemplum Sancti Thomæ in cauſa non diſſimili hoc eſt in negotiatione, & tractatione rerum ſecularium, quæ propriæ ſint laicorum. Quia enim omnia illa æquè abhorrent ab inſtituto clericorum ac Religioſorum, propterea S. Thomas, 2. 2. q. 187. artic. ſecund. *in corpore* Ius ad coërcendos Clericos ea in parte latum cap. *decreuit.* d. 88. allegat ad frænandos in eadem parte Religioſos. [Eſt enim (inquit) eadem ratio de Religioſis, & Clericis, quia vtriſque ſimiliter negotia ſecularia interdicuntur.] Idem ergo dictum eſto in re præſenti. Imò in hac materia, argumentum proportionale à Clericis ad Monachos, & Religioſos quoſcunque, eo vrgentius videri debet, quod multo remotior, & alienior à ſtatu Religioſorum cenſenda eſt res bellica, quam à ſtatu Clericorum: Et vtriſque, ſed religioſis maximè, longè ſeueriùs interdictum videatur functionibus militaribus, quàm negotiatione. Cogemur ergo interdum, Iura, vel exempla, & cuiuſcunque generis argumenta ad ſeculares Clericos ſpectantia, huc aduocare; ſed quàm fas erit parcè ac ſobriè, vt Spartam traditam colamus, nec ad aliena ab ſcopo propoſito, volentes excurriſſe videamur.

Diſcuſſio cauſæ Religioſorum bella gerentium.

PRoluſimus hactenus. Nunc ad iuſtum certamen veniendum eſt, ſi tamen veniendum, quaſi needum ſit initum, & quæ præmiſimus ad ſolam velitationem, & præludia pertineant, cum tamen ſi penitiùs perſpiciantur, non vacent reuera certamine. Quod enim à Clemente Alexandrino ſcriptum eſt lib. prim. Strom. [Certamen eſt etiam præludium certaminis, & myſteria ſunt, ea quæ præcedunt myſteria;] habet in hac re maximè locum, quoad exhibitionem ſtatus hominum Dominicorum, quam continent præſuppoſitiones hactenus adhibitæ, ad ſingulas reliquæ diſcuſſionis partes habituræ ingens momentum, vt in progreſſu manifeſtum erit. Nunc de tota controuerſia propoſita, variis pronunciatis, diſtinctè & ſigillatim ſtatuendum eſt, cum quoad bellum defenſiuum, tum quoad offenſiuum, & tam quoad aſſiſtentiam ſiue præſentiam, aliter quam ad pugnam, vel ad miniſteria pietatis, quam quoad pugnam, etiam immediatè, & propria Religioſi manu obitam.

PRONVNCIATVM I.

De bello defenſiuo.

REligioſus in ſumma neceſſitate gerens vel ducens iuſtum bellum defenſiuum, immunis eſt & à noxa, & à quacunque Canonica inhabilitate, vel irregularitate, etiam ſi per ſe, aut per alios ſanguinem aduerſariorum effundat, eóſque truncet, aut letho dedat.

§. I.

De honeſtate iuſti belli defenſiui, à religioſo obiti ex neceſſitate.

VT pronunciatum propoſitum exactè perſpiciatur, dearticulandum eſt, & per partes explicandum. Et in primis ſtabilienda eſt iuſti belli defenſiui per Religioſos obiti, honeſtas ſeu nitor à culpa.

Iuſtitia & neceſſitas belli defenſiui, ſupponitur.

IN hac diſputatione; Ago duntaxat de bello defenſiuo alias iuſto, quia clarum eſt, nec Religioſorum, nec aliorum quorumcumque eſſe iniuſtè bellare defendendo, v. g. contra legitimum Principem, de quo iure dici poteſt illud Apoſtoli Rom. 12. *Non vos metipſos defendentes δικαιοῦντες, ſed date locum iræ.* Neceſſe ergo eſt bellum defenſiuum, in quo Religioſus bellat, iuſtum eſſe, ſaltémque belli iuſtitiam cenſeri ſufficientem vt laici ad illud dent nomen, & in eo nauent operam; ad quod longè minùs exigitur, quàm vt bellum aggreſſiuum cenſeatur iuſtum. Nimirum ad gerendum per laicos bellum aggreſſiuum iuſtum, exigitur certa, & euidens belli cauſa; nec ſufficit probabile eſſe quod ius ſit penes eum, qui bello alium impetere decernit, vt rectè ſtatuunt Suares diſp. 13. de char t. ſect. 6. num. 2. & Lorca 2. 2. ſect. 5. diſput. 53. numero 4. Imo ne probabiliorem quidem opinionem ad id ſuffecturam, contendit Vaſques 1. 2. d. 64. cap. 3. quem de more exſcribit Torres. 2. 2. t. 1. diſp. 90. dub. 2. Quam ſententiam fulcit immanitas malorum bello adiunctorum, in quæ proinde non niſi ex cauſa Iuſtitiæ explorata, & liquida, non eſt vltrò irruendum, quod facit is qui aggreditur. At vt laici cenſeantur gerere bellum defenſiuum iuſtum, non exigitur tanta certitudo cauſæ bellandi, ſed ſufficit probabilitas cauſæ bellandi. Et ratio diſcriminis eſt, quia qui ſe tuetur poſſedit, poſſidentis autem melior debet eſſe conditio. Cum ergo contingit bellum defenſiuum

ſiuum eſſe iuſtum, quoad laicos ob euidentem, vel altem probabiliorem, aut etiam probabilem belli defenſiui cauſam, tunc non ſtabit per iuſtitiam belli, quominùs Religioſi poſſint ad illud conferre operam, & abſque peccato militare in eo bello.

Addebant verò vltra ſufficientem belli defenſiui iuſtitiam, vt Religioſus in eo bellet, vel ducem agat, debere interuenire neceſſitatem, nec qualemcunque, ſed ſummam, quia ne in defenſiuo quidem bello, probandus eſſet vltroneus, & lubens Religioſorum ad bellandum accurſus, quippè abhorrens ab eorum ſtatu, & grauiter malus, niſi neceſſitate ineuitabili excuſetur: Erit autem ineuitabilis neceſſitas, ſi non ſuppetant alij qui poſſint aut velint exercitum vigere, aut militaria munia obire, ita vt certò vel admodùm probabiliter defutura ſit iuſta defenſio, niſi Religioſus ad bellum defenſiuum regendum aut gerendum accingatur. Extra huiuſmodi neceſſitatem, peccant grauiter Religioſi, ſi vel ſua voluntate, vel alieno imperio eluctabili, bellicis negotiis implicentur; quia Canones qui Religioſos arcent à bello, proferendi cum de bello aggreſſiuo, non minùs hic vigent quam circa bellum offenſiuum. Et ratio ducta ex natura ſtatus eorum, abhorrentis ab effuſione humani ſanguinis, idem euincit.

Religioſi opera in bello defenſiuo iuſto, & neceſſario, mitens ac licita.

SVppoſita autem belli defenſiui iuſtitia, & neceſſitate ſumma, vt Religioſus ad illud conferat operam, liberum à peccato futurum Religioſum, qui eam conferet, ex eo perſpicuum eſt, quod iure naturæ liceat vim vi repellere. Bellum autem defenſiuum ſupponit inferri vim, eámque depelli ſub moderamine inculpatæ tutelæ. Quod præſtare, atque adeò hoſtes occidere, ſi ad repulſam eorum neceſſe ſit, non modò licitum eſt publicæ poteſtati, per repulſam publicam, ſiue per bellum, ſed etiam licitè præſtatur à quocunque priuato per priuatam defenſionem contra iniuſtum inuaſorem vitæ, vel externorum bonorum, aut honoris, vel pudicitiæ, etiam directè intendendo inuaſoris occiſionem. Refragatur quidem quoad eam directam intentionem occiſionis Caietanus 2. 2. quæſt. 64. art. 7. fauente ibi in ſpeciem D. Thoma, & annuente Carbone l. de pacific. inimic. c. 21. concluſ. 3. ſed contrarium rectò ſtatuunt Soto l. 5. de iuſtitia quæſt. 1. artic. 7. Couarr. ad Clement. *ſi furioſus* p. 3. §. vnic. Mol tract. 3. de Iuſtitia d. 11. num. 4. Valentia 2. 2. d. 5. q. 8. p. 4. Leſſius cap. 9. de iuſtitia num. 53. Comitolus 4. reſp. quæſt. 15. paſſimque alij. Et ratio eſt, quia cum defenſio ab inuaſoris violentia, per eius obtruncationem, honeſta & iuſta ſit, vt Caietanus quoque & Carbo ſupponunt, quidni abſque culpa intendi poſſit? Igitur ſicut priuatus ſine authoritate publica vim priuatam iniuſtam iuſtè ac licitè repellit, inferendo mortem ſi opus ſit, iniuſto inuaſori, eiúſque cædem directè intendendo: ita Religioſus publicæ authoritatis adminiſter, ſiue bellator; poteſt adhibita ſua bellica opera repellere vim publicè illatam, ad quam depellendam, eius opera ſit planè neceſſaria; Eoque ſuppoſito, ſi bellum abſque hoſtium cæde confici nequeat, poteſt eam cædem directè intendere; niſi quod illibens & inuitus nec niſi neceſſitate preſſus, debet eò venire, & hoſtis mortem intendere: quod voluit D. Thomas, cum vniuersè dixit, non debere intendi occiſionem aduerſarij, ab eo qui illum iuſte cædit. Senſus enim eſt, voluntatem eius qui cædit, non debere vltrò & ex ſua propenſione ferri in cædem, quod eſt directè eam intendere: ſed tantum debere in cædem ferri, ſuppoſita adactione ob neceſſitatem iuſtæ defenſionis. Quæcunque ergo talis publica defenſio per bellum iuſtum defenſiuum adhibita, vacat labe morali ſeu culpa, à quocunque tandem adhibeatur, hoc eſt non modò ſi à laico ſeculari, ſed etiam ſi à Clerico, aut Religioſo. Male enim Panormit. cap. *ſuſcepimus* de homicid. iuſtam defenſionem bonorum externorum per cædem inuaſoris, reſtringit ad laicos ſeculares. Male inquam; Nam cuiuis, etiam Clerico ac Religioſo, fas eſt res ſuas externas magni momenti, multóque magis pretioſiora bona, tutari cum diſpendio vitæ inuaſoris priuati. Atque adeò cum diſpendio vitæ inuaſorum publicorum ſiue hoſtium; ſi tutela ſit adhibenda per publicam violentiæ, & iniuriæ repulſionem, ſiue per bellum, quod per Religioſos aut Clericos geri vel regi neceſſe ſit. Adhibuit hanc ratiocinationem in rem præſentem Lupus tract. de bello §. *habeas de Papa* num. 3. & Robertus Arboreṅſis Tomo 2. de vtroque gladio Theorem. *9. pag. mihi* 278. Ex eo enim quod fas ſit publicè reſiſtere volenti iniuriam publicè inferre, colligit, fas eſſe hominibus Dominicis arma in bello tractare, quoties eorum opera ad auertendam iniuſtam oppreſſionem innocentium, & iniuriam ab hoſtibus imminentem propulſandam, neceſſaria videbitur. Quod verò addit, negligendam tunc eſſe irregularitatem abſque culpa incurrendam per mutilationem aut cædem hoſtium, diſcutietur inferiùs. PRON

Varia eiuſdem aſſertionis roborationes.

SIc ratione communitam honeſtatem bellicæ operæ à Religioſis impenſæ in bello iuſto defenſiuo, poſſumus aliter præterea firmare. Caietanus Ientaculo 1. quæſt. 2. ſuppeditat in hanc rem verba illa Chriſti ad Apoſtolos, *qui habet ſacculum, tollat ſimiliter, & peram: Et qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Ex quibus verbis eruit, omnibus omnino, atque adeò etiam hominibus Dominicis, fas eſſe gladium adhibere ad iuſtam defenſionem, ſed quod is locus, non niſi admotis tormentis huc flecti poſſit conſultò abſtineo eius adductione in hanc cauſam. Epiſtola Schiſmaticorum Leodienſ. contra Paſchalem 2. conſcripta ſub annum Chriſti 1107. ſuffragium Canonum profert; Ait enim, [contra Barbarorum & inimicorum Dei aſſultus, concedunt Canones etiam Clericis, arma ad defenſionem vrbis, & Eccleſiæ.] Nomine *Barbarorum*, quoſuis hoſtes vrbem euerſuros aut vaſtaturos intelligit, & nomine *Clericorum*, quoſuis homines Dominicos, etiam Religioſos, quia militat quoad omnes par ratio. Nullum quidem definitè canonem profert, ſed poterat adducere cap. 2. de Immunit. Eccleſ. quod eſt deſumptum è S. Gregorio lib. 7. Epiſt. 20. vbi præcipit Agnello Epiſcopo Terracinenſi, vt nemo, ſiue Romanæ, ſiue Terracinenſis Eccleſiæ obtentu, excuſaretur ab excubiis & murorum defenſione, imminentibus Longobardis. Adduci inſuper in hanc rem poteſt, non inutilis confirmatio, ex eo ducta quod iuxta Canones, Eccleſia non poteſt incaſtellari, id eſt conuerti propugnaculum vel arcem aduersùs hoſtes, vt colligitur paſſim ad DD. ex c. *Cum Eccleſia* de Immunit. Eccleſ.

vbi

PRON I. *De bello defenſiuo.*

vbi Abba num. 3. & habetur diuerſè cap. *Sanctorum* 10. quæſt. 2. videndus Angelus V. *Immunitas* num. 4. & Sylueſter eodem 1. q. 1. num. 4. ſi enim cauſæ ſanguinis non ſunt tractandæ in templo, quanto minùs par eſt templum conuerti in locum è quo trucidentur mortales, & effundatur ſanguis hoſtium? Et tamen ſuppoſita iuſta neceſſitate, fas eſſe in bello defenſiuo, Eccleſia vti pro arce, colligunt DD ex cap. *Relinqui* d. cuſtod. Euchar. eſſeque manifeſtum ait Suarez tract. 2. de Religione l. 3. cap. 4. num. 17. Et Layman l. 4. tract. 10. c. 7. num 8. quia quamvis in contrarium ſit textus liquidus & expreſſus, quo vniuerſe id vetitum eſt à Calixto Papa cuius decretum à Gratiano adducitur d. c. *Sanctorum*, tamen ob ſummam neceſſitatem eneruatur ea obligatio, quæ tantum præſtat ob alios euentus. Ægyptios ſanè in extrema neceſſitate, Scythas qui in templa muniti confugerant, cum Sacerdotibus incendiſſe, prodit Synesius l. de prouidentia *pagina mihi* 121. Sicut ergo templum, in neceſſitate iuſti belli defenſiui poteſt adhiberi ad vſum bellicum defenſioni conuenientem, à quo alioqui abhorreret; ita & homines templi, ſiue Religioſi, ſiue alij, cum ita fert neceſſaria defenſio, poſſunt conſentaneè ad Canones, in bellum ea ex cauſa gerendum conferre operam. Agnoſcunt hanc Canonum conſenſionem cum huiuſmodi bellica opera hominum Dominicorum, ſuti petri apud Sylueſtrum V. *Bellum* 3. num. 3. vt Innocentius in cap. *olim causam* numer 7. de reſtitut. ſpoliat. Andreas Gaill. l. 1. de pace publica c. 8. num. 23. Subſcribit Graffis 2. p decil. l. 2 cap. 20. num. 70. (parum conſentaneè ad ea quæ habet l. 3. cap. 6. num. 2.) nec non Reginaldus lib. 21. num. 107. Et Azor. t. 3. l. 2. cap 16. q. 8. ac Viguer. in Inſtit. cap. 12. §. 3. v. g. Ioannes Lenſæus orat. de ſui ac Reipublicæ Chriſtianæ contra impium inuaſorem defenſione. Molanus l. de Iuramento Tyranni cap. 9. Celſus Mancinus l. 6. de iuribus Principatuum cap. 1.

Exempla ad idem inſtitutum.

Accedunt exempla probata; De Eunomio viro Sanctiſſimo Vrbis Theodoſiæ Antiſtite, ſic ſcribit Theodoretus 5. hiſtor. cap. 36. [Cum Gororanes, amplius 30. dies cum omnibus copiis vrbem hanc circumſediſſet, & multa inſtrumenta bellica ad vrbes capiendas accommodata admurum applicuiſſet, & infinitas tentaſſet machinas, & altas turres extra mænia extruxiſſet, ſolus Diuinus Eunomius illius Vrbis Epiſcopus, & reſtitit, & machinationem adiectarum impetum penitus repreſſit. Ac cum duces noſtri contra hoſtes præliari renuerant, & ob eſſis opem ferre non auderent, iſte Epiſcopus, hoſtibus ſe opponendo, Vrbem ſeruauit incolumem. Nam cum vnus ex Regulis barbaris conſuetam blaſphemiam in Deum iaceret, & in morem Rhabſacis. & Sennacherib, verba execrabilia funderet, furoréque incitatus minaretur ſe ſacro ſanctum Dei templum incendio vaſtaturum, Sanctus iſte vir rabiem eius non ferens, baliſtam Thomæ Apoſtoli nomine inſcriptam ad pinnas muri ſtatui, & ingentem lapidem in ea imponi, nominéque illius, in quem barbari blaſphemias coniecerant, eum emitti iubet: qui directò in illum Regulum delatus, & in nefarium eius os impactus; vultum deformauit, caput comminuit, & cerebro reſperſit humum. Quod cum vidiſſet dux Gororanes, qui ipſe vrbis capiendæ exercitum collegerat, inde diceſſit, ipſoque rerum euentu, ſe victum planè declarauit.]

Synesius Epiſtol. 121. Egregiè aſtipulatur, ſcribens ad fratrem in hæc verba. [Illi ſumma Auxidiarum Sacerdotibus, bona eueniant, qui cum milites in montium latebras abdidiſſent, ſuúmque ipſi ſanguinem cuſtodire vellent, ruſticam plebem conuocantes, ſtatim à ſacris ipſis rectâ ad hoſtes duxerunt, fuſiſque ad Deum precibus, trophæum erexerunt in Myrſinitide. Vallis hæc in longum directa, & profunda, ac ſyluis condenſa. Barbari autem quod nulla ſibi hoſtilia arma occurrerent, etiam aſpera ac confragoſa audacter erant ingreſſi. Sed offenſuri vtique erant animoſum, & ſtrenuum Fauſtum, qui in Sacris Diaconi munere fungitur. Hic ille eſt qui Princeps armatum militem inermis ſuſtinuit, quem cominus lapide tempori illiſo percuſſit, non iaciens, ſed pugnis infeſtis inſiliens. Quo cum cecidiſſet armis ſpoliato, plurimos ſuper illum proſtrauit. Ac ſi quis alius id temporis, vir ſtrenuus eſſe viſus eſt, vni Fauſto rei totius gloria tribuenda eſt, cum ob ea quæ geſſit, tum ob ea quæ per illud tempus egit. Ego verò omnes illos qui rei interfuerunt, libentiſſime coronarem ac præconis voce prædicarem. Primi enim egregiorum facinorum authores ſe præbuerunt, vt hoc attonitis, & Lymphatis iſtis oſtenderent, non eos eſſe Corybantas, neque ex Rheæ matris affeclis dæmonibus, ſed homines æque ac nos, vulneribus ac morti obnoxios. Quod ſi etiam nos viri eſſemus, eiuſmodi in rebus, ne ſecundæ quidem partes honore carerent.] Non diffitetur abs ſe quoque nauatam aliquando hanc operam. Ita enim habet in Cataſtaſi. [Cupio ſummum oculis meis, nullo tubarum ſtrepitu interruptum concedere. Quo tandem vſque ad murorum propugnaculum ſtabo? quouſque turrium interualla cuſtodiam? defeſſus ſum nocturnas excubias diſponens, ac viciſſim, & cuſtodiens ipſe alios, & ab aliis cuſtoditus. Et qui ſæpenumero in contemplando ſyderum exortu peruigilem noctem duxi, eundem me modo tædet obſeruandis hoſtium concurſionibus inuigilare. Ad aquam demenſam dormimus, atque ea ſomni pars quæ mihi forte contigit, excubitorio tintinnabulo ſæpiùs eripitur.] Et fuiſſe tunc temporis Synesium Sacerdotio initiatum, liquet ex fine Cataſtaſeos.

Factum Sanctiſſimorum Præſulum Germani ac Lupi, (& vterque Monachus erat,) eſt in hanc rem luculentum. Præfuerunt enim bello defenſiuo, ad quod eos neceſſitas Britonum Neophytorum ab hoſtibus inuaſorum adegit. Operæ pretium eſt, Bedam audire lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſt. Anglo. cap. 20. [Interea (inquit) Saxones Pictique, bellum aduersùs Britones iunctis viribus ſuſceperunt, quos eadem neceſſitas in caſtra contraxerat. Et cum trepidi partes penè impares iudicarent, Sanctorum Antiſtitum auxilium petierunt, qui promiſſum maturantes aduentum, tantum pauentibus fiduciæ contulerunt, vt acceſſiſſe maximus crederetur exercitus. Itaque Apoſtolicis Ducibus Chriſtus militabat in caſtris. Aderant etiam quadrageſimæ venerabiles dies, quos religioſiores reddebat præſentia Sacerdotum: in tantum vt quotidianis prædicationibus inſtituti, certatim populi ad gratiam baptiſmatis conuolarent. Nam maxima exercitus multitudo, vndam lauacri expetiit, & Eccleſia ad diem reſurrectionis Domini-

Dominicæ frondibus contexta componitur, atque in expeditione campeſtri, inſtar ciuitatis aptatur. Madidus baptiſmate procedit exercitus, fides feruet in populo, & conterrito armatorum præſidio, diuinitatis expectatur auxilium. Inſtitutio, & forma Quadrageſimalis hoſtibus nunciatur, qui victoriam quaſi de inermi exercitu præſumentes, aſſumpta alacritate feſtinant: quorum tamen aduentus, exploratione cognoſcitur, cumque emenſa ſolemnitate Paſchali, recens de lauacro pars maior exercitus arma capere ac bellum parare tentaret, Germanus ſe Ducem prælij profitetur, eligit expeditos, circumiecta percurrit è regione hoſticum qua ſperabatur aduentus, vallem circumdatam mediis montibus intuetur, quo in loco nouum componit exercitum. Ipſe dux agminis. Et iam aderat ferox hoſtium multitudo, quam appropinquare intuebantur in inſidiis conſtituti. Tunc ſubitò Germanus ſignifer, vniuerſos admonet, & prædicat, vt voci ſuæ vno clamore reſpondeant, ſecuriſque hoſtibus qui ſe inſperatos adeſſe confiderent, *alleluia* tertiò repetent, Sacerdos exclamat, ſequitur vna vox omnium, & elatum clamorem repercuſſo aëre, montium concluſa multiplicant, hoſtile agmen terrore proſternitur, vt ſuper ſe non ſolum rupes circumdatas, ſed etiam cœli machinam contremiſcunt; trepidationique iniectæ vix ſufficere pedum pernicitas credebatur, paſſim fugiunt, arma proiiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini: plures etiam timore præcipites, flumen quod tranſierant deuorauit. Vltionem ſuam innocens exercitus intuetur, & victoriæ conceſſæ otioſus ſpectator efficitur.

Narrat Philippus Abbas Bonæ ſpei, quod in hanc rem optimè quadrat. Rex Peruda, Angliæ Tetrarcha, affectans, reliquarum Angliæ Prouinciarum tyrannidem, infeſto eas bello diuexabat. Ad bellum defenſiuum, quo vis eius incenſita repelleretur, Rex Sigibertus qui Monachum ſub Sancto Froillano profeſſus erat, vrgentibus populis reuocatus è clauſtro eſt vt prælio intereſſet; non vibraturus haſtam vel gladium, ſed animaturus, & conuenientibus allocutionibus firmaturus ac ſolaturus pugnantes. Quod ſtrenuè, & intrepidè ad mortem vſque, & ſanguinem in eo miniſterio fuſum præſtitit, magna omnium approbatione & laude.

Raymundus Fiterij, ad Piſoricum Abbas, ordinis Ciſtercienſis, vrgente Dieglo Velaſquio eiuſdem inſtituti Monacho cum quo Toletum profectus erat ſuſcepit defenſionem oppidi Calatrauæ, quod propugnaculi inſtar erat aduerſùs Mauricos incurſus, & imminentibus illi Mauris, magnóque numero obſeſſum venientibus, deſertum fuerat à Templariis, quorum fidei, & tutelæ commiſſum erat, quo tempore ereptum eſt Mauris. Refugientibus periculi pleniſſimam oppidi defenſionem planè omnibus, Abbas conſilio ſpecie temerario, ſed tamen ingentibus animis, & magna de diuino præſidio ſpe concepta, ad bellum illud defenſiuum accinctus eſt, nemine de belli illius honeſtate ambiguo; quin potiùs collaudantibus, & ſuſpicientibus omnibus, Regéque imprimis, qui Calatrauæ Principatum, eique ſubiectum agrum, Raymundo Abbati ac ſociis, iure perpetuo, præmium fortitudinis addixit ſub annum 1158. Quæ fuit ordinis militaris Calatrauæ, ſub ſignis Ciſtercienſium merentis origo, de qua videndus Roderius Toletanus lib. 7. de rebus hiſp. cap. 14. & Mariana lib. 11. cap. 6. hiſtor.

PROP. I. De bello defenſiuo.

Scribit iuuenalis Vrſinus. Abbatem Sandyoniſianum; & tres cum eo Monachos, anno 1420. impugnantibus oppidum Anglis, fortiſſimè obſtitiſſe, & aliquandiu hoſtium impetum fuiſſe remoratos. Tandem tamen occupato oppido, Abbas & Monachi in hoſtium venêre poteſtatem, & in diſcrimen capitis ab Epiſcopo Beluacenſi vocati ſunt, quod contra ſtatum ſuum arma tractaſſent. Addit tamen Iuuenalis, eos ne ab hoſtibus quidem ea ex cauſa culpæ inſimulatos, ſed ab omnibus labis expertes pronunciatos eſſe, quod iudicatum ſit, defenſionem iuris eſſe naturalis, nec cuiquam etiamſi Monacho denegandam; Eſto, bello in eam rem certandum ſit, & arma corripienda.

Non ita multo poſt, (hoc eſt, ſub annum 1450.) B. Ioannes de Capiſtrano in præliis quibus Hungariam aduersùs Turcarum inuaſionem defendendam ſuſcepit, agminibus Crucigerorum dux factus eſt, cum vniuerſi Chriſtiani orbis approbatione. Scribunt de eius in huiuſce præliis generoſitate quam plurimi, ſed nominatim Sedulius in hiſtoria Seraphica, qui eximii huius Religioſi res geſtas, ex variis deflorauit; notans capite 29. eum acies Crucigerorum præcedere ſolitum cum baculo in cuius ſummitate erat ſignum T, quo velut Crucis Symbolo vtebatur ad incendendos ſuorum bellatorum animos. Ruriſuſque capite 30. In pugna ſuper Danubium ad Albam initæ, hinc Ioannes Huniades, qui & Coruinus, in dextro cornu, inde Capiſtranus in læuo agmine duxiſſe referuntur. Et quanquam ibi mentio tantum eſt armorum ſpiritualium quibus adhibitis pugnauerit, ligno inquam Chriſti à cruce pendentis, quo prolato, fortiter ſuis in pugna animos faceret, tamen quæ recitantur capit. 33. Videntur ferre, eum quoque cum opus erat, aliter pugnaſſe Nam crucigeris propè actis in fraudem, & Mahumetis inſidias, aduolauit impiger Capiſtranus, cum Sacerdotum collegio, viam ſibi per medios enſes faciens, vt ſuos erueret, quod Dei benignitate eſt conſecutus. Abſque miraculo autem, & Capiſtranum, & Sacerdotum Collegium quod cum eo aduolauit ex arce, in ſumma illa neceſſitate abſque armis materialibus, peruadere non potuiſſe ad Crucigeros, videtur exploratum. Eſto, vt plurimum Beati huius viri opera in præliis eſſet incruenta, vt benè ſtatuit Ioannes Lenſæus orat. de ſui ac Reipublicæ Chriſtianæ contra impium inuaſorem defenſione c. 9.

In Concilio Lateranenſi ſeſſ. 1. Bernardus Zane Archiepiſcopus Spalatenſis, coram Iulio 2. & omnibus Concilij Patribus, Turcarum in ſuam Diœceſim eruptiones deſcribens, hæc habet præter cætera. [Sæpè Pater ſanctiſſime, & ſæpius; Ego, (ô me miſerum, & infœlicem!) diuinis officiis aſſiſtens, eo actus ſum, Cappam indumentaque Pontificia dimittere, arma ſumere, ad vrbis portas procurrere, afflictum populum Spalatenſem ſolari, animare, & aduersùs ſanguinem noſtrum ſitientes aſſurgere. Nec fuit in Concilio illo plenario, qui hunc Antiſtitem, præter honeſtatem, vel etiam præter decorum arma ſumpſiſſe, ad tuendum contra Turcas creditum ipſi populum, murmuraret. Factum omnino multorum Religioſorum, prædictis recentius; & in hoc genere ſingulare, alienis verbis refero. In ſupplicatione publica Lutetiæ facta anno 1590. [præibat Epiſcopus Syluaneſtenſis,

PRON. 1. *De bello defenſiuo.*

altera manu Crucem, altera haſtam geſtans, ſequebanturque ordine Capucini, Folliaceni, Minimi Franciſcani; Dominicani, Carmelitæ, ſuccincti omnes & galeati ac loricati; gladiiſque, haſtis & ſclopetis armati.] Verba ſunt Spondani ad annum 1590. num. 9. deſcribentis zelum timentium ſibi ab Hæreticis.

Factum Canonicorum Regularium Briuatenſium, quale.

HÆreo ſintne huc aduocanda quæ de bello defenſiuo à Canonicis Regularibus Briuatenſibus geſta ſcribit Philippus Abbas l. de con in clerico cap. 113. volo Canonicos Regulares, quamuis Philippus eos ſemper vocat Canonicos, tamen ex Petro Cluniacenſi l. 6. Epiſt. 28. liquet eos fuiſſe Religioſos, & ſub Abbate ac Præpoſito vitam vixiſſe inſtituto Regularem. Cur hæc etiam hoſce Religioſos, & geſtum ab eis bellum defenſiuum, huc aduocarem, intelligetur ex ipſius Philippi Abbatis oratione quam mutuatus adhibere. [Hic vſus gladij quem ſibi quaſi proprium obtinere debuit dignitas militaris, non ſolum iam conceditur his quos tenet paſſim conditio popularis, ſed nonnullos etiam Clericos audio ſimiliter vſurpare, & vſurpationis maculam, oppanſo neceſſitatis velamine palliare. In Prouincia Aluerniæ Briuato oppido, Beatus Martyr Iulianus Eccleſiam habet, in qua plures Canonicos genere nobiles, opibus & honore prædiuites, conſtat & Clericali officio deſeruire, & de ipſa Eccleſia ſumptus eis non modicos prouenire. Quia verò eadem Prouincia firmæ pacis legibus non tenetur, ſed infirmiori potentior vt iniurias inferre non veretur; plerumque finitimi Principes prædictæ bona Eccleſiæ præſumpſerunt impetu ſibi raptorio vendicare, & ablata nullo Dei reſpectu reſtaurare. A qua iam pridem violentia, cum nullus eos potentior curaret prohibere, nec cenſura Eccleſiaſtica poſſet eos intra pacis repagulum cohibere, Clerici non valentes diutiùs rerum ſuarum iacturam ſuſtinere, contra raptorum malitiam nouum conſilium inicre. Viſum eſt enim eis, vt quos à rapina, ſpiritali gladio non poterant abſterrere, materiali gladio tentarent efficaciùs prohibere; Et vt Eccleſiæ ſuæ bona militari vigilantia tuerentur, ne patientia Clericali tandem ad nihilum reducerentur. Aſſumunt igitur arma, & gladiis viriliter accinguntur, & conuocatis tam propinquis quàm cæteris familiaribus, in ipſius fronte negotij gradiuntur, & non ſolùm quæ ſua ſunt auferri ſibi nullatenùs patiuntur, ſed & quæ ablata ſunt violenter, repetere, immo & raptoribus dignam vicem manu propria reddere moliuntur; impugnantibus repugnare, reſiſtentes laborant expugnare; non iam proferentes gladium verbi Dei, quod tanquam inefficax hoſtes inſenſibiles contemnebant, ſed viſibili gladio ferientes quem ſibi grauiùs imminere carnales carnaliter ſentiebant. Sic alternis vicibus, hodiéque inueniuntur officium exercere: ſcilicet & cum neceſſitas exigit hoſtibus grauiter imminere, & armis apud ſe domi repoſitis, canticis ſpiritualibus inhærere, foris bona Eccleſiæ temporalia, manu, & gladio cuſtodire, intus pſalmos, hymnóſque regulariter decantantes eidem Eccleſiæ deſeruire. Quod quidem Eccleſiaſticos paſtores, Epiſcopos, & Apoſtolicos, certum eſt non latere, ſed quia id non tam voluntariè quàm neceſſariò vident agi, compelluntur vtcumque ſuſtinere, ne cogatur Eccleſia damnis irreparabilibus ſubiacere. Cum autem aliquando vt audiui, nonnulli Apoſtolici, huiuſmodi tentarent inconuenientiam prohibere, aſſerentes eam à propoſito Clericali plurimum abhorrere; adeò tamen vel vſus rei, vel ipſa potiùs neceſſitas inuenta eſt præualere, vt id ſine maiori ſcandalo non poſſent obtinere. Agunt igitur Clerici militare officium, ſiue vſurpatiuè, ſiue vt potius amant dici, permiſſiue, ſic profectò exercentes quod Clerici eſt in Eccleſia congruenter, vt cum poſcit neceſſitas, agant nihilominus quod eſt militis incidenter.]

Hæc Philippus, ſibi ab iis qui viderant, & probè nouerant renunciata teſtatur, in quibus eſt quod faueat honeſtati belli defenſiui per Religioſos geſti in neceſſitate. Nam & ipſe Philippus, non obſcurè ſuffragatur, cum nunquam improbet, quod ab his Religioſis geſtum refert: Et Romanorum Pontificum tacitum conſenſum adducit, quos ait, ob neceſſitatem permiſiſſe, vt Religioſi, medio hoc extraneo, prohiberent vaſtitatem à ſacrilegis inferendam rebus Eccleſiæ, ſiue cœnobij. Quæ rerum Deo addictarum dilapidatio, videtur eſſe illud maius ſcandalum, quod cauentes Pontifices, non ſunt obfirmati in prohibendis à tali bello Religioſis. Ex altera tamen parte, neque Philippus apertè vnquam approbat hoc bellum Briuatenſium, neque dicit Pontifices illud approbaſſe; ſed tantùm ait, Religioſos obtendiſſe permiſſionem ſummorum Pontificum. Permiſſio autem tametſi interdum ſonat facultatem à ſuperiore conceſſam vt aliquid cum eius approbatione fiat, tamen propriè eſt duntaxat non impeditio rei quæ poſſet impediri ſi liberet, vt rectè expendunt Scotus in 1. d. 47. q. 1. *litera B.* Et Durandus eadem diſt. q. 2 n. 8. vnde Deus dicitur permittere peccata, quia poſſet ea impedire ſi vellet, nec impedit, vt ſalua ſit libertas hominis. Et tamen non approbat peccata, ſed odio ſunt Deo impius & impietas eius. Itaque ſi Briuatenſes, ex huiuſmodi tantum permiſſione Pontificum bella geſſerunt non fuerunt immunes à culpa. Scandalum verò maius cui timentes ſupremi Eccleſiæ moderatores diſſimularunt in hoc negotio cum Briuatenſibus; non eſt quod cogat accipere de vaſtitate illius Eccleſiæ ſiue cœnobij, cum poſſit æquè ac commode accipi de rebellione, & contumacia aduerſùs interdicta prohibitoria Pontificum ſi interponerentur; fuiſſe enim Religioſos Briuatenſes, ad effundendam contemptionem ſuper Eccleſiæ Principes, ſi ab eis ad honeſtatem regularem vrgerentur, valde diſpoſitos, intelligitur ex Petro Cluniacenſi l. 6. Epiſt. 28. qua alias longè grauiſſimas eorum à recto execrationes adducit. Quid ſi verò inter eas numeranda etiam fuerit, hæc bellorum geſtio prætextu defenſionis, fortaſſe prætergredientis moderamen inculpatæ tutelæ? Videat lector quid ex toto Briuatenſium facto, ac Pontificum circa eos diſſimulatione, liceat colligere, ad confirmandam honeſtatem belli defenſiui per Religioſos in neceſſitate geſti. Nobis quidquid ſit de hoc exemplo, honeſtas prædicta ſatis, ſuperque confirmata manet ex antedictis.

Diuta

Diluta quæ aduerſus honeſtatem prædicti belli Religioſorum, opponuntur.

QVæ in contrarium alicubi leguntur, (nam improbari quandoque liquidò, & apertè in bellis defenſiuis, ab hominibus Dominicis nauatam operam, volens admitto,) accipienda ſunt de geſtione vel ductatione belli, vltronea, & citra neceſſitatem grauem, hæc enim opera attento ſtatu talium bellatorum, non eſt immunis à peccato. Alioqui ſanè Carthuſiani qui abſque ſuperiorum facultate, vltro ad bellum contra Turcas abierant decreto Capituli Generalis anno 1465. celebrati, fuere coërciti carceris pœna ei facto conſtituta; quia vltrò ſe in bella ingerere Religioſum, non poteſt labis purum videri, etiam ſi bellum ſit defenſiuum, quale illud erat quod contra communem Eccleſiæ hoſtem omnia tunc vaſtantem, ſuſcipiebant.

Interdum quoque aliqua circumſtantia admixta, dehoneſtat bellicam defenſionem ex ſe, & ſimpliciter licitam, vt contigit in exemplo quod his verbis recitat Curopalates. [Cum Ameras Tarſi Dux Sarracenorum contra Romanos cum exercitu profectus eſſet, atque in Herculis vicum milites prædatum miſiſſet, quidam Præsbyter Themel nomine, ſacrificium incruentum peragens, vt agnouit Sarracenorum irruptionem, manibus geſtans Eccleſiæ myſterium, ſic eos qui inuaſerant propulſauit, & multos vulnerauit haud paucos interfecit, reliquis in fugam verſis. Et ab Epiſcopo; interdicto ei ſacrificandi munere, poſtquàm non impetrauit veniam, ad Agarenos ſe contulit, & Chriſtianam fidem eiurauit, atque cum ipſis egreſſus, non ſolum Cappadociam, & finitima loca vexabat, ſed etiam vſque ad Aſiam quæ minor dicitur, peruenit, & quanta detrimenta intulerit, nec ſcribere quidem nobis fas eſt. Hoc exemplum renocat in memoriam quod agitatum eſt à Ioanne de Lignano tract. de bello, & ab Alberto Trotio l. 2. de perfecto cleri. cap. 25. numer. 9. an poſſit Sacerdos inuaſus miſſam abrumpere vt ſe defendat, & occiſo inuaſore reuenire ad altare, ac ſacrificium perficere. Annuit Ioannes, ſed trepidat Albertus. Verum trepidat timore vbi non erat timor. Nam præciſè ſpectando receſſum à ſemi-perfecta celebratione ſacri, ac occiſionem inuaſoris ſub moderamine inculpatæ tutelæ, & regreſſum ad altare poſt cædem; ſecluſis iis quæ per accidens poſſent interuenire, nullam continet culpam vel deformitatem Canonicam. Itaque in re propoſita, inſtè ſine dubio, ac licitè, ille Sacerdos obſiſtere Sarracenis potuit, ſed fœdauit honeſtam defenſionem adiunctum illud, pugnæ cum ſacris veſtibus obitæ, quod ſolum potuit reprehenſioni patere apud durum illum Epiſcopum. An enim tantum fuiſſet impendendum temporis in depoſitione ſacrorum indumentorum quibus amiciebatur cum ſacra geſtaret myſteria, vt non potuerit, debueritque ea dimittere priuſquàm in hoſtem pergeret? ob alia denique bellis defenſiuis ex ſe innocuis & honeſtis, vitio bellantium admiſta, contingit interdum in cœnobiis clades Religioſæ diſciplinæ, & euerſio Regularium inſtitutorum, quæ cum militari tumultu adeò ægrè cohærent. Quo pacto author vitæ S. Berthari, l. 2. cap. 2. *initio*, apud Surium 16. Octobr. deformationem Religionis, & diſſipationem Monaſtici ſpiritus in Monachis Der uenſibus, tribuit bellis quæ gerebant ad rerum ſuarum tuitionem. Exigendo tamen omnia ad libellam veritatis, hoc non eſt vitium belli, ſed eorum qui malè vtuntur bello, vel potiùs qui non obſtant iis quæ tam facilè adiunguntur bello, extrinſecùs ac præter eius veluti eſſentiam. Reciſis verò omnibus inhoneſtis adiunctis prementéque neceſſitate imminentium malorum, & grauis violentiæ, fas eſt Religioſis per omnes leges, nauando in bellis militarem operam, tutari ſe ac ſua; nec non innocentes quibuſcum degunt, quorum graues iniuriæ aliter auerti non poſſint: Nec eſt à contrahenda culpa eam ob cauſam, timendum. PRON. I. *In bello defenſiuo.*

Quod verò obfirmatè vrgent aliqui Religioſorum eſſe precibus & interpellato ſacrificiis numine iuuare ſuos, non autem armorum correptione, infringi in euentu de quo agimus, poteſt ac debet ea ratiocinatione qua Conradus Marchionis Montisferrati filius cum Iſaacio Angelo vſus eſt, inſtante graui bello, & hoſtibus vrbi regiæ imminentibus, vt ſcribit Nicetas Chroniates l. 1. de eius imperio n. 7. Imperator enim in ea neceſſitate neglectis bellicis præſidiis, totus erat in precibus & exoratione numinis. Ac primum imaginem virginis Odigetriæ in mœnia pro firmiſſimo propugnaculo tranſtulit. Deinde [Monachis iis (inquit Nicetas) qui nudis pedibus incedentes, & humi cubantes, veluti columnis vltra humum efferuntur, in palatium congregatis, Deo ſupplicabat, vt ciuile bellum propulſaret, nec alteri traderet imperium; rem verò bellicam penitus negligebat, omni ſpe ſua in armis ſpiritus collocata. Conradus hanc Iſaaici pietatem de humanis præſidiis nullatenus ſollicitam, interpretatus ſocordem improuidentiam, Iſaacum ſubinde vt cancer pinnam vellicabat, monens ne in mendicis illis omnem fiduciam collocaret; ſed rei militaris, etiam rationem haberet, & armantibus phalangibus ſeditioſo occurreret: Nec dextris duntaxat armis, hoc eſt ſanctorum virorum interceſſionibus, ſed ſiniſtris etiam, quæ enſe & thorace conſtarent, hoſtes vlciſceretur.] Hæc Conradi ad Iſaacum oratio, æquè iis reponi poteſt, qui Religioſos in euentu de quo agimus, armis carnalibus temperare, & quod in tali articulo cõmendare Chriſtianis omnibus videtur S. Paulinus, bona parte Natalis octaui S. Felicis, ſolis ſpiritualibus inſiſtere vellent, cum tamen Deus qui ſuos cœleſti fiducia armari admodùm probat, nolit tamen humana media abiici, & Religioſos defenſionem patriæ in extrema neceſſitate conſtitutæ hoc item modo curare, acceptum habeat.

Religioſus detrectans bellum prædictum, noxius.

TAntum vero abeſt, vt Religioſi ad eum modum bellantes, labe aliqua contaminentur, vt potiùs niſi in euentu in quo bonum commune abſque eorum opera periclitaretur ab hoſtibus, ad bellum ſe accingerent, graui peccato contaminarentur, quia lex naturalis quæ omnibus legibus humanis ſuperior eſt, obſtringit quoſcunque, (Religioſis non excluſis,) vt quoties neceſſitas defendendi communis boni ingruerit, non refugiant à bello defenſiuo. Et hanc eſſe communem DD. ſententiam, notat Caſtro Palau. diſp. 5. de charit. part. 6. numer. 7. Ita ſanè docent Angelus Verbo [illegible] § 2. [illegible] *Immunitas*

PRON 1. *De bello defenſiuo.*

Immunitas §. 34. Syluester eodem verbo 1. §. 18. Caietanus 2. 2. quæſt. 40. artic. 1. quem ſequitur Armilla V. *bellum* num. 33. Molina tract. 2. de iuſti ia diſp. 108. §. *ſecundus quando*, Suares diſput. 13. de charit. ſect. 3. num. 6. Ioannes Vvigers 2. 2. quæſt. 40. artic. 2. num. 78. Bannes ad eundem artic. 2. Couarr. ad Clement. *ſi furioſus* p. 2. §. 3. num. 2. Layman. l. 2. tract. 3. cap. 12. num. 19. Ægid. Coninck diſp. 31. de actibus ſupernat. numer. 91. Bonac. diſp. 2. de reſtit. q. vltima ſect. 1. p. 12. §. 4. Celſus Mancinus l. 6. de iuribus principatuum cap. 11. Valentia 2. 2. d. 3. q. 16. p. 4. certo 2. Qui addit, in tanta neceſſitate, prohibitionem Eccleſiaſticam, (ſi forte imponeretur, & à quocunque demum interponeretur) fore irritam, & ea non obſtante, Religioſos, licitè imo ex obligatione pugnaturos; quia ſicut gratia non deſtruit naturam, ita lex Eccleſiaſtica cum ſit aliquid ad ordinem gratiæ pertinens, non elidit aut euacuat obligationem legis naturalis, iuxta doctrinam Caietani 2. 2. q. 33. artic. 7. Addit inſuper Valentia ibidem, non eſſe cur in huiuſmodi neceſſitate; expectetur licentia ſummi Pontificis, tum quia ipſe Pontifex ſi adeſſet, annueret, tam quia actus ille defenſionis, cum ex neceſſitate legis naturalis ſuſcipiatur in tali euentu, nec poſſit lege poſitiua humana prohiberi, non eſt contra Canones interdicentes Religioſis nauare bellicam operam, ac proinde non eſt quod expectetur facultas, ſiue diſpenſatio ad actum pro quo non eſt neceſſaria diſpenſatio. Superiorum tamen immediatorum facultas, ſi poſſit haberi, non eſt negligenda, vt notat Ægidius ſupra numer 89. quia hæc facultas non ſpectat exolutionem ab obligatione legis communis vetantis Religioſum bellare, ſed ſpectat ſubordinationem, & dependentiam Religioſi à voluntate ſui ſuperioris, cui Religioſus ſe obſtrinxit per omnia. Ratio tamen proximè adducta, euincit; ſi ſuperior negaret facultatem, ſiue ex malitia, ſiue per errorem, fas fore inferiori, imo neceſſarium, abſque exorta facultate bellare.

Poteſt ad illud adigi per ſacram poteſtatem.

EXtra dubium vero pono, poſſe ſuperiorem Religioſum, & multo magis Pontificem, (de quo diſertè ita ſtatuit Feuardentius in c. 4. Iacobi, digreſſione de bello num. 17.) in euentu de quo agimus, adigere Religioſum ad bellandum, ſuper addita obligatione præcepti humani poſitiui, ad obligationem naturalem bellandi, tunc vrgentem, vt ſupponimus. Non placet autem quod P. Ioannes Oliui quodlib. 1. q. 19. opinatur, ne ipſum quidem Pontificem, poſſe præſtare quod dico. Admittit ille quidem, Pontificem ex cauſa neceſſaria, poſſe laicos temporaliter ſibi non ſubditos cogere ad bellandum, vt factum eſſe à S. Gregorio Magno refert, & habetur 23. q. 1. & 8. ex eius literis ad milites Neapolitanos, & ad velocem Magiſtrum, necnon ad ciuitates Tuſciæ, nihilominus tamen negat Oliui, Pontificem idem poſſe præſtare circa viros Euangelicos, aut Dei miniſtros & Sacerdotes, aut volentes ſtatum Euangelicum confeſtim intrare. quod probat illis ipſis rationibus; quibus intra confirmabimus, indecorum eſſe ac illicitum Religioſis, bellare extra neceſſariam defenſionem, ſed non poſſumus huic placito ſubſcribere. Tanta enim poſſet inijci neceſſitas tuendæ fidei, vel propugnandi innocentes: Alioqui opprimendos, vt iuſtè Pontifex, ad pium ea ex cauſa bellum poſſet Religioſos adigere, non modo ſi liquidò eam adigerentur præcepto naturali, vel charitatis, vel Religionis, aut fidei, ſed etiam ſi de perſpicua talium præceptorum obligatione ambigeretur. Quamvis autem extra euentum ſummæ neceſſitatis, & quoad bellum aggreſſiuum, dedeceat hominis diuino obſequio mancipatos arma corripere, aut ad id cogi ſummi Principis Eccleſiaſtici præcepto, (quod vnum probant quæ adducit Petrus Ioannes Oliui,) non tamen idem probant de euentu propoſito, præſertim quando præceptum naturale obligans ad bellandum, præiacebat.

Et an per laicam.

MAior difficultas eſt, an deficiente poteſtate ſacra per quam præceptum poſſit Religioſo iniici ad bellandum, fas ſit poteſtati laicæ, ſiue communitati, aut eius capiti, Religioſum adigere ad nauandam in bello defenſiuo operam, ſi vltrò ad eam præſtandam non accurrat. Negat Abul. 1. Req. 8. q. 22. Et Petrus Gregorius lib. 5. de Republ cap. 7. num. 23. Nam ne in neceſſitate quidem, voluit fas eſſe Regi cogere ad bellum, tametſi non niſi defenſiuum, Religioſos, aut Clericos initiatos ſacris ordinibus. Argumentum ducunt, ex eo quod bellum repugnet profeſſioni hominum Dominicorum. Item argumentatur Abulenſis, quia ſi tales perſonæ ad huiuſmodi bellum adactæ, aliquem occiderent, incurrerent irregularitatem. Denique quia vt conſtat ex cap. 1. Numeror. Sacerdotes, & Leuitæ non poterant adſcribi militiæ. Verùm hæ probationes, ſunt admodùm infirmæ. Nam quod non congruit profeſſioni, fit aliquando licitum ob iuſtam neceſſitatem; qualis ſupponitur interuenire in hoc negotio. An verò ſit timendum ab irregularitate, per cædem aut mutilationem in bello iuſto defenſiuo patratam, mox videbimus. Præter quàm quod, etiamſi incurrenda eſſet irregularitas, vt ſatisfieret obligationi legis naturalis, non eſſet curandum; cum irregularitas non ſit culpa. Tandem in cap. 1. Numeror. non agebatur de bello defenſiuo, ſed de aggreſſiuo. Nec quærebatur, an Domeſtici Dei in graui neceſſitate poſſint adigi ad bellandum, ſed tantùm dicitur eos iuſſu Dei non fuiſſe annumeratos militibus, ſed deſtinatos eſſe ad ſacrum miniſterium. Quod non repugnat iuſtæ eorundem adactioni ad bellandum, ſi extrema neceſſitas id poſceret. Nam re indubitatum eſto, Religioſos in extrema neceſſitate, poſſe à communitate laica, cuiuſve capite adigi ad bellum defenſiuum. Neque hoc negant Azor. tom. 1. lib. 5. capit. 12. quæſt. 1. Et Salas de legib. diſput. 14. ſect. 11. numer. 117. cum negant eſſe in poteſtate Principis ſecularis, imperare hominibus Dominicis, vt contra ſuum inſtitutum arma tractent. Id enim intelligunt, de tractatione armorum extra neceſſitatem ſummam, vel in bello aggreſſiuo, non autem de tractatione armorum, quæ non eſt contra inſtitutum ipſorum, nimirum in bello purè defenſiuo in ſumma neceſſitate ſuſcepto.

§. 2.

PRON. I. De bello defenſiuo.

§. II.

Religioſum bello iuſto defenſiuo ex neceſſitate operam dantem, immunem eſſe ab irregularitate.

HOc eſt alterum quod in Pronunciato affirmabant, & reclamantibus licet nonnullis, qui ei eam immunitatem à peccato, non repugnabant. Neque enim nouum eſt, vt irregularitas contrahatur propter opus peccato vacuum. Imo interdum quod ſit opus virtutis, & vel ex charitate, vel ex alia quapiam virtute obeundum. Nam Iudex qui addicit patibulo latronem, & miniſtri qui exequuntur ſententiam, ſunt irregulares eam ob cauſam; quam tamen non poſſunt prætermittere abſque peccato. Poſſet ergo ſimiliter Religioſus, nauans operam bello defenſiuo iuſto, immunis eſſe à peccato, & tamen contrahere irregularitatem, præſertim ſi ipſemet occidat aut mutilet, in quo euentu res eſt definita ab Honorio 3. c. penultim. de homicid. vbi agebatur de bello defenſiuo, & quidem contra infideles.

Qui velint contrahi ex eo bello, irregularitatem.

COntrahi irregularitatem ex ea cauſa affirmat Ioannes Lupus Tractat. de bello §. *de hoc non debet*, & Robertus Arboricenſis Tomo 1. de vtroque gladio Theorema 9. ac Viguerius in inſtitut. Theolog. cap. 12. §. 5. verſu 8 addentes, non eſſe curandum de tali irregularitate, cum ex bono opere conſequatur. Idem affirmat Villadiego tractat. de legato a latere quæſt. 14. numer 123. & 124. ac Maiolus lib. 5. de irregularitate cap. 49. numer. 4. & Gutierres lib. 1 qq. Cano. cap. 6. à numero 59. qui tantùm excipiant euentum in quo neceſſitas defenſionis vitæ propriæ, adigat ineuitabiliter Religioſum aut Clericum ad occidendum eum à quo in bello inuaditur. Tunc enim putant, bellantem in bello iuſto defenſiuo, etiamſi effundat hoſtilem ſanguinem, hoc eſt, etiamſi mutilet, vel occidat, immunem eſſe ab irregularitate, quam alioqui contraheret. Præiuerat Caietanus, & alij quos Gutierres in eam ſententiam laudat numero 61. Alij verò exiſtimant, Religioſum vel Clericum ex neceſſitate pugnantem in bello defenſiuo, non eſſe irregularem, ſi nulla in eo patretur cædes vel mutilatio hoſtium; quod quomodò moraliter poſſit accidere, ſi ineatur conflictus, equidem non video, illud accommodatius ad praxim dixerunt alij, non eſſe irregularem hominem Dominicum bellantem in bello iuſto defenſiuo, ſi ſua ipſe manu neminem truncet aut cædat, quamvis à reliquo exercitu, cuius ipſe pars eſt, cædes, & mutilationes perpetrentur. Varias, & omnino diſcrepantes circa hæc omnia ſententias, proferunt & excutiunt DD. agentes de irregularitate.

Reiiciuntur.

MIhi hærendo in re noſtra, ſatis eſt confirmare quod aſſerui, nempe Religioſos ob quamcumque operam in bello iuſto defenſiuo ex neceſſitate nauatam, & effuſum hoſtilem ſanguinem, non eſſe irregulares. Ita Panormitan ad cap. *petitio* de homicid. & ad cap. *quod in dubiis* de pœnis, Molin. tractat. 2. de iuſtitia d. 19. concl. 3. Valentia 2. 2. d. 3. quæſt. 16. part. 4. *in ſecunda controuerſia*, Torres 2. 2. tom. 1. d. 93. d. 2. Sayrus lib. 7. Theſau. cap. 19. numer. 5. Petrus Gregorius lib. 3. de Republica cap. 7. numer. 23. Couarruuias ad Clement. *ſi furioſus* 2. p. §. 3. num. 2. Auila 7. p. d. 6 ſect. 3. dub. 1. Comitolus 6. reſp. quæſt. 54. Ægid. d. 31. de actibus ſupernaturalibus numero 91. Hurtado diſput. 2. de irregul. numer. 44. & paſſim cæteri iſta agitantes. Lego etiam Pium V. Sanctiſſimum ad Doctiſſimum Pontificem, cum poſt victoriam de Turcis ad Naupactum partam, F. Anſelmus à Petra molaria, ad eum veniſſet petens abſolutionem ab irregularitate quam putabat ſe contraxiſſe ob interfectos ſua manu ſeptem è Turcis audacioribus, qui iam ad Chriſtianæ nauis malum peruenerant victores, negaſſe neceſſariam eſſe Anſelmo diſpenſationem ab irregularitate, quam reuera non contraxiſſet, obtruncatis licet tam multis Turcis in tam neceſſaria defenſione, ad quam eum extrema neceſſitas, depoſita tantiſper Chriſti è cruce pendentis imagine, & arrepta romphæa adegerat. Ita refert Zach. Bou. t. in annal. anno 1571. num 6.

Cur negarit Pontifex contractam fuiſſe in eo euentu irregularitatem, ratio eſt, quia in iure nulla irregularitas conſtituta eſt ob cædem vel mutilationem in bello defenſiuo ex neceſſitate ſuſcepto patratam, imo cap. 1. de immunit. Eccleſiaſt. Clerici in neceſſitate obligantur ad functiones huius belli. In iure verò nunquam legitur aliquem ab Eccleſia adigi ad opus, ob cuius exercitium conſtituta eſt irregularitas. Id enim eſſet auocare ſimul, & inducere ad tale opus. Nulla ergo irregularitas aut inhabilitas Canonica, iure Eccleſiaſtico conſtituta eſt, pugnantibus in bello iuſto defenſiuo ex neceſſitate; ac proinde neque nos talem vllam inhabilitatem debemus agnoſcere. Confirmatur ex recepta doctrina Theologorum quæ fert neminem contrahere irregularitatem ob opus quod iure naturali exercere teneatur. Vt enim optimè ratiocinatur cum Caietano 2. 2. q. 33. art. 7. Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 10. p. 5. §. 1. caſu 2. Non eſt putandum, vllo præcepto Eccleſiaſtico hominem ſub irregularitate vetari facere, quod iure naturali facere tenetur; alioqui ius Eccleſiaſticum eſſet contrarium iuri naturali, illudque deſtrueret; cum tamen potiùs cenſendum ſit perficere illud: Sicut gratia non deſtruit naturam, ſed perficit. Quæ cauſa eſt, cur iidem DD. obſeruent, ſi proditio ciuitati immineret, poſſe Clericum deferre proditorem abſque mora, imo ad id teneri; etiam ſi mors idcirco eſſet infligenda reo. Nec Clericus, (dummodò proteſtaretur ſe ſanguinem nocentis non quærere) incurreret irregularitatem; quia cum delatio noxii, in eo caſu ſit neceſſaria ex iure naturali, Eccleſia neque voluit neque potuit frœno intentationis Canonici impedimenti, cohibere delationem ad quam Clericus ex iure naturali obligatur. Cum ergo ſimiliter perſonæ quæcunque ſacræ, iure

PRON. I. *De bello defenſiuo.*

naturali teneantur defendere patriam, ſi neceſſitas ad id illos adigat in euentu, & conditionibus propoſitis, clarum eſt non eſſe eis timendam irregularitatem, & quaſi lapidationem de bono opere.

Nonnulla in contrarium, enodata.

IN contrarium eſſe videtur locus Sancti Baſilij in Epiſtol. Canon. ad Amphiloch. cap. 42. vbi admittit, quemcunque proximi interfectorem eſſe homicidam, & proinde arceri à ſacris tanquam irregularem, etiam ſi in bello, & in ſui defenſionem acciderit, vt fit in bello defenſiuo. In quem Balſamon, adducit exemplum Epiſcopi, qui depoſitus eſt tanquam irregularis, eo quod in bello interfeciſſet Agarenum qui enſe ipſum appetierat. Cùm verò durum videatur, hominem ex eo quod rem iuſtam, & licitam faciat, (cuiuſmodi eſt occiſio hoſtis ad propriam defenſionem,) ſubiici pœnis homicidarum, ſine inhabilitatibus quibus homicidæ irretiuntur, mollit hoc Balſamon, dicens pœnas Eccleſiaſticas non punire, ſed ſanctificare atque mederi, ideóque mirum videri non debere, ſi pro bono, & neceſſario opere aliquando irrogentur. In primo item Canone Concilij Ilerdenſis celebrati anno 524. homines Dominici qui intra ciuitatem obſeſſi, ſanguinem hoſtilem fuderant, irregulares declarantur, & variis priuationibus afficiuntur, præter varia opera pœnalia quibus grauantur per biennium. Deſcripſit eum locum Gratianus cap. *de his Clericis* diſt. 50. Tandem per Concilium Triburienſe ſub Formoſo cap. 11. Clericus homicidij patrator, quamvis nimium coactus id fecerit, arcetur in perpetuum à ſacris, tanquam malè exprimens imitatione, manſuetudinem Chriſti, qui ne violatus quidem reddidit vicem, & excipere iniurias docuit, non referre, aut inferre, etiam ſe defendendo.

Hæc tamen non cogunt admittere, irregularitatem contrahi à Religioſis pugnantibus, & occidentibus in euentu de quo agimus. Nam Sanctus Baſilius agit indefinitè, de homicida voluntario, non autem de eo qui ex neceſſitate, & ad iuſtam defenſionem, ſanguinem fuderit: quem ad medendum, & ſanctificandum plecti, (vt ait Balſamon ludens in vocabulis,) nulla ratio patitur, Epiſcopus verò ille quem Balſamon in Synodo depoſitum refert, ob cædem in bello defenſiuo patratam; vel abſque neceſſitate ſe immiſcuerat illi bello, vel cum poſſet inuaſorem abſque cæde declinare, maluit confodere, cum fortaſſis non niſi ad ſacra miniſteria in bellum perrexiſſet. Itaque bellatores de quibus agimus, neque illo exemplo, neque D. Baſilij authoritate grauantur. Canones verò Concilij Ilerdenſis, ac Triburienſis, nullo negotio expediri poſſunt. Ille quidem, quia opera ab obſeſſis nauata, videtur ſupergreſſa iuſtam defenſionem, alioqui pœna Clericis irrogata, peccaret per exceſſum. Quid ſi etiam bellarant ſine neceſſitate, cum ſuppeterent laici defenſores? Quo eodem modo expeditur quod obiici poſſet ex cap. *petitio* de homicid. & ex cap. *præſentium* de Clerico percuſſore. Iſte autem, quia in eo non agitur niſi de Clerico qui occiderit cum peccato. Agit enim Canon de eo homicida, qui admiſit immane ſcelus, itémque de eo qui non ad iuſtam defenſionem, ſed in vltionem fecerit homicidium; quæ omnia longe abſunt à re noſtra. Accedit quod etiam ſi verum eſſet, antiquis Canonibus eum qui ad ſui defenſionem alium occiderat vel mutilarat: fuiſſe irregularem: Tamen illa irregularitas poſt clementinam *ſi furioſus*, euanuiſſet. Nec Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de reformat. iura illa antiqua (ſi quæ fuerant,) innouauit, cum agnouit eum qui ob propriæ vitæ defenſionem perpetrat homicidium, eſſe irregularem. Agit enim de homicidio non neceſſario ad defenſionem, & grauiter culpabili, quale non eſt quod ſupponimus patrari in bello defenſiuo, cui ex neceſſitate nauatur opera à Religioſo.

Extenditur reſolutio ad belli ductores.

POrrò reſolutio data, non tantùm valet pro Religioſo militante, ſed etiam pro ducente bellum, de quo aliqui Canonum periti ſcrupuloſius loquuntur, propter caput *Sententiam*, ne Cler. vel Monachi quo præcipitur, ne Clericus præponatur baliſtariis vel ruptariis, & huiuſmodi aliis viris ſanguinum. Vnde Panormit. ibi & Molin. tractat. 2. de iuſtitia d. 108. & communiter DD. colligunt, Clericum, atque adeò etiam Religioſum, non poſſe eſſe belli ducem. Et quia hæc prohibitio ſubiungitur aliis, quibus conſtat annexam eſſe irregularitatem, inde aliqui intulerunt, Religioſum qui bellum ducit, quodcunque denique ſit bellum, eſſe irregularem. Et accedit, quod Dux belli multo plus cooperatur ad effuſionem ſanguinis hoſtilis, quam vllus militum, cum pugnet in omnibus, & vnus ipſe influat in functiones bellicas omnium. Vnde tametſi Sacerdotibus in antiqua lege fas erat bellum ducere vt ex Deutero. 20. eruit Heſychius in cap. 21. Leuit. non tamen in lege noua, quæ miniſtros depoſcit à ſanguine alienos, idque expreſsè cautum eſt de promouendis ad Sacerdotium, & Diaconatum in Concilio Illyrico cuius literas refert Theodoretus 4. hiſtor. cap. 8. Nihilominus ſi Religioſus non ſe ingerat ad ducendum aut regendum bellum defenſiuum abſque neceſſitate, nullum ei à belli ducatu imminet periculũ irregularitatis, quæ ob ſolam vltroneam ducatus belli ſuſceptionem incurritur, ſecuta mutilatione vel cæde, ſaltem per aliquem à militibus. Dux belli in eo differt à militibus in bello iuſto voluntariò ſuſcepto, quòd cum milites non ſint irregulares niſi ipſimet ſua manu mutilauerint aut occiderint, ipſe Dux fiat irregularis, ſi quiſpiam occidatur aut mutiletur per alios quibus præeſt, vt rectè affirmat Panormit. ad cap. *Sententiam* ne Cler. vel Monach. num. 17. & ratio eſt quia vt ſuperiùs eſt tactum, Dux belli ſua directione, & authoritate influit quodammodo in actus militares ſingulorum bellantium, & eſt vnus præliator in omnibus. In ducatu tamen de quo agimus, hoc eſt ex ſumma neceſſitate ſuſcepto, & in bello defenſiuo Eccleſiæ non tulit, vt Dux Religioſus vlla irregularitate irretiatur. Atque adeò ſicut eſt planè purus labis moralis ſeu culpæ, ita & inhabilitatis cuiuſvis Canonicæ, & irregularitatis. Sanè Beatum Ioannem de Capiſtrano omnibus optimi Ducis partibus in bello Hungarico cum Turcis, Chriſtianos tuendo perfunctum, vt ſcribit Ioannes Leuſeus orat. de defenſ. Reipublicæ Chriſt. contra impium inuaſorem c. 9. nemo irregularem cenſuit ſed omnes ſuſpexerunt, ipſéque impius Calixtus Pontifex, habuit acceptiſſimum.

Cautio

Cautio circa prædicta.

CÆterum abſit vt per ea quæ hactenus, diximus, laxatas quoquomodo habenas licentiæ velimus, præbendo Religioſis occaſionem inflammandi animos ſeculares, prætextu belli defenſiui iuſti, vel etiam neceſſarij. Hunc enim prætextum non paucis exitio fuiſſe, deplorat Petrus Gregorius l. 3. de Repub. c. 7. num. 23. referens cum iis turbinibus qui Galliam pro Religione infeſtarunt, inclinante ſuperiore ſeculo, cum Rectores vrbium, quod contra Hæreticos tutanda eſſet Reſpublica atque Religio, indiſcriminatim omnes, etiam Regulares, dare militiæ nomina compuliſſent, aut vltrò ſe ad id offerentes admiſiſſent vidiſſe ſe, qui libertatem datam vertiſſent in carnis commodum, & mores ſecularis militiæ combibentes, arma cœleſtis militiæ dedidiceriunt; Ita vt plerique ad Apoſtaſiæ barathrum infeliciſſimè ſint deuoluti. Ex quo infert idem author, malum peſſimum eſſe, ordines in Republica confundere, & munera à Deo diſtincta promiſcuè habere; nec minori confuſione permiſcere ordines perſonarum, quàm ſi pedes officiis capitis addicerentur. Huic ego & pio & ſacro conſilio planè acquieſco; dummodò fixum maneat, (per ſe loquendo & reciſis abuſionibus vitio improuidorum admiſtis,) fas eſſe Religioſo, & ſine culpa & ſine canonico impedimento, in neceſſitate quam ſuppoſuimus, dare operam bello defenſiuo iuſto, præſertim in fidei & Religionis munimentum.

PRONVNCIATVM II.

De bello aggreſſiuo.

RElígioſi bello aggreſſiuo, quod ex parte cauſæ bellandi, iuſtum ſit ac laicis honeſtum, poſſunt abſque culpa intereſſe, & in eodem citra pugnam ac miniſteria pietatis, nauare operam cum aliis modis, tum generatim; ſiue antecedenter ad conflictum, ſiue concomitanter, hortando & animando milites, abſque irregularitatis alteriúſue canonicæ priuationis incurſu, etiamſi alij occidant aut mutilent, proindéque Irregulares fiant. Iidem tamen Religioſi, ſi bellum aggreſſiuum purè humanum, nec cum Dei ac fidei cauſa coniunctum, militariter regant aut gerant, peccato mortali ſe inquinant contrahuntque Irregularitatem, ſecuta hoſtium (ſaltem per alios), occiſione aut mutilatione: Nec priuilegium Canonis, ſiue immunitatem à manu violenta, perſonæ Religioſæ debitam retinent. Iure inſuper ad beneficia & penſiones Eccleſiaſticas, (ſi quibus potiebantur,) excidunt, ita vt eis deiiciendi non ſint per ſententiam: Ac ſi in tali bello mortem obeant, ſacra oblatione, ſiue ſacrificio incruento, & orationibus minimè iuuandi ſint. Niſi ſi ad omnia hæc mala auertenda, iuſta ſupremi Eccleſiæ capitis diſpenſatio, non præſumpta, ſed expreſſa, & citra fraudes conceſſa, ſuffragetur.

§. I.

Quatenus Religioſi citra pugnam, & pietatis miniſteria, bello aggreſſiuo iuſto, adeſſe, & cooperari poſſint.

SEpono miniſteria pietatis, quia ſuperius præſuppoſitione tertia, monſtratum eſt, Religioſos ad quæcunque bella poſſe accurrere, vt exerceant officia ſacra; v. g. vt miniſtrent ſacramenta, operentur ſacro, & ſimilia pietatis miniſteria obeant. PRON. II. De bello aggreſſiuo. Itaque de huiuſmodi aſſiſtentia Religioſorum in bello aggreſſiuo, nunc non quæritur, ſed de alia quæ firment bellantes, eóſue animent quoquo modo. Quò reducitur aliud quodcunque pugnæ adiumentum, abſque belli rectione aut geſtione; puta per collectionem militis, armorum ſuppeditationem, aſſeruationem ſarcinarum in prælio. Hæc enim omnia cooperationem ad bellum continent, ei non diſſimilem, quæ eſt per præſentiam, de qua agimus.

Seponenda inſuper ſunt bella aggreſſiua iniuſta, qui certum eſt, neminem, ac multo minùs Religioſum, poſſe in vllo bello iniuſto nauare operam militarem; illudue ſua præſentia & comprobatione firmare. Nec eſt diſtinguendum de bello aggreſſiuo iuſto, ex neceſſitate, vel abſque neceſſitate ſuſcepto; quia quoad bellum aggreſſiuum purè humanum, nulla reuera eſt neceſſitas quæ exoluat Religioſum obligatione canonum vniuerſalium arcentium illum à bellis; nec poteſt fingi euentus, in quo ſaltem non poſſit expectari aſſenſus ſupremi canonum arbitri, quod plerunque fieri non poſſet in bello defenſiuo. Itaque agendo de bello aggreſſiuo purè humano (quod cur addam, infra liquebit,) demittenda eſt diſtinctio illa de bello, vel vltrò, vel ex neceſſitate ſuſcepto, vt Caietanus etiam notauit 2. 2 q. 40. artic. 2.

Religioſus, bello aggreſſiuo abſque pugna aſſiſtens, innoxius.

SIc reſtricta aſſiſtentia & cooperatione Religioſi ad bellum aggreſſiuum, dixi inprimis, Religioſum niſi aliud obſtet, poſſe his bellis aſſiſtere, eiſque autoritatem ſua præſentia conciliare, & generatim adhortationibus vrgere, ac incendere milites ad ſtrenue certandum. Erit qui huc aduocet exempla multorum Religioſorum & Abbatum, qui vnà cum innumeris Epiſcopis, ſuſcepta crucis teſſera dederunt nomina in varias expeditiones Cruciatas aduerſùs Saracenos aut Hæreticos, de quibus videndus Gretſerus Tomo. 3. de cruce, toto lib. 2. & nominatim in Apologia pro expeditionibus Cruciatis c. 7. vbi variorum ſignatorum nomina recenſet. Hæc tamen exempla, non poſſunt nobis vſui eſſe in præſentia. Quod enim non laici tantùm ac ſeculares, ſed Eccleſiaſtici quoque, inuitarentur à ſummis Pontificibus ad huiuſmodi expeditiones, & illicerentur per varios fauores ac indulgentias; dici facilè poſſet, eo ipſo interueniſſe Pontificiam diſpenſationem; cum tamen nos hic agamus de aſſiſtentia abſque præuia Pontificis facultate. Eam quippè (ſi aliud non obſtet) non eſt neceſſe interuenire, etiam quoad Epiſcopos & quoſuis Antiſtites, quidquid ſecus ſenſerint aliqui, nixi autoritate Nicolai primi, cap. *reprehenſibile* 23. q. 8. qui valdè improbat, quod Epiſcopi, ſe inſcio comitati eſſent Regem ad Bellum. Verùm Nicolaus non improbat ſimpliciter aſſiſtentiam Epiſcoporum in bello aggreſſiuo; ſed tantùm expoſtulat, (& ſanè meritò,) quod nullus Epiſcoporum ex oris Ludouico & Carolo ſubiectis, affuiſſet conſilio ab ſe indicto; & abſentiæ excuſatio allegata eſſet, quod profecti eſſent ad bellum contra piratas vnà cum Rege. Quæ friuola prorſus erat excuſatio, cum nihil neceſſe eſſet, imo ne congruum quidem, tam multos Epiſcopos ad

PRON. I. *De bello aggreſſiuo.*

bellum illud proficiſci; & valdè congrueret, imo planè oporteret, non negligi indictionem Concilij factam à Pontifice. Extra tales tamen, aliaſue ſimiles circunſtantias, poſſe Epiſcopos inconſulto Pontifice bellis aſſiſtere, & præſentiam de qua agimus exhibere, ex rationabiliter præſumpta ſummi Pontificis facultate, paſſim conſentiunt DD. eamque præſumptionem firmauit vſus diuturnus, ex quo multi pij Antiſtites, non conſulto, (quod vſpiam prodatur,) ſummo Pontifice, comitati Imperatoribus aut Regibus, aſſiſtentiam de qua agimus exhibuere in bellis aggreſſiuis, ſaluo ſemper paſtorali officio, & debita in greges cura.

Nullo iure, vetatur ſic aſſiſtere.

Dimiſſa ergo aſſiſtentia quæ bellis aggreſſiuis à ſacris hominibus aliquando præſtita eſt inuitatu Pontificum, quia dici poſſet continere diſpenſationem; facile eſt probare aſſiſtentiam de qua agimus, poſſe eſſe Religioſis innoxiam, ſi aliud non obſtet. Nam nullo iure vetantur eam aſſiſtentiam exhibere bello aggreſſiuo iuſto, etiamſi purè humano. Eſtque ea aſſiſtentia aliquid ex ſe licitum, & ad bonum commune, ſatis opportunum. Quidni ergo iuxta regulas prudentiæ fas ſit Religioſis eam exhibere? Confirmatur, quia hac in parte non eſt diſpar ratio Religioſorum, & cæterorum Eccleſiaſticorum; ſiue ſpectemus leges poſitiuas, ſiue naturalem in ſtatu vtrorumque fundatam. Quamuis enim Religioſi cum ſint vel eſſe debeant ſeculo mortui videantur debere hac in parte adhibere diligentiam quaſi intenſiue maiorem, tamen eadem ſpecificè obligatio, ſtatus eorum ex natura rei conſequens, & Clericos & Religioſos obſtringit, & Canones pariformiter ac eodem tenore vtroſque à bellis arcent, eo modo quo ſunt arcendi.

Cum igitur aſſiſtentia de qua agimus, innoxia ſit Clericis, ſi aliud non obſit, idem de aſſiſtentia Religioſorum eſt ſtatuendum; præſertim ſi ea cautione adhibita illam præſtent, vt quantum per circunſtantias licet, ſaluum velint decorum ſtatus ſui ac perſonarum: Quod egregie præſtitum ab inſigni ex Religioſa familia Præſule, Franciſco Ximenio, notauit Aluarus Gemeſius l. 4. de eius rebus geſtis, ſcribens eum in expeditione contra Mauros, cum exercitui quoad rem militarem præfeciſſet Petrum Nauarrum; inſtante conflictu, ſe recepiſſe in ſacellum, ad preces fundendas. Itaque Religioſi, abſque peccato & nota irregularitatis, poſſunt adeſſe bellis aggreſſiuis iuſtis, & ad ea fortiter obeunda, autoritatem ſua præſentia & generalibus adhortationibus conferre; quæ eſt aſſiſtentia, quam Religioſis concedendam contendimus circa hæc bella.

Difficultas ex militum firmatione, per eam Religioſi aſſiſtentiam.

Occurrit tamen in contrarium difficultas. Nam aſſiſtentia firmat milites; vnde eſt cooperatio ad ſtragem hoſtium, conſequentem per milites. Et ob hanc cauſam qui aſſiſtunt bello iniuſto, quia autoritate ſua firmant milites, non modò peccant, ſed etiam fiunt irregulares, poſita mutilatione aut occiſione hoſtium per milites. Quæ eſt communis Doctrina ex cap. *ſicut dignum* §. vltima de homicid. tradúntque eam Innoc. & Panor. ad cap. *petitio*, de homicid. Nauarrus in ſumma c. 27. num. 224. Couarr. ad Clement. *ſi furioſus* p. 2. §. 3. n. 2. Et Mol. tract. 2. de iuſtitia diſp. 110. concluſ. 1. Cum igitur Religioſi, aſſiſtendo bellis aggreſſiuis iuſtis, firment quoque autoritate ſua milites, fatendum videtur; eos ad bellum & ſtragem per milites conſequentem cooperari. At cooperationi in ſanguinis humani effuſionem, annexa eſt irregularitas. Quomodò igitur pronunciamus, Religioſos bellis iuſtis aggreſſiuis aſſiſtentes, non incurrere irregularitatem, etiamſi cædes & mutilationes hoſtium peragantur à militibus? Nec minùs clara, imo apertior eſſe videtur eorundem cooperatio, ſi exhortentur & incendant milites ad ſtrenuè pugnandum, & obtinendam victoriam; vel generatim ad interficiendos hoſtes: quod fas eſſe Eccleſiaſticis, negat Franc. Arias tract. de bello num. 142. Nam etiam ſi ad nullius determinatè cædem aut mutilationem hortentur, ſed tantùm generatim hortentur & vrgeant ad cædendum; tamen actio militis ex impulſu & hortatione Religioſi promanans, eſt determinata; cauſaturque ex morali influxu incentoris: qui proinde videtur contrahere irregularitatem, non minùs ac incentor cædis aut mutilationis patratæ in bello iniuſto. Admittet hanc irregularitatem per ſolam præſentiam in bello aggreſſiuo iniuſto, Aluarus Pelagius l. 1. de planctu Eccleſiæ artic. 48. *litera C.*

Extricatur; eaque firmatio indeterminata, ne irregularitati quidem, obnoxia eſſe monſtratur.

Contraria tamen ſententia, eſt omnino vera. Tantum enim abeſt, vt iura ab aſſiſtentia & firmatione militum per præſentiam, necnon ab eorundem animatione arceant homines Dominicos, obiectu contrahendæ irregularitatis, vt potiùs contrarium apertè ſupponatur cap. *petitio* de homic. vbi Gloſſa, & ad cap. *quod in dubiis*, de pœnis. Videndum etiam caput *Maximianus* 23. q. 5. Annuunt paſſim DD. Ita enim S. Thomas. 2. 2. q. 40. artic. 2. ad 3. Suares t. 5. 3. p. d. 47. ſ. 6. n. 8. Mol. tracta. 2. de iuſtitia diſp. 108. Valentia 2. 2. d. 3. q. 16. p. 4. certo 4. Roder. t. 1. qq. Regul. q. 32. artic. vnico. Gutierres l. 2. qq. Canon. c. 6. n. 52. Syluester V. *bellum* 3. n. 3. Nauarrus in ſumma c. 27. n. 215. Couar. ad Clem. *ſi furioſus* p. 2. §. 3. n. 2. Sayrus adducens multos l. 6. theſau. c. 19. n. 1. & 6. ac 7. Nec refragatur Innoc. c. *quod in dubiis* de pœnis; cum ait, enormiter peccare ac deponendum eſſe Clericum, qui alios incitat ad pugnam, & idem eſt de Religioſo. Idē enim intelligendum eſt, de incitatione ad pugnam iniuſtam, vel cum ſpecifica intentione ſanguinis, aut etiam cum determinatione vnius ſingularis perſonæ hoſtilis, quæ confodienda aut mutilanda deſignetur. Quod enim rectè notarunt Suares t. 5. 3. p. d. 47. ſ. 6. n. 8. & Lorca diſp. 5 de charitate num. 22 adhortatio ad vnum aliquem determinatè occidendum vel mutilandum, inueheret irregularitatem adhortanti: quod non facit confuſa adhortatio ad ſtrenuè pugnandum, & hoſtes (ſi aduerſentur,) generosè obtruncandos, vel deformandos; quia hoc, perinde duntaxat eſt, atque hortari ad ſtrenuè incumbendum in adeptionē victoriæ, & eius obices repellēdos; quod non eſt ſpecificè intendere ſanguinem; & quippe nemo dixerit ſordere periculo irregularitatis. At determinatè deſignare necem aut truncationis vnius alicuius hoſtium, non poteſt non redolere cruentum & ſanguinarium pectus; cui meritò reponatur irregularitas. Tametſi hoc quoque negat

negat Torres 2. 2. t. 1. diſp. 93. dub. 2. Hurtadus de Mendoza t. 2. in. 2. 2. diſp. 169. ſ. 2. n. 137. & Diana 5. p. Tract. 14. Reſolut. 98. Sed nobis placet non refigere antiquos terminos. Itaque & peccato ob interpoſitam prohibitionem Eccleſiæ, & irregularitati ſiunt obnoxij, qui incitant aliquo ex prædictis modis ad fundendum ſanguinem non tamen qui in bello iuſto indeterminate & abſque ſpecifica ſanguinis intentione, hortantur ad pugnam. Quod conſtat feciſſe S. Gregorium l. 12. Epiſto. 21. & 22. Et S. Leonem Nonum c. *omni timore* 23. q. 8. & idem feciſſe S. Domitianum Epiſcopum, Melitenſium in prælio Romanorum contra Perſas habent eius acta 10. Ianuarij.

Reiecta inutilis diſtinctio, & inidonea Nauarri affectio.

SVntqui admittant quæ diximus, ſi ſermo ſit de generali adhortatione & animatione militum pr[illegible] bello iuſto aggreſſiuo, aliter tamen ſtatuunt de adhortatione facta in calore conflictus. Per hanc enim volunt contrahi ab adhortante irregularitatem, ſi per milites mutilatio militum vel occiſio conſequatur, etiamſi adhortatio non fiat niſi generaliter & indeterminatè. Sed rectè hanc arctationem doctrinæ poſitæ reiiciunt Couar. ſupra n. 2. & Suàres loco allegato. Nec non Sayrus l. 7. Theſ. c. 19. n. 6. Et ratio eſt, quia ſi modus ſe habendi eſt planè idem, nec adhortatur determinatius influit in conflictu, quàm proximè ante illum, perinde eſſe debet ad effectum contrahendæ vel non contrahendæ Irregularitatis. Ac proinde cum generalis adhortatio ante conflictum, nullam hortatori irregularitatem inferat; idem aſſerendum eſt de ſimili adhortatione adhibita in calore conflictus.

Quomodò autem & aſſiſtentia firmans, & adhortatio incendens milites in bello iniuſto, ſufficiat ad aſſiſtentis & hortatoris irregularitatem, ſi cædes aut mutilatio ſequatur per alios; non ſufficiat autem ad ſimilem notam contrahendam ex pari influxu in bellum aggreſſiuum iuſtum, non parum moleſtiæ faceſſit Nauarro, in ſumma c. 27. n. 216. qui tandem addit, ſe poſt diuturnam meditationem, & diuinum lumen per ſacra imploratum, pertigiſſe ad difficultatis expeditionem in vigilia S. Matthæi anno 1556. vt habet genuina editio, etiam authoris obitum conſecuta. In eo autem ſita eſt nodi expeditio quam profert, quod aliud requiratur vt quis eadem præſtando in bello iuſto cenſeatur cauſa proxima; aliud ſi ea præſtet in bello iniuſto. Sed hanc eſſe manifeſtam petitionem principij, rectè dixit Philiarcus 1. p. de offic. Sacerd. l. 4. c. 11. §. *contra prædicta*. Neque enim Nauarrus aſſignat quid aliud requiratur, vt eadem præſtans in vno bello, ſit cauſa proxima; non item in alio. Itaque cum eodem Philiarco reſpondendum eſt vtrunque quidem aſſiſtentem ac incentorem ſimiliter concurrere; illos tamen qui ſic ſe ſubent in bello aggreſſiuo iuſto, non effici irregulares etiamſi irregulares fiant qui ſimiliter ſe habent in bello iniuſto, quia ita placuit. Eccleſiæ à qua inhabilitas iſta canonica vigorem ſuum ac formam accipit. Meritò autem ita placuit Eccleſiæ, vt homines Dominici faciliùs abhorrerent ab aſſiſtentia & quacunque cooperatione, etiam duntaxat morali, circa bella iniuſta.

Extenditur reſolutio, ad aliter cooperantes, citra pugnam.

PRON. II. De bello aggreſſiuo.

QVod dictum eſt de incentore pugnæ, æquè dicendum eſt de ſuppeditante arma, aliterue quam per compugnationem cooperante militibus ad bellum aggreſſiuum iuſtum; comprehendendo inter cooperatores, eum qui aſſeruat ſarcinas pugnantium, ſicque eos expeditiores & ſecuriores reddit ad pugnandum. Talem enim, vere cooperari, rectè notauit Auila 7. p. diſp. 6. ſect. 3. dub. 2. Nomine item *armorum*, comprehenduntur omnia quibus hoſtis cædi aut truncari poteſt, atque adeò non tantùm haſtæ, enſes, ſclopi, & ſimilia quæcunque; ſed etiam fuſtes & lapides ad feriendum accommodati, vt habetur ex l. *armorum* ff. de verbo. Signif. Immenſus in hoc puncto eſt Nauarrus, ad c. *ita quorundam* de Iudæis not. 5. ſi ergo ſuppeditentur militi arma, ſiue ante conflictum, ſiue in eius calore, nec miles qui bello iuſto nauat operam, inducatur determinate ad huius ſingularis perſonæ obtruncationem vel deformationem; ſed tantùm vniuerſe ac generatim excitetur, vt pugnet & rectè fungatur ſuo munere; Religioſus talia arma ſubminiſtrans, non erit irregularis; etiamſi miles interuentu armorum ſubminiſtratorum, aliquem cædat aut mutilet, vt rectè ſtatuit Sayrus l. 6. de cenſur. c. 19. n. 12. Et Henriq. l. 14. c. 12. n. 4.

§. II.

Peccare Religioſos, ſi bella aggreſſiua purè humana, quantumuis iuſta, regant aut gerant.

PRæter aſſiſtentiam & cooperationem, vel non niſi moralem, vel duntaxat mediatam de quibus hactenus; pronunciabam inſuper de belli rectione & geſtione. Neutram dicebam obiri honeſtè poſſe ab homine Dominico: quod vnus quem viderim inficiatus eſt Adamus Contzen l. 10. polit. c. 1. §. 6. cuius ratio eſt, quia poteſt contingere vt bellum offenſiuum ſiue aggreſſiuum, ſit æquè neceſſarium ac bellum defenſiuum, cuius ab homine Dominico adminiſtrati vel geſti, honeſtatem ſuperiùs admiſimus. Sed fortaſſis hic autor ſumpſit bellum aggreſſiuum pro quacunque hoſtis impetitione, qualem v. g. faciunt obſeſſi, cum erumpunt in obſidentes, vt eos expellant, & auertant à ciuitate. Quod genus aggreſſionis non eſt dubium, quin poſſit hominibus Dominicis in neceſſitate concedi, æquè ac defenſio; ad quam reuera pertinet, non autem ad propriè dictam offenſionem vel aggreſſionem. Fortaſſis etiam autor cum quo agimus, noluit concedere hominibus Dominicis quodcunque bellum aggreſſiuum; ſed tantum illud in quo verteretur pax Catholicæ Eccleſiæ, aut magna protectio Chriſtianæ Religionis inter Ethnicos, vt Mahumetanos aut hæreticos. In quo bello, fas eſſe Clericis & Religioſis, ſi victoriæ neceſſitas id poſcat, agere milites & duces, docuit Caiet. 2. 2 q. 40. artic. 2. quem ſequitur Armilla V. *bellum* n. 33. Conradus Brunus l. 3. de Hæreticis c. 19. concluſ. 6. & 7. & Gutierres l. 2. qq. Cano. c. 6. n. 58. Et hæc ratione excuſari poteſt Otho Mediolanenſis Antiſtes, primus Vicecomitum; qui iam perfunctus duobus aſperrimis præliis ad Nicæam & Orontem, cum

Gedofre

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Godofredus Hieroſolimam obſideret Volucem Saracenorum ducem prouocantem ad ſingulare certamen, fortiſſimè congreſſus, deuicit. Hæc enim profligatio ducis Sarraceni ad victoriam ſactam permagni referre potuit: atque adeò potuit eſſe innoxia homini Eccleſiaſtico. Purgari i ē eodē modo poteſt factū Zenonis Diaconi Ticinēſis, qui ſimulās ſe Cumbertum Regem induum, cum Alahi impio Tyranno pugnauit, & occiſus eſt, vt narrat Paulus Diaconus l. 5. de geſtis Longob. c. 17. Alahi namque Arrianus, Catholicis infenſiſſimus, qui viro planè Barbarico, ſi ſtatuerat ſeſe ad puteum diduis ſacerdotum implendum, petebat Regem Cunibertum, quem ſeruari plurimum intererat, rei & ſacræ & profanæ. Itaque bellum quod iſti geſſerunt, non erat purè humanum, quia ſpectabat etiam bonum religionis ſtatum, ſed nos huiuſmodi bellum ſepoſuimus, reſtringentes controuerſiam ad bella purè humana, ad quæ ſpectant euentus ordinarij Religioſorum vel Clericorum militantium, de quibus ſolis quæſitum eſt.

Hæc igitur bella aggreſſiua, nulla prætenſa neceſſitate honeſtari poſſe quoad Religioſos ea gerentes, aut regentes eſt certa & cōmunis ſententia: cui ſubſcribūt quotquot negāt licitū eſſe Religioſis bella gerere, aut regere Nam de his duntaxat bellis agunt. Tradunt autem hæc multo magis de Religioſis, qui id tradunt de Clericis ſecularibus, cum Religioſi debeant à ſæculo eiuſque tumultibus remotiores eſſe, quàm Clerici ſeculares. Itaque quotquot argumenta monſtrant peccare clericos ſeculares hiſce bellis operam dantes; iure fortiori hic proferentur contra Religioſos, ſiue ea argumenta ab humana aut diuina autoritate petantur, ſiue à ratione in vtroſque ſtatu fundata. Inter diuina tamen teſtimonia, vix puto vrgendas ſcripturas, tametſi benè multas in hanc rem adducat Petrus de Beſſe in opere de Regali ſacerdotio l. 3 c. 2. probans ſacerdotes debere procul eſſe a bellis. Sed loca quæ adducit, adeò frigent, tamque ineſſicaciter rem conficiunt, vt præſtet ea prætermittere. Erit igitur nobis pro diuino ſuffragio, cum inſculptus à Deo naturæ autore ſenſus de huiuſmodi bellorum inhoneſtate; quod eſt quaſi naturale teſtimonium, ſed à Deo latum, vt diſputat Tertullianus l. de teſtimo. animæ; tum exemplum multiplex diuinitus ſtatutum in hominis Dominicos, bellis ex parte cauſæ non iniuſtis nauantes operam. Faciemus tamen initiū, ab aliis teſtimoniis quæ ſunt notiora nobis.

APODIXIS I.

Ex Canonibus Conciliaribus.

INter Canones occurrit primo loco Canon 83. Apoſtol. qui ſic habet: Epiſcopus, vel Presbiter, vel Diaconus exercitui vacans, *ϛρατείᾳ, σχολάζων*, & vtraque obſtinere volens, Romanum ſcilicet principatum, & ſacerdotalem adminiſtrationem; deponatur. Quæ enim ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.] Ex verbis Canonis liquet, prohiberi duntaxat in eo rectionem belli, damnatur enim ille qui *Ρωμαικὴν ἀρχὴν*, principatum inquam, *ἐν ϛρατείᾳ*, captat; quod optimè cadit in affectantem belli ducatum, nec quadrat ſimplici militi D. ſplicet verò Balſamon ibi, qui refert eum canonem ad ſolos præfectos militaris commeatus. Itémque ſub. illu, qui gloſſans canonem 16. Eccleſiæ Africanæ, vult illum canonem Apoſtolicum pertinere ad ambitum præfecturæ cuiuſcunque ſecularis; eo duntaxat nixus argumento, quod vox Græca *ἀρχὴ* Et Latina, *militia*, æquè fundantur ad dignitates Palatinas, a que ad militiam Latinam, vt eſt apud S. Ambroſium serm. 7. & Tullium pro Muræna. Nec latuerunt veteres *Toga a munera maleuia*; de quibus etiam eſt illud Manilij, [Hoc quoque militiæ genus eſt, ciuilibus actis, compoſitum.] Benè ac pulchrè in eandem ſententiam Naſo carm. ad Pisonem *sub initium*. Mentio itera eſt huiuſmodi militiæ l. 1. cod de tabul Necnon l. 1. 7. 9. & 12. Cod de prox. ſcrin. Multa in eam ſententiam annotat Briciola Tomo. 1. lib. ec. l. 11 c. 3. Et eruditè Iuretus ad LV. Symmachi Epiſtola 15 Locus Lucani ex Panegyrico Calpurnij Piſonis, huc appoſitè cadit.

———Tamen, & ſi bella quierunt
Non perit virtus; licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mouere.
Hinc quoque ſeruati conſurgit gloria ciuis,
Altaque veſtrinet intexunt limina palmæ.

Cæterum etiamſi fateor Latinum nomen *militiæ*, dici quoque de adminiſtrationibus & muneribus Palatinis, id quod æque concedo de Græca voce *ϛρατείᾳ*, tamen in canone propoſito, non videtur eſſe ambigendum quin ea vox ſpectet militiam armatam: Cuius Ducem, Epiſcopum, Presbiterum, aut Diaconum, exautorari mandent Apoſtoli. Et certè ſi is qui vel præfecturam bellici commeatus, vel quodcunque togatæ militiæ munus capeſcit, viſus eſt Apoſtolis exautorandus, iuxta aduerſariorum interpretationem; quanto magis exiſtimandum eſt, quandoquidem verba in plano ſenſu id ferunt, idem pronunciatum fuiſſe de gerente munus in militia armata, tumultuoſiſſima & ſanguinaria! Accedit quod alij plerique canones Apoſtolici, vt Balſamon animaduertit, prohibuerunt, perſonas de quibus propoſito canone agitur, obire munera publica togatæ militiæ. De munere autem publico militiæ armatæ, nihil vſpiam ab Apoſtolis vetitum reperietur extra propoſitum canonem: cum tamen incredibile videatur, Apoſtolos de minoribus & minùs decentibus præfecturis ſollicitos, circa incongruentiores & indigniores ſiluiſſe. Argumētatio videtur rem euincere; niſi quis dicat; rem eſſe adeò portentoſam vt homo Dominicus ſit armatæ militiæ præfectus, vt non cenſuerint Apoſtoli id eſſe lege vetandum. Id quod proportione ſeruata æque viſum eſt legiſlatori, qui in parricidas nihil lege ſtatuere voluit, ne videretur exiſtimare, rem adeò monſtroſam poſſe aliquan contingere. Et verò nonnulla ſunt ſcelera de quibus vitandis legem ferre, perinde eſſe videtur ac de eis monere, vt dicit S. Pacianus in paræn. ad *pœnit*. Si quis hoc tantum obtendens, canonem nobis Apoſtolicum eripiat, non multùm cauſæ præſenti incommodabit.

Concilium Oecumenicum Chalcedon. can. 7. Diſtinguens togatam & armatam militiam, ſiue functiones bellicas à publicis adminiſtrationibus, ita ſancit [Eos qui ſemel in Clero cooptati ſunt, & monaſticam vitam expetiuerunt, ſtatuimus neque ad militiam, neque ad ſæcularem dignitatem venire; aut hoc audentes nec pœnitentiam agentes, vt ad id reuertantur quod propter Deum prius elegerant, anathematiſari.] Non eſt audiendus Balſamon, affirmans in hoc canone agi tantùm de eo præfecto togatæ militiæ, qui veſtem abiecerit Clericalem, aut Monaſticam. Canone autem 83. Apoſtolorum, actum fuiſſe de togatæ militiæ præfecto, qui id munus obire vellet, retenta veſte ſacra. Hoc totum eſt voluntariè conſictum, & abſque

vllo fundamento in verbis quibus Canon conceptus eſt, quæ proinde ſunt accipienda vt ſonant. Planeque ad id cogit, diſtinctio munerum publicorum atque militiæ, adhibita in canone. Dueitè in ſenſu quem tradimus, hunc Chalcedonenſem canonem accepit Concilium Triburien e ſub Formoſo c.27. Et videtur, eum ſimiliter accepiſſe Zacharias Papa ad 9. Capitulum conſultationis Pipini, & Antiſtitum Francorum. Et annuit ipſemet Balſamon, à ſe diſſentiens ad cano.83. Apoſtol.

Concilium Andegauenſe 4. celebratum anno Chriſti.453. cano. 5. [Si qui Clericorum, tradendis vel capiendis ciuitatibus fuerint interfuiſſe detecti, non ſolùm à communione habeantur alieni, ſed ne conuiuiorum quidem admittantur eſſe participes.]

Concilium Turonenſe 1. celebratum anno 482 can 5. ſic habet. [Si quis Clericus, relicto officij ſui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.]

Concilium, ſiue Francicum, ſiue Germanicum, (Variant enim de loco ſententiæ) coactum anno 742. Præſide S. Bonifacio Moguntino, ſic habet contra quoſcunque homines Dominicos, militantes. [Seruos Dei, per omnia, omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum vel hoſtem pergere, prohibuimus omnino: niſi illos tantùm, qui propter Diuinum myſterium, miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & ſanctorum patrocinia, ad hoc electi ſunt; id eſt vnum vel duos Epiſcopos, cum Cappellanis Præsbiteris Princeps ſecum habeat; & vnus quiſque Præfectus vnum Præsbiterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pænitentiam poſſit.] Hanc Synodum iuſſu Zachariæ Romani Pontificis habitam, (vt eſt in capitularibus Regum Francorum. l.5. *fere initio*, vbi ad ſcripta legitur) firmauit ſua auctoritate idem Zacharias, vt intelligitur ex eius Epiſtola 3. & 9.

Moguntinum Concilium 1. ſub Leone 4. congregatum, ſic ſtatuit c.17. [Nos qui reliquimus ſeculum, id modis omnibus ob eruare volumus, vt arma ſpiritualia habeamus, ſecularia dimittamus. Laicis verò qui apud nos ſunt, arma portare non præiudicamus; quia antiquus mos eſt, & ad nos vſque peruenit.] Hi laici non ſunt qui in Religioſis domibus arcentur à ſacerdotio; ſed ſunt famuli ſeculares, qui & Clericis & Monachis obſequia exhibent. Tales enim laicos, nihil vetat arma portare & tractare, idque tulit antiquus vſus.

Meldenſe Concilium ſub Sergio 2. anno 845. præcipit c.37. vt [Quicunque ex Clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant; ſed profeſſionis ſuæ vocabulum, Religioſis moribus, & Religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tanquam ſacrorum canonum contemptores & Eccleſiaſticæ Sanctitatis profanatores proprij gradus amiſſione mulctentur; quia non poſſunt ſimul Deo & ſeculo militare.] Eadem totidem verbis iterat Synodus villæ Sparnaci, ſub Carolo Calno, circa annum 850. cap 37.

In Concilio Sueſſionenſi ſub Pipino Maiore domus Regiæ cano. 3. ita decernitur. [Abbates legitimi hoſtem non faciant, niſi tantùm homines eorum tranſmittant.] Hoſtem facere eſt ad bellum procedere, ac præliari. Nec obeſt, quod extet notitia monaſteriorum quæ Regi dona & militiam facere debent; ſuntque numero quatuordecim; & aliorum quæ tantùm dona debent abſque militia; ac denique eorum quæ tantùm debent orationes, vt legere eſt in Notis ad Tomum 2. Conciliorum Gallicanorum poſt Notas in conuentum Abbatum Aquiſgrani. Hoc inquam, non obeſt prædictis. Nam *militiam facere*, in ea notitia, nihil aliud eſt, quàm expenſis monaſterij à Rege fundati, ſuppeditare ad bellum milites, iuxta pacta fundationis. PRON. II. *De bello agreſſus.*

Concilium Meldenſe, tempore Arnulphi Regis ſub annum 890. cap. 3. poſtquam dixit attendendum eſſe hominibus Dominicis, ne illud fiat quod ſcriptum eſt 1. Eſdræ 9. *Maxima culpa populi, in culpa ſacerdotum fuit*; inter cætera quibus interdicit clericis, vnum eſt, vt nemo Clericorum arma portet; numerans illud, inter ea in quibus queritur grandem fuiſſe leuitatem; & ob quæ ſupra modum euiluiſſe grauitatem & religionem Clericalem, grauiter expoſtulat.

Concilium Triburienſe anno 895 congregatum c.27. iterat anathema intortum à Concilio Chalcedonenſi in Clericos militantes.

His addi potuiſſent varia quæ in hanc rem leguntur in Capitularibus Caroli Magni & Ludouici Pij; quandoquidem ſanctiones illæ fuerunt Synodaliter concinnatæ, & confirmatæ à ſede Apoſtolica, vt aſſerit Benedictus Leuita Capitulorum collector poſt Angeſiſum collector in præfatione ad l. 5. ſummam eorum decretorum quæ l.6.c.61. continentur, ſic exhibet Iſaac Epiſcopus Lingonenſis tit.11. [Si quis Epiſcopus, Præsbiter, Diaconus, vel ſubdiaconus, ad bellum proceſſerit, & armis bellicis indutus fuerit ad bellandum, ab omni officio deponatur; in tantum, vt nec laicam communionem habeat.

Concilium item Meldenſe c.78. voluit ea Capitula ſeruari; vt proinde veluti pro illius Concilij decretis haberi queant. Plura ex eo opere infra decerpam Apodixi 6. Concilium Andegauenſe celebratum anno MLX. præſide Stephano Cardinali legato Nicolai 2. Romani Pontificis, quod recens prodiit, & inſertum eſt Notationibus ad vitam Lantfranci Cantuarienſis, ſic edicit cap.7. [Quicunque Clericorum deinceps in armis militaribus militauerint; & beneficiorum, & conſortium Clericorum amittant.]

APODIXIS II.

Ex decretis ſummorum Pontificum.

E Reſcriptis vel conſtitutionibus ſummorum Pontificum, libanda ſunt pauca duntaxat, dimiſſis innumeris quæ apud eos in hanc rem allatum ſuppe unt.

S. Innocentius 1. Epiſtola ad S. victricium Rothomagenſem c. 2. adeò abhorruit à militia Dominicorum hominum, vt conſultus hac in parte ab eodem ſancto Antiſtite, reſcripſerit, pœnitentes, ſi poſt abſolutionem ad militiam nomina dederint, ad Clericatum nullo modo eſſe admittendos Quanquam non pœnitentes modò, ſed quoſcunque fideles qui in ſeculo militauerint, ineptos eſſe qui eligantur in Epiſcopos, conteſtatur Hincmarus in Epiſtola ad Bellouacenſem Eccleſiam. Illud porrò S. Innocentij Decretum cum recogito, ſubit animum exiſtimare, canonem 12. Nicæni Concilij, quo pœnitentibus ad ſeculi militiam, reſumpto cingulo regreſſis mulcta Eccleſiaſtica decernitur, non eſſe accipiendum de regreſſu ad militiam cum profeſſione Ethniciſmi; quæ ſunt de eo canone ſententia Balſamonis, & Zonaræ, ac Matthæi Monachi quibus ſubſcripſit Petrus Soto in refutat. Prolegomo Brentij,

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Brentij, & Card. Hoſius l. de legitimo iudice rerum Eccleſ. *pag.* 497. refellentes ſpurcum illum Verpam, qui Concilium Nicænum ſugillarat tanquam aduerſans, militiæ quorumcunque Chriſtianorum; qui eſt error manifeſtè contrarius Euangelio, & per Calumniam affictus Concilio. Non igitur cenſeo, Concilium damnaſſe pœnitentes regreſſo ad militiam ſecularem, cum profeſſione Idololatriæ, & eiuratione Chriſtianiſmi. Ea quippe culpa quæ tetrior à Chriſtiano admitti non poſſet acerbius à Concilio fuiſſet caſtigata, quam ſta uatur eo canone. Sed ſicut S. Innocentius, publicè perfunctos pœnitentia, ſi ad militiam priùs abiectam regrediantur, arcet à Clericatu, ob militiæ profanationem vitio exercentium multis nec leuibus culpis obnoxiam, à quarum occaſione par eſt abeſſe, qui in Clerum ſunt cooptandi; ita Concilium eos qui pœnitentiam publicam obiuerint, & aliquatenus tranſiuerint in peculiarem Dei populum Diuino cultui arctiùs mancipatum; vetat denuò periculoſam pietati aleam militiæ ſubire.

S. Gregorius l. 7. Epiſto. 1. indict. 1. ad Sabinianum Diaconum. [Vnum eſt quo breuiter ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorum, in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec duces, nec comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa ſed quia Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me miſcere formido.] Et tamen quod mirabile eſt, erant Longobardi eo tempore, mortalium omnium tunc ſceleſtiſſimi; Et inter Eccleſiæ perſecutores numerati ab ipſo S. Gregorio, Deum variis miraculis illos confundentem, ſæpè narrante. Videndus l. 4. Epiſtola 34 & l. 1. dialo. c. 4. *in fine*, & l. 2. c. 17. & l. 3. c. 11. 26. 27. 28. 29 & 37. & l. 4. c. 21. 22 & 23. & homil. 1. in Euang. Noluit tamen vir ſanctus, memor profeſſionis ſuæ, exolutus licet legibus quibusvis poſitiuis humanis, lauare manus ſuas in ſanguine peccatorum.

Zacharias Papa Epiſtola ad Francos, (quæ eſt numero tertia inter eius Epiſtolas, & legitur quoque initio libri quinti capitularium Caroli Magni,) ſic ſcribit. [Habuiſtis, peccatis facientibus nunc vſque, falſos & erroneos ſacerdotes: Vnde & cunctæ paganæ gentes, vobis pugnantibus præualebant; quia non erat differentia inter laicos & ſacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt, Qualis enim victoria datur, vbi ſacerdotes, vna hora, dominica pertractant myſteria, & Chriſtianis Dominicum porrigunt corpus, pro ſuarum animarum redemptione: Et poſt, Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerant, aut Paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis ſacrilegiſque manibus necant; præcipue dicente eis domino, *vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, & cum hæc ita ſint, & tales in vobis fuerint ſacerdotes, quomodo victores contra veſtros inimicos eſſe poteritis? Nam ſi mundos & caſtos ab omni fornicatione, & homicidio; liberos habueritis ſacerdotes, vt ſacri præcipiunt canones, & noſtra vice prædicat præfatus Bonifacius frater noſter, & etiam omnibus obedientes extiteritis; nulla gens ante conſpectum veſtrum ſtabit, ſed corruent ante faciem veſtram omnes paganæ gentes; & eritis victores; inſuper & benè agentes, vitam poſſidebitis æternam.]

Idem conſultus à S. Bonifacio de quibuſdam Epiſcopis qui cum alia peccabant, tum nominatim in prœliis pugnabant armati; reſpondet Epiſto. 1. ad S. Bonifacium, vt nulla ratione permittat tales fungi ſacerdotio, [quia tales à ſuo proprio ore falſi nominantur ſacerdotes, & peiores ac deteriores ſecularibus eſſe noſcuntur.] Et mox, hoc peccatum præferens inceſtis ſacerdotum coniugiis, ſubdit, [Sed iſta paruipendentes, atque Deum ad iracundiam prouocantes, maiora committunt facinora, dum propriis manibus, Chriſtianos atque Paganos homines necant; & fit, vt quibus in remiſſionem peccatorum debuerunt lauacrum regenerationis impendere, atque Chriſti Sacramenta donare, ne in æternum perirent, eorumdem Sacrilegis manibus, ipſi extinguantur. Quis enim ſapiens habens cor, eos æſtimet ſacerdotes, qui neque à fornicationibus abſtinent, neque ab effuſione ſanguinum manus ſeruant innoxias? Quiſue eorum ſacrificiis Deum credit eſſe placatum, dicente Propheta, *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*? Iſti namque, (vt præmiſi), ne Sacerdotio fungi patiantur, neque diuina contingere myſteria, commonemus.] Tandem Epiſtola ad Pipinum Maiorem domus, & Epiſcopos Francorum, gratulandus eis, quod accepiſſet, Epiſcoporum, & Clericorum ac Religioſorum ſanctam conuerſationem, ſeriò & grauiter commendat quod hic intendimus. Locum infra dabo pronunciato. 5. *initio.*

Adrianus 1. Epiſtola ad Carolum Magnum quæ in Gretſeri collectaneis eſt 77. approbans quod Ioannes Monachus, Carolo in Clericis corrigendum ſuaſerat, ſic habet. [Factum eſt nobis præfatus Ioannes Monachus, quia dixiſſet vobis, vt omnis Epiſcopus ſpiritualia teneret arma, & non terrena. Quatenus ſi ita eſt quod militaria induunt arma, hortantes veſtræ notecimus protectæ à Deo Regali excellentiæ, vt nullo modo ſic ferri permittat; ſed quoſcunque in quolibet deferri cepit loco, tam Epiſcopi quam Præsbiteri, Orthodoxæ fidei galeam & ſalutis induti arma, orationibus vacare grauiter ſtudeant, vt cuncto populo ad ea quæ pro ſalute animæ ſunt, ſpirituale gerant officium.]

Nicolaus 1. Epiſtola ad Michaelem Imperatorem *ſub finem*, [Cum ad verum ventum eſt, eundem Regem atque Pontificem, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit. Quoniam item mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in inferna demergi; vt & Chriſtiani imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodò rerum, Imperialibus legibus vterentur, quatenus ſpiritualis actio carnalibus diſtaret incurſibus, & ideò militans Deo, minimè ſe negotiis ſecularibus implicaret.

Ioannes 8. Epiſtola ad Angelbergam, Imperatricem, agens pro Ioanne Epiſcopo ne cogeretur bellare, ſic habet. [Nimirùm certe veretur, & iure formidat, contra profeſſionem ſui Ordinis ſecularem militiam exercere, terram defendere. De prælus tractare, de armis, terrenæ poteſtatis eſt.]

S. Leo 9. in Concilio Rhemenſi ſeſſ. 3. Petentibus eis qui ſanctæ Religionis amatores ibi aderant, plurima ſanctorum Patrum decreta quæ iam per incuriam pro nihilo habebantur, præcepto ſuæ autoritatis renouauit, & multa quæ in Gallicana

Eccleſia,

Eccleſia, exercebantur illicita, ne fierent vlterius ſub anathemate prohibuit, videlicet præter cætera. [Ne quis Clericorum arma militaria geſtaret, aut mundæ militiæ deſeruiret.] Videndus Ordericus Vitalis lib. 5. hiſtor. Hom. vbi de vitio in hanc rem obiecto S. Leoni.

Innocentius 3. ſcribens ad Cantuarienſem Archiepiſcopum de iis qui vouerant adire terram ſanctam tempore expeditionis Cruciatæ, cum ad Clericos deuenit, ita reſpondet. [Cum Clericatus officium eos reddat inhabiles ad pugnandum, niſi vel conſilio ſtrenui, vel officio prædicationis inſtructi, aut Magnatum ſint obſequio deputati, aut vſque adeò diuites fuerint & potentes, vt in expenſis ſuis aliquos ſecum ducere valeant bellatores: magis ab eis expedit redemptionem accipere, quàm ad votum illos cogere proſequendum, ſi neceſſitas exigit vel vtilitas perſuadet.] Idem cap. 5. de pœnis, ſacrum hominem, nauis in pugna gubernatorem, & conflictui operam dantem enormiter peccare, & dignum eſſe depoſitione decernit.

Gregorius 9. Epiſtola ad Germanum Conſtantinopolitanum [Vtrumque gladium ad Romanum Pontificem pertinere, ex Euangelica lectione tenemus. Etenim loquente Ieſu Diſcipulis de acquiſitione gladij ſpiritualis illi duos ibi poſitos oſtenderunt, quos Dominus dixit ſufficere, ad cohibitionem videlicet ſpiritualis, & temporalis offenſæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quod in Matthæi Euangelio Dominus dicat Petro; *conuerte gladium tuum in locum ſuum*; dicendo *tuum*, materialem ſignificauit gladium, quo percuſſit ille ſeruum Principis Sacerdotum. De ſpirituali verò, nemo venit in dubium: cum ei, id eſt Petro, per cuiuſdam ſpecialitatis apicem, ligandi atque ſoluendi commiſerit poteſtatem. Vterque igitur gladius Eccleſiæ traditur, ſed ab Eccleſia exerendus eſt vnus, alius pro Eccleſia manu ſecularis Principis eximendus; vnus à ſacerdote, alius ad nutum ſacerdotis adminiſtrandus à milite.

Non diſſimiliter Bonifacius 8 Extrau. 1. de Maiorit. & obed. præfatus eſſe in Eccleſia, & in poteſtate Eccleſiæ gladium ſpiritualem & temporalem, concludit. [Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritalis ſcilicet gladius & materialis; ſed is quidem per Eccleſiam, ille verò pro Eccleſia exercendus, ille ſacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis. De hac re, inſignem planè Epiſtolam Celeſtini Papæ ad Philippum Bellouacenſem repræſentat Rogerus in annalibus Anglicanis, quam ibi videndam conſultò demitto. Et quanquam Cæleſtinus miſericordia motus pro Epiſcopo bellatore captiuo, denique interpellauit Regem Anglorum, hic tamen miſſa ad Pontificem Epiſcopi lorica, cum eo lemmate, *vide an tunica filij tui ſit, an non?* petitionem liberationis Epiſcopi eluſit, & quid deceret hominem Dominicum, inſinuauit.

Hic manifeſtatæ menti Pontificum de hoc negotio, non inhæſit Hugo Legatus Apoſtolicus, qui anno 1.51. Chriſtianum Epiſcopum Moguntinum depoſuit ſpecie inutilitatis, eo quod renueret arma tractare; & idcirco in odium Gulielmi Regis, & aliorum Principum incurriſſet. Narrat, & iniuſtum pronunciat eam Chriſtiani exautorationem Henricus Spondanus ad annum prædictum num. 7.

APODIXIS III.

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Ex dictis Patrum.

TEſtimonia Patrum, cum delectu reſecanda erunt ne in immenſum excreſcat allegatio.

Origenes tract. 35. in Matth. ad illud, *conuerte gladium tuum in locum ſuum*, agens de Apoſtolis & iis qui vitam profitentur Apoſtolicam, (Clericis ſcilicet & Religioſis,) ſic ſcribit. [Pacificos vult eſſe Ieſus Diſcipulos ſuos, vt bellicũ gladiũ deponẽtes, alterum pacificũ accipiãt gladiũ, quẽ dicit ſcriptura gladiũ ſpiritus. Simile autẽ mihi videtur quod dicit, *omnes qui accipiunt gladiũ, gladio & peribunt*; Id eſt omnes qui nõ ſunt pacifici, ſed belli cõcitatores, in eo bello peribunt quod concitant; vt ſit in eis gladius myſterium belli & litis; & puto quod omnes tumultuoſi, & cõcitatores bellorũ, & cõturbantes animas hominum, maximè Eccleſiarum, accipiunt gladium in quo & ipſi peribunt; quoniam qui fodit foueam, ipſe incidit in eam; quoniam conuertetur dolor eorum in caput ipſorum, & iniquitas eorum in cerebrum eorum deſcendet. Sed & ſimpliciter audientes quod dicit, *qui accipiunt gladium, gladio peribunt*; cauere nos conuenit, vt ne occaſione militiæ, aut vindictæ propriarum iniuriarum, eximamus gladium, aut ob aliquam occaſionem, quam omnem hæc Euangelica abominatur Chriſti doctrina; præcipiens vt impleamus quod ſcriptum eſt *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.*] Etiamſi ageret vniuersè de Chriſtianis, in quo hallucinaretur, negans eis militandum; tamẽ in re noſtra argumentũ valeret à minori ad maius. Cæterũ agit de ſolis Eccleſiaſticis, qualis ipſe erat, vnde non excludit militiam per fideles laicos exercendã.

Eodem modo accipiendum & aptandum ad hanc rem eſt, quod idem habet his verbis in fine operis cõtra Celſum. [Hortatur nos Celſus totis viribus, vt opem Regi feramus, ſuſcipiamuſque vnà ad æquitatem labores, vt illum tuemur, illi vt bella geramus, ſi bella gerenda ſunt. Nos verò Principibus quandoque opitulamur, hiſque opitulatione quadam diuina præſidio ſumus, Dei armaturam recipientes. Et id quidem Apoſtolicæ voci obtemperando, nos agimus, ſic differenti. *Obſecro itaque vos primùm, facere petitiones, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in præcellentia ſunt.* Et nimirum quanto quis erga Deũ pietate præſtiterit, tanto & Regibus ad opitulandum efficacior præter cæteros milites erit, in expeditionem euntes; vt quoad liceat, per multos hoſtium perdat. Deinde ad eos qui à fide ſunt alieni, & dignum ducunt pro Republica nos militiæ munus inire, & homines morte conficere, dicturi id ſumus. Quemadmodùm iuxta ſe ſimulachrorum Heroum quorundam quos Deos putant, ſacerdotes, ſuam dexteram manum ſacrificandi gratia ſeruant innoxiam, vt manibus ſanguine nihil inquinatis, his offerant ſacrificia, quos Deos eſſe affirmant; ita vt nec ſi ingruat bellum, militare hos alij cogant. Quod vtique ſi iure id fieri apud iſtos videtur, quanto magis vel aliis militantibus, & noſtri homines vt Dei ſacerdotes preces & vota ſubminiſtrando, pro his haud dubiè ſunt orando potiùs quàm belligerando militaturi, qui bella iuſtiùs geſſerint, & rectiùs dominentur, vt hoſtilia cuncta & his aduerſantia qui iuſtiores ſint, tollantur è medio. Nos verò precando & ſupplicando longè magis, dæmones omnes qui vel prælia excitant, vel iuſiurandum confundunt, vel pacem perturbant, dum perdimus, Regibus ipſis præſidio ſumus, quàm ſi bella gerere videremur.]

PRON II. *De bello aggreſſiuo.*

Idem homilia 6. in Leuitic. *in fine.* [Si quis vult, Pontifex non tam vocabulo eſſe quam merito, imitetur Moyſem, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis, quia non diſcedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyſes indeſinenter in tabernaculo Domini. Quod autem eius opus erat? vt aut à Deo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret, hæc duo ſunt Pontificis opera, vt aut à Deo diſcat legendo ſcripturas Diuinas, & ſæpius meditando; aut populum doceat; ſed illa doceat quæ ipſe à Deo didicerit, non ex proprio corde, vel ex humano ſenſu, ſed quæ ſpiritus ſanctus docet, eſt & aliud opus quod facit Moyſes; ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? orat, & donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit, & dimiſerit manus, populus eius vincitur, & fugatur. Oret ergo & ſacerdos Eccleſiæ indeſinenter.]

Nazianzenus orat. 14. n. 16. queſtus ob improborum Antiſtitum culpam; Religionem Chriſtianam vileſcere apud improuidos, ſubdit. [Quid hæc ô viri, & quamdiu? Non tandem aliquando reſipiſcemus! Non expergiſcemur? Non erubeſcemus! Non ſi nihil aliud, hoſtium certè linguis, quæ falſa etiam crimina facile affingunt, occurremus? & Non apud nos ipſos diſtinguemus, quænam nec quærenda omnino ſint, quænam mediocriter, quænam contentioſis hominibus concedenda & relinquenda; quoque tandem modo ſe habeant, vt pote nullum doctrinæ noſtræ detrimentum afferentia; quænam fidei ſoli donanda, quænam etiam ratiocinationibus, pro quibus denique acri animo pugnandum ſit, rationibus tamen, non ferro atque armis? Nam aduerſas quoquo modo manus attollere, prorſus à cauſa noſtra alienum eſt, atque ad eos qui nobis infenſi ſunt, abiiciendum.] Hæreticos deſignat, ad quos eſſe remittendum pugnare armis, rectè affirmat. Sunt enim ſanguinarij; quippè filij Patris ab initio homicidæ, vt optimè notauit Lucifer Calarit. l. 1. pro S. Athanaſio.

S. Hieronymus Epiſto. 11. quæ eſt ad Ageruchiam de Monogam. *poſt medium*, agens de vario ſtatu in veteri & in nouo teſtamento. [Olim (inquit,) gloriæ erat illum audire verſiculum, *filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum*: Nunc de continentibus dicitur, *qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*, Et *adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Tunc oculum pro oculo; Nunc, verberanti maxillam, præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicebatur, *accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*; modò audit potius, *conde gladium tuum in vaginam; qui enim gladio percutit, gladio morietur.*

Non venit in mentem S. Hieronymo, aſſerere neminem deinceps in lege noua debere militiæ nomen dare, ſed eius verba cadunt in ſolum S. Petrum, id eſt in ordinem Eccleſiaſticum, cui S. Hieronymus, ait, à Chriſto dici, *Conde gladium tuum.* Et benè quoad huiuſmodi perſonas, quadrat ratio à Chriſto ſubiuncta, *omnis enim qui gladio percutit, gladio morietur.* Præterquàm quod enim, infrequens, non eſt, vt aliter quam ſicca morte defunguntur homines Dominici, arma tractantes; inſuper etiam ſi mortem cruentam euaderent, non euadet tamen mortem, animæ illatam eo ipſo gladio quem in hoſtem exerunt.

S. Ambroſius Epiſtola 14. de negatis Baſilicis, *ſub finem*, adducto imperatoris Notario, qui vrgebat num tyrannidem affectaret, & vellet aduersùs imperatorem inſurgere Reſpondet. [Si hæc tyrannis videtur, habeo arma, ſed in Chriſti nomine; habeo offerendi mei corporis poteſtatem. Quid moraretur ferire ſi tyrannum putaret? veteri iure, à ſacerdotibus donata imperia, non vſurpata. Et vulgo dici, quod imperatores ſacerdotium magis optauerint, quam imperium ſacerdotes. Chriſtus fugit, ne Rex fieret, habemus tyrannidem noſtram; Tyrannis ſacerdotis infirmitas eſt. *Cum infirmor* (inquit) *tunc potens ſum*; cauere tamen ne ipſe ſibi tyrannum faceret, cui Deus aduerſarium non excitauit. Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego ſim Valentiniani, qui ſe meæ legationis obiectu, queritur ad Italiam non potuiſſe tranſire. Addidi quia nunquam ſacerdotes tyranni fuerunt, ſed tyrannos ſæpè ſunt paſſi.] Et initio concionis de non tradendis Baſilicis. [Aduerſus arma, milites, Gothos quoque; lachrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.] Iactatur etiam ex eo, illud de ſacris hominibus deſcriptum à Gratiano 23. q. 8. c. 3.

Non pila quærunt ferrea,
Non arma, Chriſti milites.

Quod tamen apud ipſum Ambroſium, non memini legere, ſenſus tamen apud eum, crebrò occurrit. Et pulchrè l. de viduis, verbis illis. [Eccleſia non armis ſecularibus vincit aduerſarias poteſtates, ſed armis ſpiritualibus, quæ ſunt fortia Deo ad deſtruendas munitiones, & altitudinem nequitiæ ſpiritualis. Et ideò Siſaræ ſitis, lactis poculo reſtinguitur; quia oratione ſuperatur. Quod enim nobis ſalutare ad eſcam, hoc aduerſariæ poteſtati lethale ad infirmitatem. Arma Eccleſiæ fides, arma Eccleſiæ oratio. Hæc eſt quæ aduerſarium vincit.]

S. Chryſoſtomus Epiſtola 1. ad Innocentium Papam deſcribens tumultus Conſtantinopolitanos Eudoxiæ auſpiciis excitatos conniuente Arcadio. [Vbique (inquit,) per fora, per domos, per ſolitudines, per omnes ciuitatis partes, omnia lamentis, eiulatibus, fontibus lacrymarum, & id genus calamitatibus, plena erant: & in tanto tumultu & trepidatione, ac planctu erant omnia, vt non modò qui affligebantur, ſed & qui nihil tale patiebantur; & non ſolùm qui noſtræ fidei erant, ſed & Hæretici, & Iudæi, & Gentiles, quaſi ciuitate capta nobiſcum dolerent. Talia auſi ſunt præter ſententiam pientiſſimi Regis, nocte profunda; Epiſcopis hæc inſtruentibus & vbique militantibus, nec erubeſcentibus quod eſſent Duces militum, & pro Diaconis, Satellites prætereuntes haberent.] En quo loco habet S. Chryſoſtomus, belligeros & imperatores Epiſcopos.

Fiebant iſta incondite prorſus, & præpoſterè per Theophilum Alexandrinum, hominem pro Antiſtite politiciſſimum; de quo etiam Metaphraſtes in S. Chryſoſtomi vita ſcribit, quod conſcripſerit exercitum aduersùs minùs ſibi obſequentes Monachos, cumque ipſe noctu duxerit, contendens erigere trophæum. [Quod quidem, (inquit Metaphraſtes,) neſcio an vlli alij, qui eſſet quidem Pontifex, vel minimum conueniret. Alioqui autem ſi nulla alia de cauſa, at ſuæ quidem certè honeſtatis gratia, à re tam vituperanda debebat abſtinere.] Teſtimonium hoc verum eſt.

S. Auguſtinus apud Bucchardum l. 2. cap. 100. [Arma ſacerdotum, lectio & oratio, quibus Diabolus expugnatur.] Idem l. 2 contra liter. Petil c. 19. cũ is dixiſſet, indignum eſſe ſacerdotes vacare cædibus, idque fuiſſe Iudæorum & Paganorum ſacerdotum

tum

tum, non autem Chriſtianorum; nam nunc, non habet Deus carnifices ſacerdotes: cum inquam hæc dixiſſet Petilianus, non eſt ei refragatus S. Auguſtinus.

S. Iſidorus referente & approbante Concilio Triburienſi ſub Formoſo cap. 27. eos qui caſtra Eccleſiæ amplexi, regrediuntur ad caſtra ſecularia, & militiæ temporali nauant operam, vocat *Hippocentauros*, qui nec equi nec homines, atque quaſi bruta animalia libertate ac deſiderio ſuo ferantur. Quam verò bellè, comparatio Hippocentauri quadret in brutios illos atque terrenos, quod ſonat vox *Edom* intelligitur ex inſigni diſputatione S. Baſilij l. de vera virginit. cum de tactus eſtrænatione.

Syneſius Epiſto. 121. vrgente Anaſtaſio Hydrocometa, vt ad eum violentiæ ſubducendum arma corriperet, reſpondet. [Si omnino legibus te eſſe ſuperiorem neceſſe eſt, at ego non is ſum qui eas ſoluam, aut carceris fores effringam. Etenim ſi Reipublicæ penes Epiſcopos eſſet adminiſtratio, eo dem ipſos oporteret nequitiæ eſſe vindices: quandoquidem publicus gladius non minùs quàm luſtralis aqua, quæ in templorum veſtibulis collocatur, ciuitatis eſt piaculum. Hîc veterum decus audimus famamque virorum. Hunc in modum factitabant, quoad optimum videbatur, eundem pro communi bono vota facere, idemque vti contingeret, procurare. Nam & Ægyptij, & Hebræorum genus, longo tempore, ſacerdotum imperio vſi ſunt, ſed poſteaquàm vtriuſque vitæ factum eſt diuortium, & alia ſacris, alia principatui eſt attributa; aliique negotiis gerendis, nos fundendis precibus præpoſiti ſumus, quibus lex vetat manum ad iura legeſque porrigere, & vel ſceleratiſſimum interficere; quonam modo quiſquam iis conceſſerit, manum homini veteratori contra iura porrigere?] Idem in calce Cataſtaſeos. [Illud præ cœteris tempus, neceſſarium ſacerdotibus ad atria Dei curſum efficiet, cum ad ipſam vrbem præſens periculum acceſſerit. Ego in loco meo in Eccleſia permanebo. Luſtralis ante me aquæ ſanctiſſima vaſa collocabo, ſacratas columnas amplectar quæ puram & incontaminatam à terra menſam ſuſtinent. Illhic ego, & ſedebo viuus, & mortuus iacebo, Dei miniſter ego ſum, ac ſacrificus; ac fortaſſe animam ipſam ſacrificare illi me, conuenit. Neque verò aram illam incruentam, Deus, ſacerdotis cruore pollutam negliget.] En quem locum ſacerdotibus inter arma tribuat Syneſius.

Theophilactus 1. Tomo. 2. ait; [Suum (id eſt ſacerdotem) fuiſſe, bellis adeſſe per vota tantùm, ac preces pro Imperatore bellante fuſas.

Hildebertus Epiſto. ad Andium Præſulem (eſt num. 16. inter Fulberti Epiſtolas) propugnans negatas abs ſe inducias 40. dierum ante intortam excommunicationem, vt ea ferebant tempora, ſic ſcribit. [Si quadragenario vocationis ſpatio, lege canonum te defendere niteris, ſcio quia ſingulares cauſæ vel perſonæ, non præiudicant legi, nam te in furorem verſum, & ex Præſule, Ducem tot armatorum factum, totam noſtram patriam crudeliter vaſtare cernens, ferrum, ignes, diuerſaſque nobis mortes minatum, imminentique plagæ, quadragenariæ vocationis ſpatium, vt deſiſteret nihil videns prodeſſe; venabulum mox tibi excommunicationis oppoſui; vt eo ſaltem viſo territus, te & tuos vel ad momentum refrænares; & Præſulem quem amiſeras, recognoſceres. Sed tu maluiſti illo excommunicationis venabulo confi-

gi, quàm à cœpta tyrannide vel ad punctum refrænari. Nam quod dicis, te Regis hoc iuſſu feciſſe; nec nego, nec affirmo, nec quid hoc leuet intelligo. Cuiuſcunque enim hoc iuſſu feceris, eadem culpa, ac ſi nullus iuſſerit, vrgeris. Nam ad exaggerationem tuæ culpæ, iſta ſatis tranſgreſſio ſufficit, quod præter mea, & tui Archiepiſcopi conſulta, contra canonicam authoritatem tale aliquid incipere præſumpſiſti, quodque etiam me iubente non debuiſſes facere, hoc te ipſo conſultore feciſti.]

PRON. II. *De bello defenſiuo.*

Iuo Carnotenſis Epiſto 247. grauiter incuſat Aurelianenſem Epiſcopum & Clerum, quod auderent præeſſe Monomachiæ quam condixerant. Et rationibus vtitur, quæ multo magis vrgent pro bello integro ac pleno, quàm pro duello, quod eſt bellum duorum tantùm. Sic autem habet præter cætera. [Quomodo Eccleſia iudicare debet fundendum ſanguinem alienum, quæ à primo ortu ſuo, iuſſa eſt fundere ſanguinem proprium? faciant hæc cincti iudices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant; non qui contra nequitias, ſpirituales, gladio ſpiritus pugnant; vt cum vnumquodque membrum Eccleſiæ, officium non vſurpauerit alienum, laudes mereatur quæ ſponſæ Chriſti cantantur, in Canticis Canticorum, *Pulchra vt Luna, electa vt vt ſol, terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.* Alioqui ſi alieni ordinis vſurpatores fuerimus, nec noſtri officij quod poſtpoſuimus, nec alieni quod vſurpauimus, meritum obtinebimus; ſed tanquam capite deorſum poſito, & pedibus erectis, thimelicorum inceſſum imitabimur.]

Petrus Damiani l. 4. Epiſto. 9. ita auerſatur bella, quæ domeſtici Dei & homines Eccleſiæ gerunt, aut regunt, vt etiam negare videatur, fas illis eſſe, ſiue contra hæreticos, ſiue cum potiuntur ſuprema temporali poteſtate, contra hoſtes ſuos arma capere. Quod tamen certum eſt aſſeri non poſſe, vt fusè ibi confirmat Conſtantinus Caetanus & Baronius anno 1053. à num. 10. ad 18. qui Petrum Damiani multo aceto perfundit. Sed ſenſus Petri Damiani tantùm eſt, gladium materialem, etiam in illis euentibus non eſſe per Eccleſiaſticos exercendum; ita vt ipſi gerant aut regant bellum; ſed id præſtandum eſſe per laicos, ad nutum & mandatum Eccleſiæ. Id quod æquè tradit Bonifacius. 8. Extrau. 1. de maiorit. Et obed. Gregorius 9. Epiſto. ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum. S. Bernardus 4. de conſid. c. 3. & Epiſtó. 256. Anonymus ord. Prædicatorum tract. contra errores Græcor. *ſub finem*, & Bertrandus Cardin. in diſceptatione contra Petrum De Cugneriis. Non plus voluiſſe Petrum, ſignificatur verbis illis prædictæ Epiſtolæ. [Inter regnum & ſacerdotium, propria cuiuſque diſtinguantur officia, vt & Rex armis vtatur ſæculi, & ſacerdos accingatur gladio ſpiritus, qui eſt verbum Dei, de ſeculi nempe Principe dicit, *non ſine cauſa gladium portat Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, ei qui malum agit.* Azarias Rex quia ſacerdotale vſurpat officium leprâ perfunditur, & ſi ſacerdos arma corripit (quod vtique laicorum eſt,) quid meretur.]

Idem Petrus Damiani in Apologetico pro dimiſſo Epiſcopatu (eſt Opuſculum 20 c. 2.) laudato S. Bonito, qui Epiſcopatui Aruernenſi renunciauerat, alludens ad tumultus æui ſui Epiſcoporum, ſubdit. [Quid rogo iſte faceret, ſi tormenta quibus noſtri torquentur Epiſcopi, & ipſe perferret, ſi ſcutatorum & lanceatorum turmæ poſt equi-

PRON II. *De bello aggreſſiuo.*

tantis terga conſuerent? ſi eum tanquam gentilis militiæ Ducem in procinctu poſitum, armati vndique manipuli conſtiparent? & quem decuerat reuerenter incedere cum choro pſallentium, audire cogeretur hinc inde, perſtrepentium tinnitus armorum? vnde fit, vt modò Pontificem non comitentur (vt dignum eſt,) diuerſi Clericorum ordines, ſed caſtra potius, & armati telis vibrantibus bellatores.] Liquet, Petrum Damiani duxiſſe incongruentiſſimum, vt Antiſtites bella conficerent, cum neceſſitatem iis ſe immiſcendi, ſi Epiſcopo iniiciatur, habeat pro cauſa maximè idonea renunciandi Antiſtitio.

S. Bernardus epiſto. 256. referens ſe Religioſum hominem, in conuentu Carnotenſi fuiſſe electum in Ducem & Principem militiæ, addit. [Quis ſum ego, vt diſponam caſtrorum acies, vt egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum à profeſſione mea, etiamſi vires ſuppeterent, etiamſi peritia non deeſſet.] Idem in Epiſtola ad Hugonem Magiſtrum militiæ Templi, præfixa ſermoni ad milites Templi, profitetur ſuum non eſſe aduerſus tyrannidem hoſtilem vibrare lanceam, & idcirco ſtylum vibrare. Sed fusè & optimè epiſto. 78. quæ eſt ad Suggerium S. Dionyſij Abbatem [Neſcio quid proſit (inquit) ſi quod mundus clamat, ego tacuero, omniumque paſſim, naribus iniecto fœtore, ſolus diſſimulo peſtem, nec audeo naſum contra peſſimum putorem propria munire manu. Cuius enim cor non indignatur; cuius vel clam lingua non ſubmurmurat, Diaconum contra Euangelium, Deo & Mammonæ pariter miniſtrantem? ſic quippe ſublimatum honoribus Eccleſiaſticis, vt nec Epiſcopis inferior videatur; ſic implicatum militaribus officiis, vt præferretur & Ducibus. Rogo quid hoc eſt monſtri, vt cum & Clericus, & miles ſimul videri velit, neutrum ſit? par ſatis vtrobique abuſio; ſiue quod Diaconus, menſæ Regiæ deputetur miniſterio, ſiue quod Regis dapifer, myſteriis altaris inſeruiat. Quis ſanè non miretur, imo & deteſtetur, vnius eſſe perſonæ, & armatum armatam ducere militiam, & alba ſtolaque indutum, in medio Eccleſiæ pronunciare Euangelium? Tuba indicere bellum militibus, & iuſſa Epiſcopi populis intimare?]

Et inferius. [ô noua & exoſa peruerſitas. Itane plus decet, hominis quàm Dei famulum nominari; ac terreni, quàm cæleſtis Regis dici officialem, altioris ducitur dignitatis? Qui clero militiam, forum anteponit Eccleſiæ, Diuinis profectò humana, cæleſtibus præferre terrena conuincitur; Ergo pulchrius eſt vocari dapiferum, quàm Decanum, quàm Archidiaconum? eſt quidem, ſed laico, non Clerico, militi non Diacono, mira ſed vera ambitio, magis imis quam ſummis delectari, & cui funes ceciderant in præclaris, inſatiabili deſiderio amplexari ſtercora, & pro nihilo habere terram deſiderabilem. Confundit penitus ordines, & vtroque officio delicatè ſatis abutitur, dum & hinc delectat eum pompa, non militia ſecularis; & illhinc quæſtus, non cultus Religionis; In quo quis facile non aduertat, quantum ſit dedecoris, non minùs vtique regno quàm ſacerdotio. Vt enim Clericalis conſtat non eſſe dignitatis, Regum ſtipendiis militare, ſic nec Regiæ maieſtatis, rem fortium adminiſtrare per Clericos. Denique quiſnam Regum, ſuæ vnquam militiæ Clericum præfecit imbellem, & non magis quempiam fortiſſimum ex militibus? Quis item aliquando Clericorum, æquè ſibi non iudicauit indignum, laicæ cuiuſcunque perſonæ mancipari obſequiis? Iſtum certè quod geſtat in capite ſignum, plus Regius decet faſtus, quàm famulatus. Itemque Regale faſtigium, magis armis quam palmis innititur. Sane ſi alteri forte, (vt ſolet) acceſſiſſet, quod detrahitur alteri, quo vel Regis videlicet humiliatio Clericum ampliùs ſublimaſſet, aut Clerici certè deiectio, Regio contuliſſet honori; vt verbi gratia, ſi nobilis aliqua mulier, viro nubat plebeio, illa quidem minuitur ex illo, ſed ex illa creſcit ille. Si ita inquam, vel Rex Clerico, vel Clericus ex Rege proficeret; malum quod ex parte fuiſſet, vtcumque forſitan tolerari debuerat. Nunc autem cum vtriuſlibet diminutio neutrum proueħat, ſed ſuæ potius alterutrum plurimum detrahant dignitatis, quando nec Clericum decet, Regis (vt dictum eſt,) eſſe vocarive dapiferum, & nihilominus Regem niſi in manu vtique fortium, regni gubernacula poſſidere; mirum valde, quomodò vtraque poteſtas hoc patitur, quod vel Eccleſia non abiicit diaconum militarem, vel curia Clericum Principem non contemnit.]

Idem S. Bernardus cum Ludouicus Craſſus Rex Francorum, Epiſcopum primò Pariſienſem deinde etiam Senonenſem Archiepiſcopum grauaret, quod mutata mente, qui olim toti ac iuges erant & in aula & in bello atque militia, vellent ouibus ſuis adeſſe, & ſtudiis pacis (vt Epiſcopos decebat) potiùs quàm prælijs & ſeculari militiæ incumbere; fortiſſimè vir Sanctus accurrens (vt ipſe fatetur Epiſto. 46.) tanquam pro grauiſſimo Religionis & Eccleſiæ malo, obſtitit Regi, interpellato etiam Pontifice Honorio 2. quem falſis Regis ſuggeſtionibus implanatum, liberrimè dedocet. Huc enim præſertim, ſpectaſſe quod tantoperè apud Regem ac pontificem vrget S. Bernardus, benè vidit Baronius anno 1127. & apud ipſum S. Bernardum facile eſt perſpicere, ab Epiſtola 42. per complures ſequentes.

Petrus Cluniacenſis l. 6. Epiſto. 46. rationem reddens Eugenio Papæ, cur durioribus in ſpeciem conditionibus pepigiſſet cum hoſte, potiùs quàm bello cum eo decerneret, vt plerique etiam Monachi, autores erant; ſic ſcribit. [Inueni vniuerſos adiacentes nobis milites, caſtellanos, ipſos inſuper comites, duces Burgundiæ noſtræ, vel aureæ (vt dicitur,) fortunæ inhiare & quaſi argentei fumi nidore attractos, ad arma ſumenda noſtros vndique concitare. Dicebant multa amicorum condolentium, vel conſultantium ſpecie, quæ ego audita, in quam partem vergerent, aduertens, aurem eis pacificam velut benè conſulentibus exhibebam Inſtabant & multi ex noſtris, (ſed quo ſpiritu ipſi viderint, aſſerentes credendum eſſe prudentibus viris; qui cum amici eſſent, & in re militari aſſueti, non hortarentur ad inutilia, nec ſuaderent diſſuadenda. Aderant è conuerſo longè plures his affirmantes nihil vnquam lucratum eſſe Cluniacum militaribus armis; aut vecordem, hoſtem eſſe, qui Monachis pugnare ſuadeat, qui cucullatum gladio præcingat, pro admirabili habendum prodigio, ſi tale monſtrum ad bella procedat; ridendos eſſe, & ſubſannandos ab orbe terrarum huiuſmodi milites vel athletas. Nec iam illuc velle venire ſeculares ad ſuſcipiendum Religionis habitum, quem ab ipſis Religioſis iam viderent depoſitum. Præter hæc, damna innumera inde poſſe oriri: cum breui tempore bellica clades, etiam longè maiores, quam Eccleſia illa

habeat

habeat redditus, poſſit abſumere, & conſumendo paulatim in ſe ipſa deficere. Ad vltimum homines alijs aſſuetos, ſtudij bellicarum artium prorſus ignaros, hoſtibus callidis, & in his à lacte educatis, non niſi prædam vel eſcam exiſtere. Hæc ſanioris conſilij eſſe clamauerunt.

Idem l. 5. Epiſto. 7. ſcribens ad Theobaldum Abbatem S. Columbæ, qui ex voto crucem ſuſceperat, & Hieroſolymam petierat, vt aſſiſtentia ſua atque ſubſidiis quibus poſſet, firmaret & iuuaret milites in pugna contra Saracenos, monet illum in hæc verba. [Cauendum eſt, ne de ſpoliis fortè vincendorum hoſtium ſpes lucri ſubintret, & ſeruum Dei, poſtpoſita commiſſarum animarum cura, huc illucque non iam deuotio, ſed auaritia vagari compellat. Videndum eſt, ne vanæ laudis amor præcordia tangat, & militarem ſe ac bellicoſum contra propoſitum & ordinem, Monachus & Abbas oſtentet. Rurſus l. 2. Epiſto. 9. agens de Matthæo Albanenſi Epiſcopo, quem Innocentius Papa ad ſe in Italiam bellis ardentem euocabat. Quid in medio bellorum facturus eſt inermis? Magis ille quia ſacerdos Dei eſt, manuum ad Deum cum Moyſe extenſione, quàm alieni ſanguinis effuſione, & iram Domini auertere & Amalech ſuperare cõſueuit. Quod ſi longe melius Moyſes in monte orationis ſecretum dante, quàm in campo belli patente, hoſtes populi Dei ſuperare præualuit; & Epiſcopus veſter; multo magis & vobis patri ſuo, & vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ, orationibus & conſiliis nobiſcum, quàm tumultibus & præliis vobiſcum proſpicere valeret.]

Honorius in gemma animæ l. 1. c. 235. & 236. [Clerici non debent ideò arma portare, quia non contra homines, ſed contra Dæmones debent virtutibus pugnare, ſicut Moyſes arma non portauit; ſed Ieſu cum Amalech pugnante, ipſe precibus pugnauit. Sic Apoſtoli, & eorum ſequentes, non armis, ſed orationibus pugnauerunt; & nos non reſiſtere, ſed magis iniurias pati docuerunt. Laici autem debent arma portare, vt Eccleſiam à Paganis protegant, & Clericos ad ſeruitium Dei expediant. Vnde & illorum veſtes ſunt ſtrictæ, quatenus expediti reddantur pugnæ, ſicut autem non licet laicis, Clericale officium vſurpare, ita non debent Clericalem veſtem ferre; & ſicut Clericis non licet, nec contra Paganos arma ferre, ita non debent Clerici veſtes laicas geſtare.] Non intendit Honorius, excludere militarem Eccleſiaſticorum habitum in neceſſitate. V. G. ad latendum, vel ad occultè peragenda ſacra. Qua ratione Euſebius Samoſatenus apud Theodoretum 4. Hiſtor. c. 12. peragrabat prouincias militari habitu, ad inaugurandos ſacros miniſtros, tempore perſecutionis. Agit ergo Honorius, tantùm de euentibus extra iuſtam neceſſitatem.

APODIXIS IIII.

Ex factis Sanctorum.

Dictis Sanctorum, adiungenda ſunt nonnulla eorum facta; quibus comprobarunt, agnoſci abs ſe culpam in tractatione armorum per homines addictos Chriſti familiis, & in ſacram ſortem adſcriptos.

Lucifer Calaritanus inter cauſas non admittendi ad pœnitentiam clericos lapſos, quam laicis

item lapſis non negabat, recenſet quod militiam eſſent amplexati, tranſeuntes ad Arrium. Audi Luciferianum apud S. Hieronymum in Dialog. c. 1. [Non eſt Epiſcopi, ipſum lachrymas fundere pro peccatis, & corpus attrectare Domini. Non eſt Epiſcopi, ad fratrum genua prouolui, & de ſublimi loco Euchariſtiam miniſtrare populo. Aliud eſt lugere quod fueris, aliud neglecto peccato, in Eccleſia viuere glorioſum. Tu qui heſterno die, ſacrilegus creaturam, Dei filium prædicabas, qui quotidie peior Iudæis, Blaſphemiarum lapides in Chriſtum iaciebas; cuius manus ſanguine plenæ ſunt, cuius ſtylus, lancea militis fuit; ad vnius horæ conuerſionem, virginem Eccleſiam adulter ingredieris? ſi peccaſſe te pænitet, officium depone Sacerdotis; ſi te non peccaſſe confidis, permane quod fuiſti.]

PRON. II. *De bello agreſſiuo.*

Non approbo Luciferi duritiem, quæ Eccleſiæ diſplicuit. Tantum contendo, ſenſum Eccleſiæ antiquæ, à qua Lucifer vt nimis molli abhorrebat, omnino tuliſſe, indicendam eſſe publicam & ſolemnem pœnitentiam, Clericis & Epiſcopis qui militaſſent. Aduerto præterea, inter hos militares Epiſcopos & Clericos, non fuiſſe recenſitum vllum è Catholicis; ſed tantùm eos qui Arrio inhæſerant; quia Catholici memores profeſſionis, abhorrebant ab ea profanitate.

De S. Martino iam Baptiſato ante biennium, & monaſticam vitam profeſſo, tametſi in ſeculari veſte, ſic ſcribit Seuerus Sulpitius l. de vita S. Martini c. 3 [Interea irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæſar, coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem, Donatiuum cæpit erogare militibus: vt eſt conſuetudinis, ſinguli citabantur; Donec ad Martinum ventum eſt. Tum verò opportunum tempus exiſtimans, quo peteret miſſionem; neque enim integrum ſibi fore arbitrabatur, ſi Donatiuum non militaturus acciperet,) Hactenus (inquit ad Cæſarem,) militaui tibi; patere vt nunc militem Deo: Donatiuum tuum militaturus accipiat. Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduerſus hanc vocem Tyrannus infremuit; dicens, eum metu pugnæ quæ poſtera die erat futura, non Religionis gratia, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato ſibi terrore conſtantior; Si hoc (inquit) ignauiæ adſcribitur, non fidei, craſtina die, ante aciem inermis adſtabo; Et in nomine Domini Ieſu, ſigno crucis non clypeo protectus aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.] En quæ arma tractare ſe debere, ſentiat miles Chriſti, id eſt Monachus, qualis iam tunc erat S. Martinus, vt ex Seueri narratione intelligitur. Et hoc eſt, quod vir Sanctus negauit, ſibi Chriſti militi fas eſſe militare. Nam ſi de ſola militia Chriſtiana per Baptiſmi ſuſceptionem egiſſet, non negaſſet, fas ſibi eſſe militiam exercere. Meritoque Baronius anno 351. textum Seueri de S. Martini militia agentis c. 3. vitæ S. Martini cum quoad alia deprauatum eſſe expoſtulat, tum quod apud eum nunc legatur, Martinum quod Chriſtianus eſſet, miſſionem petiiſſe à Iuliano Cæſare; in Galliis tunc degente, & aduerſus Barbaros pugnam meditante.

Eodem Iuliano ad imperij clauum ſedente, & Monachos ad militiam vrgente, accidit quod Ruffinus l. 2. vitæ Patrum c. 7. de B. Apollonio narrat hic verbis. [Cum audiſſet Iuliani tyranni temporibus, fratrem quendam militia comprehenſum, detineri in carcere, venit ad eum cum

PRON. II. *De bello defenſiuo.*

fratribus, conſolandi gratia: & vt moneret eum, in neceſſitate tenere conſtantiam, atque imminentia contemnere & deridere pericula. Tempus enim (ait) certandi adeſt, in quo fidelium mentes tentationibus probandæ ſunt & noſcendæ. Cumque hi, & aliis verbis roboraret animos adoleſcentis, ſuperuenit centurio, & indignatus eſt, cur introire auſus ſit. Clau es ext inſecus carceris impoſuit, ip umque & omnes quicunque venerant, concluſit; quo ſcilicet etiam ipſi ſimiliter ad militiæ detinerentur officium: conſtituenſque cuſtodes quamplurimos abſceſſit. Medio autem noctis, aſtare viſus eſt Angelus ingenti luce reſplendens, & obſtupefactis perterritiſque cuſtodibus, carceris clauſtra patefecit. Tunc verò ipſi cuſtodes aduoluti pedibus Sanctorum, rogabant eos decedere; dicentes m lius ſibi eſſe mori pro eis, quam diuinæ virtuti obſiſtere quæ eorum curam gerebat. Manè verò etiam ipſe c nturio, cum principalibus viris, feſtinus ad carcerem venit, rogans vt diſcederent omnes qui teneri videbantur. Licet ac enim, domum ſuam, terræmotu magno concidiſſe, & electos quóſque famulorum ſuorum peremiſſe. Sancti verò his auditis hymnum Deo laudeſque cecinerunt, & regreſſi ad eremum, erant in vnum poſiti ſecundum Apoſtolorum exemplum, habentes animam vnam & cor vnum.] Eadem leguntur apud Palladium c. 52. Lauſ. Et vterque hauſiſſe potuit ex Timotheo Alexandrino quem Sozomenus l. 6. c. 129. accurate res huius B. Apollonij deſcripſiſſe teſtatur. Ex his autem paucis quæ retuli, ſenſus eius de militia à Monaſtico inſtituto abhorrente, liquido deprehenditur, multiplici diuinitus edito opere firmatus: Cum & Angelus Domini vberi luce coruſcus carcerem quo refugientes militiam Monachi detinebantur, colluſtrauerit; & cuſtodum mentes ſubitò ſint inflexæ, ita vt martyrium quoque in præparatione animi ſubire fuerint parati, qui alios efficiebant Martyres; & domus Centurionis qui ſeruos Dei propter militiam concluſerat, terræmotu ſubito concidit; ipſeque Monachos ad bellum vrgens Centurio, depoſita ferocia, abſque mora ſanctos exoluerit, carcereque patefacto liberos dimiſerit quos comprehenderat ad militiam adigendos.

S. Nicetus in Concilio Lugdunenſi cui præerat, exauctorauit Salonium & Sagittarium Epiſcopos bellicoſos, de quibus Gregorius Turon. h. 4. hiſtor. Franco. c. 27. & h. 5 c. 21. & 28. & h. 7. c. 28. Quod ergo in præliis illis quæ Mummolus cum Longobardis geſſit, accincti armis bellaſſent tanquam laici, & cum militari cohorte irruiſſent in Victorem Epiſcopum Tricaſtinenſem celebrantem natalis ſui diem; omnibuſque direptis, cæſis miniſtris, Epiſcopum ipſum dehoneſtaſſent ſciſſis eius veſtibus; adunati has ob cauſas in Concilium prouinciale Epiſcopi, de Regis Gunthramni voluntate, de gradu deiecerunt indignoſque ſacerdotio pronunciarunt bellicoſos illos Antiſtites vt cap. illo 21. lib. 5. recitat Gregorius.

S. Arnulphus (vt habent eius Acta c. 17.) maluit cedere Abbatiæ, quam ad bellum cum Rege progredi. Quod exemplum ſanctè æmulatus Chriſtianus, Epiſcopus Moguntinus, cum aduocaretur ad Regem ſequendum in bello, negauit Sacerdotis eſſe inferre incendia & vaſtitates ſegetum ac vinearum: ſed quidquid ſuum eſſet, præſtiturum ſtrenuè adhibito gladio ſpiritus. Inſtante Rege vt decuſſorum veſtigiis inhæreret, reſpondit, dictum eſſe Petro, & omnibus in eo Eccleſiaſticis, *mitte gladium tuum in vaginam*. Itaque maluit deiici de gradu; quam munus ſuum militando dehoneſtare.

S. Gulielmus Epiſcopus Bituricenſis ex ordine Ciſtercienſium aſſumptus, adeò à Sacris hominibus alienum eſſe bellum duxit, vt ne ad iuſtum quidem bellum quod neceſſitas contumacium ſubditorum, & vſus antiquus in pari cauſa extorquere videbatur, adduci potuerit. Autor vitæ eius, ſic de eo ſcribit. [Cum illi perſuaderetur, vt in malitia obſtinatos & incorrigibiles collecto exercitu debellaret, quo illis profligatis tranquilitate & pace Eccleſia frueretur, & liberius diuinis officiis vacaret: Quam ad rem confirmandam ibidem adducebantur Patrum Exempla, mos regionis à Patribus inſtitutus, à poſteris obſeruatus. Ne quid præproperè vir ſanctus ageret, ad deliberandum Denique obſecrandum, temporis ſpatia accepit. Valde enim ab effundendo abhorrebat ſanguine, nec libebat militaribus accingi armis, hoſtiléſque vaſtare terras & prædas agere. Ne tamen vel virum patriæ temerè damnare vel maiorum inſtituta explodere videretur, promiſit quidem ſe facturum quæ illi ſuaſiſſent, ſed hoſtes non ferro aut igni, ſed ſpiritaliter oppugnandos ſuſcepit; obduratos igitur & pertinaces, ſeorſum ad ſe euocat, acriter obiurgat, gladio ſpiritus quod eſt verbum Dei, proſternit; adhibet comminationes æſtuantis gehennæ; illam fornacem pice & ſulphure ſemper arſuram ob oculos ponit; & ne parum efficax ſit ſermo, aſſiduis & quotidianis ſe macerat ieiuniis, orationibus & vigiliis, vt Deus illorum duritiam emolliat. Nec eſt ſpe fruſtratus ſua non ſine ſtupore & admiratione multorum, ſubitò ex lupis agni, ex perſecutoribus amici, ex alienis intimi & familiares fiunt; & quibus antea contemptibilis & vilis habebatur, iam non modò Archiepiſcopum, ſed ſanctum vocant Archiepiſcopum, parent ſubditi ſuo paſtori; ad votum celeriter iuſſa capeſſunt.]

S. Nodgerus Leodienſis Epiſcopus pulſos volens è finibus ſui territorij quoſdam graſſatores, vt ſecure negotium conficeret, induxit in eos milites habitu Clericorum, certus nunquam graſſatores dubitaturos quod eſſent milites, cum eos habitu Clericorum indutos aſpicerent; adeò tunc temporis, Clerici à militando aberant.

De pio Abbate Gallicano bellum auerſante, adiuto diuinitus, ſic ſcribit Petrus Damiani l. 4. Epiſto. 9.] In Galliarum finibus, audiui geſtum fuiſſe quod refero. Inter Abbatem, & quendam ſeculi præpotentem, orta eſt non leuis de poſſeſſione contentio; cúmque à partis vtriuſque fautoribus, iris diu certaretur & iurgiis, tandem vt armis ageretur, vtrinque condictum eſt. Et ſecularis quidem, paratis militum copiis, campum præliaturus ingreditur, acies ſtant, cuneos ordinat atque ad fortiter agendum, omnium mentes acerrimus cohortator inflammat. Silueſcunt omnia gladiis, rubent Clypei, vociferantium clamor attollitur minaces armatorum fremitus inhorreſcunt, tela ſtringuntur, & ſolus aduerſæ partis impetus ad confligendum accenſis manibus expectatur. Abbas autem non in armis terrenis ſpem ſuam, ſed in humanæ ſalutis authore conſtituens, cunctis qui pro ſe dimicare venerant, ſuum prohibuit comitatum; ſolos autem Monachos ſuos, equis impoſuit; capita cucullis operiri præcepit, ſicque cum illis, velut galeatis & loricatis fidei munimento Cruciſque vexillo, ad locum certaminis venit. Cumque vir ille, non ferrea, vt ſperabat, arma conſpiceret,

ret, ſed tanquam cæleſtem atque angelicam aciem aduentare comminus aduertiſſet, tantus eum cum ſuis omnibus diuini timoris horror inuaſit, vt deſilientes ex equis, pronique arma proiicerent, terræ ſe humiliter proſternerent, indulgentiam flagitarent. Sic, ſic, nimirum verlus Victoriæ triumphalis obtinuit, qui non in frequentibus equis, non in micantibus gladiis ſpem poſuit; ſed ex diuinæ tantùm potentiæ Virtute prætium poſit.

S. Gulielmus autem Dux Aquitaniæ, impellente Sathana, deſerto Dei obſequio cui renuncians ſæculo ſe manciparat, regreſſus animo ad ſecularem militiam, reductus eſt à Deo in gyrum, inſigni miraculo, quo Deus diſplicere ſibi malitiam hominum obſequio ſuo mancipatorum, teſtatum fecit. Rem exhibeo verbis Theobaldi Epiſcopi in ſancti viri actis cap. 16. [Contigit (inquit,) his diebus vt Gulielmus peragratis ſuperioribus partibus Tuſciæ, intra confinia Lucenſium deueniret; Ciues autem Lucenſes, ſimultate quadam aborta, aduerſùs vicinos eorum Caſtrum quoddam ex illorum Colonia fortiter obſidebant. Cúmque viribus vel induſtria nullatenus præualerent, caſu Gulielmum contigit eò peruenire; & iter faciens per medium illorum, obſidionis cauſam quæſiuit ab occurrentibus. Qua diligenter cognita, ſuadente Diabolo prorupit in hæc verba. Caſſo labore bellatores hi conſumuntur; in vanum caſtrum ſubuertere moliuntur. Non magis videtur hominibus iſtis ad pugnam conuenire, quàm bubus aut aſinis ad lyram. Hæc ſi mihi pugna concederetur, infra paucos dies, & diruta mœnia exterminarétur & caſtrú expugnaretur. Audiuit hæc qui piã, & numerauit aliis, & illi aliis, quouſque verbũ innotuit his qui videbantur in exercitu gerere principatum. Et fuit commune conſilium, vt Gulielmo à ciuibus vocaretur in medium. Vocatus adfuit, & ſicut de Saule legitur, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnes, & viſa proceritatis ſuæ longitudine, magnarúmque virium fortitudine, cognouerunt eum virum bellicoſum, & in bello doctiſſimum. Suaſum eſt illi à ciuibus, atque perſuaſum, in tantum vt pœnitentiæ oblitus, expugnationis triumphum eis in craſtinum promitteret affirmatum. Et ſic ſuggeſtione Diabolica ad damnoſam militiam ſponte reſpiciens, corde cum filiis Iſrael in Ægyptum reuertebatur. Cúmque ſe militares induiſſet habitus, ſequenti nocte tranſacta, primo mane, omnino ſe lumine priuatum reperit óculorum. Hoc totum autem factum eſt, vt adimpleretur ſcriptura, *quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi.* Videns igitur redíuiuus Saulus plaga excitatus ſe eſſe percuſſum, pudibundus & valdè confuſus, luce clariùs perpendit, ab Angelo Sathanæ ſibi fuiſſe illuſum: Et compunctus corde intrinſecus, quod ſemel manum mittens ad aratrum, reſpexiſſet retro, definiuit ad Dominicam militiam ſe protinus rediturum, & nunquam in perpetuum ab ea receſſurum. Et recogitans quanta quotidie beneficia præſtat vniuerſis Pater miſericordiarum, ex totis præcordiis ſe totum contulit ad rogandum Dominum, qui ſolem facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Domine Deus meus, (inquit,) qui es lumen indeficiens, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, per te quæſo tenebræ cordis mei illuminentur, & oculi corporis mei miſericorditer aperiantur. Vix ſermonem Beatus Gulielmus finierat, & ecce protinus ſuper ſe ſenſit Dominicam Viſitationem. Mox enim per Spiritus Sancti gratiam, quæ tarda molimina neſcit, ex inſpirato lumen amiſſum recipit. Sicque ad Dei militiam regreſſus eſt coactus, à qua ſtultè digreſſus fuerat Spontaneus. Poſtquam autem facto die Lucenſium multitudo ad eum ſecundùm condictum & placitum conuenit, ea qua potuit diſſimulatione pertranſiit: Intimauit eis, ſe eſſe pœnitentem & ſeruum Dei, & dicatum ad ſeruiendum Deo viuenti, militare de cœtero non licere. Et in hunc modum valefaciens Lucenſibus, & tranſiens, per medium illorum ibat.]

PRON. I. *De bello diſſuaſo.*

Iuo Carnotenſis, maluit iniquæ captiuitati ſubiacere, quam liberari bello, quod in eum finem meditabantur Clerici, iuncti ciuibus Carnotenſibus, quos omnino vrget vt contenti ſint oratione & ſeueritate Eccleſiaſtica, dimiſſo medio cruento bellorum. Sic enim habet epiſtol. 20. [Ne fiat prohibeo, interdico; nec enim incendiis Domorum, deprædationibus pauperum, poteſtis Deum placare; ſed vehementer exaſperare, ſine cuius beneplacito, neque vos, neque aliquis, poterit me liberare. Nolo ergo vt aduerſùm me implere faciatis aures Dei, pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Nec enim decens eſt, vt qui armis bellicis ad Epiſcopatum non veni, armis bellicis recuperem; quod non eſt paſtoris ſed inuaſoris. Si manus Domini tetigit me, & adhuc extenta eſt ſuper me, permittite me ſolum ebibere miſeriam meam, & ſuſtinere iram Dei, donec iuſtificet cauſam meam; & nolite tribulationem meam, aliena cumulare miſeria. Decretum eſt enim mihi, non ſolùm includi, vel Eccleſiaſtico honore priuari, ſed etiam magis mori, quàm per me ſtragem hominum fieri. Moneo igitur vos per ſupereminentem Chriſti charitatem, vt neque hoc faciatis, neque fieri permittatis.] Idem epiſtola 30. auertens Epiſcopum à bellando, vt habet vetus Epiſtolæ Summarium, [Quoniam Diabolus, noſter aduerſarius, tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, fraternitatem veſtram familiari exhortatione commoneo, vt fallaces eius circuitus omni vigilantia cauere ſtudeatis, quatenus propoſiti & officij veſtri memor, mundanam ſuperbiam, non armis mundanæ militiæ ſuperare valeatis.]

Nolo inter ſanctos recenſere Thomam Illyricum, ordinis Minorum ineunte ſuperiore ſæculo concionatorem planè Apoſtolicum; Tametſi quæ de eius pro Dei Eccleſia ardentiſſimo zelo, variis ſignis cæleſtibus & diuinis promotionibus nobilitato, à fide dignis ſcriptoribus prodita ſunt, nominatimque à Nauarro *c. Neceſſium* de pœnit. d. 5. §. 4. *inferiùs*, & à Florimundo Raymundo l. 1. hiſtor. hæreſ. cap. 3. à numér. 3. ſanctitati eius valde atteſtentur. Itaque ſuccenturiabo duntaxat illum ſanctis hactenus propoſitis. Is ergo in libello cui titulus eſt *Iaucellina in quoſdam malos Chriſtianos* § *quid etiam*, grauiſſime exagitat abuſionem de qua agimus; prolatis variis Canonibus, & rationibus. Sic autem ordiri expoſtulationem. [Quid etiam ſibi vult, quod quarumdam Eccleſiarum Cathedralium Canonici, calceis roſtrati, veſtibus accurtati, abiecto habitu Clericali & aſſumpto militari, in armis & haſtiludiis ſe exercent? Epiſcopique Cappâ, ſuperpelliceo, libroque depoſitis, arma ſumunt, in campis armati pugnant, vt Principes ſeculares? cum tamen eis & aliis perſonis Eccleſiaſticis non liceat bellare vel ſanguinem effundere, niſi in neceſſitate ineuitabili.]

Accenſendi item ſunt in hanc ſeriem, Monachi illi Bytones, relati à Beda l. 2. hiſtor. Anglo. c. 6. Nam tametſi aliam ob cauſam ibi à Beda ſignatam,

PRON I. *De bello defenſiuo.*

ad mille ducentos, extincti ſunt ab hoſtibus, nec niſi quinquaginta, fuga euaſerunt, tamen quod arma non corripuerūt, ſed operam tantum dederunt orationi, ex ſenſu omnium retro ſanctorum effecerunt; atque ita huc planè pertinent. Edilfridus Rex (inquit Beda) cum bellū acturus, videret ſacerdotes eorum qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente conuenerant, ſeorſum in tutiore loco conſiſtere, ſciſcitabatur qui eſſent ij quidue acturi illo conueniſſent. Erant autem plurimi eorum de monaſterio Bancor, in quo tantus fertur fuiſſe numerus Monachorum, vt cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi Rectoribus monaſterium diuiſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum viuebant. Horum ergo plurimi, ad memoratam aciem, peracto ieiunio triduano cum alijs orandi cauſa conuenerunt: habentes defenſorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus à Barbarorum gladiis protegeret. Quorum cauſam aduentus cum intellexiſſet Rex Edilfridus, ait; Ergo ſi aduerſùm os ad Deum ſuum clamant, profectò & ipſi, quamuìs arma non ferant, contra nos pugnant, qui aduerſum nos imprecationibus perſequuntur. Itaque in hos primum arma verti iubet &c. Extinctos in ea pugna ferunt de his qui adorandum venerant, viros circiter mille ducentos, & ſolum quinquaginta fuga fuiſſe lapſos. Brocmalius ad primum hoſtium aduentum, cum ſuis terga vertens, eos quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. [En quo apparatu ad bella olim Religioſi progrederentur, & in quem finem.

De Sigiberto Rege idem Beda l. 3. hiſtor. c. 18. ſcribit, cum relicto regno factus eſſet Monachus, & Mercij, Penda duce, infeſti affuiſſent, rogatum à ſuis vt bello intereſſet ad firmandos militum animos, conſtanter renuiſſe; & denique vi iniecta de monaſterio eructum, ad prælium abductum eſſe. Sed ipſe profeſſionis ſuæ non immemor, dum optimo eſſet vallatus exercitu, non niſi virgam tamen habere in manu voluit; occiſuſque eſt, vnà cum Rege Elgrico, & cunctus eorum inſiſtentibus Paganis cæſus ſiue diſperſus exercitus.]

Omnino multi ſancti Monachi, ſub Valente cum ad militandum adigerentur, maluerunt mortem oppetere, quam militiæ nomen dare, vt ſcribit Paulus Oroſius l. 7. hiſtor. c. 33. vtique non ignari abhorrere à ſtatu Monaſtico, militiam.

APODIXIS V.

Ex ſenſu Doctorum Scholaſticorum, Moralium, & Iuriſperitorum.

SEnſus Doctorum omnium qui hoc punctum attigerunt, non poterit non eſſe magni momenti, ad perſuadendum inexcuſabiliter peccare homines Dominicos, dantes operam bello aggreſſiuo purè humano, etiamſi iuſto, id quod omnes vnanimiter Doctores, cum Scholaſtici, tum Summiſtæ, ſeu Morales, tum denique periti Canonum tradiderunt. Auſpicabimur à Scholaſticis, quod exactius & diligentius res diſcutiant. Abſtinendum tamen erit adſcriptione verborum, ſed in nuda locorum ſignatione hærendum erit, ne immenſi ſimus.

E Scholaſticis ergo, tradit diſertè quod diximus, S. Thomas 2.2. q. 40. artic. 2. & ibi Caietanus, ac Bannes; VVigers num. 76. Molina tract. 2. de iuſtitia diſp. 108. Val. 2. 2. d. 3. q. 16. p. 4. Suares diſp. 13. de charit. ſect. 3. n. 5. Sotus l. 1. de Iuſtitia q. 1. art. 4. Ægidius de actibus ſupernaturalibus d. 31. Idem tradunt alij Scholaſtici ad 25. diſtinctionem l. 4. ſententiarum: & nominatim ita docet Maior d. illa 25 q. 20. 8. *Ecce quid eſt Bellum* Nicolaus de Orbellis in 4. d. 25. q. 9. *in fine* Item Petrus Ioannes Oliui quod l. 1. q. 19. Ferüardenſius digreſſ. de bello, interta Commentario in c. 4. Iacobi. Viguerius in Inſtit. Theol. c. 12. ſ. 3. verſu 8.

E Moralibus, idem docent præcipui quique. Angelus v. *Bellum* num. 4. & v. *Clericus* x. n. 2. Syluester v. *Bellum* 3. n. 3. Summa confeſſorum, Tit. de bello q. 5. Tabienna v. *bellum* n. 6. n. Antoninus 3. p ſummæ, Titulo 4. c 2. 4. 6. & 7. Paulus Layman in ſumma morali l. 2. tract. 3. c. 12. n. 19. Sebaſtianus Medices in ſumma de peccatis titulo 4. q. 76. Sa v. *bellum* num. 10. Nauarrus in ſumma c. 27. num. 80. Azor t. 3. l. 2. c. 16. q. 3. Toletus l. 1. Inſtit. ſacerdot. c. 33. num. 3. Sayrus l. 7. Theſau. c. 19. num. 2. Henriq. l. 14. c. 12. num. 10. Reginaldus in praxi l. 21. n. 89. 17. 107. Petrus Bacherius l. de militia Chriſtiana cap. 16. Caſtro Palau diſp. 5. de charit. p. 6. Auila de cenſuris 7. p. diſp. 6. ſect. 3. dub. 2. Tamburinus de iure Abbatum Tomo. 3. diſp. 12. q. 5. Diana p. 6. tract. 4. reſolut. 33.

Conſentiunt Iuriſperiti ad cap. *ſententiam* Ne Clerici vel Monachi, & tit. de honeſt. Clericorum: cum in Decretalibus tum in Clementinis. Sed præter cæteros, explicatiſſimè Panorm. cap. *Clerici*, de vita & honeſt. Clerico. Felinus ad c. *petitio* de homic. num. 5. Turrecremata in ſumma de Eccleſia c. 114. propoſitione 6. Specul. in tit. de lega §. *iuxta* verſic. *Sed nunquid Clerici* & verſic. *quid ſi Clericus.* Hoſtienſ. in ſumma Rubr. de Treuga & pace §. *quid ſit iuſtum.* Innoc. cap. *ſententiam*, ne Cler. vel Monachi. Antoni. c. *ſi quis vult*. diſt. 36. & in cap. *perpendit* de Immun. Eccleſiæ Calderinus & Anan. ad cap. *petitio* de homicid. Villadiego tractatio de legato à latere q. 14. num. 122. Rutilius Benzonius in ſpeculo Epiſcoporum l. 3. q. 5. Ægidius Viterbienſis oratione habita initio Concilij Lateranenſis. Albericus v. *Bellum* 2. Cardinalis Conſil. 47. Iacob. Montaynus tract. de armis Clericorum. Stephanus Auferius de poteſt. Eccleſ. in Laicos n. 28. & Tract. de poteſt. Secularium in Eccleſiaſticos regula 1. n. 21. & 29. Ioannes Lupus Tract. de bello membro. 3. 4. & 5. Franciſcus Arias l. de bello, *initio*. Ioannes de Lignano Tract. de bello c. 54. & 85. Bertacherius de Epiſcopis l. 4. p. 2. Couarr. ad Clement. *ſi furioſus* p. 2 §. 3. num. 2. Gutierres l. 2. qq. canon. cap. 6. Carolus de Graſſis de effectibus Clericatus, effectu 20. & 18. Andreas Gaill. l. 1. de pace publica c. 8. n. 20. 21. & 22. Petrus Gregorius l. 3. de Republ. c. 7. num 23. & l. 31. Syntagon. c. 22. n. 4. Remundus Ruffus l. pro Pontifice contra Molinæum *ſub finem* pag. 667. adducto etiam Budæo l. 4. de aſſe. Petrus Bellinus tractatu de re militari tit. 8. n. 3. 4. & 5. Paulus Romanus de penſionibus c. 7. n. 8. Quid ad tantam nubem teſtium dicam? Magnum veritatis præiudicium eſt aliquid omnibus peritis videri vt eſt apud Caſſianum l. 1. de Incarn. c. 6.

APODI

APODIXIS VI.

Ex ſenſu benè moratorum Chriſtianorum; Iudæorum, Ethnicorum.

STellio quoque, etiamſi manibus nititur, adſcandus huc eſt; moratur enim in ædibus Regis. Id eſt, iuxta S. Gregorij interpretationem 6. Moral. c. 4. rudis plebecula, quæ quia ingenij alis deſtituitur, manibus reptat, diuina ſæpè adita penetrat præ ſapientibus & prudentibus. Itaque eius ſenſum in re noſtra nunc exquiremus, initio facto à plebe Chriſtiana, cui obiter ſubnectemus ſenſum exterorum.

Plebis Chriſtianæ ſenſus de re propoſita.

QVantopere ad hanc ſpeciem ſacrorum hominum armis præcinctorum, & bellicas res tractantium, percuſſi ſemper ſint fideles populi, vix eſt quod exponam. Neminem latent Laicorum Scommata & dicteria in homines Dominicos, Galeatos, Sacerdotes haſtatos, & quod omnium videri poteſt potentiſſimum, Religioſos Loricatos, cuiuſmodi ſunt apud Æthiopes, quos ex Monachis ſæpè conſcribere exercitus, ſcribit Franc. Aluarez in hiſtor. Æthiopum, & Bodinus in methodo hiſtoriæ c. 5. Sed qui Æthiopes nouit, & Religionis inibi deſolationem, non miratur, hanc quoque execrationem apud eos vigere Apud Chriſtianos autem benè moratos, non ſic. Huc re pexit bubulcus Germanicus apud Baptiſtam Fulgoſum lib. 6. de dictis & factis cap. 2. *ſub finem.* Vir profectò ſolers, & ideo non repellendus tanquam ruſticanus & rupex. Narrat ibi Fulgoſus, Germanicum bubulcum, effuſum eſſe in riſum, cum conſpexiſſet Epiſcopum Colonienſem armatum, milites in bellum ducere; cauſamque riſus rogatum, reſpondiſſe aliam fuiſſe S. Petri conditionem, quam eſſet tunc ſui Epiſcopi; ſubinferente autem Antiſtite, duplicem ſe perſonam ſuſtinere, & Ducis, & Epiſcopi; nec ad Bellum progredi vt Epiſcopum, ſed vt Ducem, ac Principem temporalem; addit Fulgoſus cachinnatum bubulcum petiiſſe, cum Dux mortuus infernum adiiſſet, quid futurum eſſet Epiſcopo, quóve is eſſet commigraturus; ſatis ſignificantem, Antiſtiti non fore innoxiū bella tractare, & prodire arma ū. Neque enim improbabat quod Epiſcopus ſimul & Princeps ſupremus, res Eccleſiæ ſuæ bello tutaretur: ſed quod ipſemet bellū gereret armatus, & bello præeſſe. Et huc ſpectās Clericus Pariſienſis apud Cæſarium l. 2. c. 28 aiebat. [Omnia credere poſſū, ſed vix credere poſſum, quod vnquā aliquis Epiſcopus Alemaniæ poſſit ſaluari. Quia pene omnes Epiſcopi Alemaniæ, vtrūq; habent gladium, ſpiritualem videlicet ac materialem: & quia de ſanguine iudicant, & bella exercent, magis eos ſollicitos eſſe oportet, de ſtipendiis militum, quàm de ſalute animarum ſibi commiſſarum.] Addit tamen Cæſarius, fuiſſe nihilominus inter Colonienſes Antiſtites qui Epiſcopi ſimul ſunt & duces, aliquos canoniſmo claros & ſanctitate præluſtres, v. g. S. Brunonem. S. Heribertum, S. Annonem, Verùm hi non ductabant acies per ſe ipſos, nec militabant quod vnum improbabat ruſticus quem adducebam. Bubulco iungo de quo iam ſuperiùs, Regem ac nobilem. Cum vrgente Rege Francorum, Cæleſtinus Papa apud Regem Anglum ſatageret pro Philippo Epiſcopo Bellouacenſi, qui pugnans captus & abductus fuerat, deriſit Anglus petitionem, remiſſa Pontifici lorica Epiſcopi, addens, *vide an tunica filij tui ſit, an non.* Apud Guaquinum, in Ludouico XI. nobilis eques Chabanus, cùm Balua Antiſtes Ebroicenſis, militi ad bellum colligendo incumberet, petiit à Rege vt proficiſci ſibi liceret Ebroicas, ad delectum ac examen inaugurandorum in ſacros miniſtros, & collationem ſacrorum ordinum, ſignificans, tam ineptè homini Dominico rem bellicam, quam ſibi militi, rem ſacram committendam. PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Non Ebroicenſium, ſed Andium, Epiſcopum Baluam fuiſſe, ait Nicolaus Bartholomæus, Poëta in Gallia non ignobilis ſub Franciſco I. hoc breui carmine quod inter eius Epigrammata legitur exprimens Chabani Sales. Quod liber ille ferè obſoleuerit, & ægre adeundus à lectore ſit, adſcribo non longum Epigramma:

Dum Rex Gallicus hoſtium tumultum
Sedari cupit, & manum in rebelles
Armat; detulit omne copiarum
Balua imperium illud ambienti:
Tum coram Chabaneus Imperator,
Iturum illicò ſe fatetur Andes
Vt Clerum inſtruat, & miniſtret aris,
Et ſacris operetur otioſus,
Dum ſic bella gerit negotioſus,
Vltra fáſque decuſque, Cardinalis.

Sic ex ſenſu communi Poëta ille.

Græcorum in parte ſenſum, egregiè aperit querela Nazianzeni de impacta fratri Cæſario calumnia quam refert in epiſtol. quadam quæ legitur lib. 4. Selectarum epiſtolarum *pag.* 285. erat Cæſarius, homo ſecularis. & magiſtratu aulico inſtructus, at tamen cum vulgatum eſſet, eum rei bellicæ dediſſe operam, admirabūdus populus fidelis, eo verborum ſpiculo pupugit Cæſarium, quod Nazianz. fratrem æque appetiit τὸν μὲν υἱὸν τοῦ ἐπισκόπου στρατεύεσθαι. Quod enim Cæſarius eſſet Epiſcopi filius, indecētiſſimū & incongruentiſſimū videbatur populo, eum tametſi laicum & in aula verſantem, arma tractare Idq; fratri impactum, expoſtulat Naziázenus Non enim excuſat munus aulicum, non ſtatum laicum ac ſecularem; ſed ingenuè agnoſcit, Epiſcopi filium & fratrem, à tractatione armorum & belli ducatu, (id enim eſt στρατεύειν,) abhorrere oportere, ſi decori ratio habeatur. Quid verò de militante aut copias ductante Epiſcopo dixiſſent iidem fideles, ipſeque Nazianzenus? In Collectaneis Capitularium Caroli Magni, & Ludouici Pij l. 6. ſuppeditatur teſtimonium ſenſus, vniuerſi populi Francorum, adeò luculentum, vt deſperandum videatur quippiam alibi in rem præſentem illuſtrius adſcribo illud, ne præterito quidem capituli titulo, qui ſic habet; *Dic Generali totius populi ſupplicatione, apud Principem, pro ſacerdotum cauſa, ne in hoſtem aut pugnam pergerent, & quale eis omnibus immineat ex hoc periculum: Ex Capitulis Domini Karoli Imperatoris, Wormatiæ generaliter decretis atque ab omnibus firmatis, & cunctis pro lege tenendis, contradictis.* Flexis omnes precamur poplitibus maieſtatem veſtram, vt Epiſcopi deinceps, ſicut hactenus, non vexentur hoſtibus, ſed quando vos nóſque in hoſtem pergimus, ipſi propriis reſideant in parochiis, Deoque fideliter famulari ſtudeant, & earum ſacro ſancta myſteria canonicè, & Deo placitè peragere ſatagant, atque

pro

PRON. I. *De bello defenſiuo.*

pro vobis & cuncto exercitu veſtro, vna cum omnibus ſibi commiſſis, orare viriliter, miſſaſque decantare, & litanias, atque eleemoſinas facere decertant. Quoſdam enim ex eis, in hoſtibus & prælijs vulneratos vidimus, & quoſdam periiſſe cognouimus. Hæc verò valdè periculoſa, & oppidò ſunt cauenda. Quæ idcirco ſuggeſſimus, ne pro talibus, vos & nos ſimul pereamus, nouit Dominus quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, & quidam ex noſtris timore perterriti, propter hoc fugere, & inimicis terga vertere ſolent; plures enim poteſtis habere præliatores, ſi illi proprijs reſideant in parochiis, quàm ſi vobiſcum pergant quoniam illi qui eos præuident, omnes tunc pugnabunt: quod modo nequaquam faciunt, ſed eos tantummodo cuſtodiunt. Nam ſine dubio; potius vobis nobiſque proficere poſſunt, ſi remanſerint, quam ſi in hoſtem, vel ad pugnam perrexerint: quia tunc eorum precibus adiuuamur, & modò eorum preſſuris grauamur. Quando verò Moyſes expanſis ad cælum manibus orabat, vincebat Iſraël, & quando à precibus ceſſabat, & manus eius grauabantur, priuſquam ſuſtentatæ fierint, & ipſe precibus inſiſteret, vincebatur, terga vertebat. Talibus ergo, & multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes modo non dicimus, quia ſapienti ſemel dicta ſufficiunt prædicta, obnixè omnes precamur, & vt concedantur rogamus; quia nullatenùs volumus aſſentire, vt nobiſcum ad talia pergant.]

Accepto hoc libello ſupplicij, pius Princeps, votis fidelis populi aſſenſum præſtitit, vetuitque ne Deinceps hominis Dominici bellatum proficiſcerentur, vt refertur ibidem cap. 186. ſed quia prohibitio minus ſuffecerat, nec inolitæ abuſioni extirpandæ par fuerat, additur alia l. 7. c. 103. in hæc verba. [Secunda vice propter ampliorem obſeruantiam apoſtolica authoritate & multorũ ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque canonum regulis edocti, conſultu videlicet omnium nobilium noſtrorum, noſmetipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, volumus vt nullus ſacerdos in hoſtem pergat, niſi duo, vel tres tantùm Epiſcopi, electione cæterorum, propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem; & cum illis electi ſacerdotes, qui benè ſciant populis pænitentias dare, miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique olei cum ſacris precibus vnctionem impendere; & hoc maximè prouidere, ne ſine viatico quis de ſeculo recedat. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effuſores ſanguinum, vel agitatores fiant; ſed tantùm ſanctorum pignora & ſacra miniſteria ferant, & orationibus pro viribus inſiſtant, vt populus qui pugnare debet auxiliante Domino victor exiſtat, & non ſit ſacerdos ſicut populus. Reliqui verò qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos homines benè armatos, nobiſcum, aut cum quibus iuſſerimus dirigant; & ipſi pro nobis & cuncto exercitu noſtro, miſſas, litanias, oblationes, eleëmoſinas faciant, orantes, Deum cœli, vt proficiamus in itinere quo pergimus, victoreſque Deo adminiculante exiſtamus. Gentes enim & Reges earum, quæ ſacerdotes ſecum pugnare permiſerunt, non præualuerunt in bello, nec victores extiterunt; quia non erat differentia inter laicos & ſacerdotes, quibus pugnare non eſt licitum. Hæc verò, Galliarum, Hiſpaniarum, Longobardorum, nonnulláſque alias gentes, & Reges feciſſe cognouimus, qui propter prædictum nefandiſſimum ſcelus, nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam ſoueam cauentes, malumus cum paucis & licitis Domino opem ferente, victores exiſtere, quàm cum multis & illicitis, terga (quod abſit) vertere, & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur, vbi ſacerdotes vna hora, Dominica pertractant myſteria, & Chriſtianis Dominicum porrigunt corpus pro ſuarum animarum redemptione; & poſt Chriſtianos quibus hoc miniſtrare debuerant, aut paganos quibus Chriſtum prædicare, propriis ſacrilegiſque manibus necant, præcipuè eis dicente Domino, *vos eſtis ſal terræ quod ſi ſal euanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et cum hæc ita ſe habeant, elegimus potiùs Domino adminiculante, nobiſque illis & cunctis illorum Eccleſiis opem ferente, nec quicquam eis pro hoc de honoribus vel Eccleſiarum rebus minuere, vt gradus eorum & ſanctorum canonum decreta cuſtodiant, quàm illis aut nobis imperantibus aut conſentientibus, contra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant & nos ſimul (quod abſit;) cum eis, & victoria careamus, vel pereamus. Quoniam peccatis exigentibus, timemus ſi talia & tam illicita aut imperemus, aut agere conſentiamus, vt vna cum eis pereamus; quia non ſolum qui faciunt ſed & qui conſentiunt facientibus, æquo piaculo rei ſunt, in conſpectu Dei & ſanctorum eius. Si verò iſta veraciter ex vtraque parte fuerint cuſtodita, credimus quia corruent ante nos, omnes Paganæ gentes, & erimus victores; Inſuper & benè agentes, Domino auxiliante, vitam poſſidebimus ſempiternam.]

Quia verò propter remotionem Eccleſiaſticorum à bellis, iactatum erat minuendas fore ab Imperatore res Eccleſiæ, vt ſacris hominibus non militantibus, res illis antea additæ, in eum vſum ex parte conferrentur, non ſuſtinens hanc infamiam ex malignitate impiorum & ſuggeſtione Sathanæ irrogatam, addit pius Princeps libro illo 7. c. 104. qua mente eſſet ea in parte ſic edicens. [Quia inſtigante antiquo hoſte, audiuimus, quoſdam nos ſuſpectos habere, propterea quod conceſſimus Epiſcopis & ſacerdotibus, ac reliquis Dei ſeruis, vt in hoſtes niſi duo aut tres à cæteris electi; et ſacerdotes ſimiliter perpauci ab eis electi; non irent, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec agitatores ſanguinum fierent, vel quicquam contra canones facerent, quod honores ſacerdotum & res Eccleſiarum, auferre vel minorare eis voluiſſemus; quod nullatenus facere velle, vel facere volentibus conſentire, omnes ſcire cupimus: ſed quanto quis eorum amplius ſuam normam ſeruauerit, & Deo ſeruierit, & tanto eum plus honorare; & chariorem habere volumus, & vt hæc certius credantur, & per futura tempora conſeruentur, præcipimus, vt nullus res Eccleſiæ niſi precario poſſideat: & poſtquam ipſæ precariæ finitæ fuerint, faciant poteſtatiuè Speculatores Eccleſiæ, vtrum elegerint, aut vt ipſas res recipiant, aut poſteris eorum ſub precario & cenſu, habere permittant.] Addit illuſtres, & Chriſtianiſſimo pectore digniſſimas conteſtationes in eam rem de Leonis Papæ, (vt ait) & Præſulum conſilio, ſanctè conceptas.

De eodem Ludouico ſic habetur in eius vita ab Anonymo eius æquali conſcripta, & à Pithæo Miſcellæ ſuæ hiſtoricæ inſerta. Deſcripta ergo Ludouici profectione in Hiſpaniam, & regreſſu in Vaſconiam, ſic ſcribit author. [Et Regis quidem ab inuente ætate, ſed tunc quam maximè, circa

diuinum

diuinum cultum, & S. Eccleſiæ exaltationem,) iiſſimus mutabatur animus; ita vt non modò Regem, ſed ipſius opera potiùs eum vociferarentur ſacerdotem. Nam totius Aquitaniæ qui videbatur Clerus, antequàm ei crederetur, vt pote ſub tyrannis agens, magis equitationi, bellicæ exercitationi, miſſilium librationi, quàm diuino cultui, operam dare nouerat. Regis autem ſtudio, vndecunque adductis Magiſtris, tam legendi quàm cantandi ſtudium, necnon diuinarum & mundanarum intelligentia literarum, citius quàm vidi poterat coaluit.]

Ludouici Pij ſenſum de hoc negotio; illud denique ſatis manifeſtat, quod ad eum ſcribens S. Agobardus initio l. de comparatione vtriuſque regiminis, ait; cum ſuborta ciuili tempeſtate, vtramque militiam, ſecularem & Eccleſiaſticã aduocaſſe, vt illa ferro, iſta Dei verbo certaret, & ſimiles ſimilibus hoſtibus obſiſterent. Eccleſiaſticos ergo non eduxit ad prœliandum, rectè prouidens quod tanto poſt à Feuardentio his verbis ſcriptum eſt ad cap. 4. epiſtolæ Iacobi digreſſ. de bello num. 16. [Calibæ, ocreæ, ſagi, loricæ, thoraces, gladij, lanceæ, haſtæ bombardæ, ſclopi, puluis ſulphureus, ſcorpiones, baliſtæ, minæ, furores, cædes, minùs benè conueniunt cum precibus Horariis, Breuiariis & Miſſalibus. Caput opertum linteo, galeam recuſat. Mollem otio manum, durus exaſperat capulus. Fortior autem miles, ex confragoſo venit.

Apud Gerſonem parte 2. in appendice ad dialogum Franci & Angli, ſenſus Regis Henrici à Franco exprobatur Anglis, his verbis, [Video prælatos & ſacerdotes veſtros, armigeros, & viros ſanguinum effectos: ſed quo iure neſcio. Et tamen nuper in ciuitate Rothomagenſi, audiui Regem veſtrum Henricum, vltimò vita functum, ſtrenuum mirabiliter, prælatos veſtros arguentem & mordentem, quod ex eorum incumbent, officio, non eſſent pacis amatoris, zelatores, & perquiſitores: & tamen veſtros vidi prælatos, magnos (vt audio,) bellatores; & quidem quod deterius eſt, pium & charitatiuum ſubſidium pro Chriſti fide iure datum, & contra Hæreticos conuertendum, contra nos Chriſtianiſſimos conuerſum, & pro noſtra occiſione erogatum, quod mihi nedum admirationem inducit, ſed ſtuporem.]

Senſus Iudæorum ac Ethnicorum, de præſenti negotio.

EX dictis liquet de ſenſu Chriſtianæ plebis in re propoſita. Senſus Iudæorum, manifeſtus erit Apodixis 9. Quoad Ethnicos duo conſideranda ſunt. Nempe quod apud eos ratum eſſet, noſtros Religioſos & ſacros homines à bellis abhorrere; & quod ipſi ſuos homines ſacros, (ſcilicet,) non debere bella tractare profiterentur. Primum liquet ex Zozimo lib. 5. vbi allatrans Monachos Chriſtianos, disertè ait, eos à bellis abhorruiſſe. Sed & Origenes homil. 5. in Exod. ex perſona Ethnicorum, idem his verbis agnoſcit, expendens quod Pharao Moyſi & Aaroni obiecit quod peruerterent populum prætexentes diuinum ſeruitium in ſolitudine. [Hoc quidem, dicebatur antiquis. Sed ſi hodie Moyſes & Aaron, (id eſt propheticus & ſacerdotalis ſermo,) animam ſollicitet ad ſeruitium Dei, inuitetque eam exire de ſæculo, renunciare omnibus quæ poſſidet, operam dare diuinæ legi, & ſequi verbum Dei, continuò audies dici ab his qui Pharaoni vnanimes & amici ſunt, videre quomodò ſeducuntur homines & peruertuntur; quales adoleſcentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis proſit, relictis rebus neceſſariis & vtilibus, inepcias ſectantur & otium. Quid eſt ſeruire Domino? laborare nolunt, & inertis otij occaſiones requirunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis: hæc & nunc amici eius & familiares loquuntur,] id eſt Ethnici, omnia metientes ex ſenſu carnis & ſeculi; ideóque exiſtimantes, Religioſos eſſe inertes, quia nec ſecularibus negotiis ſe implicabant militantes Deo, nec ad temporalem militiam nomina dabant, ſeductos cenſebant & otioſitatis inſimulabant; quod nunc non depello, contentus notaſſe, id ab Ethnicis vitio verſum eſſe Monachis Chriſtianis, quod à bellis abhorrerent, atque adeò compertum Ethnicis erat, Monachos Chriſtianos animum à bello auerſum induiſſe: quod primo loco monſtrandum receperam.

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Iam quod Ethnici, ſuos qualitercumque ſacros homines agnoſcerent à bellis abhorrere oportere, eſt notatum à Lipſio l. 1. de militia Romana dialo. 4. & à Valtrino l. 2. de militari cap 5. Habemus item luculentum teſtimonium Origenis l. 8. contra Celſum *in fine*, vbi Celſum Chriſtianos ad bella vrgentem ſic redarguit, vt primùm monſtret, Chriſtianos, etiam ſi non adſcriptos militiæ, plus prodeſſe Imperatori ac Reipublicæ, quàm ſi arma tractarent: quandoquidem Moyſes qui populo erat in extraordinarium Sacerdotem, etiam ſi non geſtabat arma, plus ad victoriam conſequendam poterat orando, & manus attollendo in cœlum. In qua Chriſtianorum defenſione illuſtranda, & roboranda, multus eſt Origenes, vt ex parte ſuperiùs retuli, agens de mente Patrum circa honeſtatem abſtinentiæ ſacrorum hominum à militia & armorum tractatione. Recole apodixim tertiam, ibi initio Ea Celſi redargutione præmiſſa, ſubdit Origenes aliud pro ſacris hominibus Chriſtianis excuſationis caput, allegans vſum inter Ethnicos ipſos vigentem, arcendi à bellis & ab armorum tractatione myſtas falſorum numinum: lumine ipſo naturæ docente, non bene hominũ cædibus & vaſtationi mortalium conuenire cum munere placandi numinis Sacerdotum proprio. Verba Origenis ſunt. [Ad eos qui à fide ſunt alieni, & dignum ducum pro Republica, nos militiæ munus inire, homines morte conficere, dicturi id ſumus; quemadmodùm iuxta ſe ſimulachrorum Heroum quorumdam, quos Deos putent, ſacerdotes Neocori, dextram manum ſacrificandi gratia ſeruant innoxiam, vt manibus ſanguine nihil inquinatis, his offerant ſacrificia quos Deos eſſe affirmant, ita vt nec ſi ingruat bellum, militare hos, alij cogant.] Nominatim verò Antiſtites apud Ethnicos fuiſſe à bellis ſemotos, notauit Pauſanias in Meſſen. Iure Romano Flamini Diali, claſſem procinctam extra pomerium, id eſt exercitum armatum ne videre quidem fas fuit; vt ex libris de publicis ſacerdotibus, & ex primo libro Fabij Pictoris, prodit Gellius l. 10. noct. Attic. c. 15. addens, [idcirco rarenter Flamen Dialis creatus Conſul eſt, cũ bella Conſulibus mandabantur. Eique iuri inhærens. Titus quia erat mitiſſimus, vt puras à ſanguine manus ſeruaret, voluit eſſe ſummus ſacerdos: gnarus quantoperè à ſanguine abhorreret ſacerdotium. Et quod ex Seneca in conſol. ad Marciam notat Bulenger. l. 1. de Imperat. c. 18 *in fine*, Tyberius quod Summus Pontifex eſſet, filium defunctũ laudaturus, interiectum habuit velamentum quod oculos à funere arceret. Nec enim Pontifici is conſpectus erat licitus. at idcirco

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

circo quoque ſtatuæ Auguſti in amphitheatro, ſemper erant velatæ ob iuges inibi cædes.

Hic mos Ethnicorum, arcentium à Bellis ſacris miniſtros. Iure igitur hinc cócludam cum Origene allogato; [Quod vtique ſi iure id fieri apud iſto vident, quanto magis vel alij militantibus & noſtri homines vt Dei ſacerdotes preces & vota ſubminiſtrando, pro his haud dubiè ſunt orando potius quam belligerando militaturi, qui bella iuſta geſſerint, & rectius dominentur vt hoſtilia cuncta, & his aduerſantia qui iuſtiores ſint, tollant è medio? Nos verò precando & ſupplicando, longe magis dæmones omnes qui vel prælia excitant vel iuſiurandum confundunt, vel pacem perturbant; dum perdimus, Regibus ipſis præſidio ſumus, quam ſi bella gerere videremur, Rebus præterea publicis, cum cæteris vnâ & nos infundamus, quia æquitate ſeruata cum operibus, & vota offerimus, permulta meditando conſcribimus, quæ ad voluptatis contemptum inſtituunt, vt ab his duci ſe nihil homines ſinant, nos inquam & pro Imperatore longè acrius bella ſuſcipimus: etſi cum eo nullibi militemus, priuatim tamen interea, eius ob gratiam militiæ munere fungimur; hoc eſt pietatis & cultus, cum Deum precando & votis hunc enixè iuuamus. Quod ſi velit inſuper Celſus, pro patria nos depugnare, intelligat idipſum nos ſedulo facere, non oſtentationis & gloriæ cupiditate ab hominibus vendicandæ. Si quidem de noſtræ mentis recondito preces funduntur; vt per ſacerdotem pro patria tutanda emiſſæ.]

APODIXIS VII.

Ex vſu contrario Saracenorum duntaxat & Hæreticorum.

MOsiſte omnium benè moratorum ſolo naturæ lumine arcentium Dei miniſtros à bellis; apud eos duntaxat, prætermiſſus eſt qui denſioribus tenebris obſcuratum habentes intellectum, cæcutinerunt hac in parte, Mahumetanos dico & Hæreticos.

Mahumetanorum myſtæ, belligeri.

SAracenorum propago, Mahumetani, Poppas habuere ſanguinarios. Nec mirum. Nam Mahumetiæ ſuperſtitionis fundamentum, eſt gladius, vt iactaſſe Mahumetem, produnt eius Acta; & monſtratum etiam eſt, eo ſtellato gladio, qui in meridiana cœli parte Boream verſus per triginta dies apparuit, poſt obitum Mahumeti, vt recitat Euthymius in calce Moameticorum. Idque perſpectum habentes, Mahumetanorum ſacri Doctores, ſuggeſtum profaniſſimum conſcenſuri, ſeruant quod his verbis tradit Richardus in confutatione legis Saracenorum c. 10. [Quando Saraceni ad doctrinam conueniunt, vt legem eos Saracenorum, Magiſter doceat, qui debet proponere verbum, primum nudâ enſem, nudum manu detinet, quamdiu docet, vel nudum ponit ad terrorem in quodam eminenti loco.] Quomodo refugerent profaniſſimi iſti legis porcinæ Miniſtri; ducere in bello gladium & ſanguinē hoſtium fundere, qui in paratiſſima functione ſtringere gladiū non refugiunt?

Item, Hæreticorum Miniſtri

MAhumetanorum Germani Hæretici, cum noui tum veteres Miniſtros habent & bellicrepos & belligeros, Notatum id eſt quoad nuperos Hæreticos, præſuppoſitione 1. *ferè initio.* Quoad antiquos verò habemus Exemplum Arianorum, inter quos Epiſcopi & Clerici militabant, vt Apodixi 4. notatum eſt ex Lucifero Calaritano. Apud victorem quoque Vticenſem l. 3. de perſec Vandal. Epiſcopi Ariani referuntur proceſſiſſe armati, & gladiis accincti. Nominatim quidam Antonius Donatiſtas Hæreticos ſub Præsbiteris & Epiſcopis belli ducibus, armatos proceſſiſſe nomine ſibi indito *horribilium Fuſtium* Iſraël, horreſcens memorat S. Auguſtinus in pſalmum 10. Idem in collatione cum Donatiſtis in actione diei tertiæ cap. 4. Sacerdotes quidam Donatiſtarum, à quibuſdam militari immanitate patratis abfuiſſet excuſantibus Donatiſtis annuit; Clericos tamen Duces fuiſſe opponit, in tam horrendis malis admittendis, quibus Donatiſtas crudelitate diabolum ſuperaſſe aſſerit. Ideòque fruſtra excuſari ait ſacerdotes, cum talia Clerici, ex eorum nutu pendentes, & ſuſciperent & exequerentur. Similia iterat Epiſt. 122. & Epiſtola 166. At nomine excluſo Epiſtola 163. refert, & Epiſcopos & Præsbiteros, & quoſlibet Clericos Donatiſtarum, ductaſſe copias hominum furioſorum, & ſtrages ac cædes violentiſſimas intuliſſe. Vix fuit hæreſis huius probri vacua.

An Ioannes Prizbran Huſſita in ea naui.

TAntum opponi poteſt, Ioannem de Prizbran Huſſitam, acriter in Thaboritis notaſſe, quod eorum ſacerdotes & Clerici, ad bella procederent bellaturi. Vnde inter conditiones belli iuſti hanc ponit vltimo loco. [Vltima conditio & in hoc regno maximè neceſſaria eſt, vt nemo ſacerdotum ſeu Clericorum, contra diuinam authoritatem audeat ſecularia bella ſeculariter adminiſtrare. Quod ſi ſecus contingat, totus exercitus periculo damnationis laborabit. Pro iſto probando, ſunt multiplices ſcripturæ veteres & nouæ. Primo ad hoc eſt præceptum Apoſtoli. Timo. 3. Inſtruens Timotheum Epiſcopum & omnem alium Chriſti ſacerdotem non eſſe violentum, non percuſſorem, non ſuperbum, non iracundum, non litigioſum. Et repetitur ad Titum 1. ſi enim Iudæis ſacerdotibus & Pontificibus, non licebat quemquam occidere, longè magis Chriſti ſacerdotibus non licebit, qui omnibus pacem non bella offerentes, debent dicere, *pax vobis.* Non enim decet hæc barbara crudelitas, ſacerdotes pietatis. *Barbara* dico, quia ſicut à barba barbaries, id eſt crudelitas deſcendit; ita hodie à ſacerdotibus barbatis, tota barbara & gentilis crudelitas, ſtoliditas & inſolentia populos adimpleuit. Et hinc Chriſtus mittens Apoſtolos ſicut oues in medio Luporum, præcepit, non ferre virgam in via, id eſt coactiuam poteſtatem.] Hic appellat *bellandi exercitium*; quos voces habuit codex è quo hunc locum exſcripſit Bzouius anno 1429. num. 92. niſi tamen ſuam Gloſſam pro textu obtruſit Bzouius. Nam apud Cochlæum legitur vt retuli, ſed eſt idem ſenſus. Rurſus inferiùs idem Prizbran; [Profiteor tenendum & credendum, quod nullus ſacerdos Chriſti, aut alius clericalibus

bus inſignibus, debet aut poteſt corporali et bella exercere, aut quemquam etiamſi infidelem, de lege communi, occidere aut vulnerare, aut quod minus eſt, ad ſenſum Apoſtoli percutere; aut in perſona propria bellare, acies bellorum dirigere, & ad bellandum seu occidendum immaniter provocare, aut aliqua facilius e [illegible] legendum *fu ul-tate?*) crudelitates exercere, aut exercitatas à ſecularibus, & ſacerdotibus prohibitis, mirabiliter executare, ſeu verba aut prouerbia crudelia, ad inuadendum acrius proferre, & homines ad crudelitatem ſuccendere & irritare. Facit ad hoc, præceptum Chriſti Math. 26. dictum ad Petrum, *conuerte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt.*] Sic Prizbramus apud Cochlæum l. 6. hiſtor. Huſſitarum ad annum 1429. En hæretici quoque, agnoſcunt turpe eſſe, ſacerdotes bellare. Non igitur recte videntur ſtatuiſſe, hæreticorum duntaxat [illegible] fuiſſe, ſacerdotibus, prælia inire, & militaria ſtudia capeſſere.

Item an Eraſmus.

IDem opponi poteſt occaſione Eraſmi, quem non vna hæreſi notatum, monitia [illegible] eſt in opere de Apoſtaſia, & in opere de [illegible] confuſione librorum. Imo Eraſmus (vt ex ibi dictis liquet,) non modò fuit Arrianus & Macedonianus, & aliarum priſcarum Hæreſum, vel Sacramentarius mango, ſed quod de Origene à pleriſque Patribus dictum eſt quoad Arium, ex eo, veluti fonte ſcaturientem, dici ſimiliter poteſt de Eraſmo, ad omnes hæreſes quibus nunc Eccleſia premitur comparato; Eius enim cœnoſiſſimi riuuli ſunt, Lutherus, Zuinglius, Caluinus, & vniuerſa illa dogmatiſtarum perniciſiorum colluuies. At Eraſmus in annotationibus Noui Teſtamenti, facit locos ad bellum incitantes, vel in bellis interuenientes, execratur. Refert locum, Albertus Pius initio l. 9. contra ipſum Eraſmum & addit ex eo hunc alium locum. Vtinam liceret omnibus Epiſcopis piis, qui in Pauli locum ſucceſſere, hanc vſurpare vocem Pauli *arma militiæ noſtræ, non ſunt carnalia.* Nunc videre eſt aliquot, qui copias habent, gladios, lanceas, & bombardas, & denique quidquid forti bellatore dignum eſt. Et rurſus in inſtructione Principis. Nõ pudet Epiſcopos, verſari in caſtris.] At nemo neſcit qui Eraſmum ſciat, eum inter exteros Eccleſiæ, & eſſe reuera, & merito haberi. Itaque iſte quoque, bella Clericorum & hominum Dominicorum exoſa habuerit; & tamen conſtat eum non fuiſſe hominem Eccleſiæ.

An cauſari liceat, vtrumque non fuiſſe Hæreticum.

ERit qui teruncia hoc telum, dicendo, Bohemum illum haberi poſſe pro Catholico, cum defeciſſet a Vuicleffo; & libris editis, facta & dogmata Thaboritarum acerrime reprehenderit. Ideoq; Procopii Raſi inter Thaboritas agentis tyrannum, & Nicolai de Pelhrzemone, prætenſi eorum Epiſcopi nimbus fruſtra ad regeſtum tentatus, odia in ſe illorum concitarit acerrima, vt Cochlæus teſtatur qui de eius laudibus & probitate fusè agit.

Nihilominus certum eſt, præcludi nobis hoc effugium. Quamuis enim hic Bohemus, à virulẽtiſſimis Thaboritis & VVicleffiolorũ deterrimis receſſerit; tamen vt idem Cochlæus monet, in quibuſdam punctis manſit Huſſita, ad mortem vſque, anno 1448. *Theoph. Rayn. Aſcetica.*

obitam. At vt benè Phæbadius l. contra Arrianos [illegible] l. Si quid receptum fuerit contra fidem veniens, totum fidei damnum eſt. Similia præclare Nouato l. de Trinitate c. 21. et Caſſianus l. 6 de Incarnat. c. 17. ac S. Germanus orat. de imaginibus nimirum vt Arnobius Iunior contra Serapionem diſputat. l. 1 conflictus *fere initio* [Sicut non eſt integra ſapientia, vbi quidpiam de ingenio aut de memoria, aut de intelligentia defuerit, ſic nec eſt integra fides in homine eo qui in Patre quippiam aut in filio, aut in Spiritu Sancto, quantum poteſt vnius puncti menſura eſſe, offenderit. Oculorum enim interiorum lumen eſt fides Et ſicut ſi acu tenera aliquam partẽ pungas in oculo, totum lumen conturbas atque debilitas, ita etiam cum erratum fuerit in aliqua parte quantum concedetur atomo, vel momẽto, vel puncto, totum ſerenum lumen fidei conuertet in nubilum, & ſemel iam animus vulneratus, nihil præter tenebras videt.] Itaque quod hic Huſſita, non erraret in tam multis quam cæteri; eo ipſo tamen quod volens errabat in aliquibus, Catholicus non erat ſed hæreticus, cuius quo erant aliqua laudabilia, eo erat periculoſior, vt benè monuit Origenes homil. 7. in Ezech.

De Eraſmo, videretur dici poſſe, eius cauſam eſſe ancipitem, cum à pleriſq; habeatur Catholicus, & à Leone X. ac Paulo III. effusè laudatus legatur; neq ſanè vnquam profeſſus apertè eſt Lutheraniſmum, aliamue hæreſim, earum quæ eius ætate ſuccreuerunt. Itaque non, ſi ille improbauit bella per ſacros homines geſta, ſequitur, hæreticos in ea improbatione conſenſiſſe Catholicis. Valeat hæc reſponſio quantum poteſt. Apud omnes tamen, & illius, qui & poſteriores ſynceros Catholicos, Eraſmus vel compertus hæreſeon, vel admodum ſuſpectus fuit. Quod probrum non detergitur nitro laudum Pontificiarum, fidem eius non ſpectantium, aut da arum quo tẽpore non impegerat Eraſmus. Nam etiam S. Leo, Eutychetem aliquando laudauit, priuſquam depræhenſus fuiſſet, ſub ouilla pelle lupus. Similia exempla alibi ſignaui, cum ob laudatum Polycarpum La Riuie. e, ſugillarer.

Dato quod Hæretici obierint, ſalua manet aſſertio propoſita.

TAmetſi verò, & Bohemus de quo egimus, & Eraſmus, bellorum à ſacris hominibus geſtorum improbatores, admittantur hæreſi explorata ſorduiſſe; non idcirco retexendum eſt, quod diximus, huiuſmodi bella ſolis hæreticis eſſe probata. Ad retinendum enim huius propoſitionis veritatem ſatis eſt, quod ſoli Hæretici, (etiam ſi non planè omnes), verbo & facto, huiuſmodi bella probauerint. Vnus verò aut alter contrarium ſentire viſi, lucem micantiſſimam huius veritatis oſtendunt, quæ etiam in cœcultantes eorum oculos incurrerit. Neque ſanè omnia quia Hæretici tradunt, aut morboſa ſunt aut peſtifera, ſed pleraque nobis ſubducta, fecerunt ſua. Id quod variJ Patres monuerunt: Legeſis Cyrillum Alexandrinum. Origenẽ, Hieronymũ, locis ſignatis a Pamelio ad librum Nouatiani de Trinit. c. 18. num. 86. quibus addo Petrum Cellenſem l. 6. Epiſto. 23. & Ferrandum ſub finem Epiſtolæ primæ ad Anatolium. Itaque quod Bohemus Huſſita pertæſus truculentiam eorum qui inter peruerſos Thaboritas ſacro miniſterio addicti erant; & Eraſmus Zuinglium factionis hæreticæ principem ſacro profano miniſterio inter ſuos clarum, in prima acie poſt immania facinora patrata, iuſto Dei iudicio cæſum conſpicatus,

PRON. I. *De bello agere ſine.*

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

& tot cædium ac Hieroſolymæ, (Lucifer Calaritanus initio adductus loquitur, ædificatione in ſanguinibus, horrore correptus, auerſati ſint bella ab hominibus ſpecie ſaltem externa ſacris; monſtrat hanc veritatem eſſe fulgentiſſimam, quam perſpicere potuerint etiam pauci aliqui inter Hæreticos: licet magna eorum pars, alium ſenſum induerit; & quidem ſolis Catholicis vnanimiter refragantibus.

Concluditur, ſolos myſtas Saracenos & Hæreticos fuiſſe bellatores; Et quid de paucis olim Catholicis.

HInc inferre licet, quàm ſit indignum atque probroſum, homines Dominicos rei bellicæ nauare operam, inſiſtentes vſui apud eos duntaxat recepto, qui ſub Sathanæ ſignis ſtudioſius merent. Cæteri quippè omnes, etiamſi profani, quibus tamen rationis mica ſuperfuit, ſacros homines ac diuino cultui addictos, ſemouerunt à prælijs. Soli Mahometani, (compendium eſt totius nequitiæ,) & Hæretici Poppas ſuos bellis implicare, haud inſonorum duxerunt. In catholica Eccleſia, vſus ille ſemper improbatus eſt, tanquam cum ſacro ſtatu, & manſuetudine miniſtros Chriſti decente, apertè pugnans.

Video opponi poſſe abuſionem pleriſque in regionibus non infrequentem, aliquibus præſertim ſeculis. Sic enim ſacerdotes è Gallia, bello operam dantes, legere licet apud Gregor. Turonenſ. l.4. hiſtor. & apud Aimonium l.5.c.40.*aliàs* 41. necnon apud Froiſſartum l.1 c.4.54.55.57.61 & 192. Similia de Germanis referunt Annales Fuldenſes anno 872.& Godefridus Monachus anno 1167.& 1237.ac Otho de S. Blaſio in appendice ad Friſingenſem c.20. Itémque Auentinus l.7.annal.Boior. De Hiſpanis. Videndus Rodericus Toletanus l.8.c.2.9.& 10.& l.9.c.10.Gomeſius l.4. de geſtis Franciſci Ximenij. Et alia non rarò occurrunt apud earumdem ætatum ſcriptores. Ex quibus inferri videtur, minus verè dictum à nobis, vſum bellandi quoad homines ſacros, viguiſſe tantùm apud Saracenos & Hæreticos. Nihilominus eſt latum diſcrimen, inter noſtros Clericos nauantes militiæ operam, & Saracenos ac Hæreticos. Nam apud iſtos, cum laude & approbatione viguit is vſus, bellorum per homines ſacros gerendorum, idque paſſim ferre Poppæ eorum. At apud nos, hoc eſt in Catholica Eccleſia, pauci admodùm ſacri homines, bellis profanis extra iuſtam & neceſſariam defenſionem ſe addicunt; & qui fines illos tranſgrediuntur, malè audiunt, nec commendationem, ſed dedecus referunt. Itaque meritò diximus, abuſionem qua Clerici extra neceſſariam defenſionem profana arma tractant, propriam duntaxat eſſe Hæreticorum & Saracenorum, excluſis Catholicis.

APODIXIS VIII.

Ex infelicibus euentis, & ſtatutis diuinitùs in tales bellatores, exemplis.

ARgumentum præterea potens inhoneſtatis bellorum in quibus homines Dominici operam nauent, duci poteſt ex cladibus quas Deus ſæpe numero rependit, tam parti pro qua iſti indebitè bellant, quam ipſis bellantibus.

Bella ſacris hominibus infeliciter cedere vniuersè.

ET partem quidem pro qua pugnant, multis & grauibus ſæpè affectam fuiſſe incommodis, quæ meritò in hanc cauſam referrentur a ſapientibus, audiuimus ſupra ex ſenſu populi vniuerſi Francorum, & ex teſtimonio Imperatoris. Immenſas item clades Germaniæ, Italiæ, & Galliæ quibus ampliſſimæ illæ regiones fœdè ſunt vaſtatæ, & Clerus ac populus, miſerè contritus anno 889. Baronius ex annali num. 2. non aliò referendas putat, quam ad monſtroſitatem hominum Dominicorum, præſertim Epiſcoporum & Abbatum, proficiſcentium ad bella. Et quod fœditatem cumulat. celebrantur, turpiſſimè huiuſmodi homines, per illius æui ſcriptores, à bellica fortitudine, qui à tam profana Canonum conculcatione, fuerant deteſtandi. Ex his verò apparet, rectè Petrum Damiani opuſc.12 c.27. hortari Monachos, vt Monachi ſint, nec ſub qualibet ſpecie vtilitatis, (etiamſi publicæ atque communis) ſinant ſe dedecentibus ſtatum ſuum occupationibus implicari; certi fructuoſiores ſe fore, ſi orationibus inſtent, & partes ſuas ritè obeant, quàm ſi deſcendant in arenam. Iuuat audire Petrum, id illuſtrantem ex ſacris oraculis. [In vertice montis Raphidim, Moyſes orabat, & duce Ioſue, Iſraël in conualle pugnabat. Sed ſi Moyſes in adiutorium populi ſui ad campeſtria deſcendiſſet, Amalech ſine dubio Iſraelitarum cadentium terga percuteret. Si ille manus ad corripienda arma deponeret facta ſuorum ſtrage, facilem victoriam aduerſariis triumphantibus præbuiſſet. Quod nimirum patenter agnoſcitur, ſi ipſa ſacræ hiſtoriæ ſeries ſubtiliter attendatur, vbi dicitur, quia cum leuaret manus Moyſis, vincebat Iſraël; ſin autem paululum demiſiſſet, ſuperabat Amalech. Orantis ergo manus, manus præliantium roborabat: & quia illæ imbelles ad cælum patebant, idcirco illæ dimicantes, victoriã cæſis hoſtibus obtinebant. Illarum quidem fuit pugna, ſed iſtarum non ambigitur fuiſſe victoria, quia vt illis daretur vincere, iſtæ meruerunt diuinitus impetrare. At contra Balaam filius Beor, qui ad prælium Madianitis egreditur, cum his quos iugulare decreuerat, gladio trucidatur. Et iure, qui proprio non eſt contentus officio, diſcrimini redditur obnoxius alieno. Infelix, meruit inter bellantium Cuneos hoſtilibus gladiis confoſſus occumbere, qui in pace poſitus, per prophetiæ oraculum, ipſius belli potuiſſet exitum pronunciare.]

Exempla ſacrorum hominum belligerorum infeliciũ.

HÆc vniuersè ſubnectenda ſigillatim ſunt exempla quædam hominum Dominicorum, diuinam vltionem expertorum ob hanc cauſam. Sunt enim hæc, (iuxta Hildebertũ epiſt.55.*in fine*,) velut affixa de incendio thuribula, quæ Dominus ne quis in Eccleſia ſibi arrogaret aliquid indebitum, altari præcepit affigi ad monumentum. Non enim minùs prodeſt, iniquitatis pœnam, quàm virtutis præmia recenſeri. Nimirum pœna timorem generat, qui de ſeruo facit & filium; quod ſi filium & Hæredem.

Theophili Alexãdrini, priora nõ reſpondere poſterioribus. Itaq; fama euerſa & Deo exacerbato, inglorius mãſit qui poterat ſtellas ipſas præſtinguere. Prima mali labes ex Simeone Metaphraſte in vita Chryſoſtomi, ducenda eſt ex tractatione armorum, collecto per eum milite in longos fratres S. Chryſoſtomo charos. Ex ea enim ſcintilla ita Theophilus in Chryſoſtomum ſuccenſus eſt, vt ex multa patiendi materia Chryſoſtomo & multum Theophilo

philo dedecus ac in morte cordolium extiterit.

De Sagittarij Epiſcopi bellatoris exitio, ſcribit Gregorius Turon. l. 7. hiſtor. Franco. c. 39. Eius & fratris Salonii in bellis operam deſcripſerat l. 4. c. 37. ac l. 5. c. 21. vbi turpitudines quoque, & vitam planè exlegem, & nullam Dei, nullam curſus, (id eſt diuini officij recitandi) memoriam apud eos fuiſſe retulerat; ſicque eos fuiſſe dixerat, ſingulis diebus, donec ira Dei irruit ſuper eos, quod ſe in poſterum memoraturum, ibidem ſubiunxerat. Nempe c. illo 39. vbi quamvis de Salonii exitio tacet (nec occurrit vbi alibi iram Dei ſuper eum deſcripſerit;) de Sagittario ait, dum alieno habitu captat latibulum cucullatus, à quodam appetitum, & obtruncato capite cum cucullo, improuiſo letho datum, miſerè periiſſe, nullis ſacramen is munitum, & pro more, Dei immemorem.

Zeno Eccleſiæ Ticinenſis Diaconus bello per Cunipertum Longobardorum Regem indicto aduerſus Alachin Tridentinum rebellem ſuum & Eccleſiæ præſertimque ſacrorum Miniſtrorum hoſtem infenſum, quippè qui votum voverat ſi Cunipertum vinceret, ſe vnum puerum de Clericorum didymis impleturum, arma tractauit, & quamuis contra Tyrannum ac Religionis perduellem dimicaret, infeliciter periit, monſtrante Deo (inquit Baronius, anno 691. quo illa conſignat) non placere ſibi vt ſacri Miniſtri arma tractent; ſed potius vt precibus & incruenta litatione agere ſint contenti.

Pegaſium Monachum Apoſtatam hoc euentu arma tractaſſe, ſcribit his verbis S. Theodorus ſtudita Catech 101. [Videre Velim & qui pro meis criminibus, ſacro habitu proiecto, in nefarium ſe facinus induerent, quo plus eiulet; quorum vnus Pagaſius ille quem ferunt eo flagitii prouectum; vt regia dignitate populo imperitet, bella moueat, homicidia patret, & vitam vero homicidio abrupiſſe. O calamitatem; in quod miſerandus præcipitium ruit? primum contubernio profugus, huc illhuc vagare quo alluberet, ſeu brutum pecus interiens; tum Monachum exutus, tragædia quam audiuimus defungi.]

Petrus Damiani, de peſſimo exitu Clerici militantis contexit hanc narrationem, opuſc. 34. p. 1. c. 4. [Noſtris temporibus accidit, vt in Burgundiæ Regno, quidam Clericus eſſet ſuperbus nimis ac tumidus; non modo carnali vitæ ſeculariter deditus, ſed & contra ſuum ordinem terribiliter bellicoſus. Hic itaque cum Eccleſiam Beati Mauritij multis inclytam prædiis, ſuis ditionibus vſurparet, potens autem quidam è diuerſo ſui iuris eſſe, non ſine magna liuoris atque certaminis animoſitate contenderet; tandem belli dies vtroque paciſcente, ſtatuitur, & à multis hinc inde frementium armatorum agminibus conuenitur. Potens autem ille quem diximus, nuncium ad hoſtilia caſtra direxit, qui & apparatum belli ſolerti ſpeculatione perpenderet, ac ſibi celeriter nunciaret; ſ forte tunc Clericus nullam cum his, qui dimicaturi erant, ſuis fautoribus audiebat; cumque ad Euangelium veniretur, in fine lectum eſt; *omnis qui ſe exaltat humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Illicò Clericus in hanc ſacrilegam vocem protervus erupit. Hæ (inquiens), ſententia, vera non eſt; Nam ſi ego me meis aduerſariis humiliter inclinaſſem, hodie tot poſſeſſionum atque clientium copias non haberem. Reuerſus autem Nuncius, Domino ſuo fideliter retulit non modò quod in bellici procinctus apparatu conſpexit, ſed hoc etiam, quod in ore clerici tumidè loquentis audiuit. Tunc ille plaudens, in Domino lætus efficitur, atque ad ſpem procul dubio obtinendæ victoriæ, milites cohortatur. Conglobatis itaque diuerſorum cuneis armatorum, ex vtraque parte pugna committitur, vires viribus opponuntur; depreſſa telorum ſylua deponitur & inflicta humanis corporibus arma graſſantur. Habebat autem Clericus equam, (quam videlicet præliaturus aſcenderat, (tantæ velocitatis, ac roboris, vt nullus ſibi videretur equus aut mulus ad dimicandum poſſe præferri. Caſu imo Deo diſponente, contigerat, quod præcedenti nocte iumentum illud ſtabulo ſolutum abſcederet, aceruumque ſalis inueniens, ex eo plurimum comederat. Clericus itaque dum in acie conſtitutus, ſuper aquæ riuulum deueniret, ibique cominus aduerſantium armis arma conferret, iumentum vt erat aſſumpti ſalis copia ſitibundum, frænum de manu Rectoris violenter extorſit, ſuiſque totum iuribus vindicauit, ac præſto caput in aquam ad bibendum inhianter immerſit, Ille verò dum ea manu qua ſcutum tenebat cum iumento confligit, hoſtilibus iaculis faciem coactus exponit. Et ecce repente, gladius, os eius fulminis more transfixit, talique vir reprobus vitam ſuam fine concluſit. O quam congruè in illla pertulit corporis parte vindictam, qua nigri fellis in Dominum vomuerat blaſphemiam? Et cum propheta de talibus dicat *filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum, gladius acutus*, qui lingnam ſuam & dentes, aduerſus Deum gladij more vibrauit, digne per eadem membra, materialis gladii pœnas exſoluit.] Exemplum geminum ei quo ante paucos menſes, Chierii in ſubalpinis, bellator primarius ex ſtirpe oris illis clariſſima, ſtrenuiſſimus in Vomĕdis blaſphemiis glande in os per Sclopum in conflictu immiſſa, ſceleratam vomuit animam. Sed hic laicus erat. Æquè ac alius è vicina Mediolanenſi Prouincia adoleſcens, quem narrat, Guhelmus Baldeſanus, (imo Bernardinus Roſſignolius, verus parens aureoli operis, cui titulus eſt, *ſtimuli virtut.* l. 3. c. 21.) faſtu & arrogantia inſignem, cum aliquando in contentionem veniſſet, cum alio quodam, inter pugnandum impium aliquid in Deiparam ore ſpurco vomuiſſe: Dei autem iuſtiſſimo iudicio, in os apertum, tam ad punctum, vibratum eſſe ictum, vt ipſis linguæ radicibus ſuceiſis, & transfixo palato, ſceleratam animam repentè expuerit, mortuuſque conciderit. His ergo cladibus hominum laicorum dimiſſis. Siſtamus in cladibus Dominicorum hominum belligerorum.

Ioannes, Diaconus Magnæ Eccleſiæ, ab Anaſtaſio Imperatore hæretico, præfectus bello, duxit exercitum; quo euentu docet Suidas v. *Artemius.* Eum enim ſeditione circumuentum, & ab æmulis confoſſum, interiiſſe teſtatur, priuſquam per pœnitentiam elueret contractas maculas.

Sisenandus Antiſtes Compoſtellanus, ducens exercitum, ingenti clade contritus eſt, vt ſcribit Ambroſius Morales lib. 6. de rebus Hiſpanic c. 32.

Ebroinum Monachum Luxouienſem, effractis per Apoſtaſiam Religioſis clauſtris bella tractantem, & miſerè poſt innumera ſcelera morientem, legere licet Tract. de Apoſtatis c. 4. in breuiculo vitæ eius.

VVernerus Argentinenſis Epiſcopus, ductor copiarum factus, vltorem Deum expertus ſi Rem exprimo verbis Trithemii in chron. Hirſaugienſi anno 1. Gebardi Abbatis. [Henricus Imperator, in publico ſuorũ Principũ congreſſu præcepit, Hirſaugiã fũditus deſtrui, & fugatis Monachis bona Monaſterij in

PRON. II. De bello aggreſſiuo.

PRON. II. *De bello aggreſſiua.*

in ſtipendium militibus erogari. Ad hoc facilius perpetrandum, VVernerus Epiſcopus conſtitutus per Simoniam ad Eccleſiam Argentinenſem, homo peruerſus, & S. Romanæ Eccleſiæ atrociſſimus inimicus, tāquā ob equium præſtiturus Imperatori, milites cohortatur ſuos, promittit prædam ingentem de ſpoliis Monachorum. Cúmque milites, deteſtati nefas tam immane in famulos Dei cœpiſſent inſanus Pontifex dixit; Ego vos, ô milites fortiſſimi, in hoc ob equium Regis noſtri iuſtiſſimi præcedam; Et quicunque veſtrum me ſecutus non fuerit, reus læſæ maieſtatis erit, his dictis loricam induit, qua indutus, equum plenus minarum in Monachos Hirſaugienſes aſcendit; ibique clamans & vlulans, horribiliter cecidit, & morte ſubitanea præoccupatus, cunctis videntibus expirauit. Cæteri verò tam miſerabilem Pontificis intuentes exitum, valdè timuerunt; nullúſque eorum deinceps auſus eſt contra Monaſterium Hirſaugienſe ſiniſtrum aliquid pertentare.]

Ioan. 12. homo S. Petri ſede indigniſſimus, appetitus ab accuſatoribus eſt apud Othonem, cum ex aliis capitibus quæ recenſet Luitprandus l. 6. hiſtor. c. 7. tum ex eo nominatim, quod fuiſſet enſe accinctus, gladio & lorica indutus. Et inferiùs. [Exercitui Domini Imperatoris ante quinque dies enſe accinctus, clypeo, galea, lorica, indutus occurrit. Solus Tyberis qui interfluxit, ne ſic ornatus ab exercitu caperetur impediuit.] Quanti verò eum turbines ac fluctus exceperint, & quàm fœda morte extinctus ſit, apud eumdem Luitprandum legere licet.

Robertum Cameracenſem electum, quod oblitus profeſſionis, gladij materialis ſæuitiam diſcutiendis cauſis ſanguini non refugeret, & militiam cogitaret, auocat ab inſano propoſito Petrus Bleſ. epiſt. 42. Exemplo Philippi cuiuſdam de Merlaico Canonici, auerſa mente militum ducis. [Si acceptas (inquit) miniſteriū Chriſti, ſi iugū Chriſti non detrectas, permane in ea vocatione, in qua vocatus es, dimittáſque Laicis, populi Principatum. Certe Philippus de Merlaico Canonicus Carnotenſis, iugum Domini abiiciens, ſicut ſcis, ad arma ſe tranſtulit: cúmq; magnis populis nuper præfuiſſet in prælio, ſagitta percuſſus interiit. Lex enim cœleſtis eſt, & regula diuini Iudicij, quod exitus huius vitæ infælices habebit, qui mundanæ dominationis obtentu, Chriſti militiam derelinquit. Mors Philippi, & aliorum, plurimum deterrere te poteſt. Dedit tibi Dominus in eis ſignificationem, vt fugias à facie arcus. Scriptum quippè eſt, quia *mulctato peſtilente, ſapiens aſtutior erit*; iuſtúſque lauabit manus ſuas in ſanguine peccatoris.

Pontius, Abbas olim Cluniacenſis, qui (vt eſt in Chronico Caſſinenſi l. 4. c. 62.) Abbas Abbatum dici voluit, cum præ violentia rectionis pleroſque Monachorum Cluniacenſium exacerbaſſet, & nullius audiendo conſilia, ſoli ſuo cerebro confiſus, pleraque minus commode geſſiſſet quam ferret Monaſterij vtilitas, omnium voluntates à ſe auerſas deprehendens, Romam petiit; & Calixto 2. tandem poſt multam fatigationem annuente, ceſſit Abbatia, profectúſque Hieroſolymam, prælata in prælio contra Saracenos lancea Dominica, ſpecimen egregium fortitudinis præbuit. Pertæſus verò poſtea tranſmarinæ commorationis, militares animos quos in illis expeditionibus hauſerat, exprompſit in ſuos, reuerſus in Galliam. Coacto etenim milite, violentus irrupit in cœnobium, nec profanæ, nec ſacræ ſuppellectili parcens. Nam pleraque ſacra vaſa ex auro & argento confregit, & militibus diſtribuit, villas deinde & caſtra Monaſterij, eodem militari globo ſtipatus diripuit, & integram æſtatem bellum ducens exegit; donec à Petro Cardinali Legato, & Hubaldo Lugdunenſi Antiſtite, excommunicatus, obfirmatus in nequitia & ſatisfacere renuens, nulli ſe ſubiectum in terra conteſtans, tanquam inuaſor, ſacrilegus, excommunicatus, ſchiſmaticus, ab omni officio & honore Eccleſiaſtico in perpetuum iteratò damnatus eſt, mandato Honorij Papæ, & mortuus impœnitens, eodem Honorio teſte, datis literis ad Petrum Venerabilem è cuius l. 2. mirac. c. 12. & 13. iſta excerpſimus. Et mirum eſt, fuiſſe qui margini illineret, iſta immoderationem affectus in Petro Cluniacenſi redolere. Multo autem, mirabilius eſt, fuiſſe qui Pontium ſacris tabulis inſererent, hominem ægrè donatum ſepultura ſacra, vt Honorius ſupra docet hic finis militaris Monachi.

Ioannes Vitelleſchi Cardinalis, exitus fuit, luctuoſus. Homo erat totus in bellis, eoque apud Eugenium IV. loco, vt faſtigium per omnia teneret. Tandem tamen, expertus volubilem fortunæ rotam concidit; & accinctus gladio interceptus, cum ſtrictum ferrum vibrat in armatos à quibus ſe teneri videbat, grauiter ſauciatus eſt, & non ita multo poſt egit animam, ſecuriùs è corpore migraturam, ſi ſacros libros, quā arma tractare maluiſſet. Videſis de eius ſorte latè ex variis diſſerentem Bzouium anno 1440. à num. 94.

Alexandrum Iacobi V. Regis Scotiæ filium Archiepiſcopum S. Andreæ deplorat admodùm flebiliter Eraſmus Adag. *Spartam nactus es, hanc cole.* Adoleſcens erat inſignibus animi & corporis dotibus, vt latè proſequitur idem Eraſmus, familiariſſimè cum illo verſatus. Is tamen, Patri in bellum contra Anglos adiunctus, cæſus eſt vna cum patre. Eraſmus eum ſic compellat, poſt narratum eius caſum. [Quæſo quid tibi cum Mauorte, omnium poëticorum Deorum ſtupidiſſimo, qui muſis, imo qui Chriſto eras initiatus.]

Antonius de Acuna, Zamorenſis Epiſcopus circa annum Chriſti 1521. cum omnia in Hiſpania contra Carolum V. tumultuante bello arderent, iunctus rebellibus trecentos circiter ſacerdotes armatos, eduxit in prælium, homo bellandi quàm ſacra tractandi peritior; cui frequentiùs terebatur vegetius de re militari, quàm Auguſtinus de doctrina Chriſtiana, vt ſcitè dixit Antonius Gueuara. Explicata ſunt ad belli ſumptus templa omnia, nullique parcitum ſacro donario. Maria Padilla fœmina primaria in Toletanum ſacrum ærarium auſa irruere, quam mox noxam, ſubactis rebellibus, Toleti vnà cum marito capite minuta eluit. Epiſcopus item Zamorenſis è fuga quam inierat retractus, Simancæ, informis lethi trabe nexus ab alta periit, nec illum pietas, nec Apollinis infula texit.

Anno 1512. initio Concilij Lateranenſis, Ægidius Viterbienſis, Auguſtinianorum Generalis, habens orationem ad Concilium, amiſſo miſerè exercitu qui aduersùs hoſtes fidei conſcriptus ac eductus fuerat, conſternatis omnibus, ſic pronunciauit. [Amiſſum exercitum, puto diuina prouidentia factum, quo armis Eccleſiæ alienis freti cederemus; vt ad noſtra redeuntes, victores euaderemus. Noſtra autem arma ſunt, pietas Religio, probitas, ſupplicationes, vota, lorica fidei, atque arma lucis, vt Apoſtoli verbis vtar. Ad iſta, ſi Synodi opera redibimus; vt armis non noſtris, inferiores aliquo hoſte fuimus, ita noſtris erimus omni hoſte ſuperiores.

Veniat

Veniat quæſo in mentem, Moſis bellum quod aduerſus Amalec Regem geſſit; videbis populum Deo charum, gladiis fidentem, vinci ſemper; contra ſemper vincere precibus ſupplicantem. Ioſue in prælium exercitum ducebat; Aaron ſacerdos cum Hur ac Moſe, montem aſcendebant. Illi armato corpore ferebantur in hoſtem, hi Deum purgato animo precabantur: illi enſibus, hi votis agebant; illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus vtraque arma, militiæ ſcilicet, ac Religionis. Sed iam quæ noſtra ſint, Deo rem oſtendente cognoſcamus. Dum Moſes (inquit) manus attollebat, noſter vincebat exercitus, dum manus remittebat, exercitus inclinabat. Ac ne caſu id factum ſuſpicemur, in calce ſermonis illius ſcribitur; aduerſus Amalech (hoc eſt in Eccleſiæ hoſtem,) Dei manum, ac bellum eſſe in generationem & generationem. Quibus quidem verbis monet Deus, vtramque generationem atque vtramque Eccleſiam, & Moſis & Chriſti, militiæ armis vinci; pietatis ſtudio vincere, ſuperari telis decertando, ſacra faciendo ſuperare &c.] Addit alia in eandem rem non pauca: quibus demonſtrat, arma ſpiritualia tractante Clero, benè rem ceſſuram; Eodem ferrum capeſſente, omnia ruitura.

Depellitur calumnia in ſanctum Leonem Nonum.

IN hunc ſyllabum ſacrorum hominum, qui belligerando clades ſibi ac ſuis acciuerunt; Antiquus author de vita & moribus & actis omnium Principum ad annum 1053. confert S. Leonem Nonum. Verba authoris illius hæc ſunt è M. S. C. bibliothecæ Regis ex ſcripta a Iureto ad epiſtolam 30. Iuonis. [Iſte primus Romanorum Pontificum à Beato Petro ad ſe vſque, cum manu armata in bellum proceſſit. Qui quamuis ſanctus fuerit, & pio hoc animo egerit, tamen quia id eius non erat officij, neque hoc illi permiſſum fuerat à Domino qui pati venerat, ſuoſque vt ab aliis magis paterentur, quàm vt alios proſequerentur præmonuerat; ideò exercitus ſui multitudo cæſa eſt, ipſo proſpiciente. Non enim Dominus Diſcipulis ſuis, neque iidem Apoſtoli ſuis ſucceſſoribus præceperunt, vt curis ſecularibus velut Principes ſeculi materiali gladio Dei populum tuerentur, ſed vt verbo Doctrinæ moderent, & piæ conuerſationis exemplo inſtruerent.] Hæc antiquus ille S. Leonis ſugillator, qui cuiuſmodi fuerit, fateor mihi eſſe incompertum. Æquè eidem Sancto Pontifici obſtrepunt, hac in parte S. Antoninus 2. p. hiſtoriæ tit. 16. §. 19. ex Ioanne de Columna, & Petrus Damiani l. 4. epiſto. 9. *in fine.*

Sed ſine dubio, nulla in hoc negotio fuit Sancti viri culpa; quia non bellabat, niſi neceſſitate adactus repoſcendi ab iniuſtis vſurpatoribus quæ Eccleſiæ erant; nec aderat ipſe certamini, vt videtur ſupponere narratio adducta, ſed in loco munito, procul à conflictu, inter preces & vota operiebatur belli euentum. Pro tuitione autem rerum Eccleſiæ, aut pro earum recuperatione; item pro hoſtium fidei abactione Pontifices bella indicere, curare, atque tractare, nouum non erat, cum id ea ex cauſa fecit S. Leo 9. Etiamſi Petrus Damiani neget Anteriores Pontifices talia feciſſe. An non verò S. Gregorius Magnus l. 7. epiſto. 2. & 5. indict. 2. & l. 11. epiſto. 21. 22. 23. indict. 7. contra Agilulphum & Arnulphum, Longobardos, bellica ſtudia iniuit? Quod item fecit Gregorius 2. pro Cumani caſtri à Longobardis occupati recuperatione. Sed & Benedictus 8. deletis Saracenorum copiis, cum Rex Saracenus ſaccum caſtaneis plenum ſubmiſiſſet ad ipſum, minitans ſe tot milites aduerſus eum educturum, remiſit ſaccum plenum, milij, aſſerens Saraceno tot obſtituros Loricatos quod mitteret, grana milij, vt legere eſt apud Ditmarum l. 7. & apud Baronium anno 1016. qui habet etiam alia exempla, cum S. Leone 9. anteriora, tum poſteriora, quæ viget contra Petrum Damiani pro eodem ſancto Leone nono.

PRON. II. *Vide in digreſſione.*

In eadem, aduerſus S. Leonem argumentatione, perperam (imo ridiculè) iuſtitia belli à ſancto Pontifice ſuſcepti, æſtimatur ex euentu: ſic enim expeditio in Saracenos, autore & incentore S. Bernardo; comprobatáque à Deo inſignibus miraculis, (vt ipſe Diuus Bernardus refert l. 2. de conſid. c. 1.) inſimulanda eſſet iniuſtitiæ, quia infelicem ſortita eſt exitum. Verùm vt Gretſerus in Apologia pro cruciatis c. 7. rectè diſputat, neque ex malo euentu belli iniuſtitia & bellantis iniquitas, neque ex bono & proſpero exitu, iuſtitia belli, & gerentis pietas colligi neceſſario poteſt: cum certum ſit, Deum ita temperare ſortes humanas, vt nec benè ſemper ſit bonis, vt ſuſpirent ad æterna, faſtidientes caduca bona, nec male ſemper ſit malis, vt locus ſit fidei, & minutiæ quædam bonorum operum quæ ab illis exercentur, non abeant irremuneratæ in hac vita, quando in altera manet immenſa moles tormentorum. Ratiocinatio eſt S. Auguſtini 1. ciuit. c. 8. & Chryſoſtomi l. de Virginit. c. 24. eoque reuoluitur longa Luciferi Calaritani diſputatio. l. de Regibus Apoſtaticis, cum tractat temporalem multorum impiorum fælicitatem. Itaque aliqui ex his militaribus Eccleſiæ hominibus, iuſto Dei iudicio vt cæteris terror ingeneraretur, & vigil excubans ſuper res humanas agnoſceretur, peſſimè, iam ex hac vita habiti ſunt, & mala morte conſtricti, vt pauci illi quos recenſuimus. Aliis ea profanitas, ad horam impune ceſſit; vt Manaſſi illi multorum capitum belluæ. Nam & Arelatenſi, & Veronenſi, ac Tridentino, & Mantuano, Epiſcopatibus ſimul potitus eſt; addito impio ioco ad excuſandam excuſationem in peccatis; quod ſcilicet S. Petrus fuiſſet Romanus, & Anthiochenus, fortè etiam Alexandrinus Epiſcopus. Hunc nefarium hominem, ſub Hugone Rege Italiæ cognato ſuo, cui deniqne Iudas factus eſt, vt Mediolanenſis infulas prioribus iungeret, armatum militaſſe, proditum eſt. Neque tamen graues vllæ eius calamitates leguntur ſcriptis commiſſæ. Itaque perperam exiſtimatur, Deum iam ex hac vita; omnes militares Clericos aut Monachos malè mulctare. Nec plura de calumnia S. Leoni nono irrogata.

Alia æquè inanis in Gregorium VI. calumnia.

OMiſi quod eius anteceſſorem Gregorium & ſimili calumnia pulſatum, ſe tamen ſub mortem potenti oratione purgantem, ac diuino etiam miraculo poſt mortem purgatum, deſcribit S. Antoninus 2. p. hiſtoriæ tit. 16. §. 19. exitus enim ille Gregorij, & tumulatio, non cohæret cum iis quæ de eodem per Imperatorem depoſito, & tranſlato in Germaniam, nec vnquam reſtituto in ſedem S. Petri, deſcribunt vnanimiter illius æui ſcriptores.

Obſignemus hoc punctum aureo monito in alia quidem materia dato, ſed tamen huc æquè cadente. Origenes, aut quiſquis alius antiquus autor

Theoph. Reyn. Aſcetica.

V 3 libri

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

libri de ſingularit. Clerico: *ferè initio*, ſic affatur homines Dominicos. [Ad vos nunc mea exhortatio conuertitur, quos noluimus experiri talia præcipitia ruinarum. Metuite quantum poteſtis eiuſmodi caſus exitia, & in iſta ſubuerſione, labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps eſt qui tranſire contendit, vbi alium conſpexerit cecidiſſe, & vehementer infrænis eſt, cui non incutitur tremor alio pereunte. Amator verò eſt ſaluti ſuæ, qui euitat alienæ mortis incurſum, & ipſe eſt prouidus, qui ſollicitus fit cladibus aliorum.]

APODIXIS IX.

Ex ratione in ſtatu hominum Dominicorum fundata.

HActenus humano ac diuino ſuffragio, veritatem propoſitam muniuimus, & interuenire peccatum, in geſtione vel rectione bellorum per Religioſos, euicimus. Nunc vrgenda eſt ratio ex natura ſtatus harum perſonarum, quam optimè perpendit S. Thomas 2. 2. q. 40. artic. 2. Nam Religioſi, & quilibet homines Dominici, ex vi ſui ſtatus, addicuntur cultui diuino, qui magnam poſtulat animi quietem, & longationem à tumultu. Atqui bellum ſuapte natura eſt aliquid tumultuoſiſſimum, & inquietiſſimum vt nemo neſcit, & graphicè exhibet S. Chryſoſtomus l. 6. de ſacerdote *ſub finem*. Igitur bellum abhorret à ſtatu quorumcumque hominum dominicorum, ſed maximè Religioſorum. Itaque Religioſus qui ſe belli aggreſſiui tumultibus implicat, facit contra ſtatum ſuum, atque adeò peccat.

Religioſus, vi ſtatus ſui, debet eſſe pacatus.

HAnc rationem, bellè expreſſit Bartholomæus Ferrarienſis l. 2. de Chriſto abſcondito *pag. 56.* Et quia illud opus vix iam aliquorum manibus teritur, placet, nonnulla ex eo labore. [Exercitium bellantium, (inquit,) eſt cum inquietudine. Nam vbi eſt clamor tubarum, equorum, ſcutiferorum contendentium, blaſphemantium Deum, & ſanctos maledicentium homines, animalia, & ſimilia, ſacerdos interuenire non poteſt. Eſt enim deputatus ad orandum, ad cuius orationem requiritur mentis eleuatio, & contemplatio ad quam requiritur ſilentium, vel clamor ad Deum. Vnde quando populus ſuſtinuit prælium primum, ſcilicet ab Amalech, Moyſes dimiſſo Ioſue cum armigeris in campeſtribus, ipſe, & Aaron, & Hur, aſcenderunt ſupra montem ad orandum: & dum Moyſes haberet manus graues, & ipſas eleuaret, vincebat Iſraël; dum autem laxaret, vincebat Amalec. Quod autem non minùs valeat ſacerdotis oratio, quam armatorum fortium multitudo, patet; quia maior fuit victoria habita contra Amalech per orationem Moyſi quã per Ioſuë gladium. Vnde melius & vtilius eſt, ſacerdotem in Eccleſia orare, quam in exercitu bellare; ad quam orationem cum exigatur generaliter quies, non licet ſacerdoti bellare.] Hæc eſt prima illa rei propoſitæ ratio, quam dicebam fundari in natura ſtatus perſonarum de quibus agimus. Remundus Ruffus extremo ferè opere pro Pontifice contra Molinæum, ſic argumentatur in hanc rem ex natura ſtatus, ab armis abhorret ſacerdotij ratio. Nam ſi arma ſint Pontificum, vel ſacri ordinis, calicis & libri erunt militum, ſi bellare ſacerdotij ſit, militum erit concionari, & cenſus qui huius rei cauſa dantur recipere, ſacerdotum verò ſtipendia militum, cum eorum officio fungerentur.

Idem eruitur ex eo quod ſit Philoſophus Dei.

POteſt verò ad hanc rem illuſtrandam & roborandam, congrue huc aptari ratio illa qua Ethnici ſuos Philoſophos arcebant à militia. Nam etiam Religioſi à Chryſoſtomo & aliis Græcis Patribus, paſſim dicuntur *Philoſophi*. Igitur apud Ethnicos Philoſophi, quia vi ſtatus ſui addicuntur negotio poſtulanti quietem, arcebantur à bellis. Et idcirco (do verba Æliani lib. 12. variæ hiſtor.) [Nemo vel fictor vel pictor, filiarum Iouis imagines armatas nobis exhibuit: quo ſignificatur id vitæ genus quod in Muſis conſumitur, placatum ſimul & manſuetum eſſe oportere.]

Non me latet, eundem Ælianum l. 7. eiuſdem operis, affirmare, Philoſophos quoque bellis incubuiſſe, & inter alios quos profert in exemplum, adducere Socratem & Platonem, quorum primum ter in militiam profectum eſſe ait; bis verò Platonem, nimirum in oppugnatione Tanagræ & Corinthi, id quod ab eo præ paupertate factum ait l. 3. addens, cum in Socratem incidiſſet, vendidiſſe arma, & Philoſophiæ ſe tradidiſſe. His belligeris Ariſtotelem addit l. 5. Quod enim paternam hæreditatem abligurriſſet ad militiam proficiſci adactum eſſe. Ea verò minus proſperè cedente, pharmacopolam egiſſe, tandemque ex peripati frequentatione & auditione ſermonum inibi à docentibus habitorum, euaſiſſe præcellentiſſimum Philoſophum.

Hæc ab Æliano de Philoſophis militantibus prodita nihil incommodant iis quæ ſtatuebam de Philoſophorum alienatione à militia. Nam Socratem quidem, negat Athenæus l. 5. militaſſe inquam negat, & Platoni alia referenti, mendacium impingit. Et quanquam Caſaubonus l. 5. animad. c. 15. & obiter in Laertij l. 2. *in Socrate* Athenæo refragetur; Tamen quæ Athenæus adducit, non carent veriſimilitudine. Quod verò Plato & Ariſtoteles, priuſquam philoſopharentur, militarint, non probat Philoſophiæ rectè conuenire cum militia, vt aſſumebant. Druidæ, Gallorum Philoſophi, à militia immunes erant, vt ſcribit Bodinus l. 5. de Repub. c. 5. ſi igitur Philoſophi, quia ſtatus eorum depoſcit quietem, militaria non tractant, multo minus Chriſti Philoſophiam profeſſi, negotiis illis ſe implicare poſſunt, idque planè, ex vi ſtatus quem inierunt, validè confirmatum cenſeri debet.

Nec non, quia eſt domeſticus Chriſti.

VI ſtatus, Religioſæ perſonæ numerantur inter Chriſti familiares, ſuntque quaſi eius Domeſticæ. Debent ergo veluti tingi ac imbui, iiſdem cum Chriſto morum coloribus: atque adeò decet eas perfecta lenitas, & remotio ab omni odio, etiam circa hoſtes, & priuatos & publicos; quos omnes communis charitatis vinculis ſtringere, & agnoſcere pro eiuſdem heri conſeruis ac filiis debent,

bent vt ſint eiuſdem cum Chriſto genij; qui hoſtes ſuos quærentes animam eius, non perdidit, atque contriuit, ſed humaniſſimè habuit. Optimè omnium, hanc erga hoſtes lenitatem Chriſti, exhibet hic præter cæteros S. Chryſoſtomus homil. 21. in ad Rom. *in Morali.* [Summus illius famuli, qui proditorem ſuum & oſculatus eſt; (Neque enim ceſſabo, quin factum illud continuò verſem,) quique teneriora etiam verba quàm oſculum ſit, erga illum locutus eſt. Neque enim dicebat; ô ſcelеſte, ô perdite; ô proditor? hanc nobis pro tanto beneficio gratiam rependis? ſed quo modo? *Iuda* (inquit;) proprium illius nomen ponens: id quod magis erat miſerantis & reuocantis quam indignantis. Neque dixit præceptorem tuum, Dominum tuum; benefactorem tuum, ſed *filium hominis.* Quaſi diceret, etiam ſi non eſſet præceptor tuus nec eſſet Dominus tuus; cum tamen qui tam manſuetè, tam candidè erga te affectus eſt, vt & in ipſo proditionis articulo te oſculetur, idque cum proditionis ipſius ſymbolum ſit oſculum; tradere potes. Benedictus ſis domine, quantæ humilitatis, quantæque nobis patientiæ exemplum tradidiſti? Sed ad illum quidem ita ſe habuit. Ad eos vero qui cum fuſtibus ac lapidibus irruebant, non ita. Et quid quæſo manſuetius verbis illis quæ ad eos locutus eſt? Cum enim ſimul omnes perdere poſſet, nihil quidem horum fecit, ſed modeſtè illos allocutus. *Quid* (inquit) *exiſtis tanquam ad latronem, cum gladiis & fuſtibus?* Et cum illos ad terram ſupinos proieciſſet, & tamen vel ſic nihil permoti eſſent, voluntariè ſe ipſum illis tradidit, ſuſtinuitque videre vincula ſanctis manibus inicientes, cum tamen poſſet omnia rumpere ac proiicere.]

Status Religioſus, cum ſacrificio Chriſtiano; atque adeo debet à bellis abhorrere.

NOn eſt omittenda ratio ducta ex ſacrificio Chriſtiano, ad quod Religioſi vi ſtatus ſui dicunt ordinem. Vel enim ſunt ſacerdotes, aut deſtinati ad ſacerdotium, vel vnum conficiunt corpus ac cœtum, cum iis qui ſacerdotio ſunt inaugurati. Sacerdotium ergo Chriſtianum, ad quod vniuerſus ordo hyerarchicus dicit habitudinem, prout per illud conficitur corpus Chriſti; (nam Epiſcopus ſacerdotes initiat; inferiores verò, ſacerdoti miniſtrant:) Sacerdotium inquam legis gratiæ, ſpectat incruentum ſacrificium, quo recolitur cruentum, iuxta Apoſtolum 1. Cor. 11. Sicut igitur Chriſtus patiens non effudit ſanguinem alienum, & vt agnus ac victima, non vt bellator faſens, in eo ſacrificio apparuit; ita ne miniſterium ad repræſentandam Chriſti patientiam ordinatum, functione concomitante planè contraria veluti impugnetur, neceſſe eſt miniſtrum illi addictum procul eſſe à bello, nec ad illud gerendum vel regendum quoquomodo interuenire. Intendit digitum in hanc rationem Ioannes Saresber. lib 8. polycrat. c.23. cum dixit. [Quis eò nequior, qui miniſterium pacis, ſacrificandi officium, in rixas mittit & carnificinam?]

Iudaicos quidem ſacerdotes & ſacros miniſtros, quia carnificio dabant operam, & ſacrificia cruenta offerebant, minùs dedecuit militia, & tractatio armorum. Et idcirco aliquando leguntur pugnaſſe, atque belliſſe, vt notat Abulenſis in c.1. Num q.25. & 2. Reg.1. q. 8. exiſtimans non fuiſſe vllo iure prohibitum ſacerdotibus veteris Teſtamenti, pugnare in bello; ad quod expendit varia exempla ex ſcripturis. Noſtros autem ſacerdotes qui incruento ſacrificio dant operam, alij mores decent. Imo ne antiqui quidem ſacerdotes, regulariter (vt ſic dicam,) & extra grauem neceſſitatem publicæ defenſionis, nauabant in bello operam, niſi cum culpa, & irato numine vt iis contigit l.1. Machab c.5. qui volentes fortiter agere, & ſine conſilio euntes in prælium, fuſi ac cæſi ſunt. S.Chryſoſtomus, ſub finem homiliæ 4. de verbis Eſaiæ, etiam Iudaicum ſacerdotium abhorrere debuiſſe ab armorum tractatione his verbis tradit agens de obſiſtentia ſacerdotis, inſaniente Ozia Rege. [Sacerdotis tantum eſt arguere, liberamque præſtare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vſurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere; ſed tantùm arguere, ac liberam præſtare admonitionem. Poſtquam igitur arguiſſet ſacerdos, Rex autem non ceſſiſſet, ſed arma moueret, clypeos, & haſtas, ſuaque vteretur potentia, ibi ſacerdos Deo; Ego (inquit,) quod erat mei officij præſtiti, nihil amplius poſſum; ſuccurre ſacerdotio, quod conculcatur.] Præmiſerat ſacerdotem non habere arma ſenſibilia nec bellum gerere aduerſus barbaros, ſed animum habere arma ſpiritualia, & bellare aduerſus Dæmones. Et agit de antiquis ac Iudaicis ſacerdotibus. Idem planè ſupponit Philo. Nam ſub finem lib.1. de Monarchia, incidens in præmium diuinitùs repoſitum Phinees, ob trucidatos nefarij ritus cultores, ait, meri ò talem diuini cultus propugnatorem fuiſſe ſacerdotio donatum, quia viſum eſt Deo illum deinceps debere eſſe à militia immunem, & cum pace ſeruire ſoli Deo præſertim quia vt ait, S. Cyrillus l. contra Iudæos ad q.7 cædes illa (ſi res bene æſtimetur,) non tam fuit cædes, quàm commodatio manuum Deo, ad iuſtam ſatisfactionem ei curandam, & auertendam eius iram à toto populo. Id quod etiam S. Cyrillus ait de cæde Agag Regis Amalecitarum per Samuelem. Abulenſis quoque in c.x. num. q. 14. obſeruat, quamuis non eſſet Iudaicis ſacerdotibus prohibitum pugnare in bello, nunquam tamen id feciſſe niſi vrgente neceſſitate magna, extra quam non ibant ad bella, niſi vt clangerent tubis, aut vt allocutione ſua firmarent milites, iuxta Dei mandatum Deuter. 20. vel vt portarent arcam, vt legimus 1. Reg. 4. per quam occaſionem, filij Heli venerunt in caſtra: & vt idem author ad illud caput q.11. affirmat, non pugnauerunt, tametſi ibi occiſi, ſunt Deo anteriores culpas eo inopino caſu vindicante. Phineem quidem filiũ Eleazari Sacerdotis, cum millenis ex quaque tribu dempta Leuitica, miſſum ad bellum contra Madianitas, ſcribitur Numer. 31, quod non nemo accepit de bello per Phineem ducem geſto. Sed hoc meritò reiecit Salianus anno Mundi 2575. Scriptura enim ſatis inſinuat, idcirco duntaxat miſſus Phinees, vt arcam ad bellum illud deferendam, & alia vaſa ſancta cuſtodiret: ac etiam vt præeſſet Sacerdotibus, quorum in bello munus erat tubis clangere. Non fuiſſet autem congruum, veluti exautorato Ioſuë, iam variis bellis cum laude perfunctum, vt ſacerdos, de tribu à bellis immuni (vt Philo ac Ioſephus notarunt, vnde non niſi duodecim millia bellatorum delecta ſunt, quia ex tribu Leuitica nemo ad bellandum eſt delectus;) Imperatoris munus in eo bello obiret. Itaque quod Phinees ſacerdotis ſummi filius, & ipſe ſacerdos, dicitur miſſus cum militibus, non incommodat iis quæ hactenus ſunt conſtituta. Si igitur Iudaicos Sacerdotes, extra magnam neceſſitatem dedecuit bellica pugna, multo magis dedecet

PROV. II. *De bello aggreſſiuo.*

PRON II. De bello ꝉ greſſu.

Chriſtianos ſacerdotes; quibus non miniſtratio mortis (vt Paulus loquitur,) ſed miniſtratio ſpiritus, eſt commiſſa.

David, quia ſanguinarius, repulſus ab ædificatione templi, cum ſacrificio nexi.

VT autem huius rationis vis magis eleceſcat, recolenda eſt repulſa Dauidis a templi ædificatione, ob nexum templi Iudaici cum ſacrificiis quæ Deo offerebantur. Ideirco enim Deus noluit ſibi templum ædificari à Dauide, quia erant ſacrificia in eo templo perficienda, quæ Deus non acceptat à viris ſanguinum; ita vt ne per templi quidem ſtructuram, velit eos ad ſua ſacrificia interuenire. Et hanc ipſam ob cauſam, reiecit olim Deus altaria lapidea, quæ oportuiſſet ferro contingi. Noluit item templum Salomonis, è lapidibus ferro cæſis conſtrui, vt obſeruauit Diodorus in catena Lippomani Exod. 15. voluntatem ergo ſanctam à Dauide conceptam de templo Iudaico ædificando, repulit Deus, quia Dauid bellator fuerat, & plurimum fuderat ſanguinem.

Aperit quidem aliò, cauſam repulſæ illius Diuinæ, Pineda l. 1. de Salom. c. 5. §. 3. a num. 16 Sed eſt Abulenſis 1. Paralip. 22. q. 18. & quod plus pungit, S. Hieronymus. l. 1. in Ionin. c. 14. expreſſus (vt videtur,) a Ruperto. l. 4. de Victoria verbi Dei c. 13. cauſam propoſitam reiicit, dicens; [Dauid vriam occidit Hethæum, mœchus extitit in Berſabee. Et quia erat vir ſanguinarius, (non vt plerique exiſtimant propter bella, ſed propter homicidium;) templum Domini ædificare prohibetur.] Imo verò pace tanti Patris dictum ſit, prohibitus eſt Dauid ædificare templum, propter bella, & multum ſanguinem in eis fuſum. Verba Domini ſunt clariora, quàm vt eis poſſint offundi tenebræ. 1. Paral. 22. dixit Dauid ad Salomonem. *Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens; multum ſanguinem effudiſti; & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare Domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me.* Et c. 28. iteratur eadem repulſa, dicente Deo; *eo quod ſis vir bellator, & ſanguinem fuderis.* Quid clarius? Deus ipſe manifeſtè adhibet cauſam repulſi Dauidis, à S. Hieronymo reiectam. Noluit enim Deus ſacrificia in templo offerenda, referri ad templi ædificatorem ſanguinarium, qui multum in bellis fuderat ſanguinem, & inter alios etiam Vriæ, quem interfecit gladio filiorum Ammon.

Et tamen ſacrificia offerenda in templo quod Dauid moliebatur, erant cruenta, & victimarum iugulandarum, procul que ſemota à nitore ſacrificij Chriſtiani, quo Chriſtus ita immolatur; & vi verborum mortuus ac iugulatus exhibetur, vt tamen propter concomitantiam, integer perſeueret ac viuus. Quanto ergo iuſtius eſt, Sacerdotes & ſacros eorum adiutores, quorum tantus eſt cum ipſo Chriſtiano ſacrificio nexus, non eſſe ſanguinarios, nec tantùm ante Sacerdotium, ſed etiam (quod congruentius eſt,) per ſacerdotij tempus abſtinere in bellis à fundendo humano ſanguine, vt ſint idonei, quibus Deus vtatur ad templum viuum & ſanctum coædificandum? Meritò Alphonſus Salmeron. 1. tomo. 3. prohibitionem ne Dauid templum ædificaret, vocat adumbrationem Irregularitatis hominum Dominicorum, fundentium in bellis ſanguinem, in lege gratiæ.

Quamquam Procopius 2. Regum. 7. generatim omnes, a Deo monitos humanitatem arbitratur. [Non permiſit, (inquit,) Dauidi Deus, Domum orationis conſtruere, docens humanitatem, omnes quotquot hoc in loco Deum erant inuocaturi. Nam qui vident Prophetam non concedere Dauidi propter cædes quantumuis iuſtas, vt Deo ædificet, puras manus habere docentur.] Quæ ratio negatæ à Deo Dauidi ædificationis templi, tametſi non nihil diuerſa ab ea quam hactenus adhibuimus, facilè eò flecti poteſt. Si enim omnes in ea Dauidis repulſa docentur abhorrere à fundendo ſanguine, multo magis ij quorum ſtatus nexus eſt cum Domo Dei. Suppetit proportionale argumentum, ex vita S. Stephani Regis Hungariæ per Carthuicium Epiſcopum deſcripta. Eius quippe vitæ initio, refertur diuinum viſum quo Geiza S. Stephani pater bellicoſiſſimus, cum Chriſtianam Religionem ſuſcepiſſet, admonitus eſt ne ſe immiſceret conſtituendæ Eccleſiæ Hungariæ. Id enim decus, naſcituro ſibi ipſi, filio reſeruari; qui ſanguinem humanum non eſſet fuſurus; & idcirco congruentius eſſet incubiturus in eam curam. Vides exemplum planè genuinum exemplo Dauidis, prout à nobis aptatum eſt ad hoc negotium.

Vrgetur argumentum, ex Sacramento & ſacrificio pacis, nexo cum ſacris perſonis.

SAcrificium Chriſtianum terminatur ad ſacramentum Euchariſtiæ, ex quo etiam, potens in rem noſtram argumentum duci poteſt; eſt enim *Sacramentum pacis*, vt diſerte nominatur a S. Auguſtino l. 3. de conſ. Euang. c. 25. Sicut etiam eius confectio *Sacrificium pacis* appellatur ab eodem S. Auguſtino in pſalm. 33. expoſ. 2. & à S. Bernardo l. de præc. & diſpenſ. c. 16. Ex ſacramento igitur pacis, per ſacrificium pacis confecto, inde in rem noſtram argumentari licet, quod vt S. Ambroſius in Magni Theodoſij Monodia tradit, tantus imperator poſt debellatum Eugenium Tyrannum, non ſine plurimi ſanguinis effuſione, vt illi victoriæ prænuncius Abbas Ioannes prædixerat; abſtinuit à conſortio Sacramentorum, donec aduentu filiorum quos Conſtantinopoli Mediolanum euocauerat, diuinæ erga ſe gratiæ experimentum cepiſſe viſus eſt. Tanti enim ſanguinis effuſionem, tametſi iuſtam & ſanctam habuit per illud tempus, pro obice & veluti canonico impedimento frequentandi diuina Sacramenta cum cæteris Chriſtianis. Sunt etiam olim, qui diuino mandato hominem occidiſſent, ſeptiduo extra caſtra hærebant, luſtrandi tertio ac ſeptimo die. Ad quod exemplar cuius videtur canon vndecimus pænitentialis in antiquis ritualibus, vt qui in bello (etiamſi iuſto,) cædem patraſſent, per quadraginta dies abſtinerent Sacramentis. Productior item abſtinentia à S. Baſilio indicta eſt c. 13. Epiſto. Canonicæ ad Amphil. nempe triennij. Quod etiamſi vſu receptum negat Theodorus Balſamon, ne milites perpetuò propè arcerentur à ſacramentis; tamen notat ſenſum, viri ſancti, qui ob ſanguinem, & etiamſi iuſtè fuſum indixit militibus eam ſecretionem. Vmbras Luſtrationum Ethnicarum à cæde hominis, per ſuffitum, laurum, vel aquam fluminis, prudens omitto. Videri autẽ de iis poteſt Plinius l. 15. c. vltimo, & Caſaubonus ad Theophraſti Caracteres c. de ſuperſtit. Et mirabimur, ſacros homines qui circa ſacramẽta debẽt aſſidui eſſe, arceri à bello homicidiorũ feraci?

Templum

Templum à ſanguine alienum; Multo magis homines Templi.

AFfine argumentum eſt, quod duci poteſt ex ſanctitate Templi Chriſtiani: quæ tanta eſt, vt in eo homicidium quantumuis iuſtum perpetrare, vel noxium ſanguinem effundere, ſacrilegum ſit, & cum templi pollutione coniunctum. Ita enim ſtatuitur cap. *propoſuiſti* de conſecr. Eccleſ. & cap. vnico de conſecr. Eccl. in 6. Latè id excutit & confirmat Suares t. 3. 3. p. diſp. 84. ſed 4. Et quamuis effuſio ſanguinis humani, ex parte agentis iuſta eſſet, vt cum fur aliuſue criminoſus trucidatur; tamen pollueretur Eccleſia, & actio cædentis eſſet ſacrilega. Idem quoque accidit, cum ex parte patientis, perpeſſio eſt Deo acceptiſſima. v. g. cùm Martyr (vt S. Thomæ Cantuarienſi accidit) in templo trucidatur, & ad aras cadit. Nihilominus enim polluitur Eccleſia, egebitque reconciliatione vt rectè cum Hugone, Ægidius Rom. quod lib. 2. q. 15. & Gloſſa, cui ſubſcribit Armilla V. *Conſecratio* n. 5. S. Antoninus 3. p. tit. 12. c. 6. §. 4. Syluester V. *Conſecratio* 2. n. 5. Nauarrus in manu. c. 27. n. 256. Viualdus in Candel. p. 2. tract. de interdicto n. 65. Suares t. 3. 3. p. d. 81. ſ. 4. Auila de cenſuris p. 5. diſput. 7 concl. 2. Quin etiam ſola ſanguinis effuſio notabilis, ex vulnere aut percuſſione; ſat eſt ad polluendam Eccleſiam, ita vt reconciliatione egeat; quamuis alibi, hoc eſt cum agitur de canonico perſonæ impedimento, nomine *effuſionis ſanguinis*, intelligatur tantùm deſtructio vel imminutio operis Dei, per cædem aut mutilationem. Pro templi tamen quaſi inhabilitate & pollutione, requiritur haud exigua ſanguinis effuſio violenta per vulnus ibidem inflictum, aliter quàm ad ſui defenſionem, vel ex amentia. Ita habetur ex cap. *propoſuiſti*. & cap. *ſi Eccleſia* de conſecr. Eccleſ. & cap. *Eccleſia*. ac cap. *ſi motum* de conſecr. diſp. 1. nec non ex Gloſſa ad cap. vnicum de conſecr. Eccleſ. in 6. Nimirum Domum Dei decet ſanctitudo, nec par eſt illam contaminari tali illuuie; præſertim propter ſacrificium quod inibi celebrandum eſt.

At longe intimior eſt nexus, perſonæ ad Sacrificium quoquomodo interuenientis, cum ſacrificio, quam templi. Nam templum eſt mera circunſtantia extrinſeca inanimata, nihil influens in ſacrificium; perſona verò eſt eius cauſa efficiens, vel cooperans; & quidem cum deliberatione & libertate. Quare in templo patrare cædem, etiamſi iuſtam, ſacrilegum eſt. Nec, excuſaretur à ſacrilegio, qui fixo in Eccleſia patibulo, furem ex eodem ſuſpenderet; Non poteſt ergo vacare culpa, quod homo Eccleſiæ, cædibus, quantumuis ex obiecto iuſtis, & fundendo ſanguini, quantumuis noxio, det operam. Et huc refert Diodorus in catena Exodi 17. cur Deus ferro aptari lapides ſtructuræ templi aptandos vetuiſſet. Eodem pertinet quod Leuitæ num. 1. v. 47. non ſunt numerati cum militantibus.

Simile argumentum ex altaris ſanctitate.

LOcus proximior ſacrificij, eſt altare, & per hoc quoque Deus, quod à ſacris hominibus effuſio humani ſanguinis remouenda eſſet, èdocuit, vt optimè admonuit Genebras c. 9. Liturg. expendens præceptum à Deo latum Exod. 20. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Si enim leuaueris cultrum ſuper eos, polluetur.* Cuius diuini mandati memor Ioſue vt habetur in eius Hiſtoria c. 8. ædificauit altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit, & obtulit ſuper eo holocauſta. Rationem ergo diuini huius præcepti circa altare lapideum, petit Genebrardus, ex eo quod Deus auerſetur cædes & humani ſanguinis effuſiones, quibus ferrum ſeruit. Qua ex cauſa, Ethnici quoque, (vt eſt apud Tullium l. 2. de legibus], æs ferrumque arcent à delubris, vt belli inſtrumenta non ſani. Varios olim Rabbinos, hanc rationem diuini mandati de altari è lapidibus quos ferrum non tetigiſſet, reddidiſſe, refert Serarius tomo. 2. in Ioſue c. 8. q. 16. qui multas præterea eiuſdem mandati rationes coaceruat: ſed ea quam retuli, non eſt inueriſimilis. Ex ea verò perſpicuè liquet, quantoperè Deus, in perſonis diuino ſacrificio adductis auerſetur ſanguinis humani profuſionem; cum in altari inanimato, tantum receſſum ab inſtrumento fundendi humani ſanguinis adamauerit.

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Itemque ex ſanctitate feſti, in quo nefas bellare.

AFfine, eſt, eodemque modo vrgendum argumentum petitum ex ſacra die. Temporis enim vtpotè circunſtantiæ, planè concomitantis actionem, nec eam vllo pacto principiantis, multo minor eſt cum actione nexus, quam cauſæ efficientis, vt per ſe eſt manifeſtum. Et tamen effuſio humani ſanguinis, etiamſi iuſta, (extra euentus quoſdam extraordinarios, in quibus periculum eſſet in mora;) vetatur in die feſto. Qua de re extat luculentum reſponſum Nicolai 1. ad Conſulta Bulgaro. c. 12. Interrogatio fuerat. [Vtrum liceat, in feſtiuitatibus ſanctorum, iudicium peragi, & vtrum eadem die debeat homo ſi dignus fuerit, ad mortem iudicari?] Reſpondet Nicolaus. [Sciendum quoniam in his feſtiuitatibus, in quibus ſuperiùs (cap. 11.) ab omni opere mundano ceſſandum eſſe monſtrauimus, multo magis à ſecularibus negotiis, & adhuc à montibus abſtinendum fore, decernimus: Quoniam quamuis vtrumque fortaſſè ſine culpa valeat exerceri; quando tamen iis quæ Dei ſunt, arctiùs homo debet hærere, quæ mundi ſunt, à ſe conuenit penitus reſecare; præcipuè cum ea die, ad militiam diuinam accedens homo, implicari non debeat negotiis ſecularibus; & ob reuerentiam tantæ ſolemnitatis, non oporteat in medium deferri, niſi vnde omnibus gaudium, pax, & ſpiritalis lætitia generetur.] Hactenus Nicolai reſponſum, quod cap. 45. extendit ad tempus ſacrum quadrageſimæ, ipſam militiam, etiamſi iuſtam exercendam, niſi neceſſitas aut commoditas magna contrarium ferat, non eſſe in feſto exercendam, vel in quadrageſima, tradit ibidem Nicolaus c. 46. Et idem decernitur c. *quod non licet* de Reg. Iuris. Et multo latiùs eam prohibitionem diffundit Alex. 3. in Concilio Lateranenſi, adductus c. 1. de Treuga & pace. Quod non eſt cenſendum vetari ob ſeruilitatem militiæ quoad executionem vt exiſtimauit Suares l. De feſtis c. 28 n. 9. & ſeqq. refragante meritò Molina tract 2. de iuſtitia diſputat. 111. ſpectauit ergo ea prohibitio, feſti quaſi inceſtationem & contaminationem ab operibus illis cruentis, ſiue ſanguis humanus addicatur fundendus, vel reipſa fundatur via iudiciaria; ſiue idem præſtetur per militiæ executionem; Quanto ergo magis abhorret à perſona ſacra quocunque tempore ea effuſio? videtur enim per ſe euidens, intimiùs iungi cum ea

effuſionem

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

effuſionem ſanguinis quam ipſa cauſat, quum cum tempore, quod merè extrinſecè adiacet actioni, vt benè perſpexit Nyſſenus homil. 7. in Eccleſ. Igitur ea actio multo magis contaminabit hominem dominicum, quàm feſtum diem; ac proinde eſt à Dominico homine ſemper euitanda.

Rationum propoſitarum compendium.

BReuiculum magnæ partis rationum hactenus propoſitarum, placet hic non omittere; quod & ad illuſtrationem maiorem commodare poſſit, & ad memoriæ adiumentum deſeruire. Confecit eum breuiculum Petrus Ioannis Oliui ordinis Minorum. Quodlib. 1. q. 19. vt probaret quod iam ſupra rei cimus, nec Pontificem quidem, poſſe adigere ſacros homines ad præliandum vel regendum bellum, in quacunque neceſſitate ſolius boni temporalis Quod probat, quia[id fuit & eſt decens & expediens. Tum propter perfectionem Euangelicam in gratuitis profeſſoribus conſeruandam; Tum propter ſacramentalis pacis & vnitatis ſignificantiam non frangendam, neque falſificandam. Nam ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti quod conficiunt & miniſtrant, ſacramentum eſt vnitatis & pacis. Prædicatio etiam diuinæ reconciliationis & pacis, ad eorum ordinem ſpectat. Tum ne Dei ſanctuarium & ſacerdotalis conſecratio per effuſionem ſanguinis polluatur & vilificetur, nec vaſa diuina & Deo ſacrata, humanis vſibus dedicentur. Tum quia ſicut omnis motus indiget immobili fundamento & inuariabili cauſa prima, ſic debitum moderamen bellorum, indiget aliquorum mente & ſenſualitate perfectè pacifica & tranquilla Hoc autem de difficili ſeruatur, & rarò inuenitur in perſonaliter peragentibus bella humani ſanguinis effuſiua, & vitæ hominum extinctiua. Propter quod Eccleſiaſtico regimini & pacifico moderamini fuit omnino expediens, Rectores Eccleſiaſticos penitus ſequeſtrari à perſonalibus bellis.] Hæc rationum coaceruatio, tametſi inefficax eſt quoad illud ad quod ab autore aſſumitur; tamen in rem præſentem eſt omnino efficax. Itaque rectè ſub vnum aſpectum hic eſt propoſita.

Parœneſis ad ſacros homines, ex Paulino.

QVare rectè cadit in omnes homines Dominicos attento ſtatu vitæ cui propter Deum ſe mancipaṙunt, pia & grauis adhortatio qua S. Paulinus epiſto. 39. auertit Religioſæ vitæ hominem, (ſic enim initio Epiſtolæ loquitur,) à militia ſeculi. [Noli ergo (inquit,) diutiùs diligere hunc mundum, neque militiam eius; quia ſecundùm ſcripturæ autoritatem, inimicus Dei eſt, quicunque eſt amicus ſeculi. Et qui militat gladio, mortis miniſter eſt. Qui autem ſuum vel alienum ſanguinem fundit, hic recipiet fructum ſtipendiorum. Aut enim exitu mortis tenebitur reus, aut crimine; quia neceſſe eſt vt miles in bello, in quo tamen non tam pro ſe quam pro alio dimicat, aut ſuam mortē ſua virtus inueniat, aut mortis cauſam victor acquirat, quia victor eſſe nō poterit, ſi effuſor ſanguinis ante nō fuerit. Ideò dicit Dominus, *nō poteſtis duobus Dominis ſeruire*. Sed quia vni Domino ſeruiēdū eſt, facile puto eſſe diſcerni, cui potiùs ſeruiri debeat, Deo an Mammonæ. Chriſto an Cæſari; cum ipſe Cæſar Chriſti ſeruus ſtudeat eſſe, vt aliquarum gentium Rex eſſe mereatur. Neque enim quanquam terrenus Rex, totius terræ Dominus eſt. Chriſtus autem totius mundi Dominus & Rex eſt; quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et ipſe eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, & in terris, & in mari, & in abyſſis, omnia quæ vult facit. Hunc igitur ſequamur, huic militemus, cui cinctus nunquam diſcingitur miles; qui militantibus ſibi, gloriam vitæ æternæ, honorem regni cæleſtis, & diuitias hæreditatis ſuæ, & diuinæ cognitionis, conſortium perenne largitur.]

APODIXIS X.

Ex mole & immanitate malorum, bellis quantumlibet iuſtis adiunctorum.

COmplementum id erit rationis proximè propoſitæ. Nam Religioſi & quilibet homines Dominici, vi ſtatus non modò tenentur vacare & videre, ſed etiam ſemoueri ab iniquitate & contradictione quæ eſt in mundana ciuitate; procul inquam ferri, à malis cum vltoriis tum peccatoriis, (vt cum Tertulliano loquar), quæ torrens ſeculi conuoluit, maximè in bellis, quæ mores & poſcunt & inferunt longè alios, quam ſint, vel eſſe debeant Religioſorum, & Deo addictorum hominum. [Quis enim enſe operabitur, & non contraria lenitati & iuſtitiæ, dolum & aſperitatem, & iniuſtitiam, propria ſcilicet negotia præliorum?] Verba ſunt Tertulliani l. 3. contra Marcion. c. 14. ipſas voces *militiæ*, & *malitiæ*, eſſe vicinas, vt aſperitas ſubiectarum nationum ſit perſpectior, ex ſancto Bernardo ſerm. ad milit. templi c. 2. Pio. 2. Epiſto. 19. Scaligero exerc. 300. n. 4. obſeruauit Lælius Biſciola t. 1. ſubſ. l. 11. c. 3. Non nego quod initio ſuppoſui; poſſe bella iis adhibitis quæ ibi attigi, iuſta eſſe. Adiunguntur tamen vitio bellantium, ac ferè ex neceſſitate operis quod exercent, tam multa mala, etiam moralia exercitio militiæ, vt D. Auguſtinus agens quoque de bellis iuſtis 19. ciuitatis c. 7. confirmet impotem ſe eſſe tot malis bellorum exponendis. Et poſt multa, concludit caput illud his verbis, [Hæc itaque mala tam magna, tam horrenda, tam ſæua, quiſquis cum dolore conſiderat, miſeriam neceſſe eſt fateatur. Quiſquis autem vel patitur ea ſine animi dolore vel cogitat, multo vtique miſeriùs, ideò ſe putat beatum, quia & humanum perdidit ſenſum.] Impoſſibile ergo moraliter videtur, Religioſum, ſaluo ſtatu, fieri participem eorum, præſertim ſumma neceſſitate non adactum, vt ſemper contingit in bello aggreſſiuo de quo agimus.

Mala omnis generis à bello. Quare declinandum Religioſis.

VT vis huius rationis perſuadatur, & potens argumentum homines Dominicos à bellis auertens euadat, attingendum eſt aliquid de belli malis, quæ talia & tanta ſunt vt nemo ea inficietur. Quod enim Thomas Lineus Buſcius, encomium belli edidit, à Doſmanio repræſentatum Tomo 2. Amphiteathri ſeriò iocoſi, per iocum, & ad ingenij facundi oſtentationem, otioſè eſt confictum. Et eſto, non careat bellum ſuis aliquibus commodis, quale illud quod Tertullianus l. de anima c. 30. aſſignat, quod ſit inſtar tonſuræ inſoleſcentis generis humani, ideòque pro remedio deputetur, quod

eneruat

enervat ſubſidium vitiorum, & longa pacis mala repellat de quibus Iuuenalis Satyra 6. approbante Auguſtino Epiſt. 5. quod ſit iuſta multoties peccatorum admiſſorum pœna, vt ſentit Paulus Oroſ. l. 1. c. 1. quod ſit orbi pro ſcopis a' peris quibus mundus ſordido excrementorum ac purgamentorum hebetatur, iuxta Ioſephum l. 1. de bello Iudaico, quod autore Syneſio epiſto. 104. multos quos arrogantes accepit, moderatiores efficiat, & qualis cuique ſit ſanguis, demonſtrat. Verum hæc, & ſi quæ ſunt alia belli commoda, non tam ipſius belli ex ſe calamitoſiſſimi, (vt Socrates ait apud Platonem l. 2. de Repub.) effectus ſunt, quam prouidentiæ diuinæ, bona ex malis eruentis; & ex ipſis ſimpliciter dictis malis, id eſt non vltoriis tantum, ſed peccatoriis (vt verbum Tertulliani retineam,) bona maxima ſæpè colligentis, quæ non ſineret admitti, niſi bona ex iis eruenda præuideret, vt ſanctus Auguſtinus in Enchiridio c. 27. eſt ratiocinatus. Ex ſe autem bellum merito Græca appellatione *damnum* ſonat vt eſt apud Phornutum ſiue Cornutum l. de natura Deorum c. de Marte, & Bellona. Mars enim qui ἄρης denominatur, & metonymicè bellum ſignificat, dicitur ἀπὸ τοῦ ἀρᾶν; quæ vox ſignificat *damnum*. Hoc quam vere, & quam ſapienter indita appellatione dictum ſit, ex ipſis Ethnicis Iſocrate oratione de pace, & Demoſthene oratione de falſa legatione, Tullio orat. pro lege Manilia, Cæſare apud Salluſtium in coniurat. Catilinæ, perſpicuè intelligi poteſt.

Pacis bona, ad intelligentiam malorum bello adiuncto.

QVanquam vix puto occurrere poſſe commodiorem viam perſpiciendi ac veluti attrectandi mala belli, quàm conſideratis vel perfunctoriè decantatiſſimis commodis pacis. Horum quippè extremorum contentione facta, alterutrius ſors liquidiſſimè deprehendetur vt propterea Poeta Iliados 18. *in fine*, ſcutum biforme exhibuerit, in quo duæ vrbes, altera feliciſſima & florentiſſima vigentibus pacis ſtudiis; altera ærumnoſiſſima & calamitoſiſſima, bellis & tumultibus bella aſſectantibus attrita. In hunc enim ſenſum binas ſcuti illius imagines accepiſſe video Maximum Tyrium diſſert. 17. Quamuis aliò declinarint Themiſtius orat. 1. & Clemens Alexandrinus V. Strom c. 6.

Pace igitur nullum non bonum conuehitur domi & foris. Florent in Gymnaſiis ſtudia, ius in foro tranquillè dicitur, agricola terram in futurum prouentum ſulcat, & arbores excolit, vt propterea olim referente Cornuto cap. *de Mercurio*, qui pacem pollicebant, germina & arboris fructiferæ bacillum præferrent, ſignificantes cupere ſe terram coli, & mites arbores non lædi, facta ſemente, idem agricola ſecurus meſſem colligit, & vinitor vuas. Paſtor interritus oues ducit ad paſcua; viator abſque trepidatione iter carpit; Mercator nundinas & emporia cum quæſtu & abſque periculo frequentat; opifices quietè & tranquillè inſiſtunt operibus; Mutua regionum communicatio viget, fitque expletio neceſſitatum vnius oræ per ea quæ alibi abundant: Vnuſquiſque lætus ac tutus ſub vite & ſub ficu ſua vitam poteſt exigere. Quod ſi prædo aliquis aut graſſator, alteri infeſtus immineat; viget authoritas præfectorum publicæ tranquillitati, quorum ſtudio arcentur iniuriæ, & commerita ſupplicia decernuntur ſontibus, omnia iſta euertit bellum. Per illud quippè obmuteſcunt Muſæ, ſilent iudicia, ſqualent arua, artes & opificia feriantur, intercluditur commercium, corporibus exitium infertur, quodque omnium luctuoſiſſimum eſt, & bellum inferentibus & ſuſtinentibus, per immenſam ſcelerum vim molémque immanē peccatorum, ruina, plerumque ſempiterna creatur. Præeleganter Nyſſenus orat. 7. de beatitud. pacem depingit vt commune bonum omnia iucunda & amæna reddens, quod ſingulatim proſequitur.

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Euerſio omnium pacis bonorum, per bellum.

BEllum è contrariò exhibet Nyſſenus vt communem calamitatem. [Quid in vita eſt bonum niſi pax ſub qua omnia quæ ſunt honeſta proficiunt, ac Religioſa nutriuntur?] Verba ſunt Valeriani Cemelienſ. hom. 12. E contrariò bellum omnia honeſta & Religioſa vaſtat, vt idem Valerianus pronunciat: & ſuffragantur paſſim alij Patres. Tertullianus breuiter c. 25. Apolog. [Omne regnum vel imperium bellis quæritur & victoriis propagatur. Porrò bella & victoriæ captis & euerſis plurimum vrbibus conſtant. Id negotium ſine Deorum iniuria non eſt. Eædem ſtrages mænium & templorum; pares cædes ciuium & ſacerdotum, nec diſſimiles rapinæ ſacrarum diuitiarum & profanarum.] Eadem contractiùs Minutius, ambo probantes, falsò iactaſſe Ethnicos, Rempublicam Romanam cultum legitimum tenuiſſe, cui tot felicitates per bella euenerunt. Vrgent illi è contrario, bella tot malorum fœcunda, tot impietatum ac ſcelerum feracia, non potuiſſe verum numen mouere, vt ea præmia rependeret, tantæ malorum ac ſcelerum colluuioni, Eadem his paucis complexus eſt S. Cyprianus Epiſto. 2 [Cerne tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum, bella vbique diuiſa: Madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium cum admittunt ſinguli, crimen eſt; virtus vocatur cum publicè geritur; impunitatem ſceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, ſed ſæuitiæ magnitudo.] Arnobius l. 3. numero 22. probans Martem non eſſe Deum qui tot peccatis & calamitatibus quas bellum inuehit, delectatur; [Deum ergo (inquit,) dicemus in voluptatis ſuæ dulcedinem, collidere orbem totum; diſcordiarum & diſcriminum cauſas, inter gentes ſerere terrarum longinquitate diſtinctas; conducere ex diuerſo tot mortalium millia, & intra verbi vnius moras campos cadaueribus aggerare, ſanguineos præcipitare torrentes, fundatiſſima dolere imperia, æquare vrbes ſolo, libertatem ingenuis abrogare, & ſeruitutis conditionem imponere, diſſenſionibus gaudere ciuilibus, commorientium fratrum parricida nece, & ad vltimum filiorum & fratrum parricidali congreſſione.]

Leodegarius à Quercu, ſuperiore ſeculo hanc exhibuit belli faciem.

Eſt equidem bellum, monſtrum crudele, nefandum,
Immane, immundum, mortiferum, horriferum.
Quæ belli mater? Regnandi inſana libido.
Quæ Germana? ira, rixa, inimicitia.
Quis pater? furor. Et nutrix? violentia. Nata?
Ærumna & lachryma. Filius interitus.
Quæ thalami conſors? Proſerpina. Quis ſocer? orcus
Quæ data dos? furtum? Quæ Domus huic? Phlegeton.
Quæ famulæ? dira Harpyæ, furiæque. Miniſtri,

Dæmones

PRON. II. *De bello agreſſiuo.*

Dæmones e luſtis terrificis ſpecubus.
Qui ſocij? Fures. Quid tu das? Verbera & ictus
Nunc vbi agit? Rurſus Ditis ad antra redit.

Rudis Delineatio ac inſinuatio hæc eſt malorum quæ bellum infert, & cauſarum teterrimarum è quibus ferè habet originem. Iis autem condignè & accuratè exprimendis, impar ſit quantumuis plena & prolixa oratio.

De iiſdem belli malis, & pacis amore, ex Gerſone.

SAnè quod Gerſo tom. 4. ſerm. pro pace ad Regem Franciæ, & Clyctouæus l. de bello & pace c. 5. recte animaduerterunt, eſtque longo & quotidiano experimento plus quam teſtatum, quantumcunque iuſta ſint bella, & quantumcunque inuigilet quæ ſæpiſſimè dormiat bonorum belli præfectorum cura; impoſſibile eſt, quin mala innumera, & quidem grauiſſima, admittantur. [Non eſt dubium (inquit ibi Gerſo,) quin tota paradiſi curia congaudeat bono & ſaluti eorum qui viuunt ſani, & in pace; dum ſine timore de manu inimicorum liberati ſeruiunt Deo, vt dicit canticum Zachariæ. Fuit ergo vox Angelica & paradiſi, *Veniat pax.* Sicut per contrarium, pax eſt contraria, & confuſio infernalis inimici quoad ſecundam cauſam. Nihil eſt quod tantopere ei placeat, & quod adeò procuret, ſicut prælium, odium, ſchiſma, & diuiſionem. Per alia enim peccata decipit homines, & eos occidit, vt vnum cum vno, aut duos cum duobus; ſed per prælium & diuiſionem, includit in laqueis ſuis non modò vnam villam, vel vnam ciuitatem, vel vnum Principem; Verùm etiam magnum regnum vel imperium. Scit quod poſt alia peccata, agi poteſt pœnitentia, ſed per prælium ſæpè accidit mors ſubita & improuiſa, quæ omnem impedit pœnitentiam. Etiam cognoſcit non eſſe peccatum aut crudelitatem, iniuriam, aut iniquitatem, quin inueniatur in prælio, præſertim cum eſt inter Chriſtianos ad inuicem. Ibi pauperes ſubditi innocentes, magis affliguntur, roduntur, comeduntur, adeò etiam vt ne minimum quidem remaneat; & quod tam ipſi quàm eorum miſeri pueri, compellantur ſæpiùs perire in doloroſis tormentis quoad corpus: & niſi Deus miſericordiam habuerit, etiam quoad animas per impatientiam & deſperationem. Eſt itaque conditio diaboli & officium eius, in prælio & afflictione ſe ſe oblectare.] Quid mirum iſta de plebium per bella exhauſtione & ſuctu vel etiam voratione, ad varia peccata impulſu per milites, eſſe flebiliter annotata, cum Maximus Tyrius, homo Ethnicus ſerm. 14. eadem deplorarit, deſcribens bellum, iniuriæ magiſtrum, iracundiæ cotem, effrænium voluptatum irritamentum, cupiditatis & rapinarum ignitabulum; præ quo vitæ genere, longè anteponendam pronunciat vitam ruſticanam? Apud Caſſiodorum lib. 1. epiſtol. 11. Theodoricus, iuſtitiæ & morum menſuram à militibus non teneri fatetur.

Subdit Gerſo attentis tantis bellorum malis, tótque ſceleribus ad illa conſequentibus, veros Nobiles quantumcunque ratione ſui ſtatus militiam profiteantur, pacem ſemper prælecturos. [Sequamur (inquit,) ſemper potiùs pacem & bonum adinuicem amorem, quàm prælium & diuiſionem. Et rogemus Deum facto, & verbo dicentes: Veniat pax, vt cogitemus cogitationes pacis & non afflictionis. Hoc etiam conducit vniuerſo ſtatui militari. Intelligo de bonis, prouidis, & validis militibus, ſapientibus Deum timentibus, qui norunt optime conſiderare & cogitare grandia pericula corporum & animarum, & mala quæ ſequuntur ex præliis, tam eis quam bonis eorum ſubditis: Et quemadmodum difficile eſt inter Chriſtianos iuſtum ſuſcipere bellum, & tamen ſi iuſtum non fuerit, omnia mala quæ accidunt ſunt in grauamen & condemnationem eorum qui ipſum continuant. Nec etiam eſt tam iuſtum bellum, quin mala fiant innumera, in expoliationibus, furtis, aliiſque peioribus modis, quibus malis quæ interdum fiunt per ſpoliatores, boni milites grauantur; quia non poſſunt ſufficientem prouidendi adhibere diligentiam, & malefactores puniendi. Non loquor hic de quibuſdam qui potiùs bellum volunt quam pacem, ſiue iuſtum ſit ſiue iniuſtum, modò vt ipſi ſpoliarent, interficerent & furarentur. Illi enim non ſunt Nobiles, neque Chriſtiani, ſed ſpurciſſimi latrones & flagitioſiſſimi ſerui, peiores infidelibus, & miniſtri Diabolorum qui non viuunt niſi eſca venenoſa, immo peiori veneno quod reperiri queat, hoc eſt peccato mortali: Cibus eorum eſt ſanguinis innocens, & caro humana miſerrimorum hominum.] Sunt tamen inter militares homines, eius generis quàm plurimi quorum malignitate, moles malorum bellis conuerſa, auctior euadit & infeliciſſimè ſoboleſcit.

Bellum ſupra alia Dei flagella, tetrum.

REctè porrò è tantis belli malis videtur colligiſſe Clyctouæus l. de bello & pace cap. 6. è tribus diuinis flagellis quorum optio permiſſa eſt Dauidi, teterrimum eſſe bellum. Nam fames & peſtis, belli ferè ſunt conſectaria, ob agrorum vaſtitatem & alimentorum penuriam, quæ via eſt ad luem. Neutrius verò illorum flagellorum, tanta eſt coniunctio cum peccatis & iniuriis in Deum, quanta belli ſiue iuſti, ſiue præſertim iniuſti. Itaque ex tribus illis intoleſcentis generis humani tonſuris, (vt Tertullianus appellauit l. de anima cap. 30.) nulla exitialior eſt, nulla pernicioſior quàm bellum, quod qui amat merito à Petro Lindebergo audiat:

Arma amens amat, & gaudet fera bellua bellis
Bellum mors vitæ eſt, bellum ſentina malorum
Pernicies hominum, vitij fons, hydra quietis
Et ſcelerum torrens, & viua puerpera mortis.

Belli deteſtationem, eo quod non ſit à Deo, ſicut eſt pax, legere licet apud Dionem Pruſæum orat. 37.

Etiam animabus Purgatorij noxium bellum.

COnfirmatio virulentiæ & malignitatis belli, ſupra luem ac famem, ſubminiſtrata à Gerſone dicto ſerm. de pace, non videtur contemnenda. Lues enim & fames ſiſtunt in terræ ſuperficie, nec niſi mortales vexant: bella verò etiam animabus Purgatorij incommodant, id quod ille ſic declarat. [Pax eſt etiam ad vtilitatem & commodum vniuſcuiuſque animæ quæ eſt in purgatorio, quoad tertiam cauſam. Certum eſt vnam quamque animam in purgatorio eſſe in charitate, & charitas (vt

dicit

dicit Apoſtolus,) patens & benigna, non quærens crudelem vindictam, in ira aut afflictione. Et ratio eſt, quia charitas eſt mater pacis, immo omnium virtutum; non proprium quærit commodum, & honorem communem. Et quod eſt magis commune commodum quam pax? Ideò concludo Neceſſariò quod quælibet anima Purgatorij deſiderat pacem, poſtulat pacem, cogitat pacem. Et quicunque oppoſito modo viuunt, non eſt hoc ad earum delectationem, aut commodum aut liberationẽ ſed eſt ad earum diſplicentiam, nocumentum & impedimentum. Quomodo impedimentũ? quia non fiunt tanta bona, preces & orationes pro eis. Immo eſt timendum, ne pro precibus fiat maledictiones, pro diuino ſeruitio, Eccleſiarũ deſtructiones, & pro Eleemoſinis rapinæ, atque pro ieiuniis & abſtinentiis, gulæ, ebrietates, ac fœminarum raptus, & alia mala innumera, in præiudicium pauperum Purgatorij animarum. Quis ergo opinari poſſet, res tales eis placere? Quæ eſt anima purgatorij quæ velle poſſet in aliarum animarum præiudicium immo ſui ipſius, vt pax impediatur ſuper terram per vindictam, per iram, aut crudelem afflictionem? Reuera vnaquæque earum potiùs cogitat cogitationes pacis, quàm talis afflictionis; dicitque & precatur, ſi per veram fidem noſtri cordis aures aperire velimus, *veniat pax.* ô amici (dicunt omnes animæ Purgatorij,) facite pacem, *veniat pax.* Quid nobis veſtra prodeſt diuiſio? Quid nobis prodeſt vindicta, cum nihil petamus à Deo & hominibus niſi pacem & miſericordiam, niſi amorem & ſimplicitatem; Quare? vt ſimus extra amariſſimum tormentum & duriſſimam afflictionem. Et quomodo benefaciendo, vt nobis detur miſericordia, vt parcatis aliis propter nos. Quemadmodum clamamus, volumus & poſtulamus, vt Deus faciat nobis miſericordiam & præſtet veniam, ne audiamus hanc duriſſimam ſententiam Euangelij, *ſerue nequam dimiſi tibi? quare tu quoque non dimittis?* Quæſo amici mei ſuper terram, (poteſt dicere vnaquæque anima Purgatorij;) quæſo cogitate nos omnes adiuuare & liberare, abſque apponendo afflictionem ſupra afflictionem noſtrã. Vos præſertim fœminæ & pueri? malum ad malum, (vt dici ſolet inter vos,) non eſt ſanitas, ſi pro vna morte aut quouis alio damno, mille & mille, immo centum mille fuerint mala, cogitate ſi eſſet ad nos iuuandas aut liberandas potiùs quàm ad nos & vos ſimul impediendos aut peierandos? Cogitate quod ſi nos Rempublicam amauimus & pacem Chriſtiani populi, cum eramus ſuprà terram multo magis modò amauimus, & ad conſeruandam aut defendendam pacem in vos nos expoſuiſſimus nos ipſas mortis periculo contra aduerſarios veſtros. Credite quod pro nulla re vellemus pacem amitti per noſtram occaſionem. Si homo vnus aut duo, vitam eorum perderent, aut ſtatum ad nos vindicandos. Heu quid nobis prodeſſet inde vindicta? eſſet facere pro vno damno tria, eſſet ad tollendum nobis pretium, & argentum quo erga Deum, noſtram facere poſſumus redemptionem. Et eſſe poteſt, quod per aliquem defectum, fuimus cauſa noſtræ afflictionis. Non ergo velle debemus, innocentes pati pœnas & pacem perdere. Nonnè maledicti ſunt à Deo illi per quos ſcandalum venit & pax impeditur? inſuper cum viueremus in terra, inclinati eramus ad parcendum per Charitatem, & ad complacendum & obediendum Deo, vt pariformiter nos in defectibus noſtris ſupportaret, & eos nobis ignoſceret atque indulgeret. Multò plus modò inclinamur, cum miſericordia tam neceſſaria eſt nobis, quod ſit ſola bona ſocia illa, quæ nos ad Deum perduceret; ſola miſericordia mortuorum eſt ſocia, dicit Auguſtinus.]

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

Apodoſis, de tanta in bello malorum feracitate, Religioſis declinanda.

DE belli malis ſat multa, ſi cui parcior videor, adeat Eraſmum adagio *dulce bellum inexpertis*; Et integra de eo adagio lucubratione ſumma eſt in verbis illis Theophilacti Simocattæ l. 3. Hiſtor. c. 9. [Bellum omnium malorum receptaculum, omnium incommodorum, (vt ita dicam,) Archetypon, quod qui rerum humanarum vlcus putridum vocauerit, nihil à vero abibit.]

Tam ferali, támque malorum & peccatorum feraci negotio cooperatorem ſe præbere, ſi liceat defugere, vacare peccato non poteſt. Nam quamuis ij quos Principis iuſtum imperium premit bellandi neceſſitate, poſſint reprehenſione carere, etiamſi ad bellum interueniant; tamen quiſquis vltrò & non adactus neceſſitate indeclinabili, diliget particeps eſſe tot malorum, & cooperationem præſtare ad eorum inuectionem, næ ille ſaxeum pectus & à pietate auerſum gerit; nec videtur præſtari poſſe immunis à labe peccati. Nam tametſi ipſe adeò temperatè ſe gereret, vt in culpam nullam per ſeipſum incurreret, quod eſt operoſiſſimum, nihilominus participatio illa atque ſocietas in tot nocumentis quæ per alios inferuntur, vix ac ne vix quidem eximi poteſt à luculenta aliqua aſpergine; ita vt prorſus niteat, nec peccati ſordibus contaminetur. Itaque homines Dominici, quibus per ſtatum ſuum vacatio eſt & immunitas à bellis gerendis atque regendis, etiamſi aliunde non peccarent aduerſùs Religionem; tamen vel ex hoc ſolo capite, quod volentes lubenteſque nauent operam negotio malorum adeò feraci, inquinarentur atque ſorderent. Quomodò verò probabunt ſe filios pacis tali œſtro perciti, tali furore correpti? Quomodò fulmen illud non extimeſcunt, quod Spiritus S. per os Dauidis pſal. 67. intorquet, *diſſipa gentes quæ bella volunt:* In qua prophetica imprecatione hiſce hominibus omnino timenda, (vt Clyctouæus l. de bello & pace c. 11. rectè admonuit,) diuina vltio grauiſſima continetur.

Ac vt culparum propriè dictarum myriades bello non comitarentur, (vt verè comitantur,) vel ipſa violatio humanæ neceſſitudinis, cum quibuſuis etiam ſi hoſtibus intercedentis, beatam eſſe à bellis vacationem ſuadere poteſt iis quibus per ſtatum licet. Sanè Iſido. Peluſ. l. 4. Epiſto. 200. interroganti Ophelio, cur Moyſes num. 31. extra caſtra ad purificationem ablegaſſet milites è bello Dei iuſſu ſuſcepto regreſſos; [Aio (inquit,) quamuis legitimæ eſſe videantur hoſtium in bellis cædes, & columnæ victorum erigantur præclara facinora prædicantes; tamen ſi accuratæ ac ſupremæ cognationis quæ inter homines eſt, ratio habeatur; ne has quidem planè innoxias eſſe. Quam ob cauſam, ipſis præcepit, vt purgationibus & aſperſionibus vterentur.] Negat eſſe innoxias cædes in bello iuſto patratas, tum ob veras culpas ferè adiunctas bello vitio bellantium, tum quia indecentia ex diſciſſa (tametſi iuſtè) germanitate cum aliis mortalibus, inducit maculam, quæ tametſi hominem non ſemper reum ſtatuat

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

apud Deum, tamen non ſinit eſſe vſquequaque nitentem, labiſque purum, extenſo labis nomine ad legales maculas aut proportionales, quibus qui ſordet, etiamſi abſque peccato, dici poteſt non eſſe innoxius. Sicut vetus Teſtamentum, ob imperfectionem, dictum eſt non vacaſſe culpa Hæbr. 8. Et Paulus ipſe, dixit, S. Petrum in re in qua coram Deo non peccarat, fuiſſe reprehenſibilem ſiue culpabilem. Ægrè innoxias eſſe cædes in bello etiamſi iuſto, inſinuauit Franco Epiſcopus Leodienſis, qui rediens a bello in Normanos, omni ex capite iuſtiſſimo, non priùs ad ſacrificandum accedere auſus eſt, quàm conciliaretur ac purgaretur.

Obſignemus hanc argumentationem, graui iudicio Tertulliani: quod tametſi ſpectat vniuersè fideles quos ab vltroneis & declinabilibus bellis ſatagebat auocare; maximè tamen cadit in homines Dominicos, Religioſos præſertim. Sic igitur habet l. de idolol. c. 19. [Quæritur an fidelis ad militiam conuerti poſſit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata, vel inferior quæcumque, cui non ſit neceſſitas immolationum vel capitalium iudiciorum. Non conuenit ſacramento diuino & humano; ſigno Chriſti & ſigno Diaboli, caſtris lucis, & caſtris tenebrarum. Non poteſt vna anima duobus deberi, Deo & Cæſari. Et virgam portauit Moyſes, fibulam & Aaron. Cingitur loro & Ioannes, agmen agit, & Ieſus naue, bellauit & populus, ſi placet ludere. Quomodò autem bellabit, imo quo modò etiã in pace militabit, ſine gladio quẽ Dominus abſtulit? Nam etſi ad erant milites ad Ioannem, & formam obſeruationis acceperant; ſi etiã Centurio viderat, omnem poſtea militem, Dominus in Petro exarmando diſcinxit; Nullus habitus licitus eſt apud nos, illicito actui adſcriptus.]

CONSECTARIA APODIXEON.

§. I.

Æſtimata quantitas culpæ Religioſorum, militariter ad bella aggreſſiua purè humana cooperantium.

EVicimus, & omnino variè monſtrauimus, cooperationem Religioſorum ad bella aggreſſiua purè humana, ſordere peccato. Nunc eruendum indidem eſt quanta ſit ea culpa.

Culpa Religioſi bello de quo agimus, ſe immiſcentis, mortalis.

QVanquam citra aliam diſcuſſionem, res ex ante conſtitutis videtur clara; culpam videlicet eſſe mortalem quoad Religioſos ſacerdotio initiatos, vel ad ſacerdotium deſtinatos. De ſolis Religioſis laicis, Caſtro diſp. 5. de Charit. p. 6. n. 4. exiſtimat eos vi præciſè progreſſionis ad bellum, non peccare niſi venialiter. Caput autem *eos qui* 20. q. 3. quo decernitur excommunicatio Monachis ad militiam abeuntibus, exponit de iis qui militiam capeſſunt apoſtatando. Sed eſt expoſitio planè voluntaria, & ſine fundamento in textu, qui eſt vniuerſalis, & omnes Religioſos profeſſos apertè comprehendit. Quare cum excommunicatio non poſſit decerni niſi ob mortale peccatum, indubitatum eſſe debet, profeſſionem Religioſi laici ad bellum aggreſſiuum purè humanum, eſſe culpam mortalem. Et ita, ſine limitatione, Religioſos his bellis operam dantes, peccare mortaliter, affirmat valentia 2. 2. d. 3. q. 16. p. 4. *initio* & vniuerſè de Clericis agens, idem habet Lælius Zecchius in opere de Repub. Eccleſ. c. 30. verſic. 3. n. 35. poſt Capram quem adducit regula 96. num. 29. Conſentit Ioannes de Capiſtrano Tract. de poteſt. Papæ parte 2. ſecundæ partis principalis, à num. 196.

Extenditur reſolutio, ad quoſuis conſtitutos in ſacris.

POſſumus in hanc rem argumentum ducere, ex Clericis ſacro ordine inſignitis, quos per cooperationem ab bella de quibus agimus peccare mortaliter, receptiſſima eſt ſententia fundata in tam graui canonum prohibitione, & intentatione excommunicationis ac depoſitionis, nec non in natura ſtatus Eccleſiaſtici abhorrente à bellorum tumultibus & effuſione humani ſanguinis; vt proinde tanquam rem abſurdiſſimam & prorſus indignam, Græci latinis aliquando obiicerent, quòd eorum Epiſcopi & ſacerdotes ad bella pergerent pugnaturi, vt refert Anonymus ord. Prædicatorum tract. contra errores Græcorum §. *contra Romanum Pontificem.* Affirmant itaque, hanc eorum culpam eſſe mortalem DD. communiter, teſte Molina tract. 2. de Iuſtitia diſp. 108. Verſic. *ſecundum eſt*; qui iiſdem ſubſcribit, vt & Suares 2. 2. diſp. 13. de Charit. ſ. 3. n. 5. Ægidius diſp. 31. de actibus ſupernat. n. 86. Caſtro. diſp. 5. de Charit. p. 6. n. 2. Aula de Cenſur. 7. p. d. 6. ſ. 3. dub. 2. Valentia 2. 2. d. 3. q. 16. p. 4. Reginaldus in praxi l. 21. num. 89. Azor. t. 3. l. 2. c. 16. q. 3. Diana parte 6. tract. 4. reſolut 33.

Et ad quoſuis beneficiarios.

ET idem ad quoſcunque potientes beneficio Eccleſiaſtico, etiamſi inferiores duntaxat Clericos, extendit Carolus de Graſſis tract. de effectibus Clericatus in 28. & Ioannes Vvigers 2. 2. q. 40 artic. 2. num. 79. Timetque Molina tract. 2. de iuſtitia diſp. 108 *ſub finem*, ne hæc ſententia ſit vera. Sed hoc non fuit timendum, ſed aſſerendum. Planéque ita aſſerit Suares ſupra n. 5. Azor dicto c. 16. quæſt. 5. & eſſe probabile fatetur Ægidius diſp. illa 31 num. 86. Nimirum ratione beneficij, & victus quem de altari percipiunt, perſpicuum eſt, iſtos arctiùs deuinciri Eccleſiæ, meritòque ab eis exigi honeſtatem maiorem, quàm à Clericis inferioribus, non potientibus beneficio.

Cum ergo Religioſi omnes, etiamſi laici, vi profeſſionis ineant ſtatum qui ſuapte natura poſcit elongationem à bellis; multo magis quàm ſtatus ſecularium Clericorum initiatorum ſacris ordinibus, non videtur ambigendum, quin culpa Religioſorum hac in parte ſit vel æquè grauis, vel etiam grauior & tetrior, quam culpa ſecularium Clericorum ſacris ordinibus inſignium, quam paſſim omnes agnoſcunt eſſe mortalem ex ſuo genere; non quidem contra iuſtitiam, & obnoxiam reſtitutioni, (vt malè cenſuit Syluester V. *Bellum* 3. q. 4. ſuppoſito quod bellans, aliquid hoſtium diripiat: ſed tantùm contra Religionẽ & obedientiã. Eo enim ipſo quod bellũ eſt iuſtũ, & facta eſt poteſtas legitima prædandi, nõ violatur iuſtitia, vnde tollitur reſtituẽdi obligatio: violatur tamẽ Religio & obediẽtia,

ſicut

ſicut violarentur à ſacro miniſtro qui ageret carnificem, & cum facultate Iudicis eriperet vitam reo. Nam falua iuſtitia, violaret tantum Religionem & obedientiam, quibus virtutibus non inijcitur reſtituendi obligatio. Sic igitur ſtatuo de quibuuis Religioſis profeſſis, etiamſi laicis, quoad rem propoſitam: quamuis Diana part. 6. tractat. 4. reſolut. 34. leuiculam duntaxat culpam in Religioſis laicis pugnantibus agnoſcat.

Quid de Clericis inferioribus, déque Nouitiis Religioſorum.

DE Nouitiis verò idem ſtatuere poſſumus quod de Clericis inferioribus. Et hos quidem, aliqui comprehenſos putant iis canonibus qui grauiſſimè atque adeò ſub lethali culpa arcent clericos à bellis. Nam & ipſi ſunt Clerici, cum omnes prima tonſura inſigniti; nomine *Clericorum* veniant, ex Syluestro V. *Clericus* 1. numer. prim. Quamuis aliud doceat Albertus Trotius lib. 1. de perfecto Clerico cap. 1. Cum ergo canones indefinitè arceant à bellis Clericos, propoſitis pœnis grauiſſimis; concludunt auctores prædicti, omnium illorum qui ſaltem prima tonſura decorati ſunt, & priuilegio fori gaudent, mortalem eſſe culpam, ſi bellis de quibus agimus implicentur: Tametſi ob excelſiorem gradum, & maiorem vi muneris cum Chriſto coniunctionem, teteriùs peccent, qui ſacris ordinibus ſunt inaugurati: & inter hos, quo quiſquis eſt ſublimior, eò fœdiùs peccet, ſi ad bellum de quo agimus proficiſcatur; vt Diaconus, pluſquàm Subdiaconus; Sacerdos pluſquam Diaconus; Et Epiſcopus pluſquàm ſacerdos ſimplex. Ita Graſſis 2 part. deciſ. libr. 2. capit. 20. numer. 7. & libr. 3. cap. 6. numer. 2.

Alij verò exiſtimant, hos inferiores Clericos, peccare tantùm veniali er, adeuntes bella de quibus agimus; dummodò ex iis Clericis minoribus ſint qui gaudent priuilegio fori; quo poſt Tridentinum gaudent duntaxat, qui deferunt habitum & tonſuram, & ſimul deputati ſunt ab Epiſcopo, miniſterio alicuius Eccleſiæ, vel ſunt in ſeminario, aut de licentia Epiſcopi, verſantur in aliqua ſchola, aut vniuerſitate, quaſi in via ad maiores ordines. Huiuſmodi minores Clericos, aliqui arcent à bellis ſub veniali, ita Mol. tract. 2. de Iuſtitia d. 108. *ſub finem*, Soto lib. 5. de iuſtitia quæſt. 1. artic. 4. Suares diſput. 13. de Charit. ſ. 3. numer. 5. Ægidius de actibus ſupernat. diſput. 31. dub. 6. num. 87. Becanus de charit. cap. 25. quæſt. 25. Ioannes VVigers 2. 2. quæſt. 40. artic. 2. numer. 79.

Hæc videtur verior ſententia, quamdiu iſti perſtant in ſtatu Clericali, nec ei renunciant, vt ſanè poſſunt. Quamuis enim non pauci DD. omni culpa eos liberent ſi ad hæc bella procedant, vt Couarruuias ad Clement. *Si furioſus* part. 2. ſ. 3. num. 2. Valentia 2. 2. d. 3. quæſt 16. part. 4. *initio*. Diana p. 6. tract. 4. reſolut. 34. Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 12. numer. 19. Lorca 2. 2. d. 51 numer. 12. Sayrus lib 6. theſauri cap 19. numer. 1. Bonacina tomo 2. d. 2. q. vltima ſ. vltima §. 41. num. 29. Nec malè, ſi ſpectentur ſoli canones vetantes, qui in hac parte euiguerunt præualente contraria conſuetudine: tamen ſpectando rei naturam, non poteſt, non eſſe culpa aliqua, ſi perſonæ retinentes ſtatum diuino obſequio addictum, ad functiones ab illo ſtatu tantoperè abhorrentes, deiiciant ſeſe. Si tamen renunciarent ſtatui Clericali, & excederent beneficio fori, nemo illis vel leue negotium faceſſeret pro iniuſta militia, etiamſi aggreſſiua, ſicut nemo eis faceſſeret negotium, ſi inirent coniugium, abiecto Clericatu. Idem ergo, proportione ſeruata, dicendum videtur de Nouitiis, ſi perſtent in præludiis Religioſi ſtatus, nec illi planè renuncient, vt pro libertate ſua poſſunt facere.

§. II. PRON. II. *De Loto agreſſiuo.*

De reatu multiplici, culpam hactenus expoſitam conſequente.

POſt conſtitutam culpam contractam à Religioſo gerente aut regente bellum aggreſſiuum purè humanum, pronunciabam de variis pœnis ei peccato conſtitutis; nimirum de irregularitate; (nam hoc loco, quia culpæ rependitur, habet rationem pœnæ,) de deiectione ab Eccleſiaſtica immunitate, necnon à beneficiis & penſionibus, & iuſtorum ac inferiarum negatione poſt mortem. Attingamus eas diſtinctè ac ſigillatim, ſed quàm breuiſſimè.

De irregularitate Clerici aut Religioſi bellantis.

QVoad irregularitatem, multorum ſententia eſt, ſi bellum obiectiuè ſuis ex parte cauſæ ſit iuſtum, nullam eſſe timendam irregularitatem Religioſo vel Clerico bellanti, dummodò ipſe propria manu neminem cædat aut mutilet, etiamſi per alios quibuſcum adeſt, cædes, aut mutilationes hoſtium perpetrentur; vel niſi ſint cauſæ proximæ cur alij id faciant. Ita Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 215. Caſtro lib. 2. de lege pœn. cap. 14. Palud. in 4. d. 35. quæſt. 1. artic. 4. Cou. ad Clement *Si furioſus* 2. part. §. 3. num. 2. Suarez tomo 5. 3. part. d. 47. ſ. 6. numer. 9. Mol. tract. 2 d. 111. concl. 2. Valentia 2. 2. d. 3. quæſt. 16. part. 4. *in ſecunda controuerſia*. Conſentit Philiarcus 1. part. de offic. ſacerdo. l. 4. cap. 11. §. *de hortante*: excipiens tamen illum Religioſum, vel Clericum, qui intenderet mortem aut truncationé ab aliis illatam. Sed eſt exceptio voluntaria, & contra Eccleſiæ morem: Nec enim vſus Eccleſiæ, fert, vt in decernenda mulcta attendat intentionem, præſertim internam, & labis moralis expertem, qualis iſta poteſt eſſe. An enim homo Dominicus, intendens iuſtam hoſtium ſtragem aut truncationem, patrandam ab iis quibuſcum militat; idcirco peccat? Eccleſia ergo in hac re tantùm ſpectat, an homo Dominicus proximè cooperetur occiſioni vel mutilationi, etiamſi iuxta: Et tali cooperationi in bello aggreſſiuo obiectiuè iuſto, aio contra D. D. prædicta, annexam eſſe irregularitatem, etiamſi cooperatio non fuerit per influxum phyſicum, dummodò bellum fuerit illicitum ex parte perſonæ. Et ita Caietanus 2. 2. quæſtion. 40. articul. 2. ac Bannes ibidem dub. 4. adducens quædam iura ad rem non facientia. Et ratio aſſerti mei eſt, quia homo Dominicus auctoritate ſua ac præſentia firmans milites manu ſua cædentes aut mutilantes, cooperatur reuera in cædem & mutilationem, & quidem proximè. Non enim ea tantùm ratione cooperatur,

PRON II. *De bello aggreſſiuo.*

qua is qui conuocat milites ad bellum iuſtum, vel is qui præparat aut vendit arma; quæ omnia continent tantùm cooperationem remotam; ſed cooperatur vt vnum faciens cum militibus pugnantibus, & eis ſua præſentia & autoritate addens animos. Idque totum facit illicitè; nam ex parte perſonæ bellum eſt illicitum. Sicut ergo cum bellant, etiamſi ipſimet non trucident aut mutilent, fiunt tamen irregulares, ſecuta aliqua occiſione vel mutilatione per alios; ita videtur idem dicendum, quoties par cooperatio interuenit circa bellum, formaliter & ratione cooperantis illicitum, etiamſi obiectiuè non iniuſtum. Non adimo tamen contrariæ ſententiæ ſuam probabilitatem; cum ſit ferè communis, & non incalidè ſtabiliatur à Gibalino tract. de irregularit. c. 4. diffic. 5.

Eorundem deiectio ab immunitate Eccleſiaſtica.

SEquitur deiectio ab immunitate Eccleſiaſtica, Quod accipiendum eſt priuilegio canonis, & ſecuritate debita perſonæ à quacunque violentia. Nam priuilegium fori, non perditur ab homine Dominico, niſi propter crimina enormia, præuiis monitionibus & per ſententiam: inter quæ crimina non numeratur cooperatio ad bellum aggreſſiuum. Ita Innoc. in c. 1. de Apoſt. & Angelus V. *Clericus* 12. n. 2. Sermo igitur eſt de priuilegio canonis, quo is qui nauat operam bello aggreſſiuo de quo agimus, excidiſſe cenſetur; ita vt ſi in bello capiatur, vulneretur, occidatur, qui in eum manus violentas iniecerint, non excommunicentur hoc præcisè titulo. Ita habetur ex cap. *contingit* & ex cap. *in audientia* de ſent. excom. Vbi Pontifex Clericos quoſdam qui deſerto clericali habitu militauerant, mandat vt illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coërcenda, dignoſcitur inſtituta. Erat ibi ſermo de Clericis conſtitutis in ſacris, qui poſt trinam Prælati monitionem, perſeuerabant incorrigibiles. Tales Pontifex, abſque alia remiſſione ad manum laicam, & abſque vlla declaratione, exutos vult priuilegio canonis; quod ad quoſcunque inferiores Clericos & Religioſos, æquè eſt extendendum Et ita Syluester *V. Bellum* 3. num. 1. & ex multis iuribus ac Doctoribus Hippolitus de Marſiliis ſingul. 383. n. 2. Item Sayrus adducens quam plurimos lib. 3. theſau. c. 27. n. 8.

Item beneficiarij aut penſionarij à ſacro cenſu.

QVoad deiectionem à beneficiis & penſionibus, rem fusè agitat Ricciullus l. 7. de iure perſon. extra Eccleſ. c. 5. agens tamen duntaxat de Clericis, quos bifariam ſecernit. Si enim nondum ſint in ſacris, excidunt ipſo iure beneficiis, abſque alia ſententia & declaratione, eo ipſo tantùm quod conſcripti ſunt in matricula, vt idem autor ait n. 9. vel eo ipſo quod adiunxerunt ſe bellantibus, in ſocios & cooperatores belli. Quod addendum fuit, propter milites voluntarios, vt vocant. Nec ſi poſtea reſumant habitum Clericalem, facti pœnitentes regrediantur ad Clerum, reſumant ſua beneficia: vt malè opinatus eſt Iacobus de Graffis Conſil. 1. tit. de Cler. Coniug. in cauſa Clerici minoris beneficiarij, vndenicenis, qui poſt militiam quindecim dierum, ad Clerum regreſſus erat. Si autem Clerici beneficiarij, ſint in ſacris, negat Ricciullus n. 31. eos per ſententiam excidere beneficiis, ipſo iure; ne fortè cum ordinis ſacri dedecore redigantur ad mendicitatem, ſi ipſo iure priuentur beneficiis; dignos tamen cenſet, qui per ſententiam excidant beneficiis. Quæ reſolutio extenditur ad penſiones Clericales: quia licet fortaſſis non ſint beneficia, vt contra Gigantem q. 1. de penſion. tradit. Flamin. lib. 6. de reſignat. q. 4. à num. 52. Et Hierm. Gonzáles reg. *menſibus*, Gloſſa 5. §. 5. tamen in hoc negotio, eadem eſt ratio beneficiorum & penſionum Clericalium ad quas me reſtringo, quia penſiones temporales, & aſſignatæ titulo obſequij temporalis quod æquè per laicum præſtari poſſet; non amittuntur per militiam, vt notant DD. Clement. 1. de ſuppl. negotij Prælato 5. *eadem*.

Quibus Clericis aſſimilandi in hac parte ſunt Religioſi beneficiarij vel penſionarij, ſi bello aggreſſiuo purè humano nauarint operam, dubitari poteſt. Ex vna ſi quidem parte, viderentur aſſimilandi cum Clericis inſignitis ordine ſacro. Quia vtrinque ſunt ſtabiliter alligati ſtatui Eccleſiaſtico, nec poſſunt regredi ad ſtatum laicorum, ſalua conſcientia, Nihilominus veriùs videtur, eſſe hac in parte æquiparandos Clericis minoribus; quia etiamſi non poſſunt (ſicut iſti,) regredi ad ſeculum & viuere more Laicorum; tamen quod mendicato cogantur viuere, non cedet in opprobrium ſtatus Religioſi vel ordinis ſacri, ſi eo ſint initiati, paupertas enim voluntaria quam profitentur, extergeret dedecus, ſi quod eſſet, in mendicatione & ſtipis collectione.

Tandem eorundem mortuorum excluſio à ſuffragiis.

REſtat priuatio Clerico aut Religioſo militanti inflicta poſt mortem, in Concilio Triburienſi, vt refertur cap. *quicunque Clericus* 23. q. 8. Verbis illis. [Quicunque Clericus, aut in bello, aut in rixa, aut in Gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione, pro eo poſtuletur; ſed in manus incidat iudicis; ſepultura tamen non priuetur.] Apertè hic canon, ſic mortuum vel Clericum vel Religioſum, (nam quoad iſta, æquiparantur, vt ſæpè videmus;) ſpoliat oblatione, id eſt leuamine per ſacrificium incruentum, necnon ſuffragio publicarum Eccleſiæ orationum. Quæ eſt pœna admodùm ſeuera, tametſi iuſta, nec excedens culpam. De ſola ſepultura, difficultas eſt, qualem canon indulgeat hiſce defunctis, Nam Gloſſa ibi, aduertens hunc canonem non pertinere ad morientem in bello iuſto defenſiuo, iuxta cap. penultimum *de Cler. percuſſ.* affirmat, non indulgeri ſepulturam niſi caninam vel aſininam in ſterquilinio; & quidem ſi pænituerint ante obitum. Fateor tamen veriſimilius videri quod ait Molina tract. 2. de iuſtitia diſp. 108. *ſub finem*; nempe indulgeri ſepulturam Eccleſiaſticam, ſi ante obitum illos pænituerit, & piè obiiſſe videri poſſint. Idcirco in pronunciato non memini priuationis ſepulturæ ſacræ. Sed tantùm oblationis, & orationum.

§. III. Quæ

§. III.

Quæ diſpenſatio, ad immunitatem à culpa, & multiplici reatu proxime expoſito, valeat Religioſo bellanti ſuffragari.

AIebam omnia incommoda prædicta poſſe per iuſtam ſummi Pontificis diſpenſationem declinari, ita vt ea diſpenſatione ritè conceſſa, Religioſus bellans in bello aggreſſiuo purè humano, neque contrahat mortale peccatum, neque irregularitatem, neque vllam è pœnalibus priuationibus recenſitis.

Solus Pontifex poteſt in hac parte diſpenſare.

REuocaui conceſſionem huius diſpenſationis ad ſummum Pontificem, cum Caſtro Palaū di.p.5.de charit.p.6.n.9.& cum Azorio t.3.l.2.cap. 16.quæſito 12. Et ratio eſt, quia cum leges quibus damna prædicta infliguntur, ſint vniuerſales & latæ à poteſtate ſuprema, non poſſunt per vllam poteſtatem inferiorem laxari. Itaque tranſcendit facultatem ordinariorum, quicquam indulgere in hac parte; Conſuetudinem verò non poſſe ad hoc ſuffragari, atque adeò Religioſos & Clericos qui prætextu conſuetudinis diſtinentur bellis de quibus agimus, eſſe in ſtatu damnationis, debet eſſe extra dubium. Nam ea conſuetudo, reuera eſt abuſio, vt rectè dixit D. Thomas 2.2.q.40.artic.2. Itaque aduerſùs huiuſmodi conſuetudinem, reponendum eſt illud Concilij Carthag. apud D. Auguſtinum l.6.de Baptiſ.c.37. [In Euangelio Dominus dicit, *ego ſum veritas*; non, *Ego ſum conſuetudo.*] Vel illud Concilij Turonenſis ſub Alexandro 3. [Nemo longum tempus quo hic abuſus durauit, excuſet; quia diuturnitas non minuit ſed auget culpam.] Similia varij Patres adducti ab Hildeberto Epiſto.55. Et addendus eſt S. Iſidorus Peluſ. l. 2. Epiſto. 46. & S. Chryſoſtomus ſub medium libri tertij contra vituper. Vitæ Monaſt. Ex externis Dio Chryſoſtomus orat 31. Quare omnis indulgentia quæ in hac re expectari poteſt, à ſolo Pontifice eſt expectanda, ſi tamen vel ab eo haberi poteſt: aliqui enim id inficiantur.

Qui diſpenſare poſſe negauerint.

HOc addo, quia Gratianus, cum exiſtimet hanc prohibitionem eſſe iuris diuini expreſſi per ea Chriſti verba ad Petrum, *mitte gladium tuum in vaginam*; negat, Pontificem Maximum poſſe diſpenſare, vt Epiſcopi aut Clerici, (& idem eſt de Religioſis,) tractent arma, & bellis interſint pugnaturi. Ita Gratianus 23.q.8.*initio*. Agnoſcit quoque ius diuinum expreſſum verbis illis Chriſti ad Petrum, Innocentius Papa ibidem paulo poſt adductus à Gratiano cap. *cum à Iudæis*. Et ſubſcripſit Franciſcus Arias tract. de bello num. 6. videntur debere ſuffragari; qui dicunt, Religioſos & Eccleſiaſticos, vi ſui ſtatus, atque adeò iure naturali, prohiberi bellare: quod latè confirmat Valentia 2.2.d.3.q.16. p. 4. reſtagante tamen Nauarro l. 1. Conſilio 13.& Diana 5.6.tract.4.reſolut.33. Nam ſi ius naturæ fert vt perſonæ de quibus agemus, arceantur à bellis, cum ius naturale ſit diuinum, quippè à Deo impreſſum & inſculptum, non poterit Pontifex in eo diſpenſare; quod diſertè tradit Petrus Ioannes Oliui quod ſ. 1. q. 19. & pro eadem ſententia Petrus Gregorius l.3.de Repub c.7.num. 23. adducit Richardum in 4.d.28.art.1. Et Alenſem 3.p.q.50.membro 9.artic.3.

PRON. I'. *De bello aggreſſiuo.*

Refelluntur.

CErtum tamen eſſe debet, Pontificem ex idonea cauſa poſſe in hac parte diſpenſare: atque adeò id non eſſe ita iure naturæ vel ex Chriſti præcepto illicitum, vt nunquam liceat Clericis aut Religioſis bellare. Sunt enim quidam euentus, in quibus ſtatus Religioſus vel clericalis, iniecta ſpe maximi alicuius boni procurandi, vel auertendi maximi alicuius mali, non obſtat quominus Religioſi vel Clerici arma tractent, & bella gerant vel regant, etiamſi ordinariè & in communioribus euentibus, nihil tale contingat, & tunc ius naturale, & Chriſti oraculum quod illi ſe accommodat, habeat locum. Vbi poſſet contingere, vt bellum aggreſſiuum iuſtum, eſſet adeò neceſſarium ad publicam ſalutem & Reipublicæ conſeruationem, vt expediret concedi Religioſo qui parem non haberet peritia rei bellicæ, vel fauore militum perneceſſario ad victoriam abundaret; facultatem bellum regendi ac gerendi. In quo euentu, militia propter circunſtantias non pugnaret cum ſtatu Religioſo; eo quod tranquillitas ſtatui illi tantùm debeatur, quando iuſta neceſſitas aliud non poſtulat. Et tunc Pontifex poteſt diſpenſare vt ita fiat, quia bellum tunc non vetatur niſi per legem Eccleſiaſticam, in qua penes Pontificem eſt diſpenſare. Simile eſt quod referente Cromero l.4.ad annum 1040. & Longino, aliiſque rerum Poloniæ ſcriptoribus; Pontifex Monachum profeſſum & ſacro ordine initiatum, reddidit Polonis, ad ſuſcipiendam inito coniugio prolem, vt auerterentur mala quæ timebantur. Ramirum item Aragoniæ Regem, ex Monacho, & Abbate, ac deinceps Epiſcopo Pontifex vt coniugio illigaretur & vxorem duceret, ſpe magnorum publicorum bonorum conceſſit, vt referunt Boderius Sanctius 3.p.c.30.de rebus Hiſpaniæ c. 15. Et Hieronymus Blanca in rerum Arragon.commentor. qui diſpenſationis cõditionem recenſet, vt ſuſcepta prole Ramirus ad priſtinum inſtitutum regrederetur. Itaque ſub regalibus veſtibus Monaſticum geſtans habitum, Diu Rex fuit nempe vſque ad ſuſceptam filiam & Raymundo Bacchiuonenſi nuptam, & regnum ea ratione tutò locatum, vt ferebat Pontificia diſpenſatio, ex qua Regem ſe ac ſacerdotem inſcribebat quamdiu rexit. Aliud exemplum Regis Cuiuſdam Anglicani adduxi præſuppoſitione 3. Et tamen ſuppoſita voti caſtitatis emiſſione, ius diuinum, & rei natura in euentibus ordinariis, & extra graues cauſas quales tunc occurrerunt, æquè vrget ad voti caſtitatis obſeruationem & fugam coniugij; ac Chriſti oraculum, & ſtatus Eccleſiaſticus ac Religioſus, vrgeant Religioſos ac Clericos ad abſtinendum militia.

Quæ cauenda, vt diſpenſatio ſit legitima.

EX his ergo patet, poſſe Pontificem aliquando diſpenſare, vt Religioſi ac Clerici dent operam bello; litem illam, an bellum iure naturæ ac diuino ſit illicitum Religioſis ac Clericis, eſſe

PRON. II. *De bello aggreſſiuo.*

eſſe litem de vocibus. Quia in circunſtantiis in quibus fas illis eſt bellare, neque eſt contra Chriſti oraculum, neque contra exigentiam ſtatus eorum in tali euentu. Quod æquè cernitur in variis materiis in quibus Pontifex videtur diſpenſare in iure diuino aut naturali, quod reuera non poteſt: ſed ob mutationem adiunctorum, quod alias eſſet contra ius naturale aut diuinum, deſinit tale eſſe, & incipit patere diſpenſationi Pontificis, ſicque accidit in re præſenti vt rectè ſtatuit cum Calderino Felinus ad cap. *petitio* de homic. n.2.

Tantùm cauendum eſt, ne per falſos prætextus obtruſos Pontifici, vbi per falsò ſuppoſitam neceſſitatem vtendi homine Dominico ad huiuſmodi bellum, aut per ſuggeſtam mendaciter ſpem boni ingentis, vel falsò oſtentatam malorum præcluſionem, euaneſcat fructus diſpenſationis. Nam fraus facta capiti Eccleſiæ, non obſtat quominus Architecti fraudis grauiter peccent;& Religioſus vel Clericus Mangoniæ conſcius,non eſt reuera tutus in conſcientia, ſi ex ea diſpenſatione euanida & falſis nixa ſuppoſitionibus, gerat,aut regat bellum, contra ſui ſtatus exigentiam in illis circunſtantiis ſicut reuera ſe habent, & non ſicut falsò obtruduntur. Et tunc diſpenſatio nulli alteri vſui eſt,quàm eſt is qui eam adipiſcitur, intret in infernum, cum licentia Papæ,vt loquitur autor lauacri conſcientiæ c. 8.*pag.*36.quod aliter dixit Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Eccleſ. artic.8. faciliùs & curialiùs, talis cum ſua diſpenſatione ad gehennam deſcendit. Nec ipſe Pontifex, ſi in hac re ſine idonea cauſa diſpenſet, caret peccato, vt rectè ſtatuit Molina tract. 2.d.108.*initio*.

Non eſſet autem cauſa diſpenſandi idonea, ſi bellum non eſſet notoriè iuſtum, aut poſſet ſufficienter confici per laicos, vt benè notat Felinus ad cap. *petitio* n.2. qui inſuper poſtulat, vt diſpenſatio non concedatur niſi auditis Cardinalibus, quod notat popoſciſſe ibidem Cardinalem & Ananiam, ſed hanc ſollicitudinem permitto prudentiæ diſpenſatoris.

Per diſpenſationem legitimam, tolluntur omnia ſuperiùs enumerata conſectaria.

SVppoſita autem diſpenſatione legitima, euaneſcere omnia incommoda quibus vrgebamus Religioſum bellantem, tam quoad maculam, quàm quoad reatum, dubitare non licet. Nam peccatum præcluditur, quia opera per Religioſum in tali bello narrata, non erit contra vllam legem ſiue diuinam ſiue humanam, vt ſatis explicatum eſt. Excluſo porrò peccato, excluduntur pariter eius germina, ſiue inhabilitates aut pœnæ ſoli peccato repenſæ petius humanum latum à Pontifice:qui diſpenſans in ſubſtantia operis, conſequenter diſpenſat in annexis. Vnde conceſſio præliandi facta à conditore canonum, eſt anticipata excluſio irregularitatis, conſecuturæ tale opus niſi interueniſſet conceſſio:in quo nulla eſt difficultas;quia cum irregularitas ſit impedimentum merè canonicum, non exurgit niſi prout tulerit voluntas Pontificis,à quo Canones habent vigorem ſuum. Dixi tamen præcluſionem irregularitatis adiungi eo ipſo conceſſioni præliandi, quia ſi facta tantùm eſſet poteſtas aſſiſtendi bello ad firmandos milites, aut regendos extra pugnam, non impediretur irregularitas Religioſi vel Clerici manu ſua cædentis vel mutilantis hoſtem, vt rectè cenſuit Suares hanc duplicem facultatem ſecernens t.5.3.p.d. 47.ſ.6.n.12. Si autem conceſſum ſit pugnare propria manu, eo ipſo præcluditur irregularitas, quantumuis ille cum quo diſpenſatum eſt, occidat aut mutilet vt rectè ſtatuit val. t. 3. d. 3. q. 16. p. 4. cert. 7. Molina tract. 2. de iuſtitia d.108. & 110. Couar. ad Clement. *ſi furioſus* p.2.§.3. Sayrus allegans multos l.6. theſ. c.19.n.14. Nec ſunt curandæ nonnullæ limitationes quas in hac re adhibet Felinus ad cap. *petitio*, de ſens. excommun.

Et nominatim, ſalua manet Religioſo manu ſua pugnanti perſonalis immunitas.

DE perſeuerantia immunitatis à manibus violentis aduerſariorum, poſſit ne per Pontificem ſalua eſſe Religioſo & Clerico manu ſua bellanti, videtur poſſe eſſe plus difficultatis, quia vim vi repellere licet iure naturæ. Cum ergo Religioſus pugnans impetat hoſtes per vim, videtur poſſe vi repelli. Nihilominus perſpicuum eſſe debet, Pontificem poſſe velle vt Religioſo iuſtè & ſine culpa aggredienti in bello, ſalua ſit immunitas ſua à manibus violentis aduerſariorum; ita vt non poſſit contingi ab iis quos cædit vel truncat quin incurrant in cap. *ſi quis ſuadente*, & feriantur excommunicatione, ſi eius ſint capaces, vt ſunt omnes Chriſtiani atque Hæretici. Suppoſito namque quod in repulſione iuſtæ violentiæ peccetur, (vt hic ſupponimus contingere, eſt locus cenſuræ, in eum qui vim illatam repellit. Neque verò Pontifex concedens Religioſo vel clerico vt pugnet, adimit ei immunitatem perſonalem qua potiebatur, aut fauorem vllum præſtat aduerſariis iuſto bello appetitis, vt poſſint abſque cenſuræ incurſu, manus violentas inîicere in perſonam ſacram à qua impetuntur. Quare ea quoque immunitas, per diſpenſationem Pontificiam ſalua manet Religioſo bellanti; niſi error inuincibilis, hoſtem laceſſitum à peccato & cenſura liberet in repulſione violentiæ per violentiam reciprocam. Quominus denique per Pontificem ſalua eſſe poſſint Religioſo bellanti ſua beneficia nihil poteſt obſtare cum deiectio ex eo iure, ſit à mera Pontificis voluntate. Itaque fixum eſto, nihil eſſe quod impediat quominus is cui Pontifex poteſtatem pugnandi fecerit, omni Eccleſiaſtica prærogatiua potiatur, æquè ac priuſquàm bellaret.

PRONVNCIATVM III.

Reſponſio ad quæſitum quod ſcriptioni cauſam dedit, eruta ex dictis.

REligioſi qui in obſidione vrbis quam incolebant, bello dedere operam; & ſiue excubiis agendis, ſiue irruptionibus in vallum & caſtra hoſtium vrbem cingentium, incubuerunt vt hoſtem propellerent & vrbis aditu prohiberent, ſuamque & ciuium libertatem fugato hoſtili exercitu tuerentur; nullam culpam admiſerunt, etiamſi hoſtes ceciderint, truncarintve; nulli item vel irregularitati, vel immunitati Eccleſiaſticæ aut

aut beneficiorum aliarúmve prærogatiuarum iacturarum diſpendio obnoxij ſunt facti, dummodò ob inſufficientiam præſidij militaris quod intra vrbem erat, neceſſaria fuerit ad iuſtam, vrbis defenſionem illorum opera, & intra belli defenſiui terminos continuerint ſeſe. Iidem tamen, ſi vel bello defenſiuo ſe ingeſſerunt, cum neceſſaria ad illud non eſſet eorum opera, vel bello aggreſſiuo purè humano dedere operam, abſque expreſſa ſupremi Eccleſiæ moderatoris facultate, peccatum mortale admiſerunt, & impedimentis canonicis ac priuationibus quibus homines Dominici talibus bellis impliciti ſubiacent, ſunt obſtricti.

Prior pars reſolutionis, de honeſtate & plena indemnitate Religioſorum de quibus agitur, ſi ex iuſta neceſſitate bellarunt.

TOta hæc reſolutio, perſpicua & confirmata manet ex ante dictis. Religioſi enim qui militarunt, vel bello defenſiuo iuſto, vel aggreſſiuo dederunt operam. Non datur medium. Suppono item quod in difficultatis propoſitione ſupponitur; nempe ex parte cauſæ bellandi, non defuiſſe illis iuſtitiam. Attendendo ergo quæ ſpectant ad conditiones operantium; Dico ſi Religioſi de quibus agimus, continuerunt ſe intra fines belli defenſiui, & militaris eorum opera ad defenſionem vrbis fuit neceſſaria, ita vt vrbs ventura eſſet in poteſtatem hoſtium, niſi Religioſi intra vrbem concluſi opitularentur nauando militarem operam; rectè ab eis & ſine omni peccato bellatum eſſe; & quamuis occiderint aut mutilauerint hoſtes, nullam contraxiſſe irregularitatem, nulláque excidiſſe prærogatiua Eccleſiaſtica, perinde ac ſi non bellaſſent.

Pro hac parte reſolutionis faciunt omnia quæ dicta ſunt pronunciatio. 1. Et nominatim ad defenſionem in obſidione, fas eſſe viris Eccleſiaſticis, ſuppoſita neceſſitate, militare, tradit diſertè Iacobus Graſſis 2.p.deciſ.lib.2. cap 6. num.3. Non eſt quod opponatur Canon 1. Concilij Ilerdenſis, quo irregularitas & variæ pœnæ decernuntur Clericis qui intra vrbem obſeſſis militarant, & hoſtes ob truncarant; ſed illi vel abſque neceſſitate bellarant, ſat firmo laicorum præſidio vrbem muniente; vel ſupergreſſi fuerant modum iuſtæ defenſionis, & bello offenſiuo dederant operam, etiam prout contradiſtinguitur bello defenſiuo, quod interdum breues nec admodùm diſtantes eruptiones depoſcit ad bonum obſeſſorum. Nam niſi illi clerici altervtro modo deliquiſſent, mulcta qua puniti ſunt, fuiſſet contra rationem. In euentu autem de quo agimus, nihil tale contigit; quia Religioſi bellantes, ſupponuntur ſe continuiſſe finibus belli defenſiui, idque ab illis ex neceſſitate tuendæ vrbis eſſe ſuſceptum. Igitur planè innoxij fuerunt, debentque eſſe omnino indemnes, ſi ita ſe geſſerunt.

Quod ſemper addo, quia non eſt Theologi pronunciare niſi de iure, ſiue de honeſtate facti. In veritatem verò facti, inquirere non tenetur. Sed viderint qui proponunt nodos conſcientiæ expediendos, an eorum propoſitio, veritate nitatur. Si enim falſa obtrudant, reſponſio poterit eſſe vera practicè, ac prudens reſpectu reſpondentis; Erit tamen illi cui reſpondetur, noxia: ſicut contingeret ægro, cui Medicus ex arte præſcriberet Pharmacum ob falſam morbi expoſitionem inferens mortem. Cum igitur ſit aliquid pertinens ad facti veritatem, an Religioſi prædicti bellauerint tantum, iuſtè defendendo, dimiſſa inquiſitione in veritatem facti, reſpondi vt dictum eſt, eique reſponſo adſcribor, ſi modò res verè habuit vt ſuppoſui iuxta propoſitionem difficultatis de qua rogabas ſententiam. Quod ipſum videmus cautè & prouidè præſtare Pontificem, cum annuit fidelium poſtulatis, ſi preces veritate nitantur.

PRON III. *Reſponſio ad quæſitum Dolanum.*

Et præſertim ſi eis non bellantibus, timenda erat aliqua fidei Catholicæ infuſcatio.

ÆQuè miſſam facio inquiſitionem veritatis, quæ ſupponenda eſt ad validitatem alterius argumentationis pro nitore omnimodo & plena immunitate prædictorum Religioſorum. Expoſitio namque difficultatis quæ nobis propoſita eſt, continebat talem fuiſſe hoſtem, vt illo vrbem perrumpente, puritas fidei Catholicæ admiſtione cœni Lemanici cõtaminanda eſſet. Nam quæ erat vrbs Catholiciſſima, ita vt ad eã ne flatus quidem hæreticus potuerit ſæculo integro ab occæpta Caluini perfidia, vel leuiter pertingere, facta fuiſſet liberæ Religionis, inducta in eam illico poſt ſubactionem, libertate (vt vocant,) conſcientiæ, vnde totius illius tractus, poſt metropolim, fermentatio in fide eſſet conſecuta. Hoc an verè dicant, qui difficultatem cui reſpondemus propoſuerunt, viderint ipſi. Si tamen id non ex coniecturis, aut falſo rumore iactarunt, ſed quia verè ita erat; eo iuſtiorem ac grauiorem, (ſuppoſita neceſſitate,) habuerunt bellandi cauſam, quo libertas illa conſcientiæ exitialior eſt atque damnoſior. Politicis quidem omnia ad leges ſeculi admetientibus, ea libertas videtur magnum bonum; & interdum cum aliter fieri nequit, eſt malum ad teriora mala vitanda, vtcunque ferendum quandiu eam tolerantiam extorquet ineluctabilis neceſſitas. Tamen ex ſe eſt malum grauiſſimum, nec dignum niſi patrocinio eius, qui ſalutem animarum puritati Catholicæ fidei ſubnixam, poſthabeat malefidæ tranquillitati temporariæ. Inuenio ſanè Iulianum Apoſtatam epiſt. 52. & apud Ammianum l. 22. conatum eſſe Chriſtianam Religionem labefactare, inducto hoc malitiæ velamine, vt cum Apoſtolo dicam; libertate inquam Religionis & fidei. Idipſum approbauit poſtea Mahumetes in Turcico Euangelio Azoara 4. laborauit pro inducenda eadem Religionis ad cuiuſque arbitrium libertate, Themiſtius orat. ad Valentem, & altera orat. ad Iouianum, nec non Symmachus relatione ad Imperatores, & Proclus vt in eius vita tradit Marinus num. 21. ac denique Simplicius ad cap. 38. Enchiridij Epicteti, omnes Ethnici & impij, ac infenſi Chriſtianæ Religioni, qua iam adulta indormiebant Ethniciſmo. Vt videant quos habeant iudicij ſui auctores, Theodohadus Arrianus apud Caſſiodorum l. 10. epiſt. 26. Hieronymus VVolfius Lutheranus ad locum Simplicij allegatum, & paſſim Sectarij, vbi plus præſtare, & Religionem Catholicam aperta vi opprimere non poſſunt. Tunc enim libertatem iſtam conſcientiæ ſiue Religionis, contentiſſimè celebrant, & ad eam toto niſu & affectu ſuſpirant; quamuis cum penes ipſos eſt ſumma rerum, vt Genenæ & alibi, eam indulgentiam ſeueriſſimè renuant. Tanto ergo malo, quod extra neceſſitatem ineuitabilem, ſolus

PRON. IV. *In be ligeros ac bellicrepos Religioſos.*

Iulianus Apoſtata, & Mahumetes ac Ethnici vel hæretici approbent; auertendo à Metropoli, & antiquæ in ea & , (quod conſequens erat) tractu illo toto, fidei puritati conſeruandæ, omnes neruos & artus intendere, meritò potuerint ac etiam debuerint, Dominici homines. Sicut etiam Principes, cum aliter facere, poſſunt, ſuppetuntque vires ad ſubditos in officio continendos, peccant grauiſſimè, ſi talem conſcientiæ ſiue Religionis libertatem verè exitialem, & cum tam multarum animarum æterna pernicie coniunctam, illis permittant, vt pluribus tradit Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit. c. 14. & Petrus Coretus in defenſione veritatis c. 4. & alij quos adducit Bertrandus rediuiuus contra. Cumerū: Sanè tanta eſt huius cauſæ bellandi honeſtas, & cum Dei cauſa coniunctio, vt iuxta ſententiam Caietani & aliorum grauium Doctorum, tactam Pronunciato ſecundo *ſub initium*, poſſit ſufficere ad bellum aggreſſiuum Religioſis licitum, ſuppoſita neceſſitate militaris eorum operæ ad conſequendam in tali bello victoriam. Quanto ergo magis ſufficere poterit ad honeſtatem belli defenſiui in proportionali neceſſitate, qualem in hoc negotio interueniſſe, habet expoſitio difficultatis enodandæ nobis propoſita. Nam plura de prima reſolutionis parte ſpectante bellum defenſiuum neceſſarium.

Altera reſolutionis pars, de culpa & pœnis eorundem Religioſorum, ſi eos defecerunt conditiones propoſitæ.

IN ſecunda reſolutionis parte; dixi, Religioſos de quibus agitur, ſi abſque neceſſitate ingeſſerunt ſe militari defenſioni vrbis, vel in bellum aggreſſiuum purè humanum dedere nomina, peccaſſe mortaliter, & reatum multiplicem hominibus Dominicis militantibus conſtitutum contraxiſſe. Huc pertinet, partim ea primi pronuntiati pars, qua monſtratum eſt etiam ad belli defenſiui per homines Dominicos ſuſcepti nitorem & honeſtatem, exigit neceſſitatem, partim totum pronuntiatum ſecundum, quo turpitudo mortalis belli aggreſſiui purè humani per homines Dominicos geſti, eſt confirmata. Quia ergo poſſet contingere vt Religioſus intra vrbem obſeſſam concluſus, vel præ genio bellicoſo & (vt ſic dicam) minùs clauſtrali; vel præ affectu incondito & non ſecundum ſcientiam erga vrbem vel gentem ſuam, immiſceret ſe bellicæ defenſioni, cum affatim eſt in vrbe Ducum ac militum: in quo euentu vigent omnes prohibitiones, etiam iuris naturalis in ſtatu Religioſo fundati arcentes à bello Religioſos; propterea dixi, Religioſos de quibus agimus, potuiſſe delinquere, & ſe obnoxios reddere, reatibus hominum dominicorum bellantium ſupra expoſitis, ſi ita hæſerunt intra fines bellicæ defenſionis, vt tamen in eam vltrò ſe ingeſſerint & abſque neceſſitate, cum aliunde per Laicos vrbs ſatis munita haberetur. Quod item dixi aſſerendum eſſe, ſi iidem Religioſi prætergreſſi fines belli defenſiui, egerint aut rexerint bellum offenſiuum, habentes illud pro iuſto quidem, ſed tamen purè humano, nec cum Dei aut fidei cauſa coniuncto. Tunc enim ſecluſa Pontificia diſpenſatione, quæ abſque graui cauſa eſſet irrita & nulla, homo Dominicus bellans quacunque prætenſa neceſſitate, (quæ reuera pro hoc bello non vrget;) reus eſſet grauis culpæ, & eam conſequentium damnorum iuxta Eccleſiæ ſcita & ſacros canones. Et hic quoque, ſupponens facti veritatem, (inquam meum non eſt inquirere,) reſpondeo ſub conditione, ſi videlicet verè habeat narratio facti. Viderint,) ad quos attinet, an conditio cui hæc reſolutionis pars nixa eſt, veritate ſubſiſtat.

PRONVNCIATVM IV.

De Religioſis ex affectu gentis immoderato voluntate belligeris, lingua bellicrepis.

RElígioſi affectu erga bella purè humana flagrantes, & lingua bellicrepi, per informem monſtroſitatem, ſub externa pietatis imagine celant profanitatem cuius vana eſt Religio, quippè cumulatam tetris aduersùs charitatem ſæpè etiam iuſtitiam, & fidem Catholicam maculis; quas ſibi molles aut Politici moderatores conniuendo vel fouendo affricant, fruſtra vtrique, amorem genti aut eius capiti debitum, obtendentes.

Abuſio, bella animo & lingua agitandi.

EXarmauimus Carnalibus armis Religioſos, & quam ab eorum ſtatu abhorreat ſanguinarios eſſe, & arma materialia tractare, ac pro Monachis Monomachos euadere, hactenus ex ſcripturis & doctrina Patrum monſtrauimus. Sed aliud genus armorum ſupereſt, cuius in ſcripturis crebra mentio eſt nec abſque deteſtatione. *Filij hominum* (ait David pſal. 56.) *dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* ſapiens item prouerb. 30. *Generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus ſuis.* Ibidem c. 25. *Iaculum & gladius & ſagitta acuta in capite infrani* ſtatuuntur. De qua etiam Ierem. c. 9. *ſagitta vulnerans lingua eorum.* Et quia ex abundantia cordis os loquitur, & iuxta Paulinum epiſt. 15. [Sapor mentis, in ſermone guſtatur,] depromuntur hæc arma ex hoplotheca affectus belligeri ac militaris, in cuius veluti campo acies aciebus commiſſæ, ad internecionem vſque alterius partis confligunt. Exundant omnes animi receſſus profuſo ſanguine, cadauerum aceruí cumulantur, immenſa ſtrage complentur omnia, læſo reipſa nemine. Sed pictura eſt, quam incenſus affectus, phantaſiæ penicillo efformatam aſſiduè obiicit. Inde, ab affectu inquam belligero, & ingibus in cogitatione ac voluntate conflictibus, in os ac linguam bellicrepam, ſermones ſanguinarij, ac cruenti erumpunt, ſecundum illud pſaltis, *gladius in labiis eorum.*

Etiam Religoſos occupat.

HÆc non inter ſeculares modo, ſed etiam inter Religioſos habere locum, vetus querela eſt. Hugo de Folieto l. 2. de Clauſtro animæ c. 20. hanc numerat nonam Clauſtri abuſionem. Refert enim eſſe, qui cum in Clauſtro ſedeant, non lectioni & ſilentio, ſed rumoribus & curioſitati vacant, qui locum & tempus loquendi & tacendi nuſquam & nunquam ſeruant; ſed inſtabiles & otioſi. Nunc hos nunc illos ad colloquium vocant. Quæ verè colloquia? De rumoribus externis, de Principum bellis, quæ ad clauſtrales reuera non pertinent,

pertinent, vt ibidem ait Hugo, qui mox ſubdit. [Gaudent multi clauſtralium, cum de Regibus fabulantur, dum caſus multorum narrant, dum pro illis loquuntur, à quibus non agnoſcuntur: multorum partes defendunt, pro multis iraſcuntur, pro multis litigant, ignorant tamen quod negant aut affirmant. Nec minus graphicè Gulielmus Pariſ. l. de moribus cap. 8. Sic ſcribens. [Reges & Principes qui ſibi inuicem inimicantur, in cordibus ſuis die ac nocte acies præparant, ſagittis, gladiis, machinis, cæteriſque inſtrumentis bellicis, pugnant; & tot homines hinc inde occidunt, quot occidere volunt. Nec ſolum Reges & Principes hoc faciunt, ſed etiam qui fauent eis iniquè; Et (proh dolor,) ipſi clerici, & clauſtrales acies in cordibus ſuis præparant, committunt, & ſtragem hinc inde innumerabilem hominum faciunt. Qui enim vult exercitum totum alicuius cædere, & morti dari, iniquo amore vel fauore Principis ſui, totius exercitus homicida eſt ſpiritalis. Et hoc eſt quod legitur in pſalterio iuxta Hæbraicam veritatem, vbi nos habemus, *diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius*. Hæbraica veritas habet; *Nitidius butyro os eius, pugnabit autem cor eius*. Hoc modo pugnant corda Clericorum atque Clauſtralium, pro Regibus ſuis atque Principibus, quos vel iniquè diligunt vel quibus iniquè fauent, vel alios iniquè oderunt. Credit ſe ſedere ſtultus clauſtralis in clauſtro ſuo, & (vt ita dicamus,) pugnat in campo, in momento occidit centum millia hominum, imo totum vnius regni exercitum proſternit; & hoc ſola voluntate. Quis hoc crederet, tam facilè eum centum millia hominum occidiſſe, & tam breui ſpatio centum mille homicidia perpetraſſe? Hæc ſunt negotia quæ tractant, & agunt in ſemetipſis, ſtultiſſimi clerici & clauſtrales, depopulationes vrbium, excidia caſtrorum, ſtrages hominum, imo populorum. Hæc ſunt de quibus clauſtrales viri Religioſi inuicem compugnant, de quibus diligentiſſimè & imprimis interrogant hoſpites aduentantes de quibus eos auidiſſimè audiunt. Hæc ſunt quæ ſtudioſiſſimè perſcrutantur, nec obliuiſcibiliter retinent, nec mirum cum ea inceſſanter repetant.]

Quid de ſuo tempore hac in parte, Potho.

EN quò deuenitur, (vt Bleſenſis epiſtol. 127. loquitur,) Religioſi conuerſationis damnabilis, qui pro clauſtro ſæculum deſerunt, & in clauſtrum mores ſeculi deferunt. Pars hæc eſt turbinum ſeculares agitantium tempore belli. Quod de ſuo tempore cum omnia bello arderent in Germania, hoc eſt anno M. c. l. 11. ita annotauit Potho Prumenſis l. 1. de ſtatu domus Dei, *ipſo ferè initio*. [ô quàm bonum & iucundum eſſet, ſi nihil interius aut exteriùs pacem domus Domini perturbaret. Sed ecce, noſtris (proh dolor!) temporibus, peccatis exigentibus, nec interiora domus inquieta, nec exteriora ſunt pacata. Exteriora Domus, bellorum tempeſtate quatiuntur, & interiora optatæ quietis ſolatio deſtituuntur. Nos ſumus qui in interioribus Domus ſpiritalibus ſtudiis vacare debemus, qui in abſcondito Domus Dei abſcondi cupimus à conturbatione hominum. Cæterum quoties foris pugnæ perſtrepunt, toties intus timores & ſollicitudines nos inquietant. In his periculoſis temporibus, huiuſmodi præcipuè incommoda vrgent, quando orta inter Principes diſcordia, ſurgente bellorum procella, ſtatum quietis ſuæ, domus Dei amittit. Quocirca, ſeditionem ac diſcordiam, rem vtique perniciosiſſimam, excreſcere videmus. Hinc eſt quod non ſolum exteriora domus Dei in ſecularibus conturbata & commota ſunt, verum etiam illi qui in interioribus domus ſub ſilentio & quiete vitam ducunt, & ſpiritualibus vacant exercitiis, adeò ſtatum mentis immutarunt, vt omnis ſapientia eorum deuorata ſit. Vnde aurum ſapientiæ quo facies Eccleſiæ ornabatur, obſcuratum eſt, & ſacræ Religionis color optimus, quo pictura Domus Dei decorabatur, mutatus eſt.] Hæc in noſtra quoque tempora, quibus prælia & opiniones præliorum audiuntur, cadere appoſitiſſimè, nimium quantum experimur, cum inſigni ſtrage Religioſi ſpiritus, ſolidæque pietatis, bellorum externorum occaſione, bellantibus filiis Belial in domo Domini, nec prælia Domini, ſed Carnis & ſanguinis vtinam non etiam Satanæ, præliantibus, ſagitta & machæra linguæ, in ſeculi ſpiritu tinctæ. Operæ pretium itaque eſt hæc bella è clauſtris excludere, & informitatem hanc monſtroſam, è ſacris ſeptis obligare.

PRON IV. In bell. eo ac bell. opus Religioſum

Eſt monſtroſa informitas, de Petri Venerabilis ſententia.

MOnſtroſam informitatem vocaui, (ſecutus Petrum Cluniacenſem l. 6. epiſtol. 32. donantem monſtri informis nomine Monachum belligerum;) eam in Religioſo homine ad bella cædeſque propenſionem, iugibus colloquiis bellicis, ac ſanguinariis ſermonibus proditam; quæ reuera non eſt informis monſtroſitas ad riſum concitandum pertinens, cuiuſmodi plerumque occurrunt, & apud approbatos quoque Auctores leguntur. Sic enim Simiam in ſaltatricis habitum compoſitam, interna ſpecie longè diſcrepante ab externa, atque adeò informiter monſtroſam repræſentat Nyſſenus epiſt. ad Harmonium de nomine & profeſſione Chriſtiani. Conſimilem narrationem de fele in nuptiali conuiuio exhibet Nazianzenus orat. de Epiſcopis. Sint ſanè Religioſi animo belligeri, lingua bellicrepi, inſulsè monſtroſi, & ſupra quàm dici poteſt ridiculi. Quid enim ſi inuerſa veſte prodiens quiſpiam, riſum inſolita ſpecie excutit, num minùs congruum eſt, inuerſam vitæ rationem apparere ridiculam? Abbatem Orientum narrat Ioannes Moſchus c. 126. Limonarij, veniſſe in montem Sina ad ſynaxim, inuerſo ſago, ita vt foris Villoſus eſſet. Omnibus in riſum effuſis, loci diſpenſatores ſenem rogarunt, vt riſus materiam ſubduceret. Sibi verò permirum videri reſpondit Orientus, ridiculam apparere ſagi euerſionem, iis qui ſuſdéque euerſo Sina, pro ſpiritu Religioſo, ſpiritum ſeculi induxiſſent in illam Eremum; próque antiquis inſtitutis, ſubſtituiſſent vitæ rationem longè diſcrepantem ab externa ſpecie Monaſtica, quæ ſola ſuperabat. Quamuis igitur bellicoſi iſti Religioſi, monſtroſa informitate ſuprà quàm dici vel cogitari poteſt, inſulſa & abſona, riſû ciere improuidis poſſint; Tamen vt benè dixit Caſſianus l. 2. de Incarnat. cap. 5. quæ quibuſdam apparent ridicula, apud Sapientes vbertimis lachrymis deflenda indicantur. Et huiuſmodi reuera eſt, monſtroſa informitas quam debellandam ſuſcepimus.

Videor in illa recognoſcere, haud abſimilem monſtroſitatem quam Chriſtus in falſis prophetis expreſſit. Nam ſub externa (ſi amictum Religioſum attendas,) ouium & agnorum ſpecie, Lupi Arabiæ

PRON. IV. *In belligeros ac bellicrepos Religioſos.*

bici deliteſcunt. Ouinam quippè placiditatem, & agninam manſuetudinem feriri aptam; ſcire neſciam, præfert externus habitus, & forma Religionis incurrens in oculos. Lingua verò animæ fidelis internuncia, lupinam ferociam, & affectum ſanguinarium repræſentat. Quem videas tantum, non etiam audias, credas mitem ac placidum. Talem enim obiicit amictus, quem nec lorica communit, nec ferrum aut Chalybs grauat. Talem exhibet manus inermis, abſque ſaciſſa, vel gladio, aut arcu. Vbi vocem prompſerit, agnoſcis lupum ſattum ſanguine, nec pecuino, ſed humano, è trucidatis fœdè corporibus infælicium Martis victimarum. Putabas Monachum, ſed iuxta Theodorum Studitã Catech. 46. Monomachus deprahenditur, ac miles ſanguinarius. Clades tantum ac ſtrages ructat. [Miles, (ait S. Hieronymus Amoſ. 1.) quidquid dixerit, ſcutum, gladium, loricam galeam, lanceam; arcum, ſagittam, mortem, vulnus, & victoriam ſonat.] Aliud non crepat, iſte (vt ex habitu videbatur), Monachus. Eſt itaque reipſa ſub ea ementita Monachi ſpecie, miles ſanguinarius.

Sic inuehitur ſeculum in cœnobium, & Iacob in Eſau transfiguratur.

INuertendum eſt elogium, quod Nebridio iuueni nobiliſſimo pangebat S. Hieronymus Epiſto. ad viduam eius Saluinam. [Nihil nocuit (inquit), militari paludamentum, quia ſub habitu alterius, alteri militabat.] En Monachum ſub paludamento: qualem etiam alibi depingit Exuperantium; militarem quidem hominem, ſed qui ſub paludamento & habitu militari, ageret opera prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vinceret interiori homine, qui formatus eſt ad imaginem creatoris. S. Fidelem, poſtea Martyrem, Petrus Damiani ſerm. 54. ait, ſub ſeculari profeſſione militiæ in procinctu caſtrorum cæleſtium deſudaſſe, hoc eſt in ſeculari vita egiſſe Monachum. Hic è contrario: ſub habitu Rligioſo, tenemus milites. Innouatur quod ſua ætate factum ſcribit Eraſmus l. 3. de ratione concio. Robertus Delicio præſtans in paucis illo tempore concionator, qua valebat dicendi facultate, Principes ac Plebem adhortabatur, vt aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes tunc Italiæ imminentes, arma corriperent. Vbi ad ſummum impetum efferbuiſſet oratio, deplorare cœpit quod nulli ſe ad tam piam expeditionem Duces offerrent. Nec mora. Perinde ac ſi diuino ageretur ſpiritu, veſtem externam S. Franciſci, quam indutus erat ſubitò abiicit, profeſſus ſe vel militem ſi adſit qui præeat, vel Ducem ſecuturis fore. Summa veſte ſimul cum dicto abiecta, intus planè miles apparuit, byſſino ſago, accinctus præ longo gladio. Quod per occaſionem animandi ad bellum ſacram, (ſi tamen per eam, & non per longe aliam à mendaciloquo Eraſmo confictam), præſtitit Robertus, ſemel dnntaxat & ſolus; præſtant quotidiè in Religioſis familiis benè multi, externa Religionis forma, & veſte tenus parati, lingua & animo milites, occulentes ſub ſaccos & vili tunica, bellicoſos animos.

An perperàm imitantur verbum diuinum? ſanè omnes peccatum ex præpoſtera alicuius diuini attributi expreſſione admitti obſeruat ex Auguſtino, Gerſo parte 3. tract. de myſtica Theol. pract. conſider. 8. *in fine.* Nam v. g. inuidia affectat excellere ſola, & omnibus ſuper eminere vt Deus omnibus ſupereminet, ita vult eſſe imperturbata, acedia vult carere labore & fatigatione, luxuria vult delectationibus colliqueſcere, & ita de cæteris. Quod ſi ergo his de quibus agimus venire tenus Religioſis, quod a verbo Diuino ad carnis noſtræ infirmitatem deiecto factum ſcribit Petrus Damiani ſerm. 66. æmulari placuit: Enim verò (inquit pernitus) [Seculi huius homines qui bellorum ambiunt virtute clareſcere, qui per ora vulgi ſuas optant victorias celebrari, cum ingrelleri ſunt prælium in corpore ſuo; quod infimum eſt & molle ſubiiciunt: quod durum eſt, atque ad penetrandum difficile, ſuperponunt. Loricis quippè ſe ferreis induunt, & carnem quæ facilè cedit ictui, cuſtodire contendunt, vt illud durum ac forte, quod foris eſt, defendat molle quod intus eſt. Redemptor noſter cum huius mundi campum pugnaturus ingreditur, cum ad debellandas aëris huius nequitias fortis præliator armatur, quia nouum debebat inſtituere prælium, nouum induit genus armorum: videlicet vt quod infirmum eſt, ſuperponeret, & quod robuſtum eſt occultaret. Loricam ſiquidem imbecillæ carnis induit & inſuperabilem diuinitatis fortitudinem occultauit.] Non diſſimiliter iſti belligeri, externam ſpeciem Religioſæ pietatis, prętexunt lorica & gladio, cæteriſque bellicis munimentis; quæ perſona illa, ſeu larua ſimulatæ pietatis, obducuntur extrinſecus.

Transfiguratio hæc eſt illi oppoſita, qua is qui Iacob reuera erat, viſus eſt Eſau, luſcioſo & cæcutienti Iſaac. Hic è contrario qui reuera Eſau eſt, videtur Iacob. Optimè. Nam eſſe Iacob & Eſau, typos; illum Religioſi eo nomine digni; iſtum profani & ſub inani ſpecie Religioſi, verè ſecularis, idem Petrus Damiani diffuſe tradit opuſc. 12. c. 21. & 22. Sicut ergo aliquando Iacob Patris benedictionem prærepturus, externa ſpecie apparuit Eſau, quod imitantur viri ſpiritales, dum omnibus omnia fiunt, vt benedictionem Patris aſſequantur. Ita Eſau, hac in parte, præfert exterius Iacobum non Patris benedictionem prærepturus, ſed maledictionem deuocaturus in caput ſuum. Nihil deſiderari ad perfectos profani Eſau antitypos, facilè eſt demonſtrare, initio ducto ab ipſo nomine. Qui *Eſau* dicitur, paſſim in Scripturis *Edom* appellatur, ſiue *Ruffus*, vt interpretatur S. Hieronymus. Et quamuis ea denominatio videatur petita à coctione ruffa, quam ſtolidè prætulit, prærogatiuæ primogenitij; tamen D. Hieronymus, *Edom* ſeu *Ruffum* idem ſonare ait, quod *ſanguineum*, aut *cruentum*, vel *terrenum.* Ita S. D. Ezech. 25. Abdiæ 1. & frequenter aliàs, ſed nominatim epiſtola 103. & 61. vbi Marianus num. 57. de ea notione pluribus diſputat. Flexit ergo S. Hieronymus, colorem coctionis ruffæ, à qua Eſau, *Edom* ſuis *Ruffus* eſt denominatus, ad ſanguinarium atque cruentum animum profani illius: qui vt dicitur Amoſ 1. *Violauit miſericordiam fratris*; aut vt habet alia lectio, *violauit vulnam eius*, hoc eſt vt ibi exponit S. Hieronymus, oblitus quod ex eodem vtero prodiiſſet, oblitus germanitatis, fratrem inſecutus eſt, & propoſito ſaltem ac voluntate, eius ſe ſanguine cruentauit. Benè itaque quadrat his belligeris ac bellicrepis, nomen fratris ſanguinarij atque cruenti. Nec minus appoſitè cadit in eos, alia cuiuſdam nominis notio, qua *Edom* idipſum eſt quod *terrenus.* Nam ſi iuxta Baptiſtæ oraculum, *qui de terra eſt de terra loquitur*, terrenos eſſe perſpicuum eſt, quorum lingua iugiter pertranſit in terra.

Binæ perfecti Religioſi imagines, penicillo Nazianzeni expreſſæ, per hos bellicrepos obliteratæ.

CONſenſionem in nomine, aſſectatur conſenſio dedecorum ſanguinarij Eſau. S. Paulus, vt eum omnis pietatis exortem & Religionis ac ita eiuratorem mónſtraret, *profanum* dixit. At nihil facilius, quàm oſtendere, ne pilum quidem vel atomum pietatis maiorum Religioſi inſtituti, in ha progenie vitioſa ſupereſſe. Perfecti Religioſi mores expreſſit egregiè Naz. orat. 12. *initio*, cum cauſas exponit mæroris ob auulſionem Monachorum, ab Epiſcopo circa fidem ſuſpecto. Breuius ſed omnino benè orat. 1. ait Monachum eſſe eum, [qui occluſis ſenſibus, atque extra carnem mundúmque poſitus, & in ſe ipſum collatus, nec niſi quantum neceſſitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque ſecum ipſe, & cum eo colloquens, ſuperiorem, in iis rebus quæ ſub aſpectum cadunt, vitam agit, diuináſque ſpecies puras ſemper, nec terrenis vllis, & errantibus formis admixtas in ſe ipſo circumfert, deique ac rerum diuinarum, purum omnino ſpeculum eſt, in dieſque efficitur, ad lucem per lucem aſſumit; clariorem videlicet per obſcuriorem: iámque futuri æui bonum ſpe percipit, & cum Angelis verſatur; ac licet adhuc in terris ſit terram deſerit, atque à ſpiritu, ſurſum collocatur.]

Præclarè item orat. 21. deſcribens magni Athanaſij conſuetudinem cum Monachis Ægyptiis. [Ad ſacra (inquit,) illa, & diuina Ægypti monaſteria ſe confert, in quibus homines à mundo ſe diſtrahentes, ac ſolitudinem amplectentes, Deo viuunt, magis quàm cæteri omnes qui in corpore verſantur. Quorum alij vitam prorſus ſolitariam & ab hominum ſocietate remotam agunt, ſui ipſorum tantùm, & Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat terræ partem pro mundo habentes, quam in ſolitudine cognitam habent. Alij autem charitatis legem per communionem & ſocietatem colentes, ſolitarij ſimul & cœnobitæ ſunt ac cæteris quidem hominibus, negotiíſque iis omnibus, quæ in medio voluuntur, verſantque, ſimul & verſantur, ac nobis per repentinas ac crebras mutationes, impoſturam faciunt, mortuj & extincti; ſibi ipſis autem inuicem mundi loco ſunt, ac per comparationem mutuo inter ſe virtutem acuunt & extimulant.]

Habemus binas perfecti Religioſi imagines expreſſas penicillo Nazianzeni, quarum ne apex quidem ad cruentum Edom pertinet. Quis enim occluſom ſenſibus dicat, eum qui totus eſt in captandis rumoribus, & oculos lectione foliorum, quibus farragines narrationum, pleráque commenta quàm apices inſcribere moris eſt, aſſidue paſcit; aures verò prurientes, ad omnem nouitatum ſibilum perpetuò arrigit, in id vnum intentus, vt mentem impleat gerris illis atque quiſquiliis, quas deinde per ſermonem effundat? Quis dicat extra carnem mundúmque eſſe, eum qui totus in carne eſt, totús in mundo, ſollicitus duntaxat quæ mundi ſunt, nec quæ retrò ſunt obliuiſcens, ſed perpetuò ſibi & aliis ingerens vanitates & inſanias falſas? Quomodò verò ſuperior cenſendus eſt iis quæ in aſpectum cadunt; & rerum humanarum nihil attingere, qui merſus eſt in limo profundi, & cœno quod ſeculares fluctus conuoluunt, ad verticem vſque coinquinatur? Erant profectò Ciſtercienſes, teſtimonio Stephani Fornacenſis epiſt. 1. quales Nazianzenus hac priore deſcriptione exhibuit Monachos. Ait enim Stephanus illos verè Religioſos, fuiſſe à terra ſublimes, procul à cœno & fecibus ſubtus iacentibus, nec cum rumoribus ac negotiis Principum quicquam habentes negotij. Hoc erat eſſe occluſos ſenſibus, & extra carnem mundumque poſitos, ac rerum humanarum nihil attingentes. Fruſtra quæras apud Edom, & eos qui eiuſdem ſunt genij, tales aliquos Religioſæ pietatis, ea priore deſcriptione Nazianzeni expreſſos characteres.

Nec poſterior deſcriptio magis ad eos pertinet, homines non à mundo ſe diſtrahentes, ſed vltrò ſe immergentes volutabro ſeculi, qui non eam duntaxat terræ partem pro mundo habent, cui in cœnobio inſiſtunt, ita vt ſibi ipſimet ſint pro mundo; ſed quantumuis vni certo loco affixi corpore, tamen animo & aſſidua ac irrequieta mentis agitatione circumeunt mare & aridam, verſati cum verſantibus negotiis, vt ſcitè aiebat Nazianzenus; & illis abrepti æſtuariis, quibus cũ Philo l. de Dei immutab. eleganter componit terrena imperia & humanos Principatus. Ex hac tanta affixione ad terrã & ad ea quæ terram ſpectant, exiſtit in eis magna illa paupertas ſpiritus, quæ in profanitatem deniq; deſinit. *Deus* enim, (vt eſt Iſaiæ 42.) *dat flatum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritus iis qui calcant eam:* Hoc eſt interprete D. Auguſtino l. 1. de anima & eius orig. c. 14. ac l. 1. de Incarnat. cap. 17. Deus non effundit ſpiritum ſanctum ſuum niſi in eos qui verè conculcant ſeculum, nec pluris mundum faciunt, quàm ſi ad ipſos non attineret. In eandem ſententiam accipit illa verba S. Cyrillus.

PRON IV. *In bellicrepos ac [illegible] in ipſos Religioſos.*

Eorundem infelix reſurrectio ad vitam profanam; morte Euangelica abactam.

COnſonatque quod Iordanus Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, rogatus cœtum Fratrum pia allocutione recreare, (& erat tempus Pentecoſtes,) vſus occaſione verſiculorum qui per illud tempus frequenter iterantur in Eccleſiaſtico officio; dixit, benè Pſaltem cum præmiſiſſet, *auferes ſpiritum eorum, & deficient*, ſubintuliſſe; *emittes ſpiritum tuum, & creabuntur*: quia ſcilicet auferentes mundi ſpiritum, replentur diuino. Quo etiam accommodabat illud de Apoſtolis, *repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto.* Conſiderabat enim dictos *repletos*, quia effuſus erat ſpiritus mundi qui præerat. Nam in vaſa plena, non fuiſſet quo inferretur Spiritus Sanctus. Ita narrat Leander in viri Religioſiſſimi rebus geſtis *pag. mihi* 32. Sic impleti Spiritu Dei ſancto, ob effuſum ſpiritum terrenum, viuant Deo, mortui terræ, ac ſeculo. Moriuntur mortem Euangelicam S. Paulino epiſtol. 44. tantoperè celebratam, præuenientes voluntario exceſſu reſolutionem carnalem, non obitu, ſed ſententia recedentes à vita ſeculi. Sic Religioſi veri & eo nomine digni, moriuntur ſeculo, de quo plenè Petrus Cluniac. l. 1. epiſt. 20. Adhibent enim quæ ad Euangelicam hanc mortem interuenire debere, fusè proſequitur Creditus Auguſtinus l. de ſalutaribus docum. cap. 16. numerans interea, non perturbari huius ſeculi contentionibus, nec mobilem inſtabilémque fieri verſatili huius ſeculi amore, non adulari Magnalibus ac Principibus ſeculi: quod

PRON III. Reſponſio ad quæſitum Dolanum.

quod multos Religioſorum ſuo tempore feciſſe, dolet, non inquieta curioſitate raptari.

Audis cum Edom & qui eius aſſeclæ ſunt, vitam viuant profani profanam, ſecularem, mundanam, mortui Deo, quandoquidem viuit in eis ſeculum, & ipſi ſeculo? Non enim mortuos mundo dixeris, quorum tanta ſollicitudo eſt de rebus quæ mundi ſunt; qui tantopere afficiuntur ad ſuæ gentis & ſuorum Principum publica negotia, quos adeò permouent proſperi illorum euentus, adeò verò perturbant, ſi quæ iiſdem contingunt à fortunæ reflatu, & rerum humanarum viciſſitudinibus incommoda. Ideò ſicut Sancti ordinum fundatores, quos habuerunt alumnos verè ſeculo mortuos, recipient ſecum in æterna tabernacula; ita qui horum, ſiue gentilium, ſiue popularium rebus tanguntur, eadem cum illis ſorte in altero ſeculo fore, pronunciabat S. Antonius apud Caſſianum Collat. 24 c. 11. Nimirum quia ſecularem hic cum ipſis vitam vixerunt, nec cum ſanctis Religioſi inſtituti maioribus, mundo ſunt mortui. An enim eum mundo mortuum dixeris, cui propudioſum illud Verbũ, quantumuis profano Chriſtiano indignum excidit? *Non ſecus ſibi acceptam eſſe vrbis Hæreticæ liberationem ab obſidione Catholici Principis contrariarum partium, quam ſi Hieroſolymitana vrbs Turcæ erepta, veniſſet in Chriſtianorum poteſtatem.* Non erat ille ſanè ſeculo mortuus, nec Hieroſolymitanus, ſed Ægyptius, (iuxta modum loquendi S. Antonij,) cui tam fœda verborum illuuies potuit excidere, verè egreſſa è porta inferi. Illius verò alterius Turcicæ vox, *ſperare ſe breui, Hæretici, de Geiſerici nepotibus vexillum, primariæ Catholicorum in Germania vrbi inferendum*? Non vox fuit, hominis ſeculo mortui viuentis Deo? Qui potuit tantum ſperare dolorem, cuiuſmodi Religioſus erat? Rabiem iſta & œſtrum præferunt, à quo longè abſunt ipſimet vtcunque temperati ſeculares: Tantũ abeſt vt per mortem Euangelicam mortui ſint, qui talibus aguntur intemperiis. Itaque ſicut Apoſtolus, viduam exlegem dixit viuentem mortuam eſſe, ita è contrario, exleges plerique, profitentes ſe mundo mortuos, reuera mundo viuunt, Deo per tonſuram mentientes, vt monet S. Benedictus c. 3. Reg. Quam enim vitæ ſecularis abiectionem, reſectione capillitij præferunt, ad Dei gloriam; non niſi in externa ſpecie conſiſtere, factis ac ſermonibus cõteſtantur. Vt non ſit opus quoad iſtos, argumentum ſuperſtitis ſecularis vitæ, ab Euagriana apathia repetere, quod fecit Serapion Sindonites apud Palladium c. 85. Lauſ. qui incluſam virginem aſcetriam, probauit non eſſe, (vt ipſa de ſe affirmauerat), mundo mortuam poſt 25. annos exercitationis Monaſticæ, quod recuſaſſet vrbem totam inceſtare, oſtentato per immanem pudoris contrucidationem nudo corpore vt ipſe Serapion illi incluſæ facturum ſe abſque ſenſu verecundiæ receperat. Non eſt quod petatur argumentum ſuperſtitis apud iſtos de quibus agimus ſecularis vitæ à ſaxea illa & beſtiali indifferentia; cum abundè habeamus argumentorum, quod non ſint mundo mortui, ſed ſeculo ac terræ & carni viuant, ex terreis & carneis ipſorum affectibus atque ſermonibus, quibus & charitas, & iuſtitia, vt plurimum violantur, nec rarò Religio Catholica atrociter læditur. Attingamus ſingula: eſt enim id valdè opportunum ad profanitatem illam perſpiciendam, qua exterminari prorſus in his bellicoſis atque bellicrepis Religioſam vitam, & mundum reuiuiſcere (ſi tamen vnquam viuere in eis deſiit,) expoſtulabamus.

Quanta per eoſdem charitatis contrucidatio, generatim.

CHaritatem violari dico, iis ipſis debitam de quorum contritione atque euerſione per ſuum Principem, exultat, atque triumphat Religioſus. Neminem ſanè latet, quanta mala inferat bellum, quas ſtrages corporum edat, quas facultatum direptiones. Plerunque vita incolumi, quam periiſſe præſtiterat, fœdantur corpora, aut cum clade corporum nectitur clades animarum. Non eſt quod iſta amplificentur dicendo, cum & notiſſima ſint quotidianis experimentis, & ſuperius ſint facta quantum ſatis pronunciato 2. Apodixi 9. Itaque nulla ſalus bello: nulla planè, ſiue animarum, ſiue corporum, ſiue externorum bonorum. Quod ergo charitas ferre poteſt, vt in tot alienis calamitatibus Chriſtianorum atque fidelium, Religioſus non tangatur commiſeratione; ſed perinde ac ſi ſaxea vel ferrea viſcera haberet, nihil patiatur ſuper contritione Ioſeph, imo de ea exultet atque tripudiet; Nec ſecus, afficiatur, quam ſi de bono ingenti, nulla diluto mali mixtura, nullum grauante, nulli incommodante, ſermo eſſet? voluptatem namque & dulcem ſenſum & lætis nunciis, ipſaque ſi lubet victoria, temperare ac veluti reſtingere debuit, calamitas proximi quantumuis quoad externa hoſtis, frater tamen in Chriſto eſt; eodem patre Chriſto, eadem matre Eccleſia procreatus; ad eandem Dei hæreditatem vocatus, eaque (vt ſpes & deſiderium cuique eſſe de alio debet) fruiturus nobiſcum in æternum. Quem ergo ſperes æternorum gaudiorum ac pacis nunquam abrumpendæ ſocium futurum, cui bona omnia non ſecus ac tibi teneris velle, eius tu ruinam & euerſionem omnimodam, ſiccis oculis audias, imo crepantibus & ſonantibus buccis referas? Et vbi illud; (volo enim non vt cum Religioſis ex perfectionis Chriſtianæ doctrina, ſed cum plebe Chriſtiana, ex Chriſti mandato ad omnes æquè fideles pertinente, cum iſtis agere, tametſi profeſſione ſanctis, inſtituto ac veſte Religioſis:) vbi inquam illud, *diligite inimicos veſtros?* vbi illud Lucæ 6. à Chriſto adductum ad hanc inimicorum dilectionem confirmandam, *prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Nam illud breuiatæ Theologiæ dimidium, (vt S. Bartholomæum referente S. Dionyſio dicere memini,) *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; Vereor vt non ſatis commodè iſtis ingeratur, proximum fortaſſè non habituris, niſi quem cognatione, aut gente, vel ſimili neceſſitudine coniunctum agnoſcant. In quam peruerſionem vocis, non libet hic excurrere, monſtrareque cum S. Auguſtino 1. de doctrina Chriſt. c. 30. etiam inimicum, eſſe proximum. Itaque illud prius premo & vrgeo charitatis præceptum omnes fideles obſtringens, *diligite inimicos veſtros.* Recognoſcis Edom Chriſti verba, non mea, & vt quibus Auguſtinus Iulianum l. 6. c. 4. Iiſdem te verbis alloquar, [Impingo, inculco, infercio recuſanti. Accipe, bonum eſt, nolo moriaris.] Chriſtus pro omnibus mortuus, omnes diligi mandat, quantumuis inimicos. Nihil clarius, *diligite inimicos veſtros.* Quid eſt *diligere* niſi bonum velle? Num ei bonum vis de cuius euerſione atque ruina, exilis ac geſtis præ gaudio? quem omni calamitate proſtratum, tanta cum voluptate refers? Hoccine apud te eſt bonum velle. Siccine tibi in ſimili calamitate verſanti factum vellet, qui iuberis

non

non ſecus te erga alios gerere, quam velis vt ſe erga te gerant cæteri in pari cauſa?

Bene iſta, inquies, ſi de priuato hoſte ſit ſermo; alia de publico eſt ratio. Quaſi aliud ſit pro priuato, aliud pro Republica Euangelium. Aut non idem Chriſtus, qui priuatos informauit ad neceſſariam erga hoſtes charitatem, populis quoque communiter & populorum capitibus leges fixit? S. Cypriani verbum eſt huc bellè cadens l. de lapſis. [Non poteſt Euangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut vtrumque oportet valeat, aut vtrunque vim veritatis amittat.] Poſſum item huc aptè transferre illa D. Auguſtini 4. Ciuitat. c. 3. [Non vaneſcamus inani ventoſitate iactati, neque obtundamus intentionis aciem altiſſimis vocabulis rerum, cum audimus populos, regna, prouincias; ſed duos conſtituamus homines. Nam ſingulus quiſque homo, vt in ſermone vna litera, ita quaſi elementum eſt ciuitatis & regni, quantalibet terrarum occupatione latiſſimi &c. vt ergo in his duobus hominibus ita in duabus familiis, ita in duobus populis, ita in duobus regnis, regula loquitur æquitatis.]

Necdum exceſſi fines Chriſtianæ charitatis, omnibus æquè fidelibus ad ſalutem neceſſariæ, quam violari cruentis iſtis ac ſanguinariis affectibus & ſermonibus Religioſorum, validè (ni fallor), atque perſpicuè euictum eſt. Quod enim meminerim cum quibus Religioſis agam, contineri placuit ambitu Chriſtianæ & vniuerſalis charitatis omnibus etiamſi hoſtibus, per omnes qui Chriſtiani audiunt, impendendæ. Hæc verò non patitur, vt ad mala & clades hoſtium, ſed tamen Chriſtianorum, tantis excedatur lætitiis, vt commiſeratiô quæ ſenſus quidam triſtitiæ eſt, & alieni doloris participatio (iuxta Gregorium 20. Moral. c. 16.) prorſus exulet. At prorſus éxulare, in tanta ſanguinariorum affectuum & cruécorum ſermonum horriditate, nemo non videt. Quod enim mel, aut quæ dulcis affectus mica, ſupereſſe poſſit, tanto felle, quantum per ora & voces exundat, corda occupante? Dixeris his vitæ Religioſæ cadaueribus, (animam & vitam in tanta ſtrage pietatis non deprehendo), accidere quod Mauro illi Monacho ad Petram pertuſam, contigiſſe, ſcribit teſtis oculatus Petrus Damiani l. 6. epiſto. 32. ex cuius ore, fel plurimum ac teterrimum manauit, tanta vbertate, vt miſerum ſuffocaret, & cadauere iam exanimi, ſupra feretrum ad ſepulturam compoſito, effluerct ad longam vſque pauimenti rigationem. Non diſſimiliter ſanies fellea nigrorum affectuum per ſermones virulentos exundans, nullum ſupereſſe dulcori charitatis in huiuſmodi pectoribus demonſtrat.

Et tamen dulcorem charitatis Chriſtianæ, cuilibet erga Chriſtianum quemcunque, etiamſi extraneum, ab hoſte ſuo vexatum, aut etiam bella per Principem cui ſubſis impetitum, eſſe omnino neceſſariam, prima Chriſtianiſmi elementa ferunt, idque quiſquis ignorauerit, infantiſſimus eſt in rei Chriſtianæ negotio. Habet hic locum valida Pelagij ſecundi argumentatio in Epiſto. ad Aunarium Epiſcopum Antiſſiodorenſem. Cum enim Italia vrbſque ipſa Romana, infeſtos pateretur, hoſtes Dei Longobardos, & Aunarius in ea Romanorum calamitate plenas officij literas fidei ſuæ Catholicæ teſtes ad Pelagium Papam dediſſet, reſcripſit Pelagius. [Si mundo venerabilem Iudicatis hanc vrbem; ſi ad pacem ſedis Apoſtolicæ, cunctarum regere moderamina Eccleſiarum prædicatis; cur non & tribulationes noſtras & temporales anguſtias, charitatis compaſſione gemiſcitis? ſcientes diuino per Apoſtolum nobis ore mandari, vt nos inuicem diligamus, vt onera inuicem noſtra portemus; vt quoties fratrum quicunque vritur, nos vramur, dum penè in conſpectu veſtro tantus ſanguis innocentium ſit effuſus, ita ſacra violentur altaria, ita Catholicæ fidei ab Idololatris inſultetur. Nouimus & nos quod temporalia iſta flagella ſunt, & ad probationem, ſicut de cæleſti confidemus miſeratione, proficiant, & proximum (ſicut à vobis ſcribitur), Dominus noſtèr de tribulatione dat gaudium. Quia qui nequiter agunt exterminabuntur, & inimici Dei mox vt exaltabuntur, ſicut fumus deficient, & generaliter peribunt gentes de terra eius. Propter quod vos decuerat qui illhic Catholicæ membra eſtis Eccleſiæ, vni corpori vnius capitis gubernatione coniuncta, omnibus quibus viribus valeretis, paci quietique noſtræ pro ipſa ſancti ſpiritus vnitate concurrere.] Hæc totidem verbis, cuiuis per orbem Catholico, quantumuis parti bellanti fœdere coniuncto, aut etiam illi ipſi parti bellanti ſubiecto, Catholicus bello per infideles appetitus, iure poſſit occinere, vrgens ex debito charitatis ad commiſerationem, gaudium de illata miſeria excludentem.

PRON. IV. In belligeros a bellicrepos Religioſos.

De eadem charitatis contrucidatione, ſpecialiter.

VErùm hæc vniuerſaliora ſunt charitatis vulnera, & iſtis cum ſecularibus pleriſque eiuſdem gentis communia. Quod illa propiora, & ad domeſticos tantum pertinentia? In ſingulis quippè cœtibus, facile eſt reperire perſonas, iis ipſis qui deuicti & bello proſtrati ſunt, nexu aliquo illigatas, quibus durum eſt audire talia, nec huiuſmodi tripudia de aliorum cladibus, excipiunt abſque effuſione frigidæ ad flammam charitatis. Vt autem darem, omnes huiuſmodi præſentium cum proſtratis neceſſitudines ſucciſas eſſe, & omnes qui adſunt, eiuſdem eſſe genij bellicrepi, tamen vix vllum eſt religioſum corpus adeò anguſtis terminis definitum, quin eius membra quædam, inter bello proſtratos reperiantur; ad quæ pertingere vexationis & cladis partem aliquam indubitatum ſit. Nam in his ſeculorum fœcibus, militaris ſcientia horrendo impietatis œſtro percita, ne ſacris quidem ædibus, aut Religioſis ſeptis parcit. Nec milites intelligo de Lutheri aut Caluini caſtris, ſed eos qui ſe nomine tenus Catholicos dicunt, & non ſunt. Statuentes enim oculos ſuos declinare in terram & diuinorum obliti in ſacrilegos iudiciorum, æquè ſacras domos prædabundi ſubeunt, atque profanas. Ac vt verum eſſet, horrenda iſta & immania aliquando non patrari, tamen vel flamma vel fumus, partes eiuſdem communitatis diſflagrantis, ſemper malè habet ex parte aliqua, Itaque nec per domeſticam quidem charitatem, fas eſt Religioſo homini, vel exultare de malis quæ alibi prouinciis vrbibuſue Catholicis illata ſunt; vel vt inferátur expetere, & magno cum ſenſu voluptatis, inducere in colloquium ſpem euentus tantorum malorum. Et qui huiuſcemodi ſermones miſcet, merito feriri poteſt iaculo illo è S. Chryſoſt. armamentario homil. de non ſcrutandis curioſè pauperibus. [Quo pacto ſacram illam oblationem ſumpturus es,

PRON. IV. *In belligeres ac bellicroſos Religioſos.*

qui linguam humano ſanguine cruentaueris? Quomodò pacis oſculum deferes ore hoc tuo contentioſo & hoſtili?] Idem homil. 79. in Matth. huiuſmodi linguam, vocat Diabolicam. Præfatus enim linguam quæ benignitatis & charitatis verba profundit, linguam Chriſti eſſe, addit è contrario. [Diaboli linguam habet, qui vt Diabolus loquitur. Quæ igitur venia nobis dabitur, imo verò quæ ſupplicia non pendemus, quando linguam noſtram qua Dominicam deguſtauimus carnem, Diaboli ſponte linguam efficimus? Nimirum Diabolus cum ſit homicida ab initio, nec vlla re magis quàm ſtragibus, & plurima humani ſanguinis effuſione paſcatur, ſermones adamat cruentos, nec ſi os haberet & linguam, alios gratiùs miſceret ſermones. Sicut è contrario, Chriſtus qui Charitas eſt, & cuius humanitas & benignitas per vniuerſam ipſius vitam ſplendidiſſimè micuit, à ſermonibus illis, & affectibus ſanguine humano, madentibus, planè abhorret. Imitantur ergo Satanam, qui ſunt ex parte illius: & qui loquuntur vt Satanas; periculum eſt ne pars illorum cum eo ſit, ac per huiuſmodi affectus ac ſermones eo deducantur, vnde exulat charitas, vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.

Quanta ab iiſdem conuulſio iuſtitiæ.

IVſtitiæ cui ſecundùm charitatem ab his gentilitiis affectibus ſermonibúſque timebam, veriſimillima ab his telis pendent vulnera. Nam affectus, cuius virulentia ſermo perfunditur, haurit malignitatem operis circa quod verſatur. Bella autem quàm ſæpè ſint iniuſta, expoſitione non eget. Certum enim eſt, è tam multis ad bellum vndecunque iuſtum neceſſariis conditionibus, facilè deſiderari poſſe ſaltem aliquam. Inſuper verò certum eſt, è duobus bello certantibus, alterum ſaltem materialiter laborare iniuſtitia. Clarum quippè eſt, non poſſe dari bellum formaliter iuſtum ex vtraque parte, quidquid ſenſerit Alciatus lib. 2. parad. cap. vltimo frigidè excuſatus ab Ayala, quem meritò reiicit Lorca 2.2. ſ. 3. diſput. 53. numer. 15. vt patet ex eo quod ius non poſſit reipſa eſſe apud vtrumque aduerſarium. Videſis in hanc rem, victoriam relect. de iure belli num. 32. Couarruuiam Reg. *peccatum* p. 2. ſ. 10. numer. 6. Valentiam 2.2. diſt. 3. quæſt. 16. p. 2. pronunciato 9. & Becanum tract. de virtut. Theologicis cap. 25. quæſt. 7. Niſi ergo ignorantia probabilis aliunde obrepat, impoſſibile eſt bellum offenſiuum ſimul ac defenſiuum, quod ſolum eſt bellum vtrinque plenum, eſſe vtrinque iuſtum. Nec agunt de hoc bello nonnulli Theologi inter quos Azor. t. 3. lib. 2. cap. 7. quæſt. 29. Et Leſſ. l. de iuſtitia cap. 13. num. 30. ac Serarius in cap. 6. Ioſue quæſt. 3. & ſi qui alij, cum admittunt, poſſe quandoque dari ex vtraque parte bellum iuſtum. Saltem ergo ex vna parte, bellum vt plurimum ac ferè ſemper, ſordet iniuſtitia: quæ tametſi interdum non eſt niſi materialis, & carens formali peccato ob ignorantiam inuincibilem excuſantem, tamen ſoluto poſtea errore, & euaneſcente ignorantia, poteſt ex ea ſupereſſe grauis obligatio damni illati reparandi: (quod intelligo cum temperatione adhibita à Petro Toletano lib. 2. de reſtit. capit. 3. num. 275.) Et cum per ignorantiam abeſt formalis culpa, eſt nihilominus malum obiectiuè graue; quod appetere iuſtè non licet; ſibique in eo complacere, peruerſum eſt & contra iuſtitiam. Vt à ſimili patet in pleriſq; obiectis malis, quæ appetere, vel approbare vitio vertitur, etiamſi non ſint niſi materialiter mala, eo quod defectu côditionum ad malitiam neceſſariarum ex parte operantis, deſit malitia formalis. Itaque etiamſi bellum, quod per rarò accidit;) tamen ne tunc quidem iniuſtitia exulat à belli amore aut approbatione, ſi cadant in partem quæ malitiali iniuſtitia laborat. Quoties verò contingit bellum ex vna parte eſſe formaliter malum, aperta iniquitas, & quædam atrocis immanitate immanitas eſt, tale bellum amare, cui inſuper tot mala comitantur. At quis poſſit vnquam certò affirmare, è tam multis conditionibus quas ad bellum iuſtum concurrere neceſſe eſt, nullam deficere in bello quod gerit pars cui ipſe fauet? Quod ſi vel vna deficiat, (vt eſt perfacile,) bellum erit formaliter iniuſtum, nec illi fauere, vel ſibi in eo, aut bono eius exitu complacere licebit, abſque iniuſtitia; quam virulentiam circulabitur lingua per ſermones qui reuera ſunt iacula, quoties illos feret cum voluptate, cogitans iniuſtitiam, & ſicut nouacula acuta faciens dolum.

Catholicæ religionis cædes ab iiſdem, plauſu excepta.

MIſſa faciamus, alia bellorum ſiue iuſtorum ſiue iniuſtorum damna, nimiùm quantum vulgaria atque comperta; vt non ſit opus ad ea pernoſcenda, vel Iſocratem adire orat. de pace, vel Demoſthenem orat. de falſa legatione, vel alios qui nullam eſſe bello ſalutem ex inſtituto ſunt perſecuti. Deficiunt verba quibus aperiam damna, quæ plerumque catholicæ fidei inferuntur per bella. Accidit enim ſæpenumero, vt qui bellum gerit, etiamſi Hæreticus non ſit, vt ſit tamen cum Hæreticis, (quidni etiam cum Saracenis & Turcis?) fœdere coniunctus in eo ipſo bello, ita vt Catholici cum hæreticis vel Turcis permiſti, bellum gerant ſub variis fortè ſignis, ſed omnibus ad vnum communem hoſtem debellandum ſpectantibus. Et volo parta victoria, vel agrum conquiſitum, vel manubiarum potiorem partem cedere catholicis. In belli tamen calore & æſtu conflictus, quanta in Deum, quanta in Catholicam Religionem ab inimicis Eccleſiæ, in eo bello operam nauantibus (vtinam neque à perſonatis domeſticis fidei,) horribilia, atrocia, omnibus deteſtationibus & lachrymis ſuperiora admittuntur. Bellonam & Furiam Arrianam, exhibet Vincentius Lyrin. cap. 6. commonit. [Vniuerſa miſcentem atque vexantem, priuata ac publica, ſacra profanáque omnia, nullum boni & veri gerentem diſcrimen; ſed quoſcumpue collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutientem. Tunc temeratæ coniuges, depullatæ viduæ, profanatæ virgines, dilacerata monaſteria, diſturbati clerici, verberati Leuitæ, acti in exilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla. Quorum pars maxima, interdictis vrbibus, protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa; nuditate, fame, ſiti affecti, contriti, & tabefacti ſunt.] Quid horum in noſtros non incurrit oculos per nuperam Gotthicam eluuionem? Quidni item illa ex Cataſtaſi Syneſiana huc adducam? Noſtra enim planè ſunt, & frequentibus comprobata euentis. [Quibuſnam illi ſacris, (Dei & Eccleſiæ hoſtes,) quibus Religioſis locis pepercerunt? Nónne in multis agri Barcæ locis, ſepulchra recêtia effoderunt?

effoderunt? Nonne ab iiſdem ipſis per vniuerſam Ampelli idem, quæ quidem ſub noſtra poteſtate eſt, Eccleſiæ omnes ſuccenſæ ſunt, atque in rudera & ruinas redactæ? Non ſacras menſas perinde ac profanas, ad diuidendas carnes appoſuerunt? Myſtica pocula a quibus ad publicas ſacraque libationes vtebantur, nonne ad obeundas dæmonum ceremonias in hoſtilem regionem tranſlata ſunt? Quidnam horum Religioſis auribus tolerabile eſt? Nam qui commemorare velit, quot caſtella demoliti ſint, quantum vtenſilium ac ſuppellectilis auexerint, boues item ouéſque omnes, quæ quidem e barbarorum præda ſeruatæ reliquiæ in præruptis montium & cauernis abditæ fuerant, is in tantis malis, non ſine vitio aliquo, minutis perſequentis nimium animus videatur. Quanquam quinque camelorum millibus, prædam auexiſſe dicuntur; numero autem triplo maiore redeunt, acceſſione captiuorum tantò plures effecti.]

Sed hæc leuis & præ ſequentibus vix commemoranda. Scimus vbi & quàm pridem, exercitus Catholicis admixtis Hæreticis, diuiniſſimam Euchariſtiam, (pro ſcelus!) horreo dicere, & ſilere præſtat quàm calamum ſic polluere, & chartam inceſtare. Recentiſſimum eſt quod ſcribo, & in regione Catholiciſſima, quam nullus vnquam Lutheri nidor, vel Caluini fœtor afflauerat, geſtum à mancipio Diaboli, filio perditionis, merente ſub ſignis Catholicis. Sacrum ciborium loco perfuſum. Heu infœlices aures meas quæ talia audierint, ſed infeliciores oculos qui talia hauſerunt. Sacer item calix, ſanguinis Domini, (vt cum Optato dicam) portitor, ab impio milite ſupra Turcam immani, ſacrilegè direptus, ad contundenda ſacerdotis labia ſceleratiſſimè adhibitus, poſtquam inter renes aquam excepit. [Multi Deum eſſe non credunt (aiebat Tertullianus lib. de patientia cap. 2.) quem ſibi iratum, tamdiu neſciunt.] Flebiles modi quibus Optatus lib. 6. ſacrum Calicum profanationem eſt proſecutus, huic longè atrociori ſacrilegio ſunt impares. Digna è contrario materia, de qua Edom exultet ac geſtiat.

Non eſt atrocius aut horribilius, ſpectata ſceleris menſura, quod ſequitur, ſed eſt tamen in ſe horrendiſſimum, & inauditum magis. Sanctus Hieronymus deſcripturus infandam ſcelus Sabiniani qui ſtuprum ſacrilegum in templo conduxerat cum Nonna, orditur à conteſtatione horripilationis ac pauoris quo ſe percelli fatetur. [Paueo miſer, & tam mente quàm corpore perhorreſco, ponere tibi volens antè oculos tuos, opus tuum, &c. Proh nefas! non poſſum vltra progredi. Prorumpunt lachrymæ antequam verba, & indignatione pariter ac dolore, in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? vbi torrens fluuius Demoſthenis. Nunc profectò muti eſſetis ambo, & lingua veſtra torpeſceret. Inuenta eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat, repertum eſt facinus, quod nec mimus fingere, nec ſcurra ludere nec attellanus poſſit effari.]

Quantus verborum apparatus, vt eo denique deueniatur; Spurcum illum, quod per parietes non licebat, voluntate executum, & obſides patrandæ (cum facultas foret,) iniquitatis, accepiſſe à decepta virgine, capillos, ſudariolo, & dotale cingulum. Scelus referendum ſuſcipio, præ quo tragicæ iſtæ Sancti Hieronymi exclamationis, iuſto exilio res videri meritò debeant. Non ita pridem, Dæmon corporatus, vrbis hoſtiliter ſubactæ templum cum militari manipulo ingreſſus, inter numeroſam mulierum ſexus cateruam, quæ illuc pudoris perfugium à loci ſacri ſanctitate captauerat, Virginem Sacram inuenit, quæ ſuper ipſum altare princeps, ponè ſacrum tabernaculum abdiderat ſeſe. Horreſco ad alienum ſcelus. Inde vi abductam, ſuper ipſam ſacram aram, ſuper ipſum altare, corporis & ſanguinis Domini & terribilium myſteriorum ſedem, vt maiorem Chriſto ſponſo inferret contumeliam, ſtupro illato deuirginauit. PRON.IV. [illegible] *Religio,&c.* Pendeatur adiuncta, & fœda illa conditio pro qua tantopere concitabatur Sanctus Hieronymus, cum tantæ impietatis atrocitate, cum inceſtatione ſacri corporis, in æde ſacra, ſuper ipſam aram, per vim facta, componatur. Immane quantum hæc ſceleris horribilitas aſſurget. Et tamen deeſt truculentia colophon. Infœlicem ſanctimonialem ad eum modum fœdatam, trux Maſſagetes, vbi ad ſatietatem expleuit ſacrilegam libidinem, impactatica confoſſam, ſuper eandem aram, pudoris & Religionis hoſtiam fecit; conſpurcans ſuomet ſanguine quam ſcelerate dehoneſtauerat. Multo tenuior Albigenſium illorum noxa quos Cæſarius libr. 5. miracul. cap. 21. in vrbe *Biders*, aduocato Scorto, ſuper altare abuſos ſcribit. At hic fœdatio perſonæ ſacræ, ei morte ipſa amarior, cumulata eſt cæde innoxia victimæ. Diuinus id quoque, quàm quod promiſiſſe refertur ei quem mulcere volebat Iacobus Cyprius, nothus regnum affectans. Nam iuramento edito obſtrinxit ſe Soldano Ægypti, ad ſcortationem cum Iudæa ſuper altare Chriſtianum, niſi pactis conuentis exquiſitiſſimè ſtaret, vt refert Æneas Syluius in Aſia cap. 97. Sed quod conſtet, nequam ille, & verè ſpurium vitulamen, quod pepigerat non patrauit. At hic reipſa interuenerit fœdatio, inſuperque cædes. Factum id à militari homine; ſi tamen homo fuit ſub humana imagine, qui tam nefaria, tam tetra, tam horrifida, deſignare, aggredi, perficere, cælo teſte, in adytis, coram numine ipſo potuit: Et factum eſt ab eo qui in Catholici Principis exercitu merebatur, in deuicta vrbe Catholica, quam admiſti Hæreticis Catholici milites ſubiuerant. En dignum lætitiæ, & ſermonum ac plauſuum, religioſi cœtus argumentum. Conueniens planè materia votorum perſonæ ſeculo mortuæ, victoriam optantis Principis ſui copiis, à quibus parta victoria admitterentur, quæ vel referre pollutio ſit. Appoſitiſſimum argumentum, quod aculeis omni piſtillo retuſioribus exornandum ſuſcipiatur, & decoretur elogiis.

Quod ſi parta victoria, ager ſubactus, ex fœdere conuento cedat hæreticis quibuſcumque copia Catholici Principis aduerſus hoſtem Catholicum militabant, noua facinorum generis prædicti exiſtet ſeges; nouum examen violationum fidei & Religionis extabit, de quo Religioſus Gentilis (ſic enim nominandus videtur homo in gentem ſuam affectus ſupra Religionem, ipſumque Deum,) exultare, & tripudiare licenter poſſit, cum ea erit in Turcam vel Atheum. Nam quæ ciuitas vel ora, antehac catholicos duntaxat ritus nouerat, vbi fides auita Apoſtolici ſeminis tradere prædicatione ſata; martyrum ſanguine rigata, ſudoribus ſanctorum Antiſtitum tot retrò ſæculis exculta floruerat, deinceps fidei Catholicæ profeſſione carebit. Immolatio incruentæ hoſtiæ,

PRON. IV. *In belligeros ac bellatores Religioſos.*

& ritus Chriſtiani ſacrificij quo mundus propter quotidiana ſcelera alioqui deſtruendus, placato Deo ſuperſtes manet, illicò abolebitur, ita vt ne clanculum quidem, in ſumma quacumvis ſectarum palam frontem efferentium licentia, fas ſit futurum, ſacro operari; tot Argis in id aduigilantibus incentore ſatana, ne ſupremus ille cultus quo ſublimior nullus eſt, Deo deferatur. Videor anteoccupatam Antichriſti ætatem videre; in qua (ait Hyppolitus orat. de mundi conſummat.) [Lugebunt Eccleſiæ luctum magnum; quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarum ædes ſacræ, tuguris inſtar erunt, pretioſiſſimque corpus & ſangeis Chriſti, non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, pſalmorum decantatio ceſſabit ſcripturarum recitatio non audietur.]

Iam igitur in vrbe vel ora illa, myſterium iniquitatis operabitur. Ceſſabit ibi iuge ſacrificium, ceſſabit laus Dei & pro ſacra hymnodia quæ nocte ac die perſonabat in variis ſacris ædibus, audientur profanæ Maroti Cantilenæ; templa in horrea, vel tabernas, vel etiam in ſtabula & haras, & quod deterius eſt (etiamſi frequentius,) in popinas lutheranas, vel Moſqueas Caluiniſticas conuertentur. Parthenones ſacri, partim diſſipatis, partim fœdatis ſacris virginibus, & ad inceſtas nuptias retrorſum actis, commutabuntur proſtibulis. Vbi calamus & viror iunci cernebatur, ibi orientur Spinæ, & vrticæ ac paliuri; locus ſanctus fiet cubile draconum, & paſcua ſtruthionum. Et occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum. Obſcuriùs dico cum Propheta: ſed pro commentario ſint, vſurpatæ oculis populoiæ vrbes ac etiam prouinciæ, ex quo in Hæreticorum poteſtatem adminiculo Catholicorum venerunt. Eadem ſors manet reliquas, ſimili modo ab hæreticis, ſuppetias ſubminiſtrantibus Catholicis inuadendas, vrbes & aras. Neque hoc dico æſtuans ira, & ſancto furore percitus ob euerſas aras, profanata templa, alloquens Hæreticos iiſdem vocibus quibus Donatiſtas Optatus lib. 6. [Crudeliter ac ſtultè vos feciſſe negare minimè poteritis. Quid enim eſt tam ſacrilegum, quàm in quibus vos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere? in quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt: Quo Deus omnipotens inuocatus ſit. Quo poſtulatus deſcendit Spiritus Sanctus: Vnde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria inquam in quibus fraternitatis munera non iuſſit ſaluator poni, niſi quæ eſſent de pace condita. *Depone* (inquit) *munus tuum ante altare & prius concorda cum fratre tuo*, vt poſſit pro te ſacerdos offerre. Quid eſt enim altare, niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti? Hæc furor veſter aut raſit, aut fregit, aut remouit, &c. Quid vos offenderat Deus qui illhic inuocari conſueuerat? Quid vos offenderat Chriſtus cuius illhic per certa momenta, corpus & ſanguis habitabat? &c. Elias propheta querelam deponit his locutus verbis quibus & vos inter alios ab ipſo accuſari meruiſtis. *Domine*, (inquit) *altaria tua confregerunt*. Dum dicit *tua*, indicat quia res eſt Dei, vbi Deo aliquid à quocunque oblatum eſt. Sufficeret inſaniæ veſtræ quod membra laniaſtis Eccleſiæ, quod Dei populos iamdudum in vnitate poſitos veſtris ſeductionibus diuiſiſtis. Inter hæc omnia, vel altaribus parceretis. Cur vota & deſideria hominum, cum ipſis altaribus euertiſtis? illhac ad aures Dei, aſcendere populi ſolebat oratio. Cur conciſiſtis precibus viam, & ne ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet, impia manu quodammodò ſcalas ſubducere laboraſtis? Nihil horum in præſentia vrgeo aduersùs Hæreticos: ſed conuerſa ad Gentilem Religioſum oratione, hanc illi gaudiorum & tripudiorum cauſam exhibeo. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem. Habes Religioſa anima, vberem lætitiæ & plauſuum materiam, de multiplici Chriſti iniuria, de profanatione ſacrorum, de conculcatione Religionis, de amplificatione regni Satanæ, de clade & exitio tot corporum, ſed præſertim animarum.

In plauſus nefarij purgationem per accidens.

ABſit, inquies; Hæc ſunt per accidens. Lætor verò & exulto de gentis meæ gloria, de ſubactione hoſtium à quibus deinceps timendum nobis non erit, de multis ſpoliis copioſiſque manubiis reportatis. In hæc & ſimilia feror affectu, reliqua præter intentionem meam accidunt, & ad ea claudo oculos. Sicut in bello iuſto, cum diſploditur machina innocentes permiſtos innocentibus, diſploſio vacat labe, quia diſploſor, proſequitur ius ſuum, tantumque intendit nocentes perdere; quod autem diſcerni non poſſint qui nocentibus commiſti ſunt innocentes, eſt per accidens. Similiter ergo qui intentus in hoſtium ſubactionem, cuius iuſta & labis expers eſt appetitio, clades corporum, exitia animarum, contaminationem & direptionem ſacrorum conſequentem, nec adamat, nec approbat, innoxius eſt; quia iſta ſunt per accidens, nec plus quæruntur, quàm ſi ruinæ hoſtium non adiungerentur.

Ain, iſta eſſe per accidens, & idcirco abs te claudi ad ea oculos, perinde ac ſi non interirent? Nec periculum eſt, ne iſta, per accidens (vt vis,) ſe habentia, tibi per ſe, coram Deo exitium creent. Verè tu oculos clauſiſti, qui talia ſuſtinuiſti exoculatus & cæcus. Vtcunque enim præciſiones tibi & ſeiunctiones mentales comminiſcaris, ſunt tamen quæ expeti abs te fateris adeò nexa cum iis quæ te ſeiungere ac ſeparare putas, vt non arctiùs nectantur, nec intimiùs colligentur, deiectio à ſumma turri, atque contritio: Vel adactio enſis in pectus, & mortis conſecutio; quæ conſtat ita diuelli poſſe cogitatione, vt reipſa ſeiungantur nunquam, nec ſeiungi poſſint. Atque adeò qui vnum ex illis appetit, vel de eo gaudet, in alterum quoque, eodem animi motu feratur, neceſſe eſt. Simili ex cauſa, Paſchalis Papa exploſit eos qui aſſererent, ſe beneficiorum Eccleſiaſticorum ſpiritualitate intacta, emere duntaxat coniunctam temporalitatem. Hoc Pontifex cap. *Si quis obiecerit* 1. quæſtion. 3. ait aſſeri non poſſe, niſi ab eo qui penitus deſipiat. [Quiſquis enim horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum dereliquit.] Plenior editio addit, hanc ipſam diſtinctionem

eſſe

eſſe penitus exterminatam in ſacro Chalcedonenſi concilio. Simili et Petrus Damiani l. 1. Epiſto. 13. hanc eandem diſtinctionem latè improbat; diputans contra duos Capellanos Ducis Tuſciæ Gotfredi, Tudetchinum & Ioannem, qui venali atem beneficiorum Eccleſiaſticorum, adhibita ea Simoniaca diſtinctione, licitam eſſe contendebant. Non igitur quoties duo ſunt connexa, fas eſt vnum ſeiunctim ab altero proſequi aut refugere, eo prætextu, quod vnum alteri iungi, ſit per accidens. Locum quidem aliquando habet ea ſeiunctio ſe habentium per accidens, ab iis quæ ſunt per ſe. V. G. (vt exemplo in contrarium propoſito inſiſtam,) cum in iuris mei proſecutionem feror, nec eſt quod vigeat curare concomitantia, poſſum de meo iure eſſe ſollicitus, reliqua dimittere: quod contingit, in diſploſione bombardæ aduersùs multos noxio, quibus pauci innoxij admiſti ſunt, prorſus ab eis inſeparabiles. Quia enim in eo euentu, ſolum Iuſtitiæ præceptum de non inferenda proximo iniuria viget, nec illud violo proſequendo ius meum cui conſulere poſſum non obſtante incommodo paucorum innocentium cum nocentibus commixtorum: Quia item præ tanto meó diſpendio, & minore paucorum damno, lex charitatis ſilet, & nullius alterius virtutis obligatio interdicit proſecutione iuris mei; rectè dicor claudere oculos ad illa, quæ (vt ſic dicam) incidunt in negotium meum meum, & ad illud ſe habent per accidens. At in re noſtra, quamvis conſecutio cladium, & profanationis ſacrorum, cæteraque Religioni & fidei exitialia quæ enumerata ſunt, ſe habeat per accidens ad iuſtitiam, cuius ductui ſe conformat qui bello ius ſuum proſequitur; Tamen exortus illorum malorum, non ſe habet per accidens ad virtutes fidei & Religionis, quæ ſunt virtutes ſuperiores; pro quarum Indemnitate quiuis Catholicus, (Si res ferat,) vitam prodigere, & iuribus ſuis omnibus quantumuis fundatiſſimis cedere teneretur. Ad has ergo virtutes, quarum leges tunc maximè vigent, mala quæ enumerauimus non ſe habent per accidens, ſed valdè per ſe, Atque ita nefas eſt homini fideli & Chriſtianam Religionem profitenti, ad tantum eius diſpendium claudere oculos; & prætenta iuris ſui proſecutione, calcare cœtera iure illo pretioſiora, & omnibus commodis humanis longè anteferenda. Contra quam fert Sapiens monitum. Symmachi Papæ Epiſtol. ad Theodo. [Debet Eccleſiæ maior cura eſſe quam regni.

Sancti Valerij in hanc abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, conclamatio,

DIſiecta ergo ſunt munimenta excuſationum, captata ab iis, qui (vt cum Saluiano dicam l. 4. ad Eccleſ.) Falſarij, adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiuntur Deo. Conſiderent verò etiam atque etiam, num præ tanto erga Gotthos Eccleſiæ perduelles affectu, tanta de eorum victoriis exultatione, tam iugibus támque cumulatis de eorum gloria elogiis, illud ſibi appingant elogium ex S. Valerio quem adducit S. Benedictus Anianenſis in concord. Regul. c. 3. §. 7. [Habentes religionis ſignum, non religionis meritum, hyppocentauro ſimiles, nec equi nec hominis facta diſcretio, vti ſuperiùs dictum eſt, aduerſus fideliſſimos Dei ſeruos doloſa & iniqua machinantur odia, atque impiiſſimæ atrocitatis perſecutionem incutiunt: & quos nouerint, eſſe latrones, homicidas, maleficos, adulteros, atque cœtera diabolicæ infanda crudelitatis opera exercentes, eos ſummi amoris affectione, ex totoque corde, charitatis connexione amplectuntur. Hinc procul dubio aperta ratio manifeſtat, quia deſpecto Deo, diabolo obediunt, & ſerui fideles eius exiſtunt, cuius Satellites amant, amplectuntur & diligunt: & Domino cuius fideliſſimos ſeruos perſequuntur & odiunt, inimici, refugæ, odibiles, & exteri fiunt: qui dixit; *quod feciſtis vni ex his minimis meis, mihi feciſtis.* Iterum ſcriptum eſt; ille Dominum odit & contemnit qui non ſolùm non timet Deum, ſed gratis odit timentes Deum.] Sanè. Neſcio quibus vocibus expreſſioribus, S. Valerius ſi in rem noſtram meditatò ſcripſiſſet, exhibere potuiſſet Lymphaticos affectus horum pietatis hippocentaurorum, erga Gotthos alióſque Eccleſiæ perduelles, quali etiam affectu quoſdam brutios Semicatholicos in Africa fuiſſe erga Vandalos, Victor Vticenſis ad finem libri tertij teſtatur.

PRON IV. In belligeros ac bellicrepos Religioſos.

Prætereundum verò nulla ratione eſt, quod continenter ſubiicit S. Valerius. Nam maximè ad rem facit. Ait ergo. [Rectores verò eorum, & ſi non exiſtiment, ſe grauiter ante Deum eſſe culpabiles, ſed quia erga gregem ſibi creditum negligentes, & mala non prohibentes, exiſtunt, non ſolum propter propria delicta, ſed pro ſubditorum flagitiis, dupliciter condemnabuntur. Hinc Dauid orat, *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Quicunque ex ſenioribus cauſam delinquentis adornat, maiorem, ei inſolentiæ fomitem generat: Ita vt cor eius magis magiſque indurari faciat, & contumaciam delinquentis differendo non diſcutit, nec humiliari eum ſinit, nec diſſimulanter quidem permittit de ſatisfactione, & venia cogitare, ſed idem denuò iterare: quoniam ſcriptura teſtatur, quod omne peccatum quod remiſſus indiſciplinatuſque admiſerit frater, ad negligentem protinus reuertatur ſeniorem; & propter ſe, & pro illo duplam redditurus eſt rationem. Rectè námque cenſetur, vt cum quo participat errorem, æternam retributionis cum eo ſortiatur vltionem: quia.

Ipſe iubere nefas, ipſe perhibetur amare
Qui prohibere valet, nec prohibere volet.

Horum & ſimilium præuaricatricem, clandeſtinæ ſimulationis perniciem, ſimul cum publica mundanæ delinquentiæ facinorum contagione, debet fideliter iuxta ſibi creditam ſupernæ veritatis diuini imperii vicem, & glorioſum terrenæ poteſtatis principium, ſeueritas iuſtiſſimæ cenſuræ & Zizaniorum ac tribulorum, de agro cordium delinquentium peſſimam ſuffocationem, falcifera emendationis ſucciſione radicitus extirpare, atque vomere iuſtitiæ & raſtro veritatis excolere, vt noualem fructum fidei & ſanctitatis, creatori ſuo valeat procreare. Hæc exigua verba, de execranda hypocriſis nequitia dixiſſe ſufficiat.]

PRON IV. *In belligeros ac bellicrepos Religioſos.*

Origo tanti mali, ferè à moderatoribus, iuxta eundem S. Valerium.

TAntum de Religioſis profanis Sanctus Valerius qui deſolationem abominationis ſtantem in loco ſancto, adſcribit moderatoribus, quos duplicis genij proponit. Aliqui enim hac in parte ex ſe nitentes, maculantur alienis ſordibus: Nimirum quia tametſi non occupantur ferinis illis ac beſtialibus affectibus, quibus Edom quiſpiam ſanguinarius, aliiue amantes Diaboli Satellites; tamen conniuent cum ex legibus, ſiue velificantes genio ſubditorum, ſiue ſeruientes tempori, ſiue præ mollitudine non audentes perrumpere iniquitatem. Deus qui non irridetur vindex acer erit in huiuſmodi. Præſtiterat non fieri iudicem populi, (vt benè vrget Petrus Bleſen. in Epiſcopi inſtitutione) quàm ea ignaua mollitudine, redigere omnia ad vaſtitatem. Sponſæ labia, iuxta Petrum Cluniacenſem lib. 1. epiſtol. 6. Tametſi melle & lacte pro bonis ac piis debent diffluere, tamen aduersùs diſſipantes ſepem ſanctam, debent ſtillare myrrham primam, quæ amariſſima eſt, ſymbolum mortificationis. Moderatorem ergo meticuloſum aut politiciſmi cancro contactum, Deus tanquam infidum & male ſollicitum Oeconomum ſeriùs ocyùs plectet, & ſacrorum inſtitutorum diſſipationem, in ignaui moderatoris caput regeret. Quæ aduersùs molles huiuſmodi Paſtores diſputat Sanctus Gregorius 7. lib. 2. epiſtola 5. (quæ eſt ad Gallicanos Epiſcopos in cauſa Philippi Regis languidiores,) adeò fortia ſunt, vt eum quoque cui robur & æs triplex circa pectus ſit, poſſint concutere. Videnda etiam, quæ aduersùs huiuſmodi conniuentes diſputat Clemens Rom. lib. 2. conſtit. capit. 17. quia cum Religioſis agimus, iuuat adducere ſanctum Bernardum qui ſic habet ſermon. 2 de Paſch. [Compaſſionis affectus multis quidem prodeſt, quia animus liberalis, contriſtare quem pro ſe viderit anxium, erubeſcit. Sed quid agimus, quod nonnulli dura ceruice & attrita ſunt fronte, vt quo magis eis compatimur, tanto magis noſtra & compaſſione & patientia abutantur? Nonne ſicut compatiebamur fratri, ita ipſi iuſtitiæ compatiendum eſt, quam videmus tam impudenter abiici, tam imprudenter prouocari? Scio quia ſi qua in nobis eſt charitas, contemptum hunc Dei, ferre æquanimiter non poſſumus. Hic eſt zelus iuſtitiæ quo aduersùs delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti, erga eam quam contemni videmus iuſtitiam Dei.]

Si ſic agitur cum mollibus & ignauis Præfectis religioſæ familiæ, & ſylueſcentis horti religioſi rationem, Deus ab illis exacturus eſt adeò ſeueram; quid fiet eo moderatore, qui (vt aiebat Sanctus Valerius,) cauſam delinquentis adornat; id eſt qui tegit & excuſat, imo tuetur delinquentem [Moyſes (inquit Sanctus Nilus in libello Aſcetico, extra caſtra figens tabernaculum, oſtendit à tumultu bellico quam longiſſimè abeſſe Magiſtrum oportere; & qui ad pacificum & quietum ducit vitæ genus, debere à caſtris cruentis eſſe remotiſſimum.] Quid ergo iis fiet Magiſtris, id eſt cænobij religioſi moderatoribus, qui toti ſunt in rumuſculis bellicis conquirendis, & quà Domi aſſiduis ſermonibus, quà foris per ſcriptiones continuas diſſeminandis? qui bellicrepos non modò impunitos dimittunt, ſed fouent quoque & promouent? qui in ſacri inſtituti obſeruationem intentos, & auerſantes egreſſum iſtum in ſeculum, clam perſequentur, vel etiam apertè per ſpeciem aliorum defectuum; quæ tamen verè & coram Deo ſit non cauſa vt cauſa? Sicut è contrario filios Belial, captatis aliis oſtendiculis tegunt, & iuſtæ inſectationi ac caſtigationi ſubducunt.

An lex indicens amorem vniuerſalem, bello vigente, ſit impoſſibilis.

EIuſmodi vnum aliquando immoderatum moderatorem videre contigit, omni Hectore, & Achille bellicoſiorem, qui limis oculis contuentes apertam Religioſi ſpiritus diſſipationem per cruenta colloquia eorum qui oderunt pacem; repellebat obiectu vmbonis, quem ſuppeditatum aiebat ab homine eiuſdem furfuris; nimirum quod lex ſancta ſit, & mandatum iuſtum & bonum, prohibens ne quis bella & contentiones inter Principes Chriſtianos in colloquium inducat; itémque ne ſit aut ſentiatur propenſio ad partem alterutram factionis quæ eſſet fortaſsè inter Principes aut Dominos Chriſtianos: Sed ſit potiùs quidam vniuerſalis amor qui partes omnes (licet tibi inuicem contrariæ ſint) in Domino noſtro amplectatur. Hæc, inquam mandata, & ſancta & iuſta ſunt (ſic enim Hector ille ex myſtica Theologia Pictauienſi diſſerebat;) ſed ſeruata impoſſibilia hoc tempore, feruentibus bellis & ſciſſa inter ſeculi Reges concordia, quid audio. Num de Caluini ganea quiſpiam, ructat quod didicit à Magiſtro; legem ſanctam eſſe, ſed ſeruata impoſſibilem? quomodò igitur lex eſt, ac non potiùs tyrannicum iuſſum, ſi eſt ſeruatu impoſſibilis. Habent ſic æquè locum illa Sancti Paulini epiſtol. ad Celautiam. [Domino reclamámus, & dicimus nos, vel difficultate vel impoſſibilitate mandatorum premi; Nec ſufficit quod iuſſa non facimus, niſi etiam iubentem, iniuſtum pronunciemus, dum ipſum æquitatis authorem, non modò dura & ardua, ſed etiam impoſſibilia præcepiſſe conquerimur?] Igitur quomodò ſanctus inſtitutor eo prorupit dementiæ, (te quidem Iudice,) vt legem ſeruatu impoſſibilem abs ſe fixam vellet, & ſeruandam præſcriberet? vel ſi ille nondum tunc tranſgreſſus mortalitatem, humani aliquid paſſus eſt, legem ferens ſeruatu impoſſibilem; ſedes Apoſtolica & Capitoli immobile ſaxum, num vacillauit, comprobato inſtituto quo lex ſeruatu impoſſibilis continetur?

Neque hoc dico, (inquis,) eſſe legem illam ſeruatu impoſſibilem ſimpliciter & abſolutè; ſed hoc tempore, propter æſtum bellorum & diſſidia Principum. Vnde non tenentur nunc moderatores, de eius violatione eſſe ſolliciti. Reuiſet aliquando terras, cum bono Deo, optata pax; & tunc temporis, lex ſeruari poterit, excubabúntque in eius accuratã obſeruationem moderatores. Accuratè omnino. Itaque lex lata eſt, quæ cum maximè vrget eius neceſſitas, ſeruari nequit, atque adeò neque debet, quia nemo ad impoſſibile tenetur. Alio (inquis,) tempore, cum effluxerit ſumma legis ſeruandæ neceſſitas, ceſſarintque bella, vigebit legis obligatio, eritque in viridi obſeruantia, iuuante Domino. Hoc eſt dicere, pharmacum fore

viui

vtui cum abierit inualetudo; in morbo autem non poſſe aut debere viuere ... Item cum omnia glaciali frigore vrun tur, non poſſe aut debere eſſe veſtibus locum: cum autem ſolne tur aeri hyems, g a ta vice veris & Fauoni, tum demum opportunum ſore veſtium v ... Quæ hæc ingeniorum emotio? quæ libido tuo Sanctorum inſtitutorum? Siccine in eliectum auertit & euertit Gentiliſmo œſtro percita voluntas; vt non aduertat, quanta ſit iſta ſanctarum legum peruerſio; quanta in ſanctum Legiſlatorem contumelia; in Deum ipſum ſancti inſtituti primarium auctorem, furor? [A te Deus bone humilitatem diſcentes, quaſi manſueta animalia, quieto greſſu te baiulamus ſeſſorem; nequaquam ſub hoc onere laſſitudinem, ſed quietem inuenturi: quia iugum tuum non eſt graue, ſed leue: & lex tua, & teſtimonia iuſtitiæ & præcepta, timor & iudicia, delectabilium in ſe rerum continent ſacramenta. Lex tua docet vitare peccatum, & corripit transgreſſores: & vt lotis mundi ſque pedibus, in via immaculata incedant, omnia præmonſtrat offendicula & inſinuat diuerticula, quibus periculoſi tranſitus euitentur, nihil impoſſibile nihil iubet auſterum, &c. Quod ſi impoſſibilia eſſent præcepta tua; vel tantis difficultatibus onerata; vel voluntas tua ſic abdita, vt non poſſet intelligi; quid à nobis tua expeteret altitudo? Licet inuitus nemo peccet; poſſet tamen ex multis excuſare delictum, niſi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, auctoritate cognoſcibili prouidiſſent: & ſimul ſe complecterentur poſſibilitas & facilitas, ſcientia & poteſtas.] Dedi verba crediti Cypriani ſerm. de baptiſmo. Arnoldum bonæ Vallis Abbatem ferunt verum parentem. Itaque teneatur lex, tunc maximè cum ob temporum difficultates, maxime neceſſaria eſt eius obſeruatio. Infrœnetur Edom, ne intereat, linguarium iniiciatur bellicrepis; nec ſit in ſacro cœtu, nec ſentiatur, animorum propenſio ad partem alterutram factionis & diſſidij flagrantis inter Principes Chriſtianos.

Excludi per antedicta, proprij Principis ſtudium antiqua criminatio.

IMprudens in caſſes incidi. Indui me in pedicas, iſta vrgens, iſta depoſcens. Ergone (dixerit Edom quiſpiam,) & dixit reuera Laurentianus, ab inſubria, ergóne vetas Principis mei ſecundis rebus aſſici? Eidem optimum bellorum ſucceſſum apprecari? Effundi in eius laude ac decora, & ſermonibus de eius geſtis, applaudere? Et vt iſta externa repreſſa oporteat, etiam internam propenſionem vis eradicatam, negans propenſionum ad partem alterutram factionis aut diſſidiorum inter Chriſtianos Principes, eſſe aut ſentiri in Religioſo cœtu debere? Vereor, (vt dixi,) in lubrico; & prope eſt, vt qui pro Religioſi inſtituti puritate, & accurata legum ſanctarum obſeruatione ſatago, maieſtatis violatæ inſtimuler. Sortem Pothonis Abbatis, quam ex epiſtola Adriani Papæ ad Carolum Magnum compertam habeo, mihi item imminere video. Eſt ea epiſtola 72. in Gretſeri collectaneis. Præerat Potho Monaſterio Sancti Vincentij, in quo (vt aſſolet,) cum pleriſque bonis Monachis, permiſtis degebant aliquot diſcoli: quos dum Potho ad officium vrget, ab iiſdem violati Caroli Imperatoris, violati item Franciſci nominis, reus eſt factus. Rodigauſus, (id factioſorum capiti nomen,) ex Presbytero inceſtuoſo Monachus, quod neptem ipſe ſuam ſtupraſſet, attonitus; Criminatus eſt Pothonem; quod ſinita ſexta, cum occiperetur pſalmus 53. pro Caroli incolumitate, ſubitò ſurrexiſſet; nec pſalmum illum, *Deus in nomine tuo, ſaluum me fac*, ei vſui tunc temporis addictum, pſallendo decurrere cum aliis voluiſſet. Idem, Abbati dicam impegit, quod expectaſſet aduersùs Carolum, ſignum videre; quodque cum ſe pro cane habiturum dixiſſet, ſi impune poſſet. Addidit, Pothonem non eſſe bene affectum in gentem Franciſcam, quodque optaſſet tot eſſe ex Francis ſuperſtites, quot ipſe Potho vectare humeris valeret. Tres item Apoſtatæ Monachi, improperabant ei, quod adeuntes Imperatorem reduxiſſet, dato in cuſtodiam, & tetro carceri mancipaſſet. Hi tres, effractis votorum vinculis regrediebantur ad ſeculum, ſed in fuga intercepti, Abbatem ea calumnia onerant. Rem, rogatu Caroli diſcuſſit Adrianus Pontifex. Potho ſuffragantibus bonis omnibus, & dicto ritè ſacramento, falſiloquia diſcuſſit. Sic ſycophantia Pſeudo-Monachorum reuicta, Potho ab Adriano, pronunciatus eſt innocens vitæ, labiſque purus. Et tamen parum abfuit, quin egregius diſciplinæ Monaſticæ aſſertor, per falſos fratres, regularum ob eruationem, & Abbatis Zelum pertæſos, ageretur in foueam. Nimirum nihil eſt in humanis rebus, in quod incurratur periculoſiùs, quàm maieſtas: nec vllus eſt vulneri patentior & calumniæ opportunior aditus, in eos quos Satan exoſos habet, & perditos cuperet. Chriſtus ipſe, ea ex parte malignantium ſpicula excepit. Apoſtoli & Apoſtolici viri propè omnes, audiuere factioſi & Principum hoſtes. Longam ſyllabum ſanctorum quos ea calumnia grauauit, contexuit Debrio part. 2. Moriab. ſect. 8. Agnoſcit enim hoſtis noſter, nihil aſtingi poſſe inuidioſius, nihil quod magè bibulis ac credulis auribus excipiatur inter mortales.

PRON. IV. [illegible] Religioſos

Diſpellitur.

NOn video tamen quid admodùm metuere in hac re debeant, qui non modò violati vllius terreni Principis, (Deo gloria,) mihi conſcius non ſum, ſed officiorum quorum boni pij ac Religioſi ſunt debitores, ſeuerum exactorem agere volo; & verò cum res tulit, egi, ac etiamnum ago. Ament ſanè & diligant, ſubditi quique, etiam Religioſi, Principem ſuum, Gentiſque caput. Quid iuſtius? Benè & optimè illi apprecentur. Quid congruentius rationi? Incruentam pro eo victimam, hoſtiam ſanctam & acceptam, ſæpè ſæpiùs pro eo immolent, quibus fas eſt. Quid dignius? Per ſingulos dies? Quid dies? Per ſingula diurni nocturnique officij penſa; in precationibus præterea litaneuticis; in priuatis obſecrationibus; ſed maximè ſuper diuinam Liturgiam, fiat oratio ad Deum pro eo. Et hoc edocti ſumus. Nam Apoſtolus has præſertim obſecrationes notat, cum commendat obſecrationes fieri pro Regibus & Ducibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Et Sanctus Auguſtinus, Apoſtolum de precatione in ſacro accepit epiſtola 59. ad quæſtion. 5. Sanctus Marcus, propè initio liturgiæ, egregium

PRON.V. *Quæ ad ſuos bellantes adiunctio, licita*

egregium ſuppeditat paradigma precationis pro Rege, quod (vt cætera, ij)ab Apoſtolorum Principe exceperat. In S. Gregorij ſacramen a 10, cum de miſſa communi, nominatim commendandi in ſacro proponuntur Rex & comes; is ipſe qui nunc Gubernator audit. Idem paſſim in aliis diuini ſacrificij antiquis ritibus legitur; vt neſciam quo pacto Petro Bleſenſi ſerm. 46. exciderit, ſcribere, nouam eſſe traditionem, orare pro Rege in ſacro canone. Ego ex formulis quas Pithæus in calce Comitis Theologi hinc inde collegit, cum alibi, tum maximè cum ad hunc gratiæ thronum acceditur, in quo Deus ſe præcipuè exorabilem præbet, orationem piam, nec oſcitabundam, ſed qualem pro ſuo Principe lachrymis perfuſam ſæpiſe in die fundere ſolitum S. Ignatium proditum eſt, cuique, pro gentis ſuæ capite commendo & vehementer commendo. Etiam in ſacro ex formula mortuali pro defunctis, vt oratio pro Rege recitetur (quod facere Religioſum Hyperbaſilicum audio,) ſi per rubricas licet, per me licet.

Quod igitur peruerſæ ſuſpicionis nubilum extimeſcam, ſi quod ſanctè & religioſè conſtitutum eſt à ſancto Fundatore, & ſedis Apoſtolicæ iudicio decretorio firmatum, inconcuſſe retinendum contendo? Nihil de meo protuli. Extant, & menſurna ad minimum repetitione auribus aut oculis recurſant ſacra inſtituta, non atramento ſed ſpiritu Dei exarata, quibus propenſione ad partem alterutram factionis inter Chriſtianos Principes efferueſcentis, interdicitur; & vt neque ſit, neque ſentiatur ea propenſio, diligenter cauetur. Eodémque ſacro Encauſto præſcriptum eſt, vt vniuerſalis amor vigeat, qui partes omnes licet ſibi inuicem contrariæ ſint, in Domino noſtro amplectatur. Iiſdem denique tabulis præſcriptum habetur, abſtinendum eſſe in colloquiis inductione bellorum & contentionum inter Principes Chriſtianos. Recognoſcis verba, Laurentiane. Quid me interrogas? Quid vrges debitum Principi amorem, quem nolo abrogatum? Num ſi ille amandus eſt, partis hoſtilis odium obtrudere eo ipſo licet?

Mittamus tricas. Aut ſeruatu impoſſibilem, atque adeò iniquam & ſpongia inducendam aſſere regulam, quod brutios ſupra memoratos, carneos homines in ſpiritus perniciem factos, non puduit dicere, aut da manus, & arctam illam & anguſtam (quippe non niſi Gentilem & Nationalem Charitatem), diffuſa ad omnes Chriſtianos Principes voluntate & vniuerſali amore commuta. Ora Deum pro ſecundandis Principis tui votis, ſed cum ea temperatione quam materia depoſcit: Ne ſi ex aduerſa item parte, alius, (quod timendum eſt,) pro ſui item Principis rebus ſecundis oret, æquè ac tu intemperatè, locum habeat illud Syracidæ c. 34. *vnus orans, & vnus maledicens; cuius vocem exaudiet Deus?* Ridebat Romanos Ethnicos Ambius l. 4. n. 3. hanc ipſam planè ob cauſam. [Pellendorum (inquit ex eorum ſenſu) hoſtium Dea potens, Pellonia eſt. Quorumnam, niſi moleſtum eſt, edite: Confligunt partes, atque inter ſe cominùs armorum collatione decernunt. Et hæc illi eſt pars, hoſtis; & illa huic, hoſtilis. Quos ergo Pellonia, cum hinc & inde pugnabitur, pellet; aut in gratiam conceſſura eſt, quorum, cum vtrique debeat parti, ſui nominis vires, officiumque præſtare. Quod ſi vtrinque fecerit, id eſt, partibus ſi vtriſque fauorem & ſuffragium commodarit, nominis ſui vim perdet, quod partis vnius impulſione formatum eſt.] Hæc abſurditas, non minùs vrgeri poteſt in re præſenti: deficitque in hac cauſa reſponſum cui depellendo, continenter inſiſtit Ambius: nempe quod Pellonia, eſſet tantùm Romanorum Dea, nec de audienda parte contraria ſi ipſa quoque, Pelloniam interpellaret, deberet eſſe ſollicita. At nemo ita inſaniat vt Deum viuum ac verùm, vni duntaxat parti concertantium aſtringat. Eſt enim omnium planè, communis Deus. Itaque vt Siracidæ monitum reſumam, *Vnus orans & vnus maledicens, quem exaudiet Deus?*

Ora itaque, pro ſecundis Principis tui rebus, Laurentiane, quiſquis es; ſed orat Religioſum à terra & mundo auulſum decet. Ora ſanè pro Principe tuo, eique numen ſecunda; ſed ita ora, vt non idcirco recitatiuè duntaxat pronuncies, aut (cum licet,) tranſilias illum ex Litaneutica formula articulum, *vt Inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris*; timens exaudiri, ſi ita preceris ex animo. Stet autore te ac patrono regula, quantumcunque frendeat Ammon, & Amalec, Edémque alienigena, cum habitantibus Tyrum. Alioqui vana eſt tua Religio vni genti affixa; perinde ac ſi Deus noſter, vnius tantum gentis, & non omnino omnium, Deus eſſet. Inſulsè quidem nonnulli, apud creditum Ambroſium Epiſto. de Monacho Dæmoniaco (veriùs de Monacho putente,) inficiali ſunt poſſe quemquam, in patria, aut etiam in gente ſua, perfectum eſſe, quod ſatis eneruiter refellit idem perſonatus Ambroſius, adducto etiam mendaciter, decenni SS. Geruaſij & Prothaſij inter ſuos Mediolanenſes Monachatu, ante martyrium Sed benè habet, quod neruoſa confutatione opus non fuit, vbi nemo diſſentit ſapientum.

Illud tamen veriſſimè contendebant pauci illi perperam viſi reclamare, quod & patria, & gente, & natione, affectu abſcedendum ſit & fugiendum: Non quod amor ei reuera ſit negandus; ſed quod in tanta ad eum amorem pronitate, præ eius concarnatione & conniſceratione nobiſcum, medium teneri non poſſit, niſi acceſſu ad alterum extremum. Vt qui plantas inflexas ad rectitudinem reducere ſatagunt, retorquent in auerſam partem recentes, donec inſiſtant medio, & rectæ hæreant. Comparatio eſt S. Baſilij in argumento affini epiſto. 41. hoc faciamus, ad hoc connitamur, & in Deum qui (ex S. Paulino Epiſto. 38.) *patria omnium communis eſt*, obuerſi animis, regionem quæ omnium gentium multo magis quàm priſca Roma, communis natio eſt, vbi nulla bella pacem altiſſimam turbabunt, vbi nullum erit à ſolo genitali diſcrimen, vbi omnes vnius moris & coloris & ſermonis erunt, hic exhibeamus. Fauete Superi, annue Deus.

PRONVNCIATVM V.

Quæ Religioſorum ad bellantes adiunctio & ſupercertatio, probanda; cum bello carnali prohibentur ſacris legibus.

IN bello, ſiue defenſiuo ad quod ſat multi ſuppetant bellatores profani, ſiue quomodocunque aggreſſiuo, purè humano; aut etiam cum Dei cauſa coniuncto, ſed quod per alios adminiſtrari, & geri ſufficienter poſſit; Religioſi abiecto carnalis militiæ conſilio, ſuis bellantibus ſupercertari in ſuo genere poſſunt, tractatione armorum Religioſo ſtatui

ſtatui conſentaneorum; quæ de SS. Patrum ſententia, non alia ſunt, quam iacula orationum vndecunque perfectarum, tela ſanctorum operum, lorica iuſtitiæ, & gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei.

Religioſorum cum ſuis ſupercertatio, innoxia non niſi ſpiritualis.

NE Religioſos prorſus arcere ab opera in ſuorum bellis nauanda videar, ad quod plerique, vel affectus in gentem ſuam; vel genius militaris inclinat; ſubiiciendum eſt, quæ ſupercertatio, & ad ſuos bellantes adiunctio, poſſit non dedecere. Religioſos, mundo crucifixos, & à ſeculi, tumultibus ex inſtituto alienos. *Supercertationem* appellaui, adiunctionem ad bellantes; vſurpata voce qua B. Iudas, adiunctionem ad ſanctorum bella expreſſit; *deprecans* (inquit) *ſupercertari ſemel traditæ a ſanctis fidei.* παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις. Eraſmus vertit, *adhortans, vt in fide ſemel tradita, allaboretis ſanctis.* Quod idem eſt; atque, ſuper certamen ſanctorum, adiungere ſuum. Similiter igitur, *ſupercertationem* voco, adiunctionem certaminis Religioſorum, ad certamen bellatorum, quæ licet ſit adiunctio etherogeneorum, (vt ſic dicam); eſt tamen adiunctio certaminum ſimilis formæ & proportionalium; quatenus milite carnali pugnante carnaliter ac corporaliter, Religioſus qui ſpiritualis bellator eſt, compugnat ſpiritualiter.

Eum pugnandi modum, aio ſolum & vnicum, eſſe qui adhiberi à Religioſo poſſit, cum per ſacras leges vetatur pugnare corporaliter, quod ordinarium ferè eſt, iuxta illud S. Cyrilli l. 2. de fide ad Reginas cap. de obedientia Chriſti. [Bellum ſanctorum, non eſt craſſum & corporale, ſed ſubtile ac ſpiritale. Solent enim probatis moribus eſſe, & non carnalia arma mouere, nec cuſpidibus lancearum vel telorum vti.] Non ſolent (inquam) Religioſi, talia arma tractare extra euentum infrequentem neceſſariæ per ipſos defenſionis, aut extraordinarij fructus euenturi, Deo, ex aggreſſione militari per eos ſuſcepta; qua de re plenè ac ſigillatim in ſuperioribus eſt diſputatum. Eorum partes ſunt aliter concertare, & compugnare, valétque quoad eos maximè, quod Zacharias Papa epiſto. 7. de omnibus hominibus Dominicis pronunciauit, gratulans Principibus Francorum, quod Præſules & ſacerdotes, ac Religioſos Abbates, vt condecet, in ſancto habitu & conuerſatione ſacerdotali conſeruarent, vacantes orationibus, inſiſtentes precibus ad implorandam diuinam potentiam, & cælitus victoriam tribuendam aduersùs paganas & infideles nationes, propugnatoribus eorundem Principum. Conuerſa autem ad ipſos homines Dominicos oratione, ſic eos affatur. [Etenim vobis in vera confeſſione & ſimplici corde ad Deum accedentibus, ſicut Moyſes ille amicus Dei orando pugnabat, & Ionathas cum populo Iſrael bella Domini præliando vincebat; Ita & vos agere oportet chariſſimi mihi, vt ſitis adiutores populo veſtro, orando, & bonis actibus inhærendo; declinantes à curis, & negotiis ſecularibus. Scriptum eſt enim, *vacate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et iterum, *accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent.* Principes & ſeculares homines atque bellatores, conuenit curam habere, & ſolicitudinem, contra inimicorum, aſtutiam, & prouinciæ defenſionem. Præſulibus verò, ſacerdotibus atque Dei ſeruis, pertinet ſalutaribus conſiliis atque orationibus vacare; vt vobis orantibus, & illis bellantibus, Deo præſtante, prouincia ſalua perſiſtat, fiatque vobis in ſalutem, laudem, & mercedem perpetuam. Ex hoc quippè præſulatus veſter apparebit in ſanctitate, & Principatus dilecti filij noſtri Pipini approbabitur per ſubiectorum poteſtatem & bonum diſpoſitum.]

PRON. V. Quæ ad ſuos bellantes adiunctio, licita

Id eſt multo potentius & melius diſpoſitum erit regnum, Principe ſic conſeruante vnumquemque in ſuo ordine; & profana per profanos, ſacra per homines Dominicos tractante, quam ſi ſecus fieret; & homines Dei ſecularibus negotiis implicarentur, cuiuſmodi ſuper omnia ſunt, bellica negotia, & curæ militares. Longè plus profectò confert Principibus ſupercertatio hominum Dei per orationes, & acceſſum ad Deum, quàm quæcunque bellica opera; poteritque quilibet eorum cum Nazianzeno orat. 4. exultans in Domino dicere. [Quod tandem armorum apparatus ac machinarum inuentiones, quot virorum myriades & inſtructæ acies, ea proficere potuiſſent, quæ nos precibus ſolis, & Deus voluntate ſua perfecit?]

Excluſi ergo vt plurimùm, compugnatione & ſupercertatione corporea Religioſi, ad ſpiritalem conuertantur neceſſe eſt, ſi ſuis bellantibus compugnare & adiungi fixum habeant: quod ſuppono licere per iuſtitiam belli ab eis initi. Nam ſi liquidò deprehenderent, ſuos bellare iniuſtum bellum & ſiue cupiditate amplificandi terminos imperij, ſiue ſpe prædæ, publicum latrocinium exercere, aut quomodolibet aliter inhoneſto & iniquo bello dare operam; malè & irreligiosè eis ſupercertarentur tantúmque poſſent eis apprecari à Deo bonam mentem, ſiue receſſum à peruerſa voluntate ex qua bellum ſunt adorſi; nec non temperationem aliquam malorum quæ iniuſtè bellum mouentibus rependenda eſt; ne ſcilicet Deus viciſſim pluat ſuper eos bellum ſuum. Religioſus igitur poteſt tantùm ſupercertari, & adiungi ſuis ad bellum, in bello cuius iuſtitiam ex parte cauſæ bellandi, cenſeat, fundatam.

Arma ad hanc Religioſi compugnationem accommodata.

EAm compugnationem vt adhibeat Religioſus in clauſtro hærens, nec in caſtra progrediens, (de cuiuſmodi tantum Religioſo nunc agimus, nam de ſpiritualibus ſacramentorum aut adhortationum ſubſidiis per eos Religioſos qui interſunt caſtris, actum ſufficienter præſuppoſitione tertia;) educenda ſunt ex Chriſtiana hoplotheca, arma potentia Deo, quibus inſtructus, ſupercertari ſuis ac compugnare poſſit ad eorum vtilitatem.

Agit vniuersè de ſpiritualibus armis, Apoſtolus Epheſ. 4. quem locum egregia Ecphraſi illuſtrat ſanctus Cyprianus epiſto. 56. Breuiſſimè eadem arma attingens S. Chryſoſtomus hom. 8 ad populum, ait eſſe temperantiam, ſapientiam, patientiam, contemptum præſentium omnium; quibus & aduerſus hoſtes viſibiles & aduersùs inuiſibiles euadere quiſque poſſit inexpugnabilis. Similia ex monitis S. Euthymij ad Monachos Cyrillus in eius rebus geſtis, ſed iis quia ad omnes æquè Chriſtianos pertinent, in præſentia dimiſſis, attingenda duntaxat erunt nonnulla, tametſi omnibus

PRON. V. *Quæ ad ſuos bellantes adiuuādo facit.*

communia tamen ſpeciali titulo Religioſorum propria, arma ſpiritualia, quibus inſtructi, magnam ſuis carnaliter bellantibus ad quos accedent compugnatores, victoriæ ſpem faciant cum bono Deo.

ORATIO.

RÉcenſetur in primis inter hæc arma oratio, hanc enim eſſe oranti pro arcu æreo, inſinuatum voluit a Dauide pſal. 17. dicente *poſuiſti vt arcum æreum brachia mea*: nempe quæ inter orandum attollo, ſuntque mihi pro arcu non laxato & imbelli, ſed forti atque contento, è quo iacula tranſigentia emittuntur, vnde orationibus iaculatoriis nomen. Celebrauit hunc arcum ſuum Iacob Geneſ. 48. cum Ioſephum extra ſortem fratrum donaret præcipuo quodam munere, quod profeſſus eſt ſe tuliſſe de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo. Hanc Ioſephi partem extra fratres, quam Hebraicus textus, Sichimam faiſſe exprimit; S. Chryſoſtomus homil. 67. in Geneſ. refert ad Sichimæ expugnationem per arma Simeonis & Leui, tributam Iacobo Patri. Verùm abſit, vt quod maligni fecere malignè velimus optimo Patri tributum, quem ſcimus inter aſſignandum Ioſepho hanc præcipuam partem, ſuccenſuiſſe Simeoni ac Leui, ea ipſa ex cauſa; & facti memorem dixiſſe, *Simeon & Leui, vaſa iniquitatis bellantia, maledictus furor eorum quia pertinax.* Sanctus Hieronymus in tradit. ad cap. 48. Geneſ. exiſtimauit, gladium illum & arcum, fuiſſe aut pecuniam, qua Iacob Geneſ. 33. agrum apud Sychimam comparauit,; aut iuſtitiam optimi Patriarchæ, qua Sychimam a Deo promeruit. Aptiſſimè vere ad præſens inſtitutum, Chaldæus pro gladio & arcu, vertit deprecationem & orationem. Sic enim inducit loquentem Iacobum, *quam tuli de manu Amorrhæi, in oratione & deprecatione mea.* Itaque orationes, iaculorum & arcus vice ſunt, vnde ſagittæ potentis acutæ, in corda inimicorum Regis, emittuntur.

Frequentiſſimum eſt ſacris Doctoribus, arcum hunc à Moyſe intentum proponere, cum Ioſue bellum gerente conſequebatur victoria, & quod Moyſes ſublatis manibus, & ſurſum elatis brachiis precaretur. Hieronymum in hanc rem laudat Gratianus c. *ſi quis vult* diſt. 36. ſed is locus reuera eſt Origenis homil. 6. in Leuit. Et ſimilia habet homil. 11. in Exod. Item Ambroſius ſerm. 52. Chryſoſtomus orat. in obſeruantes nouilunia, Gregorius. Nyſſenus orat. de Gregorio Thaumaturgo, libellus ſupplex populi Francici l. 6. c. 285. Petrus Damiani, l. 2. Epiſtola. 9. & opuſc. 12. c. 27. & opuſculo 23. *initio* Zacharias Papa epiſt. 7. quæ eſt ad Pipinum & Epiſcopos Francorum. Fusè Ægydius Viterbienſis orat. 1. ad Concilium Later. ſub Leone 10. Et alios pleroſque adducens Marques l. 1. politici Chriſtiani c. 17. Sapienter verò ex hoc Moſis facto, Michael Comnenus Imperator conſtitutione 11. cui nomen *medicatrici*, orationes piorum, ad Imperij tutelam, & propulſationem hoſtium ab ſe conquiſitas, teſtatur. [Ipſe (inquit) diuinus Moyſes, quando cum Amalech prælium commiſit, ſacerdotibus vtrinque innixus, ſic eum fugauit & vicit. Sicut ille ergo, meum quoque imperium, Antiſtitum ſuſtentaculo indigens, ad aciem aduerſus nouum hunc Amalech, prępoſitum & veluti quandam lucis columnam, nouum hunc Iſraël præcedentem, & eius greſſus dirigentem, preces eorum habere volens, hanc præſentem auream bullam, & omnium Eccleſiarum matri, nouæ Sion Dei, ſapientiæ habitaculo, & iis qui ſunt in omnibus inſulis, & in Oriente, & in Occidente Antiſtitibus donaui, & eorum pro imperio meo preces magis confirmans.]

Nectit quod per Moyſem geſtum, cum facto Balach Regis Moabitarum, Origenes homil. 13. in Num. tractans legationem ab eo miſſam ad Balaamum. Videtur audiuiſſe (inquit,) quia filij Iſraël, ſolent hoſtes vincere oratione, non armis, nec tam ferro quam precibus. Nulla enim Iſraël aduerſus Pharaonem arma commouit; ſed dictum eſt ei, *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*; ſed nec contra Amalechitas quidem, tantum vis armorum, quantum Moyſis valuit oratio. Vt enim eleuaſſet Moyſes manum ad Deum, vincebatur Amalech, remiſſè verò & diſiectè, vinci faciebat Iſraël. Hæc profectò audierat Balaach. Rex Moab ſcriptum eſt enim *audierunt gentes, & iratæ, ſunt, dolores comprehenderunt, habitantes Philiſtiim. Tunc feſtinauerunt Duces Edom & Principes Moabitarum: apprehendit eos tremor.* Vides perueniſſe ad eos, quod in Cantico prædixerat Moyſes, quando tranſierant mare rubrum. Audierat ergo Rex Moab quia hic populus orationibus vincit, & pugnat aduersùs hoſtes, ore non gladio, & ob hoc ſine dubio apud ſemetipſum cogitauit dicens, quoniam quidem orationibus populi huius & precibus nulla poſſunt arma conferri, ideò etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda ſunt arma verborum & orationis, tales quæ ſuperare poſſint orationes iſtorum. Vt autem ſcias tale aliquid cogitaſſe Regem, ex ſcripturæ verbis intellige, quæ ego à Magiſtro quodam qui ex Hebræis crediderat, expoſita didici. Scriptum eſt ergo, *& dixit Moab ad ſeniores Madian. Nunc ablinget* Synagoga hæc, omnes qui in circuitu noſtro ſunt, ſicut ablingit vitulus herbam campi. Cur (inquit) tali vſus eſt exemplo? Aiebat ergo magiſter ille, qui ex Hebræis crediderat, dicens ſicut ablingit vitulus herbam campi; ob hoc ſine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam de campo; & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit ſecat: Ita ergo & populus hic, quaſi, vitulus, ore & labiis pugnant, & arma habet in verbis & precibus. Hæc igitur ſciens Rex ad Balaam ait, vt & ipſe deferat verbis verba contraria, & precibus preces]

Lachrymæ, orationem rigantes.

EX his omnibus manifeſtè comprobatur, dictum veriſſimè eſſe à ſancto Chryſoſtomo homil. 27. in epiſto. ad Hebræos. [Sunt magna arma, preces.] Quia verò lachrymæ orationem quaſi inebriant feracemque reddunt, & vt ait Hildeb. epiſto. 52. inter cæteras ſupplicationes, Principatum ſibi vindicāt impetrandi, ideò plerique Patres, armis Deo potentibus quæ in oratione collocant, adiungunt lachrymas. His adhibitis, Iacob contra Deum ipſum victor euaſit, vt dicitur Geneſ. 32. adhibuiſſe enim lachrymas teſtatur Oſeas c. 12. verbis illis. *In fortitudine ſua directus eſt, cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit & rogauit eum.* Eſſe hæc vera ſacerdotum arma, profitetur ſanctus Ambroſius ſic de ſe ipſo loquens initio orationis contra Auxentium de non tradendis baſilicis. [Dolere potero, potero flere, potero gemere. Aduersùs arma, mili-

tes

tes, Gotthos quoque, lachrymæ mea arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.] Iiſdem armis pugnaſſe atque vieiſſe S. Bernardi ſodales, & pacē optatā exoraſſe, ſic ſcribit autor vitæ S. Bernardi l. 2. *ad finem.* [Non deſiſtebat Amalech ab infeſtatione Iſrael, ſed Moyſes eleuatis in cœlum manibus, potitus eſt victoria; & retrahentibus ſe hoſtibus, Abbas ſanctus ſequeſter ſollicitus, clamantibus ad Deum, & domi plorantibus fratribus, irrupit in tempore iracundiæ facta eſt reconciliatio; & allegationibus diuinis intercurrentibus, detumuere procellæ; & reuerſa eſt inter Regem & Principem, tranquillitatis & pacis deſiderata ſerenitas.]

Huiuſmodi præterea armis, pugnantem pro Heraclio Sergium Conſtantinopolitanum, ſcitè admodùm deſcribit Piſidas ſub finem carminis de mundi opificio: Deſcribit enim illum tacendo clamantem, & largo imbre terram irrorantem, atque oculis pluentem, ac lachrymarum cum impetu ningentem. Mox verò affatus eundem (vt vocat,) paſſionum barbarum carnificem, precatuſque, vt muros vrbis, ſuis orationibus muniret, addit.

Ex ſilicibus ſtrue alta propugnacula,
Chriſto angularis Lapidis in loco ſito.
Adnecte & ipſis vniones inclytos,
Ex lachrymarum fonte, non concha editos.
Ob hos loquere Deo diebus ſingulis :
Nam haud excitatur nocte nobis nubilum,
Corrobora ipſos myſticis haſtilibus
Compinge & ipſis crucigeras imagines ,
Arcúſque, tenſione digitorum exere.
Ipſis volet ſagitta pſalmos concinens
Fundam effice his ex anxiis ſuſpiriis
Ipſis acutas are ſitas fabrica
Rapto igne, ficta mente, ſola forcipe:
Ac ſpiritum effundens, ſacris è follibus ,
Inflecte ceruicem Deo, horum gratia
Et cuncta Perſis ſubdita inclinat pedes
Adiunge pro ipſis crura ſuggeſto tua
A ſtirpe cunctos conterent mox barbaros :
Tua terga curuato, ſolum iuxta infimum,
Et mundus omnis erigetur illicò?

Corripiant ſane huiuſmodi lachrymarum arma & alia iis nexa Religioſi.

Ieiunium orationem vegetans.

INſuper quia ieiunio preces aluntur, (vt ait Tertullianus l. de pœnit. c. 9.) magnuſque omnino orationis & ieiunij nexus eſt, vt tradit S. Bernardus ſerm. 4. de quadrageſima, & Chryſoſto. homil. 71. ad pop. idcircò ieiunium ad certam victoriam, orationi lachrymis rigatæ eſſe adiungendum, admonemur, ex verbis Balach filij Sephor, qui timebat fore ne filij Iſrael ore ſublingerent omnes populos Chananæorum: Ore inquam, id eſt oratione & ieiunio, vt exponit Philippus Abbas l. de ſalute primi hom. c. 21. qui concludit. [Meritò timuit Balach poſſe vinci populum ſuum; Madianitas videlicet, & Moabitas, quomodò victos fuiſſe nouerat Amalechitas. Non enim latebat eum, quia cum egreſſus de deſerto Sin, populus Iſrael, caſtrametaretur in Raphidin, & occurreret ei Amalech; Moyſes habens virgam Dei in manu, aſcendit in verticem collis, & eleuans manus, ſuſtentantibus eas Aaron & Hur, non ceſſauit orare vſque ad occaſum diei, donec (vt ſcriptum eſt,) fugeret Ioſüe Amalech, & populum eius, in ore gladij. Huius autem effectum victori, Balach prudenter intelligens, meritis aſſignabat, non viribus, ori non manibus, orationi & ieiunio, non haſtæ & gladio; memor ei et tenens quod prædicari audierat, quia cum leuaret Moyſes manus in oratione, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, præualebat Amalech. Denique alios populos innumerabiles præ multitudine, licet inſtructos armis, multóque vallatos munimine, nouerat Iſraeli ſuccubuiſſe; cum ille etſi non merito, tamen numero, longè inferior videretur fuiſſe. Tale quid commendare videtur Euangelium: *Hoc genus* (inquiens) *non eiicitur, niſi per orationem & ieiunium.*] Huc ſpectat quod Tertullianus aſſerit & firmat exemplis, cælum aliquando militaſſe pro ieiunantibus. Ita ille l. de ieiunio. Item quod ait Gerſo in Apolog. pro Cartuſienſibus. [Arma Clericorum, ieiunia, planctus, & lachrymæ.]

PROV. V. Qui ad ſuos bellantes adiuuãdos, ieiuna

Virtutum opera, manuum eleuatione, inſinuata.

QVia verò opera bonam, orationem & ieiunium roborant, orationi per ieiunium ſaginatæ, annectenda ſunt opera virtutum, vt ſecurior ſit victoriæ exoratio per orationem. Sententia eſt Petri Damiani l. 7. Epiſto. 13. [Si dicit aliquis, (inquit,) mundus aduerſùm nos fecit, bellum ingruit, & vacare nos ad offerenda Deo munera non permittet; audiat, quia Ioſue Dux Iſrael, in deſerto pugnabat, & Moyſes in monte manibus in cælum extenſis, orabat ſed ſicut ſcriptura perhibet, cum remitteret manus Moyſes, ſuperabat Amalech. Cum verò manus erigeret, corruebat Amalech, & vincebat Iſrael, hinc Propheta dicit, *leuate corda veſtra cum manibus ad Deum.* Cor quippè cum manibus ad Deum liceat, qui dum orationum Deo vota perſoluit, ei quoque, vel ad ornamenta Eccleſiarum, vel ad ſubſidia pauperum, rerum ſuarum dona tranſmittit. Induamus ergo nobis loricam bonorum operum, & iacula non timebimus impiorum. Vnde Salomon in prouerbiis, *ne paueas* (inquit) *repentino terrore irruentes tibi poteſtates impiorum, Dominus enim erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris.* Vnde autem debeamus hanc audaciam mente concipere, præſto ſubiunxit. *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt; ſi vales & ipſe benefac; ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare*, Confidendum eſt ergo, non in ferro, vel armis, ſed in operibus pietatis.]

Eodem modo eleuationem manuum Moyſis orantis, de operibus pietatis ab orante elicitis, interpretatur Origenes homil. 11. in Exodum, his præter cætera. [Moyſes ergo eleuat manus ſuas, & cum eleuaret manus, vincebatur Amalech. Eleuare manus, hoc eſt, opera & actus eleuare ad Deum, & non habere actus deorſum deiectos & humi iacentes, ſed Deo placitos, & ad cælum erectos. Eleuat ergo manus qui theſaurizat in cælum. Vbi enim theſaurus eius ibi eſt oculus eius, ibi & manus eius. Eleuat manus & ille qui dicit, *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Si ergo eleuentur actus noſtri, & non ſint in terra, vincitur Amalech. Sed & Apoſtolus præcipit eleuare ſanctas manus ſine ira & diſceptatione. Et ad quoſdam dicebat, *demiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & rectos greſſus facite pedibus veſtris.* Si ergo ſeruat populus legem, eleuat Moyſes manus, & aduerſarius vincitur; ſi non ſeruat legem inualeſcit Amalech.] Hanc ipſam ob

PRON. V. *Quæ ad ſuos bellantes adiunctio decens.*

cauſam, inſtitutum eſſe vt qui orat ſuſtollat manus, quaſi conteſtans & allegans, pro ſcuto deprecationis opera manuum eſſe, & decalogi decem manuum elatarum digitis ſignati obſeruationem; Notauit S. Auguſtinus in pſal. 62. ad illud *in nomine tuo leuabo manus meas*. Et S. Chryſoſtomus ad illud pſalmi 140. Eleuatio manuum mearum ſacrificium *Veſpertinum*. Et hinc maxime efficitur, vt homo quia rectè diuidit offera, pinguem & adipalem Orationem, iuxta philoſophiam S. Ambroſij l. 2. de Cain c. 6.

Mirum porrò eſſe non debet, quod ab hominibus Dominicis in bellicam ſuorum præliantium victoriam intentis, tale circa bella ſtudium exigamus, cum Nicolaus 1. ad conſul. Bulgar. c. 35. rudi adhuc, & velut in Chriſtianitatis infantia conſtituto Bulgarorum populo, eadem præſcribat. Rogatus enim de variis, qua ineptiis, qua maleficiis, quæ gens bellis innutrita, & rerum noſtrarum planè rudis, adhibebat ad ſpem victoriæ, per bella conſequendæ, reſpondet. [Igitur cum in prælium proficiſci diſponitis, quod ipſi commemoraſtis, agere in Dei nomine, non omittere; id eſt ad Eccleſias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, Miſſarum ſolemniis intereſſe, oblationes offerre, confeſſionem delictorum ſacerdotibus facere, reconciliationem & communionem percipere, carceres aperire, vincula diſſoluere, & ſeruos præcipuè confractos ac debiles atque captiuos libertate donare, ac indigentibus Eleemoſinas erogare; quatenus impleatur quod Apoſtolus admonet dicens, *omne quodcunque facitis Deo in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu*. Nam illa quæ commemoraſtis, id eſt diei & horæ obſeruationes, incantationes, ioca, & iniqua carmina, atque auguria, pompæ, ac operationes diaboli ſunt, quibus (Deo gratias,) iam in baptiſmate abrenunciaſtis; Et hæc cum vetere homine, & actibus eius, quando nouum induiſtis omnino depoſuiſtis.] Quæ addit c. 40. de peruerſa & barbara conſuetudine Bulgarorum, in exercitus luſtratione, & eorum qui malè ab armis inſtructi veniſſent iugulatione, commutanda in ſpiritualem apparatum ſanctorum operum præliis præponendum, faciunt ad hoc inſtitutum, & confirmant quæ præmiſimus.

Perpeſſionum exceptio.

GErmanæ ſunt operationibus piis, perpeſſiones & ſuſtinentiæ, patienter & de Dei charitate exceptæ, quas vt per loricam ſignatas voluerim, commouere inſignes ſpiritales bellatores duo, S. Dominicus Loricatus, & S. Gulielmus; ambo Religioſi de illo ſic ſcribit Petrus Damiani in eius actis c. 8. [Longo iam annorum elabente curriculo, ferrea ad carnem lorica præcinctus infœderabilem pugnam cum iniquis ſpiritibus conſerit; ſemperque paratus ad prælium, non ſolùm corde, ſed & corpore præmunito aduersùs hoſtiles acies, feruidus bellator incedit.] Et inferiùs c. 12. [Rauennæ apud fabriles officinas, noua ferreorum nexuum armamenta confinxit, multiſque ſe vinculis per diuerſa membra ipſe ſibimet iudex ferreus, violenter arctauit. Nam duo dependebant vincula ceruice tenus per humeros altrinſecùs; hinc ad ſexum, illinc vſque ad femur; duos verò in coxalibus circulos, duos ſuſcepit in vlnis, vndique igitur tam multiplici conſtrictione vallatus, ad nos rediit.] De lorica ferrea S. Gulielmi, legendus Theobaldus Epiſcopus, in Sancti viri actis, c. 10. vbi etiam de ferrea galea capiti Sancti viri impoſita, & cilicino tegmine vtrique ſuperiniecto. Si quibus ad eum modum loricatos & galeatos eſſe non placet, in gratiam bellantium, portabiliores ſuſtinentias aſſumat, quarum fructum ſatisfactoriũ transfundat in eos quibus victoriam à Deo captat.

Gladius ſpiritus, cuius ad hanc rem notio duplex.

INter ſpiritualia Chriſtiani militis arma poſtremum locum Apoſtolus tribuit gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Hoc ſi de ſpirituali Religioſorum bello quaſi immanente ſermo eſſet, vel ad lectionem ſacram (cum Bleſenſi Epiſto. 134. diſertè agente de armatura Regularium,) referendum eſſet; vel ad crucem & crucis mortificationem in corpore iugiter portatam. Eſt enim Crux gladius Sanctus ſuper ſerpentem vectem, vt piè admodum docet Macarius Chryſocephalus orat. de cruce, & Sanctus Chryſoſtomus orat. de nomine cœmeterij ac viuifica cruce. Theodorus Studita Catech. 46. *in fine*, alterius gladij meminit; ſi tamen alterius, cum ſit ipſa voluntas bona ex Dei Spiritu formata in enſem acutum. [Quocirca (inquit,) vt irruentes acutus enſis concidit, ad eundem modum & animus Dei timore quaſi quodam fabrefactus igne, & aqua temperatus lachrymarum, Diabolica ſenſa obtruncato, prædæque habeto. Sin accidat obtundi, rurſúmque temperator, cadendis non mille ſolùm, quindecem millibus quoque, vti eſt in Dauidem iactatum.] Sed quia in myſtico Religioſi bello verſamur; quo carnali ſuorum bello ſuffragari velit, alia ſpiritalis gladij notio conquirenda eſt. Et occurrit duplex. Prior de incruento ſacrificio; quod propitiatorium ac impetratorium eſt, iis pro quibus offertur Deo.

Prior de Chriſtiano ſacrificio.

HAud ineptè *gladij ſpiritus* nomine exprimitur, ſacrificium incruentum quod in altari Chriſtiano peragitur, cum Chriſtus ſit in Euchariſtia ad modum ſpiritus; eóque nomine, deſignatur à Chriſto ipſo Ioan. 6. & à Ieremia Threno. 4. ex interpretatione Sancti Bernardi ſerm. de Natiuit. B. Virginis. & ſerm. 48. in Cantica, & Origenis homil. 3. in cantica. Et ſit etiam Chriſtus in eodem Euchariſtiæ myſterio, verus gladius Domini, & ſpiritalis cuiuſque Gedeonis, adumbratus pane illo ſubcinericio euertente caſtra Madian: In cuius viſi interpretatione dictum eſt Iudicum 7. *Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis*. Incruentum ſacrificium ad modum prælij, inſigniter deſcribit Honorius in Gemma animæ lib. 1. à cap. 72. Sanctus Chryſoſtomus homil. ad Neoph. Euchariſtiam videtur habere pro gladio ignito, ex vtraque parte acuto, qualem ex ore procedentem deſcribit Ioannes in Apocalypſi; aut quod non minùs terrificum armaturæ genus eſſet, pro flamma ex ore in hoſtes emiſſa, qualem efflaſſe flammiuomum Barchochebam ferunt. Deſcribit eo loco Sanctus Chryſoſtomus arma Chriſtiana. [Vltra ſplendorem totius auri fulgentis & fortia, adamantis robore fortiora, totius ignis ardorem vincentia, cunctarum pondere leuiora pennarum.] Monſtrat enim hæc arma non quaſſare vel premere, ſed ſubleuare geſtantem.

ſtantem. Præter thoracem verò non ære confectum, non arte compoſitum, ſed iuſtitiæ ſimplicitate præparatum; præter clypeum fidei, agitatque cæleſtem; [Aliam (inquit) mihi Deus, tutelam donauit armorum. Quid illud? Menſam præparauit, cibum ſatietati oſtendi, vt poſt epularum refectionem, inimicum poſſim robuſtius ſuperare. Cum enim te egredientem, poſt conuiuium Dominicum viderit inimicus, poſt cæleſtes epulas; tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & defertur omni vento velocior, nec appropinquare contendit; & cum cruentam linguam tuam, de longe, ille crudelis perſpexerit, mihi crede non ſtabit: Et cum os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuum retrò cum timore torquebit.] Non mirum, ſi Euchariſtiam veluti ſingularem planè præcipuámque armaturam, eximiæ inter ſpirituales Amazones bellatrici, proponebat Gregorius 7. l. 1. Epiſto. 47. Eſt enim Euchariſtia gladius anceps ad effugandos & debellandos inuiſibiles æquè ac viſibiles perdoneus, ſi peritum vibratorem nanciſcatur. Aduerſùs inuiſibiles hoſtes valet plurimum, in ratione ſacramenti. Aduerſus vtroſque, ſimilis eſt in ratione ſacrificij. Itaque, vſurpetur aſſiduè hac ratione, in gratiam eorum, quorum cauſæ timetur. Mirum quantos fructus ex huius ſacrificij oblatione poſſit ad victoriam exiſtere, id quod exempla comprobarunt. Legeſis Baronium anno 955. Victoriam Othonis de Hungaris deſcribentem ex actis S. Vldarici; Et eundem anno 1040. agentem de Caralaci victoria contra Saracenos Meſſanam vrbem cingentes. Præclara item de Saracenis victoria, præmiſſo in eam rem per Leonem 4. Pontificem ſacrificio, exercitúſque per eum cibationi de ſacra menſa, anno 848. adſcripta eſt. Nec niſi hac (vt loquebatur diuina veſte indutos, ſecum militare pa iebantur Conſtantinus vt author eſt Theodoret. 1. Hiſtor. c. 5.

Altera de verbo Domini in hoſtiles copias exſerto.

POſterior ſpiritualis gladij notio, de verbo Dei per Religioſos in ſuorum bellantium gratiam exſerto, ſpectat imprecationem in hoſtiles copias in verbo Domini, qua plerunque pij viri, fregere hoſtes. Hoc gladio ſpiritus, B. Ioannem Capiſtranum ord. Min. Turcis, quibuſcum Chriſtiani bellabant, in verbo Dei maledicentem, inſigni Victoria Chriſtianis exorata, immenſa ſtrage Turcas compleſſe, ſcribit Æneas Syluius in Bohemon. Hiſtor. c. 67. Idem habetur in eius actis à Sedulia concinnatis cap. 50. Hiſtoria Bremenſium Antiſtitum, aliud illuſtre exemplum refert: Et ex ea Gretſerus to. 3. de cruce l. 2. c. 34. Cum enim iuſſu Gregorij 9. ſacer exercitus aduerſus Stadingos Hæreticos eſſet conſcriptus, eique ingens ſeruorum Dei, tam Clericorum quàm Religioſorum numerus comitaretur; vbi ad certamen ventum eſt, & manus conſeri cum hoſte cæptæ, homines Dominici eminus aſtantes, pro lancearum ac telorum vibratione, diras & execrationes in verbo Domini magno ſpiritu intorſerunt: vnde ſecuta clades & profligatio hoſtium, fulmina illa verborum nequaquam ferentium. Quod ſubiicio, ſubminiſtrat Ioánes Sarisber. epiſto. 210. qua ſcribit Alexandrum Papam, Federici Imperatoris malignitate vexatum, poſt longam patientiam; tandem contumacem, & deſperatæ nequitiæ ſchiſmaticum damnaſſe. Sed illud in ea damnatione ſingulare, quod adſcriptis ipſius Sarisberienſis verbis refero. Inhibuit non orne ate Dei, ne vires vllas à modò in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur; aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur in quo Alexander ſecutus eſt exemplum Gregorij 7. decesſoris ſui, qui noſtra ætate, Henricum imperatorem Eccleſiæ priuilegia conuellentem, deponens in Concilio Romano, ſimili ſententia condemnauit. Et quidem illa ſententia effectum ſortita eſt. Deſcribit eum effectum quoad bella Federici deinceps imbellia, idem Sarisber epiſto. 178. & epiſto. 159. Gregorium porrò 7. vt Sarisberienſis affirmabat, ſimili imprecatione in verbo Domini inſectatum eſſe. Federici imperatoris peruicaciam, liquet ex damnatione Henrici, quæ legitur in Concilio 7. Romano ſub eodem Gregorio, in Henrici damnatione per Gregorium; vbi poſt alia hæc quoque leguntur. [Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus, in omni congreſſione belli, nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Idem intentat filiis Raymundi Berengarij niſi conſilientur lib. 6. epiſto. 16.

PRON V. Quæ ad ſin... bellantes adiuncti...

Ea gladij ſpiritus exſertio, non eſt hoc loco, excommunicatio.

HÆc virium deiectio in die belli, facta à Pontificibus prædictis, quoad Henricum & Federicum, non poteſt dici eſſe portio cenſuræ excommunicationis in illos vibratæ per Gregorium & Alexandrum Pontifices Eſt quidem excommunicatio, gladius omni terrenorum Principum gladio ancipiti penetrabilior; Cum non ad animæ tantùm ac corporis, ſed ad animæ quoque, ac ſpiritus diuiſionem pertingat, vt diſſerit Philippus Abbas l. de contin. c. 70. ideirco anteponen. ſacerdotes Dei, Principibus quibuſuis merè temporalibus. Bellè de huius gladij exacuti & limati, præ carnali gladio efficacitate ac potentia, Hildebertus epiſto. 40. poſtulans illum pro ſe educi aduerſus potentiam atque ferociam Rothroci comitis. Eoque gladio aduerſus ferocientem & arma comminantem leonem Iſaurum viſus eſt Gregorius 2. altera ad eum Epiſtola, cum dixit; Nos inermes ac nudi, qui terrenos ac carnales exercitus non habemus, inuocamus Principem exercitus omnis creaturæ, ſedentem in cælis, Chriſtum qui eſt ſuper omnes exercitus ſupernarum virtutum; vt immittat tibi Dæmonem, ſicut ait Apoſtolus, tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit.]

Non eſt tamen (vt dixi) ſubneruatio & deiectio virium de qua agimus, portio excommunicationis, præciſè vt eſt animaduerſio Eccleſiaſtica ſiue cenſura. Hæc enim adæquatè continetur priuationibus ſacramentorum, & ſuffragiorum communium, ac externi cum fidelibus conuictus, hominem relegantibus in *exilium ſpirituum*, vt loquitur Alexander 1. epiſtola 1. ex interpretatione Turriani l. 1. contra Magdeb. c. 22. ad quod poſtremum damnum reuocantur exſolutiones illæ, quas ſuprema poteſtas ſpiritualis, cum ſalus animarum id poſtulat, inferre poteſt. At in nullo horum gladij ſpiritalis vulnerum, cernitur ea de qua agimus ſubneruatio in die belli. Vnde cum plerasque hominum bellatorum excommunicationes legimus, rarò legimus adhibitam talem ſubeneruationem.

PRON. VI. Quæ ſua bella Religioſis, Deo probata.

Eſt tantùm imprecatio, & maledictio.

IGitur ea ſubneruatio nihil aliud eſt, quàm maledictio continens apprecationem iuſti ſupplicij. Nec aliter ſtatuendum eſt de facto Coſmæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui eiectus à Manuele Comneno, & præterius falſque malè habitus, vterum Imperatricis execratus eſt, inhibens ne mares pareret: cuius voluntatem Deus in cælo ratam habuit, ita vt Imperatrix tametſi valens & fœcunda, prolem maſculinam nunquam ediderit; quod Imperator & coniux ſupra modum expetebant pro more mortalium, quibus carere prole maſcula, idem propè eſt quod orbos eſſe, vt habent acta S. Stephani Iunioris *fere initio*. Factum Coſmæ recitat Nicetas Choniates l. 2. de rebus Manuelis Comneni n. 5. Eam porrò iuſti ſupplicij apprecationem poſſe abſque labe intorqueri ſub ratione boni honeſti, vel ſub ratione boni vtilis, vt noxius reſipiſcat, monſtrant exempla ſcripturæ & Eccleſiæ vius, quorum æquitatem exponunt S. Thomas 2. 2. q. 76. artic. 1. Gabriel in 4. d. 18. q. 2. artic. 1. Gretſerus l. de malediction. c. 2. Pineda in c. 8. Eccleſ. verſu 13. à n. 2 & Iobi 22. v. 19. Magalian in c. 5. Iudic. ſect. 2. verſu 23. annot. 18. & Ioannes Sancius diſp. 2. ſelecta n. 6.

Poteſt vibrari à quocunque pio.

TAlem porro maledictionem, cum neque ſit actus ordinis, neque iuriſdictionis, fundere poſſunt cum res fert, & diuinus afflatus impellit non modò Pontifices & Antiſtites, ſed etiam alij. Nam ipſam quoque S. Publiam Monialium Antiſtitam, cum ſuis virginibus in Iulianum Apoſtatam, tali maledictione vſam eſſe, parte pſalmi 113. & initio pſalmi 67. in eum vibrato, refert Molanus l. de Iuram Tyranni c. 2. Poteſt igitur ſine labe aliqua intorqueri ea maledictio. Eſt enim dumtaxat deſiderium efficax iuſtæ contritionis vel confuſionis hoſtium, iuncta ferè petitione ad Deum, vt iuſto illi deſiderio ſatisfactum velit. Ac proinde Religioſi quoque, cum eſt explorata iniuſtitia hoſtium, & circunſtantiæ id ſinunt, poſſunt in verbo Domini ſtringere hunc gladium ſpiritus aduersùs copias cõtra quas bellant ij quibus ſuffragari volũt.

Inſtruantur itaque armis de quibus hactenus Religioſi, & iis inſtructi certent, ac bellent cum ſuis ſibi dicta rati illa Petri Cellenſis l. 3. epiſt. 3. quę eſt ad fratres de monte Dei. [Haſtam aut gladium ad quid petitus? Quem interficere vultis, quem ferire? vbi eſt, vel quis eſt aduerſarius veſter? Nonne vos cõfugiſtis ad tutiſſima loca Engaddi? Nonne Chriſtus eſt vobis petra refugij? Nõne turris fortitudinis? Nonne omnis armatura fortium? Nonne inattingibile propugnaculum? Nonne gladij duo, ſcutum, arcus, & ſagitta? O fortiſſimi milites Chriſti, haſtam protenſam habetis in orationibus cõtinuis, gladium in mortificatione carnis, panem ſanctum in ſpe æternæ glorificationis. Haſta veſtra non eſt auerſa in aduerſitatibus mundi, quia rectos facitis greſſus ad cælum, gladius non declinat in conflictu deſideriorum & impetu ſuggeſtionum, quia ante Dominum eſt charitas, certa ſpe promiſſorum bonorum. In calore namque ſuo perdurat panis, quia charitas non tepeſcit in cordibus veſtris: Non hebetatur acies gladij, quia non defermeſcit rigor diſciplinæ ac ſancti propoſiti; haſta non infringitur, quia oratio veſtra, acumine ſuo cælum penetrans, nullis obſtaculis reuerberatur.]

PRONVNCIATVM VI.

De Pio & vſquequaque probato Religioſorum bello, abſque vlla ad bellum carnale ſecularium comparatione.

EST bellum quoddam ſacrum vſquequaque labis purum & Religioſis congruẽtiſſimum; cum defenſiuum aduersùs ſatanæ impetus, tum aggreſſiuum aduersùs eundem ſuperbiæ Regem, eique ſuccenturiatas mundi & carnis, ſeu peccati copias. Quin etiam in regni cælorum expugnationem, ſancto bello connituntur, vt violenti rapiant illud: & hic pace Dei exuperante omnem ſenſum; pace autem ſuper pacem, in cælo patiantur.

Religioſa vita, militia.

AGnoſcet verè dici, eſſe Religioſis ſua bella, quiſquis recoluerit, religionem aliud reuera non eſſe, quam militiam & exercitum. Trado hoc alibi planè. Nunc illuſtro ex Odone Tuſculano, adducto in Allegoriis Tilmanni ad cap. 32. Geneſ. in illud *caſtra Dei ſunt hæc*, ſic diſſerente. [Si quid agatur in caſtris militantium, conſideremus attentius, inueniemus procul dubio in caſtris noſtris multa ſimilia actitari. In caſtris nihil otioſum, nihil luxurioſum nihil ſuperfluum, nihil inordinatum. Hæc omnia in caſtris ſanctæ congregationis manifeſtum eſt inueniri. Procul ab eis otioſita, de qua dicitur, *inimica eſt otioſitas animæ*; quæ etiam legitur extitiſſe iniquitas Sodomæ & Gomorrhæ. Nihil in eis luxurioſum, quoniam omnibus amica eſt caſtitas, quam etiam profeſſi eſtis. Vnde hæc caſtra? *Caſtra* non immeritò à *caſtrando* dicũtur, in quibus nemo digne militare poteſt, niſi ſeipſum caſtrauerit propter regnum cælorum. Nihil ſuperfluum, quoniam nobis multa neceſſaria deſunt. Nihil inordinatum, quoniam iuxta Apoſtolum, omnia honeſte & ſecũdùm ordinem fiunt in nobis. Hunc ordinem obſeruari in caſtris, quærebat legiſlator cum diceret. *Homo ſecundum ordinem ſuum incedat in caſtris*. omnia quidem fecit Deus in pondere, & numero, & menſura nec aliquid inordinatum reliquit ſuis in cælo, ſiue in mundo. Vnde & beati illi Angelici ſpiritus, *Ordines* appellantur. Solus infernus ſine ordine eſt, *vbi vmbra mortis & nullus ordo*. In caſtris vniuerſalis Eccleſiæ, cuius ordinem ſpiritus ſanctus in Canticis admiratus ait; *Quæ eſt iſta quæ progreditur terribilis vt caſtrorũ acies ordinata?* Et item; *quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorũ?* Non ſunt hęc caſtra Philiſtinorum, ſed filiorum Iſraël. Et ſicut de caſtris præcepit Moyſes, vt hæc ponerentur ad Orientem & hæc ad Occidentem, hæc ad Aquilonem, & hæc ad Meridiem, ſic & noſtra poſſumus ordinare. Sint ergo Nouitij & noviter profeſſi ad Oriẽtem; quibus de nouo incipit oriri ſol iuſtitiæ, in quibus rutilare incipit initium quoddam conuerſationis honeſtæ. Vel ideò ad Orientem; quia ortum ſolis & iuſtitiæ veri Orientis, (de quo dicitur, *vobis timentibus nomen meum, orietur ſol iuſtitia*, Et, *Ecce vir, oriens nomen eius*,) in memoria habent. Affectiones enim nouiter conuerſorum, præcipuè circa Chriſti incarnationem verſantur. Ad Occidentem vbi dies clauditur ſint inferni, quibus

bus iam iamque imminet dies mortis. Ad Aquilonem ſint Conuerſi & Obedientiales. Hi ſunt ſaga Cilicina quæ pluuias & tempeſtates arcent à tabernaculo: ipſi enim impetus mundi & tempeſtates ſuſtinent, vt alij libera mente Deo vacare poſſint. Ad meridiem vbi clarior & feruentior dies, ſint Prælati & Clauſtrales, in quibus amplior fidei calor eſſe debet, qui & præ cæteris maiori cognitione Dei replentur.]

Eſt proinde Religioſis, ſuum bellum.

SI Religio rectè cum caſtris confertur, mirum non erit Religioſos bello addici. Et planè Religioſis bellum ſuum, quod cum fructu & laude gerant, abſque vlla habitudine ad bella terrena. Ita enim conteſtatur Abrahamum Iſidorus. Peluſ. l. 1. Epiſto. 308. Sic illum alloquens. [Salue à nobis Abrahame, animoque attento eſto, ad bellum excubans. Bellum enim & exiſtima & crede eſſe, monaſticæ vitæ ſtudium, grauioribus ac periculoſioribus quàm ſint ij gladij, qui in ſenſum cudunt, ſpiritualibus telis vndique cinctum quæ etiam *ignita* is vocat, qui eorum experimentum probè cognitum & exploratum habebat. S. Bernardus triplici ſermone de pugna ſpirituali, multus eſt in deſcriptione belli Religioſorum, nec nõ Heſychius in centuriis de temperantia. Nam bellum (vt vocat,) intellectuale & ſpirituale de quo agit, ſpectare Religioſos, liquet ex centur. 1. n. 51. Nec minùs perſpicuè id agnoſcit Origenes homil. 25. in Num. vbi agens de ſpoliorũ diſtributione inter eos qui ad bellum proceſſerunt, & alios qui ad ſarcinas hæſerant, ſic ait: [In populo Dei, ſunt quidam ſicut Apoſtolus dicit, qui militant Deo. Illi ſine dubio qui ſe non obligant negotiis ſecularibus. Et iſti ſunt qui procedunt ad bellum, & pugnant aduersùs gentes inimicas, & aduerſus ſpiritales nequitias pro reliquo populo, & pro iis qui infirmiores ſunt, ſiue per ætatem, ſiue per ſexum, ſiue per propoſitum. Pugnant autem iſti orationibus & ieiuniis, iuſtitia & pietate, manſuetudine & caſtitate cunctiſque continentiæ virtutibus, tanquam armis bellicis communiti: & cum regreſſi fuerint ad caſtra victores, fruuntur laboribus eorum, etiam imbelles, & ij qui ad pugnam, vel non vocantur, vel exire non poſſunt.] Similiter Petrus Damiani opuſc. 11. c. 19. in Religioſæ vitæ laudibus, hanc ponit præter cæteras. [ô Cella, ſacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris excercitus, caſtra Dei, Turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis; mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium: Tu campus diuini prælij, ſpiritualis arena certaminis, Angelorum ſpectaculum, palæſtra fortiter dimicantium luctatorum: vbi ſpiritus cum carne congreditur, & fortis ab infirmitate non ſuperatur. Tu vallum in expeditione currentium, tu munitio fortium, tu præſidium cedere neſcientium pugnatorum. Fremat hoſtium circumfuſa barbaries, accedant vinctæ, Phalaricis miſſilia iaculentur, vibrantium gladiatorum ſylua denſeſcat: qui in te ſunt, lorica fidei præmuniti, ſub imperatoris ſui iuncta protectione tripudiant, & de hoſtium ſuorum deiectione, iam certi triumphant. Quibus nimirum dicitur; *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Vel ſi vnus eſt, *noli*, (inquit,) *timere; plures enim* (inquit,) *nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* Nec mirum, Religioſos iam certos de victoria bellare. Pugnant enim de caſtello inexpugnabili & inſtructiſſimo. Caſtellum hoc munitiſſimum de quo pugnent ſerui Dei, muro continentiæ & antemurali patientiæ inſtructum, deſcribit S. Bernardus ſerm. 5. de aſſumpt. Sed non niſi bellum defenſiuum eſt; Aggreſſiuum non decet. PRON. VI. *Quæ ſua bella Religioſis, Deo probata.*

Primum, aduersùs mundum.

TRiplex huiuſmodi prælium Religioſis obeundum, deſcribit Rich. Victorinus ad illud pſalmi 28. *Dominus virtutem populo ſuo dabit*; vbi de fortitudine prorſus ſtupenda militum Chriſti, quorum vnus perſequatur mille, & duo fugent decem millia. [Vt autem (inquit Richardus,) pleniùs agnoſcas, qualem virtutem de Domini ſui dono accipiant, cogita quales aduerſarios habeant, & contra eos quàm viriliter agant, Nonne huius Regis milites ſunt, contra quos ſæuit mundus, inſanit diabolus; ſed confortat eos Rex ſuus, dicens, *viriliter agite, & confortetur cor veſtrum*; *In mundo quidem preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Nonne iſti ſunt contra quos ille qui in maligno poſitus eſt mundus, formidandam illam triplicis cohortis aciem producit, in concupiſcentia oculorum, in concupiſcentia carnis, in ſuperbia vitæ?]

Hoc eſt prælium aduerſus mundum, quem tametſi adoriuntur & vincunt omnes qui nati ſunt ex Deo, vt docetur 1. Ioannis 5. & fusè proſequitur S. Bernardus ſerm. 1. in octaua paſchæ, tamen præcellenti modo vincitur à Religioſis cum eo confligentibus iuſto bello, & tres turmas quas in eo fecere Chaldæi, tribus turmis quas fecit S. Iacob, appoſitè ſuperantibus, vt idem S. Bernardus ratiocinatur.

Secundum, contra regnum peccati.

PRælium ſecundum Religioſorum, his verbis proponit Richardus loco allegato. [Iſti ſunt qui deſtruunt nihilominus regnum peccati, vt non regnet peccatum in mortali corpore eorum. Iſtud eſt bellum ſecundum, multò periculoſius quàm primum bellum, ciuile & pluſquàm ciuile; vbi regnum ſpiritus diuiditur aduerſum ſe ipſum; vbi ſpiritus concupiſcit ad carnem, & caro ad ſpiritum; vbi appetitus carnis rebellant aduersùs decreta rationis.] In hoc prælio, magnam ſtragem imitatione Dauidis eſſe faciendam, omnino benè tradit Origenes homil. 8. in Ioſue *ad finem.* Idipſum quoque, idem Origenes l. 7. contra Celſum, præclarè in hunc modum docet. [Quod ſi quemadmodùm Iuſtus occidat, ſit explicandum, & huius robur ad omnia valeat, dicendum quod qui in matutino, (inquit,) peccatores terræ omnes interficiebãt, vt diſperderẽt de ciuitate Domini, omnes operant iniquitatem; Terram quidem tropicè carnem expreſſit, cuius ſapientia inimicitia eſt apud Deum. Dei verò Ciuitatem, ſuimet animam dixit, in qua templum inerat dei, cum optimè de Deo ſentiret, quod vtique obſtupeſcerent vniuerſi, qui id demum contemplarentur. Simul igitur & ſolis iuſtitiæ affulgentibus radiis, vt ex iis validior redditus, & confirmatus, omnem carnis ſuſtulerat ſapientiam, quæ vtique terræ peccatores præferret, & identidem diceretur, diſperdet omnes iniquitatis operatores, cogitationes videlicet & adinuentiones veritati infenſas. Sic item & iuſti ex hoſtibus & vitiis prudentem capturam, hoc eſt, quos viuos ceperint, omnes deperdent, vt ne infans quidem, id eſt recens obortum aliquod malum, reliquum fiat. Nos è Pſalmo quodam ſic illud accepimus. *Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti*

PRON.VI. *Quæ ſua vel ... Deo probata.*

nobis, beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram. Paruuli enim Babylonis quæ *confuſio* interpretatur, nuper nati, & pullulantes in anima, ſunt cogitatus quidam confuſiores, à vitiis prodeuntes, quos qui ita tenuerit & peruicerit vt diuinæ doctrinæ firmitate ipſorum capita conterat, profecto, petræ illiſerit Babyloniæ paruulos, vt inde beatior demum euadat. Hinc vllo itaque ætatis diſcrimine; & ad vnum omnia quæ vitiorum & nequitiæ ſunt, diſperdenda monuerit Deus.]

Tertium, aduerſus ſpiritualia nequitiæ.

POſtremum Religioſorum prælium, ſeu bellum aggreſſiuum, proponit Richardus loco annotato, contra ſpiritualia nequitiæ. [Subacto autem (inquit) primo & ſecundo prælio, reſtat, adhuc tertium immaniſſimum atque durißimum, contra aërias poteſtates, rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Hi animæ hoſtes omnium crudeliſſimi, contra tyrones Chriſti tanto acrius ſæuiunt, quanto eos in gemina victoria glorioſius triumphaſſe conſpiciunt. Sed abſit vt vel illos, Chriſti milites poſſe præualere, quis credat; quibus eorum Rex iam agmine conſtituto, prælioque deſtituto, per Iacobum, vnum ex magnis eius ducibus, de dubio belli euentu, non dubiam ſententiam mandat; *Reſiſtite* (inquiens,) *Diabolo, & fugiet à vobis.* Vnde eſt quod ille huius Regis magnus Athleta gloriabatur, dicens. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdiſti* hinc eſt, quod ille alius inter Principes populorum, qui congregati ſunt cum Deo Abraham, Princeps electus & præcipuus agoniſta, cum fiducia proteſtatur, dicens *certus ſum quod neque Angelus &c.* Ecce quales triumphatores qui fortiter agentes diripiunt regnum mundi, deſtruunt regnum peccati, diſſipant regnum Diaboli.]

Chriſtus in his bellis exemplar noſtrum, & iugis compugnator.

EXemplar huius militiæ piorum, Chriſtum ipſum, ſtatuit Hesychius Centur. 1. de Temper. n. 1. ſic ſcribens. [Omnium virtutum typus, exemplar humani generis, ac nomen inuocandum pro veteri lapſu, Dominus noſter ac Deus Incarnatus, vt picturam viuā propoſuit nobis ſuam quam in carne traduxit, vitam; omni virtutum genere ſplendentē. Præter illa vero bona quæ nobis exhibuit poſt baptiſmum ſuſceptum rediēs in deſertum, cum ieiunaſſet, pugnam intellectualem cæpit inire cum Diabolo; illum vt purum hominem aggrediente. Et ex vincendi ratione, etiam nos inutiles ſeruos docuit Dominus, quo pacto confligendum ſit cum ſpiritibus nequitiæ.]

An verò caſtè ſatis & ſecurè locutus ſum, qui non niſi exemplar aduerſus Satanam pugnandi propoſuerim Chriſtum, cum dicere debuerim, ipſummet pugnare & cōfligere in nobis. Optime id agnoſcit Petrus Cellenſis æſtimata infirmitate & imperitia, noſtra, præ ſatanæ artibus & fortitudine. Sic igitur ille in hanc rem diſſerit cum fratribus de monte Dei l. 2. epiſt. 3. [ô bellum grande & graue, in ſtationibus diſſimile, inviribus inæquale, in armis incomparabile. O rector & moderator omnium, quam niſi à te fieret, ridiculoſa pugna vermis & gigantis, hominis & Dæmonis, animalis terreni & aërij, velociſſimi & tardiſſimi, ſtultiſſimi & callidiſſimi, antiqui & moderni, mortalis & immortalis? Stat ille in ſuperioribus, iacet iſte in inferioribus: pennas ille habet, iſte nec pedes: videt ille quem perſequitur, iſte tentit nec attendit a quo tam crudeli et verberetur. Mole carnis mole tatur iſte, bonitate creationis ex creatione ſua, libero volu q olibet deuoluitur. ille vtitur hoſtis mundo iſto vt decipiat, vtitur homine aduerſus hominem vt occidat, vti ut eodē aduerſus eundem vt ab obeat. Senſibus ſuis tanquam proprijs armis triumphat & ſtrangulat captiuum, cum ſpiritus in ſeruitutem non redigit mortale corpus ſuum. O peſſis iniqua! ô ſors hominum miſera! Non eſt tibi in te virtus. Non in arcu virtutis tuæ, neque in haſta liberi arbitrij tui ſaluat Dominus. Sic colliſa inter ſcopulos, ſic contracta inter populos, habes tamen prælium cum filiis Enachim, quibus comparata videris quaſi locuſta: habes capitale duellum cum Principibus tenebrarū] Quid verò verò mirum audere duellare cum ſatana, concertante & compugnante Chriſto! Non eſt hæc pugna noſtra ſed Domini. Quod non tantum de Martyribus ſanguinem ſuum pro Chriſto fundentibus valet; (nam eorum pugnam) eſſe Chriſti pugnam, plene prosequitur Rupertus. l. 6. de victor. verbi Dei c. 24. & l. 1. in Dan. c. 7. & Petrus Dam. ſerm. 19. ſæpeque Lucifer Calaritanus l. quod mor. ſit pro Dei filio & alibi): ſed valet etiam pro viuis Martyribus, quod eſt veterum Religioſorum nomē Caſſianum & Theodorū Studitam. Pugnat inquam, in his quoque, Chriſtus, deſcendens cum illis in arenam: vnde mirum non eſt, ſpem fieri victoriæ, de tam arduo, potenti, peritoque hoſte, quia maior eſt qui in nobis militat, quam qui eſt ex aduerſo.

Omnibus fidelibus id officij præſtat, ſed Religioſis maximè.

AD hanc ſub Chriſto duce militiam, inuitabat ſeculi militem S. Paulinus epiſto. 39. (male inter Hieronymianas locata: 9.) contentione facta vtriuſque militiæ, & quanto iſta ſpiritalis ac interna corporalem & externā ſuperet, egregie demonſtrans. Id quod etiam præſtat creditus Aug. l. de ſalutar. docum. c. 20. & ex recentioribus Ludouicus fidelis, iuſto opere de militia ſpiritali. Nitet vſquequaq; hoc bellum, nec ob illud initū ac ſtrenuè geſtum, & multam factam ſtragem hoſtium, vllatenus eſt timenda Religioſo, vel peccati macula, vel reatus inhabilitatis canonicæ, aut pœnæ Eccleſiaſticæ cuiuſcunque: quin potius expectandum benè nauanti operam in his prælijs, regnum non terræ & temporis, ſed æternitatis & cæli, vt S. Paulinus loco allegato concludit. En quæ bella omni tempore, ac etiam in altiſſima ſeculi pace, gerāt laudabiliter Religioſi, autore Chriſto, qui hanc ob cauſam ad nos delapſus eſt, non vt pacem mitteret: ſed gladium, de quo etiam illud prænunciatum erat *noua bella elegit Dominus.* Concinne in eam rem Clemens Alexand. in protrep. *ſub finem.* [Terrifica quidem tuba Claſſicum canens, congregauit milites, & bellum denunciauit Chriſtus autem qui pacificum modum in fines terræ inſpirauit, non congregabit ſuos milites pacificos? collegit quidem ô homo, ſanguine & verbo, incruentum exercitum, & regnum cælorum eis tradidit. Tuba eſt Chriſti, eius Euangelium. Is quidem tuba cecinit, nos autem audiuimus, armemur pacificè, induentes thoracem iuſtitiæ, & fidei clypeum aſſumentes, galeā ſalutaris imponentes, & acuamus gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Ita nos Apoſtolus ordinat pacificè. Hæc ſunt arma noſtra invulnerabilia. His armati confligemus inſtructa acie aduerſus malum

malum, ignita mali iacula extinguamus aquei, à verbo tinctis cuſpidibus; beneficia remunerantes, gratiis, benedictionibus, & Deum verbo diuino honorantes.]

Dicuntur iſta quidem vtcunque de omnibus Chriſtianis; omnes quippè milites ſunt à Chriſto conſcripti, iuxta illud Tertulliani l. de exhort. ad caſtit. c. 12 [Et nos milites ſumus, eò maioris diſciplinæ, quo & tanti imperatoris.] Benè in eandem ſententiam Chryſoſtomus homil. 22. in ad Epheſ. *in morali*, & Chryſologus ſerm. 171. Sed pulchrè omnino Ferrandus in præfatione Paræneſeos ad Rheginum Ducem, *ipſo initio*, milites dei, etiam ſub habitu militiæ ſecularis latentes deſcribens. Reges ipſos ſeculi cum ad bella pruriunt, ad ſic bellandum hortatur Gregorius Turon. l. 5. hiſtor. Franc. c. 1. Præcipuo tamen iure Religioſi, à Chriſto inuitati ſunt ad militiam, interuentu tubæ Euangelicæ; Et de eis propriè valet iuxta S. Gregorij interpretationem l. 4. moral. c. 24. quod parati ſint ſuſcitare Leuiathan, hoc eſt per rebellionem aduerſus ſatanam, cuius tyrannide maxima mortalium pars grauatur, eius in ſe iras ſuſcitauerint, & prælia commouerint, aduersùs quæ aliis præliis decertante iuris ſit agendum. Quare S. Baſilius in præfatione ad Aſcetica, aſſumens, Religioſum ex ſui inſtituti ratione eſſe Chriſti militem, tanquã id in ſeculares non caderet; vniuerſam Religioſæ vitæ perfectionem, ad militaria munia reuocat. Adſcribo diſputationis grauiſſimæ partem [Adeſdum tu, (inquit, alloquens Monachum,) ac ſi militaria præcepta proponerentur. Tu quiſquis candidatus cæleſtis gloriæ, ampliſſimum expetis honorem, animum huc aduerte; Tu inquam, cui in animo eſt, Chriſto vt comes aſſideas indiuiduus, audi illam Regis tui eximiam vocem, *ſi quis mihi miniſtrauerit, me ſequatur: & vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus.* Vbi Ergo Chriſtus eſt Rex? In cœlo, ſine dubio. Huc itus tibi ò Chriſti miles, dirigendus eſt curſus. Obliuiſcere quidquid hic in terris refectionis haberi poteſt. Miles non domos ædificat, non comparandis agrorum poſſeſſionibus vacat, non variis ſe quæſtuoſarum mercaturarum generibus immiſcet. *Nemo militans implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat, qui ſe probauit.* Alimenta miles habeat à Rege. Nihil eſt quod in his ſibi ipſe exquirendis ſe occupet. Vbique ipſi omnium qui in ditione Regis ſunt, ex Regis edicto domus patent. Nihil eſt quamobrem in extruendis ædificiis, labores vllos ipſe ſuſcipiat: in plateis tabernaculum ſibi ponit, cibum ſola neceſſitate metitur: potio, aqua, ſomni quantum natura requirit: itinera frequentia, itemque vigiliæ, æris ad frigora, caloreſque tolerandos patientia; periculoſorum cum aduerſariis certaminum crebra ſuſceptio, & in iis ſæpe numero, (Si ita fors ferat,) mors: glorioſa tamen, & quæ regiis & honoribus & muneribus decorentur. Vita in bello laborioſa, eadem tamen illuſtris in pace. Et vbi eam quis luculenter præclaris rebus gerendis traduxerit, virtutis illi præmia, honoréſque præſto ſunt: prouinciæ alicui præfici, inter Regis amicos numerari, Regi cominus aſſiſtere, ad Regis menſam adhiberi (Regiæ dextræ fieri cõpotem, perque illius manum eo honeſtari, Regis latus claudere, eorum qui in Regis imperio ſunt populorum patrocinia ſuſcipere, pro hoſpitibus ſuis atque amicis quibuſcunque voluerit, apud Regem deprecari. Age igitur Chriſti miles, qui iam tenuia quædam ex rebus humanis exempla inſpexeris, ſubeat animum tuum ſempiternorum bonorum cogitatio, propoſitum tibi vitæ genus ſit, domo, Ciuitatéque,

Theoph. Rayn. Aſcetica.

ac poſſeſſione rerum omnium carens: ſolutus ergo, atque ab omnibus vitæ huius curis liber. Non te vlla impediat, illigetur de coniuge cupiditas, non de filiis ſollicitudo, quando alienum hoc eſt penitùs à cæleſtis militiæ diſciplina. Siqui enim *arma militiæ noſtræ, non carnalia ſunt, ſed potentia Deo.*] Armaturam Religioſorum ad hoc bellum expoſuit S. Ephrem, libro integro de armatura ſpirituali.

PROV. VI. [illegible] Deo [illegible]

Bellum Religioſi auſpicatiſſimum, ad expugnationem regni cælorum.

ATtigi bella Religioſorum cum ſatana, eique fœderatis & ſuccenturiatis copiis, mundi, & peccati in ipſomet homine habitantis. Manet verò inſuper aliud aggreſſiuum eorum bellum (quis credat) ad expugnationẽ regni cœlorum. Quia omnem huius belli ſeriem, eximie expreſſit Richardus Victorinus in pſal. 28. iuuat eum audire, longiuſcule quidem, ſed pro argumenti magnitudine, parcè & breuiter diſſerentem. Retulerat Iacobi & Pauli, magnorum (vt vocat,) Chriſti Ducum & Principum electorum inter Principes populorum, fortia facta militaria, ad quæ cæteri Chriſti bellatores, meritò exigant ſua. Tum ſubdit: Ecce quales triumphatores, qui fortiter agentes deſpiciunt, regnum mundi, deſtruunt regnum peccati, diſſipant regnum Diaboli, ſed nec hoc eis ſufficit, niſi inuadant regnum cæli, Ab iſtius modi ſiquidem bellatoribus violentis, & triumphatoribus glorioſis, regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Puto quia hic, eſt eis opus fortitudine magna, mirabilique virtute, antequã irrumpant firmiſſimum illud habitaculum, quod operatus es Domine, Sanctuarium tuum, quod firmauerunt manus tuæ. Eſt enim firmamentum in ſummis montium, & montes in circuitu eius, nec niſi duabus tantùm viis, vna hinc, & altera inde, adiri poteſt. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. Eſt autem vtraque via, admodum arcta. Si quidem arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui ingrediuntur per eam. Multum tamen eſt inter iſtam & aliam. Eſt enim via veritatis, non ſolùm arcta. Verùm etiam multùm ardua: illa autem planior, ſed multò prolixior, & quæ vix toto vitæ termino conficitur; in quibuſdam autem nec ante mundi finem finitur; Ita denique eſt fortium, illa autem infirmorum: iſtam aſcendunt viri duntaxat ad bella doctiſſimi; illam non aſcendunt niſi pauperes, infirmi, & mendici; iſti ad vim faciendam; illi ad Eleemoſinam petendam. Hæc non admittit niſi illos tantùm, qui iam profecerunt in virum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti; illa recipit pauperes, & debiles, cæcos, & claudos, vulgúſque promiſcuum, eorum duntaxat qui faciunt ſibi amicos de mammone iniquitatis; vt recipiantur in æterna tabernacula, vt pote miſericordiæ viam tenentes. Sunt beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. At illa terribilis caſtrorum acies ordinata, virorum fortium, & eorum qui poſſunt ad bella procedere, viam veritatis eligentes, vt potè vim facturi, arctam illam & arduam viam, quæ ducit ad vitam, cum alacritate apprehendunt, & cum ſumma feſtinatione, per ſemitam mandatorum, de valle lachrymarum aſcendunt de virtute in virtutem, quæ retrò ſunt obliti, & in interiora extenſi, ſatagunt ſemper magis magiſque ſapere quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram; Donec vix cum multo labore tandem aliquando apprehendãt montis verticem, perueniant vſque ad

PRON VI. *Quæ ſunt el la Religioſis, Deo probata.*

ciuitatem munitam. Collecta itaque omni multitudine in ſummis montium, & ſecundum caſtrorum diſciplinam acie ordinata, mirabiliter in montibus æternis, cingunt vrbem, & inchoant obſidionem. Et in primo quidem congreſſu, Ciuium conſtantiam, telorum iactu emollire nituntur. Aſſiſtunt hinc Sagittarij, illinc fundibularij. Iaciuntur, itaque ab aliis ſuſpiriorum ſagittæ ab imo cordis euulſæ, ab aliis ignetæ orationum tædæ accenſæ. Volant vndique ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Hinc iſti in funda & lapide, illinc in ſplendore fulgurãtis haſtæ ſuæ dant crebros ictus in gemitibus inenarrabilibus, vniuerſis rugientibus à gemitu cordis ſui. Nec dubium, in tam acri certamine, in tanto talium telorum imbre, quin cœleſtes illæ Angelicarum virtutum phalanges, crebra ſuſcipiant miſerationum vulnera; tantùm vt ſauciatorum caterua, neceſſitate vigente clamare cogatur, *Vulnerata charitate ego ſum*; Vt potè pietatis affectibus medullitus confoſſa & paſſim perforata. Eriguntur præterea machinæ meditationum ſpeculationum, contemplationũm. Patent iam vrbis interiora. Ab alta ſi quidem illa contemplationis machina, facilè conſpiciuntur, quæ intrinſecùs ſunt, vel geruntur. Applicatis denique ad murum machinis, & electorum ex omnibus bellatorum fortium ordinibus intus diſpoſitis, aggrediuntur cominus propugnatores ciuitatis. Sed ne ſpiculis ex aduerſo venientibus, aliqua errorum vulnera ſuſcipiant, induti lorica fidei, proteguntur galea ſpei, tenentes in manibus gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. His igitur, è machinis, illis, è propugnaculis, fortiter dimicantibus, viciſſim feriunt & feriuntur, vtrinque vulnerant & vulnerantur; his compunctionis, illis pietatis vulnera ſuſcipientibus. His itaque in hunc modum certantibus alij ad torquendos lapides, baliſtas erigunt, & de ſcripturarum canone, ratas, irrefragabilis auctoritatis ſententias eruunt. Feruntur itaque in muros, ingentes ſaxorum moles, lapides lapidibus illiduntur, vt ex crebra ſcripturarum collatione, ſecretioris ſcientiæ ſecreta pateſcant. Sed nec iſta ſufficiunt. Admouetur præterea ad murum aries, & intercurrente directa ratiocinatione, validæ argumentationis ictibus murorum firmitas tandem diſſoluitur, & crebreſcentibus circumquaque reuelationum riuis, vrbis interiora pateſiunt. Tandem aliquando mœnia vrbis, vario machinamentorum impulſu deiiciuntur, & illa alta profunditas, & profunda altitudo myſteriorum diuinorum penetratur, & murus ille ſeſſis & altus in figuris, & Ænigmatibus conſtructus, dirumpitur. Rupto itaque muro, vndique ruunt fortes & perſeuerantes ſcrutinio, Penetrant vſque ad interiora auſtri. His & aliis duntaxat qui in eis audaciores ſunt, irrumpentibus penetralia diuini palatij, vbi & audiunt arcana illa verba quæ non licet homini loqui, diuiduntur cœteri per vicos, & plateas ciuitatis perſcrutantes omnia, penetrantes abdita quæque locorum, & ædium ſecretiora, nihil intactum prætereuntes, nihil indiſcuſſum relinquentes. Intrant tandem (nullo obſtante;) in æterna gazophylacia cœleſtium theſaurorum, in quibus abſcondita iacet altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Rapit itaque quiſque quod poteſt. Ab alio ſermo ſapientiæ, ab alio ſermo vendicatur. Huic cedit diſcretio ſpirituum, illi genera linguarum. In hunc itaque modum, illæ gazæ ſpiritualium Charismatum, ab aliis & aliis varia ſorte diripiuntur, vt conſtet quod veritas atteſtatur, quia *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Direpto itaque cœleſti theſauro à virtutum prædonibus, omnes onerati ſpoliis & onuſti præda, cum alacritate redeunt; & per aliam viam reuertuntur in regionem ſuam. Qui enim per ſemitam veritatis, per miſericordiæ tramitem deſcendunt; vt ſint vniuerſæ viæ eorum miſericordia & veritas. Quod enim aſcenderant, erat fortitudinis; quod deſcendunt, opus eſt pietatis. Si quidem quod mente excedunt, Deo; quod ſobrij ſunt, nobis. Etenim nobis infirmis condeſcendunt. Amor Dei eos rapit ſurſum, amor proximi retrahit eos deorſum. Propter Deum itaque eſt, quod aſcendunt vſque ad cælos; & deſcendunt vſque ad abyſſum, propter proximum ad viſitandum eos, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, educere in manu potenti & brachio excelſo vinctos in mendicitate & ferro. Venientes itaque veniunt cum exultatione, portantes prædam in humeris ſuis, gaudentque vehementer ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda. Sunt illa ſpolia, quæ Beniamin lupus rapax, mane quidem rapit, ſed veſperè diuidit. Sic & iſti violenti prædones, regni cæleſtis direptores, ad hoc nimirum deſcendunt, vt ſecundum exemplum Beniamin, eis qui non poſſunt ad bella procedere; bellorum ſuorum ſpolia diuidant: & ſecundùm quod Dauid noſter conſtituit, æqua portio ſit procedentium ad bella, & remanentium ad Sarcinas; eorum duntaxat qui fraterna ſollicitudine, non propria cupiditate, occupãtur circa ſecularium rerum curas. Ecce quanta faciunt, ecce quam fortes ſiunt, qui de munere Dei, Donum fortitudinis accipiunt; qui cum Propheta pſallere poſſunt; *Fortitudo mea, & laus mea Deus.*]

Sic de expugnato & direpto cælorum regno per Chriſti milites, Religioſis cœtibus adſcriptos, (nam de his agit toto illo commentario,) Richardus: qui ſubdit de ſpoliorum diuiſione, per eoſdem ex tam opulenta direptione ditatos, cum iis qui remanſerunt ad Sarcinas, & ideò non potuerunt in pugnam procedere, (hoc eſt, qui occupantur circa ſecularium rerum curas) quos manubiorum, ac prædæ participes faciunt. Addit & de multiplici pace, qua Dominus qui virtutem militibus ſuis dedit, benedicit iiſdem in pace. Ad hoc ſiquidem dat ſuis Deus virtutem, vt fortiter agendo, pertingant ad pacem. Et verò omnium bellorum, etiam humanorum & corporalium finis, non eſt alius quam pax, vt D. Auguſtinus diſſerit l. 19. Ciuit. c. 12.

Pax multiplex Religioſi, inter bella prædicta.

EST ſanè ſeruis Dei, militibus Chriſti, pax in terra. Nam fructus iuſtitiæ pax. Vbi autem plenior, & excultior Iuſtitia, quam apud illos, qui toti ſunt in reddendo cuique ſuum, Deo, proximis, ſibimetipſis! Habent cum Deo pacem, quia ad omnes eius nutus formantur, iuxta illud prouerb. 13. *qui timet Deum, in pace verſabitur.* Nec aliud voluit Pſaltes cum pſalmo 50. dixit declinandum eſſe à malo, & faciendum bonum; idquè eſſe pacem inquirere, eamque perſequi, hoc eſt toto mentis ardore conſectari, vt interpretatur D. Hieronymus Epiſto. ad Ruſticum de forma vitæ Monaſticæ. Qui verò reſiſtunt Deo, non facientes bonum, nec declinantes à malo, pace deſtituuntur, iuxta illud Iobi; *Quis reſtitit Deo, & pacem habuit?* Nam eo ipſo quod à Deo abiungitur, pace omnem ſenſum exuperante caret, quæ eſt pax Dei, ſiue pax cum Deo.

Memores

Memores item dicti Apoſtolici, *pacem habete inter vos*, omni ſtudio connituntur pij quique Religioſi, vt pacem cum omnibus proximis habeant, etiam cum iis qui oderunt pacem, ſed maximè cum iis quos arctiore contingunt neceſſitudine, per Religioſæ vitæ ſocietatem. Abſit enim vt in omnes cadat reprehenſio qua Thomas Cantiprat. l. 1. Apum c. 21. n. 3. inpetit aliquos clauſtrales, qui vt ait, aſſerere Iuſtitiam gladiis volunt, & armis bellicis ad inuicem exercentur. Tales illi, non pacis ſed iræ filij apud Theodorum Studitam Catech. 46. quorum vnus adhuc Laicus, nec niſi obedientiæ candidatus, (hic enim tyronem nuncupat S. Theodorus,) inuolauit in monachum, à quo viciſſim fuſte illiſa, malè habitus eſt. Tales illi quoque apud Arnulphum Lexouienſem Epiſt. 58. infruniti & exleges Monachi, mutuis depugnationibus, ac etiam cædibus infames. Monſtra ſcelerum ſunt iſta, quæ ab omni concilio iuſtorum, & pia quacunque congregatione exulare indubium eſt. Sed è contrario vigere inibi pacem ſummam, qualis decet eiuſdem ſacri vteri ſobolem, imo bis fratres, & ex eadem perplexi vulua myſterij (vt dixit Bracharius), & eodem inſtituto genitos: quos ſi pace careant, meritò fodicare liceat illo Iſidori Peluſiot. ſtimulo ad duos germanos concertantes l. 1. epiſto. 171. [Quid naturam abiuratis, aut vocationem ignoratis: Nam illa ex vno eodemque ventre vos protulit; hæc autem per vnam & eandem ſpem vos regenerauit. Quamobrem aut prior natiuitas vos pudore quodam commoueat, aut poſterior metu afficiat atque ad concordiam, ſiue, naturæ ſiue vocationis fœdus ſancite.] Quod Iſidorus de duplici germanorum Chriſtianorum natiuitate, dicit, altera ex carnalis matris vtero, altera ex vtero Eccleſiæ: poſſumus multo pleniore iure pronunciare, de duplici ſupernaturali natiuitate Religioſis omnibus eiuſdem cœtus communi: altera ex Eccleſiæ genitalibus vndis, altera ex Religionis vtero, in qua deteſtandum eſt, diſrupta pace Domini, audiri voces illas huc aptatas à S. Bernardo ſerm. 29. in cant. *filij matris meæ, pugnauerunt contra me.*

Habet denique probatus quilibet Religioſus pacem ſecum, quæ ſita eſt in eo quod ſibi conſtet & congruat, vt egregie proſequitur Ambroſius in inſtit. virg. c. 2. monſtrans tunc in vno homine bellum geri & eſſe diſſidium; cum lex mentis repugnat legi corporis; Tunc autem vigere pacem, cum caro ſubdi in animæ velut Imperatrici Et tunc, (ait) ex Chriſti oraculo duos conuenire ſuper terram, exorat nos quidquid petierint Tunc iſta iuxta Apoſtolum, duos condi in vno homine per Chriſtum facientem pacem, & reconciliantem vtroſque in vno corpore, Deo: interfectis inimicitiis in ſemetipſo per crucem, vt in vtriſque acceſſum habeamus in vno ſpiritu ad patrem, vt habetur Epheſ. 2. Sicque Deus pacis ſanctificat nos per omnia. Hæc eſt pax in idipſum, de qua inſigniter S. Chryſoſto. in pſal. 4. ad verſ. penultimum. Benè item de hac pace S. Baſilius in pſalmum 28. *in ipſo fine.* Videndus de hac multiplici pace Cantiprat. l. 2. Apum c. 14. PRON VI. *Quæ ſit a bellis libera ſit, Deo probata.*

Verùm pax iſta ſeruorum Dei, (de qua hactenus,) qualiſcunque eſt vix ac ne vix quidem eſt pax, præ pace alia quam dabit Dominus, ſoluens ſuos militari ſacramento in viæ meta. Nullibi ſiquidem hic in terris plenam, puram, & bellis planè impermiſtam pacem reperiri, docet egregiè D. Auguſtinus ad illud pſal. 147. *qui poſuit fines tuos, pacem.* Vel ſi illuſtrum illud mentis quod in pignus æternæ pacis hic tribuitur omnibus iuſtis, maximè piis Religioſis, donare *pacis* nomine placet, ne in ſcripturas, pacem hic aliquam agnoſcentes incurrere videamur; agnoſcamus collaturum poſt hanc vitam ſuis militibus Deum, pacem ſuper pacem. Inde Hieruſalem cælica, viſio pacis dicitur, & ipſa eſt de qua Deus per Iſaiam cap. 66. ſpopondit, *declinabo ſuper Hieruſalem, ſicut flumen, pacem*, luculenter de hac cœleſti pace diſſerit Guibertus Tornacenſis tract. de pace. cap. 4. & 19. vbi cum fusè monſtraſſet, nullam hic nobis inter ingentes dimicationes, & continua prælia tam multiplicia, pacem eſſe; ſubdit in capitis calce, legitimè hic certantibus, reddendam denique fore pacem pectoris, & tandem pacem æternitatis, quæ eſt pax ſuper pacem, ſicut Sabbatum ex Sabbatho.

Chriſto, militiæ noſtræ Imperatori, Decus & Victoria.

SYNOPSIS OPELLÆ.

PROPOSITVM.

Præſuppoſitio fundamentaria 1. Eccleſia pacis ſemper ſtudioſiſſima, Miniſtrorum pacis filiorum, amica.

Præſuppoſ. II. Eccleſia humani ſanguinis effuſionem, per homines Dominicos quoquomodo cauſatã, exactiſſimè auerſata.

Præſuppoſ. III. De bellorum, ac religioſorum hominum, opereque per eos in bellis præſtandæ, varietate.

Diſcuſſio cauſæ Religioſorum bella gerentium.

Pronunciatum I. De bello defenſiuo.

§. I. De honeſtate iuſti belli defenſiui à Religioſo obiti, ex neceſſitate.

§. II. Religioſum bello iuſto defenſiuo ex neceſſitate operam dantem, immunem eſſe ab irregularitate.

Pronunciatum II. De bello aggreſſiuo.

§. I. Quatenus Religioſi bello aggreſſiuo iuſto, citra pugnam, & pietatis miniſteria, adeſſe & cooperari poſſint.

§. II. Peccare religioſos, ſi bella aggreſſiua purè humana, quantumuis iuſta, regant aut gerant.

Apodixis I. Ex Canonibus Conciliaribus.

Apod. II. Ex decretis ſummorum Pontificũ.

Apod. III. Ex dictis Patrum.

Apod. IV. Ex factis ſanctorum.

Apod. V. Ex ſenſu Doctorum, Scholaſticorum, Moralium, & Iuriſperitorum.

Apod. VI. Ex ſenſu populorum omnium bene moratorum, Chriſtianorum, Iudæorum, Ethnicorum.

Apod. VII. Ex vſu contrario, Saracenorum duntaxat, & hæreticorum.

Apod. VIII. Ex infelicibus euentis, & ſtatutis diuinitus in tales bellatores exemplis.

Apod. IX. Ex ratione in ſtatu dominicorum hominum fundata.

Apod. X. Ex mole & immanitate malorũ, bellis quantumlibet iuſtis adiunctorum.

Conſectar. Apodixeon §. I. Æſtimata quantitas culpæ Religioſorum, militariter ad bella aggreſſiua pure humana cooperantium.

§. II. De reatu multiplici, culpam hactenus expoſitam conſequente.

§. III. Quæ diſpenſatio ad immunitatem à culpa, ac multiplici reatu proximè expoſito, valeat religioſo bellanti ſuffragari.

Pronunc. III. Reſponſio ad quæſitum, quod ſcriptioni cauſam dedit, eruta ex dictis.

Pronun. IV. De Religioſis, & affectu gentis immoderato, voluntate belligeris, lingua bellicrepis.

Pronun. V. Quæ religioſorum ad carnaliter bellantes adiunctio & ſupercertatio probanda, cum bello carnali prohibentur ſacris legibus.

Pronun. VI. De pio & vſquequaque prolato Religioſorum bello, abſque vlla ad bellum carnale ſecularium comparatione.

MALEVOLI

MALEVOLI
ERGA RELIGIOSOS, MALEDICTI:
BENEVOLI, BENEDICTI.

ALLEGORIA

IN ILLVD ISAACI, DE IACOBO,
Supplantatore ac Leui, atque adeo Religioſorum typo.

ECCE ODOR FILII MEI, SICVT ODOR AGRI pleni, cui Benedixit Dominus.

Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus;
Et qui Benedixerit tibi, Benedictionibus
repleatur. *Geneſ. 27.*

MALEVOLI ERGA RELIGIOSOS, MALEDICTI: BENEVOLI, BENEDICTI.

PROLOQVIVM.

MALVM antiquum inualeſcens in dies, vt nomen Religioſorum fœteat, odióque habeatur gratis, retectum ac pro viribus curatum venio. Queſtus iam olim erat Saluianus, & inter magna maximéque deflenda Galliæ & Africæ mala numerauerat, quod ſerui Dei, in quibus tam multiplex cæleſtis fragrantia gratiſſimè ſe prodit, paſſim lacerarentur, & maledictioni paterent. At nunc, non Galliæ & Africæ finibus concluditur maledictio iſta; ſed quocumque pertingit Chriſtiana Eccleſia, & cum ea Religioſi; eódem propagatur intorta in Religioſos maledictio.

Non ago de maledictione tantum verbis viuis aut emortuis, id eſt prolatis, vel ſcriptis irrogata, ſed de ea quoque, qua operibus expromitur. Nam ſicut nomen *Verbi*, & nomen *Benedictionis*, ad voces non reſtringitur; ita neque vox *Maledictionis*. Notionem *verbi*, ad opera quoque diffundi, liquet ex illo Pſaltis loco, *Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos*. Id eſt, facta dura, vt habet gloſſa Hebræorum ibi. Item 3. Reg. 15. Dauid dicitur nunquam declinaſſe à recto, *Excepto ſermone Vriæ Hethæi*. Hoc eſt facto & negotio ad Vriam ſpectante. Apud profanos *Verbum* ſæpenumerò rem ſonare, notauit Ioſephus Scaliger ad eum verſum ex Ceiri.

Quæritur ex omni verborum iniuria dicto.

Dictum (inquit ibi Scaliger) hic accipitur vt homero ἔπος, hoc eſt *Res*. Sic Hebræi dicunt *Verbum* pro *Facto*. Sic Latinum *Res*. Nam à ῥῆσις veteres dicebant *Reſes*, quod deriuatur à res vt alia] Similiter notionem *Benedictionis*, non ad verba duntaxat beneuola & fauſtum apprecantia pertinere, ſed fundi quoque ad benefacta, notauit Ioannes Ferdinandus l. 2. theſ. cap. 30 quem excripſit Marſilius Columna par. 2. hagiol. cap. 2. Eſtque manifeſtum exemplum 1. Reg. 25. vbi Abigail, munus quod tranſmittebat, vocat *Benedictionem paruulam*. Æquè igitur *Maledictionis* nomen ad omnem iniuriam, ſiue voce, ſiue opere irrogatam, fundi poterit. Ac proinde quod Religioſos, & iam olim, & nunc quoque, maledictioni patere affirmabam, de maledictione in ea vocis diffuſione hic accipitur, ſicut *Benedictio* in proportionali laxitate.

Maledictionem in Religioſos ſic ſumptam, rem eſſe Chriſtiano homine indigniſſimam, & intorquendarum ab irato iuſtè numine dirarum, irritamentum perualidum; demonſtrandum ſuſcipio hac tractatione. Sicut è contrario, amor & cultus impenſus ſeruis & amicis Dei (cuiuſmodi ſanè ſunt Religioſi homines, & eo digni nomine), maximè decet quoſcunque Chriſtianos; & genus

quodlibet

quodlibet fauoris & benedicentiæ, deuocat in benedicentes illis. Sic benedictio, fit ſementis benedictionis; & è contrario maledictio, eſt radix amaritudinis, germinans fel & abſynthium, omnemque acerbitatem pro exacerbatione ſeruorum Dei, quos Deus tenerrimè diligit quaſi pupillam oculi, ac ægerrime fert quoquo modo contriſtari, ita vt inter caracteres hominis ſibi probati, reponat, Ezech. 13. quod iuſtum non contriſtauerit.

Videri poſſit hoc præſignaſſe, cæcutiens corpore, ſed animo perſpicaciſſimus & oculatiſſimus, Iſaac, cum complexus ſuum Iacobum, ſtatim, vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, erupit in eas voces, *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* Iacobum hædinas pelles præferentem, exhibuiſſe Chriſtum, in quem hæc benedictio depluat; ſenſerunt Auguſtinus 16. Ciu. c. 37. ac Theodoretus, q. 81. in Geneſ. & late aſtipulatur inter recentiores Ludouicus Pontanus. l. 1. in Cant. Exhort. 5. §. 3. At Proſper 1. p. & promiſſ. c. 20. eo ſchemate ſignatum putat Chriſtianum populum, læuem ac lenem, nec ſcatentem excremētitia piloſitate, pertinente ad Eſau, qui inde *Seir* eſt denominatus, vt Petrus Damiani, opuſc. 12. c. 24. & Richardus Victorin. l. & Incar. c. 3 philoſophantur. Et fere eodem reuoluuntur S. Gregorius, hom. 6. in Ezech. atque Rupertus, l. 7. in Gen. c. 27. qui eo Iacobi typo, quemlibet iuſtum adumbrari cenſuerunt. Ego non incommode mihi facere videor, referens hoc totum ad Chriſtos Domini, qui per plenam Chriſti imitationem, (quanta mortalibus poteſt obtingere,) nomen *Chriſtorum* haud iniuria præferunt, vt præclare de more pronunciauit Nazianzenus orat. 21. Qui *populus* Dei antonomaſticè denominantur, & nequaquam vacua *iuſtorum coram Domino* appellatione potiuntur. Hi ſunt verè læues, & nulla excrementitia piloſitate ſcabri, aut horrentes; imo puro & ſancto læuore prænitent. Hi verè ſupplantatores ſeculi, cuius apprehenderunt calcaneum, & primitiua ac benedictionem præripuerunt. Merito igitur ad eos, in vnum cœtum & in vnum amantiſſimum Domini filium coaleſcētes, accommodo ea Iſaaci benedicentis verba: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Non eſt hoc loco *Ager*, nuda terra: Tametſi terras odoratas quo loco arcus cæleſtis capita ſua deiecerit, memorat Plinius, lib. 17. c. 15. faſſus halitum diuinum expirare è terra, quæ à ſiccitate continua, immaduerit imbre, cui ſol infulſerit. Eiuſmodi autem eſſe, inde exiſtentem odorem, cui conferri nulla ſuauitas poſſit. Non eo tamen refertur odor agri ab Iſaaco. Nam 70. habent, ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ πλήρους Quo adiectiuo Hebræa carent: additum verò eſt, à 70. vt intelligeretur non inſinuari ab Iſaaco nudæ terræ odorem; ſed ſignificari odorem terræ conueſtitæ plantis exquiſite redolentibus; è quibus in eodem ſolo conſitis, odor ſuauiſſimus effluat qualem in vineis florentibus commendat ſponſus Cant. 2. ſponſa in mandragorarum plantis ac pomis, Cant. 7. Eiuſmodi agrum plenum, ſua fragrantia ſuauiſſimè mulcentem olfactum, Dreſanius Florus in Euchariſtico ad amicum ſic exprimebat.

---------Inclyta rura,
Munere diuino quæ benedicta cluunt.

Agrum igitur refertum plantis ſuauiſſimo odore vim odoram afficientibus, in quo Catullus, velit eſſe totus naſus, cenſeo adumbraſſe ſtatum Religioſum; in quo feliciter ſoboleſcunt plantæ odoratiſſimæ; quam congruenter componendæ cum myſtico Iacobo, fratris ſupplantatore ac læui, id eſt nulla terreſtri hiſpiditate horrido, ſuauiſſimam fragrantiam afflante. Quidni placeat hæc allegoria, verborum Iſaaci propoſitorum, quam SS. Gregorius, Beda, & Thomæ approbarunt; firmàtque Sancius Cantic. 6. vbi de illorum Patrum mente, hortum

hortum Domini, ſecundùm Eccleſiam, in qua omnis generis flores & aromata fragrant, interpretatur cœtum Religioſum, variis virtutum floribus & aromatibus per areolas vernantes diſpoſitis, amænissimè renidentem. Enim verò, quæ non extitit à Religioſis cœtibus fragrantia ſanctorum operum, ad propriam ipſorum perfectionem ſpectantium? Quis non ab eis manauit bonus odor Christi? Vere odor vitæ, oppoſitus odori mortis in mortem, per ea ſancta opera quibus Eccleſiam muniuerunt, proximos ad omnem ſanctimoniam promouerunt, & in quocunque neceſſitatis articulo pia opitulatione ſubleuarunt. Planè hic eſt odor agri pleni cui benedixit Dominus. Hic eſt ille bonus odor piorum quem tantoperè extollit Theodorus. Eam fragrantiam, Eccleſia primitiuorũ qui conſcripti ſunt in Cœlis, iucũdiſſime haurit. Eccleſia item quæ adhuc in terris militat, eandem habet acceptiſſimam. Soli ſcarabæi ad omnem fragantiam emorientes nec niſi in fimo, & oleto graui ac ſpurco iucũde hærentes, maligne æque ac infeliciter accerſantur, tanto ſuo damno, quantũ nulla vnquá ſatis aſſequatur oratio. Sicut ex aduerſo, nemo ſatis explicet, quanto ſuo fructu ac cómodo, alij ad tantam meritorũ ſuaueolentiá iucunde afficiantur, reportaturi à muneratore optimo, confertam & vndecũque plenam benedictionem. Vtrũque illuſtremus, præſtituta, tanquam huius negotij vniuerſi fundamento, duplici myſtica Religioſorum fragantia; gemino inquam odore lectiſſimæ bonitatis, in Religioſo ſtatu velut in agro pleno cui benedixit Dominus, ſuauiſſime renidentis.

SECTIO. I.

Bonitas abſoluta Religioſorũ. Odor primus agri pleni, ex eorũ virtutibus ad perfectionẽ propriã attinẽtibus.

ORdior ab hac ſuaueolẽtia, quia qui ſibi nequá eſt, cui alij bonus fueri? vnde meritò improbatur, qui priuſquam ſibi perfectionem parauerint, ad alios perficiendos accurrunt. Verè ſcirpi in ortu ſuo exarescentes interprete S. Greg. nec prius fructus vllos ex aliorũ cultu percepturi quã e ipſos rectè excoluerint, vt idem S. Pontifex ratiocinatur alio loco. 6. mor. c. 24. Idq; demum eſſe, ferre fructũ in tempore suo, S. Bern. ſer. 1. de S. Bened admonuit. Eam ob cauſã Christus ipſe, nobis omnibus in exẽplar conſtitutus, Baptizari prius voluit, quã ad prædicandum accingeretur, vt Nazianzenus orat. 39. optimè obſeruauit; quia tametsi nulla ei per Baptiſmum collata eſt perfectio, tamen præuia Baptiſmi ſuſceptio, ſymbolum fuit permittendi ſtudij perfectionis propriæ, per eos quibus Baptiſmus proficit, priuſquam ad alios perficiẽdos ſpatio verbi ſemine, aggrediantur. Eodem, S. Cyrillus l. 10. de ador. refert præceptum de vitulo & agno non priùs offerendis Deo, quàm fuiſſent ſub matre per ſeptiduum. Scite præcocem quorundam cupiditatem iuuandi aliis, & labia non ſtillantia myrrham primam, inſectatur Richardus Victorinus c. 38. in Cant. Fateri pudet, adeò præluſtrem veritatem, à multis ſub Chriſtiana luce calcatam, micantiſſimè in Ethniciſmi tenebris traditam eſſe à claudo rectipede, apud Arrianum. l. 4. c. 8. Probati ergo Religioſi, omnia ex Apoſtoli monito, decenter & ſecundum ordinem facientes, initium ducunt à perfectionis propriæ ſtudio. Effecti verò in ſe ipſis boni, ad ſuam bonitatẽ in alios expromendã vertuntur. Itaq; iure ab eorum bonitate abſoluta, eique nexa amabilitate, auſpicandum propono.

PVNCTVM I.

Odor Chriſtianæ perfectionis, ac mediorum, eius adeptioni ſubſeruientium, quantus in Religioſo ſtatu.

AGè igitur, Chriſtianæ perfectionis agrũ plenum, vel vt S. Macarij homil. 18. verbo vtar, *Speciosiſſimum hortum ſpiritus* à Chriſto quaſi colono in terra, plantatum, luſtremus; & quantus inde afflетur vitæ odor, ſedulò veſtigemus. Circumſpiciamus inquam, quot & quantæ in eo fragrent virtutes, primùm quidem abſolutè, ac ſecluſo reſpectu ad alios? Ad hanc abſolutam bonitatem, eiuſque fragrantiam, ſpectat imprimis, hominis perfectio, & media quibus ad eam pertingi poteſt, tam poſitiuè ac directè ad id facientia; quam quæ indirectè, & per remotionem impedimentorum quæ in hoc negotio, ſunt cupiditates non compreſſæ.

§. I.

De Charitate, flore Virtutum primario, quàm in Religione fragret ac niteat.

HOminis perfectio vltima & conſummata, in eo propriè ſita eſt, vt cum Deo coniungatur. Vnaquæque enim res tum demum perfecta cenſetur, cum pertingit ad finem in quem condita eſt, eique coniungitur quàm benè fieri poteſt. Finis porrò hominis, citra vllum Dubium, Deus eſt; ac proinde homo perficitur interuentu coniunctionis cũ Deo. Hanc præſtat Charitas, quam idcirco Apoſtolus *vinculum perfectionis* appellat, & ſuper omnia captandam Docet. Firmat egregiè hanc Doctrinã S. Auguſtinus, 1. Doctr. Chriſt. l. 1. c. 21. ſtatuens vt indubitatum, tunc optimè ſe habere hominẽ, atque adeò tunc perfectum eſſe cenſendum, cum toto affectu adhæret Deo, ſummo ſuo bono, ac fini vnico. Adhæſio autem illa, fit per Charitatem, qua homo, vnus cum Deo ſpiritus efficitur, & quadantenus in illum tranſit; iuxta illud, 1. cor. 6. *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*, vtique eo. Sicut qui adhæret meretrici, fit cum ea vnum corpus, vt Apoſtolus immediatè ãte præmiſerat. Viceuerſa ſubiungens, *qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*. Inſtituit enim ibi, antitheſim cóiugij corporalis, per quod cóiuges vna caro & vnũ corpus fiũt, cũ coniugio ſpirituali, per quod anima ſpõſa, & Deus ſponſus, trãſeũt affectu in vnũ Spiritũ. Vnde ſublimitatẽ animæ Deo adhærẽtis, eruit inſigniter S. Baſilius. l. de virginit. Itaque vera hominis perfectio, ſita eſt in charitate, vt rectè ſtatuit S. Tho. opuſcul. 18. c. 1. & benè ex recẽtioribus Bellarminus. l. de Monach. c. 2. Inde illæ tãtæ laudes & periluſtres appellationes Charitatis, apud Patres,

SECT. II. PVNCT. I. § III.
Ordo & vnitas Prudentia Religioſorum.

Patres, & Inſignes quoſque. Doctores Chryſoſtomus hom. 13. in ad Rom. Charitatem nominat *principium, & radicem, ac verticem ſummum, & plenitudinem virtutis*. S. Ephrem Sermo & vita Religioſa *ſpiritualis ædificij culmen*. S. Gregorius hom. de charitate accipit illud Pſaltis. *Omnis conſummationis vidi finem*. Quod pulcherrimè quoque ibi proſequitur S. Auguſtinus ſerm. 36. ex 40 nouis indidem inferens alio loco, cætera omnia debere eſſe homini vias quibus tranſeat, & denique ad hunc finem omnis conſummationis; omnia in Deum referendo per charitatem. Quod aliter dixit creditus Proſper l. 3. de vita contem l. c. 14. & 15 [Charitas eſt in omnibus ſemper inuicta, ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cæleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum.] Quod charitatem appellat *finem cæleſtiũ præceptorum*; ductum eſt ex Apoſtolo 1. Timo. 1. vbi diſertè ait, *finis præcepti eſt Charitas*. *Finis* ibi ex interpretatione S. Auguſtini in Enchir. ſub finem ſonat ſcopum in quem omne aliud præceptum collimat. Et *finem* etiam rectè dixeris Charitatem, quia cum ad eam peruentum eſt, ibi ſiſtitur, nec eſt quo vlterius tanquam ad excelſius fiat progreſſio; quia mandatum de charitate, omnium eſt eminentiſſimum. [verè hoc mandatum (inquit Arnoldus) legem complectitur ac Prophetas, & in hoc verbo, omnium ſcripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc verbi Dei clamat autoritas: hoc ex ore eius audiuimus; hic inuenit conſummationem omnis religio. Primum eſt hoc mandatum, & vltimum. Hoc in libro vitæ conſcriptum, indefficientem & hominibus & Angelis, exhibet lectionem. Legat hoc vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio; & inueniet ex hac ſcriptura, omnium doctrinarum regulas emanaſſe; & hinc naſci, & huc reuerti quidquid Eccleſiaſtica continet diſciplina: Et in omnibus irritum eſſe ac friuolum, quicquid dilectio non confirmat.] Quod Tullius lib. 1 de orat. de volumine legum 12. tabularum pronunciauit, nimirum breuiculum illum iuris, omnes bibliothecas ſuperare, multò iuſtius de hac abbreuiata conſummatione iuſtitiam inundantes, affirmari debet. Scripturam ſanè vniuerſam quanta eſt, in hoc præcepto inſtaurari, S. Auguſtinus ſerm. 39. de temp. & 1. doctr. chr. c. 35. notauit, annuitque S. Gregorius 10. mor. c. 7. Qui aduersùs hoc vnum præceptum peccat, factus eſt omnium reus; De præcepto quippè charitatis, omnia alia includente, & idcirco inſignito nomine *plenitudinis legis*, accipit illud Iacobi dictum Gerſo, 3. p. ſer. in cæna conſider. 3. poſt S. Auguſtinum ſer. 61. temp. & epiſt. 29. & in pſal. 79 aduerſum 2. qui rurſus de contentis in hac lege Charitatis; ethica? Phyſica, Logica, perpulchrè diſſerit. Alibi quoque confirmat, omnia bona opera, eſſe vnum opus bonum; id eſt exercitium charitatis. Propterea enim Pſaltes, in pſal. 79. in fine cum alloquens Deum præmiſiſſet, *opera manuum noſtrorum dirige* volens oſtendere, ipſa opera, vnum opus eſſe in quo ſunt omnia, ſubiicit per ſolennem ſibi exegeſim & opus manuum noſtrarum dirige. Immenſi ſunt in charitatis dignitate demonſtranda, Chryſoſtomus, hom. 5. in ad Rom. Bernardus, Hugo, & Richardus Victorini, varii qui que de ea lucubrationibus. Sed nemo altius Charitatem extulit, quam Apoſtolus 1. Cor. 13. egregie expenſus à credito Proſpero 3. & vita contempl. c. 14. Ipſum nomen *Charitatis*; præſtantium præfert virtutis, eo nomine denotatæ, vt S. Auguſtinus tract. 9. in Ioann. notauit verbis illis. [Non poſſumus putare vilem eſſe charitatem, quando omnia quæ dicuntur non vilia, *Chara* dicuntur. Si ergo quæ non ſunt vilia, Chara ſunt, quid eſt Charius ipſa charitate?] Quid multa? charitas in hac vita, ſabathum noſtrum eſt; & erit poſt hanc vitam, perfectum ſabathum noſtrum. Meditatio eſt, & pia & concinna Caſſiodori, lib. & amic. cap. 26. qui ſabathum ex ſabatho, accipit de charitate, quæ iam ex hac vita eſt verum ſabathum animæ; Cum ſex aliæ virtutes, fides, ſpes, temperantia, prudentia, fortitudo, Iuſtitia, ſint quaſi ſex dies ante ſabathum, & [quaſi quædam dies operationis; charitas verò luminoſiſſima dies tranquillitatis & pacis.] Hexaemeron iſtud myſticum, illuſtrat per ſingulas eius dies, Caſſiodorus. In charitate verò, oſtendit eſſe verum ſabathum, & initium omnis operationis, quia ob eam o fine non eſt vltra locus operationi finem capienti, ſed datur plena requies, quod mellitiſſimè, tradit Caſſiodorus. Eſt igitur charitas, finis noſtri aſſecutio, & noſtra cum Deo coniunctio; atque adeò eſt vera hominis perfectio, vt affirmabam. Aliæ virtutes quantumcumque ſplendere videantur, huius radiis præſtrictæ opacantur, & prope tenebreſcunt.

Nunc his vniuersè præmiſſis, de ſpecie ac fragrantia charitatis quantum hæc virtutum regina in Religioſo ſtatu fragret ac niteat, inſpiciamus, initio ducto a primæuo Religioſorum nomine. Omnibus quippe Religioſis, commune. Iam olim fuit *Monachorum* nomen, à SS. Apoſtolis inditum, teſte S. Dionyſio, c. 6. Eccleſ. hierar. ex eo fundamento. [quod viuant indiuiduam ac ſingularem vitam, quæ eos vnum faciat, ſanctis rerum diuiduarum coniunctionibus, ad diuinam vnionem Deoque gratam perfectionem adipiſcendam. Itaque perficiendi eis munus, ſancta lex conceſſit.] Optimè ad eam rem S. Chryſoſtomus pſal. 140. tractans illud Pſaltis, *ſingulariter ſum ego, donec tranſeam*, admonet, eſſe *ſingularem*, ſiue *monachum*, idem ſonare quod *eſſe ſecum*. vnde teſtatur, alium interpretem, vertiſſe, *ſimul ſum ego, donec tranſeam*: [Hoc eſt, ſum compactus, coniunctus, non diſperſus; Vel ex ſententia 70. interpretum, ſum liberatus à malis, purus ab illorum congreſſione, & tanquam ſalus habitans; quod quidem eſt, maximum virtutis genus.] Homo autem ſic coactus, & compactus, ac conſtipatus, ſegregatur à peccatoribus. & fit cælis excelſior, eo quod in illud vnum quod ſupra cælos eſt, cogitatione & affectu defigatur. En quid ſit *monachus*, iuxta S. Dionyſij doctrinam. Recurrit verò hæc monachi notatio, cum illa quam Philippus Abbas l. de contin. cleric. c. 78. ex quorundam ſententia aſſignat. Dictum enim voluere Monachum, quaſi *monoculum*, quia clauſo, imo potius eructo, & à ſe proiecto oculo quo ſecularia ſpectantur, verus Religioſus in vnum Deum defigit obtutum, ei ſoli coniungi affectat, & omni cura adhærere Deo ſatagit, ab omnibus aliis auulſus, & ſimilis Monicho de ſæculi literatura apud Poëtam, *iaculatur Monachus ornos*. Is vnicum habere oculum fronti infixum ferebatur, Religioſus autem probatus vnicum in corde habet oculum, quo Deum ſolum ſpectat, vt ei intimè inhæreat. Protrita notatio vectis *Monachus*, dicitur à ſeceſſione, ac ſeiunctione à diuiſis in plura; quæ Petrus Damiani l. 2. epiſt. 4. ait eſſe illa *multa hæc*, in quibus periit Sedecias; & pereũt eius imitatione, quoquot *vnũ neceſſariũ* deſerentes, diſtrahuntur, ac iuxta phraſim Apoſtoli *diuidũtur* in varia. Egregie hanc Monachi

notionem

notionē tradit his verbis S. Gregorius ad illud capitis primi libri primi Regum. *Fuit vir vnus de Ramatha Sophim.* [In hoc viro vno, quid rectius, quam vnuſquiſque nouus ſeculi contemptor deſignatur? *Vir* namque dicitur, quia propoſito fortis eſt, *vnus* verò, quia amore ſingularis. Vir namque eſt quia ex magna virtute cuncta præſentia deſpicit, ſed vnus, quia ſola omnipotentis Dei ſpecie frui concupiſcit. Quiſquis enim perfectè terrena deſpicit, vir eſt ex fortitudine: ſed ſi conditorem ſuum ardenter videre non cupiat, non eſt vnus ex intentione. Perfectio igitur viri in proëmio ponitur vnitatis, vt qui ſeculum potenter deſpicit, mentem non diuidat, ſolis ſupernis inſtet, ad ea tantùm quæ de viſione conditoris ſunt æterna gaudia ſuſpirat. Talis profectò erat qui Deo confitens ait, *Quid mihi reſtat in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Hinc item dicit, *vultum tuum Domine requiram.* Qui enim in terra nihil voluit, profectò vir fuit: ſed qui neque in cœlo, neque in terra aliquid præter ipſum voluit, qui ſpretis omnibus ſolum eius vultum quæſiuit, non ſolùm *Vir*, ſed etiam *Vnus* exiuit. De hac vnitate Dominus in Euangelio Marthæ loquitur, dicens; *Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima; porrò vnum eſt neceſſarium.* Hinc Lucas de perfecto credentium numero loquens, ait, *Erat eis cor vnum & anima vna.* Vnum quippè eis cor erat, quia per intentionem rationis, ſolum conditorem aſpexerant, vnam animam habebant, quia per affectionem amoris, ſolùm eius faciem videre deſiderabant. Hinc eſt quod diligens Propheta, ſecum reputat dicens. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pro hac vnitate obtinenda, veritas docens, ait; *Qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quæ etiam noſtra ſunt, quia ſi qui abrenunciantes ſæculo, remotioris vitæ ſecretum petimus, *Monachi* vocamur. *Monos* quidem Græcè, Latinè autem *Vnus* dicitur. Hoc quippè titulo appellationis inſcribimur, vt vox nominis noſtri, nobis inſinuet altitudinem dignitatis, & animus noſter tantò audentiùs ad conditoris viſionem ſe erigat; quantò ſublimitatem charitatis in qua ſemper debet conſiſtere, quaſi in fronte prolatam portet.]

Hæc notio vnus *Monachus*, recidit in Dionyſianam, firmatam ab iis quos Philippus retulit. Ea quippè ſingularis vita τῶν μοναζόντων, in eum finē eſt inſtituta, & ſe habentes mundi loco, (tribuit id Monachis Nazianzenus,) orat. 21. num. 9. Deum ſolum quærere & ei adhærere abſque impedimento valeant. Non erit operoſum, eodem reducere alias notationes vocis *Monachus*, à nonnullis aſſignatas. S. Auguſtinus in Pſal. 132. ad illud *Habitare fratres in vnum*, deriuat vocem *Monachi*, ab vnitate cordium in multis perſonis. Ait enim de Monacho. [Qui ſic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt ſit illis verè ſicut ſcriptum eſt, vna anima & vnum cor: Multa corpora, ſed non multa corda, rectè dicitur μόνος, id eſt, *vnus* ſolus &c.] Sagitta inde Donatiſtas inſultātes *nomini vnitatis*, (id eſt nomini *Monachi*,) qui ſe ab vnitate præciderunt. Meritò illis diſplicet nomen *Monachorum*, quia nolunt habitare in vnum cum fratribus, ſequentes Donatum.] Iuxta hanc notationem, vox *Monachi* præfert charitatem in proximum, quæ eſt frutex charitatis in Deum. Imò ſi ſit virtus Theologica, (vt eſſe ſolet,) eſt idem habitus cum charitate in Deum, terminatus ad vtrumque illud obiectum, cum ſubordinatione. Eodem facilè quis deflexerit eam notationem *Monachi*, quam Eugenius Papa tradidit apud Gratianum. 16 q. 1. c. placuit 2. Et quippè, *Monachus* idem eſt quod μόνος ἄχος *vnus triſtis.* Ea enim triſtitia, non eſt quam Rutilius Numatianus Poëta lib. 1. Itiner. Ethnicus ſeruis Dei, Inſulæ Caprariæ incolis aſſingit, actos dicens Bellerophonteis ſollicitudinibus, & vocans *Lucifuges*; quod ſoli nullo viuere teſte velint: ſed eſt triſtitia ſecundùm Deum, auocans à vanis gaudiis, vt vno Deo delectetur. S. Athanaſio, Epiſto. ad Amon. Monach. & frequenter S. Macario, hom. 15 & 26. ſed maximè Caſſiano. Collat. 18. c. 5 Monachus idem eſt quod μονάζων. Hanc autem vocem idem Collator ductam vult a coniugij abſtinentia, ac ſeceſſione à ſuis; & ita exponit vt cadat in eum, qui planè ſolus eſt, & vt vulgò loquimur *Anachoreta.* Placuitque ea notio *Monachi*, S. Hieronymo, Epiſtola 1. ſcribenti ad Heliodorum, & ad Rammachium epiſto. 13. Quamuis ſcribens ad Euſtachium epiſto. 22. non arctet ad Anachoretas, ſed ad Monachos quoque diffundat, vt S. Auguſtinum feciſſe videmus. Nec abs re. Nam cœnobitæ quoque, poſſunt dici *Soli*, per comparationem ad communem conuerſationem, & turbas mundiales, à quibus veri Monachi ſecedunt, & fiunt ſoli iuxta canonem Nicænum, a Gratiano 16. q. 1. c. placuit allegatum. Cum autem ea ſolitudo, & ſegregatio, ac ſeceſſio, referatur ad perfectiorem cum Deo coniunctionem, liquere videtur omnes propoſitas notiones, vocis *Monachus*, vtcunque diſcrepantes ſpectato vocum cortice, reuolui in Dionyſianam primo loco propoſitā & petitā a charitate in Deū. Idē ſtatuendū eſt, de voce Monadici. Nam quamuis ea vox infamiam contraxerit ab Epiphane & Carperale Græticorum primarus ea appellatione donatis apud Clementem Alexandrinum. Tamen Nazianzeno 4. ſtromat. ea vox pura eſt. Quem enim in definitionibus minùs exactis vocat *Monaſtem*, alibi orat. 21, n. 21. vocat *Monadicum*, quem ſibi tantùm ac Deo viuentem deſcribit; ita vt idem ſonet quòd *Anachoreta* Apud eum illo alio loco, vox *Monach.* id ipſum ſignificat. Dimiſi in enumeratione tot notionum vocis *Monachus*, quibus hoc nomen illime ac ſanctum ſtatuitur; fatuum illum Seſſij Antagoniſten, qui bellè ſibi viſus es cudere, effutiendo, nomen Monachi eſſe contra ſcripturam; qua pronunciatur non eſſe bonum, hominem eſſe ſolum. μόνον ſiue *Monachum.* Apage inſanam obtorſionem verborum Domini. Sed non eſt ſapientis, omnes cerebrorum male ſanorum porrigines inſectari, & cum turpiter delirantibus delirare.

SECT. I. PVNCT. I. §. IV. *Religionis in Religioſos odor bonus.*

Vel ex ipſa igitur peruulgata Religioſorum appellatione, habemus quantoperè in Religioſo ſtatu niteat ac fragret charitas. Nunc idipſum euincamus potentiſſimâ ratiocinatione, quam ſubminiſtrat Theodoretus in clauſula Religioſæ Hiſtoriæ, quæ triginta ſanctorum Monachorum acta complexus eſt. Scrutari aggreſſus in ea clauſula Theodoretus, quæ demum cauſa perpuliſſet illos ſanctos ad tot & tanta toleranda, quanta nulli qui in ſæculo laborant, cuiuſcunque demum conditionis ſuſtineant; non paſtores, non nautæ, non agricolæ, non opifices, vlli: Concludit, cauſam tot incōmoda tolerādi ſanctis illis Aſceticè, eam ipſam fuiſſe, quam præfert libri inſcriptio, cuius Epigraphe eſt Θεοφιλής. [Nullos (inquit,) ex his qui ſunt extra horum Philoſophiam, eorum oſtendit tolerantiam. Si autem nullus ex aliis hominibus, poteſt

SECT. I. PVNCT. I §. IV.

Religionis in Religioſis odor bonus.

talibus reſiſtere laboribus; clarum eſt quòd amor in Deum efficit, vt naturæ terminos tranſiliant, & ſuperna flamma accenſi, lubenter ferunt impetum frigoris: & qui à ſuperis deſcendit rore, flammam radiorum mitigant. Is (amor Dei,) eos alit & rigat, & amicit; dat pennas & edocet volare; & efficit vt cœlum tranſcendant, & ad eum quia amatur, quoad fieri poteſt, aſcendit, & viſione contemplationis, incendit deſiderium, & excitat amatorium, & flammam accendit ardentiorem.] Nec ita multo poſt, ex perſona Apoſtoli, (quem in confirmationem adducit,) teſtatur, flammam dilectionis lenire omnes difficultates, præſertim ſi recurrant animo, diuinæ erga nos beneficentiæ veluti imbres: his enim cũ afflictione modici tẽporis, attente collatis, euaneſcunt quæ videbantur moleſtiæ aſperitatum, & & vernis floribus flauidiores euadunt. Quem igitur Dei amor occupauerit, is demum optimè in philoſophia ſe geret.] Imo verò hoc ipſum vocatur *Philoſophia*, ait mox Theodoretus; & qui verè Deum amat is eſt verè philoſophus; omni ſtudio in Deum collimans, cætera omnia deſpiciens, & quæcunque Deo diſplicent, diligenter illinc auerſans.

Hoc facit qui verè dicitur Religioſus: ac proinde eſt verus Dei amator & dignus nomenclatione *Philoſophi*, quam ei appellationem, Græci Patres paſſim deferunt & vt dictum eſt in Symbolis Antoniani., §.9.n.7.&.§.10.a num 12.& conſtat ex Nazianzeno orat. 3. Multa Philoſophorum millia vt iuſque ſexus per vniuerſum pene mundum micantia. Ethnicis philoſophaſtris oſten ante, ac pro ipſis falsò ſapientum nomen præferentibus, magnificè celebrante geminam eorumce Dei Philoſophorum ſapientiam. S. Nilus librum aſceticum ad Monachorum informationem conſcriptum, prænotauit de *Chriſtiana Philoſophia*. Inualuitque hæc Monachorum nomenclatio. cum extinctis per Valentem, omnibus propè Ethnicis Philoſophis, & captatam per tripodem Lauricum, prænotionem eius qui Valenti in imperio proximè eſſet ſucceſſurus, vt recitant Sozomenus lib.6. c.35.atque Nicephorus lib.11.c.45. deſiere alij qui ea appellatione inſignirentur. Perſonatis ergò Philoſophis per Valentem exacerbatum deletis, hæſit. *Philoſophorum* nomen, penes vera ſapientia inſtructos, & verè Dei Philoſophos quos, alios non eſſe quàm Dei amatores, S. Auguſtinus 8.ciuit.c.9.ex Platone egregiè confirmat. Itaque in Religioſos, quorum teſtatiſſimus eſt in Deum amor, optimè cadit nomen *Philoſophorum*, quippè tantò Dei amore æſtuantes, vnde conſequitur, vt & in ſe perfectiſſimi ſint, & de omnibus ſupra quàm cogitari poteſt, optimè mereantur. Theodoretus hanc in Religioſis incenſæ erga Deum charitatis originem, his verbis aperit diuinam pulchritudinem demiratos, de qua ſcitè quoque S. Baſilius, ad q.2.fuſarum. & nos plenè in naturali Theologia d.7.q.3.artic.3.[.Cum ergo & Deum eſſe pulchrum, doceamur à diuina Scriptura, & habere diuitias quæ verbis explicari nequeunt, & eſſe fontem ſapientiæ, & poſſe omnia quæ vult, eſſeque clementia & benignitate infinita, & ex eo ſcatere fontes manſuetudinis, & in omnibus velle homines ſolùm beneficio afficere, & innumerabilia genera beneficiorum à viris diuinis doceantur, ſuauibus telis charitatis fuere vulnerati: & cum ſint membra ſponſæ, cum illa clamant *vulnerati nos à charitate*. Hæc & quæ ſunt huiuſmodi, inuenientes apud eos qui fuerunt diuini verbi miniſtri, diuinæ charitatis ſtimulos vndique accipiunt, & omnia deſpicientes, cum eius honore tenentur, viſione apprehendunt, & ante eam quæ ſperatur incorruptionem, corpus ſpirituale reddiderunt.]

Charitatis in Deum (de cuius fragrantia & ſpecie hactenus dictum eſt,) ramus alter eſt charitas in proximum, cuius inſigne eſt in Religioſa vita pretium eò quòd vt optime philoſophatur S. Macarius, homil.3. Communia omnibus facia: ſingulorum bona, ita vt [qui operatur de eo qui preces facit, verè ſic dicat; Theſaurum quem frater meus poſſidet, quoniam communis eſt, & ego habeo: & qui precatur de eo qui legit, dicat, quòd ille commodum percipit ex lectione, in meum cedit lucrum Et qui operatur, rurſum ſic dicat, miniſterium quod præſto, in communem vergit vtilitatem. Quemadmodùm enim membra corporis, multa cum ſint, vnum corpus ſunt, & ſe mutuò adiuuant, & vnumquodque ſuo fungitur officio, velut oculus pro toto corpore videt, & manus pro omnibus membris laborat, & pes ambulat omnia membra ſuſtinens, & aliud membrum compatitur, ſic & Fratres inter ſe ſunt.] Hæc & alia S. Macarius, vt monſtret quantum bonum ex communi charitate concilietur, Fratribus in vnum habitantibus. Quantum verò eius tuendæ ac fouendæ ſtudium viguerit in benè compoſitis cœtibus, liquere poteſt ex S. Auguſtino l.de mor. Eccleſ. c. 33. in Religioſæ vitæ laudes effuſo, qui poſt alia de variis obſeruationibus omni laude dignis, addit. [Charitas præcipuè cuſtoditur, charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in vnam, conſpiraturque charitatem. Hanc violare, tanquã Deum nefas ducitur. Huic ſi quis reſiſtit, expugnatur; atque eiicitur. Hanc ſi quis offendit, vno die durare non ſinitur; ſciunt ita commendatam eſſe à Chriſto & Apoſtolis, vt ſi hæc vna abſit, inania; ſi hæc adſit plena ſint omnia.] Parũ refert, quod fortè S. Auguſtinus, tantã cuſtodiã charitatis, extẽdat ad proximum, & domeſticos: tradens ſcilicet, ſanctos illos Monachos, curaſſe ſtudioſiſſimè, ne eſſent inter eos Schiſmata & ſategiſſe vt eliminarentur factiones. Aio hoc non referre, quia vera charitas in proximum, terminatur ad Deum, propter quem & in quo diligitur, quiſquis perfecta charitate diligitur. Neque enim eſt duplex habitus charitatis, quorum vnus Deum, alter proximum reſpiciat: ſed vnus idemque, & Deum propter ſe, & proximum propter Deum, amore proſequitur, vt apertè ſentit S. Auguſtinus, & ſer.6 & 17. ex additis & epiſt.29.& tanquã certum ſtatuit Valentia, 2.2.d.3. q. 4. p. 1. ratumque habet Suares.tract.1. de relig.l.3.c.5.n. 11. Nec mirum; nam B. Ioannes 1.epiſt.c.4. diſertè conteſtatur; *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta eſt.* Et alia pleraque addit in eadem Epiſtola Apoſtolus, ex quibus perſpicuè habetur, & Deũ & proximũ, eadẽ Theologica charitate diligi. Hæc ergo charitas, & Deum propter ſe, & proximum propter Deum attingens, tantoperè in Religioſo ſtatu prædominatur, vt de S. Bernardi ſententia, de præcep.& diſpenſ.cap. 7. præponatur vnicuique Regulæ S. Fundatoris; Et quod proximè referebam ex S. Auguſtino, ſi quis eam violaſſet, nempe pernicaciter, & cum præfidenti voluntate perſeuerandi in ea violatione, illicò exturbaretur, ac ne per vnum quidem diem retineretur. Vbi vides antiquiſſimam praxim noxios è Religione exturbandi, & quanti eſſet apud Religioſos charitas; cuius violationem (indice Chryſoſtomo hom.8.in ad Rom. peſſimam & indigniſſimam) extruſio abſque comperendinatione aſſectabatur.

§.II. Fides

§. II.

Fides ac ſpes quàm odoræ in Religioſo ſtatu.

ALiæ virtutes, ſiue Theologicæ, ſiue Morales, eatenus ad hominis perfectionem concurrunt, iuxta Caſſianum, coll. 1. c. 7. quatenus apiant & muniunt viam ad charitatem, aut impedimenta ei officientia remouent. In priore claſſe, fides, & ſpes reponuntur, quarum nitor & odor, primo loco eſt attingendus.

Fides eſt antiſtita templi quod S. Spiritus eſt ſubiturus, & loquitur S. Hieronymus l. contra Lucifer. c. 4. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fidei laudes à ſe nullo modo explicari poſſe, fatetur S. Auguſtinus ſerm. 27. de temp. Iuxta Proclum, Epiſt. ad Armenos. Fides firmatur in charitate. Eſtque *primum ac præcipuum fundamentum & cupido quodammodo atque origo bonorum omnium.* Verba ſunt Petri Diaconi l. de Incar. c. 6. Alia in fidei laudem, ſu miniſtrabit Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. v. & ex recentioribus Gulielmus Pariſienſis l. de mor. c. 1. Hæc virtus ſecundum charitatem nobiliſſima, micat inſigniter in Religioſo ſtatu: vt ex eo patet, quod Abraham ab Eccleſia *pater fidei noſtræ* denominatur, conſentaneè ad Apoſtolum qui Rom. 4. eum appellat *pater omnium credentium*, & eius fidem in eadem Epiſtola, nec non in Epiſtolis ad Galatas, & ad Hebræos, frequentiſſimè celebrat. Fuit autem Abraham, typus Religioſorum; quatenus iuſſu Dei, Gen. 12. ſegreſſus eſt de terra ſua, & de cognatione ſua. In quo egreſſu, fides eius inſigniter micuit, vt Hebræor. 11. his verbis proditur. *Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiuit neſciens quo iret. Fide demoratus eſt in terra tanquam in aliena, in caſulis habitando.* En in Abrahamo, deſertionem terræ ſuæ, & cognationis, ac facultatum, per cæcam obedientiam, fide prælucente Deo præſtitam cuius proportionalem exhibent Religioſi calcantes ſeculum. Agnoſcunt eam proportionem Patriæ apud Fernandium. in c. 12. Gen. ſ. 2. Æquè poſſemus, alios quorum fidem celebrat Apoſtolus Hebr. 12. componere cum Religioſorum fide. Nam *plurimam hoſtiam*, (id eſt valdè pretioſam, ac multis hoſtiis parem,) obtulerunt non minus quàm Abel. Et æquè ac Moyſes, reliquerunt Ægyptum, tranſierunt mare rubrum, vt maiores diuitias in Chriſti improperio, magis quàm in Theſauris Ægyptiorum ſibi eſſe repoſitas, æſtimauerunt; eo vno diſpares Moyſi, quod ad terram denique promiſſionis feliciter pertigerunt, vnde Moſes excluſus eſt, propter imperfectam fidem ſuam. Non vacat ire per reliquos ab Apoſtolo ſignatos, tanquam fidei teſtimonio probatos: contentus dicere, eorum fidei ſimiliter formam eſſe Religioſorum fidem; quam proinde eſſe præcellentem & Apoſtolico præconio exornatam affirmare licet.

Spem, *ſanguinem fidei*, ſcitè dixit Clemens Alexandrinus 1. p. adag. c. 6 Nimirum quis ſicut à ſanguine eſt corporis vigor, quod valebat legiſlator dicens, animam, (hoc eſt vitam,) in ſanguine eſſe; ita ſpes fidem torpentem excitat ac vegetat: de ea ſic loquitur S. Hilarius, in Fragmento hiſtoriæ *initio*. [Spes egregia virtutum Dei teſtis, fiducia expectationis ſuæ: præſentia quæque vt nulla & incerta deſpiciēs, futuro verò vt æterna & præſentia apprehendens.] Sic de ſpe Theologica S. Hilar. Hic enim non moror illam etiam res potius humanas ſpectantem ſpem, quam, Philo. l. 61. de Abrah. à Deo in foribus conſtitutam, velut ianitricem tradit; quamque Anonymus, l. 1. carmi. var. pag. 57. ferè deſcribit, nutantem, pendulam, dulce malum, officioſum ſed dubium in ærumnis lenimen, Saluianus l. 2. ad Eccleſ. pag. 389. quoque, omnia in humanis ſpe niti demonſtrans in eius laudes concione de more excurrit. Eam ergo (vt dixi), non moror hic, intentus in ſolam ſpem Theologicā, quam S. Maximinus Centur. 2. ex variis c. 74. *germen pulchrum fidei* denominat: Chryſoſtomus hom. 9. in 1. ad Theſſal. verò vocat *galeam animæ*, & magnis præconiis extollit Gulielmus Pariſienſis l. de mor. c. 3. Huiuſmodi ſpes, micat inſigniter in Religioſis. Hæc enim eſt, (vt dixit Proclus informans. Armenios, [quæ in præſentibus, ſibi futura iam præparat.] Id verò niſi per ſpem præſtarent Religioſi à ſæculo extorres, quomodo durarent? Quomodo tot ærumnas & aſperitates quas ipſorum ſtatus infert, deuorarent, tantò tempore quanto vita producitur, niſi hoc ſuaui linimento guttur animæ colluerent? Abſque inſigni ſpe, fides iaceret emortua. Vnde Pædagogus Clementis pro anima eam habet in corpore Eccleſiæ. Cum corpore enim confert fidem, ſpem verò cum anima. Sicut ergo corpus abſque anima riget, & nullis vitalibus officiis defungitur; ita ſpes fidei adueniens, ac veluti calore vitali eam perfundens, torpore & flacciditate fidem prohibet. Nec dubium, quin fides niſi ſpe excitaretur, iis maculis ſorderet de quibus pleraque ſunt annotata in fractatione de cauſis contemptæ excommunicationis de monitor. par. 2. c. 18. à num. 2. Eſt enim plerumque fides deficiens, vel mortua, vel dormiens. Quas fidei oblationes, aneiti: ſpes vegeta, qua Religioſi, quia in hac vita tantum ſperantes non ſunt, feliciter animantur ac feruent. Ex hoc vigore ſemper irretuſo, quo Religioſi in Dei opere feruent, præcellentia ſpei eorum eruitur.

Odor & nitor Prudentiæ Religioſorum.

§. III.

Prudentia quàm odora apud Aſcetas.

SEcundum virtutes Theologicas (de quibus hactenus,) fragrant & renident in hominibus Religioſis, virtutes morales, quæ ad charitatem cōſequuntur vt frutices, ſiue ancillantur vt adminiſtræ conſentaneè ad illud Apoſtoli 1. cor. 13. *charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* Et reliqua quæ ibi enumerat, directè quidem ad alias virtutes, ſiue Theologicas, ſiue morales, pertinentia; eatenus tamen pertinentia ad hominis perfectionem in charitate conſtitutam quatenus à charitate mouentur, ſiue ancillantur.

Monſtrata ergo virtutum Theologicarum in Religioſis ſpecioſitate, atque fragrantia, progrediendum eſt ad virtutes morales. Earum ſedes eſt in voluntate, ſed ſupponunt aurigam in intellectu, prudentiam. Hæc duplex eſt, nimirum vna quæ eſt filiorum ſeculi, qui in generatione ſua prudentiores ſunt filiis lucis. Altera quæ eſt prudentia Iuſtorum. Prior iudice Apoſtolo Rom. 8. mors eſt & Deo inimica; atque adeò non eſt verè prudentia, ſed eſt tantum apparens, & ſui ſpecie fallens, iuxta S. Aug. l. 4. in Iulia c. 3. Deſcribit late eā prudentiæ larvam, Baltazar Chauaſſuis l. 1. de prud. c. 2. nec nos

Deum. At iuſtitia eſt virtus voluntatis, vt per ſe liquet, non dicitur quidem Religio pars iuſtitiæ ſubiectiua, ſed tantum potentialis; quia ius diuinum cui tuendo inſiſtit, tametſi ſtrictiſſimum & vigentiſſimum, tamen eſt per nos inadæquabile. Nihilominus, inde nihil decedit veritati debiti cui euoluendo obſtringimur. Quod autem nihil rependi poſſit iuri diuino plenè commenſum, ad illius iuris ſublimitatem, noſtramque puſillitatem pertinet, ſalua vera ratione iuſtitiæ, ex parte motiui, & obiecti formalis.

Virtus ergo Religionis moralium voluntati inſidentium princeps, ſpectat cultum Dei, & ab ea appellationem traxit illorum qui Latinis *Religioſi* dicuntur, Græcis *Therapeutæ*. Verum eſt, hanc Græcam vocem & *Curatorem* ſiue *Medicum* & *Cultorem* ſignificare, vt Philo l. de vita contempl. notauit, traduntque etiam Euſebius 2. hiſtor. cap. 16. ac Sanctus Epiphanius hær. 29. Et vtraque notio bellè cadit in Religioſos. Sunt enim medici animorum doctrina & exemplo, vt inferiùs dicetur, & ex inſtincto ſunt addicti cultui numinis. Poſterior tamen *Therapeutæ* notio, videtur vniuerſalior; cum plerique Monachi omnibus mortalibus prorſus ignoti, quorum meminit Sanctus Auguſtinus l. de mor. Eccleſ. c. 31. fuerint Therapeutæ, eo ipſo quòd Monachi erant, nec tamen verbo aut exemplo quemquam curauerint. Iure ergo Religioſi dicuntur *Therapeutæ*, quia vt Philo dixit. [A natura & legibus ſacris ſunt formati ad colendum id quod eſt; quod etiam bono præſtat, & eſt vno ſincerius ac purius, & monade ſeu vnitate antiquius.] Nec aliter Sanctus Dionyſius cap. 6. Eccleſ. Hier. Vterque conſentaneè ad Platonem, in Eutyphr. qui *θεραπεύειν* vſurpat pro cultu numinis. Igitur Apoſtoli iuxta Sanctum Dionyſium, Monachos dixere *Therapeutas* à cultu numinis, cui ex proprio inſtituto inſiſtunt. Conſiderat enim eos Sanctus Dionyſius, tanquam nobiles cœleſtis aulæ, & in obſequio Regis ſeculorum vitam exigentes; indéque interpretatur dictos eſſe *Therapeutas*, ſiue *cultores & aulicos* Dei. Vnde apud Scotos olim Monachi dicti *culdei* hoc eſt Dei cultores aiunt Hector Boecchus l. 11. hiſtor. & Buchenanus agentes de Conſtantino Rege Scotorum qui tranſierat ad Culdeos abiecto regno anno 943. agnoſcens quod Religioſo ſtatu, nullus in terris honorificentior, nullus ad promerendos cœleſtes fauores opportunior, poteſt occurrere. Nec timenda in hoc aulicíſmo tunc ea pericula per quæ perueniri ad grandius periculum, vt ille apud Auguſtinum 8. confeſſ. cap. 6. aulicus profitebatur. Nam regiarum in terra domorum vultures, (liceat Senecæ, Epiſt. verbum vſurpare,) præ faſtidiis & angoribus quibus ſubiacent, à Bleſenſi Epiſt. 14. meritò dicuntur Martyres Seculi. Quæ appellatio quàm verè in eos cadat, liquet ex illis quæ varij, aulam & aulicas ærumnas graphicè repræſentantes proponunt: nominatim Æneas Syluius Epiſt. 42. & 166. Geneſius Sepulueda, Epiſt. 59. Antonius Gueuara, Iacobus Reynerus autor Alphabeti aulici, & alij: omnes poſt Lucianum in mercede conductis. Hæ ærumnæ ad martyrium infructuoſum ſufficientes quoad aulicos ſeculi, vt alibi l. de martyr. parte 1. cap. 6. dico, locum non habent in Therapeutis aulæ cœleſtis, qui hic ſtant in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Nam conſuetudo Regis cui inſeruiunt, Sap. 8. non habet amaritudinem, nec tædium conuictus illius. Et commoda quæ captant, non ſunt eiuſmodi, vt quia in multos diuidi non poſſint, paucis obueniant, & reliquos neceſſariò dimittant famelicos. Monebat Attentum Tyronem Delphidium Auſonius, de profeſſor. Burdegal. in 6. *quod inquieto temporis pede ſe attollens, dum ſpem remotam ſemper arceſſit ſibi, Fiſtidioſus obuia, ſuúmque malens eſſe quàm fati bonum, deſiderio ſpei plurima, vagus per omnes dignitatum formulas, meritiſque plura quàm gerens.* Non ſic res habet in terreſtri aula Dei. Nemo plura meretur, quam gerit. Nemo ſibi ſpem remotam anxiè arceſſit, quia Deus noſter quem vnum captat obſequioſa Therapeutarum horum clientela, æquè eſt Deus de vicinis, ac Deus de longè, vt Ieremiæ 23. docemur. Quam infelices ergo ſunt curiales ſeculi, tam felices habendi ſunt aulici Dei; quod eſt Therapeutam eſſe, nominéque ab Apoſtolis ipſis delato Religioſis, potiri. Sunt enim ipſi Apoſtoli, huius nuncupationis autores, quos Sanctus Dionyſius appellat diuinos noſtros *καθηγεμόνας*, & Matthæus Galenus de orig. monaſt. cap. 1. rectè intellexit. Porrò cum iuxta prædicta, idem ſonet *Religioſi* nomen, quod *Therapeutæ*, ſiue *cultoris Dei*, apparet nihil è admodum, Eraſmum l. 3. Eccleſ. pag. 566. circa Religioſorum nomen cauillari, decernendo abiiciendum eſſe, tanquam ſuperbum; eo quòd dicere ſe *Religioſum*, perinde ſit atque *pium* ſe ac *ſanctum* appellare. Iuxta quam nimium quantum fallacem rubricam, nefas foret ſe *Chriſtianum* dicere, cum vox *Chriſtiani*, ferat pietatem ac ſanctitatem, profeſſione ſaltem ac obligatione captatam. Nec temperatiùs delirat ibidem Eraſmus; circa alias pleraſque locutiones vſu receptas, ac præſertim circa eum loquendi modum, quo Religioſi dicuntur *mundo mortui*, & qui ab inita profeſſione reſiliunt dicuntur *Apoſtatæ*. Quod enim ipſe Eraſmus in Religione vixiſſet, vitam renimirum ſeculi amore non vitalem, quam exagitat in pleriſque veſte ſola Religioſis, Petrus Bleſenſis in Inuect. pag. 546. Quòd item perfidè à Religioſo ſtatu, poſt nouennium defeciſſet, fecit quod erriones lupæ ſolent, anteoccupauit probri illius impactionem. Dimiſſo ergo ſpurio hoc vitulamine, cuius ſpæ et coronam geſtauit, etiamſi Rex non erat (vt in alium Eraſmi ea ex parte gemellum iocatur Bleſenſis,) Epiſtol. 21. ratum ſit Religioſis nomen *cultorum Dei*, ſiue *Therapeutarum* aut *cœleſtis aulæ miliſtum* & *Regis æterni aſſeclarum*.

Frequentatur hæc cœleſtis aula, per actus quibus noſtra conuerſatio in cœlis eſt; nempe per orationem, cuius interuentu cum Deo familiariter colloquimur. Et idcirco eſt actus diuini cultus, maximè conſentaneus Religioſis. Vnde iam olim ab oratione aſſidua *Religioſus* dicebatur *ἱκέτης*, id eſt *ſupplex*; quod precando præſtatur. Philo librum ſuum de vita Religioſorum Alexandrinorum ſub S. Marci diſciplina florentium, inſcripſit *de vita ſupplicum*. Ex eo porrò quòd Religioſus Deo per orationem ſupplex fiat, & cum eo familiariter agat, eruit S. Bernardus quanta Religioſo iniiciatur obligatio hanc functionem Reginæ virtutum (vtique moralium) & vt Nyſſenus de perfect. Chriſtiani hom. forma, appellat *Antiſtitæ chori virtutum*, vel etiam vt Caſſianus collat. 9. c. 2. loquitur, culminis ac finis virtutum omnium, obeundi accuratè, magnáque cum attentione, & reuerentia. Grauiter de more S. Baſilius initio Conſtit. confirmat, ſapientis Monachi eſſe, curam orationis curæ aliarum rerum omnium, anteponere. Eóque ſtudio, connectetur eximius vitæ nitor, rectè oranti neceſſarius. Quod inſi-

SECT. I. SANCT. I. §. IV. Religioſus in Religione ... [illegible]

SECT. I. PVNCT. I. §. IV. *Religionis in Religiosis odio bonum.*

nuabat antiquus vſus abluendi manus ante orationem, vt teſtatur Sanctus Chryſoſtomus hom. 6. in 1. ad Timoth. Et ex eodem fine, ex Dei ipſius inſtitutione, manus inter orandum attollendæ ſunt ſurſum. Quo geſtu admonetur qui orat, manus habere nitentes, & puras ab omni inquinatione, vt obſeruat Sanctus Chryſoſtomus ad illud Pſalmi 140. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Æque Sanctus Auguſtinus ad illud Pſalmi 62. *in nomine tuo leuabo manus meas*, ait, manus orando leuari ac ſurſum tolli, ne erubeſcant ad Deum attolli, ſi in bonis operibus non exerceantur. Quod egregiè quoque verſat in opere de vita Chriſtiana cap. 11. Addit eodem loco Pſalmi 62. idcirco attolli manus inter orandum, quia denarius digitorum in vtraque manu ſurſum elata, bellè reſpondet denario præceptorum legis, cuius obſeruatione mundamur. Quæ cogitatio placuit quoque Caſſiodoro l. de anima cap. 16. manuum myſterium exponenti. Inuenio qui addat reſol. l. 1. de virtut. cap. 1. ſect. 3. & à Patribus proditum aſſerat, fideles olim omnes, Pontifice orationem concludente, pedem attollere ſolitos. Et quia ea concluſio erat adunatio affectus omnium comprecantium, inde donata eſt *collecta* nomine, iuxta autorem Micrologi cap. 3. & Valafridum cap. 12. atque Bleſenſem ſerm. 43. Sublatio itaque pedis eo temporis articulo facta, inſinuaſſe videtur, vnanimes omnes, pedibus animæ, hoc eſt affectibus ſurſum tendere. Vel certe ſe viam mandatorum Dei velle decurrere, & ſic incedendo ad cœlum progredi. Quæ ritus illius expoſitio, recidit in eam quam aſſignauimus ritui ſublationis manuum inter orandum: qui ritus eſt hodiéque vigens & longè frequentior ſublatione pedis quam apud ſolum Clementem Alexandrinum lib. 7. Strom. legere memini. Vnde veriſimile eſt non fuiſſe admodum frequentatum, vel diu prorogatum.

Religioſi ergo, ſicut vi ſtatus ſui; ad exquiſitum vitæ nitorem aſtringuntur, ita maximè apti ſunt ad hoc virtutis Religionis exercitium, ſiue mente, ſiue voce adiuncta obeundum. Poteſt enim oratio & ſola mente fundi per applicationem internarum facultatum, & admotione oris ad offerendos Deo vitulos labiorum. Neutrimodo orandi, deſunt Religioſi probati. Nam quod attinet ad orationem immotis externis labiis fuſam, adeò ratum habuit Caietanus 2. 2. quæſt. 82. artic. 3. eam non debere à Religioſo prætermitti, vt ſcripſerit; [non poſſe vocari Religioſum, qui ſemel ſaltem in die, ad huiuſmodi orationem (mentalem) ſe non transfert. Quomodò namque effectus ſine cauſa, & finis abſque medio, inſularis portus abſque nauigatione haberi nequit, ita abſque rerum diuinarum commentatione, non poteſt obtineri ſcopus Religioſo præfixus, & vniuerſorum finis, qui coniunctione cum Deo, & redactione in vnum cum eo ſpiritum, continetur. Præiuerat Sancta Bonauentura lib. de præfat. vitæ cap. 5. qui Religioſum abſque mentalis orationis frequentatione, miſerum & inutilem pronunciat: qui immo coram Deo, ait ferre in corpore viuo, mortuam animam. Alibi l. 7. de proceſ. relig. cap. 11. vitam Religioſam abſque oratione mentali, ait eſſe fauum abſque melle, & murum abſque temperamento, ac cibum abſque condimento. Itaque meritò, qui non vacuum Religioſorum nomen præferunt, aſſiduè exercentur in eo orandi genere, dicentes cum Dauide pſalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum & non ſum locutus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui: Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum. Ab hac exercitatione mentis, ſiue meditatione rerum* diuinarum aſſidua, ductum eſt nomen *Aſcetarum* Monachis inditum, ex Euſebio. hiſtor. cap. 10. Quamuis enim mentis exercitatio, alia præterea quædam complectatur, vt latebrarum animæ ſcrutationem, piam lectionem, & huiuſmodi alia augendo ſpiritui accommodata; tamen quod eſt exercitationis illius veluti anima, eſt meditatio rerum diuinarum, in qua ignis pietatis exardeſcit. Vnde Sanctus Ignatius, aureolo libello de ſacris commentationibus, nomen *libri exercitiorum ſpiritualium* indidit, imitatus loquendi modum apud Patrès receptum, vt videre eſt apud Suarem tractat. vltim. de Relig lib. 9. c. 5. & apud Iulium Nigronium tract. 6. aſcet. cap. 9. Aſceſis ergo ſiue exercitatio ſpiritus, à qua Religioſus *Aſceta* dicitur, & Moniales *Aſcetria*, monaſteria autem *Aſceteria*, vt eſt apud Socratem lib. 4. cap. 18. oratione mentali maximè continetur. Atque adeò qui in Religione ei orationi non inſiſtit, excidit *Aſceta* nomine, quo Religioſus iam olim inſignitur; ac proinde non eſt Religioſus, niſi nomine aut veſte tenus, quia non poteſt exhibere Deo cultum nomine Religioſi inſinuatum. Is quippe cultus, oratione mentali, vt ignitabulo colendi numinis fomites ſubminiſtrante, continetur: vnde tantum eius pretium apud Chriſtum, & Patres, ad quoſvis Sanctos. Videſis Suarem l. 2. de orat. c. 1.

Ita porrò quotidiana Religioſis eſt ea animi exercitatio, vt præterea certo anni tempore, ad opportuniùs pendendum Deo hunc cultum, ſecedant abdicatis omnibus aliis negotiis ad volandum Deo ſoli, ideóque includant ſeſe, & nemini ad ſe acceſſum præbeant, ſed viuant in magna attentione orationum. Verba ſunt Auguſtini l de opere Mon. cap. 23. Factitabat hoc præcellens vitæ Religioſæ Magiſter, Euthymius Abbas, Cyrillo cap. 2. Actor. teſte, ſecedens quot annis in eum finem, ad loca deſerta & auia quò non commearent mortales. Ad eum locum Actorum S. Euthymij, notat Ioannes Bollandus, num. 11. idem feciſſe SS. Sabam, atque Geraſimum, & Quiricum ac Zozimam. De ſe ipſo ſic ſcripſit Petrus Damiani ſer. 21. [His diebus, ad propria peccata familiariùs deploranda, non ſolùm remotioris cuſtodiæ obicem corpori, ſed & procaci linguæ fræna poſuimus. Multos alios adducit, qui hoc argumentum iuſta tractatione verſat Iulius Nigronius tractat. 16. Aſcet. cap. 2. [Horum exercitationem (ait ſupra Sanctus Auguſtinus,) in tam mirabili continentia, non ſolùm non reprehendo; ſed quantum dignum eſt, laudare non poſſum.] In his præſertim receſſibus, ſepoſita omni alia cura, locum habuere prolixæ illæ de rebus diuinis commentationes, annotatas à variis piis ſcriptoribus; Eiuſmodi erat, illius qui prolixitate orationis tabellam cui meditans diuina, inſiſtebat, adeò attriuit, vt excauaret, teſte Moſcho cap. 183. in Limonario, & eius de quo in hunc modum Nazianzenus in carmine pro Monachis ad Hellenium;

Eſt etiam lingua iniecit qui vincla loquaci;
Solo animo laudes perſonuitque Deo,
Eſt etiam in ſacris qui totis ædibus annis
Conſtiterit fundens vota precéſque Deo,
Nec, (quod via credas,) claudebat lumina ſomnus
Sed lapis vt viuens, in preces fixus erat.

Egiſſe

Egiſſe de Paulo primo Eremita, exiſtimat Billius; quia ſubdit,

Huicque cibi reliquum donabat coruus.

Si de Paulo egit Theologus, dimidiatum panem, quotidie per annos ſexaginta allatum a coruo, *cibi reliquum* dixit, & ſpeluncam eius *ſacras ædes*.

Iam orationem voce fuſam, eſſe Religioſis familiariſſimam, nemo non videt. Hoc enim iugi ſacrificio, placare Deum ſatagunt ac colere. Precationem ſacrificium vocat Chryſoſtomus hom. 5. in 2. ad Cor. agens nominatim de oratione quæ voce præfertur, & victimam in eo ſacrificio oblatam, nec non macheram qua trucidatur, & ignem quo comburitur; cite deſcribens vnde infert, quanta in hoc ſacrificio attentione ſit opus, imitatione Abrahæ; qui pergens ad ſacrificandum Iſaacum, nec vxorem exciuit, nec famulos admiſit: ſed vnà cum aſino procul hærere voluit. Neque verò ambitus huius orationis, ſola precatione à Chriſto propoſita continetur, vt ſtultè dixere Inſabathati, apud Prateolum V. *Inſabathati*, ſed quamuis ea ſit (vt loquitur Tertullianus l. de orat. cap. 9.) *legitima & ordinaria* precatio quã ſoli pij recitare poſſunt iuxta Iſidorum l. 4. Epiſt. 24. eſtque plerique nec inepta iuſtum à Patribus collaudata, diligenterque expoſita à S. Cypriano, Nyſſeno Chryſoſtomo, Petro Laodiceno, Thoma Aquinate, Auguſtino Anconitano, Abelardo, Gabriele Biel, Carbone, plenis tractatibus, nec non Cyrillo Hieroſolymitano Catech. 4. Caſſiano, Germano Conſtantinopolitano, & alijs quos recentiores deflorarunt Bellarminus, l. 1. de bonis oper. in partic. a capit. 4. Suares 3. de orat. cap. 9. Scortia 4. de miſſa cap. 22. Durantus l. 2. de rit. cap. 46. fas tamen nobis præterea eſt, alias orationes voce fuſas, vſurpare cum fructu & laude. Eiſque ſæpenumero vſurpant Religioſi: Et ita feciſſe iam olim Monachos, locuples teſtis eſt inter eos diu verſatus Sanctus Chryſoſtomus hom. 69 in Matth. deſcribens eorum inſtituta; his verbis. [Illa orbis terrarum lumina, in exortu ſolis, imo verò multò etiam ante diem, è lectulo ſurgentes, &c. Illicò poſtquam è lectulo ſplendentes & læti ſurrexerint, choro conſtituto, integra conſcientia, omnes quaſi ab vno conſonantes ore, diligenter hymnis Deum laudant, *&c.* Hymnis verò iam decantatis, genibus flexis, Deum vnanimes pro his orant, qui ne in mentem quidem multorum facile veniunt. Nihil enim præſentium petunt rerum; quippè quarum nulla ſibi omnino cura eſt; ſed vt intrepidi, cum filius Dei vnigenitus ad iudicandum viuos & mortuos venerit, ante tribunal illud terribile aſſiſtant, vt nullus tremendam illam vocem audiat, *Neſcio vos*, & laborioſam hanc vitam recta pergant conſcientia, vt difficillimum hoc more ſecundo nauigent vento. Huius orationis dux eſt illorum Pater atque profectus.] Confert conſequenter Sanctus Chryſoſtomus, iucunditatem cantus Sanctorum Monachorum, cum dulcedine cantuum ſcenicorum ac theatricorum. Quam comparationem ita exequitur, vt dicat; [Tantam ſi perpendimus differentiam inueniemus, quantam ſi quis canentes Angelos modulationem diuinam audiret, & porcos in ſtercore defoſſos ac grunnientes. Ora namque illorum Chriſtus; iſtorum verò Diabolus loquitur. Tibiæ inflatis genis deformi facie, incertam, & inarticulatam iſtis emittunt vocem. Per illorum ora, gratia ſpiritus loco tibiæ, citharæ, atque ſyringis, adeò ſuauiter ſonat, vt non ſit poſſibile, luto, & lateri affixis, tantam ante oculos ponere voluptatem. Quare vellem aliquem eorum qui circa hæc in animum illinc adducere poſſe, & hunc ſanctorum chorum oſtendere, non iam pluribus mihi opus eſſet verbis.] Pergit diffusè exponere, huius ſanctorum cantus, & profanorum, diuerſos effectus; quæ ne fuſior ſim exſcribendo; apud eum legantur. Et affinia habentur apud Philonem deſcribentem inſtituta ſupplicum ſub Sancti Marci diſciplina Alexandriæ degentium, vt habet veriſimilior, & communior de illis ſupplicibus ſententia.

SECT. I. IVNCT. I. § IV. *Religionis id Religioſis onus bonum.*

Quamvis autem Philo vniuersè tantùm, hymnos à ſupplicibus decantatos memorat, & Sanctus Chryſoſtomus hymnos Propheticos, certum tamen eſt vtrumque, per hymnos intelligere, præſertim Pſalterium, quo maximè continetur Canon Deo à certis perſonis penſitandus. Vnde tractum eſt nomen *Horarum Canonicarum*. Eſt enim Canon, menſura quot annis pendenda, quam qui exigebant, *Canonici* dicti leguntur in duplici Nouella, & apud Caſſiodorum 11. & 12. var. Per proportionem igitur ad illud annuum, penſum; quod quotidie homines Dei, coloni boni; hero optimo pendunt, donatum eſt nomine *Horarum Canonicarum*. Vſurpantique in hoc ſenſu, *Canonis* vocem, Moſchus c. 27. & 40. S. Columbanus c. 7. Regul. Caſſianus l. 2. cap. 6. Antiochus hom. 105. Qui alios, ad Canonis penſitationem pulſato ligno excitabat, *Canonarcha*, vel *Canonis præfectus* à S. Dorotheo doctr. 11. eſt nuncupatus. Veteres, hoc penſum, quia certo temporis ſpatio decurritur, *curſum Eccleſiaſticum* appellarunt. S. Benedictus gaudet appellare *opus Dei*. Optime in hanc ſententiam Sanctus Bernardus lib. 47. in cant. hinc inferens, quàm non ſit obeundum negligenter, ne incurratur in maledictum à Deo per Ieremiam capit. 48. intentatum cum ait, *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. Agit quidem ibi Propheta de cæde hoſtium à Deo indicta; quam plenè ac ſine fraude nullo perſonarum reſpectu habito, patrari præcipiebat. Vnde additur: *Et maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Tamen vt ſapienter ratiocinatur Theodoretus ad eum locum. [Si iuſſu Dei, ſermo Propheticus ſubiicit maledictioni, eos qui negligenter occidunt, quantas nos pœnas exoluemus, ſi munus ſpirituale paruipenderimus.] Et lenit etiam ac mollit eam obtorſionem loci Ieremiæ, quod fructuoſiſſima eſt Pſalterij recitatio, cum adiungatur ſanguinolenta ſui perfoſſio; hoc eſt, interprete Caſſiano collat. 20. cap. 8. mortificatio, ac vt Piſidas de ſuo Sergio aiebat, cum ſit homo paſſionum barbararum carnifex. Aduerto tamen, S. Benedictum indita huic penſo denominatione *Operis*, deflexiſſe ab vſu veterum, quibus *Opus*, & *Operatio* ſpectabat eleemoſinam. Vnde liber Sancti Cypriani de erogatione eleemoſinæ, inſcribitur de *Opere*. Ad quem titulum, iure Pamelius ſuccenſet Georgio Fabricio, qui ex ſuo cerebro contra omnium codicum fidem, eraſa voce *operationis*, ſubſtituit nomen *miſerationis*. At non ſolus Sanctus Cyprianus, eleemoſinam nomine *Operis* antonomaſticè dicti expreſſerat, ſed etiam Tertullianus l. de Idol. ſub f. & l. 4. in Marc. cap. 19. non vno loco. Vnde mulieres Chriſto de facultatibus ſuis miniſtrantes, vocat *operarias*. Prudentius item in Pſychomachia, *operationem* opponit auaritiæ. S. Leo; exponens quintam beatitudinem, pollicetur ſecuritatem, fidei *operantium*; id eſt eleemoſinas erogantium. Sed hoc obiter, occaſione eiuſdem vocis, à S. Benedicto incitæ recitationi diuini officij, ex Pſalmis præſertim concinnati. Sunt de Pſalterio innumera Patrum encomia, nominatim Chryſoſtomi

SECT. I. PVNCT. I. §. IV. *Religionis in Religioſis vſus bonus.*

mi hom. 28. in Epiſt. ad Rom. & in pſalm. 41. & hom. 6. de pœnit. Gregorij Magni hom. 1. in Ezech. Athanaſij item Magni ad Marcellin. & ex recentioribus Innocentij tertij, Proœm, in 7. Pſal. Turrecrematæ tractat. 75. in reg. S. Ben nec non proloquentium ad Pſalterij interpretationem.

Frequentatio autem recitationis Pſalterij; perpetua eſt Religioſis omnibus; ſiue ſoli eam precationem obeant, ſiue alternantes concrepando; de cuius alternationis antiquitate, plenè in tractatione cuius titulus eſt, *O paraſcenaſticum* prælud. 1. & apud Anacletum, Siccum in opere de Eccleſiaſtica hymnodia. Ex Nazianzeno orat. 3. numer. 95. autem habemus, & Iulianum Apoſtatam agentem ſimium noſtrum, hunc alternatim canendi morem ad ſuos Ethnicos poppas transferre cogitaſſe, ineſcaturum (vt putabat,) ea cantus mulcedine populos: vt ſanè inter fideles, ea illecebra admodùm potens eſt, vel ad laudem Deo pangendam, vel ad depactam ab aliis cupidè audiendam, vt de ſua matre fatetur Sanctus Auguſtinus 9. conf. c. 7. & de ſe ipſo alibi l. 10. Confeſſ. cap. 33. Cum ergo vſus ille alterni cantus iam vigeret in Eccleſia, tempore Iuliani, non poteſt videri inuentum nouum. Nec poteſt cenſeri reprobus, quod ſcelerato illi placuerit, imitatione exprimere conatus ſit, alioqui cœnobia quoque, & parthenones, & hoſpitalia, & prælectiones in ſcholis, quæ omnia momus ille ad Ethnicos transferre in animo habuit, eodem Nazianzeno ſupra teſte, reiicienda eſſent à Chriſtianis, cum tamen ſcitè dictum ſit à Clemente Stromateo lib. 7. Strom. *quod pulchrum eſt, ſequitur momus.* Et in ipſo Diabolo inimicum hoc Dei ingenium abſque diuinorum operum dehoneſtatione aperit Nycetas hom. 14. in Cant.

Adeò porrò inferbuere Religioſi in hoc diuini cultus exercitio per alternationem cantus, vt pleriſque locis, cum in Oriente, tum in Occidente, data ſit illi opera abſque intermiſſione. Sic fecere. Acremetæ: ſic dicti, non quòd in omnes perpetuò eſſent, (id enim non ferret humana imbecillitas, cui ad reparandos vires, ſomnus medicus laborum (vt Tertullianus l. de anima appellauit,) & naturæ portus, (vt vocauit Iſidorus Peluſiota l. 3. epiſtol. 199.) eſt omnino neceſſarius:) ſed quòd aliqui ex eo cœtu ſemper eſſent in choro precantes, & pangentes Deo laudes, & his pio officio perfunctis, ſuccederent alij donec finita & die & ſorte ſingulorum, reueniretur ad primos; Inſtitutum id fuit Sancti Marcelli Abbatis, à diſcipulo eius Sancto Marcello (de quo tabulæ Eccleſiaſticę 29. ſept.) feliciter propagatum in ſuo monaſterio, quòd à Studio ciue Romano locuplete ac potente, copioſis facultatibus eſt auctum; vnde eius Monachi qui aliàs *Acremetæ* dicebantur, *Studitarum* quoque nuncupationem retulerunt. Legeſis acta S. Marcelli, vbi de hoc perpetuæ laudis inſtituto plura. In Occidente Sanctus Columbanus, Luxouij eundem vſum induxit, teſte Sancto Bernardo in vita S. Malach. perſtititque Luxouij laudis perpetuæ frequentatio vſque ad ſtragem Monaſterij per Vandalos & Hunnos, ſub annum 730. vt eſt in Catalogo Abbatum Luxouienſium: Et idem refertur in priuilegio Luxouienſibus collato per Carolum Magnum. Hauſiſſe hunc vſum Columbanum, ex Benechorenſi Monaſterio, è primi patris Congelli diſciplina, in multa Monachorum millia feliciſſimè ſoboleſcente; quibus exteræ quoque regiones; & nominatim partes Gallicanæ, velut inundatione facta ſe effundentibus, ſunt rigatæ, Sanctus Bernardus autor eſt loco annotato. Præterea Romarici, S. Amatus 12. Monachos ad ſingulas horas pſallentes inſtituit. Item Agaurij S. Sigiſmundus Rex, & Martyr, nobiliſſimi cœnobii inſtitutor, laudem perpetuam frequentari voluit, vt eſt apud Gregorium Turonenſem 4. hiſtor. cap. 6. & l. 3. c. item 6. nec non apud S. Eucherium iuniorem, in Actis S. Mauritij. S. kentigernum, trecentos ſexaginta quinque Monachos laudi perpetuæ addixiſſe, autor eſt Capgrauius in operæ de SS. Ladiſlaus Rex Poloniæ, quo loco olim in falſi numinis honorem ignis perpetuus arſerat, laudem perpetuam per pios Monachos pangendam inſtituit, vt ſcribit Ioannes Nider. 4. fornic. cap. 9. Alfonſus I. Rex Luſitaniæ mille Monachorum cœnobium conſtituit, quos laudi perpetuæ operam dare voluit, vt ſcribit Mauriquez in Laurea Euangelica, & Chryſoſtomus Henriques in Ciſtercienſi Menologio. 20. Auguſti. Eundem perpetuò pſallendi ſacrum vſum, inſtituit S. Angelbertus Abbas Centulenſis, & quidem adhibitis tribus choris ſemper concinentibus; ita diſtributis, vt ſinguli in ſuis turmis, ſibi abſque intermiſſione ſuccederent. Vnde quæritur, quod Hugo Menardus Conc. Reg. cap. 23. q. 9. agens de laude, perpetua à S. Columbano cap. 7. reg. indicta; affirmat; choros Monachorum laudem perpetuantes, non ſucceſſiſſe ſibi in eodem oratorio, ſed in diuerſis in eodem Monaſterio conſtitutis. Vt proinde chori duodecim Monachorum ſibi inuicem ſucceſſuri, non potuerint officium admodùm prolixum, (quale eo cap. 7. præſcribitur,) integro die perſoluere: ſed neceſſe fuerit, duodecim illos choros in tribus quatuórve eiuſdem Monaſterij oratoriis ſibi ſuccedere, concinendo laudes Dei. At vides tanquam ſingulare, nec alibi ſeruatum, notari quod in S. Angelberti Monaſterio, ſucceſſio cantantium, locum haberet in variis Oratoriis: Argumentum verò Menardi, euaneſcit, dicendo, illud duntaxat tempus cantandi per ſucceſſionem ad anteriores, fuiſſe cuique choro attributum, quòd ſufficeret explendæ certæ parti diuini officij, cuius decurſus demandatus eſſet ei choro: neque opus fuiſſe, vt ſinguli chori totum diuinum officium aliis ſuccedendo decurrerent. Et ita ſanè intellexiſſe modum ſine intermiſſione canendi, quotquot eius meminerunt, & præter cæteros Oliuerius Bonarſcius l. 1. de horis can. cap. 1. num. 6. & in Actis S. Bennonis Miſnenſis, Hieronymus Emſerus agens de inſtituta Miſnæ in Eccleſia Cathedrali, laude perpetua. Ex dictis patet, quanto ſtudio, Religioſi vocalem orationem frequentarint iam olim. Tametſi, quod ſapienter monuit Vmbertus in prologo ad opus de Erud. Religioſ. qui prudenter ſe gerunt non tantum momenti in oratione quæ voce funditur vt ob eam diu continuandam, conſumant diem totam in eius exercitio, dimittentes ſtudium ſacræ lectionis ac meditationis; in quo plerique rerum ſpiritus rudes, non leuiter hallucinantur.

Præter functiones diuini cultus in Religioſo ſtatu vſurpatas indicente virtute Religionis, creditus Alanus Caſtus dialo. 2. cap. 16. recenſet corporis afflictationes, ex fine honorandi Dei ſuſceptas; Iiſque gratiſſimum Deo ſacrificium offerri, confirmat ex Luca c. 2. qui Annam Phanuelis filiam, Deo in ieiuniis & obſecrationibus ſeruiſſe teſtatur, adhibens vocem exquiſitum Dei cultum ſonantem, νηστείαις ϗ δεήσεσι λατρεύουσα. Haud aliter Tertullianus l. de reſur. car. cap. 8. monſtrans quanta homini

homini per carnem bona. [Nam & ſacrificia Deo grata; conflictationes dico animæ, ieiunia, & ſeras & aridas eſcas, & appendices huius officij ſordes, caro de ſuo proprio incommodo inſtaurat Virginitas quoque & viduitas, & modeſta in occulto matrimonij diſſimulatio & vna notitia eius de bonis carnis Deo adolentur.] Si caro continentis ſe in matrimonio, vt expeditiùs Deo ſeruiatur, & caro Monogamis ſit hoſtia Deo (vt hic ait Tertullianus) quanto magis caro immolantis ſe Deo, ad perpetuam integritatem; Sunt aliæ pleræque rationes colendi Deum per myſtica ſacrificia Religioſis familiares: [Nihil enim mali reſpiciens oculus (ait Sanctus Chryſoſtomus hom. 20. in ad Rom.) factus eſt hoſtia; nihil turpe loquens lingua, facta eſt oblatio; nihil iniqui committens manus, facta eſt holocauſtum.] Eáque ratione poſſumus ipſi nobis eſſe Sacerdotes, & gladius, & altare, & ignis, vt ibidem ſubdit Sanctus Chryſoſtomus hom. 2. de Dauide & Saule & hom. 2. in ad Hebr. & in Pſalm. 95. ad illud *de die in diem*, & habet affinia alibi. Per gemitus, hominem ſacrificare Deo dixit S. Ephrem. tract. de pœnit. ad quem alios addit Voſſius. Per omnem virtutum actum, hominem Chriſti imitationes vitaliter ſe immolare ipſúmque ſibi eſſe, & hoſtiam, & Sacerdotem, ſcitè proſequitur Petrus Chryſologus ſerm. 108. expendens adhortationem Apoſtoli vt exhibeamus nos Deo hoſtiam viuam quod item præclarè facit Iſidorus Peluſ. lib. 3. epiſt. 75. Denique Sanctus Auguſtinus l. 10. ciuit. c. 6. omne opus bonum ad eum finem relatum quo beati eſſe poſſumus, inſignit nomine ſacrificij. Eſt igitur ingens copia actuum quibus Deus ſupremo cultu à nobis affici poteſt in Religioſo ſtatu. Nec in tanta varietate operum ad propriam perfectionem ſpectantium eſt opus excurrere in actus charitatis erga proximos & procurationem ſalutis animarum quam nomine ſacrificij donat Chryſoſtomus hom. 29. ad Rom. expendens illud Apoſtoli *Sanctific. adminiſtrans Euangelium*, Græce eſt *ἱερουργοῦντα*. Et alia habet hom. 25. de Chriſtianæ Religionis officiorum cacumine in ea procuratione verians illud ex 1. Cor. *Imitatores mei eſtote.*

§. V.

Fortitudinis Religioſorum odor ſuauiſſimus.

FOrtitudo, virtutum Moralium tertia, vel ſuſtinens eſt, vel aggrediens. Sub vtraque conſideratione, hæc virtus inſigniter ſe prodit in Religioſis, quod initio facto à ſuſtinente, quippè operoſiore, monſtraturum venio, quam breuiſſimè.

Vt perſpiciatur fortitudo ſuſtinens Religioſorum, adducenda ſunt verba Nazianzeni orat. 28. de Philoſopho: quo nomine, pro vſu Græcorum, intelligit Monachum, vel ſi vniuerſalius eſt locutus; tamen in hoc preiſè dicto Philoſopho, locum maximè habet eius oratio. Sic igitur habet. [Eſt quædam in fabulis arbos quæ cum cæditur, viret; & aduersùs ferrum certat: ac ſi de re noua, nouo more loquendum morte viuit, & ſectione pullulat, atque cum abſcinditur creſcit. Habetis fabulam iure ſuo quidvis libere confingentem. Mihi verò eiuſmodi quidem planè eſſe vir Philoſophus videtur. Floret enim inter cruciatus, ac vitæ moleſtias, virtutis ſegetem exiſtimat, atque in aduerſis geſtit, & gloriatur. Sic nimirum ſe comparans, vt nec ob dextræ iuſtitiæ arma efferatur, nec ob ſiniſtra inflectatur: ſed in diuerſis rebus idem ſemper ſuique ſimiles permaneat, atque adeò probatior tanquam aurum in fornace reperiatur.] Diſtinctè ac ſigillatim per omnes ætates, & conditiones, ac euenta omnia quæ poſſint homini Philoſopho accidere, monſtrat eum ſemper æquanimem, ſemper ſui ſimilem futurum; quæ eſt genuina exquiſitæ fortitudinis characteriſtica. Tum concludit. [Maledictis lacerabitur? vincet, maledicta non regendo. Perſecutionem patietur? Suſtinebit. Blaſphemabitur? obſecrabit. Calumniis premetur; orabit. Percutietur in dextram maxillam? Præbebit & alteram; Tertiam etiam, ſi haberet obiecturus, quo magis ad lenitatem, percuſſorem erudiat, opere docens quod ſermone non poteſt. Probris impetetur? Et Chriſtus quoque. Afflictionis ſocietate ornabitur. Quamvis etiam Samaritanus vocetur, quamuis hoc ei obiiciatur, quòd Dæmonis intemperiis agitetur, cum Deo omnia ſuſcipiet *&c.* Nihil Philoſopho fortius eſt, nihil inexpugnabilius. Omnia prius cedent, quam vt manus & Philoſophus. Onager eſt in deſerto, (vt cum Iobo loquar) ſolutus & liber *&c.* vt in ſumma dicam; Duo hæc arripi & ſuperari nequeunt, Deus & Angelus. Tertium eſt Philoſophus; in materia expers materiæ, in corpore incircumſcriptus, in terra cœleſtis, in paſſionibus impaſſibilis in omnibus rebus vinci ſe facile ferens, præterquàm animi magnitudine. Eo ipſo quod vinci ſe patitur, eos qui ſuperiores ſibi eſſe videntur, deuincens.] Nihil facilius, quàm decurſis variorum ſanctorum Religioſorum Actis, comprobare, expreſſionem fortitudinis patientis à Theologo propoſitam. In Philoſopho, locum habere in Religioſis; quippè veris Dei Philoſophis. Addere verò licèt ex Theodoreto orat. de charit. Religioſis plura accidere dura quàm paſtoribus, ſub dio rigorem hyemis; & æſtiuam aeris flagrantiam excipientibus. Nec vllos eſſe vitam aſperrimè exigentes, qui non concedant Religioſis, de perpeſſionum acerbitate, ac multiplicitate. Vt proinde neceſſe ſit, Religioſos fortitudine ſuſtinente inſtrui. Et re ipſa ſic communiri, docet duratio in tot aſperitatibus. Ad eandem mentem adduci poteſt, celebrata in Eccleſia fortitudo Martyrum ſuſtinens, de qua plenè in Tractatione de Martyrio par. 4. cap. 3. & apud Illefonſum deflores, in opere de pretioſis Agonibus. Quæ item de inſtrumentis cruciatuum Martyribus irrogatorum, ab Antonio Gallerio l. de ea re, & Maluenda l. 9. de Antichr. aliiſque traduntur; monſtrant pluſquam ſatis, quanta fuerit fortitudo Martyrum ſuſtinens. Cum igitur Religioſa vita Martyrium ſit, & quidem eximium, vt ex multis Patribus confirmatur in dicta Tractatione part. 1. capit. 3. de Martyrio, nemo non videt, quo pertingat fortitudo ſuſtinens Religioſorum; eſſéque in eis patientiam *opus perfectum* habentem, hoc eſt decore Martyrii collucentem, vt non nemo exponit adductus eodem loco c. 1. n. 2.

Quod ad confirmandum Religioſorum ſuſtinentiam protuli de Religioſę vitę Martyrio, atque conducit ad aſtruendam fortitudinem eorum aggrediẽtem. Neque enim Martyrialis agon, abſque actibus generoſis ad fortitudinem aggredientẽ pertinentibus, conſũmatur. Et idem confirmabant, quę inferius ſubiiciam

SECT. I. PVNCT. II. §. I. *Odora ſpecies Religioſæ paupertatis.*

ſubiiciam, de pleriſque actibus depoſcentibus pectus generoſo honeſto incoctum; in Religioſo autem ſtatu ſunt frequentiſſimi. Adducere verò præterea licet, nomen *Aſcetarum* quo Religioſi inſigniuntur. Vnde Marcus Eremita, ſe *exercitatorem*, Græcè *ἀσκητὴν* appellat. Quo item ſenſu Cyrillus Hieroſolymitanus, catech. 3. Baptiſtam vocat *ἀσκήσεως* typum, id eſt *monaſticæ vitæ*; quod aliter dixere Hieronymus & Chryſoſtomus, aliique multi Patres, Ioannem fuiſſe *Monaſticè vitæ principem.* Legeſis in eam rem multa Patrum loca apud Caniſium l. 1. de S. Ioanne c. 2. Quamvis autem vox *Aſceta*, & *Aſceteos*, in vſu magis protrito, ſpectet exercitationem illam mentis, quæ peragitur commentando de rebus ſacris, & animum ſcopendo, vt ex Dauide ſuprà referebam, agens de oratione mentali, quam *Aſceta* notionem, poſt Budæum in linguæ Græcæ commentarijs, rectè confirmat Billius l. 1. ſacr. obſeru. cap. 40. Tamen ad luctatores quoque ſæpè extenditur, vt fusè notat Petrus Faber l. 2. Agon. c. 28. oſtendens in hoc item ſenſu, monachos, *Aſcetarum* nomine donati Luctantur enim, & pugillatum obeunt, non modò cum aëreis poteſtatibus, iuxta Caſſianum, coll. 18. c. XI. Sed cum ipſo etiam Deo, inſtaurantes luctam Iacobi Patriarchæ, qui fuit fortis cum Deo, luctando vſque mane, & idcirco *Iſraël* cognominatus eſt, vt apertè inſinuat Angelus Geneſ. 32, *Nequaquam* (inquit) *Iacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis.* Poteſtque eodem flecti notio *Iſraëlis*, quam plerique Patres aſſignant, adducti à Ducæo ad Epiſtolam 1. Sancti Paulini, vt ſcilicet *Iſraël* ſonet *Videns Deũ.* Neque enim *Videre* ibi, idipſum eſt quod *Contueri & vſurpare oculis*; ſed vt ferunt variæ ſcripturæ à Delrio in c. 32. Geneſ. ad verſ. 30. annotatæ, *Videre ſe* Hebræis, idem eſt quod *certare & pugnare.* Vnde Iacob dixit, ſe vidiſſe Deum facie, ad faciem, id eſt pugnaſſe cum eo cominus, manum manui, pedi pedem, latus lateri conferendò ac conſerendo. Confirmat hanc notionem vocis *Iſraël*, S. Hieronymus; qq. in Geneſ. & alteri, de contuitu Dei (quam violentam vocat, tametſi omnium ſermone detritam,) longè anteponit. Et ſuffragantur 70. ac Theodotion, & Aquila. Iacob ergo colluctator cum Deo, & in Deum inualeſcens, non minus hæc ex parte typus eſt Religioſorum, quàm ex aliis, de quibus in anteloquio ad hoc opus, quia in ea colluctatione fortitudinem ſuam agentem ac operantem prodidit, ſimilem Religioſorum fortitudinem adumbrauit. Suppeditat non pauca in hanc rem Petrus Faber. l. 2. agoni. c. 28. agones Religioſorum illuſtrans ex agonibus ſeculi.

PVNCTVM II.

Amæna & frequens ſpecies Religioſæ reciſionis, cupiditatum perfectioni obſiſtentium.

PRæter virtutes hactenus enumeratas ad perfectionem hominis concurrentes, ancillãdo charitati, eiuſque motum excipiendo, ſunt aliæ quædam virtutes ad perfectionem hominis conducentes, tollendo impedimentum ſiue remoras aſſequendæ coniunctionis cum Deo, qua noſtra perfectio continetur: nempe recidendo ac temperando cupiditates quas S. Aug. *venenum charitatis* nuncupauit, quia niſi temperentur, & ad iuſtam mediocritatem coërceantur, exitio ſunt charitati. *Cupiditates* autem hic dico, non eam duntaxat quæ fertur in externa bona, & indice Apoſtolo *Radix eſt omnium malorum* 1. Timo. 6. ſed etiam eas quæ attinent ad honoris ſtudium, & à Ioanne 1. Ioan. 2. deſignatæ ſunt nomine *Superbia vitæ*; quod vnum eſt, è mundanæ hydræ capitibus. Et eas quoque, quæ ad corporis oblectationem, vel ad carnis fomentum iuſti auctius pertinent. Inſuperque nonnullos veluti frutices ac ſtolones, ſtudij erga carnem & ſanguinem iuſto tenacius implicati, per viſcum incarnatarum neceſſitudinum, vt concinnè dixit Saluianus. l. 4. de pron. Tandem eas quoque cupiditates, quæ ſpectant exſolutionem propriæ libertatis, & alieni iugi impatientiam, putante homine ſe natum liberum quaſi puſillum onagri. Vnde non rarò, miſeræ animæ velut equi effrenis deuolutio in præcipitia & exitium. Harum omnium cupiditatum in Religioſis reciſio, pertinet ad eorum Temperantiam; cuius odoræ ſpeciei perſpiciendæ, de cardinalibus (vt ſic dicam cupiditatibus propoſitis, ſeorſim ac ſingillatim agendum erit, intento duntaxat in ſingulas digito. Nam plena & argumento commenſa illuſtratio, implendis ſpiſſis voluminibus par foret. Dicamus ergo ſtrictim, quam pauperes & re & voluntate ſint Religioſi; ex ſuorum inſtitutorum iuribus, quam contemptores honorum; quàm oſores carnis ſuæ, & omnium eius illecebrarum, quàm à cognatis ex Chriſti conſilio ſanctè ac piè auerſi, quam voluntatis ac libertatis propriæ negligentes, imo laudatiſſimi hoſtes. Ex quibus in Religioſo ſtatu ritè libratis, & attentè menti obiectis, odor afflabitur ſuauiſſimus, quaſi odor agri pleni.

§. I.

Fragrantia Religioſæ paupertatis.

PAupertas Religioſorum, eiuſmodi eſt, vt nulla poſſit proferri, ac ne cogitatione quidem depingi, perfectior ac dignior. Dimittamus ergo mendicabula quibus paupertas obtingit inuitis, atque adeò eſt planè inhonora. Habuit Ethniciſmus aliquos voluntariè pauperes, quos inter S. Hieronymus Epiſt. 13. & 26. & 34. ſæpè laudat Cratetem, qui opes ſuas merſit, ne mergeretur ab illis. De nonnullis aliis, ſic Theodoretus, ſerm. 6. de prouid. [Socrates, Diogenes, Anaxarchus, & qui horum fuerunt ſimiles, moralis virtutis deſiderio moti, opes ſuas quæ poſſidebant, reiecerunt, & paupertate ad præſtantiſſimam virtutis poſſeſſionẽ coadiutrice vſi ſunt: Idque cum circa veritatem doctrinæ cæci eſſent, & regnum cælorum non expectarent, nec veri illius ac ſummi boni tenerent notitiam.] Sed aberrat Theodoretus, exiſtimans hæc gloriæ animalia, virtutum aſſequendarum deſiderio, paupertatem adamaſſe, eamque adhibuiſſe comparando honeſto coadiutricem. Rectius de ea ſapientum Ethnicorum paupertate, Statuit S. Hieronymus Epiſto. 34. informans Pammachium. [Non eſt ſatis (inquit) perfecto & conſummato viro opes contemnere; pecuniam diſſipare, & proiicere, quod in momento perdi & inueniri poteſt. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antiſthenes, fecerunt plurimi quos vitioſiſſimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipulus præſtare, quàm mundi Philoſophus, gloriæ animal, & popularis auræ vile

mancipiũ.] Itaque iſti in fine errabant;quem cum egeſtati ſuæ præfigerent vitioſum,nihil vere honeſtũ ſuperſtruebant fundaméto putri & probroſo huc ſpectabat S.Bernard.ſer.1.in feſto omn.SS.exponẽs primam beatitudinem,cum dicebat [Ne voluntaria quidem paupertas omnis,laudem habet apud Deũ. Nam & Philoſophi omnia ſua reliquiſſe leguntur, vt expediti mundialibus curis, ſtudio vanitatis poſſent vacare liberius : Et nolebant cenſu abundare terreno, & abundarent magis in ſenſu ſuo. Hos diſcernit quod dictu eſt *ſpiritu*:id eſt ſpirituali volũtate. Beati verò pauperes ſpiritu, ſpirituali ſcilicet intentione,deſiderio ſpirituali,propter ſolum beneplacitũ Dei,& animarũ ſalutẽ, quoniã ipſorum eſt regnum cœlorum.] Hoc eſt dicere,huiuſmodi Philoſop.paupertatem fuiſſe ex fine vitioſam. *Deinde etiãſi* abfuiſſet turpitudo ex fine,tamẽ opum contẽptio præciſè ſpectata,nihil reuera eſt aliud quã abiectio ſarcinæ, & ſoli eruderatio vt (loquitur S. Paulin.)epiſt.2.Idẽ optimè tradit Saluianus,l.4.ad Eccl.infra adducẽdus,& breuiter his verbis.Hierõ. [Aurũ deponere,incipientiũ eſt,non perfectorũ.Fecit hoc Crates Thebanus,fecit Antiſthenes. Seipsũ offerre Deo,propriè Chriſtianorũ. eſt & Apoſtolorũ;qui duo cũ vidua,in paupertatis ſuæ Gazophilaciũ æra mittentes,totũ cenſum quẽ habuerant,Domino tradiderunt.] Itaque nihil ad perfectum adduxit paupertas Ethnicis celebrata.

Sed neque Hebræi, vllos habuere voluntarios pauperes,cum Chriſtianis cõferendos.Fuere quidẽ apud illos aliqui,ſacris Philoſophis accẽſendi, quos dixere *Eſſenes*.Hos paupertatẽ profeſſos eſſe, conſtat ex his Plinij verbis.l.15.c.17.[Ab occidente, littora Eſſeni habitant.Hos fugitant vſquequaque nocentes.Gens ſola,& in toto orbe præter cœteras mira;ſine vlla fæmina,omni venere abdicata, ſine pecunia,ſocia palmarum. In diem ex æquo conuenarũ turba renaſcitur,longè frequentantibus, quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agit.Ita per ſeculorũ millia(mirabile dictu, gẽs æterna eſt, in qua nemo naſcitur.]Vixere ergo hi Eſſeni cœlibem vitam,& ex inſtituto pauperẽ,abſque vſu pecuniæ.Nihilominus perſtat verũ,quod de noſtrorũ Religioſorũ præcellenti paupertate,ſupra Hebræos voluntariè pauperes affirmabã.Inprimis,quia caruerũt fide in Chriſtũ vt de illis aſſerit S.Nilus.in Aſcetico ; Deinde nemo eorumqui Chriſtum anteceſſit, firmauit voto hanc nudationem externorum omnium ; quod faciunt Religioſi noſtri. Qua de re alibi eſt diſputatum contra nouam imaginationem ſtatus Religioſi votis firmita in antiqua lege,exciſam quam ſtrenuè præter cœteros à Satina in Ionã atque Sherligo.in Ca. Quid ſi verò Eſſeni à Plinio memorati, erãt Monachi Chriſtiani;illi ipſi de quorum vita Monaſtica, fusè Philo l.quod omnis probus liber & de vita ſuppl. Eos quippè Eſſenos Philonis,tametſi Gente Hebræos, tamen Chriſti fidẽ eſſe profeſſos ſub S.Marci diſciplina, ſentiunt Euſebius 8.præp. c. 4.& l.9.c. 1. atque Hieronymus *cũ de Philone*,ac Petrus Damiani, l. de ſcript. aliique benè multi apud Seraticem ſerm.15.in Trihæreſio,l.3.c.17.18.19. ſubſcribuntque Baronius ſerm.15.anno Chriſti 64.Nebridius à Alundelhein in Antiquitatibus Monaſticis, Epiſto.14.Matthæus Galenus, de orig.mon.Ballarminus.l.de Monach. & alij.

In genere ergo paupertatis voluntariæ,nulla æquauit, nedum ſuperauit Chriſtianam;quam Religioſi amplexantur, vnà cum rebus ſuis,ſemetipſos Deo mancipantes : Vnde his verbis honorantur à Saluiano.[De illis qui expediti aut omnibus aut penè omnibus ſarcinis, Saluatoris viam ſequuntur, & Dominum Ieſum Chriſtum non ſanctitate tantùm, ſed etiam paupertate imitantur,nihil eſt quod dici poſſit, niſi illud tantùm;quod etiam Propheta dicit, *Nihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus*.Hos enim ego omnes non aliter quàm imitatores Chriſti honoro,non aliter quàm Chriſti imagines colo,non aliter quàm membra Chriſti ſuſpicio, & ad hoc tantùm illorum memini, vt eorum memoria dignus fiam.] Iuuat addere quod idem vernantiſſimus ſcriptor, de Religioſorum exquiſita paupertate tradit alio loco eiuſdem operis ad Eccleſiam,l.4.466 exprimens paupertatem nomine *miſericordiæ* & *largitatis*;quia Religioſi valedicentes ſeculo, bona ſua erogant in pauperes. Ait igitur. [De miſericordia eorum & largitate, quid dicam? Quæ virtus apud eos quaſi virtutum omnium initiatrix eſt. Plerique enim eorum hæc habent quaſi exordia,& quaſi incunabula conuerſionis ſuæ, vt priuſquàm limen ſanctæ profeſſionis introeant, de propriis ſibi facultatibus nil relinquãt,ſecundùm illud ſcilicet Domini noſtri dictum,quo ait ; *Vende omnia quæ habes & da pauperibus,& veni, ſequere me*. Et illi vtique ſecuturi vocantem Deum, priùs vendant, omnia, quàm ſequantur. Diuitias enim onerum vtque impedimentorum loco eſſe ducentes,expeditos ſe non putant ad ſequendum Deum, niſi omnia prius carnalium ſarcinarum impedimẽta proiecerint : Simul vt more hominum commigrantium, priùs ad locum habitaculi deſtinati, res ſuas transferant.quàm ſeipſos ; Scilicet vt cum eò vniuerſa quæ ad ſe pertinent tranſtulerint,tunc ipſi in plenam ac refertam bonis immortalibus domum, præmiſſa rerum omnium facultate commigrent, ſecuti abſque dubio, nihil ſibi poſtea defuturum ; qui exituri de habitaculo vili & contemptibili,ac iam iam ruituro ; nihil illhic de ſuo penitus reliquerint quod periret.] En quo loco Religioſi, (de quibus ibi agit Saluianus,) habeant res externas, quas per paupertatem excutere, perinde ac ſarcinas grauantes, dulce ducunt, nè præpediant ; aut quoquomodo remorentur iter ad perfectionem,cuius,cupiditas accumulandi externa eſt præſentiſſimum exitium.

Adeò porrò ſyncerè ac plenè, Religioſi per paupertatem quam profitentur, renunciant omnibus externis, ex ſyncero fine ad perfectionem progrediendi, vt non modò nihil proprium habere velint (quod apud vos eſt iniquitas maxima, vt monſtrat præter cœteros accuratè Thomas à Ieſu;) ſed etiam vt nefas dicant, aliquid ſuum dicere. Caſſianus, 4. de inſtit. c. 13. de ſui temporis Monachis, id annotauit. [Hanc (inquit,) regulam videmus ſtrictiſſimè nunc huc vſque ſeruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid ſuum, magnumque ſit crimen, ex ore Monachi proceſſiſſe, *codicem meum*, *tabulas meas*, *graphium meum*, *tunicam meam*, *caligas meas* : proque hoc digna pænitentia ſatisfacturus ſit, ſi caſu aliquo per ſubreptionem vel ignorantiam, Eiuſmodi verbum de ore eius effugerit.] Idipſum alij rei Aſceticæ Magiſtri ſedulò cauerunt. Videndi S. Baſilius,c.21. Inſtit. & reg.32.Chryſoſtomus, l. 3.contra vituper. Auguſtinus, c. 2.regulæ & ex recentioribus, Trithemius, opuſc.de propriet.c.6. ac Blaſius. extant to.6. Bibl. col. p.1.Scitè in conſtitutionibus Monachorũ ſubiunctis Regulæ S. Benedicti,edicitur. [Numquam eſſe dicendum *meum* & *tuũ*,niſi in culpis,vbi proferendũ eſt *mea culpa*.] Nimirum ſatagunt Religioſi remigrare ad ſtatum innocentię,quò per communem cladem exciderũt.

SECT. I. PVNCT. II. § I.

Odo a ſpecies Religi. ſe paupertatis.

SECT. I. PVNCT. II. § 1.

Odora ſpectes religioſa paupertatis.

At in eo ſtatu (ait Gregor. Nyſſenus hom. 8. in Eccleſ.) [Abeſſent *meum* & *tuum* verba hæc perniciosa. Nam ſicut cōmunis eſt ſol, & aer communis, & ante omnia Dei eſt communis gratia, ita etiā ex æquo libere propoſita cuiuſuis boni participatio. Et non cognoſceretur morbus auaritiæ. S. Chryſoſtom. orat. de S. Philog. *meum ac tuum*, vacat frigidū illud verbū, vnde bella omnia propignuntur. Ob hoc frigus, torpent ac vigent omnia, hoc litium eſt ſeminariū, vt confirmatur narratione exarata in vitis Patrum Ruffinus lib. 3. vitæ PP. n. 96. de duobus Monachis adorſis litigare pro later; quorum lis abrupta eſt, ex quo ceſſarunt dicere *meum eſt*. Propterea igitur captantes pacē Dei & fluſtrum animę Religioſi, omni ſtudio annituntur, vt nemini priuatim, quicquam ſit proprium, omnique planè rerum externorum dominio expolientur.

Hac ratione Religioſi verè ſe exhibent detonſos, vel prorſus varietate raſos. Quamuis enim Clemens Alexandrinus 3. pæd. c. 14. tonſione probata, raſurā improbet in Chriſtianis, & in ſacris hominibus Optatus l. 2. in Parm. ac Hieronym. in c. 44. Ezech. Tamen vt radantur quoque homines ſacri, varijs in regionibus inualuit vſus, quem in re ex ſe adiaphora admitti poſſe, monſtrat Bellarminus l. de monach. c. 40. & ad rē præſentem; perinde eſt vtra ſuperflui capillitij reciſio admittatur. Optimè enim per alterutrā illam excrementitiæ ſuperfluitatis reciſionem, inſinuatur neceſſaria Religio o reciſio dominij quorumuis caducorum. Scio de raſuræ ac tonſuræ myſtica ſignificatione, variā varijs ſediſſe ſententiam, vt latè refertur §. V. a n. 10 in Hipparcho. Aliqui enim eum antiquum ritum iā a tempore S. Dionyſij c. 6. Eccl. hier. circa Religioſos frequentatū referunt ad ſignificationem emancipationis a ſeruitute ſeculi, ſicut olim ſeruus qui manumittebatur, ſpoliabatur capillitio. Videſis Briciolam t. 1. ſubſ. l 5. c. 6. Alij reſpici volunt ad ſtatum lugentium Religioſis proprium. Nā etiam olim, in luctu ſolemne erat capillum ponere: Sic enim Cæſar Suetonio referēte in Iulio c. 67.) audita clade Turriana, capillum ſummiſit; nec ante dimiſit, quàm vindicaſſet. Octauius itē, audita clade Variana, cuius diem tota vita lugubrem exegit, per continuos menſes capillū ſummiſit, ait idem Suetonius in Octauio c. 23. Idem feciſſe Argiuos, habet Herodot. l. de Deo Syrior. De Syris idē habet Lucianus. In procellis, vſum viguiſſe capita ſpoliādi capillitio, ad diſcriminis euaſionē, produnt quæ adducit in multiplici Didaſcalia Fernand. c. 22. & Tomaſſinus c. 11. agēs de donariis. Religioſi a turbine & à tempeſtate ſeculi declinant. Similiterq; poſt mortem, ponebatur capillitiū, quod mulris illuſtrat Pinada in c. 1. Iobi ad verſ. 20. At Religioſi mundo ſūt mortui, ac cū Chriſto crucifixi. Omnes hæ myſticæ ſignificationes tonſuræ aut raſuræ, ac vno verbo reciſionis capillitij Religioſorū, idoneæ ſunt, & haud ægrè Religioſis aptantur attento eorum ſtatu Non minus, tamen quadrat ſignificatio præciſionis capillorum, quam Iuo ſer. de Sacramenti ord. Excellentia ſubminiſtrat, Iuxta eum namq. recidit ſua ſuperflua, (cuiuſmodi ſunt capilli,) quiſquis per paupertatem, excrementitio faſce rerum ſeculi ſe ſpoliat, abiecto omniū caducorū dominio, ita vt ſolus Deus, ſit poſſeſſio eius: Cęterorum autem nullum ad eū attineat, quia omnis planè dominij in res externas eſt expers. Hoc profitentur Religioſi per votum paupertatis, quod emittunt, eſtque adeò intrinſecū & ſubſtantiale Religioſo, vt Innocentius 3. c. cum ad monaſter. de ſtatu Monach. dicat, non plus poſſe à Romano Pontifice diſpenſari cū Monacho ſiue Religioſo, vt potiatur externæ cuiuſpiā rei dominio, quā vt iungatur matrimonio, quod conſtat non poſſe cū ſtatu Religioſo cohærere. Hoc igitur præſertim ſpectat reſectio capillitij in Religioſis; adeò probata S. Auguſtino l. de opere monach c. 31. vt Patres crinitos qui (vt ait,) comabantur; depilari metuentes, & ſe *aues Euangelicas* denominantes quos detonſio volare prohiberet habuerit pro monſtroſis & longè auerſis a Religioſæ vitæ profeſſione, quæ à domino proprietatis inconciliabiliter diſſidet, atq; adeò omne capillitium abs ſe ablegat, ad excludendam dominij proprietatis cuiuſcumq. ſignificationē.

Verum eſt, aliquos Religioſos, annuente Eccleſia ita paupertatem profiteri, vt tamen ad aliquod tempus, dominiū ſibi facultatum ſuarum retineant. Ita faciunt, qui in Societate Iesv, dicuntur *Scholaſtici approbati*; tametſi eſſe vere Religioſos, ſtatutū eſt variis Pontificum decretis, quæ Concilium Tridentinum Seſſ. 25. de reg. rata habet. Id. latè confirmant Vaſques 12. d 165. c. 9. Valent. 22. d. 10. q. 4. p. 2. Sanch. S. in decol. c. 1. à n. 22. & q. de Matr. d. 25. n. 15. Roderic. t. 1. qq. reg. q. 1. art. 1. Ribadaneira de Soc. Chriſti. à c. 25. Hos autem tametſi verè Religioſos, retinere rerum ſuarum dominiū, traditur in Societatis Conſtitutionibus à ſede Apoſtolica approbatis p. 4. c. 4. & p. 6. c. 2. firmauítque id ipſum Gregor. 13. in diplomate cuius initiū eſt *Aſcendente Domino*, & ex Theologis idem aſtruunt Vaſques q. illa 165. c. 5. & 9. Ribadaneira l. cit. c. 18. Rodericus iam laudatus, Nauarrus Comment. 2. de reg. mem. br. 19. & ſplendidè Suares tr. 10 de relig. l 4 c. 4. & 5. olim idē fuiſſe vſu receptum, habetur ex Saluiano l. 2. ad Eccl. pag. 366. & ex variis iuribus, quibus aſſeritur Religioſos potuiſſe teſtari ad pia opera. Sanctus quidē Auguſtin. ſer. de vita Cleric. referens factum Ianuarii Religioſi ſui qui moriens teſtamentum cōdiderat mentitus dum viueret, & incolumis eſſet, res eſſe filiæ ſuæ, tragicè exclamat; [Teſtamētum fecit Presbiter noſter Senus, nobiſ cum moriēs, de Eccleſia viuens, communem vitam profitens, teſtamētum fecit, hæredes inſtituit. O dolor illius Societatis! O fructus natus non de arbore quā plantauit Dominus.] Nimirum ita vſu receptum erat in eo monaſterio vt nulli ſupereſſet dominium rerū ſuarum, quo ſublato concidit poteſtas teſtandi. Attamē alibi, aliter habebat vſus. Itaq; Religioſi quidem alibi condere poterāt Teſtamentum, & potuiſſe quoque eis ſuccedi ab inteſtato, traditur l. *ſi quis* C. de Epiſc. & Cler. & l. *Generali* C. de Sacroſ. Eccleſ. ſup. n. 53. Et poterant itē inſtitui hæredes, vt Vaſq. demonſtrat. Hæc autem omnia, ſupponunt verùm aliquod dominium in talibus perſonis. Sed nimirū vt veri Religioſi eſſe poſſent, ſufficiebat quod eorum dominiū eſſet legatum; ita vt eo vti nequirent abſque ſcelere, niſi ſuppoſita dependentia à ſuperioris voluntate. Habemus affine exemplum, in dominio quod S Ioſeph Videſis Dypticha Mar. p. 1. habuit in corpus Virginis quippè *viri eius*. Et tamē dominiū illud quia erat ligatum nulla ex parte obleſit Virginitatē Deo defensā ab vtroque coniuge; idem ergo vſuuenit in dominio proprietatis, quod cum eſt deuinctū nec exſolubile abſq. nutu ſuperioris nō plus obſtat aſſentioni perfectionis, quam ſi nullum eſſet.

Quamuis autem ad Religioſæ paupertatis ſubſtantiam ſufficiat, ſi nemo Religioſorum aliquid habeat ſibi proprium de quo poſſit ad nutum ſuum diſponere, aliqui tamen vt longiùs à proprietatis lepra recedant, ne in communi quidem, volunt rei cuiuſpiam dominio potiri. Ita ſeruant FF. Minores. Hoc aliqui ad perfectionem pertinere negabant, vt ſcribit Aluarus Pelagius l 2. articul. 61. & 62. refellens qui ita cēſebant. At S. Thomas Opuſc. 17. c. 14. coſdem reiiciens, ait, cum Apoſtolis Chriſto edocti perfectionem Chriſtianam, neque priua-

tim,

tim,neque in communi bona alia immobilia poſſederunt non poteſt niſi ab hæretico negari,quòd poſſeſſio bonorum communium abdicetur talua perfectione euangelica,& addit.[Mentiuntur ergo in doctrina fidei,dicentes minoris eſſe perfectionis, eos qui communibus poſſeſſionibus carent.]Et inferius. [Hic igitur patet,vanam eſſe doctrinam imo peſtiferam,& Chriſtianæ doctrinæ contrariam, illorum qui dicunt, quòd poſſeſſionibus communibus carere propter Chriſtum, ad perfectionem non pertinens.] Non negat eo loco S.Thomas, cohærere cum Euangelica perfectione, aliqua in communi poſſidere.Imo ipſomet alibi 2.2 q.198.art.7.docet, bonum eſſe Religiones purè actiuas,aut purè contemplatiuas, poſſidere in communi bona immobilia,eoúmque cenſu annuo frui,quod Suares Tract. 10 de relig l 4.c 10. & 11. fusè illuſtrat, & iure ita ſeruari in Collegiis,& domibus probationis Soc.Ieſu,confirmat,& veriſimillimum eſt creditum Proſperum lib 2. de vita contempl. c. 13. hoc voluiſſe cum concludit expedire facultates Eccleſiæ poſſideri vt inde viuant qui Deo ſeruiunt,quamvis præmiſerat quantum ſit mali & ærumnarum,in captatione diuitiarum:Sanè,ſi non communiter, ſed priuatim a ſeruo Dei ambiatur,aut poſſideantur. At poſſeſſio opum in communi in iis quæ dixi adiunctis, aliter ſe habet. Itaque S. Thomas eo alio loco qui adducebatur,tantùm voluit, ſimpliciter loquendo, cum ſtatus & finis Religioſæ familiæ,ac reliqua adiuncta id ferunt,ſpectare ad perfectionem maiorē, non habere bona immobilia, etiam in communi. Quod Societas IESV profeſſa ſeruat, nec non Carmelitæ Tereſiani teſte Thoma in c.*non dicatis* p 5. c 1.à IESV, & profitentur quoque ordines Mendicantes, vbi viget primæua inſtituti accuratio, nec datus eſt indulgētiæ locus.FF.Minores idem ſeruāt quoad domum habitationis,& quoad quæcumque mobilia. An idem de Chriſto & Apoſtolis, quoad aliquod ſaltem tempus admitti poſſit, diſcuſſum eſt in Tractatione de Iuda c.4.n.6.& fusè idem verſat Aluarus Pelagius l.2.art. 63.nec non Suares t.2.3. p.d.28.l.2.& tract.7.de relig.cap.7.num 8.tractans Chriſti paupertatē,ac Bellarminus l. de Mon.c.45.

Iidem Minores & Societas IESV profeſſa,ad præcellentiam paupertatis, omnem annuum cenſum ſtatum ac certū à ſe ablegarunt Et cum Concilium Tridentinum, poteſtatem quibuſvis Regularibus mendicato,viuētibus feciſſet,vt poſſent habere annuum cenſum, renunciarunt ei ſiue fauori, ſiue indulgentiæ,aut priuilegio,præ licti Minores & Soc. IESV profeſſa.Admiſerunt verò eam Indulgentiam FF Prædicatores,quāvis Autor Ordinis,in ſuo Teſtamento,abdicationem cuiuſvis cenſus ſtati,voluiſſet in ordine ſuo eſſe perpetuā eamque firmaſſet interminatione ſuæ maledictionis, in eum qui cenſū certum induceret in ſuam familiā.Æquè certo cenſu carebant incolæ magni montis,referente Ioāne Sariſberienſi 7.polycrat.c.23. Profeſſus idē videtur S. Carilephus:Nam cum Vtrogotha Regina,miſerata cœnobij paupertatem,obtuliſſet ſancito iure omnes fines,vt eorū cenſu potiretur,nihil admiſit, dicens. *Monachū in terra poſſeſſiones habere non debere*.Qui item fuit ſenſus Iſaaci Abbatis,cū oblatis poſſeſſionibus vt ex earū cenſu familiam ſuſtentaret,reſpondit,*Monachus qui in terra poſſeſſiones quærit,non eſt Monachus* Etiam Moniales, decus illud Religioſæ paupertatis longè ante S. Clarā Aſſiſiatem adamarunt. Nam in actis S Euphraxiæ c.7. legimus,cum Euphraxia mater in Thebaide Parthenonē centum triginta archiſterio rū ſiue cellarū adiiſſet,obtuliſſetque Antiſtitæ reditus viginti aut triginta librorum anni,vnde cœnobiū ſuſtentaretur,reſpondiſſe Antiſtitā; [Domina mea matrona; ancillæ tuæ non egent redditus,neque pecuniam concupiſcunt.Propterea namque omnia reliquerunt,& cuncta deſpiciunt in hoc ſæculo,vt æternis bonis frui mereantur;& nihil poſſidere volunt, ne cœleſti regno priuentur.] En Moniales longe alias ab earū more quas S. Auguſt. l.de bono viduit.c.21.criminatur auaritię;Sed ex quiſitim perfectionis ſtudium,has virgines ad accuratā paupertatis tenacitatem perpulit. Simulabat huius perfectionis retinendæ ſtudiū, impius Nicephorus Phocas,& ei inhęrēs Manuel Comnenus,quos Nicetas l. 7. Choniates ſcribit, agros Monachis ademiſſe, pauxillū quid ex fiſco pendi iubentes cœnobiis,ad ſuſtentationē Monachorū.Sed Deus in horum impiorum capita retorſit ſacrilegium Ex dictis ergo intelligitur,quantoperè paupertas Religioſorū micet in abiectione dominij rerū caducarum. Inter eos qui dominium aliquorum bonorū in communi & cenſum annuum admiſerunt,prouidè Corruſiani modum poſuere cupiditati, ſancientes ne quid acquirerent extra ſuam eremum,& vetantes ſepulturas externorū apud ſe:quod præludendis cupiditatis occaſionibus ſtatutū eſſe,conteſtatur Guigo,adductus in opere de Quadripartito Cellę Exercitio.c.12.

Odora ſtatius Religioſa paupertatis.

Studiū præterea paupertatis in Religioſis,prodit vſus rerum quas ſiue abſq; dominio,ſiue cum dominio poſſident.Debet enim eſſe eiuſmodi,vt paupertatē vndecunque redoleat victus,veſtitus,ſupellex, habitatio,qualis pauperum.Eſſéque id neceſſariū ad fouendā parandámque humilitatem,notauit S.Bonauent.ad c.6.reg.S.Franciſci,& his verbis S Baſil. hom.de humil.ſub fin.[Vitæ,ſtudiis & exercitiis aſſimilatur anima,& qualia facit,talis etiā formatur, & iiſdē configuratur.Sit tibi & ornatus,& indumētū,& inceſſus,& cathedra,& certa & tranquilla alimonia,& lectus paruus,& domus,& vaſa domeſtica;quorum omnium vſus ſit ad frugalitatem,& ſermo,& cantus,& proximi cōuictus,& hac ad mediocritatem magis,quàm ad faſtum.]Sic præſcribebat Magnus pietatis Magiſter ſtudioſo humilitatis. At paupertas Religioſa, eò præſertim collimat, vt ſuperbia vitæ calcetur,& humilitas in nobis rerū petēs,adducet torrentes gratię in conuallibus. Itaque maximè accommodata eſt Religioſæ paupertati in eum finem collineanti,veſtis obſoleta,potiùs quàm alba λαμπρά,qualis Chriſto per contemptum circūdata eſt ab Herode. Et qua apud Iacobū,c.2. Epiſt. *candida*,ab Interprete dicitur, móxque nominatur *veſtis præclara*, cum vtrobique ſit eadē vox primigenia.Non decet huiuſmodi veſtis,Religioſū Chriſti pauperem. Vt neque mollis,eorum propria, qui ſunt in domibus Regum ex Chriſti oraculo Matth. 11.Quare Religioſus,vſum ſuū ad Sanctæ paupertatis gnomonem exigens;contentus eſt,vt ex regula ab Apoſtolo 1.Timo.6.omnibus conſtituta habeat quibus tegatur, tum vt pudori conſulat, tum vt frigus arceat,vt fert eius loci gloſſa,adhibita à S.Baſilio reg.22.fuſar. Eundem canonem Religioſis figit Caſſianus l.1.c.3.admonens minùs aptè ad Apoſtoli dicto loco mentem, quoſdam Interpretes Græcam vocem σκεπάσματα, ibi ab Apoſtolo adhibitā, expreſſiſſe per vocem Latinam *veſtimenti*, quum debuiſſent potiùs adhibere vocem *operimenti*, quæ non niſi *tegumentum* ſonat,& ſcopo Apoſtoli bellè reſpondet.Ipſe tamen Caſſianus, verſionem quam hic minùs probat, adhibuit alibi lib. 7. capit. 29. ſic legens; *habentes victum & veſtitum his contenti ſimus*. Nec D. Hieronymus Epiſtol. 22. & 26. & lib.2.in Iouin.qui ſæpè ſimiliter legit, per *veſtimentum*,aliud intelligit, quàm quod Caſſianus expreſſum volebat nomine *operimenti*;habitum ſcilicet quo tegamur,tametſi vilem & inconcinnū. Nā

SECT. I. PVNCT. II. §. I.

O'era ſpecies Religioſæ paupertatis.

habitus pretioſus dedecet Religioſum hominem, iuxta illud Hugonis gloſſatoris Regulæ S. Franciſci ad c. 3. regulæ. [Religioſi pauperis, cum regula ſit pauper, veſti pretioſa & curioſa, confuſio eſt.] Quod Caſſianus l. 1. c. 3. veſtem cilicinam in Religioſo improbat, non pertinet ad eliminandum à Religioſo homine vſum cilicij, toties in Scriptura collaudatum, & frequenti Sanctorum vſu firmatum; in quã rem legendus eſt Gretſerus in opere de diſciplinis. l. 1. c. 6. & 14. Noluit ergo aliud Caſſianus, quã improbare extrinſecam veſtem de pilis camelorum, quam aliqui planè vmcaſ... an es præſe ebant. Cilicinam verò veſtem interiorem, quali amiciebatur Achab ea in parte Deo probatus, nó cogitauit Caſſianus a Religioſi hominis vſu eliminare. Aliud eſt quod S. Auguſtinus in regula improbat in Religioſa perſona veſtem *notabilem*. Quod Eraſmus, alibi 2. p. Heterod. ſ. 4. punc. 1. reiectus, traxit ad negandú, fuiſſe olim Religioſis certum habitum. At S. Auguſtinus per veſtem *notabilem*, deſignauit veſtem pretioſam vſui pauperum diſſentaneam, qualem Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſto. 74. in Cratone Monacho reprehendit his verbis. [Quod veſtitus mollities, & ſubtilitas, colorque elegans, Religioſæ ac Deo gratæ exercitationis regulam minime ſectetur, Theologum Ioannem cap. 19. in eroga, Domini tunicam deſcribentem, ac tibi dicet; *Erat autem tunica eius inconſutilis, deſuper contexta per totum.* Quis autem veſtis illius vilitaté ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtuntur, apud quos etiam maximè huiuſmodi veſti genus texi ſolet, arte quadam vt pectoralia retractim contextum. Audi etiam Matthæum c. 3. cum de Ioanne Baptiſta verba facit, ac tibi dicet. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum ex pilis camelorum.* Vide item illum animi magnitudine præditum ac diuino ſpiritu afflatum Lucam, Actor. 12. Herodis faſtum narrantem atque eam qua indutus erat veſtem traducentem; eoſque qui mollia indumenta gerunt, in domibus Regum verſari, dicentem. c. 7. At huiuſmodi veſtiméta, ſpirituali illo thalamo fulgoris in modum rutilante, minimè digna ſunt. Quamobrem ſi huius deſiderio teneris, vilem Dei noſtri Ieſu Chriſti veſtitum imitare. Nam mollities, præſentis ſæculi vitæ eſt, non cœleſtis ſplendoris.] Quod Ioannis veſtem aſperam allegat Iſidorus, ridicule vel etiam inſane, ſectarij iuxta Caniſio l. 1. de S. Ioa. c. 3. explodi, auerterunt ad exprimendam veſtem pretioſam qua Ioanné fuiſſe amictum ſomniant. Quæ tanta ba... eſt, vt miſerationem potius mouere debeat quam indignationem. Rectè igitur Ioannis Monachorum principis exemplo Iſidorus, veſtitus pretioſitatem & mollitiem in Religioſo homine improbabat. Conclamatque in eandem abuſionem Petrus Damiani opuſc. 15. c. 21. & opuſc. 12. c. 15. & toto opuſc. 29. Et ita quidem, vt nec in Abbate, mollé aut ſplédidam veſtem admittat. Quæ S. Bernardus in molles ac pretioſas Cluniacenſium veſtes diſſerit, legi apud eum poſſunt in Apologia ad Gulielmum Abbatem. Faſtidium S. Franciſci, ob veſtem a F. Elia ſuppeditatam, a ſimplicitate hominis Dei alienam, legere eſt in eius Actis. annal minor. Philippus Abbas, l. de contin. cleric. c. 79 teſtatur, lectiſſimos quoſque Therapeutas, ſimplicitatem ac vilitatem in veſtitu tenuiſſe, [Vt deſpectum mentis exteriori ſchemate demonſtrarent. & ad contemptum mundi, ſicut moribus, ita & veſtibus cæteros incitarét.] Sanè veſtis religioſa (quod alibi fusè trado, in Heter. p. 2. Sect. 4. Symbolú eſt magnorú myſteriorú, & ſcatet tacitis ad omné pietaté incitamentis An verò par fuerit, inſtructá tot ſacris ſignificationibus veſté, fieri vanitatis irritamentú; & *habitú Angelicú* (Sic vocant Græci Religioſá veſtem,) tranſire in illecebram faſtus ac luxuriæ? Quod dico de myſticis Symbolis in Religioſo veſtitu, illuſtrat plene S. Dorotheus doctr. 1. & Caſſianus libro de habitu Monachi. Concinunt quæ paſſim alij Aſceticæ rei tractatores. Dedecet igitur, quod inſtitutum eſt pro monimento ad omné virtutem degenerare in materiá dedecoris. Sit itaque veſtis Religioſa eiuſmodi, vt paupertaté redoleat, & foueat humilitat. Neque tamen hoc dico, captandas eſſe in veſtitu ſordes, aut captandá eſſe gloriam ex pannoſitate, quod Petrus Damiani opuſc. 12. c. 17. inſaniæ adſcribit eo quod [Tales de ſua deformitate cópoſiti, de obſcuritate conſpicui, de humilitate videri machinantur excelſi. Veſtuta ſiquidé Diabolicæ calliditatis aſtutia ad hoc deprimuntur, vt ſublimes appareát, ad hoc deturpantur, vt oculis intuentiú ſpectabiles enitefcant.] Abſit igitur, vt ſordes in veſtitu captentur ex eo corrupto fine; vel quod aliis accidit, ex incuria, & ſui neglectu indecoro. Sed quod bene monebat Epictetus apud Arrianú lib. diſſertat. & quos ſigna Saccaro ad Sidoniú lib 9. Epiſto. 9 ...gá. de Cynico, qui apud eum & apud Iulianú Apoſtatá, paſſimque apud cordatiores Ethnicos, ſpecié præferebant vitæ ex virtute compoſitæ, & noſtris Religioſis reſpondebat, [Cynicus ne ſit ſordidus, ne homines fuget, ſed habeat in ſqualore ſuo, munditiá quádá.] Sic humilitati proſpicietur, per veſtitú tametſi ſordiú expertè, tamen obſoletú & pauperé: Sic ſeruietur paupertati & honeſtati, quá in veſtibulo bonæ domus, conſentaneú eſt exhiberi. Loquor cú S. Ambroſio, l. 2. de virginibus, qué adducit S. Auguſtinus. 4. doct. Chriſt. c. 31. Poſtremo loco circa pauperaté in veſtitu aliquorú Religioſorú, refero quod ab Euagrio l. 4. c. 21. annotatú eſt, cú agit de monaſterijs ab Eudoxia ædificatis in Palæſtina. [Alij, inquit de Monachis, gregariam vitá degunt, nihil rerum quæ animos hominú ad terram deprimere ſolent, poſſident; quippe aurú illis non ſuppetit. At quid dixi aurú? Imo verò nec propria veſtis, aut cibariorú quicquá. Ná quo pallio, aut tunica, vnus iá induitur, alter veſtitur eodé paulò poſt, adeò vt omniú veſtitus, vnicus eſſe videatur, & vnius omniú.] Nicephorus l. 14 c. 50. item refert eam paupertaté circa veſtes, & in eo ſtatuit, quòd veſté quá vnus hodie geſtaſſet, cras alter aſſumeret; vt autem vnica eſſet veſtis pro ómnibus, eſt moraliter impoſſibile.

In reliquis item ad vſum neceſſariú conceſſis, informatores ſacrarú familiarú, ſtudiú paupertatis elucere voluerunt. Libros, quorú coaceruationé, proprietatis radicé primá ſtatuit Nider, l. 1. de reform. relig. c. 17. paupertati conſulentes, & paucos, & qui faſtum vtentis non redoleant, cócedi cuique præcipiunt. Etiá in ſacris Codicibus, improbabat S. Hieronymus Epiſt. ad Lætam. auri & pellis Babylonicæ vermiculatá picturá: Quod tametſi Codex ſic ornatus, Pacatulá infanté prænobilem nó dedeceret, tamé iudicaret puellæ ad Parthenoné deſtinatæ, nó cógruere illud fomentú ſuperbiæ, a ſancta paupertate diſſentaneú; vnde & creſceret pietas quá nutrit ſimplicitas, perdit autem vſuariæ ſupellectilis cuiuſcunque, pretioſitas. Verú eſt, ſanctos religionú informatores, voluiſſe quicquid ad religioſi ſupellectilé pertinet, haberi pretioſum: ſed hoc intellexerunt, ratione ſtudij ac curæ in conſeruandis omnibus ad domum Dei pertinentibus, etiamſi materialiter vilibus. Sic S. Benedictus, c. 32. regulæ vaſa omnia monaſterij, vult haberi pro ſacris. Et præiuerát Caſſianus l. 1. c. 20. & S. Ephré. ſerm. ad imit. Prouerb. ac S. Baſilius qui reg. 143. & 144. breuiú. abutentem religioſa ſupellectile, inſimulat ſacrilegij. Quod monitum Serapion c. 5. regulæ, extendit

ad

ad minutra quæque nec dubitat, eum qui id neglexerit, & contemptum vasa cœnobij tractauerit negligens paupertatis, conferre cum Babylonijs ac Persis, sacra vasa è templo Dei asportata, impie profanantibus. Hoc ergo est, quod intendunt Sancti Fundatores, decernentes supellectilem domesticam haberi ut pretiolam; non autem quod velint simplicitatis & paupertatis diſpendium, in ſupellectile, quoad materiam aut formam pretioſa.

Eiuſdem paupertatis ſtudio, iſti homines Dei, mediocrum pauperum vſum, cœnobitis commendant, ſi ſit aliò progrediendum. Nimirum ſi valendo id patiatur, procedendo pedibus. Nam equitare, præſertim adhibito nobili equo, nobilium potius eſt ac militum quam Monachorum, vt ait Philippus Abbas l. de Contin. Cler. c. 9. faſſus tamen abuſionem contrariam inualuiſſe, & eius æqualis S. Bernardus in Apol. Abbates ſpecie Principum & equitantes, & turmas coequitantium trahentes deplorat: Nec immeritò: Nam S. Baſil. in c. 2. Eſaiç aſſirmat equo non ſuiſſe in vſu ſanctorum. Quod ſi per ætatem prouectam aut debilitatem, non liceat pedibus longum iter conficere, religioſa ſimplicitas & paupertas ferunt, abiectis equis, viles aſellos ad ſublevationem peregrinationum adhibere. S. Romualdus, ea de cauſa equum generoſum ſibi collatum à Rege Sclauoniæ, mutauit aſello. S. Athanaſium, velut triumphali pompa ingredientem Alexandriam, aſello vectum deſcribit Nazianzenus orat. 21. Idem fecit S. Petrus de Murrone in eius vita, cum ad ineundum Pontificatum deduceretur. De S. Franciſco ſi quando eguit inſidere iumento, prodit S. Bonauentura c. 7. vſum aſello non equo. Diues quondam Melania, ex quo calces ſæculo illiſit, vili iumento vſa eſt, affectantibus ſuis principem fœminam apparatu magnificentiſſimo, qua de re accipe plagulam ex S. Paulino Epiſt. 10. deſcribente progreſſum eius Neapolin. [Vidimus gloriam Domini in illo matris & filiarum, itinere quidem vno, ſed longe diſpari. Macro illam & viliore aſellis burico ſedentem tota huius ſeculi pompa, qua honorati & opulenti poterant, circumflui Senatores proſequebantur carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus, gemente Appia atque fulgente: ſed ſplendoribus vanitatis prælucebat Chriſtianæ humilitatis gratia. Admirabantur diuites pauperem Sanctam, at illos noſtra paupertas videbat. Vidimus dignam Deo huius mundi confuſionem, purpuream, ſericam auratamque ſupellectilem, pannis veteribus & nigris ſeruientem.] *Buricum* cuius hic meminit S. Paulinus, malè aliqui & hic apud S. Paulinum, & apud Hieronymum Epiſt. 26 ad vile indumentum tranſtulere, legeruntque *Burrhum*, vel *Pirrhicum*, aut Boricū. Videſis ibi Marianum n. 26. Deprauatiuè etiam alij, & eo Hieronymi loco, & alio in c. 10. Eccleſiaſtæ legerunt *Lubricos* aut *Lambricos*: cum legendum eſſet *Barricus* vel *Buricus*. Qua voce Galli, etiam num vtuntur ad deſignandum aſellum, vt benè ad hunc S. Paulini locum notauit Front. Ducæus. Alij *mannum* appellabant, & vtramque vocem ad paruum equum, ſed luridum & aſello viliorem diffundebant. Ea vectura congruit paupertati Religioſi, quē exemplo Chriſti, decet non *equitare* ſed *aſinare* vt habet Labrurica Iuniuitatis Perald. tr. de ſuperb. p. 2. c. 19.

Iuuat poſt longam expatiationem in aperienda ſpecie & fragrantia Religioſæ paupertatis, recidentis cupiditatem bonorum fortunç, attingere quanta bona ex ea receſſione obueniant Religioſo, & quāta mala per eandem receſſionem auertantur. Inde enim multò euidentius perſpicietur nitor ac amœnitas religioſæ paupertatis. Receſſionem igitur cupiditatis opū, affectatur declinatio innumerabilium malorū, quorum opes ſunt inſtrumenta, & è contrario, aduocantur per eam innumera bona, non qualia ſunt opes, ſed vera & ſolida. S. Nilus l. de nihil poſſidēdo, egregie hoc attigit, ſcribens ad Magnā Diaconiſſam Ancyranā, è quo hoc fragmentum adducit Franciſcus Turrianus 5. contra Magd. c. 2. [Æque pulchritudo formæ, & opes appetuntur. Et vtriuſque horū illecebris non irretiri fortis animæ eſt, ſed qui propoſitū nihil poſſidendi ſuſceperunt, maiore adhuc admiratione digni ſunt: quippè quos æſtimatio diuitiarum non traxit, neque mentem vanis curis alligare voluerunt. Nā cum cętera alia ſenſui iucunda, facile homines inuitent & fallant, multo etiam magis diuitiæ hoc faciunt; quod ad voluptates & honores magnoperè ſunt accommodatę, & quod inſipientes longa conſuetudo docuit eos ducere beatos qui sūt opulenti: Tum propter gloriam & ſplendorem eorum, tum propter voluptates quibus fruuntur &c. Excellentes itaque exiſtimandi ſunt, qui tanquam in palæſtra cogitationes vicerunt quæ mentem impellunt ad attendendum opinioni ſeculari de opibus amplectendis, quaſi veris bonis & non relinquendis illis bonis, quæ omnium ſententia, magnæ exiſtimationis eſſe videantur.]

SECT. I. SVNCT. II. § I. *Odora ſpecies religioſæ paupertatis.*

Hinc magnum plane decus receſſæ per religioſam paupertatem cupiditatis opum, eruitur, & cur Serapion ille Palladio laudatus, c. 106. lau; adeò exultaret cum ſe prorſus omni poſſeſſione ſpoliatum vidit, Codice Euangeliorum qui vnus ei ſupererat, abiecto, & in pauperes erogato. Agnoſcebat nimirum, paupertatem Religioſam, excluſis ſentis ac triuiilitiis quæ multorum malorum atque angorum ſunt fomites, in verorum bonorum tranquilliſſimā poſſeſſionem immittere. Celebrant hoc decus Euangelicę paupertatis, qui eius encomia contexunt, nominatim S. Baſilius c. vlt. conſt. qui deteſtans in Monacho vitium proprietatis à ſuo ad laqueum pertrahens Religioſum æquè ac olim Iudam, paupertatem è contrario mirè commendat, vt videre eſt ea oratione 14. quam ex adunatis in vnum contextum varijs Sancti Doctoris locis, cōfecit Simeon Magiſter. Nominatim verò ſic diſſerit in hanc rem, ad illud Iſaiæ 2. *Impleta eſt regio eorum argento & auro, & non erat numerus theſaurorum eius.* [Animæ quidem Deum pie colenti, occaſionem ſuppeditant diuitiæ benè merendi de proximis per diſtributiuam communicationem. Eædem verò voluptatum conſectatori ac ſtudioſo curandi corporis, compendium ſunt ad genialem vitam, & intemperantem luxum. Paupertas etenim pædagogus eſt ad colendam pietatem. Contrà, diuitiæ, anſam præbent ad contumeliam & irrogandam iniuriam.] Inſigniter prætereà in hanc rem diſſerit S. Athanaſius apud Bellarmin. dum S. Ianuar. cap. 5. ex S. Syncleticæ perſona, contexens eius Acta, nec non Saluianus 1. de prouid. pag. 9. religioſorum paupertatem celebrans, adhibito etiā ſenſu Magnorum Romanorum, gloriantium de paupertate tanquam virtutum nutrice, & auerruncа vitiorum quæ opes inuehunt. Obſignet hanc diſputationem illa clauſula ex Bleſenſi Epiſtol. 102. [Video in clauſtris cœleſtes homines, aut potiùs Angelos terreſtres, quorum conuerſatio eſt in cœlis, qui quadam nobili ſuperbia deſpiciunt honores, & diuitias huius mundi. Nos autem peccatores, & abundantes in ſeculo, obtinuimus diuitias, quas veritas in Euangelio damnat cum quibus ventilator impiorum Rex ſapiens mihi rotam malorum immiſit. Hæ ſunt aquæ de puteo Samariæ, quæ plus potæ, plus accendunt concupiſcentiæ ſitim. Sed beatus vir cuius eſt Dominus

SECT. I. PVNCT. II. §. II. *Odora ſpecies recis. cupiditatis honorum.*

ſpes eius, cui nihil deficit, quia Chriſtus ei ſufficit. Hæ ſunt muſcæ quæ exterminant ſuauitatem vnguenti; aues quas abigebat Abraham, mures qui de terra id eſt affectione terrena ebulliunt, qui ex tales, id eſt interiora eorum corrodunt qui arcam Domini ponunt iuxta Dagon, qui ſcilicet ſacræ ſcripturæ ſcientiam, mundanę ſollicitudinis abuſione confundunt. *Propter hoc Dominus dicit: Ezech 16. Dedi eis aurum meum, & argentum meum. Ipſi verò de auro & argento meo operati ſunt Baal.*] Id eſt acciderunt idolo auaritiæ, ſeque per opes manciparunt idolorum ſeruituti & cultui falſorum numinum myſticorum de quibus alibi ex Cypriano de vnit. Eccleſ. n. 2. atque Nyſſeno hom. 8 in Eccle. E contrario per paupertatem Euangelicam obtineri ſpiritus libertatem qua homo ſarcina terrenorum expeditus, ad perfectionem ſine remora pertingat, tradit benè Ialentæus l. de libert. Chriſt. cap. 3.

§. II.

De Religioſorum odora ſpecie innexa priori de reciſione cupiditatis honorum.

CVpiditas honorum, (vt proximè atigi ex S. Nilo, traditque etiam Petrus Bleſenſis epiſt. 102.) nexa eſt cum opum cupiditate. Itaque reciſiones quoque earum nexę ſunt. Vnde progrediens ad temperantiam Religioſorum, micantem in occiſione cupiditatis honorum. Hi vel ſunt domeſtici, & intra Religionis ſepta parabiles, vel externi, vt aſſumptio ad infulas, vel ad purpuram Eccleſiaſticam Religioſos ex temperantia in proſecutione vel admiſſione vtrorumque illorum honorum, ſpeciem præferre nitentiſſimam, & odorem ſuauiſſimum inhalare, breuiter demonſtro.

Inter honores prioris ſpeciei, eminet Sacerdotiũ, de cuius charitate, multi multa; ſed ſat eſſe hoc loco poſſunt, quæ habet Philo l. 2. de Monar. de veteri Sacerdote, qui lanius potiùs videri poterat. [Sacerdos (inquit) poſitus eſt in quodam diuinæ humanæque naturæ confinio, vt hoc mediatore, Deus propitietur hominibus, eiuſdémque miniſterio, porrigat eis largiatúrque ſuam gratiam:] Hæc Philo de Sacerdote Hebræo. Quid ergo de Chriſtiano Sacerdote dicendum erit, cuius victima incruenta, Chriſtus eſt, qui poteſtatem accepit dimittendi peccata, & diſſoluendi nomina, quibus mortales apud Deum obærati, vinculis æternis erant mancipandi, *ſi miniſtratio mortis fuit in gloria, quanto magis miniſterium iuſtitiæ erit in gloria!* Magnus itaque citra dubium eſt, honor Sacerdotij, ſed periculis obſeptus maximis. Tenetur enim Sacerdos ad vitæ puritatẽ, & animi ac corporis compoſitionem omnino ſingularem. Nugæ in ore ſecularium, nugæ ſunt, in ore Sacerdotis, blaſphemiæ, iuxta Bernardum 2. de conſid. c. 13. Tantum debere inter Sacerdotem & quẽlibet probum virum intereſſe, quantum inter cœlum & terram, dixit Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſt. 205. Quod ſi omnis gradus Eccleſiaſticus, de Nazianzeni orat. 1. pag. 41. ſententia, habendus eſt ſummus, quanto magis apex honorum & bonorum, qui iuxta S. Ignatium Ep. ad Smyrn. Sacerdotio continetur. Hoc perſpectum habentes plerique ſancti Religioſi, tantum abeſt vt Sacerdotium ambierint; vt ne ablatum quidem admiſerint, & obſtiterint iis à quibus vrgebantur vt Sacerdotio initiarentur. Nota S. Franciſci ea in parte conſtantia. Bleſenſis Epiſt. 123. alios adducit, verbis illis. [Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Macarius, Hilarion, Paphnutius, vterque Macarius & Arſenius. Beatus etiam Benedictus, cæteríque viri nominatiſſimæ Religionis, quorum memoria in benedictione eſt, nunquã gradum Sacerdotij attigerunt, in ſua tamen ſimplicitate, ſalui facti ſunt] Et à Epiſtolá Bleſenſis, prolixum Apologeticum contexit ſuæ in Sacerdotio reſpuendo conſtátię. S. Eugendus renuit conſtanter Sacerdotium, pronuncians [multo melius eſſe Abbati, propter iuniorum ambitionem, liberum à Sacerdotio, ræcſſe fratribus] Cenſebat nimirum vir Sanctus, pſitum ſupe biæ exemplo Abbatis ad tantã dignitatem non prouecti, melius auerti à iunioribus. Eodem Conſilio S. Pachomius, vt habent eius Acta, ex proximis viculis aduocabat Presbyteros ad impertiendam. Fratribus communionem. [Nam nõ patiebatur inter eos eſſe quempiam qui clericatus officio fungeretur. Dicebat enim, multo melius eſſe atque commodius Monachis, non ſolùm nullius prorſus honoris quærere primatus & gloriæ, verùm etiam occaſiones huiuſmodi de cœnobiis amputare; quoniam frequenter hinc inter fratres, contentiones & ęmulationes naſcerentur. Sicut enim ſcintilla ignis cum in meſſem occiderit non citè reſtinguitur, & interdum totius anni fructus exurit: ita cogitatio feralis ambitionis, ſi in mentes irrepſerit Monachorum, vt vel primi cupiant eſſe, vel Clerici, niſi citò ſuggeſtionis huius ardorem de ſuo corde depulerint, illicò perdent continentiam multis laboribus acquiſitam.] *Continentiam* accipit pro humilitate & modeſtia. Ex his Sanctorum exemplis Sacerdotio initiari reſpuentium, Philippus Abbas l. de dignit. Cler. c. 16. & l. de cont. cler. c. 84. corripit nonnullos improuidos Religioſos, qui murmurabant de dilatione promotionis ſuæ ad ſacros ordines. Nec palpat alios, qui gaudebant quòd ad Sacerdotium promouerentur, aut vrgerentur eò aſpirare. Sed quod attinet ad exemplum S. Benedicti, à Philippo Abbate, & Bleſenſi ſupra adductum, omnes non conſentiunt. Nam Autor Dialogi ſubiuncti Conſiliis Cardinalis Zabarellæ, fuſe contendit, S. Benedictum fuiſſe Sacerdotio initiatum. Idem aſſerunt Antonius de Yepes in Chron. S. Bened. anno 531. Matthæus Lauretus ad lib. 2. dialog. S. Greg. c. 23. & Antonius Peres in c. 9. & 60. Reg. qui vnum duntaxat aut alterum in contrarium abiiſſe confirmat. Negari tamen non poteſt, quin ſententia negans Sanctum Benedictum fuiſſe Sacerdotem, ſit longè communiſſima. Ita enim præter Philippum & Bleſenſem iam allegatos, aſſerit Sanctus Petrus Cœleſtinus vt habent eius acta, nec non Sanctus Bonauentura explanans regulam S. Franciſci; Dionyſius Richelius l. de regim. Archidiac. cap. 6. Antonius Molina Inſtruct. Sacerd. tract. 2. cap. 1. Proſper Stellartius fundam. ord. cap. 31. ſed præſertim Benedictus Hæphtenius prolog. 18. ad vitam S. Bened. §. 2. qui turbam magnam autorum pro hac parte addeniat, & exemplo Patris ſui, Sanctum Maurum refugiſſe Sacerdotium aſſerit. Itaque annumeretur ſane Sanctus Benedictus, Religioſis non Sacerdotibus, ac fugientibus Epiſcopos, iuxta monitum Caſſiani lib. 10. capit. 17. quod Monachis, maximè fugiendæ ſint mulieres, & Epiſcopi. Illæ, ne tangentes picem, reinquinentur ab ea: Hi, ne ab iis initientur Sacerdotio.

Eſt aliud genus honoris item domeſtici, quod rectione ſiue præfectura cœnobij continetur. Et hic quoq; reciſio cupiditatis eſt perneceſſaria. Nã quod & quanta ſint eius præfecturæ pericula, quanti inſuper angores, dictũ abundè eſt alio loco l. de bono reg. hom. l. 1. p. 2. Itaq; adeo negotioſũ & ærumnoſũ munus

munus captare , vel etiam libentem admittere, ad faſtum diabolicum referunt, S. Baſilius, c. 10. conſtit. & Heiredus, in c. 14. Eſaiæ. Nec extimuit Guerricus, ſerm. 1. de purif. hoc in Monacho deſiderium domeſticæ præfecturæ, vocare *Idolorum ſeruitutem*. Quare digni ſuo nomine Religioſi, æmulantes Charismata meliora nec captant in domo Dei meteoriſmum a Chriſto improbatum; nec muneribus, aliiſve illecebris mulcent diſtributores præfecturarum domeſticarum, vt ad eas poſſint erepere. Quin potius oblatas, & ingeſtas deprecantur; quantum per obedientiam poſſunt. Veh autem iis qui exultant promoti, quod ſtultè à quodam ſui ordinis alumno factum, memorat Aluarus Pelagius. l. 2. artic. 77. Cum enim ante ſuam deſignationem in Præfectum Regularem, per multos menſes lectulo affixus, & inconditis clamoribus ab eo editis, valetudinarium vniuerſum teſonaret, ſtatim atque in moderatorem electum ſe vidit, exiluit, & iam vltra non fuit ab eo clamor, aut gemitus. Sciè verò notat Aluarus, hunc morbum, etiam in pecudibus deprehendi, (quæ verè pecuinus eſt ac brutinus;) Nam ſi claudam ouem aut capram tintinnabulo inſtruxeris, quod ſymbolum eſt ac teſſera ducatus cæterarum, præcedit alacris, vel ſi clauda prius eſſet, & impos progrediendi.

De hac ægritudine animi, qua nullus iudicio valens laborauit vnquam, ſic ſtatuit S. Baſilius. c. 25. conſt. 1. [Prorſus ab omni ambitione alienum habere animum, Monachos debet. Nam ſi in hac vita laboribus ac rectè factis ſuis eſſe præmium velit, miſera profectò illius mercedis conditio eſt; qui pro æternarum rerum iactura, caduca paciſcatur. Si verò ſecum decreuit, velle ſe in hac vita agones laborum perferre, & eorum mercedem in cœlo recipere, non ſolum honores vltrò ipſe conſectari non debet, ſed ne oblatos quidem admittere, potiuſque recuſare atque proiicere, ne ſequentis vitæ gloriam, præſentis honor imminuat &c. Caueat igitur omni ratione pietatis cultor, ne honores conſectetur, cæteriſve ſe præponi velit. Omnis enim qui ſeipſum exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur. Si ſemetipſum pietatis cultor in altum extulerit, habet qui grauiter ac potenter illum affligat, & ad inferos vſque poſſit deprimere. Sin contra, ſeipſum humiliauerit, ſplendidiſſimè magnificentiſſiméque extolletur: quippè eum Deus (quæ ipſius potentia eſt,) humiliantem ſe, in altum extollat.] Concludit inde merito alio loco idem S. Baſilius c. 11. conſt. [Ageigitur quando hæc ita ſunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium bonorum expoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandemque melle illitæ fraudis ſuæ veneni coloratricem, & mortiferi poculi hominum mentibus porrectricem.] Legeſis in eandem ſententiam Chryſoſtomum Soc. 35. in 1. ad Cor. & hom. 2. in Ioan. Optimè quoque, etiam de illatis nec quæſitis honoribus, quantum fas, homini Religioſo repudiandis, Arnaldus. Serm. de ieiunio apud Cyprianum Libo plagulam [Solent viris virtutum huiuſmodi præſtigia ſe offerre, & teſtimonium religionis conſcientia perhibente, cum ab aliis digni honoribus iudicentur, facile acquieſcunt; & tam proprio, quam alieno faſcinati iudicio, à rectitudine corruunt, euerſaque cathedra mentis, humo fractis ceruicibus colliduntur, repentéque & ſubitò, quod multis erat partum ſudoribus, ambitione irruente obliteratum eſt; & turbinis huius impetu auulſum eſt, quidquid antiqua religioni labor meruerat. Mali in hoc, Adam in paradiſo pulſauit, & ſtrauit; cum ſubiectionem quam Conditori debat faſtidiens, appetiit dominatum.] Qui verò non modo non expectant ingeri honores, ſed etiam quacunque via eos captant, non parcentes muneribus quibus cœnobia ſæ do mercimonio dehoneſtant; exagitati ſunt in opere de Religioſo Negotiatore §. 1. Ac ne quis putet, huiuſmodi fœdam negotiationem nunquam exerceri in Religione, præter innumera exempla recentia, ſuppetit exemplum antiquum in Actis S. Ioannis Gualberti de Monacho per muneria, tentante ſubuehi ad Cathedram ſeniorum.

SECT. I. PVNCT. II. §. II. [illegible]

Honores ſacros extra Religionem, (Epiſcopatum dico & purpuram, non modò non captant Religioſi pluſquam nomine tenus, ſed etiam delatos refugiunt: cum per obedientiam & proximi charitatem licet. Teſtes S. Bernardus, & S. Thomas Aquinas, vt alia exempla prætermittam quæ addendat Illefonſus Meſſia l. 1. de gloria c. 12. & per omnia Chriſtiana ſecula excurrens Ioannes Paulus Grimaldi ad vitam S. Rogerij Cannenſis ſiue Barlatienſis Epiſcopi annot. 9. Nam pars longe maxima exemplorum quæ adducunt, eſt Religioſorum. Fortiſſimæ literæ quibus Vmbertus Ord. Prædicatorum Generalis, Albertum Magnum ab admittendo Epiſcopatu dehortatur, proſtant apud Bzouium anno 1260. num. 7. Ex eodem Ordine Hugo Cardinalis, ſub mortem, quam alte ingemuerit ad illatam in ſuum Ordinem dignitatem Cardinalis, retulit in Mantiſſa ad Indiculum SS. Lugdunenſium. Ratio cur Religioſi probati, onerofos hoſce honores refugiant, extra infrequentes euentus obedientiæ aut charitatis, adducta eſt tractando votum reſpuendi Epiſcopatum, p. 1. Heterod. Sect. 2. p. 2. num. 42. & ſeqq. & diffuſè etiam exponitur à Hieronymo Regio in Dialogo de appetitione Epiſcopatus præcitato à pag. 43. Nunc ad ſummo pauca illa ex Philippo Abbate l. de continen. Cleric. c. 79. qui præmiſſa notione *Monachi* quaſi *Monoculi*, ſubdit, [Ne ad habendos duos vel plures oculos, Monachus animum retorqueret, id eſt ne ab appetitione cœleſtium exterior eum occupatio dimoueret; ſic prima inſtitutio huiuſmodi profeſſionem ordinauit, ſic eam certis quibuſdam legibus informauit, vt nec eam dignitate vellet Eccleſiaſtica ſublimari, nec curis ſecularibus implicari. Tantæ quidem eam eſſe voluit humilitatis, tantæ (vt ita dixerim) vilitatis, vt in Chriſti conuiuio, locum quaſi abiectum & vltimum contineret. eiuſque abiectionem quæuis dignitas abhorreret. Quia ergo huiuſcemodi profeſſio, procul à ſe negotia ſecularia relegauit, vt Deo perfectius vacare mereretur; ſic etiam dignitates fugit Eccleſiaſticas; ne plus iuſto, earum illecebris caperetur; quæ et ſi eas non niſi ſpirituales viros iuſtum eſt abſtinere, earum tamen occaſio, multos conſueuit à perfectionis vinculo remouere.] Perpendant iſta qui ad Epiſcopale faſtigium anhelant deſerendæ quieti Monaſticæ, quos dementiæ damnat Zozimus Papa ſcribens ad Heſichium Epiſcopum Salonitanum, fuſius hoc vitium eſſe vulgare Afris, Gallis, Hiſpanis, Italis Monachis. Non fuit tamen S. Franciſcus in eo ſenſu; Nam S. Bonauentura c. 6. vitæ S. Franc. ſic de eo ſcribit. [Cum requireret ab eo Dominus Oſtienſis, Ordinis Minorum Protector & promotor præcipuus, qui poſtmodum iuxta quod idem vir ſanctus prædixerat ad ſummum Pontificatus ſublimatus honorem Gregorius nonus eſt dictus, vtrum ſibi placeret, quod Fratres ſui promouerentur ad Eccleſiaſticas dignitates; Reſ-

SECT. I. PVNCT I. § II.

Qdo. a ſpecie recesſa cupiditatis honorum.

pondit; Domine, Minores ideo vocati ſunt Fratres mei, vt maiores fieri non præſumant. Si vultis & faciam fructum in Eccleſia Dei, tenete eos & conſeruate in ſtatu vocationis eorum, & ad Prælationes Eccleſiaſticas nullatenus aſcendere permittatis.] Idem fuit ſenſus omnium ſanctorum Fundatorum, quamdiu per adiuncta temporum licuit. Vnde ex eorum ductu omnes ſacræ familiæ abhorruere à faſtigiis honorum ſacrorum per alumnos ſuos conſcendendis. At in aliquibus Religioſis familiis vt in Tereſiana, & in Societate Ieſu, obſtruendo huic ad vanitatem oſtio, votum emittitur de huiuſmodi honoribus non admittendis, niſi legitima adactio ſecus ferat. Allatrauit hoc votum tanquam friuolum, tediſſimus Armachanus. Sed eam doctrinam eſſe malè ſanam, nec vlla ratione tolerandam, diſputatum abunde eſt in Heteroclitis ſpiritualibus, tractando vota ſimplicia. p. 1. ſ. 2. punc. 2. num. 41.

Nolim tamen quæ diſputata ſunt aduersùs admiſſionem Epiſcopatus per Religioſæ familiæ alumnos, trahi ad grauationem eorum quos Zelus ſolidus boni proximorum, ob grauem alicuius populi neceſſitatem, adactio per legitimum imperium, adegit ad Epiſcopatum admittendum: in quam rem fusè diſſerit S. Athanaſius, laborans vt flecteret Dracontium Monachum, obſtinatè renuentem promoueri in Epiſcopum, cum tamen ea tunc eſſent tempora, vt omnino expediret ſanctum illum Monachum, fieri Epiſcopum. Profert verè S. Athanaſius pleroſque ſanctos Monachos qui denique conſenſerant humeros oneri ſupponere, propter ſalutem animarum, & bonum Eccleſiæ. Et ſane obſtinatis non aſſentiri, quæcunque vrgeat neceſſitas, occini poteſt illud Auguſtini, Epiſto. 81. ad Monachos Inſulæ Capratiæ. [Ne veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodò naſceremini non inueniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda eſt via, vt nec exuratur homo, nec demergatur; ſic inter apicem ſuperbiæ & voraginem deſidiæ, iter noſtrum temperare debemus, ſicut ſcriptum eſt, *non declinantes ad dexteram neque ad ſiniſtram.* Sunt enim qui cum nimis timent, ne quaſi in dexteram rapti extollantur, in ſiniſtram lapſi demerguntur. Et ſunt rurſus, qui dum nimis ſe auferunt à ſiniſtra, ne torpida vocationis mollitie ſorbeantur; ex altera parte, iactantiæ faſtu corrupti atque conſumpti, in fauillam fumumque vaneſcunt.] Hæc verè iis occini poſſunt, qui metu cadendi, & præ otij ſui amore, neceſſitate cæteròqui premente, refugerent ſacros honores iuſto obſtinatius; cum tamen plerique Sanctorum ex tali cauſa eos ſuſceperint, alij quia non putabant ſubeſſe extremam neceſſitatem, & poſſe aliunde prouideri bono proximorum, ſe oneri ſubtraxerint. Porrò non eſt diffitendum in hac diuerſitate ſenſuum, & aliquos cum laude admiſiſſe ſacras dignitates, & alios cũ laude eas reſpuiſſe; vtroſque actos Dei ſpiritu, vt optimè diſſerit Rupertus in vita S. Heriberti, cap. 5. adhibito exemplo Zachæi & Centurionis; quorum iſte ex humilitate reſpuit aduentum Chriſti in domum ſuam: Ille verò gaudens Dominum excepit, eodem Dei ſpiritu variè in vtroque operante. A quo tamen vix vnquam prodit cupiditas honoripetarum vt verbum retineam Apuleij. l. de Philoſoph. Sed aliud eſt, honorem petere & captare, (quod rarò illicitum eſt,) aliud honorem ingeſtum non reſpuere, ſed admittere; quod ex fine bono, vel charitatis, vel neceſſitatis alienæ, ſanctum eſſe poteſt, & Religioſa humilitate non indignum. Obſigno diſputationem hanc vniuerſam de receſſione cupiditatis primatus & honorum ſiue in, a ſiue extra Religionem, adamata Religioſis, luculenta oratione Chryſoſtomi hom. 73. in Matt. qui ſæculares ipſos informans ad deſpuendum primatũ, & in alios maiori amorem, vrget eos vt aduersùs hunc animi malum, adhibeant ſeriam conſiderationem Humilitatis Religioſorum, attentèque deſpiciant quam illi abſint a primatu quocunque captando. Et in eum finem optat Religioſos adiici & frequentari a ſecularibus, eo quod ex ſeruorum Dei frequentatione depoſituri ſint criſtas, & ad ſanctæ demiſſiones ſtudium inflammandi. Chryſoſtomi hæc ex parte eſt oratio, poſtquam de humilitatis a Chriſto nobis commendatæ debito ſtudio, nonnulla eſt prolocutus. [Sed vbi hanc inueniemus humilitatem, inquies? vultis ad ſpectaculum huius virtutis rurſus aſcendamus? Ad ſanctorum dico tabernacula, montes atque conualles. Ibi enim ſublimitatem ac humilitatem videbimus. Ibi ſunt homines, quorum alij dignitatibus præfulgerent alij diuitiis excelluerunt, qui omnes mirabiliter ſe vndique veſtitu, domo, miniſteriis, cæteris omnibus, ad præcipuam humilitatem reduxerunt. Omnia igitur quæ ad ſuperbiam incendunt, amictus magnificentia, ædium ſplendor, miniſtrorum multitudo, quibus vel inuiti ad inſolentiã plerique detruduntur, iacent humi proſtrati. Ipſi ergo ligna ſcindunt, ipſi accendunt ignem, ipſi coquunt, ipſi aduenis miniſtrant. Nec cædentem ibi, nec læſum aliquem videbis, nec præcipientem, nec cui præcipiatur; ſed omnes miniſtri ſunt, & ab vnoquoque, conuenarum pedes lauantur. Et magna de hoc apud eos honeſta contentio quod faciunt non inquirentes ſiue ſeruus ſiue liber ſit qui aduenit; ſed erga omnes ſimpliciter, hoc miniſterio vtuntur: nullus enim ibi eſt magnus aut paruus. Ingens igitur confuſio, inquies; Imo verò præcipuus ordo. Nemo enim, paruus ac an magnus ſit, reſpicit; ſed omnes, inferiores ſe cæteris ducunt, & hac ratione maiores efficiuntur. Vna menſa omnibus, & adminiſtrantibus, & his quibus adminiſtratur, eædem epulæ, eadem indumenta, eadem domus, idem viuendi ordo. Magnus eſt apud eos qui vilia rapit opera. Abeſt inde meum ac tuum: Eiectum inde omnino hoc verbum eſt, quod multorum cauſa eſt bellorum. Cur autem miraris, ſi vnus viuendi modus, vna mẽſa, vnus veſtitus omnibus fuit; cũ anima quoquè, vna ſit vniuerſis; nõ dico ſecundũ ſubſtantiã (idem enim ſimiliter in omnibus eſt) ſed ſecundùm charitatem. Quandò igitur ipſa contra ſeipſam ſuperbiet? Non eſt ibi pauperies, non ſunt diuitiæ, nõ gloria, non ignominia: magni & parui virtute ſolummodò ſunt; ſed nemo id reſpicit. Non enim dolet paruus quaſi contemptus, quippè cum qui contemnat, nemó ſit. Quod ſi eſſet, per illud erudiuntur maximè; contemni ſcilicet, deſpui, ac vilipendi, non verbis ſolum, verum etiam rebus, cum mancis, cum pauperibus libenter conuerſantur, & his menſæ conuiuis plenæ quotidie ſunt? Propterea regno cœlorum digni ſunt: alius ibi vulnera permulcet læſi, alius cœcum ducit, alius portat eum qui crus fregit. Non ſunt ibi paraſiti, nec adulantium multitudo: imo verò nec quid ſit adulari, cognouerunt. Vnde igitur inſolentes fieri poſſunt, cum tanta ſit apud eos æqualitas? Propterea etiam magna ipſis ad virtutem facilitas, atque mirabilis præbetur: his enim multo magis rudiores proficiunt, quàm ſi cogerentur primos aliis honores deferre. Sicut enim audacem ac temerarium, non qui reſiſtit, ſed qui cedit, ſolet erudire; ſic ambitioſũ, nõ

qui

qui de gloria cōtendit,ſed qui gloriā a perna'ur corrigere videtur,quod ab illis diligenter factitatū eſt: quanta contentio de primatu apud nos eſt, tantum apud eos certamen de contemnenda gloria, & euitando primatu; ſtudent enim non vt honorentur, ſed vt honorent: ipſa etiam opera ad humilitatem exhortantur, & ſuperbire non ſinunt. Quis enim vnquam fodiens, plantas rigans, ſpinas & ſarculos texens, cæteraque ſimilia faciens, tumorem ſibi poterit arrogare? Quis præterea pauper inedia ſeipſum domans, hac ægritudine laborabit? Nemo profectò. Propterea perfacilis ibi humilitas eſt.] Cum igitur Religioſi ſint exquiſitè humiles, & vi ſtatus ſui ac functionum quibus aſſiduè diſtinentur, ad calcandam gloriam vndecumque propellantur, de Chryſoſtomi ſententia; mirum non eſt, quod a captando primatu abhorreant, & honores ſiue apud domeſticos ſiue apud externos refugiant, vt demonſtratum eſt.

§. III.

Fragrantia Religioſorum in reciſione cupiditatis, totæ natiuitatis noſtræ inflammatæ à gehenna.

RELigioſorum Temperantia ſpectans carnis cupiditates, continetur partim coercitione luxuriæ, partim frænatione curæ iuſto auctioris in fouenda & blandè tractanda carne propria. Et quamuis binæ illę cupiditates,atq; adeò etiam reciſiones, nexæ admodum ſunt, & poſterior externa multa media complectatur, quibus ad priorem pertingitur, ſeiungemus tamen eas, vt diſtinctior ſit tractatio.

Prior ergo reciſio, fit per caſtitatem, virtutem benè odoratam, vt iure pronunciauit Climacus, gradu 15. eo ductus argumento, quod vitium luxuriæ caſtitati aduerſans, ſit omnium putentiſſimum ac fœtentiſſimum:quo proinde maximè oblectatur Satan; velut amica luto ſus, cui nihil eſt amœnius fœtore volutabri ſpurciſſimi & ſoliditate locorum humentium ſimul atque putentium. Sic S. Catharina Senenſis occurrens mulieri pero natæ & fraganti, ſed ſpurcæ quoad animam, nares occluſit, auerſata inhalatum inde putorem. E contrario ergo caſtitas, eſt virtus odoratiſſima & acceptiſſima *Primæ Virgini*; ſanctæ inquam Trinitati, iuxta Nazianzenum carm. in laud. Virg. in qua filius, *odor & fragrantia Patris*, à S. Cyrillo l. ad Reginas nominatur. Colunt igitur hanc virtutem omnes Religioſi impenſiſſimè, de cuius encomiis nolo hic addenſare quæ paſſim ſubminiſtrant Patres; Tertullianus in exhortatione ad Caſtitatem, & l. de Monogamia ac de Pudicitia; S. Cyprianus l. eiuſdem argumenti, Ambroſius in inſtitutione virginis, ac in exhortatione ad virgines; & ad virginem deuotam, & præſertim in opere de virginibus, quo nihil cultius ac floruſentius habet Eccleſia, indice S. Hieronymo Epiſt. 22. num. 59. Ipſe S. Hieronymus in opere contra ſpurcum Iouinianum, & ad Demetriadem, atque Euſtachium, alibique infinities, Baſilius, Nyſſenus, Ephrem, Chryſoſtomus, Auguſtinus, in libris de S. Virginitate, Autor libri de ſingularitate Clericorum, pag. 537. Aldelus de laude virginitatis, Alcimus Auitus ad Fuſcinam. E Recentioribus; Dominicus Candela, Petrus Iuſtinellus, Gul. Baldeſanus, & alij abſque numero.

Frænant itaque luxuriam Religioſi omnes, quam ſtudioſiſſime. Norunt enim, omnes nos, templum eſſe Spiritus Sancti. Eius templi Antiſtita pudicitia eſt, iuxta Tertullianum lib. de cultu fœm. c. 1. Ipſa eſt quæ terram cœlo communicat, & homines carneos Angelis æquiparat. Inde enim eſt, quod veſtis Religioſa, à Græcis denominata eſt. *Habitus Angelicus.* Et ex ea nomenclatione, eximius ſenex è Scythia iuuenem Monachum Alexandriæ in taberna diuerſantem, redarguit, vt eſt apud Moſchum c. 194. Verum eſt, eam Angelici ſchematis denominationem, non arctari ad ſignificationem ſolius ſanctitudinis corporum; ſed ad inſinuationem vitæ vndecumque ritè compoſitæ diffundi, vt ex Græcorum Euchologio, & Palladio, atque Ruffino, monſtrat Roſuedius in Onomaſtico v. *Schema.* Tamen in ea denominatione deferenda, præcipuè habita eſt ratio nitoris corporum, proportionalis nitori Angelorum corpore deſtitutorum, qui neque nubunt neque nubuntur. Et hanc ob cauſam, Nazianzenus, in ſententiis per Diſticha. Monachum qui non ſecus ac Angelus de vno Deo ſollicitus eſt, nec diſpergitur per *multa hac*, vocat *vnitatem Angelicæ gloriæ adiungens non amicam dualitatis, abhorrentem, autem a ſocietate*; id eſt à coniugio & contubernio muliebri. Idem orat. 31. num. 5. alibi, alloquens virginem. [Angelorum vitam elegiſti, in eorum ordinem te aggregaſti qui iugum neſciunt. Ne in carnem prolabaris, ne in materiam deiiciaris &c. Videtis rei huius ſublimitatem Propemodum etiam talis reperitur, vt ne concipi quidem & comprehendi queat. An non enim præſtantius eſt quam pro carnis fragilitate, id quod ex carne creatum ſit, carnem non gignere? An non planè Angelicum, eam quæ carnis vinculis alligata, ſit non modo carni conſentaneo viuere, ſed natura ipſa excelſiorem eſſe?] Rurſus alio loco, carm. ad Hellenium appellat Monachum, ſubſidium fidei, laudem plebis, baſem orbis, certantem cum cœli pulchritudinibus. *καὶ λέγει ὁ' ἐγγέλοις*, id eſt *cum Angelis*, vt Billius ibid. n. 4. vertit; an non ans Theologum inferius vocare pios ac puros *κάλλιστα σαρκοφόρα*, *Angelos carnigeros.* Explicatiſſimè S. Cyprianus de hab. Virg. virgines alloquens; [Cum caſtæ perſeueraueritis ac virgines, Angelis Dei eſtis æquales.] Eadem legas apud Baſilium l. de virginit. Chryſoſtom. l. de virginit. c. 79. Caſſianum l. *6. c. 6.* Climacum gradu 17. De ſacris virginibus, Tertullianus l. ad vxor. c. 4. ſic ait. [Sorores noſtræ, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occaſione preſſæ, maritis ſanctitatem anteponunt: Malunt enim Deo nubere, Deo ſpecioſæ, Deo ſunt puellæ: Cum illo viuunt, cum illo ſermocinantur; illum diebus & noctibus tractant; orationes ſuas velut dotes Domino aſſignant, ab eodem dignationem velut munera maritalia, quotieſcumque deſiderant, conſequuntur. Sic æternum ſibi bonum Domini occupauerant, ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur.] Iam eſtis de noſtro numero aiebant Angeli ſanctis ſponſis Iuliano & Baſiliſſæ virginitatem ſeruare pollicitis. Nimirum vt ait S. Auguſtinus l. de ſancta virginit. [Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt, & in carne corruptibili, incorruptionis meditatio.] Eadem habet Chryſoſtomus l. de virginit. c. 12. & 79 & confirmat exemplis Eliæ, Eliſæi, atque Ioannis cultorum virginitatis; quos nihil ſecus ac Angelos præ virginitate affectos docet: faciléque eſſe cuique in Angelum euadere ſi caſtimoniæ & Angelicis

S. T. L. PANCT II. §. III. odora [illegible] Religioſa [illegible]

bat igitur olera quædam comeſtilia quæ ipſum ex ſiti recrea re poterant. Habebat autem & miniſterium coquendi panes. Cum verò tres annos hoc abſtinentiæ modo cucurriſſet, incidit in grauiſſimam ægritudinem, ex qua etiam defunctus eſt. Cumque febre, vreretur & ex immenſa ſiti fatigaretur, hortabantur eum omnes, vt vel modicam potionem deguſtaret: neque prorſus hoc facere frater ille paſſus eſt. Sed & Medicus veniens, rogauit vt modicum alicuius potionis acciperet. Cum æger non acquieſceret, dixit medicus abbati; afferte mihi huc vas magnum. Quo allato, mittens in illud tepentis aquę amphoras quatuor, fecit illum intùs immitti, vſque ad femora, per vnam horam. Affirmabat autem nobis Abbas Ioannes, quod cum illum ex aqua eduxiſſent, metiens Medicus aquam, inuenit eam ex magna parte imminutam.] Concludit Moſchus, [Ecce quam vim ſibi intulerunt continentes Monachi, ſeipſos propter Deum his neceſſitatibus ſubdentes, vt ſempiternis fruerentur bonis.] Non adſcribor ego quidem huic elogio, quod pertinaci in ea truci abſtinentia Monacho pangit Moſchus, & in notatione adiuncta Aloyſius Lippomanus. Neque conſultò feciſſe puto, ſic ſibi omnem potum ſubducendo, vt continentiam ſiue caſtimoniā corporis aſſequeretur. Non plus prudenter quam illi deliri, qui ob continentiā ſe euirabant, de quorum demētia alibi. l. de Eunuchiſmo c. 5. §. 2. Vel quā illi, qui ad continentiæ conſulendum, ſolo pane & ſale victitabant, cum tamen acerrima & mordax ac pruritus excitatiua vis ſalis, ad continentiæ labefactationem potiùs faciat. Ad panem S. Antonium adhibuiſſe ſalem proditum eſt, idémque fecit S. Hilarion, & Palæmon Monachus, fereque Pachemiani, & alij de quibus S. Bernardus. Epiſt. 1. De ſeipſo Nazianzenus teſtatur, In eremo cibum ſibi fuiſſe panem, cum ſale, vtique tantillo, nec niſi ad putredinis inhibitionem modicè inſperſo, non autem copioſo, qui & valetudini & caſtimoniæ incommodaret. Arguit ex hoc capite S. Baſilius l. de virginit. pag. 52. quoſdam improuidos, qui ad caſtitatis indemnitatem de ſola eſculentorum ac poculentorum quantitate temperanda, ſolliciti, non attendebant ad qualitatem: cum tamen in eum finem, non ſolùm cauenda ſint leguminum ſeminumque nonnulla, inflantia & excalfacientia, verùm & olera pleraque; vt allia, ſerpyllumque, ac nominatim ſal, quo ſolo aliquos ſibi notos vice pulmenti cum pane vſos teſtatur; parum ſanè ſapienter. Nam ſubiungit vir ſanctus. [Non intelligunt qui ſunt eiuſmodi, ſales cum ſint per naturam fœcundi, ac per acrimoniæ vim, corpori prurigines excitent, plus cæteris ad libidinem coitumque prouocare.] Idem ſubdit de quibuſdam pomis. Ad eum itaque modum, res habet in parcitate nimia potus; & multo magis in omnimoda eius abſtinentia, qualem adhibebat is quem ex Moſcho referebam. Exſiccatio enim nimia, ob rigationis defectum, ſubducta materia potulenta, ignem illi efficiebat corpus; ex cuius efferueſcentia, (quam ſuctus copioſæ aquæ in vaſe cui Monachus æger immiſſus eſt demonſtrauit,) inimica eſt caſtitati; cuius ſtudio, tanta abſtinentia aquæ, & cuiuſuis humoris potulenti ſeruiebatur inconſultè. Vnde vix alio vllo adhibita eſt. Sed plerique in potum adhibuere *Poſcam*, ſiue oxycratum aut Loram, vel Zithum. Videſis Roſuedium in Onomaſtico. V. *Poſca*.

Familiare pleriſque fuit, pane abſtinere, ſed pro pane radices & herbas in cibum ſumere. Negat Caſſianus, l. 5. c. 23. ſaltemque ait, nullum ſe quantumuis probatiſſimum Monachum noſſe, qui pane non veſceretur. Sanctus tamen Ephrem de Abrahamo Monacho ſanctiſſimo teſtatur, per annos quinquaginta panem non guſtaſſe. De S. Monacho Antiocho, ſcribit Georgius Presbiter, ſpatio annorum triginta, abſtinuiſſe pane. Poſſidonius per annos quadraginta, panem neſciuit. Alios tales non paucos, annotant Palladius, Theodoretus, atque Ruffinus. Pro eſculentis omnibus, erant eis herbæ Sylueſtres, legumina, radices, dactyli, ficus, caricæ, ſeclo ſo pane, in cuius abundantia fuiſſe iniquitatem Sodomorum, prodidit Moſes. Et quamuis aliqui iure deriſi à S. Hieronymo, l. 2. in Iouin. & ſub finem Epiſtola ad Heleodorum, Caſtum Cereris abſurdè æmularentur, (corruptè aliqui apud S. Hieronymum legunt *Coſſum* cum ſynceri quique codices legant *Caſtum*, & rectè quia ea abſtinentia vſurpabatur ad caſtitatis præſidium;) cupedias loco panis adhiberent: Tamen illi quos adduxi Sancti Monachi, & alij complures, ita pane abſtinuerunt, vt non deſiperent circa panis ſupplementa. Acceptiſſimus verò ac frequentiſſimus, & caſtitati admodùm opportunus fuit eorum vſus, qui panem ad eſcam adhibuere, ſed vilem & parcum. Vilis eſt panis hordeaceus; Fuit tamen in vſu multorum Sanctorum Monachorum, vt dictum eſt tractando gladium Gedeonis, tract. de gladio & pileo, pane hordeaceo adumbratum. Ab vſu panis furfuracei commendatur Macarius. Goldaſtus ad l. Aleman. tit. 22. §. 1. pro *furfuraceo* legit *purpuraceum*. Sed corruptè; Quamuis non me lateat, in Plauti Menechmis, act. V. Scena 5. mentionem eſſe panis purpuracei ac punicei, ductis a diuina coctione denominationibus. Ad duritiem ergo & aſſeruabilitatem diuturniorem, vtebantur Monachi bis coctis ſiue dipyris panibus, qui plerunque ad annum perſtabant incorrupti, vt habetur ex Actis S. Antonij. c. 11. His ergo panibus, certa cocturæ ratio colorem conciliabat veluti purpureum; cuiuſmodi item cernitur in eo qui noſtratibus panis *ruffus* appellatur, vel *ſubruffus pain rouſſet*, qui proinde *furfuraceus* fuit nō *purpuraceus*. Eſto potuerit vtrùque habere, quales fuêre ferè panes dicti *paximales*, vel neutro genere *paximatia*, aut paximidia: de quo Monachis viatorio pane, diligēter Roſuedius V. *paximales* in Onomaſtico, quem expilauit Stellonius ad reg. S. Bened. c. 30. Quod præ ſiccitate & duritie, panis huiuſcemodi non eſſet edulis, macerabatur in aqua, quod vocabant, *panem infundere*. Buccellatum, inde dicebatur in vſu bellico, prout hanc vocem exponit Ammianus. l. 17. Ad quod alludens S. Paulinus, Epiſt. 36. panes quos dono mittebat, ait tranſmitti de buccellato Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus. Hoc igitur buccellatum, *militare* quandoque dictum, eſſe paximatium, patet ex dictis Leonis imperatoris, c. 10. §. 13 & §. 123. vbi milites iubentur habere aquam in *Flaſcis*, (id eſt in lagenis *flaſques* ou *flaſcons*,) & paxamadium in ſello pungio. Voces ſunt mixobarbaræ, à Romanis i. à Græcis Romanum imperium Byſantij tenentibus, vſurpatæ. Ita enim eos *Romæos* accipit Liphius. l. 5. de mil. Rom. dial. 11. Iidem legitime temperantes in vſu panis, præter qualitatem (de qua hactenus,) etiam quantitatem tuendæ caſtitati, conſiderabant. Neque enim panem in Saturitate manducabant, ſed ad certam menſuram eamque modicam. S. Liſtardus, vncis panis deſpicatiſſimi contentus

erat

SECT. I. PVNCT. II. §. II.

SECT. I. PVNCT. II §. III. *Octaua ſpecies Religioſa caſtitatis.*

erat per vnumquemque diem S. Benedictus libram panis dietim ſuis conceſſit. Marcianus apud Theodoretum, tribus panis vnciis naturæ ſuſtentandæ in ſingulos dies conſuluit. S. Antonius ſæpè poſt quatriduum, ſex panis vncias aſſumebat in cibum. Octo vncias quotidie accepit S. Robertus Salentinus. De cinere pani à pleriſque inſperſo, vt à S. Ioanne Silentiario, & à B. Monegonde, dictum alibi, tract. de gladio & pileo nec adeò nunc noſtra intereſt, quia potius ſpectat ad pœnitentiam teſtandam, quam ad præſidium caſtitatis, de quo ſolo agimus hoc loco.

Carnibus abſtinere ad carnis laſciuiam cohibendam, omnino multis Religioſis perpetuum fuit. Corpus enim incendunt, ac laſciuiam fouent. Adeò autem rigidè aliqui hanc apochen. vſurpant, vt vel ſi mors certò ſit obeunda, non præuaricentur ab eo inſtituto. Ita Cartuſiani, impugnati quidem idcirco à Iacobitis, vt habet Epigraphe libri Arnaldi à Villanoua; defenſi autem cum ab ipſo Arnaldo, tum à maxima parte Theologorum, inter quos Vaſquez, Molina, Suarez, Valentia, & alij, annotati in Trinitate Patriarcharum in S. Brunone puncto 7. §. 1. Itaque hi Religioſi ſano modo luxuriam coërcent per famem, quam pro extremo aduerſus carnis luxuriam remedio aſſignabat homo ethnicus; illud inſipienter addens, ſi id remedium non proficeret, ſupereſſe laqueum, quo in collum inſerto ac ſtricto, depellatur ea moleſtia Hac fame cum carnis coërcitione, necantur dæmones iuxta Antiochum hom. 6. de cuius ſententia. [Caro inſoleſcens, dæmonum pabulum eſt.] Nam Pſaltes ait, *accedunt nocentes vt edant carnes meas*. Et ex hac maximè abſtinentia, prohibetur craſſitudo, quæ quod cum carne laſciuiente vt plurimum nectatur, non placet in Monacho. vt eſt apud Philippum Abbatem. l de contin. Cler. c. 98. & 44. Notatus eſt Iouiniani præ lautitia, pinguis æqualiculus, ex S. Hieronymo: in Iouinia. l. 1. Non dico obeſitatem & craſſitiem, quæ plerumque & naturalis affectio, ſemper patore calumniæ. Contrariũ enim euincitur exemplo S. Caſſij, cuius ruborem faciei, corporis bono habitui nexam Titilas Gotthus in malam partem eſt interpretatus, teſte S. Gregorio 3. dialo. c. 6. qui addit inſigne miraculum quo Deus Titilæ inſipientiam redarguit S. Thomæ Aquinatis corpulentia & obeſitas, deriſui improuidis fuit. Sed non fuiſſe inferendam ad lautitiam & ſaginam, opera demonſtrarunt. Nam pinguis venter, non genuiſſet in eo ſenſum tenuem. Itaque vniuerſaliter, non rectè ex craſſitie infertur carnea mens: ſicut neque ex macie, certum argumentum ducitur ſanctitatis. Verum eſt pallorem dici à Nazianzeno, orat. 15. *Pulchrum corporis florem*, & maciem haberi à S Baſilio q. 17. fuſar. genuinum cuiuſuis Chriſtiani, & maximè Monachi habitum. Eodemque recidit quod Gregorius Nyſſenus l. de virg. c. 19. perſonam Deo addictam, ob emaciationem ex inedia & ob carnis ſiccitatem inde contractam, appellat *Tympanum*. Quanta fuerit cura Ciſtercienſibus, tenuis victus imitatione maiorum ſuorum, docet Faſtredus Abbas qui cum S. Bernardo vixerat in Epiſtola adducta à Merloro, arguens Abbatem quendam ſui ordinis lautitias in victu ſectantem. Ait ergo. [Non hæc vita eſt quam me & te docuit Pater & prædeceſſor noſter Bernardus felicis recordationis: nec modus quem noſtri ſacri Ordinis Abbates ſequuntur, qui nos pane ex auena confecto, & herbis ſine oleo & abdomine coctis enutriebant; & fabis, piſiſque ipſo etiam Paſchatis feſto die. Quæ auſteritas vel ſimilis in omnibus ordinis domibus obſeruatur.] Vrget hunc epulonem exemplis contrariis ſanctorum, Chriſti Domini, Eliæ Niniuitarum, Eſtheris, Baptiſtæ. Tum addit. [Et ſi hæc via ſancti inceſſerunt, quam tu tibi viam ad cœlum ſternis, tam diuerſam viam ingrediens?]

Non contenti ſanctorum Religioſorum pleri-que, cibi potuſque parcitate, ad tenuendam carnis ſuperbiam, dura & aſpera tractatione eam caſtigarunt, exemplo Apoſtoli, redigentis corpus ſuum in ſeruitutem, ne ab Angelo ſatanæ ipſum colaphizante, euerteretur, interuentu ſtimuli carnis. S. Benedictus moleſtiſſima carnis tentatione oppreſſus, teſte S. Gregorio 2. dial. c. 2. [Ad ſemetipſum reuerſus eſt, atque vrticarum & veprium iuxta denſa creſcere frutecta conſpiciens, exutus indumento, nudum ſe in illis ſpinarum aculeis & vrticarum incendiis proiecit, ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera, eduxit è corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem; cumque benè pœnaliter arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium.] Ex eodem fine, S. Franciſcus, aëri hyeme volutauit ſe in niue, & ſtatuas in ſpeciem fœmininam conformatas ex eadem perfrigida materia, nudatus corpore amplexus eſt, & arctè conſtrinxit. Eadem carnis procella mentem agitante, S. Macarius vt eam ſedaret, ſedit ſex menſes nudus in palude, in qua culices pelles aprorum prædura ſauciabant. Itaque non ſecus ac leproſus inde exiit; & reuertens non niſi ex voce agnitus eſt, vt ſcribit Palladius. l. 17. Lauſ. Quo item referente, conſtat, Euagrium ex eodem fine ſedandi acritudinem libidinis, hyemali tempore tota nocte ſtetiſſe in puteo adeò malè affectum, vt corpus eius concreuerit præ frigore. Multa affinia proferemus infra tractantes de duritie ſanctorum, Religioſorum in ſeipſos, prout ex fine ſatisfaciendi Deo aliove quopiam honeſto motiuo, extra neceſſitatem tuendæ caſtitatis, poteſt ſuſcipi. Vbi etiam fusè de flagellorum vſu, quem in caſtitatis ſubſidium multi vſurpant. Eſtque commodior, quàm eorum qui in eum finem olim fuſte ſe verberabant, vt teſtatur. S. Nilus c. de fornicatione. Non eſt diffitendum, flagellationem qualis nunc eſt in vſu, incendere corpus, adeò vt apud Ludouicum l. 11. c. 15. Cœlium, & Picum 3. in Aſtrol. c. 27. & Eſpencæum 5. de cont. c. 13. ſpurcus veneris miſta, ex acri flagellatione fortiùs emoueretur ad turpe commercium. Nihilominus caro per flagellationem contuſa & ſubacta, docilior fit ad parendum rationi, ac veluti cicuratur, & miteſcit, præſertim Deo ad illud hominis in ſeipſum excandeſcentis argumentum, rorem infundente de cœlo, & carnem ferocientem comprimente.

Nonnulla caſtimoniæ apud Religioſos præſidia, atque ſubſidia, ſunt æterna v. g. mititas, & repreſſio iræ, quam ſubſeruire caſtitati tradunt Caſſianus coll. 12. c. 6. atque Bernardus, ſerm. 1. in confeſſio omnium SS. ſic accipientes illud Chriſti, *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*; hoc eſt terram domeſticam, ſiue corpus proprium. Humilitatem pro inſigni caſtitatis ſubſidio, aſſignãt Patres. Sicut è contrario, ſuperbia ſæpenumero multatur permiſſione caſus in volutabrum iuxta doctrinã S. Greg. qui in hunc ſenſum interpretatur illud Iobi, *Baltheũ Regũ diſſoluit, & præcingit fune renes eorum*. Vnde videmus, filios ſuperbiæ, autores & ſatores ſectarũ, permitti ſuę ſalacitati ac turpitudini; vt elatio animi quę aduersùs Deum & conſtitutam ab eo regulá viuam attolleret cornua, cógrua retributione multetur. Vix è contrario præſentius remedium eſt tuendæ

mendæ caſtimoniæ, quem humilis virium ſuarum ad inteſtinum hoſtem debellandum imparium, coram Deo profeſſio medullitùs omiſſa, adhibita ea formula ex praxi Salomonis Sap. 8. cum adhuc ſaperet; *vt ſciui quod nemo poſſit eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij Dominum; & deprecatus ſum illum, de totis præcordijs meis.* Hæc ad Deum aditio, & ſpes in eius adiutorio, ferè fœtus eſt benè per peculiæ difficultatis in hoſte hoc inteſtino ſuperando, quantam Climacus gradu 15. ſub finem ſibi depingit his præter cætera. Quonam more & modo, meum hunc amicum vinciens in morem cæterorum diiudicem, neſcio. Priùs enim quam illum vinciam, ſoluitur, & antequam diiudicem cum illo, in gratiam redeo; & antequam punio, flector. Quomodò illum vinciam, quem vt amem à natura ſuſcepi; Quandò ab eo liberabor; cui in ſeculum colligatus ſum? Quandò mecum, etiam ſurgentem deſtruam? Quando incorruptibilem oſtendam, qui naturam accepit corruptibilem? Quid illi rationabile dicam, qui per naturam mille rationibus ac perſuaſionibus mentitur? *&c.* Eſt cooperator & hoſtis, adiutor atque aduerſarius, auxiliator ſimul & inſidiator. Si foueatur, oppugnat, ſi affligatur debilior fit, laſciuit per quietem: Rurſus verbera & flagella non ſuſtinet. Si illum contriſtem, periclitor, ſi foueam, per quam virtutes acquiram non habeo. Quid ſit circa me Sacramenti, quæ ſit meæ concretionis ratio, quomodò mihi & amicus ſim & inimicus, quis videat? quis intelligat? [Imitatus eſt Nazianzenum orat. 16 In ea implexitate quod perfugium ſupereſt animę tam periculosè conflictanti, niſi vt ad Dei protectionem ſupplex conuolet; falſa ſe nihil de ſuis præſumere viribus, ſed fortitudinem ſuam vniuerſam, ad ipſum Deum cuſtodire? Eo medio Abbas Serenus, exorauit fomitis temperationem, exempla per Angelum è mediis viſceribus ignea ſtruma, vt Caſſianus coll. 12. cap. 4. & coll. 7. cap. 2. teſtatur. Idem Caſſianus coll. 12. cap. 1. inter parandæ ac tuendæ caſtitatis ſubſidia, numerat charitatem. At domicilium charitatis eſt cœtus religioſus, benè conſtitutus. Igitur & penes hoc ſubſidium, & penes anteriora omnia quæ mirificè nitent ac fragrant apud Religioſos, mirum eſſe non debet, micare & fragrare apud eos caſtitatem. An prætereà unum ſinam, generale & æquè omnibus ſanctis probatum eiuſdem virtutis ſubſidium, ſitum in occupatione ſancta & otij declinatione? Eſt ſanè otium, omnium malorum ſcaturigo, iuxta illud ſapientis, *multam malitiam docuit otioſitas*, quod fusè illuſtrat S. Chryſoſtomus hom. 7. in 1. ad Cor. Apertè apud Iſidorum Pelutiotam l. 5. epiſt. 51. Epigraphe epiſtolæ, habet, otium eſſe *puluinar Diaboli*: Clemens Alexandrinus l. Strom. pag. 317. ex Platone, & Pythagora tradit, ita alienæ neceſſitati ſubueniendum eſſe, vt tamen otium eius cui ſubleuatio impenditur, non foueatur. Paſſis velis in otij deteſtationem excurrit Bleſenſis Epiſtol. 9. & quantum caſtitati adferetur otioſitas, optimè proſequitur Gul. Baldeſanus, l. 1. ſtimuli virt. cap. 42. attigerátque qui dixerat.

Otia ſi tollas, periere cupidinis artus.

At otium, in Religioſa vita planè ablegatur, vt egregiè traditur in regula Carmelitarum cap. 11. & ſermone 17. ad fratres in eremo. Præmeiant Sanctus Baſilius q. 37 fuſar. & 21. ac 41. breu. & Caſſianus l. 10. de inſtit. ac S. Benedictus c. 39. regul. & informans Ruſticum *ad Monachiſmum Theoph. Rayn. Aſcetica.*

S. Hieronymus, S. Franciſcus [otioſos fratres, *muſcas* vocabat vt eſt in eius Actis nec ferendos in vita Religioſa tales fucos; conteſtabatur. Igitur hoc quoque caſtitatis ſubſidium, in Religioſis cœtibus benè conſtitutis, locum habet, vt mirum eſſe non debeat, præ tantis parandæ ac tuendæ corporum ſanctimoniæ præſidiis, quanta recenſuimus, carnis illuuiem non habere locum in hoc terreſtri cœlo, quæ eſt Religioſæ familiæ nomenclatio apud Petrum Cellenſem l. de panibus c. 7. in fine qua in parte benè ſeruatur analogia cum cœlo beatorum de quo dictum eſt; *Foris canes.* Et; *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* SECT. I. PVNCT. II. § III. *Otij vitatio ſpecial. Religioſæ caſtitatis*

§. IV.

De Religioſorum fragrantia in reciſione iniuſto auctioris curæ erga carnem propriam.

NEmo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam. Et quamdiu intra metrum neceſſitatis ſiſtitur, cura illa innoxia eſt ac labe vacans. Sed quia tranſitus ſæpe fit a neceſſitate ad ſuperuacaneam curam, (vt vniuerſe diſſerit Philo altero l. de ſomniis 862. ac Gregorius Nyſſenus hom. 3. in Eccl. & orat. de mortui. ſub fin. & quoad carnis curam, Auguſtinus 10 conf. cap. 31.) idcirco Religioſi alio acti ſtudio quam ſeculares, qui toti ſunt in carne mulcenda, ſollicitè cauent ne plus iuſto ei abblandiantur, eóque veluti lenocinio, pertrahant in ruinam. Itaque & ſubductione commodorum; & admotione aſperitatum, crucifigunt carnem ſuam & ſubigunt; non modò ad caſtimoniæ indemnitatem, (de qua proximè actum eſt,) ſed ad alios quoque fines, vt pœnitentiæ & ſatisfactionis, pro ſe vel pro aliis, aut ad placandum Deum in publica calamitate, nec non ad potius & expeditius adeundum Deum per orationem gratiorem. Nam Deus acceptam habet eam exhibitionem hoſtiæ viuæ, vt Apoſtolus Rom. 12. dixit. Propterea que ſeorſum de hac moderatione nimij erga carnem propriam affectus, agendum ſuſcepi. Penes hæc porrò, multarum Religioſarum familiarum diſtinctio attenditur. Nam cum omnes conueniant quoad ſubſtantialia Religioſo ſtatui, hoc eſt quoad obſeruationem trium primariorum Conſiliorum Euangelicorum quæ etiam voto firmant: habent tamen ſingulæ characteriſticam aliquam; ex huiuſmodi imbonitatibus circa carnem propriam, veluti expolitionem ſubſtantiæ prædictæ. [Rudem enim quaſi imaginem, (ait de SS. fundatoribus Petrus Bleſenſis ſerm. 4.) colorantes, addiderunt de ariditate ciborum, de modicitate veſtium, de auſteritate lectorum, de cuſtodio labiorum, de temporibus ieiuniorum, de modis & diſtinctionibus orationum, de conſolatione laborum.] Móxque deſcribens compeditionem, id eſt alligationem omnium ſenſuum in Religioſo ſtatu ſolemnem; addit hanc Sunamitem, compeditorum diximus. Audierat enim quia Dominus audit gemitus compeditorum, & iniecit pedes ſuos in compedem ſapientiæ, & collum ſuum in torquem eius. Cum licuit ei epulari, afflixit ſe ieiunijs? cum licuit dormire, intempeſtæ noctis vigilias ſibi indixit; cum loqui licuit, poſuit cuſtodiam ori ſuo; cum deambulare licuit, etiam muris materialibus ſepiuit pedes ſuos. Poſtremò quaſi oculis ſuis abſtulit vi-

SECT. I. PVNCT. II. §. IV. *Neglectus carnis per Religioſos odorum.*

lum, auribus auditum, naribus olfactum, linguæ, eloquium, manibus tactum, pedibus greſſum. Hæc compeditio, mortificationem carnis operatur, & expeditam contra cuiuſlibet generis hoſtes exercitationem, quod aduerſus eam, etiam aduerſarius mutire non poteſt. Accedit enim quis ad compeditum, & volens eum trahere ad illicita dicit; Egrediamur foras, videamus ludos theatrales, choreas virginum, palæſtras adoleſcentium, gyros equitum, & huiuſmodi: Cui compeditus; Quid prouocas me ad videndum? Non habeo oculos. Ad quem ille. Numquid video in capite tuo duo luminaria micantia, & diffundentia viſum, vſque ad obiectionem corporum? Cui compeditus. Oculi quos video, non ſunt mei. Eos contuli in alium. Lumina ſunt veritatis. Abſit vt oculi veritatis, videant opera vanitatis. In hunc modum ſatis idonea eſt & elegans reſponſio in excuſatione membrorum.] Hæc membrorum compeditio per mortificationem, variè in variis inſtitutis adhibitam, eſt, (vt dicebam) multorum Religioſorum ordinum characteriſtica; penes quam præſertim, Deus dices in miſericordia, diuerſis ingeniis, diuerſa inſtituta accommodauit.

Alia ſimilia complura penes quæ diſcriminantur accidentariò religioſè inſtituta, ſubminiſtrant Epiphanius compend. in doctr. ad fin. Nazianzenus agens cum tributorum exæquatore ſub Iuliano pro monachis releuandis, & alibi; nec non Sozomenus carm. ad Hellenium, ac paſſim in Religioſa hiſtoria Theodoretus l. 1. cap. 12. Quanquam quòd ferè ſingularum perſonarum geſta, non etiam ordinum inſtituta deſcribat, minùs commodat præſenti negotio, quo præſertim attendimus ſanctum corporis odium in perſonis integræ eiuſdem familiæ Diuino obſequio mancipatæ, tametſi ea quoque quibus ſingulares perſonæ in Religioſæ vitæ profeſſionem extra cœnobia, ſanctum ſui odium prodiderunt, non ſunt aliena à præſenti negotio. Præterea ergo quæ ex Bleſẽſi attingimus, nec fortaſſis adeò aſpera & dura cuipiam videbuntur, occurrebant non pauca, è quibus demonſtretur, quàm Religioſi temperantiam erga carnem ſuam affectentur, non modò nihil ei abblandiens aut lenocinans adhibendo, ſed etiam durè eam tractando, ea fine placendi Deo, & hoſtem hunc blandum contendendi; Tantum abeſt, vt per cupedias, eam mulceant, aut pro eius bono habitu & fomento ſint ſolliciti. Prodit hunc ſanctum neglectum in pleriſque, quod ægri nullum pharmacorum vſum admiſerunt, permittentes ſe naturæ viribus, & diuinæ prouidentiæ. Ita fecerunt ex vſu in ſuis cœnobiis inolito, S. Fulgentius c. 30. vitæ, & Eutychius, ac teſte Nyſſeno S. Macrina, in eius monodia, cum agit de corpore demortuæ. Acta ſanctæ Euphraxiæ cap. 6. produnt ita fuiſſe receptum vniuerſaliter in eius parthenone. Referuntque & approbant eam Religioſam praxim, S. Macharius, hom. 48 in fine S. Ephrem, S. Diadochus de perfect. c. 53. ſanctus Bernardus Epiſto. 321. fauente Chryſoſtomo hom. 14. in 1. ad Timoth. Hæc teſtati non fecerunt curam carnis in deſideriis, neque ſederunt in concilio vanitatis, quod quid ſit, doceo ex Richardo Victorino in pſal. 25. ſic ſcribente. [Veniunt ſæpè ad mentem meum cogitationes innumeræ & ſurgunt affectiones multæ, & ſollicitant me de cura corporis; & ſuggerunt multa de vſibus neceſſitatis. Conueniunt ibi quaſi ad conſulendum, veraciter autem ad decipiendum, & congregantur conſiliarij multi, & conſiliatores vani, imo deceptores veri. Congregantur autem quaſi in concilium vnum, & quaſi ad quærendum conſilium bonum, & dantur in commune conſilia multa; ſed inutilia & vana, quia conſilium vanitatis eſt, & totum eorum conſilium, de vanitate eſt. Suadent ſumere vinum propter ſtomachum, ſomnum extendere propter cerebrum, carnem fouere ne tabeſcat, corpus recreare ne deficiat, abſtinentiam aliquantulum relaxare, quieti parumper indulgere, & in hunc modum agitur de cura corporis, cura ſuperflua, & de vanitate ventilatur quæſtio vana: & ſuper huiuſcemodi inutili negotio conſumitur ſæpè dies integrat. Sed experimento multo iam didici, non credere conſilio vanitatis.]

Diſſipat egregiè conſilium hoc vanitatis Faſtredus habetur ad calcem Epiſtolarum ſancti Bernardi nouæ editionis Abbas qui cum ſancto Bernardo vixit & contundens Abbatem quendam lurconem, prætexentem curæ carnis ſuam imbecillitatem, ſic loquitur. [In tui excuſationem affers ſtomachi & capitis dolores; quodque communes cibi, tibi officiant. Tota erras via, ſi cedas Monachum ſecularium medicinas ſequi poſſe. Ad monaſterium enim venimus, vt corpori incommoditates, & non commoda & voluptates quæramus. Si S. Paulo fortitudinem addebat infirmitas, quare domo, medium tantorum bonorum cauſam, exturbare niteris? Crede mihi Pater mi; ſæpius ſanctum Bernardum, pultes ex farina confectas addito oleo & melle, cum ſcrupulo edentem vidi, ad ſtomachum calefaciendum: dumque eum de hac auſteritate accuſarem, mihi reſpondit; Fili mi, ſi Monachi obligationem noſſes, omnis buccella quam edis, lachrymis irriganda foret. In hoc enim, Monaſterium intramus, vt peccata noſtra & populi deploremus, & panem quem suis laboribus parant comedentes, horum peccata comedimus, & ea tanquam propria lugeamus.] Addebatque præterea. [Nec ſufficit Monacho infirmitatem allegare. Sancti enim Patres, maiores noſtri, valles humidas & declines, Monaſteriis extruendis indagabant, vt ſæpè infirmi Monachi, & mortem ante oculos habentes, ſecuri non viuerent. Si ergo ſancti ægritudinis media inquirunt, quare tu illa indagas, vt lautè habearis? Etſi ipſi medium hoc tantorum bonorum cauſa nobis accerſunt, qua diſpenſatione tu, Monaſterij bona, infirmitatis excuſatione in corporis tui commoditates inſumis & prodigis? Maior eſt, frater mi, animæ quam corporis tui infirmitas. Si enim illa eſſet in Dei gratia, non tam debile eſſet corpus, nec adeò terrenis deliciis amicum.] Quod dixit de locorum humentium ad habitandum delectu conſonat Platoni, quem ſanctus Hieronymus in pſal. 36. l. 2. in Iouin. refert, Academiam loco inſalubri conſtituiſſe, vt infirmitate corporum virtus vegetior fieret. Infirmitas quippe iuxta S. Ambroſium, eſt virtutis officina. Et vt ait Catturæ ſorori Saluianus. [Imbecillitas carnis, mentis vigorem exacuit & affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum vt mihi genus quoddam ſanitatis eſſe videatur, hominem interdum non eſſe ſanum. Nulla enim admodùm tum ſpiritui cum corpore, id eſt nulla diuinæ indoli cum terreno hoſte luctatio eſt, non turpibus flammis medullæ æſtuant, non malè ſanam mentem latentia incentiua ſuccendunt, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſciuiunt, ſed ſola exultat anima

anima, læta corpore affecto, quaſi aduerſario ſubiugato.] Itaque non eſt adeò extimeſcenda infirmitas, vt propter eam declinandam, iuſto auctius curanda aut tuenda ſit caro, magnáque cum anxietate di[illegible] ciborum adhibenda ſit, admodùm improbante eam in Religioſo anxietatem Sancto Bernardo ſer. 30. in Cant. & vigente vt Chriſtum potiùs audiat hortantem vt qui voluerit animam ſuam ſaluam facere perdat eam nec Hippocratis præſcripta ſollicitiùs iuſto attendat: quod Sancti non fecere, nec hodiéque faciunt Religioſi probati.

Adhuc ſenſibiliùs benè multi, per admota carni dura quæque, teſtatum fecere, quàm in ſe recidiſſent carnis ſuæ lenocinium. Dura dico, flagella, cilicia, circulos ferreos, artuum vexationes, Chameunias, habitationem ſub dio quacunque anni tempeſtate; vel ſi tectum ſubirent, incommodiſſimè in ſpecu aut petra anguſtiore tuguriolo, ſedem incommodiſſimam aſſumentes. Alium apud Climacum Gradu. 4. ſub ardentiſſimo ſolis æſtu; cruciabant ſeſe alij contra, acerrimo frigore ſe affligebant. [Nonnullos vidi (ait idem autor) in pauimento ſtrato cilicio, & cinere ſedentes, faciem genibus operientes, frontémque in terram collidentes.] Nec dimittenda ſunt veſtis horridæ aſperitas, victus durities, & ſi quæ ſunt aliæ corporis diuexandi rationes, quæ à Religioſis ex ſancto ſui odio vſurpatas, breuiter demonſtro.

Flagellorum vſus à tempore præſertim Petri Damiani ſub nomine *diſciplinæ* increbuit. Sed eſt reuera longè antiquior, etiam ſub nomine *diſciplinæ.* Nam nomine legitimæ diſciplinæ, quæ in variis antiquis regulis, & in legibus Longobardorum, & in Marculphi formulis, indicitur (vt refert Menardus in concord. regul. cap. 7. §. 17.) intelligitur verberatio, ſiue flagellatio. Abhorruere ab hac ſancta hominis in ſe ipſum concitatione, Stephanus Cardinalis Monachus, & Petrus cognomento *Cerebroſus*, potenter contriti à Petro Damiani variis Epiſtolis. Inſtaurarunt nuper hunc errorem, molliculi Sectarij, ferè ex cœnobiis transfugæ; in quos validiſſimè agunt, Gretſerus in opere de hoc argumento lib. 1. de diſcip. & Ioannes Buſæus in opere de ſtatibus tit. de ſtatu pœnit. à cap. 5. & varij ſectarij adducti & expleti à Serario 4. Regum ad numer. 28. qui omnia eorum nugamenta diſpellit. Sed non eſt ad eos debellandos longo conniſu opus, cum Apoſtolus 1. Cor. 9. apertè agnoſcat ſe vſum eo pietatis inſtrumento, vt Gretſerus ſupra cap. 4. benè euincit, reiecto Petro Fabro 5. Agon. cap. 13. & 14. qui ad ieiunia Apoſtolum diſtorquet. Dictum de eo loco nonnihil in opere de Stigmatiſmo ſer. 1. cap. 5. Eſt ergo exemplum flagellationis in Chriſtiana Eccleſia perantiquum, contra quam aliqui tempore Petri Damiani cauſabantur. Iam olim quoque Climacus gradu 4. inter varia ſatiſfactionum pœnalium genera à quibuſdam Monachis vſurpata, recenſet quod *ſeipſos ſtupendum in modum verberarent atque mulctarent.* Ita enim Climacum expreſſit eius antiquus Scholiaſtes Elias Cretenſis; malè autem Ambroſius Camaldulenſis hom. 43. in Matth. vertit, eos *miſerabiliter eſſe lamentatos.* Sanctus Chryſoſtomus cuinis (atque adeò etiam ſecularibus) veſpere conſcientia excutientibus, autor eſt, *vt carnem cedat in ſceleratam* pœnam, & eam *flagellis verberibúſque dilaniet.* Et ad hoc erga ſe iudicium ineundum, mandat Sanctus Chryſoſtomus captare ſecretum in domo locum, & tempus quo nemo interpellet, nemo perturbet ſanctam in ſe ipſum concitationem. Sed hæreamus in Religionis flagellantibus acriter ac ſugillantibus carnem ſuam per flagella. S. Dominicus Loricatus, Monachus probatiſſimus, (vt vitam eius deſcribens Petrus Damiani teſtatur,) duo pſalteria quotidie decurrebat flagellans ſe ambabus manibus. Per quadrageſimam verò tria quotidie pſalteria decurrebat, cædendo ſeſe. Aliquando etiam octo, ac etiam nouem, & duodecim pſalteria, cum parte decimi tertij, per diem ac noctem flagellis ſe contundens expleuit. Proximo poſt Petrum Damiani ſeculo, Petrus Bleſenſis, vſum flagellorum ſub nomine *diſciplinæ*, fuiſſe frequentem, teſtatus eſt variis locis quæ ex eo ſignat Buſæus ad Tractatum illius in Iobum. Et ſignatim Epiſtol. 27. teſtatur Bleſenſis, Sanctum Thomam Cantuarienſem qui Ordini Ciſtercienſi adſcriptus eſt, maceraſſe carnem ſuam diſciplinis. Camaldulenſes, (vt habetur in Actis S. Romualdi) flagellorum vſum frequentarunt. Idem de Victorinis Canonicis Regularibus, docet narratio de Hugone inibi Canonico, conſignata à Cantipratano 2. apum capit. 16. & 5. ſcribente, Hugonem quod præ teneritudine corporis ſibi pepercisſet, nec cum fratribus ſe cecidiſſet flagelli, tranſeuntem ad expiatrices Purgatorij flammas, à ſinguli dæmonibus valide ictu flagelli fuiſſe multatum. Porrò non qualicumque flagello ceciderunt ſe feruentes multi Religioſi, ſed aſperrimo Sanctus Dominicus autor Prædicatorum, ſingulis noctibus adhibita catena ferrea ter ſe flagellabat, vt ſcribit in eius vita Theodoricus l. 3. cap. 12. & l. 4. cap. 9. & 11. qui alibi l. 6. cap. 4. & 5. teſtatur, aliquos eiuſdem S. Patris Alumnos, nodoſis loris ſua corpora laceraſſe. Scopis primùm ſe cecidit Sanctus Dominicus Loricatus. Sed poſtea ſcuticam adhibuit, expertus eam duriùs verberare. Henricus Suſo Ord. Prædicatorum, ſcuticam horrentem confecit ſibi, æreis & acuminatis aculeis, hinc inde obductam, binis item aculeis, media ex parte ſcuticam antenertentibus; adeò vt ſinguli aculei eſſent triſulci qua parte corpus contingebant. Defuiſſe ab aliquibus Monachis ad ſe flagellandis vſurpati, iam dixi ſupra ex Sancto Nilo cap. de fornic. in opere de octo vitioſis cogitationibus.

Reducitur ad flagellationem vehemens pectoris tenſio, quam à S. Hilarione ſibi irato adhibitam, ſcribit in eius vita S. Hieronymus. Alibi Epiſt. 22. de ſeipſo idem teſtatus, quanquam quod pictores Sternotypiane impacto lapide factam repræſentant, licentia eſt pictorum de ſuo id addentium, vt Molanus ait in opere de imaginibus l. 3. cap. 42. Qui rectè etiam alibi ibidem c. 54. eodem opere tradit, quò pertineat flagellum cum quo exhibetur Sanctus Ambroſius; nempe ad pulſos ad Parabiagum hoſtes Mediolanenſium, ipſo inuocato, anno 1338. Ita enim habetur lectione 3. officij Eccleſiæ Ambroſianæ. Alii tamen flagellum Sancto Ambroſio appictum volunt, ad exprimendam Arianorum abactionem ex Italia, opera S. Ambroſij. Sed hoc obiter. Redeo ad pectoris tunſione. De aliis Climacus Gradu 5. quod iugiter pectora tundebant, & quidem nonnulli tanta vehementia in ſeipſos ſic contundendos ferebantur, vt pectora peſſimè afficerentur, liuidáque, ſanguinē ex crebris illiſionibus emitterent. Nazianz. orat. 12. n. 1. inter Monachorum decora, numerat pectorū verberationes

SECT. I. PVNCT. II. §. IV. *Neglectus carnis per Religioſos odium.*

SECT. I. PVNCT II. § IV. *Neglectus carnis per Religioſos odeo...*

tiones. Cœterum Qui pectora tundunt, nec mutant vitam, eos peccata *pauimentare*, potiùs quàm elnere dixit S. Auguſtinus. ſerm. 28. ex 40. nouis. Ex ſe tamen, tunſio pectoris actus eſt honeſtus, & in ipſa Scriptura commendatus.

Flagellis annectebam cilicium, veſtem inquā ex pilis caprinis equiniſve, aut aliis ſetoſis ac hiſpidis pellibus, concinnatam. Eius vſus Monialibus commendat Iuo Carnotenſis. Epiſt. 10. Omnibus indiſcriminatim Gretſerus l. 1. de diſcipl. cap. 6. & 13. Exempla proſtant in ſcripturis paſſim. Chriſtum ipſum cilicio vſum aſſerunt Iacobus de Valentia & Brendelachius ad illud. Pſalmi 68. ex eius perſona prolatum, *Poſui veſtimentum meum cilicium.* Item Lyranus ad illud Pſalmi 34. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio*; Et in eam ſententiam adducit Chryſoſtomum. Explicatiora tamen ſunt in ſcripturis, exempla. Dauidis pſal. 34. ac 68. Achabi 3. Reg. 21. Iorami 4. Reg. 6. Ex poſterioribus Sanctus Martinus Monachum profeſſus, aſſiduè geſtabat veſtem cilicinam. Sic enim de eo Paulinus l. 2. vitæ.

Quin & contexto ſetis coopertus amictu,
Exeſa aſſiduo compunxit acumine membra,
Vt tereret tenuem veſtis nimis aſpera pellem
& cutis extentis ſtimulis attacta pateret.
Et rurſus.
Multis textis erat ſetis contexta cameli
Quæ lenibus ſtimulis vigiles contingeret artus.
Excludens tenuem compuncta carne ſoporem
Molliane fluxum nutrirent vellera corpus.

Sanctus Abraham apud Sanctum Ephrem. Syrus ſanctiſſimus Monachus, cilicium geſtauit per annos quinquaginta. Sanctus Theodorus ab hiſpido cilicia cognomento *Trichinas*, memoratur in tabulis Eccleſiaſticis 20. april. Sanctus Laurentius ex Canonico Regulari Dublinenſis Archiepiſcopus, vt eius vitæ autor ſcribit, cap. 11. tunicam talarem induit, imò carni alluit, totam cilicinam, cuius aſperitate, & vermium multitudine ad eam ebulliente, forabatur caro eius. Horrorem incutiunt quæ de Henrici Suſonis ord. Prædicatorum cilicio, & ſubligaculo, aculeis æreis exacutis centum ac quinquaginta inſtructo, produnt eius Acta. cap. 17. De miſſis ad ſe ciliciis ſic Philophatur Sanctus Paulinus. Epiſto. 10. [Neceſſariò peccatoribus & precatu deplorationis & habitu indigentibus, pallia camelorum pilis texta miſiſtis, quæ nos in conſpectu altiſſimi vtilibus ſtimulis admonerent, dum aſperitate ſetarum compungimur, & peccatorum noſtrorum horrore compungi, atque intus ſpiritu conteri, dum extrinſecus terunt habitum. Multa præterea in eorum vſu, de veterum recordatione Sanctorum, conformandæ fidei emolumenta referuntur. Veniunt in mentem tranſlatus Elias, & præmiſſus Ioannes, quorum alterum hiſpida ſetis Zona, alterum pili camelorum, hirto tegmine veſtiebant.] Ad locum Geneſ. 37. quo loco refertur Iacob cilicium indutus, multas & multas, quibus cilicium vſui fuit, memorat Cornelius Cartuſiani hanc ſanctam armaturam numquam deponunt. Quotquot dicuntur vſi ſacco, iiſdem ſunt accenſendi. Nam in ſcriptura, vt notauit Ianſenius, c. 47. concord. *ſaccus*, cilicium ſonat. Et apertè eam ſacci notionem exhibet Paulinus carm. ad Cytherium cum ait.

Si modo lugentem grauis hirto tegmine ſaccus
Caprigerum ſetis dum tegit, & ſtimulat.

Probare verò non poſſum, quod Agellio in pſalmum 29. & 68. vocem *ſacci* reſtringi ad lumbare ſiue perizoma & vt D. Auguſtinus appellat campeſtria. Probat hanc ſacci notionem Agellius, ex eo quod Geneſ. 37. vbi vulgatus Iacobum pro Ioſepho lugentem, ait amictum eſſe cilicio, Hebræus, & 70. habent, *poſuit ſaccum in lumbis ſuis*. Et 3. Reg. 20. dicuntur Syri prælio victi, lumbos ſuos accinxiſſe ſaccis, vt eo lugubri habitu, Regis Iſrael gratiam exorarent. Item Eſdræ 4. cap. 16 iubentur lugētes præcingi ſaccis & cilicio. Hæc tamen non euincunt intentum. Nam potuit dici ſaccus ſuper lumbos ſtatui in luctus ac moleſtiæ ſignum, quia interuentu Zonæ ad lumbos cingentis apprimebatur ſaccus corpori, ita vt non flueret, ſed corpori ſit moleſtior per adiunctionem intimiorem. Cœterum præter Agellium nemo, vocem *ſacci* omnibus nationibus vſurpatam (vt notat Sancius Ioëlis 1. num. 31.) pro tunica aſpera, arctaui; ad ſuccinctorium ſiue perizoma. Itaque cum vſus ſacci ad pœnitentem, frequenter in ſcripturis commendetur, eo ipſo, cilicij quoque vſus cui nomini eadem ſubeſt notio, collaudatus cenſeri debet, & tanquam labis expers agnoſci ſiue ſubuculam & tunicam ex materia hirta & hiſpida ſignificet (cuiuſmodi ſunt varij pili ſcabri de quibus Soprarius; digreſſ. de re veſtiar. Iudæor. cap. 1. §. 3.) ſiue deſignet thoracem duntaxat, aut interulam ad vmbilicum vſque dumtaxat porrectam, qui eſt nunc cilicij frequentior vſus. Perinde id nobis eſt dummodò textum horridum & aſperum Zona protenſius nomine *cilicij* intelligitur; quid ex vſu tam multorum Sanctorum conſtare debet eſſe innoxium. Caſſianus quidem l. 1. cap. 3. cilicij vſum in Monacho ſugillat; ſed agit tantùm de iis qui exteriùs apparens cilicium, ad oſtentationem geſtabant. Eaque ex cauſa Sanctus Baſilius (vt retulit Nazianzenus in monodia) noctibus tantùm cilicium geſtabat. Quid ad peccati ſignificationem, & teſtandum de eo triſtem ſenſum, excogitatus primùm fuerit vſus cilicij, vt Sanctus Auguſtinus 2. de conſenſu Euang. cap. 4. tradit; ideo olim, publicè pœnitentes, induebantur cilicio, quod idcirco apud Optatum lib. 2. nuncupatur nomine *velamini iſpœnitentia.* Dicebatur item *velamen mortiferum & funus dignitatis*, quia pœnitentes publici, habebantur ciuiliter mortui, & omni dignitate excidebant. Adiungebatur ſæpè cilicio, *cineritium cubile*. Sic Ionæ. 3. Omnes Niniuitæ dicuntur induiſſe cilium; ipſumque eorum Regem Sardanapalum cilicio amictum, ſediſſe in cinere. Iunguntur item duo illa Matth. 11. verbis illis, *in cilicio & cinere* pœnitentiam egiſſent, quem nexum ad pœnitentiæ exercitationem bellè congruere, notauit S. Hieronymus ad illud Thren. 3. *ponet in puluere os ſuum.*

Ferrei circuli, pleriſque ſanctis Religioſis fuere inſtrumenta legitimæ in ſeipſos ſæuitiæ. De ſancto Dominico Loricato in hunc modum ſcribit. Petrus Damiani. Epiſto. ad Blancam Comitiſſam [A tribus circiter annorum luſtris, lorica ferrea veſtitur ad carnem; duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur; duobus item per brachiorum armos arctatur. &c. Circulis ferreis quatuor, quia ſibi prælonga conſuetudine iam viluerant, quatuor item ſuperaddidit, vt duobus in coxis, duobus conſequenter in cruribus ſtringeretur.] Eodem de Rodulpho poſtea Eugubino Epiſcopo, prodit idem Petrus Damiani. Pœnitentes inſigniores, ſolitos ad eum modum ſtringi, habe-

tur ex Gregorio Turonenſi de glor. Confeſſ. c. 87. Item in Act. S. Ioann. Reomaenſis, lib. 4. c. 6. & l. 5. c. 2. refertur, fratricidam in colli & brachiorum ac pectoris & lumborum circuitu ferreos circulos habuiſſe, eoſque partim ab aliorum ſanctorum Lipſanas, partim ad ſancti illius Abbatis tumulum, ſubito ſimul diſruptos. Verum eſt, eam ferri per pœnitentes geſtationem, notari vanitatis ab Abbate Apollo apud Palladium c. 52. Lauſ. Sed agebat de emercantibus inde laudem, & vltrò ad eum modum ſe grauantibus. Erat tamen innoxia geſtatio; cum à Presbiteris pœnitentiæ nomine imponebatur. Nec timendum erat vanitati, ſi intrinſecùs ferrum ad carnem admoueretur, nec exterius præferretur, vt factum eſt a pleriſque Sanctis Monachis pompa iam pœnitentiæ ſpeciem aueriantibus, de ſe autem pœnas ſumentibus coram Deo. Sic Theodoſius Anachoreta apud Theodoretum, in *hiſt.* c. 10. in collo lumbis, & ambabus manibus ferro ſtringebatur. De Iacobo qui poſteriore loco recenſetur, narrat idem Theodoretus c. 20. ibid. præter ferreos circulos colli, ac lumborum catenas geſtaſſe geminas, à colli circulo, ante & retrò, in circulum inferiorem tranſuerſim dimiſſas; ita vt formam literæ 10. exhiberent, & binos illos circulos ante & retrò connecterent. Similia refert de Euſebio Anachoreta c. 4. S. Franciſci Xauerij Tertellinus l. 1. vitæ in primordiis feruor, proditus eſt in illigatis arctius carni funiculis, qui concarnati ingentem cruciatum ſancto iuueni inferebant. Quid mirum, viros religioſos ſic corpus ſtrinxiſſe, atque ferra grauaſſe, cum etiam ſexus mollior, non ſit paſſus deſiderari à ſe argumenta ſanctæ in ſeipſum ſæuitiæ? Marana & Cyra, Moniales ſanctiſſimæ, Theodoreto teſte ad calcem Religioſæ hiſtoriæ, in collo ac lumbis, manibuſque ac pedibus, ferro grauabantur. S. Radegundis ex Regina Francorum ſanctimonialis, ſanctas illas fœminas eſt æmulata, vt hæc de ea, Fortunati Actorum autoris, verba produnt. [Quadam vice, dum ſibi tranſlatos tres circulos ferreos diebus Quadrageſimæ, collo vel brachiis innexuiſſet, & tres catenas inſerens, circa ſuum corpus alligaſſet, triſtius durum ferrum incluſit caro tenera ſupercreſcens.] Sanctimonialem Brabantinam ſibi perſpectam, narrat Thomas Cantipratenus, l. 2. Apum cap. 23. multipliciter ſe diuexaſſe; nec hoc de quo agimus carnis tormentum dimiſiſſe. Sic enim de ea habet. [Super duriſſimos conuntos lapides indiſcretis temporibus (*id eſt quauis anni tempeſtate*) nudus pedibus recumbebat. Ter tantum in hebdomada, pane in dimidia parte mixto cineribus, & paſſato lixiuia, in menſura & pondere veſcebatur. In breui tugurio lapideo recluſa erat. Loricam ferream portabat ad carnem; & ſuper loricam ex ſetis pilorum cilicium, quo per medium loricæ acrius pungebatur.] Non potuit hæc lorica eſſe thorax ferreus ſolidus, alioqui quomodo cilicium carnem pupugiſſet? Cenſet Coluenerius, ad eum Mecam. *Loricam* ibi, accipi pro induſio ex ferreis circulis contexto; vulgo *Cotte de maille*. Sicque cilicium per loricam ita confectam, pungere potuit. Sed hoc quoque, difficilè intelligitur. Nam intextili ferro prædicto, adeò connexi ſunt annuli, vt cilicium impoſitum, carnem pungere per medium textile, non poſſit. Non fuit ergo thorax ferreus, quo ea Monialis vtebatur, vndecunque continuus, ſed erant aliquæ in eo vacuitates à ferro; quod non erat adeò ſpiſſum, quin caro pungi poſſet per eas ferri vacuitates, quibus ſuperiniciebatur cilicium.

SECT. I. PVNCT. II. § IV. *Neglectus carnis pro Rel. g. Oderati*

Artus corporis, ſuas ſpeciales cruces ac diuexationes, in pleriſque Religioſis perſonis, habuerunt. Præter aſtrictionem brachiorum de qua proximè; non vacat magno cruciatu extenſio contenta brachiorum. Quo in genere cruciamenti ſui ipſorum, præcelluiſſe duos ſibi notos, refert Petrus Damiani. Deſcribens eorum Acta; Vnum ait fuiſſe iuuenem Monachum; qui pſalterium integrum ſublatis ad cellulæ vſque tabulatum brachiis decurrebat; tantula duntaxat interciſione adhibita, in clauſura cuiuſuis quinquagenæ. Alter Dominicus nomine (ille ipſe qui *Loricatus* eſt denominatus), duodecim pſalmos quos repererat in charta annotatos, extenſis in crucis formam brachiis, ſub vno ductu, nulloque interuallo interpoſito, quotidie quater ac vicies decantabat. Idem chalybeus aut marmoreus, non pelle & carnibus compactus homo, continuata ad finem ferè pſalterij extenſione brachiorum, interiecta ſimili recitatione pſalterij defunctorum, per quinquaginta pſalmos trifaria lectionum interpellatione diſtinctos, abſque interpoſita brachiorum deiectione, reſumpſit quod reliquum erat pſalterij, & expleuit; Cumque de tertio pſalterio ſimiliter extenſis brachiis continuando cogitaret, ſigno nocturnæ Synaxeos inſonante, coactus eſt ſuam illam ſanctam carnificinam abrumpere. Aliter brachia protendebat Beatus Robertus Salentinas Ordinis Cæleſtinorum. Nam repertam in Sylua arborem penè bifurcam noctu ſuccidit, & in cellam ſuam deportauit. Ab ea inibi defixa, crucifixi inſtar pendebat, nullo pedibus ſuppoſito fulcro; Sicque centies orationis dominicæ ſpatium decurrebat precando. Et erat immanis grauatio corporis penduli, præſertimque brachiorum. Poſitis enim ex vtraque brachiorum parte chordularũ nodis, quibus brachia immitteret, dum ſe ſe in arbore ſuſpenderet omni die arborem illam conſcendens deiecto toto corpore inſtar crucifixi inde pendebat, tanto (vt dixi) temporis ſpatio quantum ad decurrendam centies orationem Dominicam ſatis foret. Beſſarionem Abbatem ſcribit Pelagius, libello 12. numer. 3. per dies quatuordecim perſtitiſſe manibus protenſis orantem.

Extenſioni manuum (de qua hactenus) oppoſitæ è Diametro eſt, aſtrictio per vincula, & ferreas manicas. Quod genus aſperitatis ſancto ſui odio flagrantibus, etiam à mulieribus eſſe ſuſceptum, habetur ex ſancto Chryſoſtomo, hom. 8. & 9. in ad Epheſ. Qui vincula & catenas Pauli, aureo eloquentiæ profluuio cum exornaſſet, negat tamen iam eſſe quod quiſquam vinculis & catenis legitur, niſi myſticis; habens ſcilicet pro ferro timorem Dei; quo manus cohibeantur ne aliena ſurripiant. Materiali autem ferro ac vinculis corporis; negat nunc eſſe opus; *nulla iam* (inquit) *exiſtente occaſione. Nihil opus eſt vt manus ligatas, ſed vt mentem vinctam habeas.* Et ſanè, non modo non eſt occaſio talia inſolita exhibendi; ſed etiam vrgens motiuum eſt ea dimittendi; ne inde frugiperda vanitas exiſtat. Mitius dixi præ forti eius deteſtatione quæ præſtat apud ſanctum Chryſoſtomum in 1. ad Cor. homil. 12. & 32. & 35. non vno loco. Nam præter cœtera vocat eam, *crudelem belluam, dæmonem horrendum, communem totius orbis terrarum peſtem, viperam veneratam ſui dilaceratricem.* Obnoxia ergo eſſe poteſt huic peſtifero morbo, oſtentatio

SECT. I. PVNCT. II. §. V. *Neglectus ſacrorum per Relig. Odorum.*

ferrearum manicarum, quæ vt deoſculandæ ſunt Pauli imitatione, ſi deforis, iniiciatur propter Deũ, ita vt perſona ipſa aſſumat vltrò ſibique iniiciat, non eſt conſuetum. Et ita pronunciauit S. Epiphanius enumerans varias in Anacephal. Religioſorum in Catholica Eccleſia aſperitates. Indecorum enim præfatus eſſe geſtare extrinſecus cilicium, ſiue ſaccum ſubdit; Indecorum item eſt, (vel vt dixi in vinculis prodire, vel vt quibuſdam viſum eſt.) De his enim præ cæteris vinculis videtur agere, quorum prælatio merito ob vanitatem vita illi eſt indecora & refugienda.

Vacuum oſtentationis periculo, ideóque ſecuriùs vſurpandum, Peculiare manuum cruciamentum quibuſdam Religioſis fuêre ferulæ & palmatæ. Sic apud Cæſarium c. 11. reg Monachus qui tardè aduenerat, impacta manui ferula eſt mulctatus. Idem F. 19. Ianuarij proditur, ſe mulctaſſe, ea pœna ſibi irrogata, Id ipſum erant *palmatæ* iuxta Baronium. anno 1055. An hoc ſenſu apud Burchardum, vnus dies pœnitentiæ, viginti palmatis definiebatur? Fortaſſis autem palmatæ ſunt appellatæ, colaphizationes. Nam apud Petrum Bleſenſem, S. 3. 18. & 24. Chriſtus dicitur *palmatus colaphis, & expalmatus* Addi poteſt & tertia eiuſdem vocis notio, quam inſinuant hæc verba Petri Damiani de Dominico. lib. 6. epiſtola 27. [Lorica eſt homo indutus ad carnem, ferreis membra diuulſa circulis ambit, mittit cum labore moetaneas, allidit in pauimentum ſæpiùs palmas.] Hæc vltima verba inſinuant ſatis idoneam notionem vocis *palmata*.

Mœtaneæ quas Petrus Dominico frequentatas dicit, quandoque ſunt incuruationes ceruicum, ac totius corporis; quandoque genuflexiones. Vtriſque ſuus ineſt labor, & corporis maceratio. Moetaneæ, pro incuruatione, mentio eſt apud Baronium anno 656. & apud Iacobum Billium, ad primam S. Damaſceni orationem de imaginibus. Ad hæc in S. Chryſoſtomi liturgia, ſacerdos dicitur facere tres moetaneas ad altare. Vbi malè Eraſmus, vertit *tres aſcenſiones*: cum vertendum fuiſſet *tres inclinationes*, prout ſæpè eandem vocem vertit Interpres Euchologij. Alibi verò *metaneam facere* aut *mittere* eſt flectere genua. Et ſic accipitur ea vox in Actis S. Baſilij c. 11. & in vita S. Ioannis Eleemoſinarij. c. 14. & 35. Propriè quidẽ *metanea*, ſonat pœnitentiam. Vnde aliquando Interpretes *mittere metaneam*, exprimunt per *mittere pœnitentiam*. Sed quia pertinet ad pœnitentes inclinari & genua flectere, inde inualuit vſus vſurpandi vocem *moetanea*, pro genuflexione, vt notat Fronto Ducæus in notis ad Concilium Nicænum ſecundum, ex Gloſſa, ad illud Concilium appoſita in Codice Tiliano. Non eſt modicus labor in huiuſmodi metaneis; præſertim ſi valde multiplicentur; quod de Stephano Grandimontenſi, eas propè in immenſum vſurpante, produnt eius Acta. S. Petrus Cœleſtinus, per ſingulas noctes, centum genuflexiones ſuis indixit, vt habent eius Acta c. 18. vitis Patrum occidentis inſerta. Auxit valde numerum præſcriptum, B. Robertus Salentinus, quingenties flectens genua intra ſpatium vnius diei naturalis Vltra mille ducentas quadraginta, decurſu continuo faciebat Simeon Stylites, frontem pedum ſuis applicans, dum reflecteretur, vt narrat Theodoretus c. 74 teſtis oculatus. Virgo apud Palladium, ſeptingenties in die genua flectebat. Videſis copiosè de genuflexione agentem, Roſuedium. in Onomaſt. *V. Genuflexio.*

Illa verò multis fuit non exigua genuum afflictio, quæ ex longa in orando perſeuerantia, ducitur. Cuiuſmodi erat in S. Iacobo, cui proinde genua ad modum pellis cameli induruiſſe, ſcribit Euſebius, 2. hiſt. c. 23. & S. Hieronymus in Opere de ſcriptoribus: in Iacobo. Similia alibi Epiſto. 15. referens de S. Aſella: Quid verò factum cenſebimus Zebinæ Monacho, quem Theodoretus cap. 24. in Religioſa hiſtoria ferè perpetuò oraſſe teſtatur; tandem adactum inniti baculo inter orandum?

Pedes genibus adiuncti, non caruerunt ſuo cruciatu apud Religioſos pleroſque; imprimis per nudipedalia. Nazianzenus orat. 12. num. 1. ſanè in veri Monachi deſcriptione, *vitæ Deo gratæ pulchra indicia & argumenta* recenſens, proponit, *nudos pedes, & Apoſtolicos imitantes, nihil mortuum ferentes.* Nudipes procedebat S. Bonifacius, ex Monacho Antiſtes Moguntinus & Germaniæ Apoſtolus. Eum præ debilitate equo inſidentem, ſed nudipedem, pedibus ad ferrum ſtapetarum conglaciatis, non potuiſſe excendere, niſi aqua calida pedem a ferro abiungeret, ſcribit Petrus Damiani, in Romualdo c. 26. qui de omnibus S. Romualdi diſcipulis in Syria Nitriæ æmula degentibus refert, omnes proceſſiſſe, nudipedes. Artificiosè c. 64 S. Ignatius Loyola, calceatus incedens, calceos ita perforabat, vt ſoleis paulatim magis magiſque diſcerptis, nudis humi plantis incederet, vt ſcribit Maffeius l. 1. vitæ c. 16. & Ribadeneyra. c. 6. compend. Etiam Ethnici hoc genus macerationis corporis vſurpabant, vt monſtrant illa Tertulliani. in Apolog. [Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denunciatis; cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis.] Sed & Maronis nuperus Interpres, multa in hanc rem addenſat. Quod illi ſuperſtitiosè faciebant, obſeruant ſerui Dei Religiosè, imitatione Chriſti quem inceſſiſſe nudipedem confirmat S. Bonauentura in egregio Tractatu. Diligenter in eam rem agit Ribera Ioan. 1. pag. 66. Non reprehendit Religioſorum & piorum nudipedalia S. Auguſtinus, cum annumerat hæreticis, quoſdam nudipedes, calceamenta ſoluentes, imitatione Moſis Exodi 3. & Ioſue cap. 5. & Iſaiæ c. 20. Hi idcirco errabant, non quod nudipedes procederent; Sed quòd è propoſitis ſcripturis, iniectam omnibus vellent neceſſitatem eiuſdem nudationis pedum; quam certum eſt eſſe liberæ pietatis, ſepoſito præſcripto proprij inſtituti; quale eſt multorum Religioſorum, ſolis ſandaliis aut ligneis ſoccis pedes inſtructorum; propterea que ab Angelo Politiano in Epiſtol licentioris plerunque pro ſacerdote calami, *lignipedum* nuncupatione dehoneſtatorum. Quod in Concilio Cæſaraugustano cap. 4. damnantur qui ab 17. Decembris, vſque ad 6. Ianuarij (quo tempore myſterium Natiuitatis Chriſti recolitur, procedebant nudipedes, non ſpectat ad improbationem nudationis pedum ſuſceptæ ex ſpiritu pœnitentiæ Chriſtianæ; ſed pertinet ad reiectionem falſæ pietatis Priſcillianiſtarum, qui eo Concilio exagitantur, & cum ſorderent particula Manicheiſmi, negarentque Chriſtum in vera carne veniſſe, affligebant per illud tempus corpora ſua, cum aliis modis, puta ieiunio, quod idcirco S. Leo eo tempore nolebat vſurpari, tum etiam ea nudatione pedum, vt dictum eſt agendo de prærogatiuis Natalis Domini Addenſat multa de Nudipedabilibus Religioſorũ qui his pridem conſcriptis lucem.

licem videt F. Mauritius à matre Dei in ſacra eremo Auguſtiana lib. 2. capit. 2. §. 7. per plures lectiones. Ad pedum denique ſanctam vexationem, pertinet, compedum iniectio ab aliquibus Monachis vſurpata, teſte ad Hellenium Nazianzeno. Ait enim:

Compedibus rurſum, pars altera vincla laborat,
Eum carne, vt vitium debilitare queat.

Lecti durities, ſemper adamata eſt à Religioſis piis. Nam quid aliud ſonant *chameunia*, quàm cubile durum, & humicubationem? S. Hieronymum non percepiſſe vim vocabuli, cum chameuniis iunxit ieiunia, & victus continentiam, dixit Roſuedius in Onom. V. *Chameunia*. At cur dixerit, non video. Bene enim conuenit ieiuniis, & victui tenui, humicubatio, quæ eſt vocis *chameunia* interpretatio, ab eodem Sancto Hieronymo adhibita. Quanquam corporis contritio per lecti duritiem, non ſola humicubatione continetur. Pleriſque Monachorum mitiùs ſecum agentes, mattis ac ſtoreis ac pſiathiis incubabant. Erant *pſiathia*, Strata ex ſcirpis, iunciue textis concinnata, & vel ad inſidendum, vel ad incubandum adhibebantur. Iis addebatur ceruical embrimium; ſiue faſciculus longus; ex groſſiore papyro. Vnde illud Caſſiani coll. 1. cap. 23. [Deguſtare ſomnium paulſiper hortatus eſt, ii dem ipſis quibus inſidebamus pſiathiis admonens incubare, embrimiis pariter capiti noſtro, ceruicalium vice ſuppoſitis groſſioribus papyris, in longos graciléſque faſciculos coaptatis, quæ pedali interuallo pariter colligata, nunc quidem ſedile ad ſcabelli vicem fratribus in Synaxi, conſidentibus præſtant, nunc verò ſubiecta ceruicibus dormientium, præbent capiti non minis durum ſed tractabile aptumque fulcimentum.] Pleriſque pro *embrymio* erat lapis, imitatione Iacobi Gen. 21. S. Macrinæ lectus, erat aſſer cilicio opertus; ceruicalis autem partes abibat altera tabula. Sanctus Martinus ſuperiniecto humi nudæ cilicio incubabat, inſperſis cilicio cineribus. Melaniæ lectum Sanctus Paulinus Epiſtol. 10. ſagulo aut duro centone adopertum, teſtatur. ſtratum S. Theobaldi Monachi, primò erat quædam arca æqualis ſuperficiei ſubſtrato lineo linteolo, & capite admoto trunco duriſſimo; ſuperaddito laneo pileo, ſuæ peregrinationis ab æſtu defen ore. Demum verò cum omnia corporis ſui membra atmaſſet, ſupradicto linteolo ſuppoſuit cilicium, & pro arca vſus eſt quædam lato & dolatili ligno. Dedi verba Haræi 30. Iunij, auctorem vitæ compendio referentis. S. Zœrardus Anachoreta, quercinum truncum planatum circundedit ſepimento, per quod acutas arundines ex omni parte infixit, vt ſi ſomnus altior eum occuparet, pungentibus arundinibus ſauciatus, euigilaret, vel ægriùs quieſceret. Ligneam verò coronam capiti imponens, appenſis per quatuor partes totidem lapid bus, quocunque inclinaret, iis percuſſus, tormentum pro quiete ſubibat. S. Bononius Eremita eius Acta, aſperum indutus cilicium, ſuper nuda humo iacebat, ſuppoſito capili lapide. Sanctus Angelus Carmelita, lecto ferreo indormiebat. Etiam ſexus melior huius gloriæ in corpore macerando, partem decerpſit ſibi. B. Mectildis, cuius Acta vilis Patrum Occidentis lib. 4. ſunt inſerta, vitreis & aliis acutis fragmentis, lectum opplebat, & in huiuſmodi ſe volutans, lacerabatur, ac pro dulci ſomno, cruciatum grauem ſuſtinebat. B. Coleta Clariſſarum inſtauratrix, primùm nudo aſſeri incubabat; poſtea humi recubans, cilicio horrido adopertæ, ligneum truncum pro ceruicali adhibuit. S. Aureæ Abbatiſſæ ad lutetiam cubile præ acutis clauis horridum, alibi de ſobr. freq. capit. 8. pag. 283. referre memini. Hæc Sanctorum & ſanctarum pro thori deliciis cruciamenta, minùs mira videri debent; cum ipſe Chriſtus duriſſimo Crucis cubili claui perfoſſus inſtiterit, & ante Chriſtum Phariſæi (referente Sancto Epi hanio hær. 16.) ad duriùs cubandum, ſcrupos & calculos ſibi ſubſternerent: Quidam verò etiam ſpinas pro ſtrato haberent. Acciſio ſomni, medici laborum, redintegratoris virium, portus naturæ, (ſic appellant, partim Tertullianus l. de ani. cap. 43. partim Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſtola 199.) non exiguum eſt, haudquaquam captatæ mollitudinis, & nullius ſtudii in carne fouenda argumentum, à quo commendandi meritò veniunt Religioſi.

SECT. I. PVNCT. II. §. V *Neglectus ſuorum per Relig. Odo-rum.*

Non minùs prodiderunt par ſtudium macerandæ carnis, & à mollitudine arcendæ, ſerui Dei Religioſi, circa locum habitationis. Multos conſtat habitaſſe ſub dio, Solis ardoribus, & cœli inclementiæ ac pluuiis & ventorum turbinibus expoſitos. Ita teſtatur Damaſcenus capite 12. hiſtor. Sed & anteriùs Nazianzenus, exponens Hellenio, merita Monachorum, non reticuit hanc præter cæteras à Religioſis vſurpatas imbonitates. Sic enim habet:

Qui in diuinum etiam in montem ſe ſuſtulit alter
Tunc cum Chriſtus humum liquerat aſtra petens.
Hic vbi ſermone immotum, membriſque animoque,
Iactabant venti, pregelidæque niues.
Nec precibus frangi poterant vir ille piorum,
Qui collo ipſius, brachia iuncta dabant.
Sed Chriſto firmè hærebat, mentémque vehebat,
Hinc ad cœlicola tecta beata domus.
Exanimi donec conſtructa domuncula tandem eſt:
Curaret funus cum nihil ipſe ſuum.

Præmiſerat eo carmine Nazianzenus, multos Monachos refugientes habitare in domibus, intra ſpecus, & cauernas habitaſſe. Hi apud Iobum, dicuntur amicti petra. Quod de inhabitantibus quamcunque ſpeluncam verum habet, & non de iis tantùm quorum ſedes fuit ſaxum excauatum, cuiuſmodi erat Martius apud Gregorium Turonenſem in vitis Patrum cap. 8. cuius cella protius ſaxea erat. Vix autem attinet huc adducere integrum cœnobium ex vno ſaxo arte excauatum apud Sedunos, vt memorat Georgius Agricola l. de animant. ſubterr. cap. 7. Id enim potiùs magnificentiæ fundatoris teſtandæ, quàm Religioſorum temperantiæ exercendæ factum, adiuncta docent. Pleriſque Religioſis, non domus, non antra, ſed tuguriola fuerunt, ſiue contexta ex virgis, vt S. Liphardo, ſiue ex corticum fragmentis, vt S. Aulto, ſiue ex arborum ramis ac frondibus, vt S. Roberto Cillenenſi.

Quæ præterea proponebantur attingenda, ad huius negotij plenam explicationem, de veſte horrida; non molli ad carnem titillante, déque victu aſpero, habuere ſuum exemplar in S. Ioanne, principe Monaſticæ diſciplinæ, vt ſæpe loquuntur Patres. Is enim non veſtiebatur mollibus, vt qui in domibus Regum ſunt; ſed veſtem aſperam de pilis camelorum præferebat: quod apertè tradit Matthæus cap. 3. *Ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Eodem ferè habet Marcus cap. 1. ſi eius veſtis erat de pilis camelorum confecta;

SECT. I. PVNCT. II. §. V. *Vestl. Aſuorum per Reg. Odo-rem.*

igitur non erat pellis carnea, vt inſulsè eum exhibent pictores, pelle cameli integra eum circundantes quod diſſonare Scripturæ, rectè vidit Molanus l. 9. de imag. cap. 20. Nec refragatur Sanctus Hieronymus; cum ſcribens ad Lætam, ait, Ioannem in typum prædictionis pœnitentiæ, exuuiis tortuoſiſſimi animalis indutum eſſe. Exuuias enim ſumpſit, non pro pelle aut tergore cameli, ſed pro pilis in veſtem contextis; vt docet ipſemet Hieronymus in cap. 3. Matthæi & ſecus his verbis S. Paulinus.

Veſtis erat curuis ſetis contexta cameli.

Quod a cameli exuuiis in quibuſdam antiquis picturis quas Molanus adducit, dependet caput, eſt prorſus explodendum. Neque enim poteſt eſſe cameli caput: eſſet enim grandius & grauius, quam vt poſſet adiunctum pelli circumferri. Aliud autem caput ob minus & leuius exuuiis cameli adiungere, nemo non videt quam ſit abſurdum. Nolim aſſeuerare vt certum, quin aliqui Monachorum geſtauerint pellem animalis demortui. Ita enim ſignificare videtur Sanctus Chryſoſtomus hom. 64. in Matth. deſcribens vitam Monachorum, verbis illis. [Amictus ipſis, fortitudini ſuæ conueniens circumiacet. Non enim effœminatæ & enerues per terram ſibi veſtes trahuntur; ſed ita eis præparatæ ſunt, vt beatiſſimis Angelis illis, Eliæ dico, Eliſæo, Ioanni, ac vniuerſis Apoſtolis. Etenim aliis caprarum, aliis camelorum pilis confectæ ſunt; Multis coria ſolùm, & ea vetuſtate conſumpta ſatisfaciunt.] Hæc poſtremi inſinuant, quod dicebant, Monachos quoſdam exuuiis demortui animalis fuiſſe circumamictos. Vt plurimum tamen, veſtis de pilis aut pelle alicuius animalis, erat veſtis cilicina ex pilis alicuius animalis in cilicij modum concinnata. Et ad eum modum, S. Ioannes Baptiſta veſtitus eſt de pilis cameli, in veſtem contextis, qui cum ſint hirti, & hiſpidi, haudquaquam molle tegmen ei præbuerunt. Agnoſcit eiuſmodi fuiſſe veſtem Baptiſtæ, Clemens Alexandrinus 2. pæd. cap. 10. & Nazianzenus in præceptis ad Virgines, poſſintque Patres ad cap. 3. Matthæi. Æmulatos autem eſſe hunc Baptiſtæ habitum, multos Monachos è Sancti Martini diſciplina, ipſius Sancti Martini imitatione, qui ne in Epiſcopatu quidem illum depoſuit, liquet ex illis Paulini libro 2. de vita Sancti Martini verſibus.

Multis veſtis erat ſetis contexta cameli,
Quæ lenibus ſtimulis vigiles contingeret actus;
Excludens tenuem compunctâ carne ſoporem.

Pro zona pretioſa qua moris erat Iudæis veſtes ſuas longas ſuccingere, habuit Ioannes partem pellis cameli, vt Clemens Alexandrinus admonet, ex qua lorum confectum erat informe ac hirtum, veſtimento proportionatum, mortificationis ſymbolum iuxta Origenem hom. 9. in Leuit. ac Victorem Antiochenum in cap. 1. Marci, & Nazianzenum orat. 42. ſicque bellè referebat Eliam, in cuius ſpiritu ac virtute veniebat. Eliam enim piloſum memorat Scriptura 1. indutum veſte è pilis hiſpidis contexta. Melotem vocat Paulus iuxta S. Thomam, ad illud *circuierunt in melotis.* Quod enim additur ab Apoſtolo *in pellibus caprinis*, non eſt explicatio melotarum, etiamſi ita melotem interpretatur Caſſianus l. 1. cap. 8. ſed pellis caprina eſt, aliud æquè vilis indumenti genus, quo item vtebantur Prophetæ, de quibus ibi agit Paulus. Eſto *melote* propriè, ouinam pellem ſonet, ſpectato vocis cortice. Μῆλον enim, vnde μηλωτὴ, Græcè ouem ſonat. Vnde veſtes ex detracta pelle villoſa fiunt, commodæ paſtoribus ac degentibus ſub dio; vt Philo l. de victim. initio quoque notauit, & talem melotem, Deus protoplaſtis pro veſte contulit miſeratus ſcabritiem ficulnei cilicij, quo ſe ipſi operuerunt, vt author eſt Sanctus Irenæus l. 3. cap. 37. Perperam enim Moſes Barcepha in opere de Paradiſo, & Græcorum præterea nonnulli pro ſcorteis vt Tertullianus vertit id eſt pro pelliceis tunicis circundatas protoplaſtis arborum cortices ſunt commenti non inuenientes quas pelles aſſignarent in protoplaſtorum veſtitum, & timentes extinctioni alicuius ſpeciei animalium per eâ veratum pelliũ in tegumentum aſſumptionem. Videſis Epiphaniũ hæt. 64. & Theodoretum in c. 3. Geneſ. ac Procopium lib. 1. cap. 6. Fuit ergo veſtitus protoplaſtorum ab ipſo Deo ſuppeditatus, melote propriè dicta, qua idcirco ad reuerentiam ac memoriam primæ veſtis, aliqui Monachorum amiciebantur referente Caſſiano. Sed per catachreſim, vix *melota* extenſa eſt ad pellem cuiuſuis quadrupedis, *Dyphteram* vocat Sozomenus l. 4. cap. 13. agens de monachorum veſtibus. Ad hunc ergo modum fuit piloſus Elias, vt dicitur 4. Reg. 1. Minùs enim placent, qui Eliam dici *piloſum* volunt, à naturali piloſitate, qualis in Eſau ſiue *Seir* fuit tametſi in vtramque partem id agitat Sanctius 4. Reg. 1. v. 8. Eliæ in veſtitu hiſpiditatem, æmulatus eſt Ioannes, eius antitypus Ioannem autem æmulati ſunt tanquam ducem, Religioſi plerique. Ipſi verò Baptiſtæ & omnibus ſtatum pœnitentiæ & humilitatis profitentibus; (cuiuſmodi eſt Religioſorum ſtatus) præiuit, (vt præmiſi) ſuo exemplo Adam protoplaſtus, de quo in hunc modum Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 37. [Seductus ſub occaſione immortalitatis, ſtatim timore corripitur, & abſconditur; non quaſi poſſit effugere Deum, ſed confuſus, quoniam tranſgreſſus præceptum eius, indignus eſt venire in conſpectum & colloquium Dei. Timor autem Domini, initium intelligentiæ; intellectus verò, tranſgreſſionis fecit pœnitentiam; pœnitentibus autem largitur benignitatem ſuam Deus. Etenim per ſuccinctorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam, foliis ficulneis ſeipſum contegens; exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuiſſent. Condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem & puerilem amiſerat ſenſum; & in cogitationem peiorum venerat. frœnum continentiæ ſibi & vxori ſuæ circundedit, timens Deum & aduentum eius expectans, velut tale quid ſignificans. Quoniam eam quam habui à Spiritu ſanctitatis ſtolam amiſi per inobedientiam, & nunc cognoſco quoniam ſum dignus tali tegumento quod delectationem nullam præſtat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc videlicet ſemper habuiſſet indumentum, humilians ſemetipſum, niſi Dominus qui eſt miſericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induiſſet eos.] Sunt folia ficus ſcabra & aſpera, vnde folium ficulneum a Græcis θρῖον denominatur, & vt ex Plutarcho notat Eraſmus Adagium *ficulneo folio anguillam tenes*, idoneum, eſt pro ſcabritie ad anguillam ſua pte natura maximè lubricam, aſtringendam, ac ne elabatur, inhibendam. Hæc igitur cauſa fuit, cur Adam ficulnea folia in ſuum & vxoris operimentũ adhibuerit, non autem quòd folia ficus interdum adeo lata ſint vt vmbra Plinio teſte l. 12. c. 5. ad bina ſtadia diffundatur. Nam cum ad perizomata conſuerint plura ficus folia (teſte Moyſe,) manifeſtè liquet, non fuiſſe ad id vſurpata folia admodum diffuſa, quoniam

vnicuiq

vnicum potuiſſe ad contegendum humanum corpus ſincere, ſed communia ficuum folia intertexta ſunt, quæ præ ſcabritie & aſpritate, corpus aperirent ſimul & pungerent, vt S. Irenæus affirmabat; inſigni documento filiis Adam dato, vt à mollitudine amictus abhorreant ſequentes pœnitentem protoplaſtum, cuius euerſione labem contraxerunt.

Sicut veſtitus Baptiſtæ horriditatem æmulati ſunt plerique Religioſi, ita & victus duritiem. *Eſca eius* (ait Matthæus) *erant locuſtæ & mel Syluestre.* Non veſcebatur Baptiſta pane, aut leguminibus, vel oleribus, aut baccis, (quæ omnia à cibo Ioannis procul fuiſſe, ait Clemens 2. pæd. c. 1.), ſed veſcebatur locuſtis ac melle ſyluestri. Locuſtas Iſido. Pelu. l. 1. epiſto 5. & 132. putat fuiſſe ſummitates herbarum & plantarum. Et ſane Græca vox ἀκρίδες, quam Euangeliſta adhibuit, communis eſt, & herbarum ſummitatibus, & ei inſecto ad volandum in fimo. Mel item Syluestre, Beda de loc. Sanc. c. 14. ex relatione Arculphi Epiſcopi, in Palæſtinam peregrinati, dixit eſſe folia lata & rotunda, lactei coloris ac melliti ſaporis, quæ manibus confricantur ac eduntur. Verum communiſſima ſententia, mel accipit pro liquore ab apibus collecto; qui etiam extra apum operam in Palæſtina lacte & melle manante, potuit in montibus & cauernis reperiri. Nec opus eſt, fuiſſe admodum amarum, vt Iſidorus Peluſiota aſſirmat. Contrarium enim habet ex fauo Samſonis, Iudic. 14. & Ionathæ 1. Reg 14. Quod tamen non eſſet apum ſtudio eliquatum, & multa concretione e loci in quem depluebat, ſordibus fœculentum haud dubie non erat guſtui oblectando adeò opportunum, ac mel noſtras. Locuſtas autem, eadem communiſſima ſententia accipit pro vero inſecto, vt accepit S. Hieronymus l. 2. in Iouin. c. 6. & in c. 4. Ionæ & S. Auguſtinus 10. Conf. c. 31. Orientalibus eum cibum eſſe familiarem notat Hieronymus. Æthiopes item quoſdam, locuſtis fumo ac ſale duratis in annua alimenta, ſolitos cibari, Plinius eſt autor, 6. hiſtor. c. 30. ac etiam Strabo. l. 17. Geogr. Idem de Parthis habet Plinius alio loco l. 11. hiſtor. c. 29. Fuiſſe autem odoris mali, ac grauis guſtus, ait Euthymius. Hæc fuit Ioannis in cibo auſteritas. Nam potus non meminerunt Euangeliſtæ; niſi quod vinum & ſiceram non bibiſſe, conſtat ex Angeli de eo ad patrem Zachariam oraculo. Erat igitur potus eius aqua. Vides, meritò Galfridum in allegor. Tilmani ad cap. 11. Matth. agnoſcere; Ioannem & victus & veſtitus auſteritate, factum eſſe formam Monachorum; & Monachorum ſpecialiter eſſe, in natiuitate eius gaudere; eo quod in ea natiuitate quiſque ſuum natalem recolat. Quæ ſi iungantur ſeceſſione Ioannis à turba, & contemptui omnium rerum terrenarum, quæ præterea Galfridus in Ioanne obſeruat; liquebit dici potuiſſe è Galfrido, Ioannem ſic dediſſe generalem pœnitentiæ formam, vt *ſpecialiter ordinem inſtituerit Monachorum.* Inſtituerit inquam, id eſt informauerit, atque inſtruxerit. Cæteroqui enim, prima Monaſtici ſtatus inſtitutio, cœpit à Chriſto, & Apoſtolis, de quo alibi l. contra Apoſt. Ioanni igitur duci ſuo inhærentes Religioſi probati, victus tenuitate, quantum per inſtituta ſua & tempora mutata licuit, inhæſerunt. Plerique pane hordeaceo cineribus inſperſo, ac lixiuij ſubactione piſto, victitantes, neſcientes carnes, & vinum, ac edulia quæque ſuauia & pretioſa, ſed eſcis maximè parabilibus paſti, & aqua poti. Neque verò ad tempus breue huiuſmodi in victu auſteritatem tenuerunt, ſed per omnem reliquam vitam. Apagè enim Pſeudomonachos illos de quibus in hunc modum S. Maximus ad c. 6. ad S. Dionyſium de Eccleſ. hierarchia. [Lampetiani, ſiue Meſſaliani, aut Adolphiani, vel quod idem valet, Marciani, cum triennium tantummodò duriter in Monachorum vita conſumpſerunt poſtea per reliquum vitæ ſuæ tempus, adeò ſunt diſſimiles, vt libere omnia cetera admittant. In ſtupris enim & libidinibus, in ingluuie, & mutuis adulteriis, atque vno nomine, in omnibus flagitiis volutati ſe eiuſmodi ſine voluptate corporis agere, falsò dicunt. Et cum ſine ſenſu, morbo perturbationis ac voluptatis afficiantur, ac ſine dolore, à ſe ipſis atque ab iis qui eos inhabitant dæmonibus patiantur; Tamen more eorum qui phreneſi laborant, lætantur potius & non ægre ferunt.] Sic de pſeudomonachis, qui poſt pauxillum temporis continentiam perdebant, S. Maximus.

SECT. I. PVNCT. II. §. IV. *Neglectus carnis per Relig. Odorus*

2 Bina quæ modo retulimus durè tractandæ carnis capita ſunt quidem connexa, & magnum momentum ad ſubactionem corporis habent; verum longe potior eſt victus ratio. Nam vt benè aduertit Theodoretus orat. de charitate in fine θεοῦ quod carnem vegetat & calefacit, redditque petulcam, non eſt veſtitus, ſed victus. Quantumcumque enim veſtibus quis operiat lapidem, non conciliabitur ei vigor & calor, ſed rigebit nihilominus. Veſtes ergo id tantum præſtant, vt calorem internum ex victu, peculentis inquam & eſculentis perceptis emittendum per poros, diffluxu impediant; Sicque admoto veſtitu, præſertim molli, caleſcit corpus & viget. Radix autem caloris eſt victus, cibo ac potu ſub eo nomine comprehenſis. Itaque Religioſi macerandæ carnis ſtudioſi, veſtitum quidem ſibi curant neceſſitati commenſum, atque adeò non mollem & carni abblandientem, cuiuſmodi eſt carni applicita veſtis linea, iuxta Fereolum concor. reg. c. 42. §. 14. in regula, laneæ idcirco poſthabenda. Præcipue tamen proſpiciunt auſteritati victus, & in ea parte temperantiam ſeruant.

Quæ de maceratione carnis per Religioſos toto hoc §. ſunt prolata, euidenter patefaciunt ſtatum Religioſum eſſe ſtatũ pœnitentiæ, & quidem adeò eximiè, vt quod S. Tho Opuſc. de ſpir. perfec. c. 10. & quod. 3. art. 13. & 2. 2. q. 189. art. 5. ad 3. Confirmat, nulla ſatisfactio ſit pœnitentiæ Religioſorum adæqualis, & qui grauiſſimè deliquerunt, non alia aptius pœnitentia multandi ipſi ſunt, quàm Religionis ingreſſu. Vt à S. Romualdo perſuaſum eſt Thomæ Othonis Imperatoris aulico primario, & Olibano Comiti multis & grauibus noxis contaminato. Quod idem fecit Pius Papa Aſculpho, vxoricidæ, vt eſt apud Gratianum 30. q. 1. admon. Quibus aliò nunc ablegatis, hic tantum dico, pœnitentiam eſſe lixiuium quoddam, vt dixit Pſeudo-Auguſtinus ſerm. 11. agens cum ſuis Eremitis, & inſinuat etiam S. Leo l. 9. de paſſio. Quæcumque autem ad lixiuij confectionem concurrunt, exquiſitè adhiberi à Religioſis, ex dictis, hoc præſertim §. puto perſpicuum. Concurrit enim ad lixiuium conficiendum, ablutio per aquam, cum frigidam, tum calidam & immiſſis cineribus ſqualentem. Sequitur deterſio lintei abluti adhibito ſapone, qui eſt pro herba fullonum, ſiue borith. Tum deterſum linteum & adhibito ſapone defrictum, tunditur impacto ligneo tudite, & ad extremum ad ſolem exponitur & exſiccatur. Ablutio interioris hominis veluti linteo, fit per lachrymas; vel timore pœnarum frigidas, vel ardentes præ charitate

SECT. I. PVNCT. II. §. V. N[illegible] ſuorum per Relig. Odoras.

tate ex qua profunduntur. Dictum eſt de eis, addictis qui eas omni fuco liberas celebrant, agendo de mentali Oratione. Heter. 1. part. ſect. 2. punc. 5. Ob huiuſmodi pœnitentiæ aquam, pœnitentia *baptiſmus voluntarius*, & *altera piſcina, ſiue alterum lauacrum myſticum*, ſeu *baptiſmus laborioſus*, ab Iſidoro Peluſiota l. 1. epiſto. 405. & Damaſceno. 4. fid. c. 10. eſt denominata; & *ſpirituale balneum*, iuxta Chryſoſtomum. hom. 15. in ad Corinth. Et quòd hic Baptiſmus, reſpondeat Baptiſmo ſanguinis per cuiuiuis maculæ abſterſionem; ac præ ſumma perfectione, plerunque pertingat quoque ad deterſionem vniuerſi reatus dicta eſt à Taraſio Conſtantinopolitano, Epiſto. ad Ioan. anachoretam præfixa ſeptimæ Synodo Martyricorum certaminum æquiparatrix. Hæc aqua, vt meliùs ac exquiſitiùs eluat affuſis largè cineribus efficitur, de quibus plene cum de cineribus Benedictis. 2. p. heterocl Sect. 2 p. 7. Sapo defricans ſiue noſtras nitrum & borith, continetur admotione cilicij ac reſtis horridæ & hiſpidæ carnem pungentis ac eluentis noxas ab anima contractas. Succedit tunſio per impacta flagella, & palmatas, & ſtemotypias, de quibus hoc §. Demum ſic contuſum animæ linteum, ſic ablutum, ſic defricantibus aſperitatibus deterſum, ſoli exponitur per xerophagias exſiccantes, ſiue ieiunia & potus & cibi parcitates quibus omnis iurulentia (vt Tertullianus loquitur,) omniſque validitas ſummouetur. Hæc ergo omnia cum exquiſitè præſtent Religioſi, vt quoad pleraque capita demonſtratum eſt; hoc §. manifeſtum eſſe debet, religioſum ſtatum, congruè & ad veritatem, denominari ſtatum pœnitentiæ.

§. V.

Odora ſpecies Religioſorum in reciſione affectus erga incarnatas neceſſitudines.

Sic appellat Saluianus, lib. de priuil. iunctos ſanguine atque cognatos, erga quos inſita eſt vnicuique propenſio, admodum affici propenſioni erga carnem propriam; de cuius propenſionis reciſione ac moderatione, proxime eſt diſputatum. Et idcirco reciſionem amoris erga cognatos, ad reciſionem amoris erga carnem propriam reducebamus.

Magni planè in religioſa vita momenti eſt, huius cupiditatis reciſio. Et ideò incumbunt in eam quam accuratè, Religioſi ſuo digni nomine; qui *ſibi inuicem mundi loco ſunt*, vt ait Nazianzenus, orat. 21. num. 9. id eſt, mundum vniuerſum, nominatimque ſuos abiiciunt, & ſodales cum quibus degunt, habent pro parentibus, & cognatis ac ſecum ſanguine iunctis, quibus ex præcepto Dei dicunt, *non noui vos*. deuter. 33. Idem Theologus alibi, orat. 3. *vxorem, liberos, parentes*, vocat *paruarum neceſſitudinum nomina*; quæ Religioſus parui facit, imo abiecit, intentus in ſolam ſpiritalem cognationem. Et non deſerunt quidem Religioſi probati, cognatos ſuos, ſi agatur de illis Deo commendandis, aut Spiritali aliquo ſubſidio iuuandis. Quin etiam cum temporalis aliqua grauis neceſſitas fert, cognatos aliquo ſubſidio temporali iuuari, non deſunt ſuis intra debitos fines, & ſalua religioſa accuratione, prout factum eſſe ab Archebio, teſtatur Caſſianus. l. 5. cap. 38. Abſque ea tamen temperatione, nefas, eſſe Religioſo homini, ſuos quoad temporalia iuuare, communis eſt ſenſus Magiſtrorum rei aſceticæ. Alioqui enim non eſſet Religioſus quod eſſe debet, hoc, eſt mundo mortuus. Quæ mors Euangelica, à Sannione Eraſmo l. 3. Eccleſ. à pag. 465. deriſa, à S. autem Paulino Epiſto. 44. optime deſcripta, in eo ſita eſt, vt homo tanto ſit rerum ſeculi neglectu, vt non plus ad eas afficiatur, quam mortuus; atque adeò neque cognatos ſecundum carnem, diligat ex affectu carnis ac ſanguinis; nec opes pluris faciat quam ſtercora, nec ad lautitias conſectandas afficiatur; nec laudibus aut conuitiis moueatur.

Mortuus enim, ad omnia talia, eſt abſque ſenſu & affectu. Diſſerit in hanc rem S. Macarius in appendice ad Palladij Lauſiacam. Vbi tamen cauenda eſt effrenis apathia Serapionis ſindonitæ, qui negabat, Monialem cum qua agebat, eſſe mundo mortuam, eo quod recuſaſſet imitari turpe eius factum, quo veſtibus planè exutus circuiuit vrbem vniuerſam. Apage pluſquàm cynicam turpitudinem. Creditus Auguſtinus, l. de ſalutari docum. per negationes duntaxat, tentauit exponere quid ſit eſſe mundo mortuum. Benè multos Patres in eam rem ſolis verbis diuerſimodè philoſophare, adducit Scholiaſtes Dactiani ad docum. 1. Videndus item Petrus Cluniacenſis, l. 1. epiſto. 20. qui tractat quomodò Religioſus ſit mundo ſepultus. Ex hac igitur myſtica morte Religioſi, infert S. Baſilius cap. 25. conſtit. & epiſto. 181. & reg. fuſ. 32. debere ab eo recidi conſuetudinem cum cognatis. Appollo Abbas ex eo quod ſe mundo mortuum eſſe diceret, excuſauit cur nollet exire ad infixum in limo profundi fratris bouem educendum. Nimirum extra grauem cognatorum neceſſitatem, aut cum ad eos iuuandos deterenda eſſet ſeceſſio à rebus ſeculi; Religioſus, cognatis ad ſe pro ſubſidio accurrentibus ita congemat, vt tamen non retrocedat ab inito profeſſionis tramite. Quod S. Gregorius 7. mor. cap. 18. inſinuatum docet, mugitu vacarum euntium in Bethſames, ad arcam geſtandam, relictis in ſtabulo vitulis, nec tamen ad eos regredientibus.

Quare vt mors Euangelica quam Religioſi profitentur, locum habeat, illud imprimis admonent Magiſtri ſpiritus, vt quocunque interueniente prætextu, rarò adeantur, nec frequenter cum eis agatur. Fieri quippè non poteſt, quin homo cum cognatis aſſiduus, rebus eorum proſperis aduerſiſque tangatur. At qui ita afficitur. de S. Antonij apud Caſſianum coll. 24. cap. 1. ſententia, cognatorum ſorte in alia vita cenſebitur. Plerique laudatiſſimi Religioſi, non tãtùm non fuere cum cognatis aſſidui, ſed etiam cognatos ſe adeuntes, affari, vel etiam conſpicere renuerunt. Quod erga ipſammet matrem ſuam ſeruauit Theodorus inſignis S. Pachomij diſcipulus. in vita S. Pacho. c. 31. Similiter erga ſororem ſuam ſe geſſit Abbas Pior, cum ipſa literis Epiſcopi munita, ad viſendum fratrem petiiſſet eremum; durè idcirco laceratus à Magdeburgenſibus, ſed rectè defenſus ab Alano Copo, dial. 2. cap. 20. approbantque etiam Pioris factum qui illud referunt Sozomenus, l. 6. cap. 29. atque Nicephorus. l. 11. cap. 37. Commendant effuſè eiuſmodi ſobrietatem bonorum Religioſorum in ſuorum affatibus, Trithemius vulpe 3. deſcribens duodecim vulpes vineam Domini vaſtantes & in Opere de ſilentio Andreas Schottus. l. 1, c. 19. Vrget in hanc rem S. Baſilius q. 188. breu. exemplum Chriſti, qui neceſſarios ſuos, matrem inquam & fratres, ad ſe viſendum accurrentes, repulit eo ſubduro reſponſo, *quæ eſt mater mea, & qui ſunt*

fratres

fratres mei? Adire verò cognatos, tantum conſolationis ipſorum gratia, vel propter officium merè humanum; idem S. Baſilius q. 189. breu. pronunciat pertinere ad defectioné à propoſito; nec aliter ſe habere Religioſum ſic ſe gerentem, quam fecerit is qui rogans permitti ſibi domum regredi, audiuit à Christo Lucæ 9. *nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Quod verò durius eſt, mox idem S. Baſilius q. 190. breu. interrogans an ſaltem miſeratio debeat Religioſum mollire, vt ad cognatos in ſpiritu iuuandos velit accedere; reſpondet, hominem natum ex ſpiritu, & aſſecutum poteſtatem vt filius Dei efficiatur, alios agnoſcere propinquos non debere, quam propinquos ac domeſticos fidei; quia [talem pudet naturalis coniunctionis.] Eundemque Dei hominem, ſi nomen vacuum non præferat, æquè miſeratione tangi oportere omnium qui recidunt à Domino, & in his nihilo plus affici debere ad cognatos ſecundùm carnem, quàm ad reliquos. Hæc duriuſculè dicta quomodò mollienda ſint, diſcutiendum eſt in tractatione de ordine charitatis, quæ præſenti instituto eſſet extranea. Nunc enim tantum inſiſtimus reciſioni affectus immoderati erga cognatos, à quibus quiſquis Religioſus non diuellitur, cum ineundo religionem viſus eſſet mundo mori, & cum Christo crucifigi; per maledictam anaſtaſim reuenit ad vitam carnalem, certus ruinæ, & reſorbendi vomitus, vt ei denunciat S. Baſilius c. 21. conſtit. & non vno loco Caſſianus coll. 3 c. 7. & coll. 24. c. 2.

Ancipitis eſſe iuris videtur, an ſaluo verè religioſo affectu erga cognatos, fas ſit Religioſo ineunti ſacrum inſtitutum, dimittere illis portionem ſubſtantiæ quæ eum contingit. Annuere videtur S. Baſilius, reg. 34. breu. & ita feciſſe proditur S. Fulgentius. Facitque S. Auguſtinus, præſcribens ſuis, ſerm. 2. de vita communi Cleric. vt in neceſſarias erogent quæ poſſederant, iuxta illud quod ex Apoſtolo allegat, *ſiquis ſuorum & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Ex altera verò parte, S. Baſilius q. 9. fuſ. ſeuere interdicit Religioſo, hac bonorum quæ poſſederat dimiſſione facta cognatis. Confirmatque bona Religioſi eo ipſo quod Deo ſe addixit, eſſe ſacra, & ad Deum attinere. Ex quo alibi q. 87. breu. eruit, Religioſi cognatos, ſi ſua faciunt quæ religioſus in ſeculo poſſederat, eſſe ſacrilegos. Saluianus item, l. 3. ad Eccleſ. multipliciter id exagitat primum quidem ex Scripturis; quas ſic agglomerat. [*Diſperſit*, inquit Propheta de eo qui Deum credit: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum.* Sed & Saluator ipſe ad omnes diuites; *vendite* (inquit) *quæ poſſidetis, & date eleëmoſinam.* Et alibi. *Vende quæ habes, & da pauperibus.* Numquid dicit. Agnatis da, numquid affinibus? Nō vtique, ſed pauperibus, ſed egenis; Nūquid propinquo diuiti? Nūquid vlli omnino humanum præpotenti? Non vtique, ſed inopi, ſed egeſtuoſo. Et rectè. Nūquid enim, cum locupletibus cognatis tuis ſubſtantiam tuam dederis, iuſtitia tua manet in æternum? Aut cum diuitias eorum, diuitiis tuis auxeris, theſaurum habebis in cœlo.] Alibi, negat qui ſecus fecerit, Deo credere. Sic enim diſſerit. [Credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationem deſideras, nec iracundiam contremiſcis. Non credis igitur (ſicut iam diximus libro ſuperiori), non credis. Et licet de conuerſorum venerabili choro eſſe videaris, licet religionem veſtibus ſimules, licet fidem cingulo adieras, licet ſanctitatem pallio mentiaris, non credis omnino, non credis. Et hoc tam viris iſtiuſmodi dico, quàm fœminis; non credunt. Indicat ſibi quamuis quilibet habitum Sancti nominis, & titulum ſacræ religionis inſcribat, ſi de ſubſtantia ſua aliis magis quam ſibi conſulit, profectò non credit. Nemo eſt enim credens, qui facultates ſuas aliis prodeſſe malit, quam ſibi. Nemo eſt qui beatitudinem aliis, miſericordia ſua emere contentus ſit. Nemo eſt qui vt aliis paret diuitias temporarias, ſubire egeſtates cupiat ſempiternas. Vt ideo qui patrimonio ſuo aliis magis quam ſibi contulit, profutura ſibi quæ Deo dederit, omnino eſſe, non credit. Dicat enim mihi quilibet horum, cur facultates ſuas aliis derelinquit? Numquid ideò quia profuturas cui reliquerit eſſe non ambigit? Ideò abſque dubio igitur, quicunque ille es, ſi ea quæ aliis relinquis, ideò relinquis, quia profutura ei cui reliqueris certus es; ſic profectò ſi quæcunque religioſis muneribus præerogaſſes, profutura eſſe tibi crederes, tibi abſque dubio peculiariter deputares: quia quanto te plus amas, quam eos quibus relinquis, tanto magis tibi relinqueres, ſi profutura ea tibimet, vel tenui opiniuncula indicares. Non enim te odiſti, vt prodeſſe tibi nolis, ſed quæ pauperibus dereliqueris, profutura tibi eſſe non credis.] Sibi conſulere (dicit Saluianus,) cum qui ſua pauperibus tribuit in Chriſti gratiam, à quo non credit ſibi eſſe reddendam vicem, qui contra ipſius conſilium in propinquos eroget, quę Chriſtus, in pauperes diſpergi autor erat. [In quo quidem, (inquit inferius,) lugere omnes ſanctos ac flere conuenit, nulli te, & alios tui ſimiles, (agit cum erogante ſua ſuis,) nulli minùs quam Chriſto credere. Si tibi quicunque ex cauponibus quid promitteret, fidem promittenti non abnegares. Si mutuum quiſpiam, propola aut ſalgamen arius poſtularet, redditurum eum non diffideres quæ dediſſes; Mendacibus denique interdum, atque periuris, cautione facta, & dato fideiuſſore, res creditur. Chriſtus tibi & fideliſſimam cautionem, & fideiuſſores optimos tibi dedit; cautionem ſcilicet in Euangelio, fideiuſſores, Apoſtolos ſuos. Etſi & parum eſt, Patriarchas, Prophetas, Martyres ſuos, totam denique diuinarum literarum ſeriem: Et non credis ei, nec fidem commodas. Quem rogo tam prodigum inter homines, ac tam miſerum inuenire poſſis, cui fidem ſub tot fideiuſſoribus denegaſſes?]

SECT. I. PVNCT II. § V. *Neglectus ſuorum in Relig. Odorus.*

Vtrinque igitur anceps videtur eſſe cauſa propoſita, an ſcilicet qui religionem cogitat, bona quæ poſſidebat, relinquere ſuis, an erogare in pauperes debeat. Conſulti quippè iuris noſtri, partim vni parti, partim oppoſitæ ſuffragantur, ſed dicendum eſt, ſi cognati, vrgerentur, graui neceſſitate; par eſſe illos bonorum ſuorum conuenienti erogatione iuuare. Secus, ſi copioſi eſſent. Tunc enim non eſſet ſperanda à Deo merces, vt monebat Abbas Paſtor referente Pelagio Diacono libello 10. n. 5. Alius ſenior apud eundem Pelagium, libello 10. num. 101. & libello 13. n. 13. autor fuit Monacho, ne ſorori pauperi daret eleëmoſinam, quia neque ſoror admodum grauabatur egeſtate, neque ipſe ſatis excarnatus erat ab affectu corrupto erga ſuos. Et quod dolendum ſæpè eſſe conteſtatur Bleſenſis in inuect. pag. 546. videbat ſenior, in eo Monacho reuiuiſcere amorem ſeculi. Quid ſi etiam diuinitus colluſtratus ſenior, agnouit, quod de alio proditum eſt circa hunc quoque, habiturum locum; Nempè vt quamdiu à cognato Monacho aliquid acciperet, magis ſemper ac magis egeſtate premeretur? Per ſe tamen loquendo, fas eſſe de facul-

SECT. I. PVNCT. II §. VI. *Obedientia Religioſorum, quatenus*

culcaribus ſuis iuuare conatos, ſi egeant, quia in eo euentu Religioſus non dat cognationi, ſed egeſtati. Non abhorret ab hac charitate hominis in ſuos durus cœteroqui, certe non mollis erga cognatos, Saluianus l. 4. ad Eccleſ. Ait enim [Sunt interdum non filij tantum, quibus videntur naturaliter plus deberi, ſed etiam pignora alia eius, vel meriti, vel conditionis vt eis ad impartiendum quiddam ac largiendum, iuſtitia ipſa ac Dei cultus patrocinetur; & quibus non ſolum piè aliquid relinquatur, ſed etiam religioſè non relinquatur. Scilicet ſi aut parentes ſint calamitoſi, aut germani Deo fideles, aut ſanctæ coniuges, aut vt longiùs denique munus pietatis extendantur; ſi aut propinqui inopes, aut affines egeſtuoſi, aut denique cuiuſlibet neceſſitudinis, indigentes; vel certè quod ſuper omnia eſt, Deo dediti. Hoc enim eſt præcipuum ac ſupereminens, ſi id ipſum quod agit aliquis pietatis officio, religionis faciat affectu.] Exceptio eſt, qua temperat generale illud renunciatum, in quo ſtabiliendo latè exſpatiatus fuerat. [Optimum eſt vt vnuſquiſque ſibi conſulat, & animæ ac ſaluti ſuæ, omnia derelinquat.] Id eſt Deo ac egenis omnia ſua dimittat.

Poſſim in vberi argumento, quale eſt de iuſta reciſione nimij affectus religioſorum erga cognatos, parcitatem diſputationis non excuſare: quod ſupplere poſſit hanc breuitatem, plena Tractatio conſcripta operi cui titulus *Amor Crucifixus: Diſſertatio de amore nationis & cognationis in ſeruis Dei temperando.* Itaque abſcedo, vbi ſummum decus huius abiunctionis Religioſorum è cognatione ſua paucis attigero. S. Auguſtinus ſer. 68. de tempo. Religioſum ex hoc capite componit cum Abrahamo qui iubente Deo exiuit de terra ſua, & de cognatione ſua. Similiter enim Religioſus, Deo per afflatum ſuum euocante, locum deſerit in quo natus eſt, & in quo infans reptauit, ac deinceps annos complures exegit; totque inibi dulcia nomina derelinquit, quot habet ex eadem radice ac trunco veluti ramos, & adnata ſibi gemina. Expendit idem S. D. alio loco l. 185. de temp. derelinqui à Religioſo, cognatos collachrymantes, & matrem vbera quibus infantem aluit, largo cum fletu oſtentantem; cum ipſe qui auellitur, ſiccis ſit oculis, ac ebrius Spiritu Sancto, obſurdeſcat ad eos crocitatus, quos matri ac cognatis in contrarium ſuggerit Satan, quales idem S. Plato Epiſto. 38. per matrem valdè exagitato repræſentat, & autor vitæ S. Fulgentij cap. 5. eidem cum inſtitutum Religioſorum capeſſeret, à matre ingeminatos eſſe, graphicè exhibet. Eluces in hoc certamine Religioſi, durus ille nec parentum aut tenerorum puerorum lachrymis mollitur Martyrum animus, quem deſcribunt S. Hilarius & S. Ambroſius adducti in Tractatione de Martyrio p. 4. c. 2. n. 6. quibus addendus idem non vno loco verſans S. Auguſtinus l. 31. Ex 40. nouis & ſer. 185. de temp. & Nimirum habet quoque Religio, Martyrium ſuum, de quo plerè ſuo loco l. de Marty. parte 1. c. 3. In ſumma, iuxta Saluianum l. 2. ad Eccleſ. Beati cenſendi ſunt Religioſi, quòd ſuos non ament niſi in Deo. [Beatus enim ille qui ſuos ipſe diuini amoris ſpiritu amat, cuius charitas, Chriſti cultus eſt; qui in naturæ vinculo, Deum cogitat naturarum patrem, & amori munera in ſacrificia conuertens, eatenùs ſibi immortalis lucri & beatorum fructuum parat.] Verba ſunt Saluiani ſub Timothæi nomine, ad Catholicam Eccleſiam.

§. VI.

Fragrantia Religioſorum in receſſio e exſolutionis libertatis propriæ, per obedientiam.

NOn eſt paruus nexus obedientiæ & caſtitatis. Sicut è contrario inobedientia & impuritas magnam habent affinitatem. Sanè primi parentes non priùs erubuerunt ob ſenſum carneæ cupiditatis emotæ, quam inobedientia ſorderent. Regios animos & malè de te præſentes, baltheo eorum diſſoluto, Deus fune renes præcingit: ideſt, interprete beato gregorio, Luxuriæ inquinamentis infici permittit. Acta ſanctis Actionis illuſtre exemplum in eam rem ſuppeditant. Iniuſſu enim ſuperioris aliquo progreſſus, illico vehementi cupiditate carneâ exarſit. Mites verò & per obedientiam flexiles, terram corporis ſui in pace poſſident, vt expoſuit ſanctus Bernardus. Commodè igitur à reciſione affectuum carneorum, progredimur ad obedientiam, qua adhibetur moderatio effrænationi voluntatis. Hæc porrò reciſio cupiditatis qua quiſque in ſuæ libertatis exſolutionem procliuiſſime fertur, tanti eſt, vt referente Caſſiano, lib. 4. cap. 8. Ægyptij Aſcetæ cenſuerint eam eſſe initium omnium planè virtutum. Aſtipulantur paſſim reliqui Patres, quibus obedientia omnium aliarum virtutum fons & firmamentum eſſe celebratur. [In totis (inquit ſanctus Auguſtinus ſerm. de obedientia tit. 9. ſumma & ſola virtus eſt obedientiæ. Si ieiunaueritis diebus ac noctibus, orationemque feceritis; ſiue ſacco fueritis humiliati, vel cinere; ſi nihil aliud feceritis niſi quod præceptum eſt lege, & tibi viſus fueris, quaſi ſapiens & non obediens Patri, omnes virtutes tuas perdidiſti. Vna obedientia plus valet quam omnes virtutes &c. Hæc quare dixerim, vt vos ipſi intelligitis, & aliorum ruinæ, noſtra debent eſſe exempla. Propterea venimus in monaſterium; libertatem ſeculi perdidimus, vt ſeruitutem Chriſti accipiamus.] Alibi 14 Ciuit. c. 12. obedientiam vocat, *Matrem & cuſtodem virtutum omnium:* Plenè S. Gregorius 35. mor. c. 12. [Obedientia ſola virtus eſt quæ virtutes cœteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit.] Haud diſſimiliter S. Baſilius c. 23. conſt. ac Climacus Gradu 4. paſſimque cœteri originem & tutelam omnis boni, referentes ad obedientiam. Et idcirco eius ſtudium omnibus eſſe anteferendum, ſtatuit S. Columbanus c. 1. Regulæ nec non S. Gregorius lib. 6. in 1. Reg. cap. 2. qui eam victimis quoque anteponit, ſecutus iudicium Samuelis. Quantæ verò ſit vtilitatis, conſtare poteſt ex iudicio Anſelmi l. 3. epiſto. 50. quo pronunciauit plus conducere vnum opus ex obedientia, quam omninò multa ex proprio ſenſu & voluntate. Conſtat etiam ex pace Dei omnem ſenſum exſuperante, quam exercitio obedientiæ conferri animæ, ſanctus Dorotheus confirmat ſuomet experimento. Teſtatur enim ſe exquiſitè obediendo, tanta pace eſſe delibutum vt tactus ſit ſcrupulo, ne forte hæc eſſet merces ſibi repenſa in hac vita. Hinc maximè perficit hominis libertatem, optimè demonſtrat Ioannes Lenſæus l. 10. de Chriſt. libert. cap. 4. E contrario, inobedientibus præ arrogantia qua alienum dictum reiiciunt, (vt ſapientiſſimè aduertit S. Chryſoſtomus hom. 21. ad illud Pauli Rom. 12. *Ne ſitis arrogantes*) ſubſtrahuntur

hantur à Deo cœleſtes ſuppetiæ, ſine quibus homo nihil egregium poteſt aſſurgere; & ii deſtitutus, impoſſibilia reputat quæ parua reputaret, niſi ſpiritus inobedientiæ neruos illos ſuccidiſſet, & vires ad agendum ſubduxiſſet; quod benè monet Eucherius, hom. 3. aut quiuis alius autor homiliarum ad Monachos. Conclamant in hoc peccatum, quod in ſcriptura veluti ariolantium dicitur, S. Baſilius, q. 28. & 31. 39 ac 119. breu. Petrus Bleſenſis, Epiſto. 131. & 134. ac Goffridus, l. 4 epiſto. 22. Vindocinenſis. Chriſtum ipſum per huiuſmodi inobedientes colaphizari in ſuperioris perſona, docet Euſebius Gallicanus; hom. 8. ad Mon. quod inde confirmat, quia Chriſtus dixit, *qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et benè etiam idem tradit autor opuſculi *ad quid veniſti*, quem multi cenſent eſſe S. Bernardum. cap. 2. & 3. Quæ item aduersùs murmurantes diſſerit Chryſoſtomus, hom. 8. in ad Philipp. Blaſphemiæ nominatim eos inſimulans, & quod non auſcultent Deo, huc facilè accommodari poſſunt.

Abſunt à contradicentium & murmurantium genio, Religioſi eo digni nomine, Summo enim honori ducunt, ſubeſſe Deo in ſuo vicario. Reuera autem præſes ſacræ familiæ, vicarius Dei eſt, vt tradit Serapion in Regula §. 1. & S. Baſilius. cap. 22. conſt. Ipſe Deus, vt hoc inſinuaret, agens cum Samuele, vocem Heli ſimulauit, vt doceret vocem ſuperioris eſſe ipſius Dei vocem; vt obſeruauit S. Gregorius. lib. 2. in 1. Reg. cap. 4. Tametſi enim Deus vult homines dirigi ac regi per homines, vt præclarè monuit S. Auguſtinus de doctr. Chriſt. & inſigni viro proditum eſt apud Moſchum, cap. 199. practi tamen ipſe eſt, cuius perſona per hominem diuina diſpoſitione conſtitutum repræſentatur. Idque habentes ob oculos Religioſi, fiunt apud Deum ſicut iumenta; non inquirentes ſcilicet quò ducantur, ſed ſequentes ductum hominis Vicarij Dei. Veram imaginem obedientiæ, expreſſam eſſe in eo Pſaltis verbo; *iumentum factus ſum, apud te,* præclarè tradit Theodoretus. Orat. 5. de prouid. Abſolutam verò practicam ideam obedientiæ, S. Chryſoſtomus ad illud Rom. 1. *nolo vos ignorare*, retegit in eo Apoſtoli facto, quo prohibitus à Deo, per certum tempus Romam petere, & cum vilibus hominibus interim diſtentus; acquieuit, expectans donec placeret Deo, gloriam Chriſti in arce Imperij ſua prædicatione promoueri. Æmulati ſunt eam obedientiæ oculatiſſimam cœcitatem, præcellentes Religioſi. De Paulo Simplice in hoc genere, eximio, fusè Palladius, ſ. 25. Lauſ. & alia exempla addenſat Caſſianus lib. 4. à cap. 24. & vnum inſigne Theodoretus in Religioſa hiſtoria cap. 19. cum de Salomone. Sed illud præter cœtera ſuſpiciendum; quod in Abbate Ioanne memorat Caſſianus, lib. 5. cap. 28. referens eum ſub horam mortis conteſtatum eſſe; *numquam meam feci voluntatem.* Semper enim iudicium ſuum ſubiunxerat iudicio Præfectorum ſuorum, & ſemper abſque contradictione executus erat quæcunque in mandatis acceperat. Hi & ſimiles alii quibus ſemper abundauit Religioſus ſtatus, & nunc quoque habet complures, quæ ſiere domum vid. ntis, ſequentes ductum alterius, & eruerunt ſibi dextrum oculum, ne ſcandalum inferret, vt pleriſque contigit in quantum optimè diſſerit Richardus victorinus. In pſal. 118. *in fine.* Cœcos enim ſui ipſorum ductores, patere ruinis, liquet ex multis exemplis à Palladio annotatis in Lauſiaca. ſect. 28. 29. 30. Procul ſunt ab ea ſorte diſcolarum, Religioſi veri, quia ad explendos omnes obedientiæ numeros, non tantùm iuſſa impoſitá capeſſunt, ſed etiam non niſi leui ſigno inſinuata, cupidè arripiunt & exequuntur.

SECT. I. PVNC. II. *Obedientia Religioſorum, quàm ſeuera*

Inſuper verò vt poſſit directio eſſe ſeuerior, latebras quoque & adyta animæ ſuperioribus vltro reſerant, ſyncerè aperientes quæ ad ipſos pertinent, bona & mala. Bona vt probentur, & probata, remotiora ſint ab omni ſuſpicione mali latentis, iuxta S. Baſilium. q. 227. breu. Mala autem vt declinentur, nec malignus noceat cum miſcuerit ſe iuſto, iuxta vetus effatum adductum à Caſſiano. coll. 1. c. 18. Odit autem malignus ſonum tutelæ, id eſt prudentis Rectoris vocem, ſine qua inciditur facilè in illa mala de quibus idem Caſſianus coll. 4. c. 10. atque Bernardus. ſ. 64. in Cant. Adeò verò hac in parte præcelluerunt priſci cœnobitæ, vt non poſſit non mirari eorum in hoc negotio accurationē, qui legerit quæ de eis prodita ſunt à Climaco, gradu 4. Dorotheo, doctr. 5. & Caſſiano l. 4. c. 9. & 37. Idque eſt, quod S. Bernardus c. 4. regulæ & in 5. gradu humilitatis præſcribebat, & tanquam inſtrumentum bonorum operum proponebat, cogitationes ſuborientes, mox ad Chriſtum petram alidere, ac ſeniori pandere. Aſtipulatur S. Baſilius, non vno loco. Nam & inter regulas fuſiùs diſputatas, q. 26. & ſermone de abdicatione quo Religioſum egregiè informat, hanc praxim commendat, Monachū admonens, vt ſit fidus virtutum Theſaurus, habeatque pro claue ſpiritali patris ſui linguam: Ipſa aperiat os eius, & ipſa occludat. Ad cœnobij patrem tanquam conſcientiæ arbitrum, deferenda eſſe omnia quæ ad Religioſum ſubditum pertinent, eduxit S. Auguſtinus; in reg. c. 12. & 13. idemque habent S. Baſilius q. 46. fuſ. ar. & S. Dorotheus. doctr. 4 & 6. valetque id maximè, ſi fructus ex priuata alterius monitione non ſperetur. Tunc enim iuſtiſſimam eſſe eam delationem, clam ſubdito, S. Anſelmus c. 150. ſimil. aſſirmat Idem ſemper valebit ſi præceſſerit renunciatio iuris proprij qualem adhibent Religioſi ſocietatis Ieſu, probante ſede Apoſtolica, vt latè traditur, tractando neceſſitates correctionis fraternæ. Vix autem neceſſe eſt addere, perfectum obedientem non reſpicere perſonam hominum, nec ſpectare in moderatore cui obedit, an ſit nobili genere natus, an doctus, an induſtrius; ſed præciſè ſpectare in eo, Dei perſonam. Hoc ſeruabat exquiſitè, qui profitebatur, S. Ignatius Loy. apud Ribaden. ſe æquè catello in Dei nomine imperanti obediturū. Inſigne verò ſpecimen huius in obediendo prærogatiuæ, præbent Fontebraldenſes & Birgittani, qui ſubiunt fœminæ moderatrici; quaſi inuerſo naturæ ordine, contenti eius ductu regi, quā mulcta Eua parenti, cōiugis implanatrici irrogata, à matre regi, ac ſub eius eſſe poteſtate ferebat. Robertus de Abruſcellis, primus eum obediendi vſum innexit, ad imitationem Ioannis dilecti diſcipuli; quem Chriſti mandatum, B. Virgini tanquam matri filium ſubiecit, de quo pleniùs in exornatione hominis Dei, Roberti de Abruſcellis num. 38. & ſeqq.

Hanc virtutem omnibus numeris abſolutā quiſquis ſortitus Dei beneficio fuerit, cōpendiū totius Religioſæ perfectionis ſe aſſecutū, gloriari in domino poteſt. Verè enim obedientia Cōpendioſè & ſuccinctè (ait Petrus Cellenſis Epiſt. 137.) clauſtralē diſciplinā vno illo verbo cōplector, quo Pharao vſus eſt ad Ioſeph Ego (inquit) *ſum Pharao* Abſque tuo imperio nō mouebit quiſquā manū aut pedē in omni terra ægypti. Sāctiſſima & æquiſſima diſciplina, in clauſtro, vt nihil agatur, nihil dicatur, nihil habeatur, niſi cū Abbatis licētia: vt nec oculus egrediatur

SECT. I. PVNCT. II. §. VII. *Votorum Religioſorum nitor & odor.*

conſtituta, nec manus moueatur ad illicita, nec pes ad prohibita. His neruis corpus religionis compactum, immobile ſtat, fundamentum habens, præter quod nùlla firma eſt religio.]

§. VII.

Incrementum fragrantiæ, ex recisionum propoſitarum ſirmatione per votum.

QVàm niteant & fragrent religioſæ reciſiones cupiditatum, quæ perfectionis adeptionem, vel remoratura eſſent, vel impeditura, hactenus diſputatum eſt, ipſas per ſe recisiones conſiderando. Nunc eius nitoris ac odoris incrementum, ex ſuperaddita voti religione, eſt ſpectandum, ſed breuiter; quia alibi par. 1. heter. ſpirit. l. 2. p. 2. plenè diſcuſſum eſt, quidquid ad hoc negotium pertinet; nempe & opus ex voto elicitum, eſſe nihilominus liberum; atque adeò ſi aliud non obſit, eſſe meritorium, & quidem multo magis quam ſi abſque voto eliceretur, quod collaudato Hieronym. Plato, tradit Thomas à Iesu. l. 1. de bono c. 20 de variis regulis cap. 1. Tempore ſanè S. Auguſtini, Religioſos ſe Deo obſtrinxiſſe per vota, liquet ex eius expoſitione in Pſalmum 75. *ſub finem*, vbi hoc vocat *votum magnum*; & idcirco ait deſertores monaſteriorum retrò reſpicere, cum vxore Loth, & grauiter peccare quia vota vouerunt quæ non ſoluunt. Meminit item votorum in religione emiſſorum, quorum violatione quis fit deſertor tam ſancti propoſiti, in pſal. 99. Nec verò hæc vota ſunt illa duntaxat quæ emittuntur in Baptiſmo, vt aliqui nunc nugantur. Vota enim in Baptiſmo emiſſa, aliud non ſunt quam obligatio contracta ſeruandi legem Chriſti, quod non eſt votum propriè dictum, vt monſtraui in Heteroclitis, à S. Auguſtino in pſal 75. ſub finem appellatur *votum commune*, quod id contradiſtinguit à *voto proprio ſingulorum*, quod eſt votum cuius conſpurcatione religioſus dicitur *deſertor & Apoſtata*. Ea autem probroſa denominatione non dehoneſtatur quiſquis peccat poſt Baptiſmum ſuſceptum. Vnde nouitas iſta planè euertit ſtatum religioſum & eius neruos ſuccidit: quod eſt inſtitutum nouellitatis circa hæc & alia pleraque nugantis, & ædificantis Hieruſalem ſuam in ſanguinibus; tentantis inquam ſtabilire res ſua deiectione Religioſorum ordinum quos Deus cuſtodiet ac teget & aduerſus aperta flabra hæreticorum, ſic aduerſus clancularias artes perſonatorum Catholicorum, & quod eſt propudioſius Sacro Eccleſiaſticorum Ordini conſertorum. In re aperta non eſt opus Gloſſa. Quàm item antiqua ſit ea ſui per vota deuotio, non eſt in propria ſede prætermiſſum. Tract. de Apoſtaſia. Itaque his dimiſſis, quippè alibi iam diſcuſſis contra nouellitates male innectas, ſat erit in præſentia, ea puncta breuiter recolere, vt decus auctius, quod reciſionibus cupiditatum proximè expoſitis, accedit à voto, intelligatur quantum neceſſe eſt ad rem noſtram.

Reciſionem cupiditatis ſuperaddito voto firmatam, non excidere honeſtate, defectu libertatis, eſt per ſe manifeſtum. Nam neceſſitas excludens libertatem ad opus honeſtum, requiſitam, ea tantùm eſt, qua voluntas aliunde vinculatur, & conſtringitur, ne poſſit ferri quo vellet, ſi ſibi permitteretur. Nam ſi ipſa voluntas ſe aſtringat ad aliquid, non eſt neceſſitas niſi ex ſuppoſitione conſequente, quæ rectè cohæret cum libertate: & de eo qui ex ſola tali neceſſitate agit, rectè dicitur illud Apoſtoli, 1 Cor. 7. *non habens neceſſitatem* (vtique abſolutam & adamantinam, & homini ineluctabilem) *ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis*. Homo enim cum operatur ex ſola neceſſitate quam ipſe ſibi infert, manet reuera liber, quia exercet ſuam agendi poteſtatem, non adactus. Et quamuis non poſſit actum oppoſitum, huiuſve negationem componere cum exercitio actus quem elicit, tamen in priori natura quam ſe ad agendum determinaret, potuit loco actus quem excudit, negationem eius admittere; Ex quo liquet, de dominio voluntatis in actum ſuum. Diſpoſuit enim de eo prout libuit, quod eſt dominium & poteſtatem in eum actum habere; qua poteſtate Apoſtolus libertatem expreſſit. Reciſio igitur cupiditatis, de qua agimus, per ſe ſpectata, eſt libera, quantum neceſſe eſt ad fundandam in ea reciſione honeſtatem. Neque votum quod ſuperuenit, eam libertatem excindit, ſed ſupponit ac firmat. Quamuis enim homo poſt emiſſum votum, ſit ex obligatione facturus, quod voto promiſſum eſt, tamen obligatio illa non tollit voluntati poteſtatem agendi id ad quod ſe aſtrinxit, vel oppoſitum ſi præuaricari luberet. Quod autem præuaricatio cum peccato coniungeretur, ſi homo ſe ad eam pellici ac ineſcari ſineret, atque adeò quod homo vt peccatum declinet, teneatur ſic operari; eſt felix neceſſitas quæ ad meliora compellit, vt S. Auguſtinus Epiſto. 46. dixit, in hoc ipſo voti negotio. Nec eſt neceſſitas cum libertate pugnans, quia iniecta eſt per ipſam libertatem, & eſt planè extrinſeca voluntati. Vnde benè cohæret cum voluntate ex ſe expedita, & nullo ex capite deuincta phyſicè. Multò ſane magis officeret libertati impoſitio extrinſeci præcepti, quod aliunde refertur quam ab ipſo homine, & obligat ad ſic operandum: & tamen quia ſinit voluntatem diſponere de actu ſuo ad quem præceptum obligat, manet honeſtas operis præcepti, idonea meriti fundatrix, vt omnes vno ore Theologi tradunt, contra Dionyſium Ciſtercienſem, qui opera ex præcepto neceſſaria, cenſuit carere prærogatiua meriti condigni; iure exploſus à Suare. 12. de grat. cap. 5. num. 2. Sic enim obſeruatio decalogi, non eſſet condignè meritoria cœleſtis coronæ, contra quàm Scripturæ docent, & omnes fideles profitentur.

Hæc alibi 3. cap. 21. fusè ac validè ſtabilita, obiter nunc perſtringere neceſſe fuit, vt intelligeretur quàm inſulſè Gulielmus de S. Amore, & Richardus Armachanus adductus à Valdenſi vel ſimilis quilibet iuratus Religioſorum hoſtis, ad infuſcandum Religioſorum votorum, nitorem & odorem optimum, effutiuerit, obligationem voto iniectam elidere operis honeſtatem; atque adeò laudabiliùs & magis meritoriè agere ſeculares, qui abſque voti religione agunt, quàm Religioſos qui ſe illaqueant propriis ſermonibus. Videtur olim ante Gulielmum & Armacanum aliquid huius furfuris admiſcuiſſe ſuæ ſiligini Petrus Bleſenſis: in Inuect. quem tamen reuera non malè de Religioſis votis ſentire, & procul abeſſe à doctrina poſita per Gulielmum tradita, dictum eſt alibi par. 2. heter. Spir. Sed Gulielmo, vt in odio erga Religioſos, ita in errore de quo agimus, inhæſerunt quidam mangones rancidarum ſententiarum, apud quos Ianſenismus ſatus eſt, ac infeliciter ſuccreuit, priuſquàm Apoſtolica falce ſuccideretur. Eorum vnus, quod ad Sancti Auguſtini librum de Sancta Virginitate, hoc doctrinæ

doctrinæ fermento ſuas obſeruationes corrupiſſet, ab Academia Pariſienſi mulctatus eſt ; & liber libitiuæ addictus. Non deſunt tamen hodieque ſodales , quibus ea corruptæ doctrinæ acriditas placet. Temperatius quam pro re dico. Sanctus Thomas opuſc. 18. capit. 32. in cenſendo de alienis ſententiis nunquam præceps , *hæreſim* vocat , & in Gulielmo de S. Amore , tanquam hæreticam damnat aſſertionem , quod votum adiectum minuat meritum vel etiam tollat , vt olim Gulielmos eſſutiebat , & nunc quoque eius poſteri garriunt. Non premo fortiùs hoc vlcus ; quod præſtante, Theologi abditam in eo purulentiam ſciſſa vomica eduxerunt , nominatim Michael Medina in opere de Continentia l. 4. contro. 8. to.2. Lenſæus in Tractatione de libertate Chriſtiana lib. 10. capit. 5. & 8. Nyder diſſerens de Religioſorum reformatione lib. 3. cap. 13. & iam olim Ægidius Romanus quodlib. 2. quæſt. 24. inhærens præceptoriſuo Sanctæ Thomæ opuſcul. 18. cap. 12. & opuſcul. 17. capit. 12. In Magdeburgenſibus inſectatur idem placitum, tanquam hæreticum, Alanus Copus dial. 2. capit. 16. Varias rationes pro hac veritate addendat Matthias Feliſius , ad 2. decalogi præceptum capit. 18. Nimirum quòd qui opus bonum ex voti obligatione exequitur , duas impleat Dei voluntates , vnam qua ipſum opus bonum habet acceptum , alteram qua implet quod Deo per votum promiſit. Deinde vna bonitas alteri ſuperueniens , rem reddit meliorem. Quis de hoc dubitet ; Atqui in opere bono quod quis ex voto exequitur , præter bonitatem operi inſitam, cernitur aduentitia bonitas voti. Opus igitur fit longè melius , atque adeò magis meritorium. Quid quod opus ex voto elicitum ; ab altiori virtute plerunque imperatur , quam eſſet ea cui ipſum per ſe opus reſponderet ? Verbi gratia actus temperantiæ , non collocet alia honeſtate quam virtutis illius moralis. At actus ex voto elicitus, eſt actus latriæ , pertinens ad ſublimiorem virtutem , hoc eſt ad Religionem. Ad hæc quo voluntas firmiùs adhæret bono , eo meliùs agitur cum homine. Homo enim niſi præciſam ſibi videat ſpem recurrendi ad rem quæ pro Deo abiicitur, non eſt planè ab ea auulſus. Quod rectè attigit Prudentius lib. 2. contra Symmach. agens de continentia Veſtalium , quæ quod poſſent cum annis forent , venire ad nuptias , non ornabantur vera continentia , fouentes ignem auditum.

Non totum (inquit Prudentius) ſpes ſalua interficit ignem.
Nam reſides quandoque faces adolere licebit.
Feſtáque decrepitis obtendere flammea canis.
Tempore præſcripto ; membra intemerata requirens,
Tandem virgineam faſtidit Veſta ſenectam.

Abſurdè prorſus. Potenter verò hanc in Virginibus , veſtæ & Palladis ſacerdotibus , non morum pudicitiam , ſed annorum , quæ non perpetuitate, ſed ætate præſcribebatur , exagitat S. Ambroſius l. 1. de virg. At vt bonum Deo oblatum ſit perpetuum , nec poſſit variante voluntate mutari , ſolius voti interpoſitio efficitur. Tandem qui abſque voto operatur benè , ſolum fructum arbori offert Domino , qui verò per votum ſe Deo mancipat, & ex iniecta voti neceſſitate operatur ; non fructum duntaxat , ſed etiam arborem ipſam Deo tradit , cum omnibus futuris fructibus. Quæ eſt comparatio à D. Anſelmo c. 84. in hanc rem adhibita, vt refertur in opere ſimilitudinum eius. Multo ergo plus facit in

SECT. I. PVNCT. II. *Votorum Religioſorum nitor & odor.*

Dei gratiam Religioſus , cum opus bonum ex voto exequitur , quam ſecularis cum idem opus elicit abſque voto. Atque adeò longè plus meretur Religioſus, eſtque eius ſors longè opulentior, quam ſecularis , ſiue laici , ſiue Sacerdotis , ſimilis cum Religioſo in Dei gratiam præſtantis. Rectè in hanc rem diſſerit Suares l. 1. de voto c. 17.

Quod ſpectant Religioſi ſic ſe illaqueantes, & colligantes votorum funibus , (vt propterea Bleſenſis vocet Religioſum ſtatum Sunamitidem I. compeditam , præuieráteque Auguſtinus conc. 2 in pſal. 101. ad illud *vt audiret gemitum compeditorum*, memorans compeditos ſapientiæ ac diſciplinæ Dei;) præter incrementum meriti , eſt firmitas in bona voluntate ſuſcepta. Voluntas enim humana eſt admodùm fragilis, nec facile eſt præ ea fragilitate durare in gratia Dei , vt propterea ipſa gratia Baptiſmi , iuxta Bachiarium epiſt. de lapſis in Apocalypſi deſignetur nomine *maris vitrei* , quia facilè frangitur. Homo ſanè luteus eſt, nec ſtabile habet fundamentum iuxta Iobum c. 4. & 15. Id eſt ſibi permiſſus , & nullum habens externum retinaculum, facilè nutat in prius ſuſcepta voluntate , eámque abiicit dans contrariæ locum. Arundinem, à facili mobilitate denominat Scriptura Matth. 11. Luc. 7. Ventilatam omni flatu arundinem , & omni vento circumlatam , ſcitè deſcribit Eucherius homil. de arundine. Eiuſmodi planè eſt homo niſi ad verſatilem eius voluntatem accedat quod eam firmet in bono ſemel ritè adamato. Ne igitur voluntas circumferatur omni ſpiritu , & irrequieta agitatione moueatur , nunc in bonum prona , mox in contrarium licenter abducenda , prudentiſſimè ſuperadditur operibus ſanctis non cadentibus ſub præceptum , voti Religio , qua voluntas ſtabilitur in bona voluntate pro Deo inita, & vt in ea perennet, ſi mens non ſit læua, conſequitur. Et quamuis homo ſibi eripiat libertatem ad contrarium declinandi abſque ſcelere , tamen huiuſmodi libertas , longè alia eſt ab ea quæ benè pro toto venditur auro. Eſt enim potiùs abuſio libertatis, quam homo ſibi præripit quàm libertas digna captari & retineri , & ad eam accedit qua mali potiuntur malè agendo, cum è contrario libertas eorum qui voto aſtringuntur, ſit qualis iuſtorum , quos ſolos eſſe liberos, (vtique ciuili libertate Chriſtiana) & Chriſtus aſſeruit, & S. Auguſtinus videſis opus contra nouam libertatem part. 1. infinities inculcat.

A quo tempore, vſus emittendi Religioſo vota ſit inductus diſcuſſum eſt c. 3. in Tractatione de Apoſtaſia, & monſtratum iam ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ comprehenſa in ea B. Virgine non tamen anteriùs, habuiſſe locum. Gratis enim ſe decipiunt, qui in veteri Teſtamento , Religioſa vota nuncupata fuiſſe contendunt, vt habeant quo ſuos (vt volunt,) maiores præluſtres exhibeant , indéque ad ſe deriuent fulgorem. Sed apud Patres ratum eſt, primam quæ votum vouit puritatis, (quod vnum eſt ex Religioſis votis,) fuiſſe B. Virginem , de quo fuſiſſimè Sherlogus anteloq. 10. ſect. 1. & Salinas in Ionam. Igitur complexio votorum ſtatui Religioſo ſubſtantialium , non fuit in ſeculis anterioribus. Ineunte tamen nouo ſtatu Euangelij & Chriſtus & B. Virgo, (de quibus alibi lib. 4. de Chriſto num. 232.) & Apoſtoli emiſere Religioſa vota, vt diſertè de Apoſtolis tradit S. Auguſtinus 17. de ciuit. c. 4. Et vrget ſanè in hac re celebre alibi effatum ex eodem Auguſtino epiſtol. 84. depromptum, quidquid vniuerſaliter ſeruatur in Eccleſia , niſi poſſit ſignari tempus quo ſit primùm inductum , ſiue per Pontifices, ſiue per

SECT. I. PVNC. III. *Practica expreſſio bonitatis abſoluta Religioſorum.*

Concilia, ad Apoſtolos ipſumque Chriſtum Apoſtolorum informatorem, eſſe referendum. Videmus autem votorum Religioſorum emiſſionē, obuiis in Eccleſia frequentari, & pridem frequentatam eſſe. Vnde Patres ſæpè ingerunt Religioſis, memoriam pactorum quæ cum Deo inierunt, vt Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 144. & 461. & Auguſtinus in pſal. 25. & 75. atque Chryſoſtomus, nec non Eucherius, hom. 3. ad Monach. & paſſim Patres, quiſque in ſeculo quo vixit. Cum ergo nullum poſſit aſſignari poſterius initium quo cœperit vſus de quo agimus, fatendum eſt cœpiſſe ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ. In quam rem fuſius actum eſt in Tractatione de Apoſtaſia, cap. 3. quærendo, quã antiqua eſſet inductio apoſtaliæ propriedictæ.

PVNCTVM III.

Practica expreſſio bonitatis abſoluta Religioſorum, præſertim ex Chryſoſtomo, Auguſtino, atque Sozomeno.

ABſolutam Religioſorum bonitatem ſiue perfectionem, hactenus ratiocinando veſtigauimus, ac illuſtrauimus. Nunc ei veluti ſpeculatiuæ expreſſioni, iuuat ſubiicere aliam veluti practicam; propoſita ſancta & vndecunque compoſita eorum vita. Quod vt amœniùs fiat, proficiam ex aliquot teſtibus idoneis, qui nobis Religioſorum ſanctos mores exhibuerunt. Sic enim per facta & exempla, (quæ fortiùs perſuadent quam verba,) euincemus quod intendimus.

Igitur Chryſoſtomus, homil. 14. in 1. ad Timo. in morali vrgens Auditores ad eleemoſinam Religioſis erogandam; & quidem non per famulum, ſed per ſe ipſos, adeundo ſanctos illos (ita antonomaſticè eos denominat,) vitam Religioſorum ſanctæ fragrantiæ refectiſſimam his verbis deſcribit, præfatus melius eſſe intrare in domum luctus quàm in domum conuiuij, iuxta ſapientem. Eccleſ. 11. (Verè domus luctus monaſteria ſunt; vbi cinis atque cilicium, vbi ſolitudo, vbi riſus nullus, nullus negotiorum ſecularium ſtrepitus: vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum. Ibi munda ſunt omnia, nullus ibi nidoribus locus. Abſunt procul ſanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus. Tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria ſunt ſublimi de loco nauigantibus fulgore ſuo iter aperientes. In littore placido ſedent, omnes ad quieté ſuam inuitantes ac pertrahentes, neque naufragium pati ſinentes, eos qui ſe intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui ſuas aſpiciunt ſedes. Perge itaque ad illos, quære hoſpitio ſuſcipe, accede, tange ſacros pedes, longè enim honorabilius eſt illorum pedes, quàm aliorum caput attingere. Nam quæſo ſi ſtatuarum pedes plerique tenent, quod effigiem habeant regiam; tu illi qui Chriſtum ipſum in ſe habet, pedes non tenebis vt ſaluus fias? Sancti ſunt pedes, etiamſi viles ſint. At verò profanorum ne caput quidem honorabile. Sanctorum enim pedes virtutis eximiæ ſunt. Idcirco etiam cruciant cum pedum excutiunt puluerem. Cum ſanctus apud nos fuerit, nihil illinc, verecundiæ nobis eſſe putemus. Sancti verò omnes ſunt qui fidem rectam ſanctitati vitæ coniunctam habent. Etſi ſigna illi non faciant neque eiiciant dæmones, ſancti ſunt. *Si ſanctorum pedes lauit*, inquit. Quaſi enim de terra in cœlum, ita ad ſancti cuiuſlibet viri monaſterium, de propriis domibus itur. Non ibi conſpicis ea quæ domi. Mundus eſt locus ille, alta ibi quies atque ſilentium eſt. Meum ac tuum inde prorſus eliminatum eſt. Illhic vel ſi diem vnum aut duos manſeris, tunc verò voluptatis maiore ſenſu perfunderis, luceſcit, imo ante lucem gallus emittit vocem. Non ibi velut in ſecularium domibus ſtertit familia, clauſæ ſunt ianuæ, omnes alto ſopore proſtrati mortuis ſimiles ſunt, mulio tintinnabula quatit. Nihil illhic eiuſmodi eſt; verùm omnes cum reuerentia, diſcuſſo ſopore conſurgunt à præſule ſuo excitati adſtantque, ſacro inſtituto choro; protinuſque expanſis manibus ſacros concinunt hymnos. Neque enim illi vt nos, vt excutiant ſoporem horis plurimis indigent. Nos quippè ſimul atque ſurreximus, diutiùs occupamur; Imus ad requiſita naturæ; Deinde manus lauamus & faciem; poſtea calceamenta ſumimus ac veſtes, multumque in his temporis terimus; ibi nihil huiuſmodi videas. Nullus illhic famulum vocat, quiſque enim ſufficit ſibi, non eget veſtibus plurimis: Nihil opus habet excutere ſomnum. Simul atque oculos aperit, diutiùs vigilaſſe videtur, quod illi ſobrietatis ratione contingit. Niſi enim cor prægraue cibis, infra mergatur, leui ſalubrique ſomno expergiſcitur facilè, moxque precum repetit vices, manus puræ tenduntur; quia ſomnus præceſſit honeſtus atque moderatus. Nemo ſtertentes audit, hic, aut hiantes ſomno; nullus iactari quempiam per ſoporem videt neque nudari, ſed dormiunt, honeſtius vigilantibus compoſiti. Hoc autem totum ex animi diſciplina & honeſtate proficiſcitur. Iſti profectò ſunt ſancti, atque inter homines Angeli. Summus namque Dei timor non ſinit hos profundo ſopore demergi, animumque à ſuo vigore laxari, ſed fermè in ſuperficie eſt, ipſoſque reficit ſolùm. Huiuſmodi illorum quoque ſunt ſomnia: non phantaſias aut portentoſas imagines referunt, ſed (vt dixi) galli cantu continuò Præpoſitus aſſiſtit, pulſatque modicè pede iacentem: Sicque omnes vnâ protinus excitat. Neque verò nudos ibi dormire fas eſt. Inde vbi ſurrexere, diuinis laudibus inſtant, hymnoſque propheticos canunt magno ſuauique concentu, & canticis numeroſis. Non fiſtulæ, non citharæ, non vllum aliud inſtrumentum muſicum, tam dulces efficit modos, quàm ſancti illi ſumma in ſolitudine pſallentes. Ipſa quoque illorum cantica, conuenientiſſima ſunt, & amorem Dei, diuinarumque rerum ſtudium ſpirant. *In noctibus* (inquit,) *extollite manus veſtras ad Deum.* Et rurſus. *De nocte, manè vigilat ſpiritus meus ad te Deus; quia lux præcepta tua ſunt in terra.* Cantica item Dauidica fontes mouentia lachrymarum. Cum enim pſallit dicens. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et iterum. *Quia cinerem tanquam panem, manducabam.* Item *quid eſt homo, quia memor es eius?* Et. *Homo vanitati ſimilis factus*; Et illud *Dies noſtri ſicut vmbra tranſeunt.* Et. *Ne timueris cũ diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* Et iterum. *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Et *ſepties in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Et

Deus

Deus libera animam de manu inferi. Et *ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Itemque *Non timebo à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano. Et Aſſima i ... ceciſſionis* Quando cum Angeli canunt. Nam & Angeli tunc etiam pſallunt. *Laudate Dominum de cœlis.* Nobis oſcitantibus, prurientibus, atque ſtertentibus, ſiue etiam ſupinis iacentibus, & fraudes innumeras cogitantibus; Quale eſt, illos totius noctis ſpatium in Dei laude conſumere? Vbi verò lux diei iam vicina eſt, pauſant illi puſillum. Et cum opera nos aggredimur, illi quietis ſibi vendicant tempus. Iam verò vbi illuxit, quiſque noſtrum; alium vocat, ſermonémque de impendiis texit; Inde irrumpit in forum, Magiſtratui aſtat, tremit, ac ſupplicia metuit. Alius in ſcenam abit, alius ad opus ſuum proficiſcitur. Illi contra, matutinis precibus hymniſque peractis, ad Sanctarum Scripturarum ſtudia ſe conuertunt. Sunt & qui libros ſcribere didicerunt. Vnuſquiſque verò præſtitutum habens domicilium, ſilentio perpetuo ſtudet: Sicque nemine texente nugas, aut aliud aliquid loquente, tertiam, ſextam, nonam, veſpertinamque conſummunt ſynaxim. Quippe quatuor in partes diem ſcindentes, impletis partibus ſingulis, pſalmodiis atque laudibus honorant Deum, cæteriſque prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboque diſtentis immodico, hi laudibus vacant. Minima eis inſtruendæ menſæ cura, & omnium quæ ſenſui ſubiacent. Poſt cœnam rurſus diuinis inſeruiunt laudibus, ſicque obrij omnium capiunt. At ſeculares quidem, & de die dormiunt. Hi noctu quoque peruigiles durant, vt reuera lucis filij. Et illi vbi ſomno plus indulſere grauati prodeunt: Contra, hi ſemper ſobrij ſunt, ſine cibo perſiſtentes, & hymnis intendentes. Ad veſperam rurſus inclinante die, illi ad lauacra, & requiem properant. Hi verò à ſe ipſis laborem ſpiritualis exercitij laxantes, cibum ſumunt non famulorum excitantes gregem, non domum diſcurrentes, turbaſque & tumultus commouentes, neque pretioſas dapes, & coquorum arte laboratas apponentes: ſed alij panem tantum & ſal, alij & oleum ſumunt: plerique infirmiores olera atque legumina in cibum accipiunt. Inde vbi paululum ſederint, tempus omne hymnis concludentes, ſinguli thoris requieſcunt, ad quietem ſolùm non ad delicias factis. Nullus ibi principum terror, non turba mulierum, non paruulorum inquietus clamor, non ſcriniorum multitudo, non veſtis ſuperflua, non aurum, non argentum, nullæ cuſtodiæ, non fiſcus, non aliud huiuſmodi quicquam, ſed omnia orationibus feruent, hymnis omnia reſonant, omnia ſpirituali fragrantia redolent. Nihil ibi carnale eſt, non Latronum illhic timetur incurſus: neque enim habent quod eis poſſit auferri: pecuniis carent, corpus tantum, & animam poſſident. Et qui tulerint, non modo læſerunt nihil, verùm & plurimum profuerunt. *Mihi enim* (inquit) *viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Abſoluerunt nexibus corporis. Profectò enim, vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Non illic auditur vlulatus, & gemitus: Vacant his omnibus tecta illa felicia, his triſtibus, his clamoribus, libera. Moriuntur quidem & in ipſis; neque enim corpore ſunt immortales. Cæterum mortem illi, nec ducunt nec exiſtimant mortem, cum hymnis proſequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, ſed pompam, & præmiſſionem vocant. Denique vbi quiſquam nunciatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingenſque voluptas omnium. Imo ne mortuum quidem aliquis appellare præſumit, ſed conſummatum. Inde gratiarum actio ſequitur, & gloria, ingénſque lætitia, ſingulis orantibus ſe hoc fine donari, ſic exire certamine, & à laboribus ſudoribúſque quieſcere, Chriſtúmque videre. Quod ſi quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lachrymæ, ſed perpetuæ funduntur preces. Non ibi medicorum operatur manus, ſed fides ſæpè ſola ſanat infirmum. Nempe etſi opus fuerit medicis, magna & hic oſtenditur philoſophia, ingenſque oſtenditur tolerantia. Non adſtat ſolutis crinibus vxor, non parui pupillaris incommodi quæ necdum contigere malè deflentes, non familia expirantem importunis precibus pulſans, vt ſe cuiquam tutò commendet; ſed his impedimentis omnibus exutus animus, vnum inſpicit ſolum, quo pacto maiore cum gratia extremum Deo ſpiritum reddat. Sed etſi contigerit morbus, non ex gulæ prodiit vitio, non ex vinolentia; ſed ipſæ quoque morborum occaſiones plenæ ſunt laudibus, non criminibus vllis obnoxiæ. Aut enim ex vigiliis iugibus, aut ex continuato ieiunio, aut ex aliquibus huiuſmodi, infirmitas naſcitur: quocirca etiam, facile liberatur. Satis enim illis eſt ad euadenda languoris incommoda, ſi vel modicè de priſtino rigore relaxant.] Hæc vitæ norma priſcorum cœnobitarum adeò graphicè à Chryſoſtomo cum hoc loco tum alibi etiam hom. 69 in Math. expreſſa, hodiéque in benè compoſitis cœnobiis locum habet. Itaque perfectio abſolutáque bonitas Religioſorum, à qua illos eſſe venerabiliſſimos contendit Chryſoſtomus, cum hodie non obſoleuerit, fundamentum ſubminiſtrat, eiuſdem erga noſtrates Religioſos affectus, qualem Chryſoſtomus erga veteres illos exigebat.

SECT. I. PUNCT. III. § VII. *Practica ex[illegible] [illegible] abſoluta Religioſorum.*

Non minùs idoneus teſtis bonitatis abſolutæ Religioſorum ſui temporis, eſt Sanctus Auguſtinus lib. de mor. cap. 34. Is, oſtentantibus Manichæis ſuorum honeſtatem (ſcilicet,) proponit primùm ex aduerſo, vitam Sanctorum Anachoretarum Catholicorum, totius ſanctitatis exemplis redundantem. Tum veniens ad cœnobitas, ſic habet. [Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non alios miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam ſanctiſſimam, caſtiſſimámque congregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus; nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam, & intentiſſimam in Deum, gratiſſimum munus ipſi offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt. Nemo quicquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea quibus & corpus paſci poſſit, & à Deo mens impediri non poſſit. Opus autem ſuum tradunt eis quos *Decanos* vocant, eo quòd ſint denis præpoſiti, vt neminem illorum cura ſui corporis tangat neque in cibo; neque in veſtimento, neque ſi quid aliud opus eſt, vel quotidianæ neceſſitati, vel mutatæ (vt aſſolet) valetudini. Illi autem decani, cum magna ſollicitudine omnia diſponentes, & præſto facientes, quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis poſtulat; rationem tamen etiam ipſi reddunt vni quem *Patrem* vocant. Hi verò *Patres*, non ſolum ſanctiſſimi

SECT. I. PVNC. III. § VII. *Practica expreſſio bonitatis abſolutæ Religioſorum.*

moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis quos *filios* vocant; magna ſua in iubendo autoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de ſuis habitaculis; dum adhuc ieiuni ſunt, ad audiendum illum patrem & conueniunt ad ſingulos patres, terna (vt minimum) hominum millia. Nam etiã multo numeroſiore ſub vno agunt. Audiunt autem incredibili ſtudio, ſummo ſilentio, affectiones animorum ſuorum, prout eos pepulerit diſſerentis oratio, vel gemitu, vel fletu, ſed modeſto & clamore vacuo gaudium ſignificantes. Corpus deinde reficitur quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt, coercente vnoquoque concupiſcentiam ne ſe profundat, vel in ea ipſa quæ præſto ſunt pauca & viliſſima. Ita non ſolùm a carnibus & vino abſtinent, pro ſufficientia domandarum libidinum; Sed ab iis etiam quæ tanto concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quaſi mundiora nonnullis videntur. Quo nomine ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum, quod à carnibus alienum eſt, ridiculè turpiterque defendi. Iam è quidquid neceſſario victui redundat (nã redundat plurimũ, ex operibus manuũ & epularũ reſtrictione) tãta cura egentibus diſtribuitur, quantũ non ab ipſis qui diſtribuunt cõparatũ eſt. Nullomodo namque ſatagunt, vt hæc ſibi abundent; ſed omnimodo agunt, vt non apud ſe remaneat, quod abundauerit: vſque adeò vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus eſt pluma de re notiſſima dicere.] Subiicit quædam de pari religione ac pietate ſanctimonialium mulierum, quæ inferius repræſentabo. Tum concludit. [Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc inſtitutum, ſi laudare velim, neque dignè valeo: Et vereor ne iudicare videar, per ſeipſum tantum modò expoſitum, placere non poſſe, ſi ſuper narratoris ſimplicitatem, cothurnum laudatoris addendum putauero.] Non potuit S. Auguſtinus, altiùs ſuſtollere perfectionem, ſiue bonitatem abſolutam Religioſorum; cuius hodieque iudicij fundamentum, in benè multis ſacris familiis optime compoſitis, perſeuerat.

Sozomenus l. 1. cap 12 agens de Monachis ſub tempora Conſtantini Magni florentibus, ſic ſcribit. [Per id temporis, qui monaſticum vitæ genus excolebant, cum Eccleſiam maximè omnium illuſtrare, tum religionem Chriſtianam ſuis piis viuendi inſtitutis, magnoperè dilatare viſi ſunt. Nam talis & tam ſapiens vitæ ratio, ad homines à Deo tanquam res planè vtiliſſima delata, multiplicem ſcientiarum cognitionem & argutam diſſerendi ſubtilitatem, veluti rem ſupervacaneam, & etiam quod in præſtantioribus ſtudiis ponendum eſt, ſibi ſurripientem, & ad vitam rectè inſtituendam nihil afferentem adiumenti, penitus contemnit, ſolaque hæc naturali quodam, & minime curioſo prudentiæ genere, docet ea quæ vitioſitatem vel omnino tollunt, vel vehementer diminuunt. In nullo bonorum numero, ducit ea quæ inter vitioſitatem & virtutem media interiecta ſunt: Sed his ſolùm quæ ſunt vera bona lætatur; atque eum qui à malo quidem abſtinet, ſed bonum non facit, improbum putat. Nam non virtutẽ oſtentat ſed eam exercet ſedulo, proque nihilo ducit illam gloriam quæ ab hominibus colligi ſolet. Animi quoque perturbationibus viriliter reſiſtit: & neque naturæ cedit neceſſitati, neque corporis imbecillitati ſuccumbit, ſed diuinæ mentis nacta virtutem, ad omnium rerum opificem Deum, ſemper aciem intendit: Eum noctes dieſque ſanctè colere, & precibus atque orationibus placare non ceſſat, animi puritate, & piis vitæ actionibus, Deum religioſè colere exorſa, expiationes, aſperſioneſque & id genus alia aſpernatur. Nam peccata ſolùm, habet pro inquinamentis. Quin etiam caſus extrinſecus inuectos euincit, & omnibus (verè dixerim,) dominatur: atque neque perturbatione vlla, qua vita ſolet implicari, neque neceſſitate à propoſito depellitur: neque oneratas contumeliis diſcruciatur, neque incommodis affecta, ſe vlciſcitur, neque morbo aut inopia rerum neceſſariarum preſſa, animo cedit: Imo verò de his omnibus gloriatur, & per totam vitam nihil aliud meditatur. quàm vt res aduerſas toleranter ferat, manſuetudinem colat, paucis contenta ſit, & quantum in humana natura ſitum eſt, quàm proximè ad Deum accedat. Præſentis autem vitæ bonis in tranſitu vtens, neque ſollicito rerum acquirendarum ſtudio angitur; neque vltra quam neceſſitas poſtulat, commoda præſentia prouidet, ſed vitam ſimplicem, tenuemque, & à cura harum rerum parandarum liberam & expeditam laudat, animoque ſollicito expectat beatitudinem, ad ſedem illam proficiſci omni tempore parata eſt. Ac dum pietates erga Deum, cupidè ſemper conſectatur, turpium verborum obſcœnitatem fugit, & ne vocem quidem ferre poteſt eorum, quorum facta à ſuo vitæ inſtituto aliena cenſeat. Itemque res quas natura poſtulat neceſſariò in anguſtum contrahens, corpuſque paucis contentum eſſe cogens, temperantia, vincit libidinem, iuſtitia iniuſtitiam coërcet, ac mendacium veritate. Denique ordinis conſeruatione medium in omnibus rebus aſſequitur. In concordia autem & communione erga proximos tuenda, adeò piè ſe gerit, vt vtilitatibus tum amicorum, tum peregrinorum, ſedulo prouideat, ſuas fortunas faciat egentium communes, quæ ſunt ſingulis accommodata ſuppeditet: Et neque lætantibus cohibeat moleſtiam, & dolore oppreſſas conſoletur. Ad ſummam omni ſtudio & induſtria mouebit ad id proſequendum quod eſt reuera bonum. Verbis modeſtis & ſapientibus ſententiis, eos qui ſunt nimis exquiſitæ elegantiæ, & inanis orationis expertes inſtruit, & tanquam medicamentis quibuſdam Auditorum animos ſanat: & honore ac reuerentia adhibita, verba facit: Eſtque à contentione, conuitio, & ira, prorſus vacua liberaque. Nam cum ſit rationis particeps, omnem motum rationi contrarium auerſatur; & perturbationes tam corporis quàm animi, euincit. Hanc præclaram viuendi rationem, primus (vti quidam memorant,) inſtituit Propheta Elias, & Baptiſta Ioannes. Philo porrò Pythagoræus tradit, Hebræorum facile præſtantiſſimos, vndique in locum ad lacum Mariam in colle ſitum coactos ſe pio & ſeuero vitæ generi dicaſſe: Quorum domicilia, victus rationem, inſtitutionem vitæ, talem perhibet, qualem nos etiam in hoc tempore à Monachis in Ægypto obſeruatam videmus. Scribit enim eos cum in hoc ſanctum & ſeuerum vitæ genus primum ingrediuntur, ſua bona cognatis concedere: & quo commerciũ cum hominibus aut conſuetudinem habere deſierent, extra muros vrbiu, in agris ſolitariis & hortis, ætatem degere: Sacras ædes illis eſſe quæ vocantur *Monaſteria*, in quibus ab aliis ſeparati, ſancta & ſe-

ucra

Practica expreſſio caſtitatis, ab antiqua Religioſorum.

veræ vitæ myſteria obeunt. Deum præterea pſalmis & hymnis aſſiduè colere; & ſolis occaſum, nullum guſtare cibum: Nonnullos eorum toto triduo aut amplius, nihil comedere: ſtatis diebus humi cubare, à vino prorſus & carnibus animalium quæ ſanguinem habent, abſtinere. Obſonia illis eſſe, panem, ſalem, & hyſſopum: potum autem aquam, &c. Quædam ad hunc modum narrat Philo, videtur eos ſignificare Hebræos, qui ſua ætate, religionem quidem Chriſtianã conſeſſi fuerant, adhuc tamen morem Iudæorum aliquantulum in vita ſequebantur, & eorum Inſtituta ſeruabant: Nam apud alios, hoc genus vitæ non reperitur. Vnde conijcio, apud Ægyptios ex eo tempore hoc ipſum floruiſſe.] Bene conijcit Sozomenus, vt pleniùs confirmant Baronius, Serarius, & alij ſuo loco tract. de Apoſtol cap. 1. annotati.

Hæc de ſexu fortiore à Chryſoſtomo, Auguſtino, Sozomeno, tradita, mirum quantum ſplendent ac fragrant. Sed facit admirabilitatem longe maiorem, quòd etiam mollis ac tener fœmineus ſexus, idem ſtudium iam à initio Eccleſiæ eſt conſectatus. Nimirum certamina iſta, ſunt animorum non corporum. Ideoque etiam mulieres, licet naturaliter corpore teneriores, à Chriſto accitæ ſunt ad hoc certamen, vt & optimè diſſerit Chryſoſtomus initio laudationis Magni Ignatij. & exornans S. Barlamum Martyrem. Itaque quantoperè micuerint in hac vitæ ratione ſanctæ mulieres, ex iiſdem auctoribus repræſentare iuuat. Chryſoſtomus hom. 13. in ad Epheſ. Itaque ſocordiam ſecularium præ Religioſis exagitans, ſubiungit. [Et quid de viris dico? Puellæ nondum viginti annos natæ, quibus omnis illa ætas thalamis & delicato otio conſumpta eſt; In thalamis inquam, odoriferis vnguentis ac ſuauiſſimo thymiamatum odore plenis, quæ in lectis teneris decumbebant, teneræ & ipſæ natura, multóque & accurato cultu molliores factæ, quæ totos dies nihil aliud habebant operis, quam ornare ſeipſas, aurum geſtare, multiſque deliciis frui, ne ſibi quidem ipſis quidquam inſeruientes, ſed plures circa ſe famulas ad omnia promptas habentes, quarum veſtes teneræ, ipſo etiam corpore teneriores, linteaque tenuia & delicata erant, quæ in roſis etiam, ſimilibúſque fragrantiis continuè verſabantur: iſtæ mox vt igne Chriſti correptæ ſunt, omnem illam mollitiem delicatámque naturam exutæ, educationiſque pariter ac ætatis ſuæ oblitæ, velut generoſi quidam athletæ, proiecto quidquid molle erat, in media certamina proruperunt. Et videor fortè incredibilia dicere, ſed vera ſunt. Audiui quippe ipſe eas virgines olim quidem ita vt dixi, teneras, quæ ſeipſas tamen poſtea tam auſteræ diſciplinæ dediderunt; vt indumenta piloſis aſperiora, nudis imponerent corporibus, & plantis aliquando admodùm mollibus, iam nudis incederent; herbidóque thoro cubarent; Imo maiorem noctis partem in vigiliis inſumerent; & neque vnguenti alicuius, neque alterius cuiuſpiam eorum quibus olim aſſueuiſſent, curam haberent. Sed caput etiam adeò quondam diligenter curatum & ornatum, iam ita negligerent, vt capillis eſſent temerè ac negligenter vinctis, in eum dumtaxat vſum, vt indecorum ac turpitudinem vitarent. Menſam verò haberent, veſpertinam dumtaxat: Menſam inquam nec olerum, nec panis, ſed ſiliginis, fabarum, cicerum, oliuarum & ficuum. Opera verò earum, continuum lanificium, & quæ duriora eſſent, quàm quæ famulæ domi præſtarent. Quid enim? Corpora laborantium curam ſuſceperunt, lecticas baiularunt: quin etiam pleræque harum coquinæ inſeruiunt. Tanta ſo eſt ignis Chriſti: Adeò ſcilicet mentis alacritas naturam ipſam ſuperat.]

De iiſdem Parthenonibus, D. Auguſt. cap. 31. de mor. Eccleſ. poſt collaudata virorum cœnobia, eorumque vitam compoſitiſſimam verbis ampliſſimis celebratam, addit. [Hæc eſt etiam vita fœminarum Deo ſollicitè caſteque ſeruientium, quæ habitaculis ſegregatæ, ac remotæ à viris quam longiſſimè decet, pia tantum illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis, ad quas iuuenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum quamuis grauiſſimorum & probatiſſimorum ſenum niſi vſque ad veſtibulum, neceſſaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque ſuſtentant, veſteſque ipſas fratribus tradunt, ab iis inuicem, quod victui opus eſt, reſumentes.]

Sozomenus item l. 1. c. 10 ſuperiùs allegato, deſcribens ex Philone lib. de vita ſuppl. vitã eorum quos fuiſſe Chriſtianos è S. Marci diſcipulis, vna D. Hieron. lib. de ſcriptor. teſtatur, religioſiſſimam vitæ rationem, poſtquàm Aſcetarum ſtudia pia, labores, aſperitates, victus tenuitatem, iugem hymnodiam, aliáque huiuſmodi religioſæ vitę officia celebrauit, addit; Philonem ſcripſiſſe. [Mulieres cum illis viuere, quæ virgines manent ad extremam vſque ſenectutem; eaſque propter amorem pietatis & ſapientiæ, ſua ſponte vitam cœlibem excolere.]

Poſſunt ſimilia de variis Parthenonib ex pleriſque veterũ ſcriptorum huc aduocare, nominatim ex Greg. Nyſſeno orat. de Macrina deſcribente parthenonem in quo germana eius B. Macrina vitam cõcluſit. In Actis quoque S. Pachomij, memoratur Aſcetriarum cœnobium, vndecunque ſpirans ſanctimoniã. Quod de vno interioris Thebaidis Parthenone narratur in Actis S. Euphraxiæ, cap. 6. nefas ſit prætereire. Sic ergo ibi habetur. [Erat monaſterium mulierum, in vna ciuitate, habens archiſteria centum triginta, de quibus magnas mirabiles virtutes, homines prædicabant. In illo namque monaſterio, nemo guſtabat vinum nulla illarum pomum edere, aut vuas, aut ficus, aut aliquid huiuſmodi bonorum quæ terrena naſcuntur vbertate, guſtabat. Quædam autem earum abrenuncians ſeculo, neque oleum edere volebat: Quædam earum à veſpera vſque aliam veſperam ieiunium protrahebat: aliæ verò poſt biduum edebant, aliæ verò poſt triduum. Nulla earum pedes ſuos abluebat: aliquantæ verò audientes de balneo loqui, irridentes, confuſionem, & magnam abominationem ſe audire iudicabant quæ neque auditum ſuum hoc audire patiebantur vnaquæque verò earum, ſtratum in terra habebat cilicium partium, vnius cubiti latitudinis, & longitudinis trium: & paulatim in ipſo requieſcebant. Erant autem & veſtes earum de cilicio vſque deorſum, obſtringentes pedum extremitates. Quantuncumque poterat, vnaquæque laborabat. Et cum aliquam earum contingerat infirmari, non ei fomentum aut adiutorium aliquod medicinæ conferebatur; ſed ſi quam contigiſſet ægrotare, tanquam benedictionem à Deo accipiebat, & tolerabat languorem, donec eam medicina dominica præueniret. Nulla earum ianuas exibat. Erat autem ianitrix per quam reſponſa omnia fiebãt; maturæ, multæque ſanctitates ibi fiebant.] Hoc ſpecimen ſat eſſe poteſt, ad ſexus mollioris per Chriſtum roborati, fortitudinem in cœnobitica exercitatione, intelligendam. Plura petere licebit, ex Commentariolo de Chriſtianis Parthenonibus, Andreæ Vectorelli, quem Romæ videre memini; nunc autem non eſt ad manum.

SECT. II. PVNCT. I. §. I.

Bonitas reſpectiua Religioſorum.

SECTIO II.

Bonitas reſpectiua Religioſorum; Odor alter agri pleni cui benedixit Dominus.

ODorem velut agri pleni, à virtutibus ad Religioſorum perfectionem propriam attinentibus inhalatum, hactenus ſuauiter ſumus & in religione tanquam in ſanctarum virtutum nido vt loquitur Celleſtinus Epiſto. 81. omnem virtutem illi nigro nitis fœturam deprehendimus. Nunc progrediendum eſt ad odorem alterum, quem afflat bonitas eorum reſpectiua; Quo nomine intelligitur feracitas actuum commodantium proximo, & Eccleſiæ fructuoſorum. Id genus operum, maximè cedere in cultum Dei, patet ex Chryſoſtomo hom. 20. in 2. cor. affirmante, eum qui proximo temporaliter benefacit, ſacrificium offerre. At ſacrificium, eſt ſupremus cultus quo Deum proſequi poſſumus. Idem alibi hom. 25. in ad Roman. expendens illud Pauli Rom. 15. *Sanctè adminiſtrans Euangelium Dei* notat, eleemoſinam ſpiritualem quæ à docente aut prædicante erogatur, non dici ab Apoſtolo ſimpliciter *Latriam* ſed ἱερουργίαν ἢ λειτουργίαν: quæ voces, ſacrificium item ſonant. Rurſus alio loco, hom. 25. in 1. ad Cor. conteſtatur nihil eſſe ieiunia, & carnis macerationes, præ quæſita proximorum vtilitate quam vocat *perfectam Chriſtianæ religionis regulam, & certiſſimum terminum ac ſupremum cacumen.* Fas itaque erit, affirmare Religioſos reſpectiuè bonos, ſi exponamus eorum in proximos beneficentiam, cum communiter in omnes; tum ſpecialiter & in eos qui foris ſunt & in domeſticos fidei, tam quoad ſpiritualia & diuina commoda, quam quoad temporalia & humana. Vnde liquebit, Religioſos rectè denominari *Therapeutas*, non modò à Dei cultu, vt ſupra cum S. Dionyſio diximus, ſed etiam quia ſunt media, prout vocem *Therapeutæ* exponit Euſebius 2. hiſto. c. 16. & benè elucidat Bellarminus l. de Monach. c. 2. præeunte Philone l. de vita ſuppl. Et ſiquidem eſt vox *Medici* in ea amplitudine, quæ deſignat quemcumque opitulatorem, ſubuenientem ac medentem alicui malo. Vt Iſaiæ 3. vbi rogatus ad capeſſendum principatum, reſpondet. *Non ſum medicus*; hoc eſt, non poſſum tam graui malo mederi, vt benè exponit ibi S. Cyrillus, Regis quippè eſt, languoribus ac plagis ſubditorum afferre medicinam. Vnde Rex Græcis ἄναξ dicitur; voce ſonante *medicationis autorem,* & ſanitatis conciliatorem. Negat igitur ſe velle inire principatum qui in principem poſcebatur, eo quod ſe impotem agnoſceret ad medendum tantæ calamitati, quanta Rem publicam grauabat.

PVNCTVM. I.

Fructus à Religioſis, maximè communes.

APpello *fructus maximè communes*, eos qui ad omne hominum genus ſiue foris, ſiue intra Eccleſiam ſit, pertinere poſſunt. Cuiuſmodi ſunt, fructus per preces, ac per exempla. Nam iubemur etiam pro Ethnicis, & quibuſuis infidelibus preces fundere, & eis quacunque alia ratione prodeſſe; imus prælucere, quod maximè fit per exempla vitæ ſanctæ. Quæ propterea S. Chryſoſtomus anteponit miraculis; quod circa miracula plerumque excogitentur tricæ; circa exempla verò ſanctorum operum, obmuteſcant cauillatores, adacti fateri, Deum eſſe in nobis, apud quos micet tanta exemplorum ſanctorum gloria. Quod Religioſi vtroque modo omnibus commodent, non erit monſtratu operoſum; & tradit luculenter S. Auguſtinus l. de mor. Eccleſ. c. 31. refellens Manichæos, & eorum vitæ incompoſitiſſimæ, opponens vitam SS. Anachoretarum, ac Cœnobitarum. De prioribus, qui minus poterant videri conducere orbi terrarum, ſic ſtatuit. [Nihil de iis dicam; qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolo qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſima, quæ niſi ſanctorum intellectu percipi nō poteſt. Nihil inquam de his loquar. Videntur enim nonnullis, res humanas plusquam oporteret deſeruiſſe; non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplum quorum corpora videre non ſinimus.] Dimittit, hoc (vt vocat, *tam excellens faſtigium ſanctitatis*); pergitque ad Cœnobitas, quos monſtratum venio illis imprimis modis, quos circa Anachoretas attigit D. Auguſtinus, orbi fructuoſos eſſe; & quidem multò magis quam Anachoretas; cum eorum vita incurrat ſubinde in oculos, & exempla ſancta non lateant.

§. I.

Vtilitas à Religioſis per preces.

PRecibus iuuari à Religioſis mortales omnes, eſt extra dubium. Eſtque hoc genus adiumenti, valde fructuoſum, præſertim à Religioſis; ob rationem à S. Auguſtino Epiſto. 81. tactam inter expoſcendum orationes Monachorum inſulæ Capraræ. Ait enim. [Admonemus ergo & petimus, & obſecramus, per Chriſti altiſſimam humilitatem, & miſericordiſſimam celſitudinem, vt noſtri memores ſitis in Sanctis orationibus veſtris, quas vos vigilantiores & magis ſobrias habere credimus. Noſtras enim ſæpè ſauciat & debilitat caligo & tumultus ſecularium actionum; quas & ſi noſtras non habemus; eorum tamen qui nos angariant mille paſſus, & iubemur ire cum eis alia duo, tantæ nobis ingeruntur, vt vix reſpirare poſſimus. Credentes tamen quod ille in cuius conſpectu intrat gemitus compeditorum, perſeuerantes nos in eo miniſterio in quo dignatus eſt collocare, cum promiſſa mercede, adiuuantibus orationibus veſtris, ab omni anguſtia liberabit.] Hinc liquet, Religioſos eſſe maximè aptos, vt aliis per ſuas orationes proficiant; & meritò vrgeri ad alios ea ratione iuuandos, tanquam per medium apprimè vtile & valdè acceptum Deo, atque pretioſum, vt diſſerit S. Chryſoſtomus. Quamuis enim eodem Chryſoſtomo hom. de prof. ctu Euang. iudice, cuique longè vtilius ſit, vt ipſe pro ſe oret, mentibus ſimul ac labiis pro iis ſolo quentibus, quam vt alius idem officium ipſi præſtet: Tamen multum quoque valet, alterius, præſertim iuſti, pro alio deprecatio: Dummodò totum negotium in efficacitatem precum ab aliis fuſarum non proiiciatur, quod idem Chryſoſtomus hom. 1. in 1. ad Theſſalo.

ſalo alio loco grauiter vetat. Ea inſulſitate ſepoſita, magni faciendæ ſunt orationes alienæ; ſiue communes multorum in cœtum adunatorum, (de quarum vi maiore, dictum alibi de monito. p. 2. cap. 5. num. 18. & benè quoque idem Chryſoſtomus homil. 4. ad illud 1. Theſſalonicenſ. *quod ſupereſt, &c.*) Siue priuatæ ab vno aliquo fuſæ, præſertim cuius preces vitæ meritum ſuſtollat, & pretioſas officiat apud Deum. Hac de cauſa preces Religioſorum ſunt aliis vtiliſſimæ; quia præ vitæ ſanctitate, pronius à Deo exaudiũtur Euſebius ſcribens ad Marinum, id rectè perſuaſit, cum diſtinguens in Eccleſia duos ſtatus, de Monaſtico ſic pronunciat. [Eſt ſupra naturam, & ſupra communem atque humanam vitam; qui neque nuptias admittit, neque liberorum procreationem, nec opes: ſed potiùs totus eſt ex omni parte, à communi & vſitata ſecularium hominum viuendi ratione liber & alienus, ac præ nimio ſtudio & amore cœleſtium, ad cultum Dei tantummodò ſe referens. Qui enim hoc vitæ inſtitutum inceperunt, iam vitam hanc mortalem exuiſſe videntur: cogitationibúſque animorum ad cœlum tranſlati, tanquam cœlites quidam, vitam hominum de cœlo aſpiciunt; pro vniuerſis hominibus ſummo præſidi omnium Deo ſe conſecrantes, non victimis cruentis, aut libationibus, aut nidore purgati; ſed cum rectis dogmatibus veræ religionis, tum recta effectione voluntatis, tum honeſta actione & ſermone. Hæc enim ſunt quibus Deum placando, tum pro ſe, tum pro cætero hominum genere ſacrificium faciunt.] En indice Euſebio, quò dirigatur religioſi ſtatus inſtitutio, quem ibidem continenter voca *perfectum eundémque primum, Chriſtianæ vitæ modum.* Nimirum hic vitæ modus præcellentiſſimus, hominem ipſum à terrenis omnibus auulſum, Deo in ſolidum mancipat: Quoad alias autem, aſſiduè perfuſas orationes ſacrificat. Eamque hoſtiam mundam pro conditione efferentium ſancta, & prænitente virtutibus, Deus habet acceptiſſimam, & faciles aures accommodat ita litantibus.

Conſcij huius veritatis, inſignes ex ſacro & laico ordine viri, Religioſorum preces magno ſemper ambitu, expetiuerunt, & quantum ex prodeſſent, grata ſignificatione ſunt profeſſi. Degebant Romæ, per tempus perſecutionis Longobardorum, Moniales, fœminæ ad tria millia. Earum precibus tantum tribuit S. Gregorius l. 6. epiſt. 23. vt perſuaſum haberet, ſi defuiſſet vrbi Romanæ hoc præſidium, nullum iam per annos multos præ gladiis Longobardorum Romæ ſubſtiturum fuiſſe. Conſtat autem, nullum præſidium, nullámve tutelam, vrbi à Monialibus obuenire potuiſſe, quàm ratione precum. Nam aliquid præterea ſubſidij impendere, ſexus prohibuiſſet. S. Cyrillus Alexandrinus, laborante cauſa Catholica, per Neſtorianorum potentiam propè oppreſſa, ſic ſcribat ad Patres Monachos. [Veſtris ad Deum precibus egemus. Quapropter neceſſum eſt, vt vos, qui veſtram vitam Deo conſecraſtis, puras ad illum manus leuetis; atque hoc ipſum identidem noſtri cauſa factitetis. Meminiſtis, cum IESVS Naue, cum selectis Iſraëlitis contra Amalecitas dimicaret, Beatum Moſem, ſublatis in cœlum manibus, victoriam his à Deo poſtulaſſe & imperaſſe, qui in prælio & pugna verſabantur. Virilis itaque veſtra ſit pietas in precando; veſtriſque vt germani filij adeſte Patribus, qui falſam Neſtorij doctrinam perinde atque morbum quempiam peſtiferum, profligare enixè contendũt; quo nimirum fidem immaculatam, inculpatámque, ac nulli prorſus cauillationi obnoxiam ob inentes, Chriſto omnia propter nos noſtrique cauſa perpeſſo, placere poſſimus.] Conſtantinus Magnus, Ruffino 1. hiſt. c. 8. teſte, B. Antonij preces expetiit, iiſque ſe, ac liberos ſuos, & vniuerſum imperium, enixè commendauit. Nec falſus opinione, aut ſpe ſua fraudatus Theodoſius ſenior, ſummis temporibus, maximum præſidium in precibus Ioannis Monachi humillimè exquiſitis eſt expertus, vt ſcribit Sozomenus. l. 1. c. 12. Audiendus item eſt Iuſtinianus conſt. 133. qui ſic habet in quadam nouella. [Solitaria vita, atque in ea contemplatio, res planè ſacra eſt, & quæ ſuapte natura animas ad Deum adducat: neque iis tantùm qui eam incolunt commodet, ſed etiam omnibus aliis puritate ſua, & apud Deum interpellationes, competentem de ſe vtilitatem præbeat. Vnde & olim ea res Imperatoribus ſtudio fuit habita: & nos non pauca de dignitate & honeſtate eorum, legibus complexi ſumus, &c. cap. 5. Si enim puris illi manibus nudiſque animabus, pro Republica preces Deo obtulerint, manifeſtum ſanè, quod & res militaris pulchrè ſe habebit, & ciuitates in bono ſtatu erunt. Deo autem propitio atque beneuolo exiſtente, quando non vniuerſa, plena totius pacis & deuotionis? Terra quoque nobis fructus feret, & mare quæ ſua ſunt, dabit; illorum oratione propitiationem Dei ad vniuerſam Rempublicam deducente.] Alia lectio habet. *Precibus illorum vniuerſam Rempublicam in vnum colligentibus.* [Sed & communis hominum figura venerabilior erit, quærentque quod præſtantius eſt, illorum puritatem tenerit.] Quod ait, rem militarem, Sanctorum Monachorum precibus, pulchre habituram, ſpectat ad exemplum in hac re protritum, Moſis & Aaronis, qui ſuis precibus bellarunt, & plus præſtiterunt ad victoriam, quam alij qui armis materialibus pugnabant. Eſſe verò orationem, pro ſacris hominibus præſtans genus armorum, dictum eſt in Tractatione de Religioſo Loricato, & benè confirmat exemplum Iacobi, qui Gen. 48. ait, ſe dare ſpeciale munus Ioſepho dilectiſſimo liberatum, partem vnam quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo: Non alio ſanè, iuxta Chaldæum, & Abenezram atque Abulenſem, nec refragatur Debrio quàm orationibus ac precibus. Apoſtolus hoc genus pugnæ agnouit. Nam Rom. 15. vbi nos legimus, *Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* Græca habent, *vt mecum certetis orationibus veſtris.* Chryſoſtomus hom. de Moyſe tom. 1. orantem Moyſem bellaſſe, ac viciſſe ſcitè confirmat. Idem Samuelem Philiſtæos l. 1. de orat. Iſraëlem triginta duos Reges, Ezechiam Aſſyrios, hoc tacito belli genere debellaſſe, ex ſcripturis manifeſtat. Itaque hoc certaminis genus, Religioſis innoxium eſt: Hæc arma militiæ noſtræ, non carnalia, cum fructu ſæpe numero tractarunt rogati, ac etiam num tractant, præſertim interpellati.

SECT. II. PVNCT. I. § II.

Bene tam reſpectiua Reipublicæ.

§. II.

Religioſi, exemplo ſuo fructuoſiſſimi.

LImbus lact ex Iuſtiniani Nouella proximè adducti, pertinet ad fructum quem Religioſi Reipublicę conferunt, exemplis ſanctorum morum ac vitæ puritate, quam revereri coguntur cæteri quantumuis inquinati & nequam; Nec tarò inde pelliciuntur ad bonam frugem. [Homines enim (vt benè diſſerit Lactantius libr. 4. cap. 23.

SECT. II. PVNCT. I. §. I. *Bonitas reſpectiua Religioſorum.*

cap. 23.) malum exempla quàm verba, quia loqui facilè eſt, præſtare difficile. Vtinamque tam multi benefacerent, quã multi loquuntur.] Præiuerat Seneca Epiſto. 6. & firmauit S. Leo l. de S. Laurentio. Hic eſt partus ibicum in pœnis, Iobo decantatus, iuxta S. Gregorij 30. mor. c. 17. interpretationem. Qui alio loco 24. mor. à c. 8. ad 12. illa Iobi verba, *Reſpiciet homines & dicet peccaui*, de fructu incomparabili qui ex bonorum exemplo colligitur; fusè diſſerit; potátque, hæc eſſe templa quæ Deus Ezechielis 14 mandat oſtendi præuaricatoribus vt erubeſcerent. Et ſic Deus iuxta eiusdem S. Gregorij 5. mor. c. 35. alio loco doctrinam, inſtaurat teſtes ſuos contra nos. Religioſi ergo omnes, etiamſi Laici, & indocti, hac muta prædicatione mirum quantum proficiunt orbi terrarum.

Poſſumus in hanc cauſam aduocare ſanctos Martyres 5. de Martyr. p. 4. c. 2. n. 14. & ſeqq. Nam Martyres, dicti ſunt animas ſuas poſuiſſe pro fratribus; non quidem in remiſſionem peccatorum; (quod eſt Chriſto ſingulare, vt rectè ſtatuit S. Auguſtinus. Tract. 84. in Ioan.) Sed quia iuxta egregiam S. Ambroſij ſerm. 76. doctrinam, docent ſuo exemplo, adhærere Deo inſeparabiliter. Docent (vt de Sanctis iuuenibus Epipedio & Alexandro, dixit melliſſimè pro ſuo more Eucherius,) plus Deum amare quam ſeculum & plus Deum timere quam gladium. [Docent (iuxta Saluianum l. 4. de prouid.) vt quod illi in bello præſtiterunt, nos in Eccleſiæ pace non refugiamus; & qui ad probandam fidem experimentis durioribus non compellimur, inferioribus officiis, Domino plus placere debeamus.] Docemur denique exemplo Martyrum, quæ ſeniculа præ illis patimur, excipere patienter, conſentaneè ad illud Auguſtini l. 6. de verb. Dom. [Laniatus membrorum Martyres pertulerunt; & timent Chriſtiani, iniurias temporum Chriſtianorum?] Hunc fructum Martyrij, in magnum gratiæ Chriſti decus cedere, per adeò fortia exempla domitis plerunque duris pectoribus, ſcitè proſequitur Proſper. l. 2. de voc. gent. c. 15. alias 5. Et nullo potentius oleo inflammari noſtram in Deum charitatem, dixit S. Auguſtinus: in pſal. 3. qui pulchrè quoque alibi l. 10. ex 40. nouis, in hanc rem diſſerit. Vt etiam Nazianzenus, orat 18. num. 6. qui non extimuit dicere, Martyres ad vitæ inſtitutionem, non minus vtilitatis attuliſſe, quam Chriſtum; Nimirum quia cum eſſent nudi homines, non licuit circa eorum exempla cauſari, quod aliqui ignauè circa Chriſti exempla excuſant, Deum hominem talia ſubiiſſe, quia Deus erat; nos autem quia tantum homines ſumus, figmentum teſteum, tanta non poſſe. Quæ ignauiæ excuſatio, eliditur exemplo Martyrum, qui eâdem ac nos maſſa carneâ conſliterunt.

Quæ de Martyribus pro Chriſto trucidatis adduxi, vt monſtrarem vtilitatem maximam, quam nobis luteis hominibus ipſi ſimiliter lutei homines conferunt; æquè valent quoad Religioſos; quibus *Martyrum* denominatio iam olim eſt indita, vt refero p. 1. c. 3. in Tractatione de Martyrio: confirmante Cæſario Heiſterbachienſi l. 8. c. 18. *Viuos Martyres* appellauit Caſſianus collat. 18. c. 7. hauſta nuncupatione ex S. Chryſoſtomo qui referente Facundo Hermianenſi l. 4. pro tribus capitulis c. 2. ſic denominabat præceptorem aliquando ſuum, Diodorum Tercenſem, nondum compertum hæreticum. Alios Patres ſimiliter locutos, adduco loco annotato. Vbi etiam & Religionis martyrio quotidiano, minus in ſpeciem acerbo, ſed præ diuturnitate longè grauiore, vt diſtinxerunt S. Bernardus ſerm. 1. in octaua Paſchæ atque Bleſenſis ſer. de ſync. Perpulchrè hanc Martyrij in Religioſa vita imaginem expreſſit Bracharius ſcribens ad Iannarium pro lapſis informans Monachum Apoſtatam ad cor reuerſum, his eum præter cœtera verbis compellans. [Ingredere Monaſterij tui carcerem, & tenebras ſolitudinis quibus ad lucem perditum reuoceris, exquire. Sit tibi fames pro gula, ſitiſque pro flamma; & manu carnificis voluntarii, per abſtinentiæ pœnam, coſtarum compago nudata viſceribus ſit; & pro ſupplicio ignis, internas oſſium medullas duræ ſitis depaſcet incendium, ſit tibi vigilia, velut officiorum cuſtodia publicorum. Sicut catena rigentis ferri, ſic duriori conſuetudine & lege conſtrictus, ſub imagine Martyrij, verticem miſericordiæ cœleſtis expecta.]

Qui martyrio cruento hoc incruentum æquiparent, ſuppetunt multi. Clemens Alexandrinus 4. ſtrom. [Conſummationem vocamus Martyrium, non quod vitæ finem homo acceperit, vt reliqui, ſed quod perfectum opus oſtenderit charitatis &c. Sic itaque quæ apud Deum confeſſio, eſt teſtimonium, *μαρτυρίον*. Quæcunque anima ſe purè & ſynceré geſſit cum agnitione Dei, & quæ præceptis paruit, & vita & ſermone eſt teſtis, *μάρτυς*; quomodocunque liberetur à corpore; fidem, tanquam ſanguinem, per totam vitam, ac etiam in exitu profundens. Iam dicit Dominus in Euangelio. *Qui reliquerit Patrem vel Matrem, vel fratres*, & quæ deinceps ſequuntur, *propter Euangelium, & nomen meum, is eſt beatus.* Non quoduis ſignificans teſtimonium; *μαρτύριον*, ſed quod eſt ex cognitione, vt qui ex regula Euangelij, vitam egerit propter dilectionem in Dominum. Cognitionem enim ſignificat perceptio nominis, & intelligentia Euangelij; ſed non nudam & ſimplicem appellationem; Relinquere quidem genus mundanum, relinquere autem facultates, & omnem poſſeſſionem, propterea quod viuat citra vllam ad ea affectionem. Dicitur quidem certè patria, mater & nutrix allegoricè. Patres autem leges ciuiles, quæ quidem grato animo ſunt contemnendæ viro iuſto, qui eſt magni excelſique animi, vt Deo fiat amicus, & conſequatur dexteras partes ſanctificationis, ſicut fecerunt Apoſtoli.] En apertam vtriuſque Martyrij æquiparationem, quam etiam ferunt illa Cypriani l. de exhort. Mart. c. 12. expendentis promiſſum Chriſti, de ſaluanda anima à perdente eam propter Deum. [Nec ſolos animaduerſos & interfectos, diuinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiamſi ipſa paſſio fidelibus, fides tamen integra atque inuicta perſtiterit, & contemptis ac relictis omnibus Chriſtum ſe ſequi Chriſtianus oſtenderit, ipſe quoque à Chriſto inter martyres honoratur, pollicente ipſo ac diente. *Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam.*] Quanquã agit de Confeſſoribus non animaduerſis, ſiue interfectis, quos Martyrium defecit, non ipſi martyrio defecerunt; Tamen ratio quam æquiparat Confeſſores & martyres, æquè militat in Religioſis. Sunt igitur ipſi quoque, nihilo minoris ſortis, quàm Martyres conſummati. Vnde S. Antonius videns ſe fruſtra martyrium quæſiſſe, regreſſus eſt in Monaſterium *ad ſuum fidei ac conſcientiæ martyrium quotidianum*, vt dixit S. Athanaſius c. 23. vitæ. Clarè Nyſſenus,

ſenus hom. 1. & 8. de beatitud. cum pauperum ſpiritu, (quales ſunt Religioſi) eadem ſit merces, ac martyrum cruentorum; (de vtriſque enim dicitur *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*;) inde colligit, [Quorum præmium idem eſt, horum etiam certamina paria ſunt. Suffecto eſſe cruentis martyribus incruentos, & eoſdem vtroſque conſequi honores, ex pari paſſionis Chriſti expreſſione, egregiè proſequitur in Ioſaphati hiſtoria Damaſcenus cap. 1. S. Ephrem cap. 9. eaſdem coronas vtriſque decernens, æquè aſtipulatur, in illud *attende tibi*, & ſermone de pœnitentia & patientia. De duobus ſanctiſſimis iuuenibus, qui ad S. Macarium diuerterant, & eius ductu extruxerant cellulam vbi vitam finierant, dixit ipſe S. Macarius lib. 6. vitæ PP. libello 3. num. 2. [Venite, videte martyrium horum minorum peregrinorum.] Legendum videtur, *meorum peregrinorum*. Suos enim vocat, quia ei ſe ſubdiderant. Æquè de bonis religioſis in clauſtro ſuperſtitibus, dictum eſt voce de cœlo delapſa ad B. Chriſtinum refert Vinc. in ſpeculo hiſtor. lib. 24. cap. 11. [Hi boni homines, quos vides in capitulo, ſunt martyres.] Agnouit denique æquiparationem Religioſorum cum martyribus cruentis, auctor vitæ S. Pachomij in prologo, affirmans multos ex Ethniciſmo conuerſos, exemplo Martyrum cruentorum excitatos, omnia terrena calcantes; [Adhuc morantes in corpore, Angelorum æmulatos eſſe ſanctitatem, in nullo prorſus antiquiſſimis Patribus inferiores. Æquiparantes etiam illorum merita, qui pro nomine Chriſti IESV D.N. certauerunt vſque ad ſanguinem, inuiſibilium hoſtium molimina deſtruentes, &c. quorum multiformes præcauentes incurſus, & caput ſerpentis antiqui fortiter conterentes, ſempiternis præmiis ſunt potiti.

En cur Martyres cruentos, exemplo optimo fructuoſiſſimos, aduocaui ad manifeſtandum eundem fructum, per quoſcunque Religioſos editum; Plurimum enim ex hoc capite fructum ferunt, quantumuis ſint abditi, & à mortalium commercio ſegreges, aut etiam ſi ſint indocti, & ſpectatis dotibus concionandi ac voce docendi, ſint ſteriles, vt Sanctus Franciſcus in vita. cap. 7. interpretabatur illud Annæ *ſterilis peperit plurimos*: addens è contrario, de loquacibus qui concionantes, multos habere videbantur in Chriſto filios per Euangelium à ſe genitos, comprobandum eſſe verum in die iudicij, quod Anna ſubiungebat, *Et quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Ipſe Sanctus Franciſcus, proditurus è cœnobio, per vrbem, & in ſilentio ſumma cum modeſtia proceſſurus, dixit ſe ad concionandum exire; non voce, ſed ſui ipſius quàm compoſita exhibitione. Quo recidit quod ſcriptum eſt à Baſilio lib. de virgine ſacra, quam vult talem eſſe, vt [Omnes obuiam venientes, velut ſtatua Dei conſpecta, viſu quidem penitus ad reuerentiam percellantur; mente verò ad modeſtiam redigantur per virtutis commonefactionem: Colant autem ſpectaculum, & velut Dei imagini, (quemadmodum dixi,) cedant, & ipſam reuereantur. Quemadmodùm enim Satyrorum imagines conſpectæ, riſum intuentibus mouent; ac ſicut aliæ mœſtiores effigies, eruent um & animum & faciem, triſtium imaginationibus confundunt, &c. Ita & virgo caſtitatis imago, imo ipſius virtutis effigies, etiam conſpecta ſolum, ad Dei conſiderationem, humanos mox conuertere ac mouere debet affectus. Feriatur itaque impudicus quiſque animo, ex aſpectu virgineo, pulcherrimæ caſtitatis admonitus. Reminiſcatur quiſque protinus Dei, dum eam cernit effigiem, quæ ſe ad eius perficienda mandata ſemper exercet; atque vt breuiter dixerim, omnium aſpicientium Virginem, & affectus & animus ad virtutis tráſferatur amorem.] Sanè ſi emortua Philoſophi imago, petulantem iuuenem cui nomen Palæmoni, ſolo contuitu ad mentis ſanitatem reuocauit, vt idem Sanctus Baſilius orat. de profect. ex libris gentilium, alibi prodit; quanto magis viua Dei imago quæ in domeſtico Dei, mare aut fœmina, Monacho aut ſanctimoniali conſpicuam ſe exhibet, poterit ad omnem virtutem & flagitij cuiuſuis horrorem, permouere contuentes? Quantum eſt, videri & prodeſſe? [Felix, (aiebat Eucherius, hom. de Quadr.) Felix per quem etiam in aliena ſalute, exundant merita propria. Felix in cuius meritum exundat ſalus aliena, &c. Cui de tantis acquiruntur bonorum operum fructus, quantorum velut balſami ſuauitate condiuntur affectus.] In re noſtra non modò magnum eſt videri & proficere, ſed etiam (quod multo plus eſt,) proficiunt aliis inſigniter, qui non videntur, procul ab hominum conſpectu poſiti, ſed tantùm audiuntur. Cuiuſmodi ſunt Paulus Thebæus, quem nemo per annos circiter centum, conſpexit mortalium, niſi in extrema vita S. Antonius; prouidente Deo ne tantum lumen perpetuò eſſet ſub modio. Et tamen, quantum audita eius vita profecit mortalibus, ad rerum fluxarum contemptum excitandis, & ad amandam cum Deo coniunctionem? Haud aliter percutere aulicos, audita duntaxat B. Antonij geſta, à D. Athanaſio commiſſa literis, & per orbem diſſeminata. Quantus motus animorum, factus ſit ad ſeceſſionem S. Brunonis in Cartuſiam, ſuppar ei Guibertus Abbas de Nouigento, deſcribit l. de vita ſua. Rem ſtuporis refertam & inſtar prodigij habendam. Deplorant Guibertum, in S. Brunone, ſtylita myſtico. p. 7. §. 6. num. 5. Torpens ac frigens in pietate multorum ſenſus, cum S. Franciſci Stigmatum cœleſte ſpectaculum orbi eſt propoſitum, calore diuino eſt inflammatum, mirum in modum, vt ſcribit qui quinquennio poſt, ſuum contra Valdenſes opus exarauit Lucas Tudenſis l. 2. c. 11. Sunt alia propè innumera exempla aliorum Religioſorum, quorum vita ſancta, alios, etiã valdè procul poſitos percutit, & ſancto feruore ſuccẽdit.

SECT. II. PVNCT. I. §. 1

Actuas reſpectiua Religioſorum.

Obuius ergo factus Religioſo benè compoſito, impurus quiſpiam, quomodò non pudore ſuffundetur, ſe cum illo componens, & inquinationem ſuam cum illius nitore committens? Erubeſcit ad pallij conſpectum apud Tertullianum lib. de pallio. Homo exlex; quod metonymicè dictum eſt, adhibito pallii nomine, pro palliato, & ſapientiæ virtutiſque profeſſore. Non poteſt igitur non percelli animo, quicunque vitam viuit pecuinam in humano corpore, ſi Religioſum cogitet eiuſdem ſecum compactionis corporeæ, animo altipetam & elatum ſuper altitudines terræ. Hi haud dubiè B. Auguſtino adhuc in carne & ſanguine volutato, ſubemergendi tamen procinctum conſtituto, obuerſabantur, cum impotentiam è volutabro illo erependi opponente carne, & carnis incendiario Satana, illud ſibi ipſe occineret, *Tu non poteris, quod iſti & iſta?* Auarum ſimiliter, obuius factus Religioſo, cuius & habitus & profeſſio præferat paupertatem voluntariam, & omnium caducarum opum vltroneam conculcationem, quomodò non emouetur ad eum occurſum? Quomodò non flagellatur animo, conſectator lautitiarum, contemplans Religioſum à Xenophagiis, & tenuitate victus, longáque inedia, emaciatum?

SECT. II. PVNCT. II. *Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitates.*

ciarum? Non egent iſta longa expenſione, cum per ſe incurrant in oculos, etiamſi ſileam. Itaque ſtatim eſto, Religioſos omnes, ex hoc capite nullum prodeſſe mortalibus, & eis ad omnem ſanctitatem, vel ſolo abiectu vitæ ſuæ admouere calcaria; ab omni autem iniquitate retrahere.

PVNCTVM II.

Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitates.

TAnta eſt fidei dignitas & laudabilitas, vt deſperet S. Auguſtinus, ſerm. 27. de temp. eius explicationem. Multi ſunt in eius extollendo pretio, Gulielmus Pariſienſis l. de mor. c. 1. & longè vlterius Cyrillus Hieroſol. catech. 5. qui alio loco catech. 17. ex eo quod veniant nobis omnia bona pariter cum fide, nec liceat cœlum emereri, & ad virtutes alias ſupernaturales adipiſcenda contendere abſque præeuntis fidei tanquam fundamentariæ cæpiditiis, (vt loquitur Petrus Diaconus, l. de Incar. c. 6 fidem appellat *Mercaturam latam*. Non modicè igitur illuſtrauero dedero vbertatem fructuum quos Religioſi mortalibus conferunt, ſi quam variè operam conferant, circa fidei plantationem primam, diffuſionem ac propagationem, nec non tuitionem ab innumeris impugnatoribus, manifeſtum fecero. Ad hoc accingor.

§. I.

Fidei Chriſtianæ per Religioſos diſſeminatio, ingens ab eis vtilitas.

FIdei Chriſtianæ per Religioſos primum plantatæ, exempla multa, ſuppeditat liber L. Arnaldi Merchomanni, cui titulum fecit *Theatrum conuerſionis omnium gentium*. Et adiungi poſſunt varij qui idem argumentum verſarunt, cuiuſmodi ſunt, Thomas Boſius l. 9. c. 4. & Maluenda l. 3. de ſignis c. 4. Neque tamen placet, in hunc Syllabum proſeminatorum & plantatorum fidei, referre Sanctos 12. Apoſtol.; tametſi & Religioſi fuerint, vt alio loco Tract. de Apoſt. c. 3. monſtraui, & conſtat in omnem terram exiſſe ſonum eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Eos tamen nunc volo dimiſſos, quia Religio eorum, tametſi ſubſtantialiter eadem, alterius tamen accidentario formæ fuit, quam quæ nunc iure Eccleſiaſtico in Religioſis cœtibus viget. Quod ſi cui placeat, titulum *Religioſi* in ſua amplitudine acceptum, & Apoſtolis iure attributum, ad fructum per Religioſos collatum Eccleſiæ, in hoc negotium aduocare, non laborabit vt fidem per Apoſtolos ſatam & propagatam oſtendat, quandoquidem inde Eccleſia denominatur *Apoſtolica* in Symbolo Conſtantinopolitano, & paſſim alibi. Et cum ſectæ errorum à ſuis autoribus denominentur, vt benè in eorum opprobrium notarunt Irenæus l. 3. c. 33. Cyprianus Epiſto. 76. Athanaſius, orat. 2. in Arria. Lactantius l. 4. c. vltimo, Clemens Alexandrinus, 7. ſtrom. ad finem, Iuſtinus in Tryphone (agens nominatim de Marcionitis, & Valentinianis,) Chryſoſtomus, hom. 33. in Acta. Optatus l. 3. Hieronymus, contra Lucifer. S. Auguſtinus contra ſer. Arria. c. 36. & contra Epiſto. Fund. c. 4. ſola Catholica Eccleſia tanquam fontem ſuum ad Apoſtolicam originem referens, denominatur *Apoſtolica*, quod fides quam profitetur, vel ſata ab ipſiſmet Apoſtolis fuerit, vel traducem Apoſtolici ſeminis habuerit, vt loquitur Tertullianus, de præſcr. c. 20. & 32. & 36 inde potenter vigens in hæreticos in Eccleſiæ perſona. Vnde non poteſt Eccleſia aliquid docere, contrarium eius quod Apoſtoli tradiderunt; etiamſi poſſit eſſe Apoſtolica & non Apoſtolica, credens aliquid non tam additum de nouo, quam expreſſius propoſitum; qua de re ſuo loco, cum Vincentio Lyrinenſi c. 8. Commonit. & benè Suares l. 1. c. 17. & 18. contra Iacobum Anglum. Et cum ambigitur, an aliquod dogma ſit ſanum ad fontem fidei ſinceræ, traditionem inquam, Apoſtolicam reuertere vſus antiquiſſimus tulit, vt optimè tradit S. Cyprianus Epiſto. 74. an. 37. approbante S. Auguſt. l. 5. de Bapt. c. 26. Si quem autem inceſſat cupido agnoſcendi, quibus regionibus quiſque Apoſtolorum fidem intulerit, habet quos conſulat præter Baronium anno Chriſti 44. Mermannum id non indiligenter executum in Theatro atque Serrarium, tract. de Apoſtolis quorum hic parcius, ſed ſolide in eo argumento verſatur: Alter eorum de Chriſti diſcipulis & Apoſtolicorum temporum hominibus, fidei plantationem & gentium conuerſionem ſtrenue aggreſſis longam contexit Chronographiam.

Poſt Apoſtolos ergo, & eorum diſcipulos pro patribus natos, Religioſi populariter dicti, in variis orbis partibus nauauere operam ſedulam, vt Chriſti nomen in quo ſolo oportet nos ſaluos fieri, omnibus gentibus innoteſceret; & idololatria ad intimas vſque fibras euelleretur. Manifeſtè enim cum fidei ſatione iungitur eradicatio Idololatriæ. Eam Romæ ſub Honorio Imperatore adulta iam Chriſtianiſmi luce ſuperſtitem, pius Monachus generoſo facto ſuffodit. Rem ad ſcribo verbis Proſperi p. 3. de promiſſ. c. 38. [Apud vrbem Romam ſpecus quidam fuit, in quo draco miræ magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore geſtans, oculis rutilantibus gemmis, metuendus ac terribilis apparebat. Huic annuè deuotæ virgines floribus exornatæ, eo modo in ſacrificio dabantur, quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ (quo tota illa Diaboli arte draco pendebat), contingentes, impetus venientis gladij perimeret, & ſanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam Monachus, benè ob meritum cognitus Stiliconi tunc patricio, eo modo ſubuertit. Baculo manu ſingulos gradus palpando inſpiciens, ſtatim vt illum tangens, fraudem Diabolicam reſpexit, eo tranſgreſſo deſcendens, draconem ſcidit, miſitque per partes; oſtendens & hic, Deos non eſſe qui manu fiunt.] Veriſimillimum item eſt, Monachum fuiſſe illum alium quem Proſper ibidem abſolutè vocat *Seruum Dei*, denominatione Religioſis frequenti, vt infra dicam ſect. 3. §. 5. Is eodem Honorio imperante, argumentum quo Alexandriæ fulciebatur idololatria, euertit: [Quadriga ferrea (inquit Proſper,) in templo Serapidis, nulla baſi ſuffulta, nullis vncis infixis parietibus colligata, in aëre pendens, cunctis ſtuporem, ac velut diuinum ſubſidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen, lapis magnes qui ferrum ſibimet attributum ſuſpendit, eo loco cameræ affixus, totam illam machinam ſuſtentabat. Idque cum quidam Dei ſeruus inſpiratus intellexiſſet, magnetem ſtatim vt cameræ ſubtraxit, omne illud oſtentum cadens, confractum comminutumque, oſtendit, diuinum non eſſe, quod mortalis ho-

mo

SECT. II. PVNCT. II. §. I.

Varij pro fide Religioſorum labores toti-demque ab iis in Eccleſiam vtilitates.

mo firmauerat.] Monachus apertè fuerat Telemanchus, qui vt eſt apud Theodoretum, obiectu ſui corporis, diremit ludos gladiatorios qui in honorem falſorum numinum dabantur, & manifeſtè pertinebant ad idololatriam vnde moleſtus interturbator falſi cultus, letho datus, finem impoſuit ludis illis, quos edictum Honorij, in deteſtationem cædis viri ſancti prorſus abrogauit, & ipſe SS. Martyrum albo adſcriptus, à Græcis ſub nomine *Telemachi* quod finem profanæ pugnæ impoſuiſſet; cum à Latinis ſuo genuino nomine diceretur *Almachius*, vt eſt in Romano Martyrologio 1. Ianuarij. Specimen id eſto, operæ in eradicationem reliquiarum idololatriæ, nauatæ à Religioſis Romæ. Addamus aliqua de eodem ſtudio extra Romam.

Extremos totóque diuiſos orbe Britannos, cum ab Apoſtolicis temporibus fidem Chriſti ſuſcepiſſent, ſed relapſi eſſent in cœnū erroris, iuuere Monachi, ac fide Chriſtiana de nouo imbuerunt. Ingreſſis enim in Britanniam Anglis, origine Saxonibus, non modò Albionis antiquum nomen reiectum eſt, & nouo *Angliæ* nomine commutatum, etiam deinio ſuſcepta Chriſti fides, eiurata; agente optimò Rege Oſvvaldo qui exul inter Scotos, fuerat initiatus baptiſmo, in Angliam verò redux, adduxit Monachos Scholis(id eſt Hibernis, pro vſu veterum, Hibernos nomine *Scotorum* donandi, de quo latè in prælūdiis ad vitas S. Hiberniæ) Interuentu autem huiuſmodi ſermonum Dei, fides Chriſtiana refloruit vbi veluti extabuerat, & ſicubi nondum plantata fuerat, primùm conſita eſt. Legendus de Monachorū in hanc rem ſtudio, Beda 3. hiſtor. c. 3. & 4. qui prædicationem. S. Columbani in Britannia conſignat anno Chriſti 565. Poſtmodùm verò anno Chriſti 595. S. Gregorius Magnus, qui Monachus fuerat; (ſiue inſtituti S. Equitis, ſiue S. Benedicti, de quo inter Baronium &. Caietanum certatur,) pios Monachos Auguſtinum, Mellitum, Iuſtum, Paulinum, in Angliam ſubmiſit, quorum opera Angli ad Chriſti fidem ſunt traducti. Et hæc fuit prima Monachorum adhibitio ad conuerſionem gentium, & fidei diſſeminationem, vt Boſius l. 4. de ſig. c. 5. obſeruauit. Quod enim Clerici, per longam quietem facti eſſent ſolutiores, & laborum in munere Apoſtolico ſubeundorum minùs patientes; cenſuit S. Gregorius, è bono animarum fore, Monachos; præter morem ad diſſeminandum Euangelium adhiberi; Quamuis enim anteriùs quoque, aliqui Monachi informandis ad Chriſti fidem populis nauaſſent operam, tamen hæc Monachorum per S. Gregorium ad prædicandum Euangelium miſſio, haud abs re, prima appellatur, quia fuit admodùm ſolemnis, & magno pretio operæ, magniſque fidei progreſſibus, eſt obita. Itaque deprehenſa felici experimento, Monachorum induſtria, deinceps (vt idem Boſius latè proſequitur,) Monachis frequenter, aut etiam ferè ſemper, demandata eſt cura diſſeminandi Euangelij, vt nunc quoque videmus accidere. Tricas circa Monaſticum Apoſtolatum Angelicanum, ſpiſſo volumine nuper dicuſſas, ſciens prætereo, quod ad rem noſtram parum referat, eccuius inſtituti Monachi, in hanc Anglorum conuerſionem contulerint operam. Ad præſens namque negotium; ſufficit quod fuerint Monachi; in quo nemo reclamat.

Francos à feritate priſtina, ad Euangelicam mititatem, traducere Monachi. Quos enim hiſtorici dicebant *Germanos*, (teſte S. Hieronymo, in Hilarione,) poſteri dixere *Francos*, mandato Valentiniani Imperatoris, qui id nomen à duritia & feritate atque audacia tractum, lingua Attica iiſdem indidit, notauit Iuo Carnotenſis initio Chron. & habetur etiam in Actis S. Rictrudis 12. Maij, per Hulbaldum Elnonenſem exarati. Francos igitur, efferos tunc populos ac truces; cum Gallias quaſi eluuione mundaſſent, S. Remigius ex Monacho Epiſcopus Remenſis, Rege eorum Clodouæo primo, ſacris baptiſmi laticibus feliciter expiato, ad fidem Chriſtianam traduxit, & omni humanitate expoliuit. Erant quidem ante Clodouæum, ſub quo gens Francorum Chriſtum primo agnouit, nulli per Gallias Chriſtiani, tam à tempore S. Dionyſij Areopagitæ; (velint nolint Critici,) primi Galliarum Apoſtoli, à S. Clemente I. ad diſſeminandum Euangelium ſubmiſſi. Martyres etiam non paucos, iam olim Gallia, (contra quàm excidit Seuero Sulpitio l. 1. hiſtor. & S. Gregorio Turonenſi 1. hiſtor. c. 30. admodùm ſerò rigatam Martyrum ſanguine Galliam affirmantibus,) animas pro Chriſti fide poſuiſſe, eſt extra dubium. Itaque fuiſſe ante Clodouæum in Gallia Chriſtianos, non licet vocare in controuerſiam. Tamen & Franci, qui è Francia Orientali in Gallias appulerant, ac Romanos veteres Dominos exturbarant, Ethniciſmo ſordebant. Et iiſdem rerum in Gallia potientibus, Ethniciſmus per rerum dominos Ethnicos redaccendebatur, & miſerè cum exitio populorum ſoboleſcebat. Sed Rege Francorum per S. Remigium ex Monacho Antiſtitem Remenſem Chriſtianis adiuncto, fides Chriſti, Gallia vniuerſa refloruit, & latiſſimè eſt propagata.

Germaniam, S. Bonifacius Monachus Anglus, immenſis laboribus, quos in eius Epiſtolis fas eſt deprehendere; feliciſſimè initiauit Chriſtianis myſteriis, iure *Apoſtolus Germaniæ* donominatus SS. Chilianus, & Colonatus, ac Theodonatus Monachi Ord. S. Benedicti, è Scotia progreſſi in Germaniam, imbuerunt Chriſti fide Franciam Orientalem; & Giberto illhic dominante, ab Ethniciſmo & ſpurca vita, ad veram fidem; & Chriſtianam ſanctitatem traducto; fidei prædicationem per impotentiam nouæ Herodiadis Gaylanæ, vxoris fratris Giſberti, ab eo ad inceſtum commercium à fratre abſtractæ, obſignarunt pretioſa morte in Chriſti cauſa. Nicolaus Serarius iuſto opuſculo horum SS. Monachorum pro fide labores, accuratè deſcripſit. S. Lugderus & ipſe Monachus, apud Saxones fidem Chriſti plantauit. Cumque prædicationem auſpicans, inclamaret illud Pſalmi 67. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius*, nubes tetra, veréque tenebroſa aqua in nubibus aëris, exurrexit illicò, & euanuit: euidenti argumento caliginis horridæ, quæ ad eam diem terræ illi incubuerat, diſcuſſæ per veri Dei annunciationem.

S. Adalbertus, Regis Deirorum filius, relicto Regali patrimonio Monachis adiunctus, fidem Chriſtianam in Friſia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Pruſſia, mirificè propagauit. Sueciam Stephanus Vpſalenſis Ord. S. Benedicti, luce Chriſtianæ fidei colluſtrauit: qui ſubiuncti poſtea ſunt in eodem ſtudio, SS. Anſgarius & VVimo Monachi, Apoſtolatus gloria clari. Hunnos, Sclauos ac Ruſſos, alter Sanctus Bonifacius, & ipſe Monachus, Chriſtianis inſtitutis imbuit Hungaros rurſus, informauit S. Gerardus item Monachus. Ruthenos, Ruſſos, Liuones, fidem docuit, inſtituti Sancti Benedicti alumnus S. Bruno. Ex eadem familia Sanctus Chelinus, doctrina fidei imbuit Attrebales. Sicut æquè S. Benedicti proles S. VVillibrordus,

SECT. II. PVNCT. II. §. IV.

Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitates.

Friſios; Brabantos verò S. Amandus, Batauos S. Vvilidus, fide Chriſti imbuerunt. Ex qua item, Corbeienſes in Saxonia Monachi, informarunt Chriſtianis inſtitutis Daniam, Noruegiam, Gothiam, & rurſus Suetiam reuerſam ad vomitum. Cyrillus ac Methodius ord. S. Baſilij, Bulgariam, Croatiam, Seruiam, Boſnam, & gentes Slauicas Chriſtianis adiunxerunt. Barbaros omninò multos, quos Religioſi excoluerunt, complexus eſt Innocentius 4. in titulo Epiſt. ad FF. Prædicatores, qui ſic habet. (Innocentius Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Prædicatorum, in terras Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorũ, Cumanorum, Æthiopum Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum Gothorum, Zicochorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Arminorum, Indorum, Hoſtelitarum, Tartarorum, Maioris Vngariæ, Chriſtianorum captiuorum apud Tartaros, aliarumque infidelium nationum Orientis, ſeu quarumcunque partium proficiſcentibus, ſalutem.)

Penetrauit in vtraque Indias, Religioſorum ſtudium in fide propaganda. Indos Eoos, poſt acceptam S. Thoma Apoſtolo Chriſtianã fidem, & proſciſſos vomere Apoſtolico ad excipiendum Euangelij ſemen: lætaſque ſegetes per aliquod tempus datas; diutiò in dumetum verſas, noui coloni è Religioſis cœtibus educti, iteratò excoluerunt; nominatim Prædicatores & Minores, & alumni Societatis Ieſu. Videndus Petrus Iarricius. Iaponiã primus Chriſto adiunxit S. Franciſcus Xauerius. Idem, Sinis (quæ altiſſima ſunt Dei conſilia) fruſtra tentatis, animum Matthæo Riccio, aliiſque ſodalibus illhinium mortalitatis iam tranſgreſſus, fecit; vt ſepta ad eam diem imperrupta peruaderent. Nam quamuis eò iã olim penetraſſe Chriſtianam fidem, certa ſigna teſtatum faciunt; tamen exoleuerat planè ibi Chriſtiana Religio. Et Satan proſpiciens vaſtiſſimarum illarum regionum exitio, inſtaurato antiquo inibi vſu, ne quis eò appelleret externus, (Seres enim qui poſtea *Sinæ* denominati, abhorruiſſe ſemper ab exteris, Plinius, ac Solinus notarunt,) præcluſum parabat inferendo Euangelio iter, excluſis per edicta ſeueriſſima Europæis, & quibuſuis externis, qui poſſent ſedentes in tenebris & vmbra mortis, Euangelij luce perfundere. Peruaſit tamen intenta in Dei gloriam Ricij induſtria, intercluſionem quamcunque, & ad Regni penetralia progreſſus, efferos animos & inhoſpitalia pectora cicurauit, ac excipiendæ Chriſtianæ fidei, etiam Magnates, condocefecit, tanto nauatæ operæ fructu, quantum ſibi gratulatur Eccleſia. Legeſis Nicolaum Trigautium in Opere de Sinica Expeditione. Nec ita multo poſt, oræ conterminæ, Cochincina, Tunquinum, aliæque, agentibus Societatis Ieſu operariis, Chriſtum audierunt. Apud Tartaros quoque Sinis conterminos, pridem per Fratres Minores Chriſtus intonuit.

In Indiis Occiduis, Euangelium Chriſti per FF. Minores iam ante multa ſecula fuiſſe diſſeminatum, narrabat Fratri Arnoldo Mercinanno, anno 1564. quidam ex Ordine S. Franciſci, Prouinciæ Perontanæ, (an Peruanæ,) Miniſter adductis quæ tunc ſupererant variis Chriſtianæ Religionis veſtigiis. Et conſtat, iam ab anno 1390. in oris illis ad fidem adducendis, ſedulam operam nauaſſe FF. Minores. De laboribus Patrum Societatis Ieſu, in illis regionibus excolendis, & iis ad quos fides non peruaſerat, Chriſtiana doctrina imbuendis, multa ſubminiſtrabit ibi diu diuerſatus Ioſephus à Coſta.

De labore eorundem Societatis Patrum, in excolenda & plene noſtris doctrinis inſtituenda Braſilia, commentarium plenum edidit & ipſe meritò Braſiliorum Apoſtolus denominandus, Ioſephus Anchieta, verè Thaumaturgus, verè Spiritus ſancti organum lectiſſimum. Sed eius commentarius (quod ſciam) adhuc latet; Sicut tanti viri extraordinaria decora, ferè margaritum ſunt intra oſtreum, donec dies à ſole Romano illuceſcat.

Apud Canadenſes, Huronos, Hiroqueſios, gentes barbaras, dilaceratas, atque conuulſas, poſt quas nõ eſt alia, fidem plantauere, nec exiguo prouentu, Religioſi Societatis Ieſu, ductoribus primis Petro Biardo, & Enemundo Maſſæo. Labores immenſos in illius nonalis proſciſſione exantlatos, nec abſque multorum dira excarnificatione, & morte crudeliſſima, legere eſt in annuis ex eo tractu literis compluribus. Et ſpes eſt, breui generalem illius oræ hiſtoriam prodituram. Guſtus ex ſcriptis anno 1647. & 1648. ac 1649. in præſentia ſat erit. Gabriel l'Alemand, Pariſienſis, vitæ nitentiſſimæ Sacerdos, & zeli commenſi ei nitor per horas quindecim, ardentes ſubulas carni infixas, & ſecures candentes vniuerſo corpori admotas perpeſſus; cocles factus ob vnius oculi à veru ferrea confixionem, horrenda (retracto imprudenter fuſam vocẽ) felici morte perfunctus eſt Hiroquẽſibus interceptus in oppido Huronum quos in fide Chriſtiana erudiebat. Iſaac Iogues, Aurelianenſis, Apoſtolici ſtudij Concinator, ab Hiroquenſibus humana facie adopertis belluis biennio ante comprehenſus, omnia ab eis dira tolerarat. Nam & impactis baculis contuſus immaniter eſt, & ardentibus titionibus ambuſtus, & pluribus digitis per eos Antropophagos demorſis ſpolians; teterrimam carnificinã ſubierat. Præcedente autem Deo Francis ſuis ab hoc viuo Martyre exemplum optimum ſuperſtitis in terra flagrantiſſimæ in Deum Charitatis, ereptus Hiroquenſibus & reductus in Galliam; retineri in ea diu non potuit: ſed breui in locum tormentorum regreſſus, in eorũdẽ fidei hoſtium & totius humanitatis expertium manus reuertens poſt multa ſupra omnem modum dira cruciamenta, impacta in caput ſecuri, acceptiſſima Deo victima cecidit. Antonius Daniel à Dieppa, in ſacello apud Huronos Sacra catecheſi imbuens Neophitos, per Hiroquenſes interceptus, ouibus ſuis conſulens & elabendi occaſionem ſubminiſtrans, tandem diſploſo in eum ſclopo interfectus eſt, & corpus demortui concrematum. Ioannes de Brebeuf, Baiocenſis poſt vicenariam operam in proſcindendo nouali ſibi concredito collocaturã, lento igne toſtus, & rabidis membrorum per eos canes hominum ſpecie, demorſionibus excarnificatus, aqua feruente ſuper nudum caput in baptiſmi deriſionem effuſa ignitis ſecuribus vniuerſo corpori applicitis, inter iuges Dei benedictiones, feraliſſimè diuexatus; demum ab vno è monſtris illis excordificatus, cui etiam cor auulſum & crudum ceſſit in pabulum, tranſitis igne & aqua eductus eſt in refrigerium. Carolus Garterius Pariſienſis, in ſacro miniſterio edocendi Chriſtianam doctrinam ab iiſdẽ crudeliſſimis Hiroquenſibus, multis glandibus confixus, nec abſiſtens oues Chriſti adhortari ad patientiam & conſtantiam in fide, omnemque ſanctitatem; etiam repens ad excipiendas confeſſiones & infatigabili Zelo hac illhac ſe conuoluens ad iuuandos in Chriſto fideles, tandem vniuerſo ſanguine profuſo deficiens, bonus Chriſti miles

in

in arena deceſſit Quis negat ſupereſſe ætate noſtra quos digne Apoſtolicorum operariorū nomen præferat. Alios nouos colonos, in eodē nouali proſcindendo perdura & aſpera quæque indefeſſe laborantes, exhibui conſectans Clementem Scotum, in Clemen. Verbi §. 10. Apoſta à Placentinū, ſocietati laxæ virtutis dicam, mendaciter impingentē.

Ethnicis annumerantur Sarraceni, ſiue Mahumetani. Nam tametſi Mahumetes agnoſcere vnum Deum, viſus eſt; tamen circa perſonas Deitati velut implantatas, & vt S. Dionyſ. loquitur, *flores illi adnatos*, fœdè aberrauit; ac proinde non admiſit Deum qualis reuera eſt in ſeipſo, ſed qualem ſibi vana ſtolidiſſimi hominis imaginatio effinxit. Poſt tactos igitur labores circa fidem, à Religioſis exceptos in ſerenda fide inter Ethnicos, iure attingendi veniant Mahumetani. Quamuis autem gentis truculentia, Religioſorum induſtriam circa Mahumeti mancipatos præcluſerit, interdicens ſeueriſſimè omni cum eis colloquio de religione; tamen quantum licuit, & vbi fas fuit, Religioſi non pepercerunt operæ in eradicatione turpiſſimæ ſuperſtitionis. Teſtes SS. Martyr. Marochiani ex Ordine S. Franciſci; & ipſe S. Franciſcus; qui in Syriam eo conſilio nauigauit, vt fidem plantando, Martyrij laurea iungeretur. Apud Magores quoque, Mahumeti inhærentes, Hieron. Xauerius Soc. Iesv, nec modicum, nec prorſus infructuoſè laborauit. Conſaluus Sylueira Soc. Iesv, apud Cafers Mahumeti mancipatos, fidem Chriſtianam plantauit, tum ſuo pro ea ſanguine, negauit.

Eſt verò quod mihi hac in parte, gratuler aut gaudeam ob illuſtria facta Auditoris quondam in Schola Theologica mei P. Amati Cheſandi. Is cum Beroam Syriæ, (Aleppum paſſim vocant,) aliáſque illius oræ vrbes, inconfuſibilis operarius diu excoluiſſet, in Perſidem denique penetrans, qua valet ingenii vi & induſtria, in omnem iuuandi proximos ſollicitudinem ſemper intenta, ad nominis Chriſti exaltationem inter Perſas Mahumeti addictos, (Sed alterius à Turcis ſectæ) vtiliſſimè operam poſuit, iam ab annis aliquot: Ex quo enim Perſicæ noſtrorum expeditionis fundamenta ſunt iacta, ipſe cum Perſicæ linguæ, æquè ac Armenicæ, & Hebraicæ notitia apprimè inſtructus, & Perſicum lexion, alióſque in eam rem commentarios apparaſſet, anno demum 1642. progreſſus in Perſidem vſus facultate quæ inter Turcas deeſt, agendi de religione; perſis cum omni fiducia, euulgauit, Perſica lingua librum quo expoſuit Cardinalia duo myſteria: Trinitatem dico, & Verbi Incarnationem. Is liber Miniſtro Regis primario; cui nomen *Ethemam Daulet* (alter Aman, imo fauſtioris nominis, Mardochæus) ab auctore oblatus, impulit Dauletum, vt Regi ſuo aperiret quid noui ſacerdos Francus diſſeminaret. Rex, Dauleto mandat, vt primarios quoſque Mahumetanæ Sectæ toto regno degentes Rabbinas adunaret, diſputaturos, cum P. Cheſando. Factum eſt; Vicenarius Popparum Mahumetanorum, Aſphanum, Perſidis Regiam euocatus, conflixit ſæpè ſæpiùs, in ipſo Dauleti palatio cum patre Cheſando, vno contra tam multos. Sed ore & ſapientia à Chriſto in illa hora ſuis deſponſa, optimè inſtructo. Vnde & victoria ab eo ſemper ſtetit, plaudente Dauleto, qui Patrem Cheſandum rogauit, vt committeret chartis rationes, quibus ſe coram & aſtante acie Doctorum, probarat Chriſti diuinitatem ex Euangeliis. Armenis Schiſmaticis optimè ceſſit ea P. Cheſandi de Mahumetanis victoria. Nam & contemptio effuſa eſt ſuper Poppas ipſorum, rudes diſſerendi cum Mahumetanis, & rationem reddendi fidei ſuæ. Et quod Dauletus ſyncerè aperuit, cum in aula ageretur, de omnibus Armenis per vim in haram Mahumeti cogendis (vt proximè factum fuiſſet Iudæis Perſidem immenſo numero incolentibus,) conſilium illud diſiectum eſt, & Chriſtiani, quod eandem fidem profiterentur cum Franco, ſibi permiſſi, pergunt abſtinere ab impuris ſacris; & Chriſto Deo viuo & vero famulari, iuxta ritum ſuum; quem cultum emaculabunt ac purum præſtabunt, vbi depoſita abiunctione, à legitimo Eccleſiæ Rectore Chriſti Vicario, accedent: ad vnum ouile, agnoſcentes vnum paſtorem: quod recordatiores inter eos cogitat. permoti fructu diſſertationum Patris Cheſandi, tota Regia, imo & toto regno celebratarum ad Chriſti gloriam, & Romanæ fidei exaltationem.

SECT. II. PVNCT. II. §. II. *Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab ijs in Eccleſiam vtilitates.*

Iudæi, æquè ac Saraceni, foris eſſe cenſentur, quia quamuis vnum Deum profitentur, perſonas tamen in Deitate non admittunt, æquè ac Saraceni. In Iudæis ergo ad Chriſtum adducendis, ſtrenuè laborarunt plerique Religioſorum; ſed præſertim S. Vincent. Ferrerius, Ord. Præd. c. & S. Albert. Carmelita Drepanitanus 7. Aug. cuius acta refert Surius. Circa hanc colluuiem, Gilbertus, Genebrardus Ord. S. Benedicti, Hebraicæ, linguę peritiſſimus, diu laborauit, maiore merito, quam fructu. Ioan. Bapt. Romanus, ex Iudæo Soc. Iesv, fratrum ſuorum ſecundùm carnem, multos ad Chriſtum traduxit.

§. II.

Fructus à Religioſis per defenſionem fidei contra hæreticos.

IDololatria materiali per Conſtantinum Magnum feliciter eliſa, Satan noua idola excogitauit, nimirum hæreſes, vt perpulchrè dixit S. Cyprianus, l. de vnit. Eccl. & S. Greg. Nyſſenus in fratris ſui Baſilii monodia: qui obſeruat, malitiæ refertum dæmonis conſilium, in Idololatriæ reductione per Arium, Aëtium, Eunomium, & Eudoxium, à quibus cultus creaturæ, tanquam Dei, ſub nomine Chriſtiano eſt reuocatus. Et ementiuntur quidem hæretici, fidem: Sed fides eorum, alia non eſt quàm fides dæmonum, vt Auguſt. tract. 10. in epiſt. Ioan. dixit: alibi in Maxim. c. 5. & tract. 53. ac 67 in Ioan. ſæpe infigens, hæreticos non Deo, ſed ſibi ipſis credere; ac proinde deſtitui fide, cui Deus eſt auctor credendi. Videndus item Fulgentius, agens de baptiſmo Æthiopis c. 4. Non minùs igitur à vera fide extorres ſunt hæretici, quàm Ethnici, eorumque contermini, de quibus hactenus. Vnde hæretici, apud Patres, non habentur Chriſtiani, vt videre eſt apud Tertull. de præſcr. c. 37. & l. de carne Chriſ. c. 2. & 4. Cyprian. epiſt. 52. & l. de vnit. Eccl. Lactantium l. 4. inſt. in f. Luciferum Calaritanum l. 1. & 2. pro S. Athan. & l. de non conu. cū hæret. Chryſoſt. hom. 19. in Matth. & hom. 2. ad Coloſſ. Hieron. l. in Luciferia. Quanto autem pernicioſiores ſunt Ethnicis hæretici, quia fallunt prætexto Chriſti nomine; tanto ſollicitius Religioſi, ſalutis animarum & diuini honoris amantes, in hæreticorum conuerſionē, & fidei ab eis tuitionem incubuerunt. Et Deo gloria, reſpondit fructus diuino conſilio, quoad omnes graues Eccleſiæ neceſſitates, prouidet Religioſos, qui opem ferrent, & in diebus ſuis ſuffulcirent domum. Quod de S. Baſilio erga Arianos, Eunomianos, & ſimiles hæreticos, obſeruauit ſupra Nyſſenus, accuratè Thomas Boſius lib. 9. de ſig. cap. 4. Prouidentiæ enim Deo dignæ fuit, in-

SECT. II. PVNCT. II. §. II.

Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitates.

grauente veneno, proſpicere antidotum: Quod circa Cardinales hæreſes, monſtratum ſigillatim venio, ducto initio ab Ariana omnium virulentiſſima ac peſtilentiſſima; quippè quæ in ipſam S.Trinitatem immiſit cornua, & Verbum Dei è patris ſolio deiectum annumeranit creaturis. Fateor, ante hæreſim Arianam efferbuiſſe alias hæreſes: Quæ tamen renera erant potiùs abortiones ingeniorum, ex reliquiis aliquibus Ethniciſmi aut Iudaiſmi, piſtis cum aliquibus Chriſtianorum dogmatũ fragmentis; addita multa illuuie ſpurcitiarum, vt videre eſt in Gnoſticis, Manichæis, Borboritis. Quæ igitur, fœtum maturum impietatis ac ſceleris edere viſa eſt hæreſis, prima fuit Ariana, ab Ario Parocho Alexandrino perfidiſſimè cuſa. Adeò verò ſe pſit cancer iſte, vt maxima Epiſcoporum parte miſere ſeducta, omnibus ferè præter Romanum Pontificem, & Alex. & S.Hilar. ac Luciferum Calaritanum,) in ſ andem actis, annitẽtibus Auguſtis, orbis terrarũ, ſe Arianũ factum ingemuerit, vt dixit S.Hieron. contra Lucif.

Aduerſus tam perniciosam hæreſim, omnium fortiſſimè pugnauit pro Catholica veritate S.Athan. & ipſe Monachus, vt habent acta S.Antonij. Et compugnantibus cum ipſo Monachis. [Quorum exemplum (ait Sozomenus, l.3.c.12.& l.6.c.14.) non modo Alexandria ſed etiam tota loquebatur Ægyptus.] Monachi propè ſoli, in primo æſtu vel œſtro Ariomaniæ, S.Athan. libere communicabant, ab eius ore ac nutu pendebant; nullo mortis metu abſterriti, nullo plagarum, vel exilij intentatione: non ſecus æſtimantes (vt teſtatur S.Greg Naz. orat. 21.) cuinis diſcrimini patere, pro cauſa indefeſſi athletæ veritatis S.Athan. quam ſi pro ipſa veritate conflixiſſent. Inde quanto furore hoſtes fidei in Monachos ſint concitati, diſcimus ex ipſo S. Athan. in duplici apologia, & in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, ac ſæpe alibi. Eminebat inter eos ſanctos Monachos B. Athan. coniunctiſſimos, S.Antonius, de cuius in Arianos ſtudio, dictum alibi. Symb. Anton. Euocatus à Catholicis Alexand. S.Anton. [dici non poteſt (inquit S.Athan. in Antonio,) quantum ad fidem populos prædicando roborauerit. Lætabantur quippè, hoſtilem & Chriſto inimicam hæreſim, anathematizari ab Eccleſiæ columna.] Ereptum ſe Monachorum manibus è Syriani in Eccleſiam irrumpentis violentia, fatetur ipſe S. Athan. l.de fuga ſua Inde Lucij Ariani, nequiſſimi Pſeudo Epiſcopi, furor in Monachos; Quod inſuperabiles ſemperque infractos expertus eſſet Monachos in cauſa Dei; nec vnquam aliquid de ſtudio Catholicæ fidei, & ſollicitudine pro S. Athan. remitterent. Progrediente verò Ariomania, Sancti Monachi Diacius & Aſterius, Iuliano Sabæ viro ſecundum cor Dei, autores fuerunt, vt relicta ſolitudine prodiret in publicum, voce præſentiæ ſuæ, Arrianum incendium reſtincturus, vt narrat Theodoretus c. 2. qui itidem refert; S.Monachum Aphraatem, cum Valens Arrianus fureret in Catholicam fidem deſerta eremo veniſſe in ciuitatem, & ſannis idcirco exagitatum à Valente, cluſiſſe hominis dicacitatem, optima facti ſui ratione reddita, & dato luculento de ſua in fide conſtantia teſtimonio In ſumma, ad tot in S.Athan. decumanos, nutantibus, vel etiam ſtratis & euerſis benè multis è Clero, etiã Epiſcopis, fauore partiariorũ Arrij fractis aut implanatis Monachi ſẽper immoti ſteterunt, & fidei ac S.Athan. cauſã incõcuſſi propugnarunt, vt attigit Naz. in monodia Athan. & explicate Sozomenus. lib.6.c.27 qui teſtatur, [populum inhæſiſſe Monachis, quia veritatẽ credidit penes illos eſſe, qui veritatem factis declarabant.] Itaque Monachis allaborantibus, concidit Arrius ille, cognomentum *Furioſi* merito conſecutus vt ait Naz. o a .29.& vt alibi o.a. 23. ait, ille iniuſtitiæ turbo illud impietatis ſupplementum, illa ſpirituum legio.] Imago illa ac ſtatua Diaboli, malus turbo, & mundi tempeſtas, prout de Ario habetur in Actis SS. Metrophanis & Alexandri apud Photium. cod. 256. Hæc diaboli ſtatua; vt quondam ſtatua; vt quondam ſtatua Nabucodonoſoris, lapide paruo illiſo contrita eſt, ſic iſta quoque, illiſu in eam ſeruorum Dei, in ſpeciem tenuium ac vilium, concidit; nec inuentus eſt amplius locus eius.

Secundum Arianam hæreſim, peſtilens admodùm fuit hæreſis Pelagiana; cuſa ab ementiente ſanctitatem, & ingenij viribus multum valente Pelagio. Nam eius Epiſtola ad Demetriadem, & breues in Apoſtolum commentarij qui ſuperſunt, ſi errores admiſti reſecentur, produnt hominis ingenium. Hic Cainum egit omnia ſibi excuſſo Dei auxilio arrogantem, iuxta allegoriam S.Ambroſii. l. 1. de Abel & Cain c. 1. At non defuit Capio Abel, qui impietatem exprobraret, & ad Deum fortitudinem ſuam cuſtodiret. Feliciore verò quam olim ſorte, fratrem Deo ingratum ac impium proſtrauit ſui temporis Abel. Quo nomine (vt olim Facundus S.Flauianum) ita haud incongruè inſiggnire liceat, gratiæ omnia Deo tribuentis. Vexilliferum S. Aug. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ iure ea de cauſa S.Cæleſtino 1. & Ioanne 2. epiſt. ad Auienum. Romanis Pontificibus laudatiſſimum; nec non à Proſpero ingratos inſectante, & obiectionibus Gallorum reſpondente, ac ſæpè alibi l.contra collat. in f. & initio epiſtolæ ad Ruffinum. Sed concinniſſimè à Fulgentio. l. 2.de verit. prædeſt. Omnes hi, Auguſtino Magiſtro gratiæ, ob debellatum gratiæ Dei aduerſarium Pelagium plauſum dant, & encomium pangunt. Nam cæteros eius, ſiue generatim, ſiue ob alias ſpeciales cauſas, exornatores alibi de piet. ſpec. punc. recenſitos, dimitto in præſentia; in illud vnum nunc intendens, hunc pro gratia Dei triumphatorem de peſtilentiſſima hæreſi, fuiſſe Religioſum, vt ipſe agnoſcit Epiſto. 89. & quod ſibi à Donatiſtis exprobatum ipſe memorat. Religioſæ familiæ autorem. Eidem in eo glorioſo certamine concertator affuit S.Hieron. l. 3. cõtra liter. Petil. c. 40. & ipſe Monachus. Adeò autem eximie cauſam Dei egerunt in hoc negotio & gratiæ propugnatione, vt propterea commendans vtrumque Gelaſius epiſt. 5. vocet *Eccleſiaſticorum Magiſtrorum lumina*. Sigillatim quoque Hieronymum, ob impugnatos Pelagianos, collaudat Proſper, carm. aduerſ. ingratos & Paulus Oroſius, in Apolog. Meminitque etiam obſiſtentis Pelagio Hieronymi, Concilium Mileuitanum ſcribens ad S.Innocentum I. Æmulati tantorum Magiſtrorum ſtudia aduerſus Pelagium S.Fulgentius, Petrus Diaconus, S Bernardus, S.Thomas & recentiores omnino multi; nominatim Soto, Vega, Bellarminus, Suares, Vaſques, omnes Religioſi, ſoleas inliſere Pelagio

Neſtoriana hæreſis hoc molita in capite, quod Pelagiana in myſtico corpore, germana Pelagianæ eſt habita, vt monſtratum eſt in opere de Chriſto l. 1. ſ.2.c.4.n.102. & apertè traditur à Caſſiano 1.de Incar. c. 3. in Neſtorii impugnatione. Hæreſim ergo Neſtorianam, excidit & Romani Pontificis ſibi commiſſa autoritate & zelo ſuo ac ſapientia ſanctus Cyrillus Alexandrinus; qui tametſi Monachus non fuit, (vt diuinant aliqui, ſuccenſente Baronio, habuit tamen in ſancta pugna Cõmilitones Monachos, vt diſcimus ex ipſius S.Cyrilli literis ad Patres Monachos Dalmatius item Archimandrita, & Monachi Conſtantinopolitani,

ſtrenua

ſtrenua aduersùs aulicos Patrum Epheſinorum, veluti carcerario, generoſitate ingenii, ſummo labore denique perfecerunt, vt Patres illi è cuſtodia eximerentur. Admoniti enim Monachi, per literas quas mendicus ſcipione incluſas detulerat, vt æſtū & potentiam Neſtorianorum deluderet, priores literas fuiſſe interceptas; [Confeſtim omnes Archimandritæ, Monachorum cateruis ſtipati, exurgunt, hymnóſque & pſalmos decantantes, ad Regiam contendunt. Erant autem inter illos Archimandritas, S. Dalmatius, qui annos plus minùs quadraginta octo, pietatis ſtudio recluſus, extra Monaſterii ſui ſepta nunquam pedem extulerat, nec ab illo vnquam, vt aliquando egrederetur, induci potuerat: cum tamen ob frequentes terræ motus Conſtantinopolim concutientes, crebris piiſſimi Regis nonnulli precibus qui ad illum accedebat, ad exitum, communémque aliorum ſupplicationem, iam antea prouocatus fuiſſet. Cæterum dum de hac controuerſia quod facto opus eſſet, Deum precando conſuleret, vox cœlitus ad eum delapſa, vt egrederetur imperauit.] Dedi verba ex Antigrapho Orthodoxorum, (quod inſertum eſt Concilio Epheſino ad S. Cyrill. vbi additur, ingreſſus ad Imperatorem Archimandritas, exoraſſe poſtulata, Monachis interim iuxta palatium modulationi intentis; & conducto in S. Marciani Eccleſia conuentu, illuc progreſſos eſſe ſacram hymnodiam continuantes, quæ etiam acceſſu non prauæ multitudinis Monachorum eodem cum cæteris accurrentium, cumulata eſt, magna Neſtorianorum confuſione. Præcellẽte præterea, S. Leon. Magni hortatu, Ioan. Caſſian. Monachus & ipſe inſignis, patria Conſtantinopolit. ſed in Occidente tunc diuerſans, & inde potenter vrgens ad ſequendos potiùs Neſtorij prædeceſſores ſanctitate & ſapientia conſpicuos; Greg. Naz. Nectarium, Ioan. Chryſoſt. quam Neſtorium ſub ouina pelle lupum, egregium volumen de Incarnatione conſcripſit contra Neſtoriū, Antiochiæ euocatum æquè ac Chryſoſt vt prodit Socrat. l. 7. c. 29. Ex quo redarguas Cuychium, qui quod de eo opere alicubi l. 6. c. 6 dicat Caſſian. Epiſcop. quem exagitat, Antiochiæ fuiſſe inſtitutum; cenſuit, non Neſtorium, ſed Antiochenum aliquem Præſulem, fuiſſe eo opere à Caſſian. exagitatum. Quanquam nobis perinde eſſet, ſi Caſſian. hæreſim qua ſorduit Neſtorius, in alio Pſeudo-antiſtite, exagitaſſe diceretur. Æquè enim haberemus, Monachū hæreſeos cui Neſtorius patrocinatus eſt, impugnatorem.

Geminum cum Neſtorio Diabolicæ informationis oſtentum, fuit Eutyches. Hunc Neſtorianiſmi odio, (vt ſtulti, dum vitā vitia in contraria currunt,) fabrum nouæ hæreſeos, de Deitate in vnā maſſam pictā, cum humanitate, damnauit Synodus Chalcedonenſis. Eam Eutyches, & eius partiarij, ſummo conniſu euertere ſunt moliti: ſed immota ſtetit, Suffulcientibus præſertim Monachis, qui eam ob rem, dirum in modum ſunt diuexati, vt legere eſt in libello Monachorum & Archimandritarum ad Agapetum Papam, & in alio libello, à Monachis oblato Hormiſdæ Papæ; rurſúſq; in alio libello oblato Mennæ Patriarchę C. P. Tādemq; in alio libello Monachorum Antiochenorum ad Ioann. Patriarcham C. P. Omnem lapidem mouit Satanas, vt conſtantiam Monachorum quateret. Sed fruſtra omnia ſunt tētata. Annisi poſtea ſunt partiarij Eutychetis, per Iuſtinian. ſubdole implanatum, ſuffodere Concilium Chalcedonenſe, per V. Synodum, mota apud eam lite de tribus capitulis, quam inſidioſè excitarant, vt per ſpeciem perſonarum; dogmata Chalcedone pridem conſtituta, conuellerent. Sed Theodoſius Cœnobiarcha, (vt eſt in eius Actis, c. 39. Iunij 11.) conſtantiſſime pro veritate ſtetit, ſic confeſſans. [Aduerſus hæc & ignis accendatur, & enſis armetur, & mors quoque acerba nobis afferatur. Imò verò ſi fieri poſſit pro vna, innumerabiles. Nos verò nunquam prodemus veram Religionem. Idem, Acaciū publicè à Romano Pontifice excommunicatum, ob turbatam ſub Zenone Eccleſiam, cum nemo auderet literas Pontificias intimare, adhibito Monacho Acoemeta; ipſiuſmet Acacij pallio aſſuit.

SECT. II. PVNCT. I. §. II

Varij pro fide Religioſorum labores, demque ob eam in Eccleſiam utilitates.

Eutychianiſmi ſurculus eſt Monothelismus, vnicam in Chriſto voluntatem cum duarum naturarum clade admittens. Hanc exploratam hæreſim, præſtantes Monachi, fortiter exciderunt vt Ioan. Damaſc. & Anaſtaſius Sinaita, ac quos iſte allegat. Sed ſupra omnes S. Maximus Monachus, qui cum diſcipulo ſuo Anaſtaſio, item Monacho, fortiſſimè aduersùs eam hæreſim egit. Extat celeberrima eius diſputatio contra Pyrrhum Patriarcham Conſtant. Monothelismi defenſorem, quem cum conuicit, & ad tempus conuertit; ſed poſtea relapſum, Theodorus Papa in Concilio Romano, anathemate percuſſit, charta damnationis intincto in Chriſti ſanguinem calamo, exarata; eiúſque in errore & anathemate defuncti nomen, in VI. Synodo, tetro obelo eſt confixum. E contrario S. Maximus, immenſis pro fide vexatus ærumnis, ſæpè pulſus ac relegatus, in carceribus frequenter tentus, ac denique abſciſſa pro Chriſto lingua, & dexteræ truncatione mulctatus, abſque lingua tamen liberè loquens, in carcere denique martyrium conſummauit. Vir in quem ad veritatem cecidit illud Conſtātini Manaſſis elogium in Annal. num. 148. [Maximus Monotheletarum impugnator eloquentiſſimus, aurea illa tuba, Nilus quaſi quidam doctrinæ veritatis, auriſluus.]

Excepit has procellas hæreſis Iconomachorum, excitata à Leone Armeno, per veneficum Iudæum, qui ei imperium prænunciarat, incenſo ad exterminium ſacrarum imaginum, quas pro Idolis habendas edixit. Tanta autem crudelitate deſæuiit in obſiſtentes, vt vix aliquid legi poſſit feralius ac truculentius. Legeſis Ioan. Hieroſolymit. Actorum S. Ioan. Damaſc. ſcriptorem, & S. Nicephor. Conſtant. in Breuiario hiſtorico, ac Paulum Diaconū in ſuorum Longobardorum hiſtoria lib. 6. c. 14. Conſtantinus Copronymus mali corui peſſimū ouum, eique ſuccedentes Leo Armenus, ac Theophilus, impij Tyranni, nihil prætermiſere ſollicitudinis ac malignitatis, vt ſacras imagines prorſus abolerentur. Obſtitere impiis conatibus varii qui recenſentur in Synod. II. Nicæna. Innumeros ſigillatim profert Simon Maiolus, commentario hiſtorico de Imaginibus. Varii Romani Pontifices, perpetuam ſedi ſuæ diligentiā in cauſis fidei, deſiderari hic non ſunt paſſi, vt paucis refert Molanus in ſacrarum imaginum hiſtoria l. 1. c. 3. Sed qui ſtrenuiſſimè rem egerunt, fuere Orthodoxi Monachi, præſertim S. Ioan. Damaſc. S. Greg. Cyprius, S. Plato, S. Stephanus Iunior, S. Theod. Studita. Horum præſertim immenſis laboribus, nequicquam rugientibus ac frendentibus hoſtibus, ſtetit res Catholica, & imagines ſacræ, execrando Idolorum probro ab impiis impiè impacto, liberatæ. Vt gratia Monachis rependeretur, déque eorum in hac cauſa ſtudiis conſtaret; in ſecunda Nycæna Synodo, præter omnem vſum ad eam diem receptum, Monachi ad cauſam imaginum diſceptandam, admiſſi ſunt, & aduersùs hæreſim, decreuerunt ac poſt Epiſcopos ſubſcripſerunt. Epiſcopi 338. in vna Pſeudo-Synodo defecerant à fide, rugitum Leonis extimeſcētes.

SECT. II. PVNCT. I. § II.

Varij pro fide Religioſorum labores, toti deriuantur ab eis in Eccleſiam vtilitates.

Actione ergo ſecundæ dictæ Synodi Nycenæ, cum defectio illorum Epiſcoporum ventilaretur, Patres non prius admiſere reſipiſcentes, quàm requiſiſſent aſſenſum Monachorum. Tanti erant apud Synodum priores labores eorum, pro fide. Vix vnquam neceſſitas operæ Monachorum, ad fidem propugnandam fuit teſtatior quàm in hac Iconoclaſtarum procella. S. Theophanes Monachus, dira ob hanc cauſam paſſus à Leone Armeno, miraculis multis inclaruit, vt habent tabulæ Eccleſiaſticæ 12. Martij. S. item Lazarus Monachus, ſub Theophilo Iconoclaſta, diris ſupplicijs excruciatus, manibus ferro candenti ambuſtis, ſanatus diuinitus, magno ſtudio in reſtituendas ſacras imagines, incubuit. Sanctus Theophilus Monachus a Leone Iſaurico eadem ex cauſa ſæuiſſime habitus eſt, vt habetur in Menologio, ac in Romanis Tabulis 2. Octobris, ſuam in retinenda fide conſtantiam inconcuſſam, & in redarguendo Tyranno generoſitatem prodidit. Itaque feſtum Orthodoxiæ, ob defenſum ac reſtitutum ſacrarum imaginum cultum, quotannis inſtauratum, ad Monachos maxime pertinuit.

Sat multa ſtudij Religioſorum Græcorum pro fide exempla protulimus. Nihilo in eadem cauſa feruidiores fuere Occidentales, quorum pauca exempla, ex innumeris ſubicio. Berengarium Andegauenſem Archidiaconum, poſt mille annos à plantata fide Catholica, & diuinæ Euchariſtiæ inter fideles veritate firmiter radicatæ inceſſit prurigo nouandi circa illud amoris ſacramentum. Sic vocat Laur. Iuſtinianus l. de caſto connub. c. 24. Itaque vt fides noſtra de tanto myſterio inanis eſſet, impius blatero ſolidam veritatem ad phantaſma & figuram reuocauit. Exhorruit ad virulentum ſibilum blaſphemi illius, Eccleſia vniuerſa. Sed qui potentiſſime aduerſùs phantaſticum Berengarij dogma egerunt, fuere Monachi, præſertim Lantfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Mauritius Abbas Cluniacenſis, Durandus Froarnenſis, Aſcelinus ad S. Ebrulfum Monachus, Hugo, poſtea Lingonenſis, Epiſcopus, aliique è religioſis familiis omnino multi.

Subſecuti ſunt, Lolij ſuperſeminatores varij; Roſcelinus Tritheita, Tankelinus, Abelardus, Arnaldus, Henricus, ac Petrus de Bruis. His religioſi ſtrenuè ſe obiecere. S. Anſelmus aliquot Epiſtolis cum adhuc Becci degeret exaratis, & poſtea iam Præſul, inſigni volumine de Incarnatione Verbi, Roſcelinum fregit; Quod item impigrè præſtitit Iuo, ex Canonico Regulari, Carnotenſis Epiſcopus; & præcellens ſeruus Dei Robertus de Arbuſcellis, Fontebraldenſium auctor. Tankelinum S. Norbertus Præmonſtratenſium Pater, debellauit. Abelardum, Arnaldum, Henricum, Petrum de Bruis, S. Bernard. exagitauit, & fidem aduerſùs eorum latratus potenter defendit. Poſtremam iniquitatis bigam, (Henricum dico ac Petrum;) inſignis pugil fidei, Petrus Mauritius diſiecit.

Albigenſes, Diaboli genimina, ſub Innocentio III. emerſere, vt ſcribit Cæſarius. Multa ab eis dirè ſunt patrata vt hominum potiùs monſtra, ac dæmones corporatos ſe exhiberét. Toloſæ ſuper aram maximam, ventrem purgare, & aluum palla altaris extergere, non exhorruerunt. Quin etiam (proh ſcelus) coram Crucifixi ſtatua, ſcortum altari impoſitum fœdarunt. Et ipſam ſtatuam brachiis truncatam, fune ad collum iniecto alligatam, per ludibrium traxere vicatim. Præter morem hæreticorum multorum, non verbo tantùm aut ſcripto, certarunt feræ hæ arundinis, ac beſtiæ calmi; (cuiuſmodi de S. Auguſtini ſententia, in pſal. 67. ſolent eſſe hæretici;) ſed inſtructis validiſſimis exercitibus ſuæ impietati quæſiere patrocinium. Partiarius eorum Petrus Rex Tarraconenſium, cum ſeptuaginta millibus armatorum, vno prælio cecidit. Rex Marochij Miramolinus, ex impio fœdere, aduenit auxiliator impietatis, tantis inſtructus copiis, vt literis ad Innocentium Pontificem datis, iactare auſus ſit, ſe equis ſuis ſtabulum in S. Petri templo condicere; & in eiuſdem templi faſtigio vexilla ſua figenda, ſit gloriatus. Et viſus eſt nouus hic Caïphas propheta ſſe; cum eius in acie fuſi præcipuum vexillum, captum, Romámque tranſmiſſum, iuſſu Innocentij, de ſummo templo pependit, oſtentandæ tam inſigni de nouo Sennacheribo victoriæ. Contra tam rabioſos fidei hoſtes, verbum Dei arripuerunt pro armatura, Abbates & Religioſi complures, vt de Claraco, Villamagna, & de S. Tiberio. Egregiam quoque hic operam nauauit S. Dominicus, tunc Canonicus Regularis, poſtea Ordinis Prædicatorum fundator. Videtis hiſtoriam Albigenſiũ per illius æui ſcriptorem. Huc præſertim pertinent quæ de labore Ciſtercienſium pro fide notantur in eorum Monologio. c. 17. Apparatus.

Ioannes VVicleffus, monſtrorum cuiuſuis peſtiferi dogmatis ferax: (quod eius articuli quinque ſupra quadraginta Conſtantiæ damnati teſtatum faciunt,) a Thoma Valdenſi Carmelitano, quem Martinus V. *Ecclesiæ E...* denominauit, ſcriptis fortiſſimis confoſſus eſt. Nec fuit cur Ioannes Nider hominem graphice depingens, articulos eius occultos diceret, cum iñ Concilio Œcumenico proſtent. Latè de eis Harsfeldius in VVicleſiana hiſtoria. l. 3. formic.

VVicleffi propago fuere Huſſitæ, qui Huſſo auctore, cooperariis Hieronymo de Praga, ac Iacobello, & aliis, VValdenſium ſiue pauperum de Lugduno, Valdonis ciuis Lugdunenſis infauſtorum germinum, fœda placida, mali mangones inſtaurarunt. Videndi Æneas Syluius l. de orig. Bohem. c. 35. & Cochleus in Huſſitica hiſtoria. Quot quot Valdenſes impugnarunt, vt Claudius Seyſſellus l. contra impiam, ſectam VValdenſium; Henricus Inſtitutor ord. Prædicatorũ contra eoſdem; Reynerus, Ermengardus ac Bernardus Montis frigidi Abbas, eo ipſo Huſſum & gregales impugnaſſe videri debeat, cum iidem ſint eorum ac Valdenſium errores. Maximam verò partem, ſi fidei Athletæ, fuere Religioſi.

Martinus Lutherus, imo iuxta primigeniam nomenclationem, *Ludderus*; infauſtum hoc & fœdum cognomen, mutauit *Luthero*, Germanicè ſonante puritatem. Qua in parte vt in dogmatibus mirè conſenſit Maneti Manichæorum auctori, quod Lindanus Dial. 1. dubit. & Præteolus in Elencho V. *Manichæi*. Diligenter ſunt proſecuti: ita & in nominis mutatione. Nam ex Cyrillo Hieroſolymitano Catech. 6. qui primùm *Curbicus*, dicebatur, *Manetis*, nomen aſſumpſit, Perſicè honorificum, & à diſputando petitum: ſed quòd Græcè idem *Maneta* nomen à furore ſit tractum, ipſo ſectæ auctore per Regem Perſarum corio crudeliter ſed iuſtè nudato, partiarii eius, nomen inuidioſum ac ſannis patens, commutarunt nomine *Manichæi* quæ vox *manna fundentem*, ſonat. En igitur inter Lutherum & Manetem, affinitatem, vt in tetris dogmatibus, ita & in nuncupationis demutatione. Spurcus hic, & iure ſtercoreus dictus Hæreſiarcha, è quo innumeræ errorum propagines infeliciſſimè in orbis exitium ſuccreuerunt, puta Sacramentarii, Zuingliani, Caluiniani, Anabaptiſtæ, Anti Trinitarii.

Deiſtæ,

Variis pro fide Religiosorum laboribus, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitatibus.

Deiſtæ, & alii penè innumeri à Staphilo enumerati, per varios Religioſos exagitatus & contritus eſt. Primus in eum calami lanceam intorſit Syluester de Priorio Ord. Prædicatorum; quem à tergo ſecutum eſt agmen propè immenſum ſcriptorum; quos inter præcelluerunt variarum ſacrarum familiarum Religioſi, Ambroſius Catharinus, Gregorius de Valentia, Ioannes Maria Verratus, Robertus Bellarminus, Adamus Gotzer, & alii abſque numero.

Ioannes Caluinus extremum Erebi excrementum, è Nouiodunenſi beneficiario, & Parocho oppidi cui nomen *Pons Epiſcopi*; vt faceret ſibi nomen magnum, iuxta nomen Magnorum qui ſunt in terra, pingues & craſſos Lutheri errores, ſub ſtrioribus cumulans, bellum atrox Catholicæ fidei indixit; malignitate in eo certante cum ingenii acumine, & in ſcribendo facũdia; qua valuit; quãuis dicendo perparum polleret, quippe qui Genebrardo teſte, ſpeciem cacaturientis præferret, in ſuggeſto ſacro; contra quàm Lutherus, in pulpito perpolitus, atque amœnus, & admodum nitens ſcribendo, amica ſus luto, videbatur; aſſiduè ingeminans ſtercora, & ſimilium vocum inhoneſta propudia. Caluianum in ſuæ præſertim Galliæ cladem conniſum, exagitarunt ac preſſerunt Religioſi viri omnino multi, nominatim Nicolaus Romæus, Claudius Sanctesius, Feuardentius, Zacharias Bouerius, Iacobus Gaulterius, Edmundus Campianus, aliique abſque numero. Potenter admodum Nicolaus Italus Ord. S. Benedicti, Caluiniſtas reiecit, ſuæ ſolius linguæ obiectu. Nam cum ei linguam vltra medium in rorsùm, Galli Caluiniſtæ precidiſſent; nihilominus iterato miraculo quo Sancti Confeſſores ab Arianis lingua mutilati, poſt exectam linguam expedite loquebantur; & iſte quoque, poſt eam linguæ truncationem, loquebatur rectè. Ioannes Baptiſta Fiklerus cap. de ſanctorum cultu in Theologia Iuridica, eum anno 1568. prodit abs ſe auditum Salisburgi, diſtinctè loquentem; & conteſtantem, fidem ſolam Catholicorum prodeſſe ad ſalutem, Caluinianam verò fidem, eſſe prorſus euanidam, & nullius ad ſalutem vtilitatis.

Ianſeniani Caluiniſtarum ſunt collectanei. Eadem enim vtrorumque ſunt dogmata in pleriſque capitibus; præſertim quoad libertatem expeditam, & gratiam ac prædeſtinationem; penes quæ nominatim capita adeò conſentiunt Caluinus & Ianſenius, vt non dubitarint graues pleriqne ſcriptores, Ianſenium, *Caluinum infulatum* indigetare. Aduersùs hanc nouam Satanæ aciem, egere fortiſſimè Religioſi, præcipuè Franciſcani, & Soc. Ieſu. Nec mirum, Religioſos hac in parte aduigilaſſe. Nam Ianſeniſmus per Clericos ſeculares quæ ſua ſunt quærentes, fabrefactus eſt, ad Religioſorum deiectionem. Exiſtimabant enim illi non boni æmulatores, conuulſis principiis doctrinæ paſſim apud Religioſos receptæ, omnia ipſorum ruitura. Sed Deus iniqua ſtudia vertit in bonum. Nouitates enim à Ianſenio inductæ, damnatæ ſunt hæreſeos ab Innocentio 10. præmiſſa diſcuſſione accurata. Cúmque æmuli Religioſorum, cauſarentur interueniſſe errorem facti, damnatis tanquam Ianſenii erroribus, qui apud eum non comparebant; Alexander 7 Innocentii ſucceſſor, nouo diplomate firmauit, quinarium propoſitionum ab Innocentio hæreſeos notatum, apud Ianſenium extare, & ad eius mentem eſſe reprobatum. Erant qui deſuiſſe Concilium Generale obſtreperent, ſed hos iniecto forti lingnario repreſſimus, ea lucubratione cui titulus eſt, *αὐτὸς ἔφα*.

§. III.

In cicurandis Schiſmaticis, in hæreſim Lapſabundis, fructuoſa Religioſorum opera.

Schiſmatici hæreticorum confines ſunt; adeò vt aſſerat S. Ambroſius in Satyri fratris Monodia, non eſſe fidem in Schiſmate: quia per abiunctionem à capite, qua ſola conſtituitur Schiſma, procliue eſt in hæreſim ruere. Experimento certè omnium propè Schiſmaticorum, hactenus deprehenſum eſt, hæreſim exiſtere ex Schiſmate inueterato. Et vt Schiſma ſolitarium eſſet; nec in hæreſeos abruptum diuolueretur; ſordet tamen magna iniquitate, nec eſt in eo ſalus; de quibus omnibus, latè diſputatum eſt in Epilegomenis ad Coronam auream ſuper Michæam libro at 3 fructu 4. Nunc attingamus, quanto ſtudio Religioſi periclitantes circa fidem Schiſmaticos, facile in hæreſim degeneraturos, ſuo capiti ſubnectere ſolliciti fuerint.

Perantiquum ac Eccleſiæ admodum exitiale ſchiſma, fuit Donatiſtarum; quod cœptum à Botro, ac Cæleſtio Epiſcopatus Carthaginenſis poſt defunctum Menſurium captatoribus, repulſam paſſis, electo Cæciliano Menſurij Diacono; incrementum haud tenue accepit, partim acceſſu Lucillæ factioſiſſimæ, ac pecunioſæ admodum fœminæ, quæ Cæciliani diſciplinam Eccleſiaſticam ſuperſtite Menſurio, tulerat impatientiſſimè: partim adiunctis ei maledictæ Triadi ſenioribus, à quibus Cæcilianus vaſa ſacra, ipſis furente perſecutione concredita, repoſcebat. Secundus Tigiſitanus numidiæ primas cum aliis epiſcopis Traditoribus Carthaginem adueniens, oleum flammæ adiecit, ſeorſim à Cæciliano conueniens, & Maiorino Lucillæ domeſtico, in Epiſcopum contra Cæcilianum conſtituto. Ab eorum tamen nullo, nomen tulere Schiſmatici de quibus agimus, ſed à Donato Epiſcopo à Caſis nigris in Numidia; qui primus Lucilla inſtigante, aduersùs Cæcilianum adhuc Diaconum commotus, Schiſma fecerat, & electo Cæciliano, vt eius negotia turbaret, ordinauit Maiorinum. Id enim S. Auguſtinus retract. c. 21 teſtatur cuius tamen teſtificatione conſtat, Donatiſtas de hoc Schiſmatis autore erubeſcentes quod eum Melchiades Papa damnaſſet, maluiſſe denominationem ſuam ducere ab alio Donato Maiorini ſucceſſore; quem & facundia & iactata vitæ innocentia, plurimum Schiſmati roborando & dilatando commodaſſe, S. Auguſtinus de hær. c 69. confirmat. De initiis ac progreſſione, & immenſis malis huius Schiſmatis, omnibuſque ad illud attinentibus, diſſerit fusè Franciſcus Balduinus, ſuis ad Optatum Obſeruationibus. Contra Donatiſtas breui fines Schiſmatis tranſgreſſos, inducta neceſſitate anabaptiſmi, ſi à malo miniſtro eſſet collatus, & aliis hæreſibus ſordentes; cum alij egerunt, tum qui inſtar omnium eſſe poteſt S. Auguſtinus, cuius collationibus ac ſcriptis quæ bonam partem Tomi ſeptimi implent, profligati ſunt Donatiſtæ, cum ad Melchiadis Papæ iuſſa, & Conſtantini Magni quem appellauerunt pia monita obſurduiſſent. Fuiſſe autem S. Auguſtinum, profeſſione Religioſum, in confeſſo eſt.

Schiſma Photianum, Græciæ vniuerſæ exitiale, mox in hæreſim degenerauit. Quamdiu verò Schiſ-

SECT. II. PVNCT. II. §. IV.

Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitates.

matis metas non exceſſit, S. Ignatius ex Monacho Epiſcopus Conſtantinopolitanus, à Photio Euirato deiectus, nullos habuit, fideliores & audentiores aſſeclas, quàm Monachos ab Ignatio quondam ipſius S. Ignatij Magiſtro, in monte Olympo prouidè excitatos. Spurcus Spado, alienæ ſedis inceſſor Photius, tertiam ſtellarum partem nouus lucifer, de cœlo Eccleſiæ in Schiſmatis abyſſum abſtraxit. Sed Monachis fortiter perſtantibus pro S. Ignatio aduersùs Schiſmaticū, & cū ipſo S. Ignatio ſubeuntibus portū, Epiſt. 6. nec non S. Chryſoſtomus, & alij ſignati in Onomaſtico Pontificio V. *portus*;) inter varias viciſſitudines, victoria denique ſtetit pro S. Ignatio: quem & Baſilius Auguſtus ſuæ ſedi reſtituit, & ſynodus Octaua œcumenica; præuia per Romanum Pontificem Photij deiectione ac excommunicatione, legitimum Patriarcham agnouit; cui etiam diuinum ſuffragium acceſſit poſt mortem, à miraculis ad eius interpellationem diuinitus editis, vt eius Acta fidem faciunt; in quibus etiam de Religioſorum pro eo ſtudiis ad Schiſmatis extinctionem multa occurrunt. Verùm cum per Photij aſtum ſimul ac pertinaciam, idem ſchiſma occalluiſſet in hæreſim, lite per Photium mota in Romanam Eccleſiam, quam blaſphemiæ incuſabant, quòd ſpiritum ſanctum à Patre filioque procedere profiteretur, errore in multa ſecula diducto, Religioſi egregiam operam in eo negotio nauauerunt. Eccleſiæ; nominatim S. Anſelmus ord. S. Benedicti, aſſumptus in ſedem Cantuarienſem; Humbertus quoque Monachus Tullenſis, poſtea Epiſcopus ſyluæ Candidæ, Nicetam Pectoratum, virulentum Gracarilici erroris aſſertorem, adeò fregit, vt adactus ſit Nicetas, librum quo Romanam Eccleſiam calumniari molitus erat, ipſemet flammis dedere, coram Conſtantino Imperatore, & Michaële Patriarcha, ad eò feliciter ceſſit labor Humberto.

Schiſma Æthiopicum inueteratum, multiplici hæretico concremare tanquam pano peſtifero ſordens, exitiale fuit miſeræ genti: Eorum, temporibus Felicis Papæ tertij, ſacram fidem ſub annum 460. Genebrardus conſignat. Poſteà Rex Preteiannes, ab Alexandro 3. doctrinam fidei puram exquirens, ac per Philippum Alexandri Medicum reportans, ſynceritati fidei apud ſuos non malè proſpexerat, poſtulata Romæ ſtata ſede ſuorum aliquorum Abaſſinorum, qui ibi ritè Catholicam edocti religionem, regreſſi in patriam, puræ doctrinæ ac pietatis latices Romæ hauſtos refunderent Æthiopibus. Per longam tamen abiunctionem à fonte ob immenſos terrarum marique tractus, latices illi denique exaruerunt; & ſalua aliqua Chriſtianitatis imagine, immiſto plurimo errorum luto, Æthiopia fidem primùm ab Eunucho Candacis Reginæ acceptam, colluuio craſſorum errorum commutauit. Claudius ſuperiore ſeculo Rex Æthiopum, Danidis Patris imitatione, & ſpe roborandi ſeſe per Luſitanorum ſocietatem illectus; de abiectione ſchiſmatis vel potiùs hæreſeon quas Alexandrinus Patriarcha iam à Dioſcono Euthchiano intulerat in eas oras, cogitationem inierat: Et vrgente Pontificem Luſitaniæ Rege, S. Ignatius Societatis Ieſu fundator, lectiſſimos è ſua familia operarios, eò deſtinauit, Ioannem Nunnium Barretum qui Patriarchæ titulo rem Chriſtianam in Abaſſia componeret, & adiunctos ei Epiſcopos duos Andream Ouiedum, & Melchionem Carnerium, qui in Epiſcopali munere ſuffragarentur Patriarchæ; & è vita excedenti poſſent ſuccedere. Lenitas quidem Claudij, alta conſilia breui diſturbauit; vt apud Orlandinum legerè eſt, in Societatis Ieſu hiſtoria, lib. 14. & apud Godinum in Opere de rebus Abaſſinorum. lib. 2. & 3. Et nihilominus qui eò penetrauit Andreas Ouiedus, immenſis laboribus ſolum aridum proſcindere aggreſſus, cooperante Deo, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, illud ſaltem effecit, vt gens nequam careret excuſatione.

In Schiſmatibus ſimpliciter dictis, (quæ ſcilicet in hæreſim non degenerarant,) Religioſi ſollicitam operam nauarunt Eccleſiæ. Schiſma Anacleti contra Innocentium ſecundum, ſtudio præſertim ſanctorum Bernardi ac Norberti ſublatum eſt, quamuis ſecularis potentia, primùm aduersùs Innocentium falſis criminationibus decoloratum coniurata videretur. Schiſma Alexandri tertij, admodùm graue ac diuturnum fuit. Quàm dura per illud paſſus ſit Alexander, docent eius literæ ad Artaudum Priorem Alueriæ, Ord. Carthuſienſis, quæ leguntur in Manuali Solitariorum, recens vulgato. pag. 445. Hoc Schiſma, ſtudio præſertim Ciſtercienſium & Carthuſianorum eſſe ſublatum, tradit antiquus Scriptor vitæ S. Anſelmi, cap. 15. ex Carthuſiano Bellicenſis Epiſcopi, & Gaufridus Abbas Altæcumbæ, Ordinis Ciſtercienſis, in rebus geſtis S. Petri Tarentaſienſis Epiſcopi.

§. IV.

Defenſio fidei per arma Religioſæ militiæ.

QVam fidem plerique omnes Religioſi, inter Ethnicos, Sarracenos, Iudæos, Hæreticos, Schiſmaticos, verbo & doctrina, vel ſeuerunt, vel Satam inſtaurarunt, aut tutati ſunt armis ſpiritualibus inſtructi, eandem Religioſorum nonnulli probante Petro Bleſenſi, ſerm. 4. ſub finem. obiectu ſuorum corporum, & armata manu aduersùs fidei hoſtes, cum res tulit, generosè propugnarunt. Nam eſſe huiuſmodi opus ad Religionem conſtituendam accommodatum; & Theologi cum S. Thoma agnouerunt, & Eccleſia firmauit, comprobatis variis Ordinibus militaribus, quorum aliqui perfectè religioſi ſunt; alij idem decus aliquatenus participant, vt videre eſt apud Rodericum, Azorium, Sanchez, Suarem, & alios qui de his ordinibus commentarios ediderunt. Egregiam in hoc genere operam, nauarunt iam olim Eccleſiæ milites S. Ioannis: ſiue ab Ioanne Hircano Machabæo, ſiue à S. Ioanne Eleemoſinario trahentes originem. In quam rem fusè diſſerit Volaterranus. l. 21. Antropol. Succeſſere Templarij, ab eorum informatore S. Bernardo meritò quondam collaudati, & integra Paræneſi animati ad impigrè proſequendum, tantoperè commodum fidei Sanctæ laborem. Magnificè quoque exornat. Templarios Petrus Cluniacenſis, Epiſtola 26. libri 6. Scribens ad Ebrardum Magiſtrum Templi. Verum eſt, procedente tempore, quæ humanarum rerum calamitas maxima eſt, defeciſſe eos conſtantiam. Quod item in Theutonicis ac Cruciferis, poſt longam in benè cœptis perſeuerantiam ad Lutheri claſſicum euerſis, & à religione ac fide abalienatis, lugendum eſt. Tamen quod moris diuini ſemper fuit, & in Iuda deficiente eſt comprobatum, notatumque in Tractatione cap. 17. §. 11. de eo, auulſo vno non defecit alter. Quid alter? Multitudo copioſa ex iis qui in variis regnis conſtituti ſunt militaribus ordinibus, numerari facilè poſſet; quæ extinctionem paucorum illorum

illorum ordinum, iudicio Eccleſiæ, vel ſua nequitia factam, penſaret.

Ago duntaxat de iis ordinibus qui aliquid Religioſo ſtatui ſubſtantiale participant, (votum caſtitatis, ſaltem reſtrictæ,) vel ab ortu ſunt Religioſi. Hos inter, hoc tempore eminent Melitenſes, & ſanguinis nobilitate, & Chriſtiana fortitudine præcellentes, quos fidei defendendæ factos eſſe, ſuo damno ſæpè ſæpius expertus eſt Alcoranus. Aliorum varia plantaria variis locis conſita, fructus honoris & honeſtatis pendunt Deo, in fidei tuitione ad quam ſunt conſtituti. Quales pleri que in Hiſpania & Luſitania ſuperſunt. Quinetiam ij quoque militares ordines quos longo agmine recenſet Arnaldus Meremannius in Theatro conuerſionis gentium, & quos in Theatro Equeſtris gloriæ, vndecunque addensauit Faunus, omnes tenera (ſi ſpectetur prima inſtitutio) ad defenſionem Eccleſiæ ac fidei, ſunt directi; vt benè notauit Arnoldus ibidem, & Thomas Boſius in Opere de ſignis Eccleſiæ. parte 2. l. 19. c. 1. Quanquam alia omnia cogitat vulgus imperitum; & huiuſmodi ordines ad ſplendorem dumtaxat, & teſſeram illuſtris proſapiæ, vel Regiæ remunerationis nobilium, qui benè Principi (in bello præſertim,) inſeruierunt, conſtituti videantur. Cuiuſmodi ſunt. Ordo S. Spiritus in Gallia; Aurei velleris apud Auſtriacos, S. Georgij ſiue periſcelidis apud Anglos, Annunciationis apud Allobrogos, S. Stephani Papæ apud Hetruſcos; ac ſi qui ſunt alii. Eccleſia tamen in ordinum illorum confirmatione, propoſitum habuit quod dixi. Itaque hac quoque ratione, Religioſi defenſioni fidei nauant operam.

PVNCTVM III.

Cultura pietatis in domeſticis fidei, ingens à Religioſis vtilitas.

FIdes, quam à Religioſis plantatam, atque contra omnis generis hoſtes propugnatam hactenus vidimus, niſi excolatur; à ſuccreſcentibus ſpinis ac tribulis præpedita non dat deſideratum prouentum. Itaque hinc exiſtit fructus multiplex à Religioſis erga Catholicos, ſenſim enucleandus.

§. I.

Bona per ſanctos Antiſtites à cœtibus Religioſis aſſumptos.

ÆGrè adducor, vt proferam ſubſidium à ſtatu Religioſo Eccl. collatum, ſub miniſtratis ei lectiſſimis Antiſtitibus. Tametſi enim ceſſit in magnū Eccleſiæ bonū ea ſubminiſtratio: Tamen pauci aut nulli fuerunt Relig. eo nomine digni, qui munus illud Angelicis humeris formidandum; non dico captarint, ſed lubentes admiſerint. Multi potiùs præ humilitatis ſtudio, & latebrarum ſuarum amore, conſtantiſſime refugerunt infulas, & quietis ac trāquillitatis amantes, abhorruerunt ab eo ferè in ſeculū regreſſu. Quid mirū? Fuerunt qui iā initā cathedrā honoris ſtudio religioſæ vitæ deſeruerunt. Conſtat id feciſſe S. Iuſtum Lugdunenſem, vt dixi in Indiculo ſanctorum Lugdunenſium. V. 3. Iuſtus. Idem fecit S. Claudius Archiepiſcopus Biſuntinus, qui poſt annos complures optime geſti Epiſcopalis muneris, valedicens cathedræ, receſſit in S. Eugendi cœnobium, ſitum in Iure monte, ibique ex probatiſſimo cœnobita, euaſit denique in Abbatem. Vt mirum videri non debeat, auerſari Religioſos munus Epiſcopale, cum Epiſcopi illud refugiant, præ amore Religioſi ſtatus. Sed nimirum ſua bona noſcentes Religioſi, meritiſſimò auerſantur eum ferè regreſſum ad ſeculum. Nam tametſi qui ad infulas è Religioſo ſtatu euecti ſunt, & habitu, & victus duritie, pergunt Religioſos ſe prodere; & obſeruantiis regularibus cum ſtatu Antiſtitis compoſſibilibus, ac benè cohærentibus aſtringuntur, & omnino multi Religioſi ad Eccleſiarum clauum pertracti, exhibuerunt ſe quod erant & eſſe perſtabant, hoc eſt perpetuos Religionis alumnos: Tamen quod in ſe ipſo deflebat S. Gregorius, nexæ Antiſtitis muneri ſollicitudines, & ingens curarum turbines, fluctuum mentis perturbant, & ſancto otio infeſtæ eos in procelloſos ponti æſtus, vel inuitos reducunt. Vnde quibus fas fuit, Religionis portum iteratò ſubire, illicò ad optatam quietem reuenerunt, vt S. Petrus de Murone, qui per virtutis prodigium quo verticem dignitatum omnium ſciens ac volens abiecit, Ioanni Andreæ, & Baldo Leguleiis ad rubr. de natu. Feudi num. 1. ludibrium debuit, à Dante autem Aligerio, ob negatam malè expetitam diſpenſationem, petulanter eſt proſciſſus. Eius factum ad miraculum eſſe referendum contendit Aluarus Pelagius l. 2. art. 11. Tantæ tamen autoritatis faſtigium, vir ſanctiſſimus præ amore Religioſæ quietis detrimentum fecit, & arbitratus eſt vt ſtercora Petrus Damiani, ampliſſimam Cardinalis dignitatem, & Epiſcopatum Oſtienſem, ſuæ eremi latebras repetiturus, dimiſit. Idem, quotquot per charitatem & obedientiam licuit, præſtiterunt. Quibus verò fas non fuit nexus illos abrumpere, & dignitati initæ renunciare, in ſua peccata retulerunt abſtractionem à Religioſa quiete, quod in Aſceta probatiſſimo, Archebio, apud Caſſianum l. 5. cap. 37. & 38. laudatiſſimo, idem Caſſianus alio loco coll. 11. c. 2. annotauit.

Quantumcunque autem, ob diſpendium ſuum gemat Religioſus, qui ad alicuius Eccleſiæ clauum, vel ad purpuram admouetur, negari tamen non poteſt, quin id ſit inſigne bonum fidelium, quod habeant Antiſtites, à quibus non ſecus ac à ſolibus myſticis, luce & calore perfundantur. Et tales fuerūt omnino multi, qui virtute inſtructi in cœnobiis, forma facti gregum ex animo, mirificè profuerunt concreditis ſuæ curæ fidelibus. Quantum enim proſit ouibus, probati Paſtoris rectio, præclarè demonſtrant qui de Paſtorum munere ſcriptiones ediderunt; nominatim S. Gregorius Nazianzenus, S. Auguſtinus, & S. Gregorius Magnus. Specimen inſignium Paſtorum quos Religioſus ſtatus dedit fidelibus, erit pro ſumma tota Summos Pontifices, vniuerſæ Dei Eccleſiæ ſubminiſtrauit Religioſus ſtatus, & multos & optimos, de quibus videſis Thomam Boſium. l. 9. de ſig. c. 41. In diuiſa à toto orbe Britannia, particulares Epiſcopi à religioſo ſtatu aſſumpti, fuere omnino multi. Sed inter eos micantiſſimi fuere Auguſtinus Derruernenſis, Mellitus, Iuſtus, Paulinus, Ruffininus, Dunſtanus, Lantfrancus, Anſelmus, Thomas Bethetus, Hugo Linconienſis. In Gallia Religioſi fuerunt, & Eccleſiarum paſtores S. Martinus, S. Audomarus, S. Remigius; Hincmarus, Iuo, S. Ludouicus Toloſas, Gulielmus Bituricenſis. In Germania S. Bonifacius,

SECT. II. PVNC. III. §. I. *Cultura pietatis in domeſticis fidei in caſſa Religioſis vtilitas.*

SECT. II. PVNCT. I. §. II.

Cultura pietatis in domeſticis fidei, ingens à Religioſis vtilitas.

S. Bonifacius, S. VVillibrordus, S. Adalbertus Auguſtinus, S. Adalbertus Pragenſis, alius Adalbertus Bremenſis, S. Alefridus Hildeſemienſis. B. Albertus magnus Ratiſponenſis, S. Amatus Sedunenſis, S. Norbertus Magdeburgenſis. In Polonia & oris confinibus S. Albertus Rigenſis. In Italia S. Andreas Feſulanus, S. Vbaldus Eugubinus, S. Antoninus, B. Laurentius Iuſtinianus; S. Bonauentura. In Hiſpania S. Ildefonſus, S. Thomas à Villanoua. In Mexico Martinus Sarmientus. In Indiis Orienti. F. Albuquercius, Alexius Meneſius Goani, Gaſpar Ros Angamalenſis. In Africa S. Auguſtinus, S. Fulgentius. Græcia vniuerſa iam olim nullos habuit Epiſcopos, niſi è religioſo ſtatu aſſumptos. Innumeri ergo probati, & inſignes Epiſcopi, è Religioſis cætibus educti, præfuerunt Eccleſiis, quorum Sancta ſollicitudo & vigilantia mirum quantum profecit fidelibus. Ad culturam ſanè pietatis in populis, tales Præſules opportuni fuere ſupra quam dici poteſt. Sed quia in re paſſim obuia & in Actis Sanctorum decantatiſſima, non niſi ſpecimen receſi hæc pauca ſufficiant, de primo iſto beneficentiæ Religioſi ſtatus erga fideles argumento.

§. II.

Sedula ac ſeria verbi Dei tractatio, ingens à Religioſis Bonum.

HÆc vtilitas, continens eſt priori. Nam vt multi Epiſcopi, hac in parte ſe gerant, rectè Tridentina Synodus declarauit, tractandi verbum Dei munus, eſſe Epiſcoporum maximè proprium. Id quod intelligentes maiores noſtri, quotquot ad prædicandum verbum Dei dirigebantur, inaugurabant Epiſcopos, vt multis exemplis monſtratum eſt agendo de anomaliis tractationis verbi Dei: Itaque hæc à religioſis vtilitas in Dei Eccleſiam, iure ſubnectetur ei quæ proximè eſt propoſita, & eſt haud dubiè ac hac functione ingens fidelibus commodum, quia inde maximè excoluntur ad pietatem; & ne fidem torpidam ac emortuam præferant, beneficio tractationis Verbi Dei conſequuntur Deo per hanc myſtagogiam, & manuductionem, aures cordis internas aperiente; & per hanc gratiam extrinſecam, viam muniente ad internam. In quam rem late Medina, toto l. 3. paræn. & bene Molinæ in concor. quæſt. 14. d. 8. & 9. At hæc in parte nauant Eccleſiæ inſignem operam Religioſi.

Hoc vt perſpiciatur, ſecernenda eſt duplex tractatio verbi Dei. Vna, è ſacro ſuggeſtu obitur cum pompa & apparatu, nec abſque vſu eloquentiæ ſacræ; non illius elumbis; cuius vſus eſt apud cupediarios pietatis; ſed alterius toroſæ ac maſculæ, qualem in pleriſque Patribus ſuſpicimus; nominatim in Chryſoſtomo, Baſilio, Nazianzeno, Chryſologo, Auguſtino, & aliis, de quibus Carolus Regius lib. 4. Orat. Chriſt. cap. 2. & 8. ſed maximè ac ſupra omnem comparationem in Paulo de quo illud à D. Chryſoſtomo, lib. 4. de Sacerd. ſub f. peritiſſimo eloquentiæ arbitro ſcriptum eſt, expendendo locum & 2. Cor. 11. qua ſuos labores recenſet. [Si vellemus Iſocratis terſum lauorem, Demoſthenis amplam ſubtilitatem, Thucididis verendam maieſtatem, Platonis excellentem dignitatem, Pauli teſtimonium hoc, adductum eſſe oporteret.] Æquè S. Auguſtinus lib. 4. doctr. Chriſt. cap. 7. in illo Apoſtoli loco, ſpecimen inſigne eloquentiæ deprehendit. Vt non videatur dubium, quin ſi Apoſtolus tantum valuit ſcripto deformiter exarato, (cuiuſmodi fuiſſe eius ſcripturam, ipſe profitetur, ad Gal. 6. vt ibi Chryſoſtomus eruit ex illis verbis *Videte qualibus literis ſcripſi vobis mea manu*, & horrentibus Solœcorum multiplicitate, & ruditate Grammatices, teſte S. Hieronymo q. 10. ad Algaſ. & Iſidoro Peluſiota, l. 4. epiſt. 28. & pluribus id illuſtrante Turriano l. 2. in Magdeb. cap. 12. multò magis valuerit dictione præteruolante ac viuida, in qua non ad Grammaticas ſtribiligines, neque ad apices malè conformatos attenditur, ſupplente dictionis viuæ fortitudine, quod per minutalia illa defectuum deſiderari potuiſſe videretur. Hæc igitur eſt tractatio verbi Dei, cui paſſim *concionis* vel *prædicationis verbi Dei* nomen eſt inditum apud veteres paſſim, *Tractatus* denominabatur, vel à conuentu auditorum *Homilia*.

Altera ratio proponendi verbi Dei, ea eſt quam nunc vulgo denominant. *Catecheſim* vel *doctrinam Chriſtianam*; continetúrque expoſitione principiorum fidei, & ſanctæ vitæ regulis, & citra pompam & abſque magnifico verborum aut ſchematum apparatu, in vaſis fictilibus, vt eſt apud Iſidorum Peluſiotam l. 2. epiſt. 4. & quaſi de plano, cum pia ſimplicitate agendo, ſiue ad humilem ætatem, cuius eſt regnum cœlorum, ſiue ad rudem plebeculam, in qua ſimplici & fuci experte inſtitutione, cardo ferè vertitur ſalutis animarum, vt experientia docet, contra præpoſteram agendi rationem multorum Chriſtianorum Oratorum, qui dum eſcam præbent edentibus, quos lacte cibato oportuerat, perdunt oleum & operam, magno auditorum damno, & nullo ſui apud Deum merito, vtvt ſibi de inani plauſu blandiantur. Sed hoc alibi. Quales ſint Religioſi in vtraque illa verbi Dei tractatione, videamus, initio facto ab hac poſteriore apud Deum ſæpè gratioſiore.

Sanctum opus catechizandi rudes, à D. Aug. l. de catech. rud. tantoperè celebratum, impigrè obeunt Religioſi. Et multi voto concepto eam curam in ſe receperunt. Eiuſdem ſtudij mentionem Ignatius Loyola, in formulam votorum quæ emittunt quotquot ad gradus admittuntur, ingeſſit, citra voti tamen nexum. Tantum vt profeſſi, & ſpirituales coadiutores formati, obliuione tam Sancti Miniſterij non occuparentur, vt Suares tract. 10. lib. 6. c. 3. à num. 7. annotauit, qui in commendatione eiuſdem operæ præclarè verſatur. Idem S. Fundator, vt faceret ventis pondus, & qui ad clauum regiminis primò admouentur, ea veluti ſaburra humilitatis prohiberentur meteoriſmo per Chriſtum à ſuis allegato. (Id enim eſt quod apud Lucam c. 12. dicit *Nolite in ſublime tolli*, vt benè Turrianus ad Diadochum c. 94. expendit,) præſcripſit, vt per dies quadraginta in hanc rudium inſtitutionem incumberent. Homo Dei Cæſar de Bus, Congregationem votis ſolutam, quæ poſtea in ordinem Religioſum coaluit citra conſtantiam in ea denominatione; addixit huic muneri. Vnde & nomen accepit Congregationis doctrinæ Chriſtianæ, vt dixi in cœcitate oculta num. 68. Antonius Peſſeuinus iuxta lucubrationé hoc Sanctum miniſterium celebrauit, ſcribens ad Ioannem Tarterum Trecenſem Decanum, qui gradu ſuo indignum non cenſuerat huic ſe pio miniſterio addicere. Pulchrè item in eam rem diſſerit Roſſignolius lib. 1. de virtut. c. 14. Et recens quoque Michael de S. Romano in opere de ſacris expeditionibus S. I. idem argumentum non inconcinnè verſauit. l. 3. c. 19.

Venio ad doctrinam Chriſtianam ex antiquo vſu denominatam; hoc eſt ad tractationem è ſuggeſto,

geſto , ſiue prædicationem cum apparatu. Id enim olim omnino nomen *Doctrina Chriſtiana* (præmiſi), patet ex D. Auguſtino qui inſigne Opus de Eccleſiaſte, ſiue de ratione concionandi, inſcripſit de *Doctrina Chriſtiana* : Quantum hac in parte Religioſi profecerint Eccleſiæ , nihil attinet dicere , cum res per ſe loquatur : & hodie vix vlli frequentiùs atque aptiùs tractent verbum Dei ad populum , quam Religioſi. Et ſunt ſanè ad id accommodatiſſimi. Nam vt Epictetus apud Arrianum lib. diſſert. philoſophatur circa ſuum Cynicum , quem habet pro orbis Magiſtro , & vniuerſali morum Correctore ac Cenſore, qui ſuſcipit orbis curationem à tot morbis , debet ipſe ante omnia ſe nitentem ac valentem præſtare ; nec debet implicari huius vitæ curis , quæ auertunt ab alacri manifeſtatione veritatis. Vnde vult talem ſanctimoniæ Ethicæ Doctorem, eſſe cœlibem ; ne vxoris & liberorum cura præpediatur, in muneris concrediti exercitiis. Vult etiam non curare opes ; & fluxos honores , nec de cuticula eſſe ſollicitum. At hæc omnia, deterſa fuligine Ethniciſmi,qua Epictetus ſordebat ; & vaniloquio quod illi claudo fuit perpetuum, rite repoſito , Religioſis ad veritatem congruunt. Atque adeò , prædicatio verbi Dei; ſecundum Paſtores ordinarios quorum maximè propria eſt , congruit admodum Religioſis. Præſertim quia metu damnorum temporalium nequaquam ſinent ſe infirmari ; ſed liberè & conſtanter ſtabunt pro veritate Dei , non detenta in iniuſtitia. Valent iſta , præſertim de Religioſis , qui vitam (vt vocant) *Miſtam* profitentur. Nam Monachis preſsè dictis , qui ſeceſſionem plenam à ſeculo profitentes , ſibi potiùs vacare delegerunt , non adeò congruit docere de ſacro ſuggeſto populum ; potiuſque plangentium , quam Tractatorum habent officium , vt habetur c. *Monachus* 16.q.1. ex Hieronymo ad Riparium contra Vigilantium ; Epiſt. 53. & rurſus ad Paulinum de Monachi Inſtitutione epiſto. 13. Idem habet S.Bernardus non vno loco epiſt. 66. & 89. & 323. Præiuerat Concilium Pariſienſe , cap. 46. & Concilium Oecumenicum Chalcedonenſe, c. 4. cuius decretum Alexander 2. 16.q. 1. firmat & Monachus S.Benedicti ſeruandum decernit. Quanquam Rupertus , à Monachis quoque , de maiorum conſenſu non eſſe alienum Sanctum hoc miniſterium,ſi Eccleſiæ neceſſitas id ferat , & viri ſint doctrina & ſanctitate conſpicui ; nec vagandi animo, ſed iuuandi proximo & ſobriè promouendi Dei gloriam , ad prædicationem accingantur:Et cum hoc temperamento , optare ſe ac velle , vt Monachi aggregentur Clericos, eorum officiis occupandi , dicit ſcribens ad Himerium Syricius Papa cap. 13. Et idem habet Gelatius ſcribens ad Epiſcopos Lucaniæ. epiſt. 9. Dimiſſis verò in præſentia Monachis , quorum cauſam , quantum ad præſens negotium attinet , diſcuſſi ſufficienter tractans paternitatem Spiritualem , punc. 10. quod ſpectat ad Religioſos vitæ miſtæ, manifeſtum eſt , conſentaneum eſſe eorum inſtitutis, liberos in Chriſto Ieſu gignere per Euangelium;quod S. Bonauentura Opuſc. quare FF. Minores prædicent & confeſſiones audiant iuſto Opuſculo confirmauit ; & vſus Eccleſiæ aſtipulatur à multis ſeculis , per quorum decurſum , Religioſi , non quidem ex proprio munere (quod vnum circa Monachos reiiciunt Synodus Chalcedonenſis & Patres in contrarium allegati,) ſed tamen ex delegatione Paſtorum , docere publicè in Eccleſiis ſunt permiſſi.

§. III.

SECT. II. PVNCT. II. §. III.

Varij pro fide Religioſorum labores, totidemque ab eis in Eccleſiam vtilitates.

Fructus à Religioſis per Sacramenta.

DVplex à Religioſis fructus, interuentu Sacramentorum collatus , ſpectari poteſt. Prior eſt , quod aliqua Sacramenta adminiſtrent. Poſterior , quod ad frequentem Sacramentorum vſum impellant , & eam frequentiam veluti rubigine obductam inſtaurent, & deterſo ſitu nitentem exhibeant.

Ex priore capite , Religioſi commodant Eccleſiæ, adminiſtrando Bapti ſmum pleriſque locis , vbi fides de nouo ſeritur. Vnum S. Franci cum Xauerium ſua dextera quæ Romæ in domo Profeſſa S. I. aſſeruatur , baptiſmo tinxiſſe multa centena hominum millia , teſtatur Vrbanus 8. in decretali de eius Canoniſmo. Pleriſque Religioſorum qui Parochos agunt in vtriſque Indiis , Baptiſmi Sacramentum impendunt , vt in Europa præſtari à Parochis aſſolet. Confirmationis Sacramentum , in oris remotiſſimis, quo Epiſcopi non appellunt,Religioſi Ord. Prædicatorum , & Societatis Ieſu,conferunt , ex conceſſione Pij V. & Gregorij 13. Anterius quoque Adrianus 6. idem conceſſerat FF. Minoribus pro partibus Indiarum ; quamuis ante initum Pontificatum , cenſuiſſet in 4. q. de confir. art. 3. eam conceſſionem , poteſtatem Pontificum excedere , quod Molanus in Theologia practica tract. 4. c. 6. num. 16. cenſuit probabile. Attento tamen facto S. Gregorij magni, l. 3. epiſto. 26.qui citra omnem ambiguitatem , conceſſit ſimplicibus ſacerdotibus , vt abſente Epiſcopo confirmationis Sacramentum conferrent , aſtipulantibus communiter Theologis Moralibus , V. *Confirmatio* & iuris Canonici Doctoribus apud Couarruuiam 1. Var. cap. 10. nec non Theologis cum Sancti Thoma, 3. p. q. 72. art. 11. temeritate non vacaret , de inanitate conceſſionis huius contendere : cum de mente S. Gregorii non poſſit eſſe dubitatio ; eamque agnoſcat Concilium Florentinum. Cauilli autem nouellorum prolati à VVideforo , ad articulum 6. VViclefi. Sunt apertè inanes. Itaque Religioſi prædicti , tanquam Miniſtri extraordinarij , & commiſſione debita , ſine qua irritum eſſet Sacramentum , (vt rectè Lorinus Actor. 8. v. 17. ſtatuit contra Caietanum & Ferrarienſem quibus inhæſit Salmeron , Tract. 16. in Acta) commiſſione vt ſupponimus , legitima fulti , validè conferunt, *σφραγῖδα, ſignaculum* baptiſmi , & vt loquitur S. Dionyſius , c. 4. Eccleſ. hier. *Sacraſanctam perfectionem diuinæ generationis.* Extremam Vnctionem & Matrimonium adminiſtrant idem Religioſi , vbi Parochos agunt , vt in pleriſque locis Indiarum Occiduarum , de quibus Ioſephus a Coſta. de procur. Indor. ſalute.Hæc Sacramenta , veluti præter morem , à Religioſis adminiſtrantur.

Quæ verò recepti moris eſt à Religioſis adminiſtrari , ſunt Pœnitentia & Euchariſtia. Pœnitentiæ quidem Sacramentum , toto anno , & in omni euentu, de aſſenſu ſuperioris domeſtici, & præuia Epiſcopi approbatione, adminiſtrari à Religioſis poteſt; Iuriſdictionem gratioſè conferente ſummo Pontifice ; Epiſcopo autem, ex Iuſtitia , poſt examen præuium & de moribus bonis ſufficientem notitiam , conferente approbationem. In quo nullum ius Parochorum vel Epiſcoporum violari , quantumcunque iam per annos quadringentos oblatrent

SECT. II. PVNCT. II. §. III.

Cultura pietatis in domeſticas fidei, ingens à Religioſis vtilitas.

oblatrent hoſtes Religioſorum, infra monſtrabitur. Euchariſtiæ verò Sacramentum, toties poſſunt adminiſtrare Religioſi, quoties ex deuotione, abſque obligatione præcepti ſuſcipitur: At ſi præceptum communicandi vrgeat, puta in Paſchate formaliter ſumpto, per quod tempus ſatiſfaciendum eſt præcepto Eccleſiæ de communicando in Paſchate, ſaltem octiduo ante, vel poſt feſtum Reſurrectionis Domini; item ſi ingruat mors, & communio ſumenda ſit per modum viatici: Tunc quia communio non obitur ex voluntaria pietate, ſed ex obligatione præcepti, non licet Religioſis adminiſtrare Euchariſtiam; ſed Parochi eſt id præſtare; demptis paucis euentibus, in quibus ius, ad Religioſos quoque id extendit. Alio quouis tempore, fas eſt fidelibus, cibari à Religioſis pane vitæ & intellectus. Licita & valida vtriuſque prædicti Sacramenti adminiſtratio per Religioſos, cedit in magnum fidelium commodum. Quoad Pœnitentiæ quidem Sacramentum; quia ob eam indulgentiam fideles ſunt liberiores in conſcientiæ exoneratione: & non rarò ob peritiam & nitorem vitæ maiorem, melius ac fructuoſius diriguntur a Confeſſario Religioſo, & vt experientia docet, pœnitentes ſecurius ac remotiùs ab omni ſuſpicione, latebras pectorum reſerant. Vnde non eſt mirum, Satanam iam ab annis quadringentis, hanc expeditiorem ſalutis viam, procludere fidelibus conatum eſſe, per eos qui nullo ergo maiores reſpectu, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, aut fidelium, viam Schiſmati imprudenter munierunt; nec abſque periculo hæreſeos, tentant adeò longum vſum ab Eccleſia probatum conuellere. Nam ſi diffitentur, Eccleſiam potuiſſe inducere vſum confitendi Religioſis idoneis & approbatis, aut ſi volunt non potuiſſe validè ac licitè eum vſum retinere; vix ac ne vix quidem eximuntur a incurſu in hæreſim. Quandoquidem ea ratione, magna pars fidelium, implanata à Rectoribus Eccleſiæ, & à Conciliis ſæpè per ea ſæcula celebratis, caruiſſet neceſſario ſalutis medio; abſolutione inquam Sacramentali; ſine qua omnino multi perirent. Talem autem abſurditatem, quantum abſit ab hæreſi, mitto quærere. Quoad Euchariſtiæ verò adminiſtrationem per Religioſos, certum eſt, eius vtilitatem commendari, per faciliorem ea ratione ſuſceptionem tanti Sacramenti; quippè magis obuiam cum per plures fieri poteſt. Cultus item & nitor, plerunque in Religioſorum templis maior, non parùm conducit ad maiorem fructum participantium diuino epulo.

Multo illuſtrior eſt à Religioſis vtilitas circa prædicta Sacramenta, ratione inductæ in illis ſuſcipiendis frequentiæ. Qua in parte, Vrbanus VIII. in literis Decretalibus de S. Ignatij Loyolæ Canoniſmo; rurſuſque Eccleſia in officio de eo, lectione V. peculiari Encomio honeſtat diuinum illum virum, quod frigeſcente mundo, calorem priſtinum ſæpe Sacramenta prædicta adeundi, rurſum induxerit. Nam ante huius hominis Dei curas frequentia horum Sacramentorum obſoleuerat; vt ad inſtaurationem huius frequentiæ, opus habuerit Chriſtophorus Madridius, emiſſo de honeſtate huius frequentiæ libello, diſpellere calumnias, cauſantium communicare extra Paſcha, eſſe depreciare Sacramentum diuiniſſimum, & per eam veluti familiaritatem, ingenerare contemptum myſterij, non niſi feſtinanter id eſt interprete S. Hieronymo, cum Sancto horrore ac tremore adeundi. Memini ipſe quoque, ante annos quadraginta, audire homines annoſos, antiquæ ſimul probitatis ac ruditatis in rebus ſpiritus, de ea (vt vocabant), nouitate expoſtulare, & conteſtari, ab initio ætatis ſuæ, non fuiſſe ſic: cum ſcilicet nondum inclaruerat S. Ignatij hac in parte ſtudium. Verum eſt, à S. Ignatio, ſitum (vt ſic dicam), paſtorum ac directorum ſacrorum, quaſi veterno contractum, eſſe diſcuſſum; & ab eodem, rubiginem hac in parte inductam, fuiſſe deterſam. Et idcircò admitto, frequentiam horum Sacramentorum, cum vir ſanctus innotuit, nouum videri potuiſſe; ſed ea nouitas meritiſſimò amplectenda fuit, non auerſanda. Nam neque omnia antiqua, eo ipſo tantum quod ſunt antiqua, merentur commendationem, (etiamſi eſt ea laus propria vini, iuxta Hieronymum epiſto. 104.): neque omnia noua, tantum quia noua, abiici par eſt, vt plenè alio loco de conſixi. libr. part. 1. orat. 20. eſt demonſtratum, expendendo nouitatem doctrinæ. In diebus noſtris, quidam Arnaudus, nomen in Gallia iam olim religioni infauſtum, ſpiſſo opere, hæreſi damnata contaminato, frequentiam communicandi, per ſpeciem pietatis tentauit abolere. Et quia ſimulata pietas (iuxta Bernardum in Apolog. ad Guliel. Abbatem) duplex iniquitas, eò virulentius in hunc Sanctum vſum arietauit, quo artificioſius: non abſque exitio nonnullarum, quæ in portu Regio naufragarunt circa pietatem, per tempus & dimidium temporis, contra præceptum Eccleſiæ, abſtinentes eſu panis cœleſtis; quorum cuique fas fuit dicere pſal. 101. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Percuſſa ſunt vt fœnum; & aruit cor meum, quia oblita ſunt comedere panem meum.* Quid quod ex eodem propudioſo doctrinæ fermento, fuit, qui etiam in mortis articulo, viatico immortalitatis per apertam ſalutis ſuæ prodigalitatem ſe fraudaret, calcata lege communicandi in mortis articulo; quam ſub culpa mortali obligare, eſt extra dubium: Eſt enim diuinum præceptum de vſu Euchariſtiæ, in eo articulo, de quo neminem nunc dubitare affirmat Valentia 3. p. d. 6. q. 8. p. 4. qui rectè addit, ex multo magis pia ſententia, & ſenſui Eccleſiæ ac Paſtorum idoneorum conformiore, præter determinatum tempus quo illud præceptum viget, aliquoties in vita communicandum eſſe, ob Eccleſiæ determinationem, ſed etiam ſiſtendo in iure diuino; Quod debet eſſe extra dubium quoad articulum mortis, vel quod in hoc negotio perinde eſt, quod proximum mortis periculum. Satisfit quidē obligationi iuris diuini, quoad aliud tempus inhærendo determinationi Eccleſiæ; Tamen quoad articulum vel proximum periculum mortis, ex obligatione præcepti diuini, & determinationis Eccleſiæ, neceſſe eſt ſub graui culpa communicare; ſi per morbum liceat, & non ſit admiſſum graue delictum; cui in pœnam meritò irrogata ſit, Euchariſtiæ, etiam in morte, priuatio, vt habetur ex Sancto Innocentio I. Epiſto 3. & rectè confirmant Vaſquez 3. diſp. & Ioſephus à Coſta l. 6. de proc. Indor. Sal. c. 8. toto. Hoc enim eſt viaticum de ouibus, & frumento, & torculari, quod dandum erat ſeruo cum dimittebatur, vt optime tradit S. Cyrillus, l. 7. de ador. tractans locum ex Deuter. 15. Eſſeque hoc laudis Sacrificium quo oſtenditur iter ad ſalutare Dei, bene proſequitur Turrianus 2. de Euch. c. 10. Et affine eſt, quod vt ſignificaretur id eſſe naulum tranſuectionis ad gloriam ſanctificato vſu Ethnico, immittendi ori cadaueris, nummum; ori Chriſtianorum defunctorum immittebatur Euchariſtia, vt philoſophatur Baſilius Legionenſis. q. 2. Schol. cap. 5. Excurri his paucis in hoc præceptum; vt liqueret de malignitate

tate doctrinæ qua nuperus ille mango gerrarum, & malarum circa doctrinarum mercium propola, tam ſanctum præceptum flocci facere perſuaſit improuidis; eo periculoſior quod ſub calice aureo Babylonis hom. 2. in Ierem. (id eſt ſub nitore dictionis vernaculæ, comptæ ac amœnæ, vt interpretatur Origenes) propinauit venenum præſentiſſimum; eoque deteſtabilior, quo ligonem aureum immittens fœtido ac ſpurco ſolo, dedecorat malè adhibitum Dei donum, vt ſymmachum ea ipſa ex cauſa nitentis eloquij noxium, coërcet Prudentius. l. 1. contra Symon. ſub finem. Simili tectorio, obductam in libris Eraſmi virulentiam, doctus ſuo damno S. Ignatius Loyola, auerſari ſuis autor fuit; vt ſcribunt Ribadeneyra, lib. 1. vitæ cap. 13. Maffejus, in vita, & Orlandinus, agentes de ſancti viri rebus. Non plura hoc loco, de remoris vſui diuinæ Euchariſtiæ iniectis, ab importuniſſimo ſcriptore, Religioſorum præſertim calamis repreſſo. Vnde illæ in Religioſos lachrymæ. Quæ verò idem doli artifex clanculario niſu contra vſum frequentem ſacramenti Pœnitentiæ machinatus eſt, quod ab innumeris Recentioribus & nominatim à V. Doctiſſimo Dionyſio Petauio, ſufficienter ſint diſiecta, non eſt quod cum lectoris faſtidio, hic regerantur.

Zelum incenſiſſimum B. Ignatij, pro igne in hæc ſaluris noſtræ adeò potentia media propè ſopito, & ſub cineribus incuriæ paſſim abdito(ferè dixi ſemimortuo,) flabellis fortium parænesſeon redaccendendo: Grauiter æmulati ſunt eius ſocij, & pergunt (vbiuis poſſunt) æmulari nepotes ac poſteri eorum. De poſteris huius æui, res eſt nota per αὐτοψίαν, præſertim ſi contentio fiat locorum in quibus iidem diuerſantur, aut quæ frequenter excolunt, cum oris quas non frequentant; vbi lappæ ac tribuli, & vrticæ opplere agrum Domini videntur. De primis S. Ignatij ſociis, luculentum teſtimonium perhibet qui omnia cominùs ſpectabat Didacus lib. 1. Orthod. explic. pag. 26. Payua, nobilis Luſitanus cuius verba ne quid minùs candidè relatum videatur iuuat adſcribere. [Firmato iam(inquit)atque communito à Paulo 3. Pont. Maximo, ſanctiſſimo vitæ Societatis Ieſu inſtituto, per omnes ſe viri illi officioſiſſimi (primi nouem Ignatio adiuncti) Italiæ vrbes ſpargebant, omneſque neruos in Sacramentorum virtute atque efficacitate inculcanda contendebant; in quibus iuſtitiæ, Sanctitatis, ſalutiſque noſtræ præſidia Chriſtum collocaſſe intelligebant. Quantum verò ea in re profecerint, locupletiſſima teſtis eſt Bononienſis ciuitas florentiſſima, quæ eorum perſuaſionibus inducta, tanto cum ardore & pietate, ſanctiſſima Euchariſtiæ ac Pœnitentiæ Sacramenta, per id temporis frequentabat, vt plurimi noctu, ædium in quibus illi habitabant, parietes conſcenderent, quò illis primo diluculo confitendi peccata locus pateret, neque aduenientium multitudine retardari atque impediri poſſent.] Benè hæc Payua, niſi quod non expreſſit eum cui Bononiæ in diſperſione illa ſociorum, obtigerat, fuiſſe S. Franciſcum Xauerium, quem nemo in ea ciuitate ignorat, Bononiæ religioſis officiis inſiſtentem habitaſſe ad ædiculam S. Lucæ quæ veluti inita per illum Indiarum Apoſtolum poſſeſſione; Societatis iuribus ceſſit, & in memoriam hoſpitis, in cauſa Dei, indefeſſi ſemper operarij, grata religione frequentatur à ciuibus: De aucta, vel etiam inſtaurata per Religioſos Sacramentorum frequentia ſatis.

Quantum verò emolumentum inde fidelibus à Religioſis obuenerit; ſiue quantam vtilitatem Religioſi conciliarint Eccleſiæ, inducta & perſuaſa fidelibus Sacramentorum frequentatione, intelligi poteſt damno excommunicationis per priuationem Sacramentorum de quorum frequentia diximus. Sanè qui nullo modo hæc Sacramenta frequentant, breui bruteſcunt; & tot ſordibus peccatorum inquinantur, vt in eis, etiam imago Dei quæ intellectu & libertate expedita continetur, propè obliterata videatur. Nuremberga, ciuitas Germaniæ ampliſſima, & populoſiſſima, ex ſupreſſis ad Lutheri buccinam, his Sacramentis, adeò degenerauit, vt iuuentute præſertim in omnem turpitudinem effuſa, omnibus honeſtatis repagulis effractis in ſcelerum omnium hypobrychiis, miſerrimè abſorpta; mirata ſit ciuitas ſe non eſſe quod fuerat, & ingemiſcens ad eam virtutis cladem, popoſcerit per Carolum V. reſtitui deſertum à Luthero in ea vrbe graſſatione, vſum ſacramentorum. Quam legationem Dominicus Soto, qui aderat, cum riſu exceptam teſtatur; eo quod in Cæſaris poteſtate non eſſet, adigere ad circumciſionem myſticam qua pudenda cordis reteguntur, (quo typo ſcitè expreſſum Confeſſionis & retectorum cordis opertorum, Sacramentum obſeruauit Lactantius) lib. 4. cap. 17. niſi vltrò conſentiat ſuas illas latebras retegere qui peccatum admiſit, vt fert ius diuinum, omnes ſimpliciter dictos peccatores inexpedibiliter aſtringens. Sicut ergo per defectum omnimodum Sacramenti Pœnitentiæ, præcurrentis vſui Euchariſtiæ legitimo planè exſcinditur pietas, & acris hyems religioſis officiis, ac virtutum exercitationi inducitur: Ita qui rarò admodum & infrequenter vſurpant ea Sacramentum, vt minimum, ſi non rigent, at ſaltem frigent, ac tepent circa pietatem; & ſubnaſcentibus ac infeliciter ſoboleſcentibus vitiis, concidit florulentia virtutum, quæ conſequitur culturam fidelium per Sacramentorum frequentationem à Religioſis curatam. Vt enim fert effatum philoſophicum, *vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis*. Igitur ſicut neglectum omnimodum Sacramentorum, conſequitur marcor virtutum & clades pietatis, ita infrequentem eorum vſurpationem, affectetur neceſſe eſt detritio florulentiæ pietatis. Et è contrario, quo crebrior eſt pia frequentatio, eo magis omnia renident in horto animæ.

SECT. II. PVNC. III. §. V.

Cultura pietati in domeſticis fidei, ingens à Religioſis vtilitas.

§. IV.

Vtilitas à Religioſis, per excitationem fidelium ad Deiparæ Venerationem.

QVanti ſit benè erga Deiparam affici, inde exploratum redditur, quod negent Patres, perire poſſe qui benè erga miſericordiæ matrem fuerit animatus. Voletque hic maximè, quod à Seracide c. 3. dictum eſt, *Sicut qui Theſaurizat, qui honorificat matrem*. Acervat ſanè Theſauros (id enim ſonat vox Græca) qui matrem Chriſti ac Chriſtianorum omnium, honorificat. Rependet enim vicem optimam, honorificantibus ſe, qua eſt apud filium gratia & in nos propenſione. Per ipſam, iuxta Sanct. Germanum, quicquid in nos de cœlo ſtillat beneficentiæ depluit; quia ſic complacuit Chriſto fonti meritorum omnium, honorare

SECT. II. PVNC. III. §. IV. *Cultura pietatis in domeſticis ſidei augens à Religioſis vtilitas.*

honorare matrem. Itaque communi Eccleſiæ voce, *ſpes noſtra* dicitur. S. Ambroſius de Inſtitut. virg. cap. 13. eò flectit Pſaltem, & vocat ollam *ſpei noſtræ*; quia ardet charitate, & ſuauolentiſſimo ſuffitu vnguentorum beneficentiæ ſuæ qua redundat, vbique inhalat: Sed præſertim erga ſuos clientes, & cultui eius addictos. Vt enim humanitatis eſt benè omnibus velle, ita duritiesesſet, & ingenij hiſpiditatem redoleret, beneuolentiam beneuolis non rependere.

Religioſi itaque inde ſingulariter demerentur fideles, quod cultum B. Virginis omni ſtudio promouent; & ad eius venerationem & honorem, quanto poſſunt ſtudio incendunt mortales, variiſque piis inuentis fouent & augent pietatem in Deiparam, Religioſi ſanè fuerunt, qui officium B. Virginis primi frequentarunt. Nimirum Caſſinenſes, vt ſcribit Paulus Diaconus in expoſitione regulæ S. Benedicti; referens iam ante annum 752. impoſitum eſſe Caſſinenſibus à Gregorio III. & Zacharia ſummis Pontificibus, vt cum officio diuino, ſemper iungerat officium B. Virginis. Ex quo corrigas quod à Baronio ſcriptum eſt anno 1056. Petrum Damiani fuiſſe illius officij autorem primum. Dici tamen poteſt Petrus Damiani, reſtitutor & inſtaurator ſancti vſus colendi hac ratione Deiparam. Quòd enim Gamugenſes, cœptam apud ſe huius officij recitationem dimiſiſſent, autore Gonzone quodam, incompoſitæ vitæ Monacho, allegante id eſſe ſuperpondium ad S. Benedicti regulam; tot malis & calamitatibus illicò patuerunt, vt miſerationem Petro mouerint: Vndè edoctos cauſam calamitatum, graue non fuit impellere vt officium dimiſſum reſumerent: & bonum factum, confeſtim ſubſecuta eſt malacia. Vrbanus poſtea 2. anno 1096. defuncto iam Petro, idem Deiparæ officium, recolens quàm benè ceſſiſſet perſuaſa à Petro ea recitatio; diffudit latiùs, ad implorandam numinis in procellis quæ tunc Eccleſiam agitabant, miſericordiam. Nam illud omnibus Clericis recitandum præſcripſit, vt eſt apud Radulphum Tungrenſem. de Cann. obſer. propoſ. 10. Quanquam ea vniuerſalis obligatio, vel non eſt paſſim & obiuis viu recepta, vel euiguit vt notat Gauantus ſect. 9. c. 1 ad Breuiarij rubricas. Et nunc extra chorum, neminem vrgere, conſentiunt DD. nominatim Nauarrus. Miſcell. 77. de orat. Carthuſianis optimè ceſſit ſuſcepta ab ordinis initio eiuſdem recitationis obligatio, vt habent Acta S. Brunonis. cap. 21. Sed hoc ad particulare onus, & vltrò ſuſceptum ex promiſſione facta pertinet, non ad illam vniuerſalem obligationem, quam ab Vrbano Claromonte inductam diximus; ratione cuius aliqui, dixerunt hoc officium eſſe tunc ab Vrbano inſtitutum. Ita enim S. Antoninus, 2. p. hiſtor. tit. 16. c. 1. §. 13. Radulphus, de Cano. obſer. c. 24. & in Rationali Gulielmus Durandi, l. 6 c. 2. quos adducit Suares. l. 4. de orat. c. 6. n. 2. Omnino perperam, niſi intelligantur eo modo quo dico. Dimiſſa autem recitandi obligatione, quæ nunc generaliter vix obſtringit alios, quàm potientes penſione Eccleſiaſtica beneficio cuipiam impoſita, (de quo puncto latè Suares) l. 4. de orat. c. 13. à n. 13. & c. 25. à n. 7. optimè Petrus Damiani l. 6. epiſt. 29. ad quotidianam huius penſi Deiparæ perſoluendi oblationem, hortatur Stephanum Monachum, ſignato in eā rē illuſtri miraculo, edito in Clerico Niuernēſi qui hoc obſequio erga Deiparam defungebatur.

Aliud genus cultus Deiparæ, vel à Religioſis primò excogitatum, vel certe ab eis inter primos frequentatum, eſt feſtum Sabathi de cuius antiquitate, anceps quæſtio eſt, latè verſata à Spinello c. 29. à n. 14. in Tractatione de Throno Dei, & ab Auguſtino Vvichmans Ordinis S. Norberti, in opere cui titulus eſt, *Sabathiſmus Marianus*. Firmauit quidem hoc feſtum autoritate ſua. Vrbanus 2. in Concilio Claromontano, anno 1096. non tamen primus illud induxit, cum Petrus Damiani, Opuſc. 33. c. 4. qui ante illud Concilium obiit, meminerit Sabathi B. Virgini dicati, quia in ea veluti in lectulo Salomonis, Verbum Dei requieuit, & quaſi Sabathizauit. Narratque Gulielmus Mimatenſis, autor Rationalis diuinorum officiorum, l. 4. c. ... 31. olim Conſtantinopoli imaginem fuiſſe adopertam velo quod à primis Veſperis Sabathi nemine conſpicuè mouente ſubtollebatur; ita vt retegeretur proſus imago per illud tempus; donec celebratis Sabathi Veſperis recedente per ſe ipſum velo iterum imago operiretur; retectione velut ad celebritatem feſti curata per Angelos. Feſtum igitur Deiparæ in Sabatho, per quemcunque demum cœperit, à Religioſis tamen frequentatum conſtat, priuſquam de vllo alio id annotatum legatur. Sed & feſtum Conceptionis paſſiuæ B. Virginis, primâ in Occidente celebraſſe produntur Monachi; non modò Neuſtrij, qui ſuberant Herluino Abbati, qui floruit tempore S. Anſelmi, Sed etiā Germani, teſte Pothone Pruinenſi, cuius ætas cōſignatur an. 1150.

Suppetunt aliæ obſeruationes piæ, in honorem B. Virginis à Religioſis inductæ. Et imprimis vſus Roſarij, (quo tantæ Matris honor maximè floret inter Chriſtianos,) autorem habuiſſe fertur Paulum Monachum. Videſis Carolum Paſchalium l. 4. de Coro. c. 4. in fine. ex Nicephoro id eruentem, & Hēricum Sedulіū. ad vitam S. Claræ. Valdè verò propagauit, & in meliorem formam redegit ſanctum illud exercitium B. Dominicus, & ipſe Religioſus, ac Religioſorum Pater & autor. Nec dubium quin adeò perfecta precandi formula, ſit & Deiparæ perhonorifica, & fidelibus perutilis. In quam rem extant ſpiſſa multorum volumina. Breuiter autē & benè idem argumentum verſarunt, Nauarrus, Miſcell. de orat. Caniſius in opere *Mariano*, l. 5. c. 26. Suares, l. 3. de orat. c. 9. à n. 10. & peculiari cōtra obſtrepentes Apologetico Thomas Saylius. 4. p. Theſauri. litan. à p. 268. Nec obeſt quod hic ipſe autor, alibi 1. p. Theſauri. pag. 22. refert de vſu Turcarum, vtentium corona precatoria quam vocant *Teſpes*: cuius tres ſunt partes & partis cuiuſlibet decades tres, inſuperque tres globuli; ita vt omnium ſumma pertingat ad nonagenam. In prima parte ter & tricies, dicunt *Hubbam Allah*. In ſecunda, totidem vicibus dicunt Ellhen Dun'llas. In tertia eodem numero iterum *Allah Hemet*. Hæc Turcæ in ſpelæis ſuis ſiue Meſquitis, quotidie præeunte Ima, quinquies iterant. Quidam domi, multo etiam ſæpiùs. Nego hanc Turcicam precandi formulam, dehoneſtare Catholicam in ſimili precatione ſæpiculè iterata pietatem. Nam veriſimile eſt, ſatanam Dei ſimium, vt eſt apud Tertullianum de Coro. mil. c. 14. & Nyſſenū, hom. 14. in Cant. eum precandi modū ſuggeſſiſſe Turcarum Poppis, per quos alij eum vſū ſint edocti; ex quo aduertit, vſum Roſarij affinem, inter Chriſtianos vigere. Sicut pleroſque ritus ex Chriſtianis, ad Idololatras traduxit, & iam olim per Iulianum Apoſtatā ex Nazianzeno orat. in Iuli. & Bar. anno. 362. & in Indiis Occiduis vt latè refert Ioſephus à Coſta. lib. 5. hiſtor. Indiar. à cap. 11.

Si

Si ergo Turcæ, vſum precandi aliquatenus proportionalem Roſario per Religioſos inuecto, acceperunt à Chriſtianis, vel à Satana Chriſtianos ritu æmulante, nihil inde decedit ſanctitati obſeruationis Catholicæ; quia in promptu eſt, reſpondere, *Quicquid eſt pulchrum, ſequitur Momus*; verba ſunt Clementis Alexandrini 7. Strom. Si autem Religioſi, modum precandi Turcicum traduxerunt ad pietatem, ſanctificantes eum vſum ab impietate expurgabilem, vt tactum eſt circa alios, ſicuti que ritus Chriſtianos ab Ethnicis vendicatos (qua de re pluribus Martinus à Roa, cap. 1. de Natali.) non eſt idcirco criminanda ſancta induſtria Religioſorum, in promouendo Deiparæ cultu hac in parte.

Nec illud leue videri debet, multorum Religioſorum incenſi in Deiparam affectus argumentum, quod multa templa Deiparæ inſcripſerunt, vt eo pacto fideles ad eius auctiorem cultum excitarent. De Ciſtercienſibus, teſtatur Petrus Cellenſis, omnes ſui Ordinis Eccleſias, Beatæ Virgini dedicaſſe. Tractatio Antonij Spinelli de templis Deiparæ, & alia eiuſdem argumenti lucubratio per Federicum Locrium, omnino multa templa Magnæ matri per Religioſos dicata repræſentat. Alij non templis materialibus, ſed viui & animatis Dei templis, (ipſis inquam Ordinibus,) inſcriptum voluerunt nomen *Mariæ*. Sic Carmelitæ, nomen olim præferebant, *Marianorum*; vt notaui in Scapulari Stochiano parte 1. capit. 3. & eos ſic denominantibus, collata eſt Indulgentia. Simile cognomen prætulerunt olim Dominicani, quod quare obſoleuerit, alibi inquiro. Nomen *Seruorum Beatæ Mariæ*, hodiéque obtinent qui vulgò *Seruitæ* dicuntur. Patres Lucenſes, denominantur Religioſi *matris Dei*. Hi toti ſunt in fouendo, ac promouendo Beatæ Virginis cultu: quod vt cæteros taceam ſtudia optimi Patris Hyppoliti Maraceij, ſcriptoris ex eo ordine piiſſimi, teſtatum faciunt. Societas IESV, volens lubénſque ſe iam ab initio, hauſto ſpiritu ab auctore ſuo Sancto Ignatio, addixit tantæ matris obſequio, & de amplificando ac promouendo eius cultu, ſemper fuit ſollicitiſſima. Viciſſim verò, fauores ab hac optima matre in hunc ordinem velut pleno alueo corriuato, expreſſit iuſta lucubratione Ioannes Burghelius. Titulus eius operis eſt, *Societas Ieſu, Deipara Maria ſacra*. Eius libri capite 21. recenſens affectum quo Theologi Societatis IESV incubuerunt in illuſtrationem puri & immaculati Conceptus paſſiui Beatæ Virginis, ait eſſe ad eam diem (ad annum inquam 1620. tres ac quinquaginta. Nunc autem, ſi idem Syllabus conficiatur, excreſcet ad numerum quadruplo ſaltem, auctiorem. Qui verò Scriptores ex eadem familia, de Beata Virgine ediderе libros, & ad eius cultum incendere fideles ſtuduerunt, recenſentur longo agmine à Philippo Alegambe, in Bibliotheca Societatis IESV, In initio ad Calcem operis, ſed cum is liber prodierit anno 1643. audeo confirmare, ab eo tempore, totidem vt minimum Scriptores de eo ipſo argumento; ex eadem familia acceſſiſſe; à quibus veneratio Deiparæ debita, egregiè eſt illuſtrata. De Sodalitatibus Parthenicis, quas ſocietas dirigit, & de inſigni incremento pietatis in Deiparam, inde profecto, dicendum inferiùs.

Illuſtrationem decorum Deiparæ per ſcriptores Societatis IESV proximè tactam, ſi ad alios Religioſos ſcriptores diffundere velim, ſpiſſo volumine opus foret, ad eos vel ex nomine, & operum titulo deſignando. Vt prætermittam Bibliothecam Virginalem F. Petri de Alua, quæ ferè è Religioſorum ſcriptis contexta eſt, & ex ſolis auctoribus, quorum initialis litera ſit A, tres Tomos continet. Optimus Pater, & in Beatam Virginem propenſiſſimus Hippolitus Maraccius, emiſit annis proximè ſuperioribus Bibliothecam Marianam, qua ſcriptores quos nanciſci potuit, de Beata Virgine quippiam elocutos, alphabeti ſerie digeſſit, non abſque breui cuiuſlibet auctoris notitia, ſyllabo operum eius præfixa. Illi operi multos ſubtexuit Indices, quorum vnus eſt, ſcriptorum Religioſorum Marianorum. Annotat primo loco ex ſolo nomine, Auguſtinianos Canonicos, vnum ſupra quinquaginta. Eremitanos, tredecim ſupra centum. Baſilianos, quatuordecim, Benedictinos, tres ſupra centum, Camaldulenſes, ſeptem. Canonicos Regulares Sancti Gregorij in Alga quatuor Canonicos Regulares Sancti Saluatoris, octo. Carmelitanos, quà mitioris inſtituti, quà Tereſianos, ducentos ac binos. Cartuſianos, quadraginta & octo. Ciſtercienſes, quadraginta. Clericos Regulares Sancti Pauli decollati (vulgò *Barnabitas*;) quinque. Clericos Regulares matris Dei; ſiue Lucenſes, nouem ac viginti. Clericos Regulares miniſtrantes infirmis, duos. Clericos Regulares Societatis IESV, trecentos quadraginta quinque. Clericos Regulares Somaſchonſes, tres. Clericos Regulares Theatinos, vnum & triginta. Clericos Regulares de paupere vita, alias *vita communis*, tres. Cluniacenſes, quatuordecim. Cœleſtinos, decem. Cruciferos binos. Equites Sancti Ioannis Hieroſolymitani, tres. Gulielmitas Montis Virginis, quinque. Hieronymianos, decem. Ieſuatos, binos. Minores Sancti Franciſci de Paula; ſeptemdecim Minores Sancti Franciſci Aſſiſiatis, ducentos nonaginta tres. Oliuètanos, quatuor. E Paulianis ſancti Pauli Tholæi, vnum. Dominicanos, quinque & quadraginta ſupra trecentos. Præmonſtratenſes, tres ac viginti. De mercede, quatuor ac viginti. Seruitas, vnum & triginta. Trinitarios duos ac viginti. Vallombroſanos, ſiue Gualbertinos, quatuor. Liquet porrò, ex quo P. Hyppolitus opus ſuum de Marianis auctoribus vulgauit, prodiiſſe complures è quouis Religioſo Ordine per eum recenſito. Atque adeò ſcriptores Religioſi, pro Beatæ Mariæ cultu, fidelibus per pios libros ingenerando & adaugendo, multiplicati ſunt ſuper numerum, magno legentium bono; quia Eccleſ. 12. *Verba ſapientum ſunt quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium, data ſunt à paſtore vno*. Quod de Catholicis ac piis ſcriptis accipiendum; & verè ex eorum lectione promoueri qui legunt ad retectam inibi veritatem, præclarè proſequitur Turrianus l. 1. de dogma charact. a pag. 27.

SECT. II. PVNC. III. §. V. *Cultura pietatis in domeſticis ſedes, ingens à Religioſis vtilitas.*

Inter media denique quibus Religioſi B. Virginis cultum promouendo, excoluerunt fideles, non eſt prætereundus vſus ſalutandi Deiparam, ſigno dato per pulſum Campanæ. Legi enim in vita cap. 8. S. Bonauenturam, fuiſſe auctorem, vt ad veſperam dato ſigno campanæ, pulſaretur ad Angelicam ſalutationem recitandam, & myſterium Incarnati in Deipara Verbi recolendum; quod exiſtimaret. ea hora peractum eſſe illud clamoris myſterium, (vt loquar cum SS. Ignatio epiſ. ad Epheſ. & Damaſceno orat. 3. de Natiu. Virg.) Et in eam rem, cum Generalem Ordinis ſui moderatorem ageret,

SECT. II. PVNT. III §. V. *Cultura pietatis in domeſticis fidei, ingens à Religioſis vtilitas.*

mandaunt ſuis Concionatoribus, vt anniterentur pium illū vſum fidelibus ſuadere. F. Henricus Sedulius cap. 2. §. 1. in ea S. Bonauenturæ vita quam ſuæ ſeraphicæ hiſtoriæ intexuit, in vnam veluti gloriam hoc intexit cum aliis ſanctis inſtitutis: quæ proinde videtur ſancto Bonauenturæ auctori tribuere. Conſtat tamen pulſationem campanulæ, ad diuinæ hoſtiæ & calicis eleuationem, (cuius vſus ibi meminit,) non eſſe à S. Bonauentura inſtitutam, Sed à Vidone Cardinali legato in Germania. Ex cuius item inſtitutione, cum Euchariſtia ad ægrum defertur, præcedit, qui pulſans campanulam, admoneat fideles venerationis tanto ſacramento exhibendæ, vt ſcribit Cæſarius, l. 9. c. 51. qui addit, ad occurſum Euchariſtiæ in via maxime corroſa, inhærens pio illi inſtituto, nobilem viſum, & Religioſam fœminam vnam, in lutum illicò intrepide deſiluiſſe, & veſtes pretioſas quibus amiciebantur, Deo præſeruante, non inquinaſſe. Igitur S. Bonauenturæ tribuenda duntaxat eſt inſtitutio pulſandi veſpere campanam ad recolendum Virginis à Gabriele Salutatæ, & peractæ in ea Incarnationis, myſterium. Quamuis vt Suares l. 3. de orat. c. 6 n. 11. ait, ea conſuetudo, (per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo,) ad nullum peccatum obliget; quia non eſt recepta ſub ratione obligationis, ſed tantum ſub ratione deuotionis.

§. V.

Subductio occaſionum & incentiuorum peccandi per Religioſorum piam induſtriam, magnum ab eis commodum.

CIrca hoc caput vtilitatis per Religioſos creatæ, occurrit & ſubductio occaſionum peccandi, nulli tempori alligatarum, & ſubductio ad certum tempus reſtricta.

Primi generis eſt, emerſarum è cœno turpitudinis ad bonam frugem reductio, etiam vſque ad calces ſeculo illidendas, & concluſionem in *Metanœam.* Sic Græci appellant, domum famoſarum mulierum, ſe dantium pœnitentiæ, & ablutioni peccatorum, ac exigendæ vitæ nouæ. Gregorius 11. in diplomate dato anno 1376. quod refero in hiſtoria S. Ioannis Benedicti, punc. 13. vocat *cœnobium Gubernatricis & repentitarum ſororum, nullum ordinem profeſſarum.* Ædificauit huiuſmodi domum, Procopio l. 1. de ædif. Iuſtiniani teſte Theodora, Iuſtiniani coniux ex amica & de S. Elizabeta Luſitaniæ Regina, idem ſcribit Vaſconcellus. In eius Actis num. 19. Multa in hanc rem attuli in Mantiſſa ad Tractationem de Muſca è fluminum Ægypti extremo, euocata Sibilo Domini. Quod verò ad præſens inſtitutum attinet, res per ſe loquitur, per exſolutionem huiuſcemodi victimarum publicæ libidinis, peſtem vrbium, cum honeſtatis clade graſſari. Nam cum tanta ſit concupiſcentiæ in homine efferatio, poſt cladem naturæ noſtræ à protoplaſtis illatam, quantum ſuo loco l. de ſobr. freq. cap. 4. & 5. expreſſimus, & inſigniter exponit S. Baſilius l. de virginit. indubie ſi accedat ad intrinſecum cuique caminum, obiectus ignitabuli extrinſeci, vaſtitas conſequetur immedicabilis. At mulier effrenis licentiæ, qualem ſapiens deſcribit, vel virum vltrò rapiens, vel genij, ad minimum pellacis proci ſibilum conſili, ignitabulum eſt, vnde flamma excitatur, par abſumendis improuidè continentibus. Quid ſi verò multæ ſint huiuſmodi, vt ferè accidit in vrbe populoſa? Eſt ergo vtiliſſimum, ad ſcelerum præcluſionem, huiuſmodi fœmellas incontinentes ſubducere, quod fit per earum concluſionem; vbi fortibus adhortationibus, & tonitruis territæ, aut diuina illucente gratia emollitæ, regreſſum ex eo barathro cogitarint.

Laborauit iam olim in hoc genere Religioſi, ſin minùs primi, certè non omnium poſtremi. Non eſt ſanè inueriſimile, Theodoræ, Iuſtiniani ex ſcenica & amica coniugi, perſuaſum eſſe vt Metanœam ſuam ædificaret, ab aliquo Religioſo homine, ſiue conſcientiæ arbitro, ſiue qui eam primùm de luto fæcis extraxiſſet. De S. Elizabetha, ſanctiſſima Regina Luſitaniæ, cuius cum Religioſis hominibus aſſiduæ erant de pietate ac virtutibus congreſſiones, propè certum habeo, autoribus, & ſaltem incentoribus Religioſis, in mulierculàrum proſtituti pudoris reductionem, ad ſepta quibus in tuto & veluti in portu eſſent, contuliſſe operam. Mittamus Coniectanea. F. Petrus Tillerand, Ordinis Minorum, Lutetiæ Pariſiorum anno 1494. Zeli ſui atque induſtriæ, ſpecimen edidit luculentum. Adunatis etiam compluribus quarum Deus ad inſonantem eius vocem tetigerat corda, primus vel ſua ætate, vel cum obſoleuiſſet prætereunte nequitiæ diluuio memoria ſtudij anteriorum, in eius mephitidis ex vrbe populoſiſſima & cœnoſiſſima depulſionem, domum ſancto operi addictam compleuit, ſolutæ priùs vitæ mulierculis; & vrbem eo fœtore liberatam, grata cœlo fragrantia ab earum iam pœnitentium ſanctis moribus, inhalata. Abbas inſignis, Tyriam meretricem Porphyriam, ad cor reuerſam, neglectis oblatrationibus maledicorum, abduxit in monaſterium Deo per miraculum atteſtante innocentiæ Abbatis, vt narrat S. Ioannes Eleemoſinarius. cap. 46. vitæ De Monacho cum ſpecioſa puella vrbem Alexandrinam circumeunte, vt ſtipem pro ea colligeret, qua poſſet in Monaſterio collocari, & ſubduci ſuæ & aliorum ruinæ, narratio contexitur in vita eiuſdem S. Ioannis, cap. 23. ad primum accurſum per humanam imbecillitatem decepti; iuſſa puella flagellis cædi, & à Monacho ſeparari: Monacho autem in carcerem truſo, ac dirè verberato, quaſi puella turpiter abuteretur. Sed Deus ſanctum Antiſtitem erroris ſui per viſum commonuit, & Monachus poſtridie deprehenſus Eunuchus, viro ſancto in cordolium non exiguum fuit, quod cogitans & puellæ & cæteris per eam, peccati anſam ſubducere, malè multatus eſſet, & pro flagitioſo ac ſpurco tractatus. Nobile factum S. Ignatij Loyolæ, publicè abducentis meretriculas ad portum ſalutis, recitat Ribadeneyra, lib. 3. vitæ cap. 9. deſcribens excitationem domus S. Marthæ qua tunc temporis ad excipiendas huiuſmodi conuerſas, ipſo Ignatio curante, & ex paupertate ſua, primo ad id opus ſtipem conferente, coaluit. Similia aliorum Sanctorum Religioſorum ſtudia, in hanc de qua agimus ſubductionem occaſionum & incentiuorum peccandi, profero in Mantiſſa ad Sanctam Mariam Ægyptiacā.

Singulari modo in eandem ſubductionem incubuit, magnæ ſanctitatis Monachus, *Vitalis* nomine, cuius exemplum (tametſi, ad

ad mirabile potiùs videri debet, quàm imitandum, (à S. Ioanne Eleëmoſinario memoratur, l. 35. nec abſque ſancta exultatione, quod calumniatoribus tam ſancti viri, non auſcultaſſet. Erat Vitalis in Monaſterio S. Seridonis; vnde digreſſus venit Alexandriam, & annotatis omnibus famoſis mulieribus, inſtituit ſuo labore abducere eas à peccato, ſimul conſulens eorum qui ad eas ventitabant flagitio. Veniebat ergo ad earum vnam ſub veſperam, & paſciſcebatur de pretio vnius noctis; pretioque annumerato, ſtabat in cubiculo coram ea, per totam noctem, vſque ad auroram, pſallens & orans pro ea; mittenſque genuflexiones plurimas in eius gratiam. Die autem aduentante, abſcedebat, adiurans mulierem, ne cui proderet conſilium ſuum. Quam adiurationem cum vna quædam neglexiſſet, damno ſuo didicit ſapere, correpta à dæmonio: cœteræ verò eius malo edoctæ, ad mortem vſque Vitalis, ſiluerunt. Sic pergebat cum ſingulis agere Vitalis; & multis factum criminantibus, ipſo etiam Vitali, vt vanæ gloriæ virus refugeret, nec apud homines appareret quod erat, perinde ſe gerente, ac ſi turpiter ageret cum mulierculis quas adiebat, ab vno quodam flagitioſo fornicem ſubeunte, impacto colapho mulctatus, quaſi ad ſpurcitiam eò veniſſet, interminatus ei diuinam vltionem exiuit; Et poſt pleraſque mulierculas è cœno abductas, & vel ad thorum immaculatum, vel ad cœnobium traductas, dormiuit in pace. Sub eius mortem, Satana ſpurcum illum qui Vitali colaphũ impegerat, viciſſim nomine Vitalis, colaphum rependente, & miſerum arripiente, ad innocentiæ ſancti viri conteſtationem, & temerè obloquentium redargutionem: Cui itidem adiuratæ mulierculæ quas ſancto artificio à peccando abduxerat, teſtimonium innocentiæ dabant, retegentes vt ille ſe geſſiſſet cum ipſis. Scriptura etiam, in pauimento cellulæ ſancti viri deprehenſa eſt, coarguens hiſce verbis inſipientes. *Viri Alexandrini, nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus.* Miracula denique ad demortui interpellationem edita, plenè abſterſere omnem labis ſuſpicionem, in ſuſcepta per Vitalem, noui moris, peccatorum ſubductione.

Alterius generis ſubductio occaſionum peccandi per Religioſos, ea eſt, quæ ad certum tempus reſtringitur; nimirum ad Bacchanalia. Oeſtrum Chriſtianorum per eos dies, nemo ignorat. Appetente ſiquidem quadragintadiali ieiunio, cum oporteret præoccupare faciem Dei in Cõfeſſione, nihil omittunt quiſe Chriſtianos profitentur, vt Ethnici, factis ac abſurdè geſtis, appareant. Curauit hoc Satan, ex quo ſummo labore Sanctorum Antiſtitum, Calendæ Ianuarij quas occupauerat, & multis indigniſſimè inductis dehoneſtauerat, omnibus ſpurcitiis ſunt liberatæ, & ſuo nitori, quem iniens annus & circumciſus in eis Chriſtus poſcebat, ſunt reſtitutæ. Non dubitabit admodùm ſorduiſſe eas Calendas, qui recoluerit, S. Bonifacium Moguntinum, Epiſto. 132. expoſtulare, Paganias (ſic appellat,) quæ ea die Romæ edebantur, magnum inieciſſe obicem conuerſationi Paganorum ad quos ipſe prædicabat. Non enim poterant ſatis mirari, in ipſa arce Religionis Chriſtianæ, tam propudioſa patrari. Pernoctationum incompoſitarum quæ tunc edebantur, meminit S. Chryſoſtomus. hom. de Calend. Signant varia indigna eo die peruulgata, Aſterius, hom. in feſt. Calend. S. Iſidorus, 1. de offic c. 40. Albinus, c. de cal. Iann. Flaccus, Beda, l. v. off. ad f. qui ait hasce *Calendas* debere potiùs *Cauendas* appellari. Non potuiſſe Religioſos ea die prodire in publicum, niſi peſſimè excipi vellent, ex Aſterio habetur qui iure vocat *hoc feſtum, non feſtum, & mendaci prorſus nomine; plenum acerbitatis & moleſtiæ.* Extruſere inde Satanam SS. Antiſtites, in excubias gregum ſuorum vigiles, variis adhibitis ſacris induſtriis. Nam Clero ieiunium eſſe indictum, placando ea die numini, teſtatur S. Iſidorus. 1. de off. c. 40. Imo omnibus fidelibus præſcriptam eſſe illius ieiunij obſeruationem, habetur ex Ordine Romano, c. 20. & ex SS. Ambroſio, ſ. de Calend. Auguſtino, in pſal. 98. & Beda. l. de off. in f. Inter Canones Pœnitentiales, 88. pœnitentia mulctat abuſus huius diei. Concilium Turonenſe Can. 18. publicas litanias indixit, Concilium Toletanum Can. 10. vetuit concini *alleluia.* Concilium Romanum ſub Zacharia, adductum *c. ſi quis Calendas. 26. q. 7.* Et Concilium Altiſſiodorenſe (de quo videndus Baſilius Pontius,) q. 2. Schol. c. 2. ſtrinxere anathema in obſirmatos atque rebelles. Circa huiuſmodi Calendarum indignitates, nimium quantum peruulgatas inter fideles. Per eam Rectorum Eccleſiæ diligentiam, Satanas extruſus eſt à Calendis Ianuariis, accedentibus præſertim conclamationibus Patrum in eas inſanias falſas, nominatim Aſterij, Chryſoſtomi, Ambroſij in ſermonibus de Calendis, itemque Chryſologi, ſerm. 155. & Auguſtini frag. 5. & ſer. 7. ex 40. nouis & ſ. 59. de diuerſ. c. 4. non vno loco; item Fauſtini quem repræſentat Bellandus, Ianuarij, & aliorum qui annotantur in noua Bibliotheca homiliarũ, ad Dominicam Quinquageſimæ. Extruſus igitur ex ea Calendarum Ianuarij, & ineuntis anni ſede Diabolus, quæſiuit alium locum in quo iuxta iter ſcandalum poneret; & quæ indigna patrabantur Calendis Ianuarij, curauit patrari ineunte quadrageſima, ita vt mutato nomine ac tempore, idem ſit profanitatum emporium.

SECT. II. PVNC. III. §. V. *Cultura pietati in domeſticis fidei ingens à Religioſis vtilitas.*

Conſpicati igitur hanc pietatis cladem Religioſi, vt ſatanam excluderent ex hac quoque ſede perverſè occupata, per ſpeciem nonnullius relaxationis, & præmunitionis ad anniuerſarium ieiunium, vt ſubducerent tot peccatis occaſiones, incentiuæ pietatis excogitarunt, & aduerſùs ignita Diaboli tela, ſcutum cordis, nimirum laborem Domini in Euchariſtia concluſum, obiecere telis nequiſſimi. Præiuere in huius ſacri vmbonis admotione, duo ex Societate Ieſu, hiſtor. Societ. qui in cœleſti Italiæ vrbe, ſaluti animarum nauantes, re ſatis proſperè geſta, fruſtrationem laboris timuerunt à ſcenicis in eam vrbem appulſis. Quare excantaturi Sirenarum illarum modos infauſtos, Deo carmen noſtro, (quod interprete Euſebio 1. de demonſtr. c. vltimo. diuina Euchariſtia eſt,) cecinerunt Omnibus enim ad inſolitum ſpectaculum diuinæ per Bacchanalia Euchariſtiæ excitis, Oggium Chriſtianum feliciſſimo euentu occœperunt. Nam pij quique, (& ea fuit potior vrbis pars,) diem tripudij ſecularis, fecere diem ſpiritus; quo verbo ſuis gratulabatur S. Chryſoſtomus, homil. poſt Calendas cum per tempus quorundam ludorum, frequentes affuiſſent in Eccleſia, relinquentes archæſtram vacuam. Res, quoad expoſitam è diametro ſcenicorum ludorum diuinam Euchariſtiam, eſſet adeò feliciter, vt ab eo tempore, diffuſo per Europam vniuerſam eodem pio vſu, negotium ſatanæ admodùm refrixerit; & plus ex Bacchanalium tempore damni tulerit, quàm olim prouentus & emolumenti. Vrbes omnes certatim, de ſacro illo vſu apud ſe inducendo, fuere ſollicitæ. Veliterni expetiere à Patre Iacobo Laynio Generali Præpoſito,

SECT. II. PVNC III. §. I. *Cultura pietatis in domeſticis ſi de.ingens à Religioſis vtilitas.*

Præpoſito, vt narrat Sacchinius l.8.hiſtor.Soc. n. 41. Patres aliquot, initium facturos apud ſe ſancto operi, quibus ipſe Laynes formam præſcripſit ritè rem gerendi; & conſecutus eſt motus animarum, quantus optabatur ac ſperabatur. Vix explicare liceat quantis peccatis ſubducta ſit materia per hanc piiſſimam inſtitutionem quotannis renouatam, & ad loca planè multa diffuſam. Itaque cum hoc fuerit inuentum Religioſorum, liquet eos hac quoque in parte, fidelibus commodaſſe.

§. XVI.

Fratriæ Laicorum per Religioſos inductæ; ac ritè conſtitutæ, haud tenue fidelium bonum.

FRatrias dico, cum Nauarro, miſcell. 4. de Orat. quas vulgò *confraternitates* nominant. Philo apud Alexandrinos, l. in Flaccum dictas *Synodos & Cœnas* teſtatur. Fuiſſe multas huiuſmodi ſodalitates apud Ethnicos, notaui 1.p.heterocl. 3.2. puncto 10. tractans feſta infeſta Sodalitiorum, & multa etiam habet, in quem illis pridem editis incidi. Conſaluus de Ponce Leon, in opere de Sodalitate nominis Dei per 12. prima capita. Honeſtatem huiuſcemodi ſodalitiorum, inter Chriſtianos, ſi ritè ſeruentur prima inſtituta quæ ſemper ſunt optima, agnoſci Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 8. de reform. & nemo inficias eat. Nec eſt curanda deteſtatio, qua Mahumetem huiuſmodi Societates proſecutum volunt; ita vt eam maximè ob cauſam, ſuos excitaſſe ferantur, ad viam Dei (Sic appellabat,) hoc eſt ad bellum, in Chriſtianos ſuſcipiendum. Quamuis reuera Mahumetes in Chriſtianos ea ex cauſa excanduiſſet, & *Hetæriaſtas* idcirco appellaſſet, non eſſet tamen de ſpurciſſimi otis ſenſu laborandum. Imo (quod de Nerone aiebat in Apologetico Tertullianus) inde peti poſſet argumentum honeſti ac boni in re quapiam, quod eam damnarit Mahumetes. Attamen in hac re aliud voluit Mahumetes. Nam idcirco auerſatus eſt Chriſtianos vt Hetæriaſtas, quod in Deo Hetæriam admitterent, & Patri ſocium ſtatuerent, Filium, ac ſpiritū ſanctum, vt rectè eā vocem accepit Cuſanus in cribratione Alcorani, l. 1. c. 9. & Nicetas l. de ordine qui obſeruatur in eiuratione Saraceniſmi. Sunt igitur Chriſtianæ laicorum fratriæ, honeſtæ: Nec honeſtæ tantùm, ſed etiam fructuoſæ, quia ſodales varia ſancta & pia opera obeunt, non modò precum ſimul ac coniunctim fuſarum, vim gratam Deo inferentium, vt Tertullianus in Apolog. affirmat; ſed etiam ſubleuationis egentium, & calamitoſorum. Habemus exemplum antiquum fratriæ Alexandrinæ Parabolanorum, de qua alibi. l de martyr. p. 2. cap. Inſtituta quippè erat ad ſubleuandos ægros per tempus peſtis. Quæ vulgò dicitur *fratria miſericordiæ*, miſerorum ſubſidium, præſertim carceribus mancipatorum, ſuſcipit. Ex aliis, vix vlla eſt, cui non ſit propoſitum peciale aliquod opus charitatis aut religionis. In propugnatione honeſtatis huiuſcemodi fratriarum, multus eſt vir ſua ætate inſignis Edmondus Augerius in opere quod inſcripſit *Metaneologiam*; cuius capite 12. monſtrat, nihil eſſe his confratriis commune cum ſecta Flagellantium, à Gerſone exagitata, & cuius malignitates plenè aperiunt Gretſerus & hæreſeologi l. 2. de diſcipl. c. 4.

Auctor primus huiuſcemodi fratriarum, quiſnam fuerit, non eſt adeò manifeſtum. Polydorus, l. 7. c. 6. de inuent. ad Apoſtolos vniuerſum hoc negotium refert. Hos enim, putat eſſe conuentus ab Apoſtolis inductos ad ſimul orandum atque pſallendum, & conſulendum de fidei propagatione, ac ſanctis operibus. Quod putat pater ex libro Actuum Apoſtolorum, & ex Tertulliani Apologetico, vbi cœtus Chriſtianorum deſcribuntur. Meminitque etiam eorū cœtuum antelucanorum, Plinius ſcribens ad Traianum, nec non Iuſtinus agens cum Antonino. *Niniuitas* dici affirmat Polydorus eo quod exemplo Niniuitarum ad Ionæ prædicationes commotorum, profiteantur pœnitentiam agere, & violatum numen placare; nominatim flagellis ſe diuerberando, & priuatim, & in ſupplicationibus publicis, inter quas vt plurimùm ſaccis linoque ora contecti, nudum ac lacerum impactis flagellis tergum oſtentant, velut verè pœnitentes decet. Vſu (inquit idem Polydorus) à Romanis Lupercis petito. Hi ſiquidem ſacra ſua ludicra peragentes, incedebant nudi ac laruati per vrbem, & obuios flagellis cædebant. Mox etiam mauult, hac inſtitutum ab Ægyptiis hauſtum dicere: Ægyptij enim, Dæmoniarchæ vocant multis cum ceremoniis immolantes, (vt eſt apud Herodotum,) dum ſacrificium ardebat, omnes verberabantur. Hæret denique Polydorus, an ſodalitia Chriſtianorum laicorum, tracta ſint à collegiis ſiue ſodalitiis, qualia apud Romanos erant complura, vt Saliorum, Arualium, Auguſtalium, Adrianalium fratrum, ſiue ſodalium. Quid ſi ergo, hæc inſtituta ſanctificantes Eccleſiæ Rectores, ad ſodalitia laicorum accommodarint? Laudatque idem Polydorus, ea ſodalitia, quod poſtquàm eſſe cœperunt, nunquam ſint labefactata, quinetiam in dies augeantur ac etiam expoliantur, vt pudere profectò debeat (inquit,) eos qui ſanctioribus aſtricti regulis, & ſublimius profeſſi vitæ inſtitutum, nunquam intra prioris regulæ limites, poſt pleraſque inſtaurationes contineri potuerunt. Ita Polydorus de laicorum fratriis, parùm appoſitè (maxima ex parte,) nec ad veritatem. Qua enim fronte audet, fratrias haſce tantæ conſtantiæ in benè cœptis collaudare, cum conſtet, in pleriſque omnibus longè aliter vſu venire, & in permultis obſoleſcere, ac miſerè peruerti ſancta inſtituta; quod monſtro, tractans feſta infeſta ſodalitiorum, 1. p. heterocl. ſ. p. vt nullus vnquam ordo Religioſus adeò detritus apparuerit, ac multæ fratriæ laicorum apparent Sodales verò pœnitentes, flagello impacto in ſua terga ſæuientes, cum Lupercis immoderatè procedentibus; nec ſe, ſed alios magna cum petulantia verberantibus componere; vel cum ſpurcis Ægyptiorum myſtis, ſummo dæmoni litantibus, abſonum eſt. Alia, & verè ſancta ac pudica initia, habent flagellationes pœnitentium Chriſtianorum, vt videre eſt apud Gretſerum, in opere de diſciplina. Cœtus verò primæui, Chriſtianorum, à Luca, Tertulliano, & Iuſtino, ac Plinio, repræſentati, longè aliud fuerunt quàm fratriæ hodiernæ Laicorum. Erant enim conuentus, quales nunc in paræciis ſunt ad diuina officia peragenda, in quos omnes promiſcuè adunabantur fideles; nec mares duntaxat, ſed etiam fœminæ. Cuiuſmodi non ſunt conuentus fratriarum, ad quas mares duntaxat, nec indiſcriminatim quotquot volunt, ſed allecti tantùm conueniunt. Itaque parum aptè Polydorus, de origine & inſtitutione fratriarum, Philoſophatur.

Legi

Legi qui ſcriberet, huiuſmodi fratriarum Laicarum inuentum, ad S. Bonauenturam, cum Minorum Generalem ageret, eſſe referendum. Quod ſi verum eſt, vniuerſa vtilitas ex his Laicorum fratriis, redundauit à Religioſis. Saltem verò magna illa *Chriſtianitatis columna*, (Sic S. Bonauenturam denominauit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi,) laborauit in expoliendis ac inſtaurandis, huiuſcemodi piis cœtibus Laicorum; ne quod plerunque euenit, dormientibus hominibus, ſemini optimo inimicus homo zizania ſuperſeminans, reddat eos Deo & Eccleſiæ infrugiferos. Indubitatam verò habebimus Religioſorum operam in conſtituendis ac informandis hiſce fratriis Laicorum, ſi attendamus ad eas quæ nunc micant in Eccleſia à multis clariùs ſæculis cœptæ, cuiuſmodi ſunt Roſarij, Scapularis, funiculi S. Franciſci, Zonæ ſiue cinguli S. Auguſtini, & huiuſmodi aliæ à Sede Apoſtolica approbatæ, & magna cum vtilitate fidelium frequentatæ, vt non potuerit ſanè, in vnam aliquam ex eis coriſcans Cenſor cœli ac terræ huius temporis, abſque horribili temeritate effutire Ioan. Laur. Pontifices talia conuenticula approbando, ſuffragatos eſſe *Cubilibus vitiorum*, vt retuli & exploſi propugnans Scapulare Stochiatum parte 2. q. 2. Pudeat Doctorem Pariſienſem, adeò fœda chartis illiuiſſe, quibus tetriora de Caluini aut Lutheri ganea, nemo poſſit ructare ex his ergo ac ſimilibus iuxta inſtituta nitentiſſimis fratriis Laicorum, quæ conſtituta eſſe à Religioſis conſtat, & ab iiſdem iam per aliquot ſecula dirigi, ac informari ad omnem pietatem, conſtat de Religioſorum vtilitate in Eccleſiam ex hoc capite.

Sigillatim debeo meminiſſe ſodalitatum B. Virginis, quas Societas IESV, probantibus Pontificibus dirigit informatque. Sanctum inuentum fuit Ioan. Leonis, Belgæ, in Romano Collegio infimæ Scholæ Magiſtri, ann. 1563. Adunauit ille primùm, varios ex inferioribus ſcholis adoleſcentes, qui peculiari ſtudio literas cum pietate coniungerent: Tum anno ſequenti ſuum illum cœtum, dedit in Deiparæ clientelam, indito titulo *Sodalitatis B. Virginis Annunciatæ*, quo titulo Collegij Romani templum tunc inſigniebatur. Breui autem deprehenſo inſigni fructu qui ex illius cœtus adunatione colligebatur, Gregorius XIII. æternæ memoriæ Pontifex B. Virgini addictiſſimus, inſtitutionem huiuſcemodi cœtuum auctoritate Apoſtolica confirmauit anno 1584. & ampliſſimis donariis è theſauro Eccleſiæ locupletauit; facta poteſtate conſtituendi vbiuis terrarum, huiuſcemodi Sodalitates, ad formam Romanæ; cui aggregatæ, iiſdem facultatibus participarent. Cúmque Gregorius, non niſi de cœtibus adoleſcentium egiſſet, poſtmodùm (id eſt anno 1586.) Sixtus V. Gregorij conceſſionem ad ſimiles cœtus ex aliis fidelibus inſtituendo diffundit, quocunque tandem titulo, à B. Virgine petito, inſignirentur. Benedicente autem Domino piis cœptis, res adeò feliciter ceſſit, vt pleriſque locis, in eadem Societatis ſede pro variis perſonarum conditionibus, plura numerentur Parthenica Sodalitia, quorum vnum ſit Eccleſiaſticorum, aliud nobilium Laicorum, aut literatorum, non excluſis honeſtis ciuibus abſque ſaga & toga, & copioſis mercatoribus. Aliud præterea hic Lugduni Sodalitium Parthenicum nuper coaluit, quod breui ad quingentos excreuit; nimirùm Mechanicorum, ſiue Opificum iam grandi natu. Et acceſſit denique vnum & alterum, ex puſillis Mechanicorum libetis decennibus, aut prouectioribus ad pubertatem vſque, in quo quadringenti circiter imbuuntur Chriſtiana pietate, ſumptus ſuppeditante, & ad lumina, & ad ſacrum inſtructum veſtium, & ad omnia pio cœtui neceſſaria, homine Dei Sylnio Renono Mediolanenſi, qui habitu ſæculari obtegit Monachum: Et quod de S. Maximo ait Fauſtus Rhemigenſis, ſub habitu ſeculari Chriſti militem gerens, in hoc mundo poſitus extra mundum eſt, ſeductori impoſtum faciens, ac mentientem fallens, quem ſolo corpore mundus tenet alienum, cum omnino non agnoſcat ſuum. Parco ſuperſtitis modeſtiæ. Multiplicitas porrò quæ in Sodalitiis Parthenicis, Patrumfamilias & prouectiore ætate Mechanicorum notata eſt, æquè locum habet in adoleſcentium ſtudioſorum ſodalitiis, ita vt pro captu eorum binæ, alicubi etiam ternæ intra idem Societatis domicilium numerentur. Puta, vnum in quod Auditores Theologiæ & Philoſophiæ conueniunt. Aliud cui Rhetorices ac Humanitatis auditores conſeruntur. Tertium quo minuſculi (dummodò circiter duodennes) continentur. Effunditur in laudem harum Congregationum pro Scholaſticis, Baldenſanus l. 1. cap. 17. in ſtimulo virtutum. Tantam Congregationum vbertatem, ingens omnino vtilitas conſequitur. Inde enim & adoleſcentes imbuuntur pietate, nec pauci aptantur ad illidendos ſeculò calces in Religioſo quopiam cœtu approbato. Cæteris ea ſancta informatio, & per ætatis lubricum opportuniſſima eſt; & altè infixa, quantumuis interdum ſopiri ad tempus videatur; ſubinde tamen reuireſcit, & fructum edit in tempore. Hæc à Religioſis vtilitas adeò perſpecta eſt, vt non ſit luce vel illuſtratione opus.

SECT. II. PVNC. IV. § I Fructus à Religioſis quoad humana.

PVNCTVM IV.

Fructus à Religioſis quoad humana.

HVc ſpectat rei literariæ per Religioſos promotio, calamitoſorum ſubleuatio in tempore neceſſitatis; variorum ad vſum vitæ vel neceſſariorum, vel commodorum inuentio. Penes quæ omnia capita, Religioſorum erga mortales beneficentia & vtilitas ſe prodit. Attingamus ſigillatim omnia.

§. I.

Res literaria verbo & ſcripto per Religioſos promota.

QVantum humani generis bonum ſit res literaria, nihil attinet aperire, cum ſit res maniſeſtiſſima, & à Tiraquello l. de nobilit. cap. 5. rectè demonſtrata. Si ergo patefecero, Religioſos rem literariam magnoperè excoluiſſe ac promouiſſe; qua verbo, qua ſcripto, reſpectiuam earum bonitatem in qua verſantur, maximè illuſtrauero.

Et minus quidem negotij eſt, in aſtruenda opera Religioſorum in tradendis ſacris litteris, aut exponendis rebus diuinis; qualem laborem Theologia profitetur: cum expoſitiua diuinis Scripturis interpretandis intenta; tum Scholaſtica, excutiens & confirmans noſtra myſteria; tum denique Moralis, nodo conſcientiæ expediens. Nemo miretur iſta à Religioſis tradita, cum eos maximè deceat

SECT. II. PVNC. IV §. I. *Fructus à Religioſis, quoad humana.*

iuſmodi occupatio. Monachi erant Baſilius, Nazianzenus, & alij qui hæc ſtudia probarunt: atque adeò eſſe qui ea traderent, & in iis perſuadendis dirigerent, non potuerunt non probare, etiamſi diuino obſequio eſſent mancipati in Aſceteriis. Sanè Schola Alexandrina in id præcipue incubuiſſe videtur. Eam primum ab Eſſenis eſſe plantatam, habetur ex Io eph. l. 2. belli c. 2. Et fuiſſe hoſce Eſſenos, verè Religioſos, ex S. Marci inſtitutione, alibi V. Serar. in Trih. traditur. Rexit poſtea eam Scholam Clemens Alexandrinus, cognomento *Stromateus* vir vndecunque doctiſſimus, & vt S. Maximus in diſputat. contra Pyrrh. dixit, *Verè philoſophus Philoſophorum:* ac iudicio Hieronymi Epiſt. 84. *omnium eruditiſſimus*. Euſebio 2. de præp. c. 5. autem, *vir magnarum rerum ſcientia præditus & vſu plurimorum negotiorum prudentiſſimus, qui patrias nugas à ſalutari & Euangelica doctrina motus, cito contempſit.* Cuius etiam teſtificatione 6. hiſtor. cap. 11. genuinum titulum libri Stromatum conſtat eſſe, *De vera philoſophia*. Atqui tantus tam æque ſapientiæ vir, Monachum eſt profeſſus, vt non obſcurè colligitur ex *Spudæi* titulo, quo eum inſignit S. Athanaſius. l. de decret. Nic. Synodi & homil. in illud qui dixerit. *Spudæus* enim, Monachum ſonat, vt habetur ex Epiſtola S. Dionyſij Alexandrini adducta ab Euſebio 7. hiſtor. c. 11. & ex Epiſtola S. Petri Alexandrini, apud Theodoretum. 4. hiſto. cap. 20. Sed & Sozomenus l. 1. c. 13. Monachos S. Antonio inhærentes deſcribens, vocat *Spudæos*; Quo item nomine Vitalem Monachum honeſtat. l. 6. c. 24. Apud eundem Iulianus l. 5. c. 15. deſertor mandat, vt Ethnicorum Popæ, quo faciliùs Chriſtianos illicerent, ſimulent *Spudæos*. Fuit ergo Clemens Alexandrinus, è monachorum grege. Et tamen docuit Alexandriæ, vnde cognomen retulit, cum eſſet ortus Atheníenſis, vt alijqui apud Epiphanium hær. 32. prodiderunt; numerauitque inter ſuos in Schola Alexandrina Auditores, Origenem. Procedentibus ſeculis cœleſtis ſapientiæ ſiue ſuperiorum diſciplinarum Scholas, aperuit in Gallia Alcuinus Lutetiam ex Anglia appulſus; cui vere docto Monacho veréque pio, quod eius Confeſſio recens edita teſtatum facit, paſſim tribuunt iacta Pariſienſis Academiæ fundamenta. Poſtea etiam Petrus Abelardus, iam Monachus, de ſui Abbatis ſententia, frementibus licet inuidis, Scholæ præfuit, vt ipſe in ſuarum calamitatum, hiſtoria cap. 18. prodidit. Idemque præſtitiſſe præceptorem aliquando ſuum, Gulielmum Campellenſem iam conuerſum, eadem lucubratione confirmat cap. 2. Scholæ Lanfranci & S. Anſelmi neminem latent.

Minùs mirum eſt, Monachos iam olim tradiſſe Sacram ſapientiam, vt de Clemente eſt exploratum, & de ſubſecutis etiam manifeſtius. Quam magni enim in tradenda ſacra ſapientia fuere Alexander Aleuſis, M. Albertus, S. Thomas, S. Bonauentura, Ioannes Dunſius, omnes Religioſi; præter innumeros alios ſacrarum familiarum præluſtres ſoles, quos nihil attinet anxiè enumerare, cum ſint apud omnes notiſſimi. Illud videri poterit longe mirabilius, quod Religioſi etiam in tradendis humanis diſciplinis, operam poſuerint; nec inſtiterint tantum philoſophiæ tantum & Mathematicæ, ac Rhetoricæ quas mitiores diſciplinas ſolemus dicere, & ſummoperè commendantur à Nazianzeno in Monodia Baſilij, Damaſceno 4. fid. c. 18. Bernardo ſ. 36. in cant. Bleſenſi epiſto. 8. & aliis quos addenſat à Roa 5. ſing. à c. 4. Sed etiam in literarum vt ſic dicam crepundiis, Grammatica inquam & Poetica, & huiuſmodi minutioribus quæ iudice Philone l. de congreſ. hoc ſunt ad veram ſapientiam, quod veſtibula ante ianuam, & ſuburbia ad vrbem. His tradendis diſtineri potuiſſe Religioſos in cœnobiis, eſt quod potiore iure moueat admirationem. At hoc fecere accuratè iam olim Religioſi in cœnobiis, non tantum ad erudiendos ſuos quos dixere. *Nutritos*; ſed etiam ad externos informandos, vt tradit Eberhardus in Notkero, & autor Actorum S. Vdalrici Auguſtani, nec non Beda 3. hiſtor. c. 2. agens de eruditione paruulorum Anglorum per Monachos, vel S. Benedicti, vel S. Columbani alumnos. Ibidemque Adrianus, & Theodorus Monachi, Scholas aperuiſſe leguntur. Bedam ipſum, 4. hiſtor. c. 2. lego ſeptennem traditum eſſe monaſterio, vt literis inſtitueretur. De S. Bonifacio poſtea Germaniæ Apoſtolo, proditur; cum eſſet puer quinquennis, traditum eſſe monaſterio, literis imbuendum, quod & Rabano Mauro obtigit. Videndus in hanc rem Gretſerus 1. obſeruat. c. 8. exponenſque res Fuldenſium Brouuerus l. 1. antiq. cap. 9. & non vno loco Trithemius l. 1. de viris illuſtr. S. Bened. c. 6. & in Chronico Hirſaug. anno 860.

Summa quæ ex harum inferioris (vt ſit dicam) ſubſeſſu diſciplinarum traditione, exiſtit vtilitas, dum per occaſionem tradendæ humanæ doctrinæ, inſtillatur cœleſtis ſapientia, & tenera ætas, veluti recens teſta, ſuaui odore pietatis diu ſeruando imbuitur; facit vt minus neceſſaria ſint probationum à ratione & autoritate ſubſidia, quæ in hanc rem proferunt Suares Tract. 10 de relig. l. 5. c. 5. à n. 10. & Ribadaneyra l. 3. vitæ S. Ignatij c. 24. qui non abhorrere à Religioſo ſtatu eam functionem teneræ ætatis informandæ, & profanas diſciplinas etiam deſpicatiores ac minutas tradendi pulchre confirmant. Id quod etiam inſigniter ac fusè præſtat Franciſcus Sacchinus in Protreptico ad Magiſtros ſcholarum inferiorum parte 1. & 2. Idipſum congruere illi Chriſti verbo, *ſinite paruulos venire ad me*, dixit Sanctus Baſilius, reg. breu. 292. reſpondens ſciſcitanti, deberetur eſſe inter fratres Magiſter puerorum. Concinitque Gerſo, tractatu de paruulis ad Chriſtum trahendis. Verum eſt, aliquando interdictum fuiſſe Monachis, traditione iſtiuſmodi literarum inferiorum, & minuſculæ ætatis externæ informatione, vt habetur in Additamentis ad Capitula Ludouici Imperatoris tit. 45. & in S. Cæſarij regula, cap. 5. ita præſcribitur. [Nobilium filij ſiue ignobilium, ad nutriendum aut ad docendum, penitus non admittantur.] Aliqua nimirum adiuncta ita ſuadere potuerunt. Viguiſſe tamen pleriſque in locis praxim contrariam, ſatis demonſtratum eſt; confirmatque Choppinus l. 1. monaſt. tit. 2. n. 8. referens impoſitam Abbatibus neceſſitatem habendi in Monaſteriis Magiſtros a quibus iuuentus bonas ſimul literas & rectos mores doceretur. Et ſuffragatur Theodulfus Aurelianenſis in Synodica n. 19. faciens poteſtatem presbyteris ſuis, mittendi nepotes aut conſanguineos, ad Scholas monaſteriorũ ſuæ diœceſis; nominatim ſignans Eccleſiam S. Crucis, & monaſterij S. Amiani, ac S. Liphardi, & S. Benedicti. Itaque falſi quidem ſunt vel potius fallere voluerunt, nuperi ſectarij, cum ſcripſerunt, ſaltem à tempore ſancti Benedicti, monaſteria aliud non fuiſſe quam Scholas publicas. Fuiſſe tamen variis cœnobiis adiunctas Scholas publicas, id eſt in quibus per doctos Monachos, externi quoque erudirentur, inficiari non licet. Legeſis quæ

notata

notata ſunt in Opella de Religioſo Negotiatore §. 7.

In præſentia, non eſt omittendum luculentum exemplum quod ſignat Ioannes a Boſco ad calcem capitis primi vitæ S. Abbonis Floriacen. per Aymoinum, viri ſancti educationem in Schola Clericorum Eccleſiæ S. Petri obſequentium Floriaci conſtituta. Ait ergo Scholas in eo cœnobio fuiſſe celeberrimas; ita vt adoleſcentum ſtudioſorum numerus vltra quinque millia excreſceret, à quorum ſingulis pro munere honorario (quale nunc quoque in Scholis exhibetur Magiſtris ſecularibus;) dabatur Monacho didaſcalo duplex volumen manuſcriptum, haud quaquam vile xenium, nondum tunc excogitata arte Typographica. Inde immenſitas voluminum Floriacenſis Bibliothecæ coaluit, cui ſtragem nunquam ſatis deflendam intulit furor Caluinianorum anno 1561. & 1562. occupato per eos Monaſterio. Ipſe S. Abbo (vt c. 3. additur,) docuit poſtea in eodem cœnobio per annos aliquot.

Cum hac tradendarum literarum humanarum cura quam Religioſi ſuſceperunt, nectitur, iuuentutis bona educatio, & ad pietatem informatio. Neque enim demitterent ſe Religioſi ad eam minutam & in ſpeciem abiectam occupationem, niſi allicerentur ſpe per eam occaſionem inſtillandi iuuenibus pietatem. Quod eſt tanti momenti negotium, vt nulla illud aſſequi poſſit oratio. Eucherius hom. 4. de Epiph. fortitudinem Machabæorum iuuenum cui omnis ferocia & crudelitas Tyranni ludibrium debuit, ſecundùm diuinam gratiam, aſſignat piæ educationi & informationi ſanctæ à pueritia. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſtol. 316. Callimachum Comitem ad liberorum ſuorum iam à tenera ætate ſollicitam curam vrget, eo quod inſtitutio & informatio illa, magni omnino ſit momenti. Chryſoſtomus hom. 21. in ad Epheſ. & hom. 2. in ad Coloſſ. & hom. 9. in 1. ad Timoth. ob eandem cauſam ſæpè vrget bonam liberorum informationem. Cum ergo res hæc ſit tanti momenti, optimo conſilio Religioſi eam fecere ſpartam ſuam: & euentus vota non eſt fruſtratus.

Fuit etiam qui non ex ſuggeſto tantùm docere iuuentutem ac erudire propoſitum habuerit quod vnum ferunt omnia quæ adduximus; ſed etiam domeſtici pædagogi partes obierit, imitatus ſtudium ſanctorum Angelorum in miniſterium noſtrum à Deo miſſorum. Hos enim nobis eſſe pædagogos, ex Origene, Gregorio Thaumaturgo, Baſilio, atque Bernardo, notare memini; exponens titulum cultus ſpecialis Præſidis Angeli p. 4. Charitatem itaque Angelicam imitatus ſanctus quidam Monachus, referente & collaudante Sancto Chryſoſtomo lib. 3. contra vitæ monaſt. vituper. Rogatu piæ matris deſeruit eremum, vt nobilem iuuenem à ſecularibus curis ad pietatis ſtudia traduceret. Pater enim homo militaris filium iiſdem ſecum ſtudiis implicare in animo habebat, admodùm inuita matre, quæ clarum Deo potiùs quàm ſeculo filium habere cupiebat. Quare aduocato ſancto illo Monacho, effecit, ac rationibus ex charitate petitis peruicit, vt is ſepoſita ad tempus veſte & externa vitæ ratione monaſtica, pædagogum filij ageret. Nec defuit diuina bonitas matris & pædagogi conſiliis. Iuuenem adeò corripuit diuinæ charitatis flamma ex optima inſtitutione vt niſi frænatus fuiſſet, conuolaturus illicò fuiſſet in eremum vt inter Monachos degeret: quod ſi feciſſet, magna à patre tempeſtas detonuiſſet: in Monachos quoſcunque, ſed maximè in pædagogum, & matrem, quæ eum curauerat filio præficiendum. Itaque temperato nonnihil men is ardore, hæſit adhuc aliquandiu in vrbe, ſtudiis liberalibus deditus, magno condiſcipulorum bono. Eius quippe ſanctis moribus, pleriique ad veram ſapientiam illecti ſunt. Ipſe autē in dies proficiens quamuis externa ſpecie ſecularem iuuenem præferebat, neque vel comæ negligētia, vel amictus vilitate, vel quacunque externi cultus parte, ab aliis diſcreparet; tamen interior ſapientia fiebat in eo auctior in dies, & in nullo monaſterij diligentiam quis deſideraſſet, nihil præter neceſſaria ad victum admittens. Tempus verò magna ex parte in peruolutandis ſacris voluminibus, ac oratione conſumebat; cibi per diem totam abſtinens, & plurimos interdum dies impaſtus. Veſtem cilicinam noctu induebatur, S. Baſilij imitatione, vt & applauſus meritorum corruptor deeſſet, & à punctione hirſuta illius interulæ, moleſtiam ſuſtinens, citius euigilaret. Sic habuit Monachi pædagogi inſtitutione, optimus adoleſcens; quem aliquanto poſt tempore, turbo adortus, vehementérque irruens, non ſolùm in nullo inclinauit aut læſit, ſed etiam firmiorem ac validiorem monſtrauit. Verba ſunt Sancti Chryſoſtomi, cuius longiuſculam de hoc tam inſigni pædagogo orationem, compendio repræſentaui.

SECT. II. PVNC. IV. § 1. *Fructus à Religioſis quoad humana.*

In ſumma, tanti momenti cenſuit eſſe, hanc minutæ ætatis informationem ac educationem ſapiens quidam adductus a Gerſone l. de paruulis ad Chriſtum trahendis conſider. 1. vt pronunciarit, ſi ſuſcipiatur conſilium de Eccleſiæ reformatione, nihil poſſe conducibilius præſtari, quàm ſi initium ſumatur a paruulis qui præ carentia malorum habituum & cerea mollitudine ad extrinſecā formationē, culturæ ſunt maximè accommodati. Hoc ille (vt Gerſo ait) *circumſpectiſſimè*, id eſt, prudentiſſimè pronunciauit, vt perſuaſum habuit Sanctus Ignatius de Loyola, Eccleſiæ inſtaurationem ac innouationem inde auſpicatus, vt alio loco expenſum eſt; & plene illuſtrat Daniel Bartoli in ſuo de eius rebus Commentario; poſt Ribadeneiram & Orlandinum. In hāc rem diligenter diſſeruit qui de recta iuuentutis aduerſione tractationes ediderunt, cum Ethnici vt Plutarchus, l. de educ. liberis; cum Noſtri vt Sadderus & Matthæus Veggius opuſc. de educ. libris ſex & Deo argumento, ac Æneas Syluius, necnon Gerſo tam laudatus. Omnia enim quæ hi auctores vniuersè proferunt, atque confirmant, momentum educationis & informationis puerorum vel adoleſcentum per Religioſos exornationi accommodant.

Doctrinæ verbo traditæ docendo in ſcholá, continens eſt doctrina ſcripto commiſſa, quæ & diuturnior eſt, & ad plures eodem tempore diffunditur quàm quæ voce viua communicatur. In quam rem diſputatum eſt ſub initium Operis de bonis & malis libris partit. 1. ex Gilberto ac Petro venerabili, & S. Maximo, ac Sariſberienſi, & Luca de Penna. Docent iſti, quanti referat bonos libros conſcribi; qui vt Themiſtius orat. 13. loquitur, ſint bonorum ingeniorum velati conditoria. Vt enim corpus ſepulchro conditur, ſic ingenium & anima ſcriptoris libro immittitur, vt ibi poſt ſcriptoris obitum duret eius ſapientia. Sed non eſt, omnium libros bonos conſcribere. Multorum libri, ſunt velut fungi ingeniorum, quibus tametſi plebecula det plauſum, breui tamen exoleſcunt, aut

SECT. II. PVNC. IV. §. I. *Frn.Sni à Rel:iosis quena humana.*

aut cedunt in Trombroum tunica, piperiſque cucullæ. Plerique non niſi farragines & tuceta hinc inde adipata euulgant, ita vt pauci verè dicantur *autores*, quo nomine non ſunt donandi miſeri Eraniſtæ, nihil ex ingenio promentes; ſed ea tantùm incondi è effutientes, quæ in molem indigeſtam abſque delectu aceruarint. Scriptorem, bonum, neceſſe eſt ingenio valere, & iudicium ingenio commenium ſortiri; ac eſſe mente perpurgata, cuius acies ad verum perſpicuè peruadat, & falſum veri ſpecie obductum, prudenti incerniculo diſcriminet. Cum verò Religioſis, ſit mens ob paſſiones retuſas nequaquam obnubilata, (quod ad parandum inſtructum ſcientiæ ſcriptori neceſſarium imprimis conducere, Caſſianus obſeruauit l. 5. c. 34. & collat. 4. c. 9. 10. 14. & 16.) inde efficitur, poſſe inter Religioſos reperiri; qui verè euadant in ſcribas doctos in regno cœlorum, proferentes de theſauro ſuo noua & vetera. Huius pronunciati illuſtratio, poteſt ferè videri ſuperuacanea; cum per ſe incurrat in oculos; nec vllus ſit in re literaria adeò hoſpes, vt eum lateat quæ & quam illuſtria ſcripta Religioſi emiſerint, locupletandæ Dei Eccleſiæ.

Habet Eccleſia ſancta ſcriptores optimos, eos in primis quos titulo *Doctorum Eccleſiæ* inſignitos veneramur ob eximiam ſapientiam atque doctrinam. Ex iis Latini ſex numerant Gregorium Magnum; Ambroſium, Auguſtinum, atque Hieronymum; quibus adiuncti ſunt inclinante ſuperiore ſeculo, bini, Sancti Thomas Aquinas, & S. Bonauentura. Græci numerant Athanaſium, & Trinitatem Theologorum; Ita nominant S. Baſilium, S. Gregorium Nazianzenum, atque Chryſoſtomum quos vno coniunctim feſto exornant menſe Ianuario, ex viſo cœleſti ad ſopiendam improuidorum contentionem, quis eorum aliis antecelleret. Hi, aut omnes, aut ferè omnes, Religioſi fuere. Dico *fere* omnes, quia S. Ambroſium non liquet Religioſum fuiſſe; Tametſi non deeſt coniectura quod religioni nomen dederit; pro more multorum, qui cœnobia inſtituentes, ad Religioſos excipiendos quibuſcum familiariter verſarentur, & ſpiritum fouerent, eorum cætibus conſerebantur. At S. Ambroſium conſtat erexiſſe Mediolani Monaſterium, quod ſpurcus Iouinianus magno S. Antiſtitis cordolio dehoneſtauit, luxuriæ factus Magiſter, vt ipſe S. Ambroſius ex Paulino in vita, & ex S. Auguſtino 8. conf. cap. 6. de eo pronunciauit. Seposito igitur S. Ambroſio, in pſalm. 36. quod de eo non prorſus conſtet, Religioſum fuiſſe, cæteri omnes, Religioſi fuerunt. Hoc liquet, de S. Gregorio, tametſi cuius Religioſi ordinis fuerit, certatur inter Baronium & Caietanum. S. Auguſtinus Religioſum profitetur, nec diſſimulat obiectum ſibi eſſe à Donatiſtis, quod ea profeſſione fuerit, & religioſum Ordinem condiderit. lib. 3. contra liter. Petil. c. 40. Quin S. Hieronymus fuerit Monachus nemo reuocauit in dubium, præter Eraſmum. Sed craſſe aberraſſe Eraſmum, Richardus Cœnomanius antidoto ſuo ad Eraſmi virulentam cenſuram in Regulam S. Auguſtini, validè euincit: Nec mirum, illum Sacrorum Sciptorem murem & arroſorem, S. Hieronymo lib. 3. de ratio. concion. pag. 572. abrogaſſe Monachatum, cum nomen *Monachi* & *Religioſi*, vanum quid, & vmbraticum dumtaxat, eſſe contendat; nulla vota agnoſcens Monachatui innixa, veſtitum peculiarem ac determinatum reiiciens, omnem viuendi exſolutionem, & quidlibet agendi & libidinandi poteſtatem faciens, calcata omni regulari obſeruantia; ac ne ipſum quidem *Apoſtatæ* nomen defectioni à Religioſo ſtatu tribui ſuſtinens. Talem ſe Monachum audire, ægrè ferret S. Hieronymus. Probati tamen Monachi nomen & profeſſionem religioſi non eiurauit, vt Eraſmus fecit, de quo in Tractatione de Apoſtaſia cap. 4. Cum ergo ipſe S. Hieronymus epiſto. 13. diſertè profitetur ſe Monachum, & reſpondens Ruffino, vrgenti adimpletionem promiſſi per ſomnium emiſſi, de non legendo Cicerone; nec obſcurè aſtipuletur S. Auguſtinus; epiſt. 15. quid moramur ranam, in Batauinis paludibus coaxantem in contrarium? Fuit ergo Monachus S. Hieronymus, & hunc in exponendis diuinis ſcripturis doctorem Maximum, Eccleſiæ de cœlo prouiſum, ſtatus Religioſus ſubminiſtrauit. Ringatur quantumlibet Eraſmus. De S. Thoma Aquinate & S. Bonauentura, qui ad Syllabum Doctorum Eccleſiæ, inclinante ad finem ſuperiore ſeculo acceſſerunt, nimis notum eſt Religioſos fuiſſe. Itaque omnes Doctores Eccleſiæ Latini, præter fortè S. Ambroſium, educti ſunt è Religioſis cœnobiis; & cum omnes multa & inſignia ſcripta emiſerint, manifeſtum eſt quod hic intendimus, nempe Religioſos, theſaurophilacium Eccleſiæ magnis gazis ac opibus cumulaſſe.

E Græcanicæ Eccleſiæ doctoribus, nemo fuit qui Monaſticam non ſit amplexatus De S. Athanaſio ſatis id inſinuat Nazianzenus orat. 21. n. 21. exponens conciliatam ab eo cum Epiſcopatu philoſophiam; hoc eſt iuxta phraſim Græcorum, vitam monaſticam. Et verò conſentaneum admodum fuit, virum ſanctum eam vitam amplexum eſſe, quam tantoperè in S. Antonio, & in S. Syncletica collaudauerat. Deſcripſit enim vtriuſque acta & S. Antonij res geſtas ſcripto abs ſe comprehenſas, Romam intulit, teſte S. Hieronymo, epiſto. 16. qui ait nomen Monachi propè ignotum, per ſcriptionem illam S. Athanaſij Romam appulſi, Occidente toto innotuiſſe: Eſtque veriſimillimum, Melaniam quæ per illud tempus calces ſeculo illiſit Romæ, fuiſſe excitatam ad capeſſendum Religioſæ vitæ inſtitutum, ſcriptione S. Atanaſij de Syncletica nobiliſſima fœmina: ſicut duo aulici apud S. Auguſtinum l. 8. conf. c. 6. lectione geſtorum S. Antonii quæ S. Athanaſius vulgarat, permoti ſunt vt nuncium mundo remitterent. Tandem plebs Alexandrina depoſcens ſibi S. Athanaſium in Epiſcopum, vt ipſe de ſe teſtatur, Apoll. 2. vocat eum *Spudæum*; id eſt ex Aſcetis vnum atque adeò S. Athanaſius, tantus Doctor, cuius ſcripta ſi charta deficeret inſcribenda eſſet veſtiméto ex ſententia Coſmæ Abbatis apud Moſchum, cap. 40. fuit Monachus. De aliis Græcis quos Eccleſia Doctores ſuos indigetauit, res eſt extra controuerſiam. Quoad S. Baſilium, non modo conſtat fuiſſe Monachum, ſed etiam multorum Monachorum Patrem, & principem inter Aſceticæ vitæ Magiſtros. S. Gregorium Nazianzenum fuiſſe Monachum, teſtatur in eius vita Gregorius Presbiter, & perſpicuè Ruffinus, l. 2. hiſt. c. 9. & ipſemet non rarò confirmat. Imo non vana eſt coniectura Conſtitutiones Monaſticas S. Baſilio inſcriptas, quibus Eccleſia in genere Aſcetico nihil habet abſolutiùs, communiter & collato ſtudio, ab hac Sancta Synoride fuiſſe exaratas. S. Ioannes Chryſoſtomus V. Flores Chryſoſtomi per Champaignium c. de votis Monaſticis. Monachum ſe prodit variis locis, & ſtatus Monaſtici decora egregio volumine aduerſus oblocutores propugnauit. Virtutes autem Monachorum ac Monialium ſui temporis, variis locis tanquam ſibi perſpectiſſimas, (vtpotè Monachum profeſſo) ſcriptis

ſcriptis commiſit; vt propterea valdè mirer, recens aliquem Liturgiam, in Notis hiſtoricis ad officia SS. Euchariſtiæ, Chryſoſtomi ei abiudicare, & Ioanni II. Ieiunatori tribuere, eo quod in ea, Patriarcha tunc ſedens dicatur fuiſſe Monachus: quod is de quo ago, ſupponit non cadere in S. Chryſoſtomum.

Quamuis non eſſent ex Religioſis alij, qui ſuis lucubrationibus rem literariam ditaſſent, ac promouiſſent, ſatis ſupérque foret ad Religioſorum ex hac parte beneficentiam apertè demonſtrandam. At præterea immenſas in eodem genere à ſingulis propè Ordinibus opes habemus, quibus res literaria mirum in modum illuſtrata eſt & amplificata. Singulorum ferè ordinum diligentia, indices confecti ſunt, quibus innoteſceret quos quiſque eiuſdem familiæ alumnorum, libros conſcripiſſet Trithemius & in opere de ſcriptoribus & l. de viris illuſtribus ſui ordinis, ſcriptores ſuos Benedictinos annotauit l. 2. ligni vitæ cap. 61. Eoſque ad 15. millia excreuiſſe dixit Arnoldus VVion. Theodorus Petreius ſcriptores ſuæ Carthuſianæ familiæ complexus eſt, eo volumine quod prænotauit titulo *Bibliotheca Carthuſiana.* Antonius Senenſis eandem diligentiam adhibuit circa ſuos Ordinis Prædicatorum ſcriptores. Lucas Vaditus idem præſtitit circa ſuos Minores. Ex quo opere manifeſtè patet, quanta & ſupinitate & malignitate Martinus Kemnitus Lutheri combibonum ſtrenuiſſimus; dixerit, Fratres Minores mutata nuncupatione dicendos eſſe, *Fratres Ordinis de Ignorantia,* vt Didacus Payua lib. 1. Orthod. explic. pag. 35. memorat. Aliorum Religioſorum Ordinum Bibliothecæ alibi mihi enumeratæ ſunt. Indicem librorum à Societatis IESV ſcriptoribus editorum, confecit ex principiis Petri Ribadeneyra, Philippus Alegambe prænotatum titulo *Bibliotheca Societatis Ieſu.* Opus nobile & amœnum, ex quo liquet haud vanum eſſe encomium quod F. Iuo à Lutetia Ordinis Capucinorum, in triumpho Relig. parte 3. cap. 10. & opere quo de Religioſæ vitæ vituperatoribus triumphauit, Societati IESV panxit à fœcunditate ſcriptionum omnis generis, quæ quidem Religioſum hominem deceant. Nam & in ſacra & in humana literatura; Theologia inquam Scholaſtica, Expoſitiua, & Morali; Philoſophia inſuper ac Matheſi; item Philologia, Rhetorica, Hiſtoria, Poëſi, & quocunque demum literaturæ non reprobo genere, auctores complures, nec triobolares, ſed in ſuo genere, eximios repræſentat, variis indicibus digeſtos ad calcem ſuæ Bibliothecæ Alegambe; & eſt qui auctarium illi operi propè æquale proximè adiuncturus ſperatur.

Haud abs re igitur, Stephanus Cantuarienſis in Allegoriis Tilmanni, aptat Religioſis illud ex 1. Paral. 2. *Cogitationes Scribarum, habitantes in Iabes, canentes atque reſonantes; & in tabernaculis commorantes.* Scribas ait Stephanus, bellè congruere cum Religioſis ſcriptoribus, qui habitant in Iabes. (Sonat ea vox, Siccitatem,) quia aruit in eis humor noxius concupiſcentiæ, ſedem præbens Behemotho; ob mentis iucunditatem canunt ac reſonant per carnis macerationem; nec aliter quàm peregrini & hoſpites habitant ſub tabernaculis: Vnde ſoluti ſeculi curis, & in mentis fluſtro perpetui, ſunt accommodatiſſimi ad proficiendum in literis, & multas nec ieiunas, ſed benè farctas, benéque ſaginatas lucubrationes in publicum proferendas. Quòd ſi Academiæ vix aliud ſunt quàm officinæ librariæ, ita vt ex vna Pariſienſi Academia cœterarum matre, prodiiſſe referantur ſcriptorum in Magiſtrum ſententiarum intra quatuor ſecula, vltra vndecies centena millia (ita ſe Lutetiæ cum eſſet, à fide dignis qui eos accuratè & cum fide ſubduxerant, comperiſſe, ſcribebat annis proximè ſuperioribus Valentinus Gerardus in Triumpho Virginis parte 3. diſſect. 2.) manifeſtum eſt, quantum hinc decus Religioſis contibus effloreſcat, quod & ſcriptorum illorum bona pars Religioſis ſit annumerata, & auctores illius Academiæ omnium aliarum parentis, fuerint Alcuinus & Ioannes Scotus Eriugena ambo Religioſi, vt ſupra attigi, & notauit Thomas Boſius l. 9. de ſignis cap. 4. Nemo autem non videt, quàm multi Religioſi, præter ſcriptores in Magiſtrum, in ea Academia claruerint, & quidam prorſus eximij, vt Hugo & Richardus Victorini, Ioannes Maldonatus. Et qui non? De vtilitatibus ergo per Religioſos rei literariæ illatis, liquet plus ſatis.

SECT. II. PVNC. IV. §. I. *Fructus à Religioſis quoad humana*

§. II.

In tempore neceſſitatis, Religioſi ſubleuatores fidelium.

SVbleuatio quam Religioſi mortalibus impendunt, multiplex eſt pro varietate neceſſitatis. Vel enim hoſpites ac peregrinos cum charitate excipiunt; vel ægris opitulantur, vel in graui publica calamitate, quæ impendeat, aut illata iam ſit, mulcent & firmant mærentes animos; vel aduersùs famem quærunt ſubſidia; vel captiuorum redemptioni nauant operam. Nullum denique genus calamitatis eſt, cui non conentur remedium adhibere ſi poſſint. Attingo breuiter ſingula.

De hoſpitalitate Religioſorum erga egentes peregrinos, multa dixi tractans amorem nationis in amore Crucifixo. Nunc obiter dico, curam peregrinorum, eſſe rem, & Chriſtianis vniuersè, & ſpecialiter Religioſis congruentiſſimam. Allegatur in contrarium Diotrephes reprehenſus à B. Ioanne, quòd fratres non ſuſciperet. Sed non idcirco negaſſe peregrinos eſſe ſuſcipiendos, aſſerit contra Bernardum Luxemburgenſem, Alphonſus de Caſtro lib. contra hær. V. Peregrinus. Suntque tam multæ in eam rem Scripturæ à Gretſero lib. 3. de peregr. cap. vltimo addenſatæ, vt vix potuerit alicui venire in mentem, contrarium. Praxis item antiqua veterum Chriſtianorum, expreſſa ab Luciano in Dialogo *peregrini impoſtoris*, id ipſum confirmat. In antiquis quoque, collandata eſt hoſpitalitas, etiam ante legem. [Miſſi Angeli (ait Origenes hom. 5. in Geneſ.) ad ſubuerſionem Sodomorum, cum iniunctum cuperent maturare negotium, curam priùs gerunt hoſpitis Loth, vt eum de imminentis ignis excidio contemplatione hoſpitalitatis, eximerent. Audite hæc qui peregrinis clauditis domos; audite hæc qui hoſpitem velut hoſtem vitatis. Loth in Sodomis habitabat. Alia eius benè geſta non legimus. Hoſpitalitas in eo ſola, ex vſu veniens memoratur. Euadit ignes, euadit incendia, ob hoc ſolùm quòd domum ſuam patefecit hoſpitibus. Hoſpitalem domum Angeli ingreſſi ſunt: Clauſas hoſpitibus domos, ignis ingreſſus eſt. Hebr. 13.] Hoc eſt quod aiebat Apoſtolus *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci. Propter hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Princeps item Apoſtolorum, admonebat fideles, vt

SECT. II. PVNC. IV. §. I. *Fructus à Religioſis quoad humana.*

vt eſſent. *Hoſpitales inuicem, ſine murmuratione.* Addit Bleſenſis, Epiſto. 24. eo (vt vocat) edicto Principis Apoſtolorum propoſito; [Princeps etiam Principum; in iudicio tremendo quibuſdam dicturus eſt; *Hoſpes fui, & non collegiſtis me.* Hoſpitalitatis fuit meritum, quod duo diſcipuli euntes in Emaus, aorafia ſublata, in fractione panis, Dominum cognouerunt. Plerique etiam arbitrantur B. Gregorium fuiſſe illum patrem familias; qui in expoſitione eiuſdem Euangelij, hom. 23. in Euang. legitur in leproſo Dominum ſuſcepiſſe. Proſapia Regis Angliæ, quia vnus de anteceſſoribus eius, cuidam leproſo quem in hoſpitio exceperat, gratiam officioſæ humanitatis exhibuit; ab officio Foreſtani in eminentiam Regiæ dignitatis aſcendit. Hoſpitalitatis gratia ſuſcepit Abraham de Sara ſene ac ſterili, filium, in quo Dominus benedictionem omnium gentium repromiſit. Angeli hoſpites, liberauerunt Loth de ſubuerſione & incendio Sodomorum. Raab ab hoſpitibus ſuis Caleb & Ioſue, ſalutem ſuæ domus obtinuit. Hoſpitalitas Sunamitidis, dedit ei filium precibus Eliſæi; eundémque mortuum ſuſcitauit. Pauperi viduæ, quia Eliam hoſpitio ſuſcepit & pauit, cœleſti gratia influente, poſtea nec oleum nec farina defecit.] Hæc ſuadent, hoſpitalitatem, quoſcunque humanitate prædictos docere. Similia vniuersè proſequitur S. Ambroſius, ſer. de hoſpitalitate l. 1. de Abr. c. 5. & l. 2. de off. c. 21. tractans hoſpitalitatem Abrahæ, nec non S. Auguſtinus, l. 65. de tempore hom. 45. in hom. 41. in Gen. & S. Chryſoſtomus, & hom. 14. in 1. ad Timoth. paſſimque Patres alij. Eſtque hæc veritas adeò explorata; vt etiam ſpiculum Ethniciſmi lumen eam perſpexerit, vt videre eſt apud Tullium, 2. offic. à quo allegatur Theophraſtus, meritò tamen carpente Lactantio l. 6. inſtit. c. 12. quod hoſpitalitatem reſtringant ad homines illuſtres, qui perſonis illuſtribus excipiendis dent operam. Hanc reſtrictionem florem huius virtutis, quæ egeni prius ſubleuationem reſpuit, merito notat Lactantius. Sed de ea plerumque non ſatis pura hoſpitalitate Ethnicorum, videndi Stucchius, in opere de conuiuiis & Iacobus Philippus Thomaſſinus l. de teſſeris hoſpitalitatis.

Mirum itaque non videbitur, Religioſos nitentiſſimam huius virtutis ſpeciem, ſyncerè eſſe conſectatos. Ita habetur ex illis verbis S. Hieronymi. apolog. in Ruffin. [Nobis in Monaſterio, hoſpitalitas cordi eſt, omneſque ad nos venientes, læta humanitatis fronte ſuſcipimus.] In vitis Patrum, & Actis Sanctorum, eadem læta ſuſceptio peregrinorum, frequentiſſimè occurrit. Caſſianus l. 5. c. 24. Ægyptiorum Monachorum hoſpitalitatem, mirificè commendat. Ruffinus l. 2. c. 1. deſcribens Monachi receſſum. [Cœpit (inquit) iter agere per eremum noctu; & tendere ad ciuitatem. Sed vbi dies facta eſt, ciuitas quidem longè adhuc aberat, ipſe verò cum rapidiſſimo æſtu coqueretur, & fatigaretur in eremo, vndique tactus, conſiderare oculis cœpit & requirere ſicubi eſſet in vicino monaſterium; & cum cóſpexiſſet fratrum quandam cellulam, tendebat illhuc, vt apud eos requieſceret: quem vbi ad eſſe ſenſerunt ſerui Dei, continuò procurrunt in obuiam, & velut Angelum Dei excipientes, adorant, pedes lauant, ad orationem inuitant, menſam parant, atque omnia ſecundùm diuinum mandatum complent charitatis officia. Verum vbi refectus eſt, & paululum requieuit, ex more quaſi ab eruditiſſimo & opinatiſſimo Patre, cœperunt verbum ædificationis expetere, ac monita ſalutis inquirere.] Rurſum c. 7. agens de Abbate Appollonio. [Tres eramus nos fratres, cum venimus ad eum, & ecce longè adhuc poſitis nobis, ab eius monaſterio, occurrerunt nobis fratres, qui ab ipſo ante triduum audierant de aduentu noſtro. Occurrerunt autem nobis cum pſalmis. Hoc enim eſt moris facere, in aduentu omnium monachorum. Et adorantes in facies ſuas vſque ad terram, oſculabantur nos, atque oſtendentes nos ſibi inuicem, dicebant; Iſti ſunt fratres, de quorum aduentu ante triduum nobis pater Apollonius prædixerit &c. Alij ergo ex fratribus præcedebant nos, alij ſequebantur: vtraque tamen turma pſallebat. Vbi autem appropinquare iam cœpimus, audita voce pſalmi, etiam ipſe S. Apollonius procedit in occurſum: Et vt vidit nos, ſtatim prior adorauit vſque ad terram, & ſurgens oſculo nos ſuſcepit. Vbi autem ingreſſi ſumus monaſterium, oratione prius, (vt moris eſt,) data, pedes noſtros propriis manibus lauit, & cœtera quæ ad requiem pertinent adimpleuit. Hæc autem facere ei moris erat, omnibus aduentantibus.] Addit inferius, multa ſecretius ab eodem Sancto Apollonio diſputata eſſe, de hoſpitalitate & exceptione peregrinorum; tanquam Chriſti dicentis. *Hoſpes fui & ſuſcepiſtis me*: propterea que aiebat ex antiqua traditione, adorari hoſpites aduentantes. Et Abraham credens ſe hominem excipere, Deum repræſentatum excepit. Nec ſufficere adventantes vtcunque excipere; ſed ſi res ferat, cogendos etiam eſſe exemplo Loth. Tandem inferiùs Ruffinus c. 21. agens de monachis Nitriæ, qui in quinquaginta circiter tabernaculis, vel ſingulares, vel plures ſimul, ſub vno patre degebant, ait. [Cum appropinquaremus loco, vbi peregrinos fratres aduenire ſenſerunt, continuò velut examen apum, ſinguli quique, ex ſuis cellulis prorumpunt, atque in obuiam nobis læto curſu, & feſtina alacritate contendunt, portantes ſecum quamplurimi ipſorum, vrceos aquæ, & panes &c. Tunc deinde ſuſceptos nos, adducunt primò cum pſalmis ad Eccleſiam, lauant pedes, ac ſinguli quique linteis quibus vtebantur abſtergunt, quaſi viæ laborem leuantes. &c. Quid ego nunc de humanitate eorum, quid de officiis, quid de charitate loquar, cum omnes geſtirent, nos ad ſuam quiſque introducere cellulam? &c. Nuſquam ſic vidimus florere charitatem, nuſquam ſic vidimus opus feruere miſericordiæ, & ſtudium hoſpitalitatis impleri.] Quid toties meminit lectos hoſpitibus pedes, erat olim erga peregrinos perpetuum, de quo extat luculenta Greſeri lucubratio, cui titulum fecit *de pedilauio.*

Ex his ergo apparet, quam commendata eſſet antiquis Monachis hoſpitalitas. Tantum opponi poteſt S. Pachomius, c. 22. vitæ qui viſus eſt frigidius excipere externos, nolens eos introducere ad ſuos. Sed hoc potuit non deſtitui iuſta excuſatione, quæ duci ex parte poteſt ex iis quæ Concilium Cæſarauguſtanum c. 3. edixit contra admiſſionem ſecularium in domos Monachorum; eo quod tales hoſpites; & grauent cœnobia, & multa Monachis auocamenta religioſæ vitæ ingerant; variis (vt Concilium loquitur), inſolentiis, ingeſtis. Et quamuis hoc non ſit timendum ab externis Monachis, (quos tamen S. Pachomius æquè renuebat ad ſuos inducere); tamen certum eſt, plerunque diuerſi inſtituti perſonas, frequentare ſe cum diſpendio, dum animaduertitur peregrinitas conſuetudinum ac vſuum, quæ aliquando fit ſementis turbationum. Quare factum S. Pachomij non caruit probabili ratione; præſertim cum nihilominus, cœtera humanitatis officia peregrinis magna cum charitate

ritate exhiberet, pro more Religioſorum cæterorum, in quorum cœnobia hoſpitalitas imbrem auream deuocauit qui per inhoſpitalitatem exaruerat. Idque Petrus Bleſenſis Epiſto. 29. expreſſum ait: in facto viduæ, quam ob exceptum hoſpitio Eliam, nihil poſtea defecit [Dum in monaſteriis, (inquit Petrus,) florebat hoſpitalitas, principes terræ; loca Religioſorum paſſim & certatim, magnis facultatibus ampliabant: deficientibus autem vaſis; oleum ſtetit. Ex quo etiam tempore, in monaſteriis tepere cœpit liberalitas hoſpitalis, ſtetit ac ceſſauit magnatum largitio; vereorque ne pauperis viduæ filij, quos Propheta liberauerat, iterum à creditoribus rapiantur in ſeruos. Sancta enim religio, quæ Monachorum mater eſt, datur hodie in conculcationem, poſſeſſiones illius trahuntur in direptionem & prædam; & quod olim deuota Principum magnificentia contulit, modernorum auaritia, non ſine magno fœnoris diſpendio, reuocare & auferre præſumit. Multos equidem, à magnatum familiaritate & gratia, ſeparat defectus hoſpitalitatis. Sic brachio contrito, humerus à iunctura ſua cadit; dum reuerenda olim Religionis autoritas, Principum oppreſſione calcata vileſcit, & euenit imprecatio illa Iob, dicentis, *Si comedi buccellam meam ſolus; quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio & de vtero matris meæ egreſſa mecum eſt. Si foris ſtetit peregrinus, ſi oſtium meum viatori non patuit, humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium cum oſſibus conteratur.*

Senio ad aliud genus ſubleuationis per Religioſos impenſæ; nempe ad opitulationem ægrorum. Hæc vel eſt ordinaria & quotidiana. Dico *ordinariam*, eam ſubleuationem, quæ in ægritudinibus ordinariis exhibetur, vel adminiſtrando ſacramentum pœnitentiæ, vel piis alloquiis quibus ægri fouentur; & ſi eorum virtus defecerit, ad bonam mortem animantur. Hoc quia inge eſt, vix attinet commemorare. Sed eſt alia ægrorum ſubleuatio quam extraordinariam dixi; ſiue ea quâ conſultò ægri in Nozodochiis publicis iuuantur; ſiue qua lue graſſante curantur infirmi. Prior micat excellenter in Actis S. Franciſci Xauerij; cui perpetuum erat, miniſterium hoc charitatis ſtudioſè obire, & inter nauigandum, & in vrbibus. Et quo quis erat peius affectus, eò impenſius illi aſtabat; nihil extimeſcens contrahendæ mortis diſcrimen. Cumque aliquando purulentia, ex cuiuſdam in Nozodochio iacentis vlcere effluens, nonnullo horrore eum perculiſſet, generoſe de ſe triumphans, ſaniem vbertim ex vlcere manantem, alacriter irruens & labra vlceri admouens, exſorbuit; eo ſucceſſu, vt deinceps, nullo putore vel ſanie emoueretur. Gaſparis Barzæi, qui Xauerij veluti parælion fuit, ſtudium in hac parte planè ſingulare, deſcribit accuratè Nicolaus Trigautius; lib. 1. vitæ cap. 7. & lib. 2. cap. 4. non prætermiſſa laude ſociorum, qui Gaſpari laboris & charitatis participes fuere. Id quod æquè in omnibus propè Nauigationibus Indicis notare licet.

Subleuatio ægrorum per Religioſos, in calamitate publica, lue graſſante, fuit exploratiſſima proximè ſuperioribus annis, per vniuerſam ferè Europam. Et pleriſque locis, miſeri contacti, ope aliorum deſtituti, à Religioſis magna cum charitate accurrentibus, ſunt ſubleuati. Indicem Religioſorum qui Florentiæ per tempus peſtis anno 1630. aſſiterunt ægris, confecit Hilibertus Marchinus in præclaro opere, per meram malignitatem ab æmulis allatrato, cui titulus eſt *Bellum diuinum*. in Catalogo ſpirit. heroum poſt partem 10. In aliis ciuitatibus atque prouinciis, quas flagellum oberrans ea tempeſtate male habuit, idem ſtudium & incenſa charitas Religioſorum notari potuit; & index confici in quo Religioſi, non primas duntaxat tenuerint, ſed maxima ex parte ſoli periculo æ plenum opus aleæ obiuerint. Qui Lugduni, in peſte annorum proximè ſuperiorum, generoſè nauarunt operam, recenſiti ſunt, partim in Mantiſſa ad SS. Lugdunenſium Indiculum, partim in opere de Martyrio parte 3. cap. 4. à num. 2. Vbi etiam, de nauata anteriùs in eadem vrbe per Edmondum Augerium opera, in tempore geminæ calamitatis, actum breuiter; ibidem num. 12. Quantum ſit hoc beneficium, agnoſcet qui adiuncta negotij omnia, vel perfunctoriè attenderit. Per tempus illud luctuoſum, cuius horrorem alibi p. de marty. cap. 3. à num. 10. expreſſi, & benè Lobetius, tractans fortitudinem Chriſtianam; lib. de fortitud. & iam olim Pontius in vita Sancti Cypriani. deſcribens calamitatem mortalitatis tempore Sancti Cypriani, graſſatæ, abiunguntur à contactu omnes neceſſarij; timentes ſibi, nullus amicorum viſit proſtratum; abſunt ſolatia ab alloquiis notorum & charorum. Ne liberi quidem (plerunque, parentibus, coniuges coniugibus, abſunt: horret vnuſquiſque ad præſentiſſimum diſcrimen. Interim percellit animum ægri obſeruans oculis plurima mortis imago. Pani peſtilentes, corpus exedũt. Deficiente verò virtute, & fatiſcẽte corpore, humanis cõſolatoribus procul poſitis, Satan intentus in iacentis exitium, offundit miſero nebulas; & violati numinis memoriã ingerens, ac ſupra quam merita feram, exaggerans; molitur in deſperationis abyſſum præcipitem agere, quem videt ad vitæ marginem deductum. Quid eò fiet, ſi deſit qui firmet pectus, & offucias Satanæ diſcutiat? Quàm procliue, ſic defectum animi aut corporis viribus perire, aut allidi? Miniſtris ad quos cura iuuandi ſic affectos, iure ſpectaret; plerunque non valentibus ad omnes accurrere ob nimiam multitudinem iacentium, aliquando etiam in periculoſo munere ſegnibus, & æſtus portant; aſtant ægrotis, corpora quibus poſſunt modis refouent, ſolantur, animant ad excipiendam cum patientia optimi patris correptionem; & impertitos ac munitos Eccleſiæ Sacramentis, ad ſecurum è corpore abitum præparant. Nihil hic profero, non attrectatiua frequentiſſimis per ea ſumma tempora experimentis. Quanta hic micat à Religioſis in miſerè proſtratos vtilitas?

SECT. II. PVNCT. IV. §. II. Iuuatur à Religioſis quaſi humana.

Non vocabatur peſtis, Sed reuera peſtis erat, aut à peſte haud procul aberat, mortalitas, quæ anno 1566. Pio V. ad Eccleſiæ clauum ſedente, Romanam vrbem occupauit. Quid per eam calamitatem Religioſi bono publico præſtiterint, docet in vita B Franciſci Borgiæ Ribadaneira, lib. 3. cap. 5. & in Societatis Ieſu hiſtoria Sacchinus, parte 3. hiſtor. lib. 2. à num. 8. ex quo calamitatem & ſociorum per eam pia ſtudia repræſento. [Extremam ſub æſtatem (inquit) in ea regione quæ ab columna Antonini ad portam Flaminiam (populi vocant.) pertinet peſtilentiæ inſtar coërcta eſt lues, vitio (vt creditum eſt) aquæ in lacunis

SECT. II. PVNC. IV. §. II.

Fructus à Religioſis quoad humana.

adiacentium hortorum corruptæ, quæ & aërem, & ſenſim permanes puteorum aquas infecerit. Parœcia S. Andreæ, cognomento à Phraſthis, proxima iis hortis, calamitatem prima ſenſit. Ac principio Pauli Bubali domus, viri in ea vicinia, nobilitate & pietate præſtantis, inopi turbæ quæ potiſſimum ſternebatur, perfugium fuit. Is increſcente malo, Cardinalem Æmulium, parœciæ eiuſdem patronum adornet. Cardinalis atque ipſemet Paulus, quod ipſemet Parochus ſuppeditandis occidentium multitudini Sacramentis haud ſufficeret; à Borgia auxilium petunt. Hæc fuit prima Sodalibus, ei calamitati ſuccurrendi occaſio. Continuò igitur Franciſcus, expertorum par Sacerdotum, qui rem totam cognoſcant, deſignat. Hi dum oſtiarium vnà cum familiari Cardinalis Æmulij, domos inuiſunt, reperiunt miſerabiliorem opinione rerum faciem: Totas alicubi familias in ſumma omnium rerum inopia ſtratas humi agentes animam; adeò vt cum fores interdum pulſantibus nemo aperiret, nemo reſponſum daret, & videretur ſolitudo ineſſe; tamen introgreſſi, hic virum, ibi vxorem, alibi filios miſerandum in modum, humi tota domo abiectos viderent. Hæc Pater Generalis (Borgia) vbi cognouit, non auxilio animis duntaxat, ſed corporibus etiam curandis, opus eſſe intelligens, cœpit è Romano Collegio ſimulque Germanico, cibos ex ægrorum vſu præparatos, ad eos qui maximè laborabant, ſubmittere. Verùm maior erat mali moles, quàm vt poſſet priuata tenuitate ſuſtineri. Admonetur Pontifex, qui pro paterna ſua charitate, vehementer caſu indoluit. Admonentur item incitantúrque ad opem ferendam vrbis conſeruatores. Pontifex Cardinalem Ioannem Franciſcum Gambaram deſignat; qui toti negotio præſit. Conſeruatores duodecim nominant viros ad quos quidquid opus ſit, referatur. Præterea pecuniam, in ægros diſtribuendam, medicos, & pharmaca Pontifex attribuit. Populus Romanus, panem, vinum, carnes: ad hæc Cardinalium quidam, ac priuatorum ciuium non pauca contulere. Rei totius adminiſtratio Societati ab ipſo Pontifice demandatur. Tum Pater Generalis, alios aſſignat qui corporibus, alios qui animis ægrorum nauarent operam inſtituitur commune diuerſorium, in quod egentiſſimi quique, quibus omnino domi nihil eſſet, ſeparatim, fœminæque inueherentur. Cœtera multitudo præterquàm quod ſingulis in domibus conſtitutæ ſunt pretio conductæ, probatæ mulieres, quæ aſſiduæ eſſent, in quindecim vicos diſtributa eſt. Singulis vicis Deo de Societate præpoſiti: his duodeni attributi extranei adiutores. Socij cum Medicis, bis quotidio ſingulas obibant domos: cúmque ſcripto excepiſſent, quod vel ad medicamenta, vel ad cibos præſcribebatur, id omne cum ſtudio, fidéque elaborandum curabant: dein deferebant ad ægros in tempore. Dignum erat pietate Chriſtiana ſpectaculum, vbi ſocij cum manipulis illis duodenum adiutorum, & eò amplius, (nam multi ſe adiungebant voluntarij,) e ſuis prodibant hoſpitiis; inque diuerſa digreſſi circum ſuos quique vicos; potiones vel cibos, in concinnatis ad id geſtabant ferculis; quod cuique aptum erat, ſummo ordine & hilari charitate tribuentes. Demum ita res proceſſit, vt ordo, & alacritas, & conſtans laborum tolerantia, toti vrbi mirè probaretur, omniumque opinione, & affirmatione medentium, ingens mortalium vis ab euidenti exitio conſeruaretur, eo maiore Dei munere, quod tali & tempore & miniſterio, nullius Sociorum tentata eſt valetudo.] Quid biennio poſt, eodem Pio V. Pontifice in ſimili calamitate à noſtris ad id adhibitis præſtitum fuerit, idem Sacchinus eadem parte 2. lib. 4. num. 132. luculenter alio loco deſcripſit. Exemplum Patris Claudij Aquauiuæ qui poſteà Societatis Præpoſitus Generalis fuit, quo ſe ad opitulandum ægris incitaſſe P. Vincentium Carafam, lib. 1. vitæ Vincentij Carafæ cap. 11. prodit Daniel Bartoli, exhibuit Patris Claudij, breui proditura, petendum erit. Interim decerpo hæc pauca ex vita B. Aloyſii Gonzagæ lib. 2. cap. 8. [Annus M. D. XCI. ſæua lue quam ex annonæ grauitate, vbique conſecuta fames, toti Italiæ afflauerat, longè infeſtiſſimus erat. Ea, Romæ præſertim, ingentem vim, quæ ſpe benignitatis alienæ, ex omnibus circum regionibus eò confluxerat, extinxit. Hanc communem calamitatem Patres Societatis IESV, omni ope atque opera, quâ impenſa de ſuo, quâ ex aliorum liberalitate, corrogata ſtipe ſubleuare laborarunt. Igitur non vrbanis modò valetudinariis operam nauarunt; ſed inſuper rebus in ea neceſſitate ſcitis, voluntate Claudii Aquauiuæ Præpoſiti Generalis, nouum quiddam in tempus aperuerunt. Atque ipſe Generalis Præpoſitus, etiam ad hominum elephantiaſi obſitorum, miniſterium ſe abiecit.] Subditur reliquo capite ardens ſtudium ſubleuationis ægrorum in Beato Aloyſii ac ſociis, quorum aliqui, & ipſe etiam B. Aloyſius, contracta in eo miniſterio lue mortem oppetiuere, exprimentes charitatem, qua maiorem nemo habet.

Eſt peſtilentia (vt dicebam) bellum diuinum, quæ eſt valdè recepta peſtilentiæ denominatio apud Iuriſperitos, vt ex multis Doctor. tradit Ripa tract. de peſte quæſt. 4. de prælud. & Ioannes Franciſcus Balbus parte 6. de præſcriptionibus quæſt. 2. numer. 5. tractans dormitionem (vt vocat,) præſcriptionis. Siue enim Deus per ſeipſum eam generis humani tonſuram exequatur, vt ferè ſentiunt veteres apud Mercurialem l. de peſte cap. 5. & videtur annuere Federicus Card. Borromæus, apud Ripamontium l. 6. cap. 9. ſiue negotium committat ſuis lictoribus ac carnificibus, quæ eſt Angelorum malorum nomenclatio apud Chryſoſtomum hom. 3. de patien. Iob. quadrat in peſtem *belli diuini* denominatio.

Præter hoc igitur belli diuini flagellum, graſſatur plerumque aliud bellum quod armis carnalibus (vt cum Apoſtolo 2. Cor. 10. dicam,) peragitur. In hoc bello in quo nulla ſalus, & cuius mala alibi, in Religioſo Loricato, per otium ſunt repræſentata, Religioſi operam ſuam deſiderari minimè patiuntur. Certum quidem eſt, præter eos Religioſos qui militiæ ex inſtituto addicuntur, Religioſos procul eſſe à bellis oportere, ſi agatur de armorum tractatione; etiamſi bellum ſit iuſtum, ac vel ſi agatur de ſalute patriæ, & Religione, dummodò non deſint alii qui poſſint ſaluti publicæ proſpicere, bellum gerendo. Hoc planè diſcuſſum eſt in Tractatione de Religioſo Loricato, quam bona fide ad prælum poſcentibus Germanis tranſmiſſum; Aulicaſter Baius, dignus pati quod nomine Verueeino præfert, infideliter ſimul ac malignè,

Fructus à Religioſis quoad humana

malignè, non modò editione prohibuit, ſed etiam vt perderetur, pro viribus eſt annixus. Hoc ea lucubratione, quam diligentia noſtra, dum memoria ſtaret, reparauit, ſubduxit que libitinæ, diſſuſè monſtratum eſt omni probationum genere; & ab autoritate ſacra & humana, & à ratione adhibita. Sunt tamen pleraque ſpiritualia opera quibus Religioſi, citra armorum tractationem, poſſunt in bellis eſſe vtiles, ad ſacra & pia munia. Ad hæc enim, tametſi omnes Eccleſiaſtici poſſunt idonei videri, vt rectè ſtatuunt Ioannes à Cochiets, l. de legato c. 8. & Petrus Bacherius l. de milit. Chriſt. c. 15. Tamẽ videntur Religioſi, omniũ maximè ad eas functiones in bello præſtandas eſſe accomodati, præ exſolutione ab omnibus terrenis, & flagranti Zelo animarum, cui maximè locus eſt in bello; cum tam multi milites velut oues occiſionis ad bellum vadant, quaſi ad macellum, non corporum tantum, ſed etiam (quod multò mirabilius eſt), animarum. Deplorabat ſanè S. Bernardus in exhort. ad milites templi c. 2. militiam Chriſtianorum, & nomine & reipſa, affinem adeò eſſe malitiæ: & homines qui ſe Chriſtianos dicunt, ac Deũ vltorem ſcelerum non ignorant, ad mortis tamen præſentiſſima diſcrimina, inexpiatos adire, æterno exitio mox inuoluendos, ni adſit qui in tempore tantæ neceſſitatis, adſit opitulator, & per Sacramenta pœnitentiæ, vel excitationem ad contritionem perfectam, ſubueniat certè perituris, in vtroque homine. Hoc ergo faciunt quoad militum animas, adhibiti ad expeditiones bellicas Religioſi, iuuantes per ſacramenta, & per pia alloquia auertentes quantum poſſunt, à nequitiæ plena menſura, quos licentia militaris præcipites ageret in Tartarum.

Fames tertium Dei flagellum, occaſionem ſæpè Religioſis præbuit, exerendi in proximum luculenta ſpecimina charitatis, non modo cum fas fuit erogando in egentes fame preſſos cœnobij ſubſtantiam haud exiguam, (quod S. Ioannem Gualbertum feciſſe, proditum eſt;) ſed etiam conquirendo largas eleemoſinas quibus egentes ſubleuentur; vt factum nominatim eſt anno 1649. Romæ a P. Vincentio Carafa Societatis IESV Præpoſito Generali viro totius Charitatis in egenos. Factum ſupra quàm dici poſſit illuſtre deſcribit accuratè Daniel Bartoli, l. 1. vitæ Vincẽtij Carafæ c. 11. & poſſum ipſe quoque atteſtari veritati narrationis ab eo contextæ, quia aderam & boni operis particula non me præteriit. Cõpendio attinge præcipua quædam. Cum ex tenui prouentu agrorum anno 1648. anno inſequenti fames valida vrbem Romá occupaſſet, (nam præter vrbanos egenos è vicinis oppidis & caſtellis multitudo copioſa in vrbem confluxerat ſpe ſubſidij ad vitam ſuſtentandam faciliùs in ea reperiendi) eo miſeriæ deuentum eſt vt egeni non pauci per vicos & compita vrbis iacentes ad extrema præ fame deducti iacerent, miſerabili ſpectaculo: Non tulit charitas incenſa Patris Vincentij membra Chriſti abſque opitulatione perire. Itaque primum delectis aliquot Patribus & Fratribus mandat vt cibariis ad miſerorum ſuſtentationem inſtructi, obirent vicos, & qua poſſent ratione ſubleuarent indigos opis. Excitauit ea charitas ſeruorum Dei non paucos magnates à quibus ſubminiſtrata ſunt ſubleuationis ſubſidia. Cardinalis Albornoſſius ingentem vim pecuniæ in eam rem ſubmiſit, addens vbi ea expenſa eſſet, ſupereſſe ſibi argenteam ſupellectilem copioſam, cui in tanta neceſſitate non eſſet parciturus: Alij plerique Cardinales & Magnates Romani (quiſque pro facultatibus,) in tantum Dei negotium contulere largas eleemoſinas, quibus Aprili ineunte vſque ad exeuntem Maium pauperibus ſubuentum eſt, noſtris erogantibus quod piorum liberalitas ſuppeditabat. Sed ne multitudo egenorum vndecunque accurrentium confuſionem pareret, & vt commodiùs iuuarentur miſeri, inſtitutum eſt vt è noſtris aliqui oberrantes ciuitatem egenis ſchedulas traderent, quibus exhibitis admitterentur in ſeptum validis repagulis firmatum in platea quæ ædi Sancti Marci adiacet, ponè Domum Societatis Profeſſam. Intra illud ſeptum hinc viri, inde è regione mulieres ordine collocati accipiebant à Noſtris panem ac vinum & iuris dementum, quantum neceſſe erat ad vitam ea die ſuſtentandam. Feruebat in ea erogatione ſupra cæteros optimi Patris Vincentij ſtudium, cui comitabantur Patrum grauiſſimi & ex Domo Profeſſa & ex Romano Collegio. Accurrebant ad ſepti repagula ſpectatores ex vrbe vniuerſa omnino multi, nec poterant ſatiari viſu, & plerìſque præ nouæ rei admiratione effluebant lachrymæ. Etiam Iudæi è ſuis mandri accurrerunt ſpectatum, & conſtat Deum contemplatione tantæ charitatis aliquorum ex illis corda tetigiſſe, ita vt Baptiſmi laticibus perfundi voluerint. Etiam Turca, emotus eo ſpectaculo eiurandi Mahumetis & Chriſto ſe per Baptiſmum adiungendi animum indicit, quod mox perfecit, & tanta fuit in eum Dei Bonitas, vt cum correptus morbo ad extrema deueniſſet collocatus in lecto quem ei è Domo Profeſſa aduehi iuſſerat P. Vincentius, illico viribus reſumptis ſanus & valens exiuerit. Præter egenos porrò quibus intra ſeptum quod dixi impendebatur ſubſidium, menſis compluribus intra Domum Profeſſam diſpoſitis, centum ſacerdotes, & aliqui honeſto loco nati ſeculares adhibito ad animæ quoque paſtum anagnoſte reficiebantur. In quorum omnium ſinu abſcondita eleemoſina clamabat ad Dominum.

Aliæ publicæ calamitates, Religioſos habuere ſubleuatores, & opitulatores. Exemplum inſigne ſubminiſtrat S. Chryſoſtomus, quod paucis perſtringo. Clades imminebat Antiochiæ, ab irato Imperatore Theodoſio, quod Antiocheni ob noua tributa exacerbati, ſtatuam Flaccillæ Auguſtæ, ante biennium demortuæ, & vt addunt Sozomenus lib. 7. c. 23. ac Zozimus, lib. 4. ipſius quoque Theodoſij ſtatuam loco motam, per ignominiam protraxiſſent per vicos & plateas. Actum erat de vrbe nobiliſſima, & populoſiſſima, niſi Flauianus Antiochenus Epiſcopus, ad Theodoſium quàm ocyſſimè profectus, placaſſet Imperatorem, in plectendis iniuriis acerbum, vt Theſſalonicæ fuit manifeſtum. Dum ergo hærent omnes attoniti, & areſcunt præ expectatione euentus Legationis Flauiani, exercitu copioſo ad firmandos Iudices ſubmiſſos è comitatu, vrbem occupante, vbique Luctus ac mœror, & plurima impendentis mortis imago. Poſt tempeſtatem Flauiani induſtria diſcuſſam, S. Chryſoſtomus vrgens Antiochenos ad gratiarum actionem pro tanto beneficio, luctuoſiſſimum ciuitatis ſtatum dum ſuſpenſa hæreret, repræſentat, homil. ad popul. 11. 12. & 14. Cúmque præmiſiſſet homil. 17. Magnates omnes ac ſapientes Ethnicos, in pace Leones, in bello lepores, profugiſſe Antiochiæ, quam frequentes incolebant,

SECT. II. PVNC. IV. §. II. *Fructus à Religioſis quoad humana.*

incolebant, & in cauernis montium ſe abdidiſſe; ſubdit de Monachis. [Vertices montium inhabitantes Monachi, propriam exhibuere ſapientiam. Namque tot annis in cauernis ſuis concluſi, nemine aduocante, ſuadente nemine, poſtquàm vrbem tantam, ciuitatem circunſtantem, viderunt, tabernacula ſpeluncaſque ſuas derelinquentes, vndique confluxerunt, velut Angeli quidam de cœlo profecti. Et erat cernere tunc ciuitatem, vni ſimilem homini; vbique tunc vidiſſes ſanctos illos manifeſtos, vel ex aſpectu ſolo, dolore preſſos conſolantes, & ad omnem calamitatis contemptum inducentes. Quis enim illos conſpicatus, mortem non deriſiſſet, non deſpexiſſet vitam? Nec hoc ſolum erat mirabile, ſed quod Principibus ipſis accidentes, cum fiducia loquebantur pro reis, & omnes ſanguinem effundere parati erant, & capita deponere, vt captos ab expectatis tribulationibus eriperent. Religioſus eſt (inquiebant,) qui noſtræ genti denominatur, fidelis cum pietate viuens. Nos igitur ipſum omnino reconciliabimus. Non permittemus vobis, neque concedemus enſem polluere, nec vllius abſcindere caput. Si verò hoc non fertis, & nos cum ipſis omnino moriemur. Grauia quidem patrata, & nos confitemur. Dicitur quidam ipſorum, aliud verbum ſapientia plenum dixiſſe, quod ſtatuæ quidem deiectæ, rurſum erectæ fuerint, & propriam receperint formam, & factam correctionem habuerit celerrimã: Si vos autem Dei imaginem occidentis, quomodò rurſum poteritis reuocare? quomodò perditos reſuſcitare? & animas corporibus reddere? Multa & de iudicio ipſis diſſeruere. Quis non cõſternaretur? quis non virorum ſapientiã admiraretur? quoniam quædam reorum mater nudato capite, & canis oſtenſis, iudicaturi equum frœno apprehendit, & per forum prætercurrens, ſic ad iudicium ſimul ingreſſa eſt; omnes obſtupefacti ſumus, omnes admirati pietatem & magnanimitatem. Quomodò non magis ad hos obſtupeſcere oportet? Illa enim etiamſi mortua eſſet pro filio, nihil mirandum. Magna enim naturæ vis, & inexpugnabilis viſcerum neceſſitas. Hi verò non genuerunt, nec educauerunt. Imo verò quos non nouerunt, quorum nomen non audierunt, quibuſcum nunquam cõuerſati ſunt, quos ex ſola nouerunt calamitate, in tantum amauerunt, vt etiamſi infinitas habuiſſent animas, omnes pro illorum ſalute tradere vellent. Neque mihi dicas hoc; quod non iugulati ſunt, neque ſanguinem effuderunt; ſed quod tanta contra Iudices vſi ſunt libertate, quanta ſolos de ſalute ſua deſperatos, vbi veriſimile fuit. Et tali cum ſententia, de montibus ad tribunal cucurrerunt. Niſi enim priùs ſe neci præparaſſent cuilibet, tam liberè non potuiſſent Iudices alloqui, & tantam tunc exhibere magnanimitatem. Etenim ante prætorij ianuas, totos dies agebant ſedentes, abducendos de carnificum manibus eripere parati.] Poſt multa in eandem ſententiam, addit, Monachos veluti Leones proſiliuiſſe è montibus. Quodque planè mirum eſt, vna die deſcendiſſe egiſſéque pro reis, & confecto negotio regreſſos eſſe ad ſua ſpelæa; poſtquam conteſtati paratos ſe eſſe ad Theodoſium adeundum, iudicum animos adeò emolliuiſſent, vt contenti literis Monachorum ad Regem, iudicium dimiſiſſent, & ſupplicaturos ſe Regi pro plena venia ſpopondiſſent. Hæreo, plus ne miranda ſit Monachorum charitas, an Iudicum ad Monachorum poſtulata docilitas, & erga eos reuerentia.

Inter perſonales calamitates in præcedentibus non inuolutas, reliqua eſt captiuitas. Ei depellendæ inſiſtunt Religioſi plerique, & nonnulli ex proprio inſtituto. Ita faciunt Trinitarij; ſic dicti, non tam à ſanctiſſima Trinitate, quam à triſariam diuiſis ſuis facultatibus, imitatione Sanct. Agnetis, cuius die Natali, Innocentius III. inſtitutum eorum probauit. Partem vnam facultatum, ſuæ ſuſtentationi; alteram excipiendis Chriſti pauperibus; tertiam captiuorum redemptioni addixerunt. Inde denominatos *Trinitarios*, ait Stellartius in fundam. ord. cap. 33. Quanquam per occaſionem tripartitæ illius diuiſionis, Eccleſiam acceperunt SS. Trinitati dicandam, vnde firmata eſt denominatio à SS. Trinitate, quæ poſteris B. Ioannis Mathæ, deinceps adhæſit. Miror autem fuiſſe nuper aliquos (vt quidem refert Caramuel Theol. regula diſp. 14.) quibus per rationes politicas potiùs quàm Theologicas, viſum eſt, eam curam redimendi è Saracenorum manibus captiuos, eſſe dimittendam, tanquam Chriſtianitati noxiam. His ſi ea ſors obtingeret, mutarent mentem. Patres ſanè, id opus eſſe inſignis apud Deum meriti, dubitare non ſinunt, quandoquidem in eum finem, etiam vaſa initiata confringi ac diſtrahi poſſe abſque difficultate concedunt. Allego aliquos l. de malis bonorum Eccleſiæ l. 1. pect. 1. c. 4. n. 6. Nominatim verò S. Gregorius, Theodorum Medicum, qui in eam rem Conſtantinopoli Romam pecunias miſerat, non mediocriter celebrat. l. 4. epiſt. 84. & l. 6. epiſt. 189.

§. III.

Inuenta ſalubriter, per Religioſos, ad mortalium commodum.

PRæ antedictis, tenues ſunt, nec tamen prorſus prætereundæ, vtilitates quas generi humano contulere Religioſi, excogitatis de nouo variis ad vitæ vſum peropportunis.

Eiuſmodi fertur eſſe, inuentio organorũ Hydraulicorum per Gerbertum, Ordinis S. Benedicti Monachum, poſtea Syluestrum II. qui ob inſignem Matheos peritiam, & mirabilem euectionem à clauſtro ad primas quaſque dignitates, ipſamque earum faſtigium Romanum Pontificatum, Magus per calumniam audiuit, vt alibi l. de calum. ſex. 2. ſerie. 1. c. 14. annotaui, tradúntque diffuſiùs, Bzouius in vita Syluestri, & D. Suareſius in Syluestri Apol. Huiuſmodi ergo organorum Hydraulicorum auctor, dictus eſt Gerbertus, quod vſum eorum pridem deſitum, reuocauerit, aut ad meliorem formam reduxerit. Cæteroqui non eſt dubium, longè ante Gerbertum, agnita fuiſſe ea organa. Meminit eorum Vitruuius l. 9. c. 9. & l. 10 c. 13. nec non Athenæus l. 4. c. 24. & Plinius l. 7 c. 37. & l. 5. c. 8. ac Tertullianus l. de anima. c. 5. ad Archimedem auctorem referens, cum paſſim cæteri Euſebio tribuant, qui floruit regnante Ptolomæo Euergeto: vt mirum ſit à Suetonio in Nerone c. 41. noui & ignoti generis (Romæ fortaſſis,) inſtrumenta eſſe denominata. Poſtea verò admodùm ibidem inualuerunt, vt videre eſt apud Ammianum l. 14. & apud Claudianum in paneg. Theod. ad finem qui de hydraula ait:

Intonat errante digito, penitúſque trabali
Vecte laborantes, in carmina concitat vndas.

Non fuit igitur Gerbertus, auctor organi hydraulici, ſed ad ſummum inſtaurator, vel expolitor. Multo minùs verum eſt, eum fuiſſe inuentorem horologiorum, vt aliqui iactarunt. Potuit

quidem

quidem ipſe genus aliquod horologij excogitaret; cum hodie quoque, multi de nouo ea in re ingenium probent. Quanta ſubinde acceſſerint primo horologiorum inuento annotauit Pancirolus in nouis repertis, tit. 10. nec non Polydorus in opere de Inuentoribus. l. 2. c. 5.

Muſicas notas, *vt, re, mi, fa, ſol, la* excogitauit Guido Aretinus Monachus, qui ſub Benedicto 8. florebat, anno 1022. Laborauit autem adeò proſpero euentu, vt puer paucis menſibus addiſcat, quod antea vix pluribus annis homo ingenio valens, capere quiuiſſet. Quare Guido ideirco Romam à Benedicto vocatus eſt, ac in honore habitus. Benedicto defuncto, Guido librum de Muſica edidit, quem Theobaldo Aretino Præſuli inſcripſit, & prænotauit *Micrologum*, eodem titulo quo illomet ſeculo prænotatus eſt alius liber de Eccleſiaſticis officiis tributus Bernonii Augienſi; ... excaeci, iactant libros ſuppoſitos. Notas illas Muſicas ab ſe excogitatas, Guido Syllabis imitabatur aliquo membrorum hymni B. Ioannis Baptiſtæ; appingit; vnde eorum nomenclatio petita eſt. Hymnus enim ille ſic incipit.

Vt queant laxis
Reſonare fibris,
Mira geſtorum,
Famuli tuorum;
Solue polluti
Labij reatum,

Baronius ad Chriſti annum 1022. Guidonis cum laude meminit, ob hoc inuentum.

Agere adduceret vt inter ſalubriter inuenta per Religioſos numerarem, opus confecti ſerici ex ſemine bombycum, & educto inde artificio è vermiculo, ſi verum eſſet inuentum id eſſe Religioſum. Tribuunt tamen hoc inuentum duobus Monachis Conſtantinopolim ex India appulſis; Zonaras in Iuſtiniano, & quem iſte allegat, Procopius. Eſt qui addat, quia bombyces lingua Perſica dicuntur *Seres*, inde dictam ſerici appellationem. Sed hallucinatur. Neque enim vox *Seres* denotat ſemen bombycum, aut quod inde educitur: Sed denotat regionem è qua ſericum copioſum aduehebatur. *Seres* quippe idem ſunt, quod *Sinenſes*, ſub priſco *Serum* nomine deſcripti à Plinio, lib. 6. cap. 17. & à Solino. Attigit eoſdem Maro lib. Georg. 2. cum dixit.

Quid nemora Æthyopum, molli canentia lana,
Velleraque vt folijs depectant tenuia Seres.

Vtique ex opere bombycum, vt ſupplendum monet Scaliger Exerc. 158. §. 9. Ferunt in Thairobane inſulas, ſericum ſine cultu ex arboribus colligi, vt legimus in Commentariis Nauigationum ad oras illas, ſed hoc perrarum eſt, ſi tamen verum. Naſo 15. metam. originem ſerici qualis in Europa innotuit, ſic expreſſit.

Quaſque ſolent canis frondes intexere fili
Agreſtes tineæ, res obſeruata colonis
Ferali mutant cum papilione figuram.

Hinc liquet, inuentum ſerici ex bombycibus conficiendi, increbuiſſe ante Iuſtinianum, nec niſi eius ætate inductum in Europam, per Monachos. Admittendum tamen videtur, Monachos illos non abſque regiis muneribus à Iuſtiniano dimiſſos, vt Zonaras docet, pridem ignoratam rationem conficiendi ſerici docuiſſe; & eatenus inuentores ſerici dictos. Quæ an ſit magna gloria Monachorum, aliis pronunciandum permitto. Hinc enim, huiuſmodi artificium quod ornandis ſacris altaribus atque Miniſtris vſui ſit, in laude poni debet. Imò verò patet vituperationi, quod ea veſtitus mollities minùs quadret Chriſtianæ ſeueritati. Imo eam in veſtitu mollitiem auerſati ſunt Ethnici nonnulli, vt Aurelianus, quem Vopiſcus prodit, ne vxori quidem gratiam facere voluiſſe, vt veſtem ſericam vſurparet; ac ne in veſtiario quidem haberi vnquam conceſſit. Lampridius item de Alexandro Seuero ſcribit, veſte holoſerica nunquam amicius ſumpſiſſe.

SECT. II. PUNC. IV. §. V. *Fractus à Relig. quod inuent...*

Fratri Bertoldo, ex Ordine Minorum, tribuitur inuentio ſclopetarum atque bombardarum, Ita Bzouius num. 16. ad annum Chriſti 1365. allegans Polydorum in opere de rerum inuentoribus, l. 1. c. 11. Qui tamen eo loco quem Bzouius ſignat, nihil tale habet. Imo ait, autorem tam funeſti inuenti iuſto Dei iudicio latere. Paſſim quidem ſectarij, in odium Monachorum, aiunt id eſſe vnius Monachi inuentum. Sed fuiſſe Fratrem Minorem non dicunt, ac ne ipſe quidem Henricus Salmuth, ad noua reperta Panciroli & ipſe ſectarius, ſtrenuus Religioſorum allatrator. Nominatim verò Fratrem Bertoldum non fuiſſe huius inuenti autorem, Spondanus ad annum 1344. probat ex Mariana, l. 16. hiſtor. Hiſp. c. 11. memorante vſum bombardarũ apud Mauros in bello Algezyrico, quod longe ante Fratris Bertoldi ætatem concluſum eſt. I. & Villanius in hiſtor. Florent. tunc viuens, l. 12. c. 15. prodidit, Anglos contra Francos, in prælio Creſciacenſi, quod anno 1346. geſtum eſt, adhibuiſſe bombardas. Fortaſſis autem Bertoldus inuentis addidit, cum circa annum 1355. vel vt plures ponunt, anno 1380. iuxta Bzouium verò anno 1365. in hanc rem contulit operam. Conclamant hoc nomine in eum ſi ſupponatur autor fuiſſe iam dicti inſtrumenti, omnino multi; nominatimque Polydorus, ſupra & l. 3. c. 18. Cardanus, l. 17. de variet. Spondanus, anno 1344. n. 4. & paſſim ſectarij poſt Melancthonem l. 5. Chron. At non minor cauſa fuiſſet, conclamandi olim in vſum fundarum, quarum maiorem fuiſſe impetum quàm bombardarum, ſtatuit Leſſius, l. 5. de milit. Rom. & Ritherſiſius ad Guntherum l. 10. c. 2. n. 3. Omnes tamen vſum fundarum cenſuerunt innoxium. Nec ſi per ſclopos & bombardas, atque ac per fundas, multi interierunt fortes, conclamandum idcirco eſt in ea bellica inſtrumenta. Sicut non fuit iuſta Plinij in nauigationem, libro 19. in proœm. & in ferrum cap. 14. conclamatio, quod inde multis creetur exitium. Commoda enim quæ ex his omnibus ritè adhibitis exiſtunt, diluũt (vt ſic dicam, acorem ob incommoda ex iiſdem perperam vſurpatis conſequentia. Et cæteroqui habent non exigua commoda, v. g. bombardæ, ſunt *ratio vltima Regum*; & domandis rebellibus, propugnandis autem iis qui iniuſtè impetantur, inſignem vſum habent. Quare ſi Monachus fortuitò (vt volunt,) incidit in illud inuentum ex ſe adiaphorum, quodque in tempore vtile fuit ad ſternendos Eccleſiæ ac Reipublicæ refractarios; non video quorſum, & inuentum, & inuentor, vituperationi patere debeant. Quanquam nolim etiã ex huiuſmodi inuento, grande encomium Monachis decernere ſi ab vno eorum re vera prodiit. Eſt enim pro talibus perſonis, in tenui gloria, quia eos potiùs decent cogitationes pacis & non afflictioni, bombardis & ſclopis inſeparabiliter adiunctæ.

Vnguentum armarium, vulgo *puluis ſympathiæ*, mirabiles effectus producere perhibetur, ſi Petrum Seruium, Medicum Romanum audimus, libello de hoc argumento, & Nicolaum Papinium tractantem de puluere Sympathico. Eques Digby, Cancellarius ſereniſſimæ Reginæ Magnæ Britanniæ, diſſertationem

SECT. III. PVNT. I. §. I. *Propoſitæ huc vſque doctrinæ, in breuiculum coactæ, temperatio.*

vernaculam de eo puluere emiſit nuperrimè, Parinis, qua prodigioſi illius malagmatis inuentum, tribuit Religioſo Carmelitæ, recens ex Perſide ac Indiis & Sinis reduce Florentiam; qui Magni Hetruriæ Ducis, hodie principantis Patrem, quantumlibet cupidum ſciendi modum ac formam conficiendi tam pretioſi pharmaci, rogaret, ne ſibi ea in parte grauis eſſet; vrgendo precibus armatis, (quales eſſe Principum ſolent,) arcani illius communicationem. Et ceſſit roganti optimus Princeps. Aliquot tamen menſibus dilapſis, ipſe Digby, cum Religioſum illum non leui beneficio demeruiſſet, particeps tanti arcani factus eſt, & eodem anno, Carmelita remigrauit in Perſidem, ſolo intra Europam quam latè patet, conſcio myſterij Digbio ipſo; qui ait, ſe poſtmodùm in Anglia rogatum à Iacob ſexto, Magnæ Britanniæ Rege, poſt nonnullam moroſitatem, ſoluiſſe ſilentium, & ipſi primùm Iacobo Regi, tum Archiatro eius Mayernæo, rem totam aperuiſſe. Hunc verò cum in Gallias nauigaſſet, & incidiſſet in D. Henricum Ducem Maduaneniem qui ad montem Albanum aliquanto poſt cecidit, eidem Duci patefeciſſe pulueris conficiendi modum, magno multorum bono, quod diffuſius factum eſt, eiuſdem Ducis infauſto occubitu. Nam qui ei Chirurgicam operam nauabat, cæſo Duce, paſſim quibuſuis pecuniæ ſummam haud exiguam numerantibus, arcanum aperuit, vnde illi opes magnæ perbreui ſunt comparatæ. Sic habuere Natales pulueris Sympathici in Europa, iuxta Digbium, à Religioſo Carmelita Tereſiano edoctum: qui reliquum tractatum ſuum, impendit ſcrutandis & firmandis cauſis adeò mirabilium curationum, ex vnguento ſeu puluere procul poſito exiſtentium, quibus innumera experimenta atteſtari ait, huiuſmodi inuenti vel excogitati, vel in Occidentem aduecti per Religioſum hominem, celebritati ſuffragantia.

Mihi eas cauſas, & inde petitas rationes excutere; neque arridet; neque neceſſarium videtur. Certè quas apud Digbium lego, tales cenſeo, vt ſomno inter infantiles ſoporis difficultates conciliando, ſint admodùm accommodatæ. Nec pluris fuerunt apud me, quas legere Romæ memini in opere Petri Seruij pro vnguento armario, cuſo ibidem anno 1642. Sed nunc non eſt ad manum. Pugnat ex aduerſo rationibus (quantum video) ineluctabilibus, Andreas Libauius in ſingularibus & Licetus Tomo 2. ad quæſita per Epiſtolam cap 54 nec non Georgius VVene, & Ioannes Roberti. Et verò quis capiat, puluerem ſanguini perſonæ vulneratæ inſperſum, eidem, loco adiunctiſſimum, iacenti, afferre medelam, contra omnia Phyſicæ ſcita, quibus actio in diſtans, naturæ vires citra vllum dubium ſuperare confirmatur? Itaque Satanæ mangoniam in ea curatione, interuenire neceſſe eſt, ex tacito pacto, quod non intercludit, vel bona fides apponentium tale remedium, vel conteſtatio quod renuncient tali pacto, nec velint vlla ratione vti dæmonis opera. Deus enim nihilominus, ſinit Dæmonem ex pacto inito cum eo qui primus huiuſmodi remedium admouit, operari; & neſcientibus imponere. Vnde nec admitto Religioſum aliquem eo nomine dignum, excogitaſſe huiuſmodi verò magicum remedium; neque ſi excogitarit, aut ab aliis excogitatum inuexerit Europæ, puto conciliari remedio adeò lubrico auctoritatem.

SECTIO III.

Anacephaleoſis antedictorum, cum multiplici Epimetro.

FACIAMVS quod ſapienter Chryſoſtomus hom. 3. de verbis Eſaiæ *ad finem* poſt longiorem diſputationem faciendum admonebat. [Neceſſum eſt (inquit,) vt quæ dicta ſunt, ſummatim paucis repetamus. Sic & matres facere ſolent, cum poma aut bellaria, aut aliud ſimile quippiam, in puerilem immittunt ſinum; ne per puerorum negligentiam excidat aliquid eorum quæ data ſunt, contractam vndique tuniculam cingulo ſubiiciunt, quo ſint in tuto. Idem nos faciamus. Orationem in longum porrectum contrahamus, memoriæque cuſtodiæ deponamus.] Hoc præſtitum venio, poſt adeò longam retegenda vtraque Religioſorum bonitate, exſpatiationem.

PVNCTVM. I.

Propoſitæ huc vſque doctrinæ, in breuiculum coactæ, temperatio.

NOn erit difficile in Religioſis recognoſcere quod Iſaac in eorum ectypo commodauit. Ne cui tamen tanta fragrantia nauſeam cieat, & nimia videatur, adhibebimus congruam temperationem.

§. I.

Religioſos eſſe vndecunque montes ſuaueolentiæ Dei; perſtrictum breuiter ex antedictis.

SVnt igitur Religioſi, odor agri pleni cui benedixit Dominus. Quod aliter expreſſit S. Auguſtinus, vocans Religioſos *Montes ſuaueolentiæ Dei.* Montes ſanè, ob excelſitudinem perfectionis qua ad Deum vſque pertingunt. Cuiuſmodi montes in plana Lorino celebrabat Ennodius in vita S. Anton. Lorini. Eodémque ſpectat, quod S. Auguſt. de ſerm. Dom. in monte obſeruauit, Chriſtum delegiſſe montem, in quo de ſtatu perfectionis quem Religioſi ſuſcipiunt, ſermonem faceret, vt præcellam doctrinam in loco edito traderet. Non ſunt porrò religioſi, montes maledicti, ſuper quos nec ros, nec pluuia deſcendit de cœlo, qui Behemotho herbas ferunt; quibus refectú ſuæ malitiæ ventrem tendit, iuxta S. Gregorij 33. mor. c. 2. interpretationem. Qui alibi hom. 20. in Euang. addit, ab huiuſmodi elatis ac tumentibus quos Deus veluti montes tangit, ac fumigant, dilabi aquas: cum è contrario in conuallibus fontes ſapientiæ & gratiæ emittantur, ideóque abundent frumento. Non ſunt Religioſi talibus montibus annumerandi, nec in eo ſenſu montes à D. Auguſt. ſunt nuncupati: ſed ſunt montes rigati de ſuperioribus Dei, montes totius ſuaueolentiæ

SECT. III. PVNCT. I. §. I.

Propoſita hac vſque doctrina, in breuiorem conclaua compendium.

tiæ ob inde aſpirantem ſuauiſſimam fragrantiam, toto orbe terrarum. Tantumne ? Quin etiam, cœlo exquiſite redolentem. Quod enim edunt virtutum actus (& nullum quantum fert capacitas horti; ſpiritus in nobis à Deo conſiti, iuxta S. Macarium homil. 28 prætermittere annituntur; tot in eis cernuntur flores, & nitentiſſimi & fragrantiſſimi, inhalantes odorem agri pleni cui benedixit Dominus. Cogitatio eſt S. Gregorij hom. 6. in Ezech. atque Procopij; in c. 27. Gen. de bono virtutum odore diſſerentium. Age igitur, ſuauiemur religionis agrum plenum, præ virtutum vbertate odoratiſſimum, recolentes ac ſub vnum obtutum ponentes, quæ de Religioſorum bonitate abſoluta atque reſpectiua præmiſimus. Ad priorem pertinere diximus omnes Religioſorum virtutes quæ ad ipſos ſunt; cum Theologicas, tum morales; itemque Euangelicorum conſiliorum, paupertatis inquam, caſtitatis, & obedientiæ exercitationem. Quorum omnium veluti florum, quantus ſit nitor, quanta fragantia in Religioſo ſtatu, abunde eſt demonſtratum. Inde progreſſi ſumus ad bonitatem Religioſorum reſpectiuam, diſtinctè exponendo quæ bona Religioſi in alios conferant, & circa ſpiritualia quæ ſunt bona potiora, & circa humana, (quorum expoſitio cum poſſet in aliquot volumina diffundi, paucis eſt perſtricta,) & ex ſenſu ſapientum, ac multiplici ratiocinatione & antiquo vſu firmata. Hæc eſt antedictorum anacephaleoſis; cui adiungemus epimetra varia de aſſectantibus duplicem illam Religioſorum bonitatem in ſuperioribus illuſtratam vnde ſtatus Religioſi dignitas & gloria mirificè eniteſcet, quod erit luculentum Religioſi ſtatus, & alumnorum eius præconium.

§. II.

Suſpicio inuidioſa depellitur.

PRiuſquam tamen portò pergam anteoccupanda eſt inconſulta ſuſpicio quæ poſſet ex tantæ floſculentiæ Religioſorum expoſitione ingenerari. Quam præmunitionem adhibuit quoque cum Monachos extolleret, S. Chryſoſtomus hom. 14. in 1. ad Timo. Fuſiſſimè quippè omnem vitæ eorum rationem proſecutus longa diſſertatione Morali, quæ poſtea in binas homilias de vita & laude Monachorum diuulſa eſt, veritus ne quis arbitraretur Religioſæ vitæ celebratione, offici luminibus ſecularium, addit. [Et in Eccleſiis huiuſmodi quid inuenias. Neque enim quoniam Monachorum expoſuimus vitam, eorum qui intra Eccleſiam ſunt inſtituta deſpicimus. Plurimi ſæpè huiuſmodi, & in mediis ſunt Eccleſiis; ſed latent. Non enim quia circumeunt domos, quia ſubeunt forum, ideò deſpiciendi ſunt. Et hoc Deus imperauit. *Iudicate (inquit) pupillo & iuſtificate viduam.* Complures ſunt virtutis viæ. Quemadmodum denique vnionum magna differentia eſt, licet omnes appellentur vniones; ſed vnus quidem candens eſt, atque omni ex parte rotundus; alius verò huiuſcemodi ſpecie caret; cœterum alio decore niteſcit. Namque ad imitationem coralli, veluti quadam arte effictam oblongam præfert lineam, anguloſque tornatos, habetque quiddam alto colore venuſtius, praſinum ſcilicet, omni virore iucundius. Alius caloris amœnitate, præfert ſanguinis ſpeciem; alius mare colore cœruleo ſuperat, alius, purpurei fulgoris eſt æmulus. Solis quoque colores inuenies. Huiuſcemodi & ſancti ſunt.] Verba illa *qui intra Eccleſiam ſunt*, alius interpres vertit per nomen *Eccleſiaſticorum* quaſi Chryſoſtomus contentionem fecerit Clericorum ſecularium & Monachorum. At non ita eſt. Componit enim Monachos cum laicis ſecularibus; atque ex eo quod laudauerit Monachos, non eſſe inferendum quod deſpexerit ſeculares in medio fidelium verſantes, quales propriè non ſunt, qui ad Clerum ſecularem pertinent, & in Eccleſia ſummum gradum occupant, ſed ſoli laici ſeculares. Inter hos ergo, (iuxta Chryſoſtomum,) multi ſunt qui vitam Monachorum viuunt. Et de his agere Chryſoſtomum inde patet, quod dicat, Deum illis imperaſſe vt pupillos iudicent, & viduas iuſtificent; quod Laicorum ſecularium eſt, non Eccleſiaſticorum: quorum item non eſt, circuire domos & forum ſubire; quod tamé iis de quibus agit, attribuitur à Chryſoſtomo: Horum multi, iuxta S. Chryſoſtmum, ſunt in abſcondito Monachi, in manifeſtò autem ſeculares. Dixit hoc de S. Maximo adhuc ſeculari Fauſtus Rhegienſis ſer. de eo de Exuperantio & Nebridio S. Hieronymus, Epiſtola 9. de S. Martino, Sulpitius vitæ autor in vita c. 1. Nimirum ſicut iuxta S. Bernardum l. 1. in capite ieiunij, aliqui, in monaſterio amicti Monachum, ſunt ſeculares: ita è contrario, aliqui adhuc chlamydati & loricati apud Deum habentur, quos Hincmarus Opuſc. 8. in f. ait ſolo habitu Monachis cedere. Cum his igitur componebat Monachos S. Chryſoſtomus, affirmans eſſe aliquos fideles laicos ſeculares, nihilo Monachis inferiores; etiamſi iudicia obeant, iuſtè iudicantes in cauſa pupillorum & viduarum; & alia præſtent quæ ſoliti ſunt præſtare laici ſeculares. Imò Deus non ſemel manifeſtauit, aliquos tales, eſſe apud ſe priores Monachis probatiſſimis. Videndus Palladius, c. 58. 59. & 60. Lauſ. referens compoſitum viſo cœleſti, Paphnutium cum Symphoniaco & negotiatore, S. Antonium cum coriario Alexandrino; Virginem Salem, cum Piterio, & Theodulum cum Cornelio Mirno. At cum Eccleſiaſticis ſecularibus, S. Chryſoſtomus non componeret Monachos, qui ad illos ſe habent vt filij ad Patres, vt notauit S. Hieronymus, epiſto. 10. corripiens detrahentes Clericis; quaſi per illos non eſſent facti Chriſtiani. Quod ſi S. Dionyſius, c. 6. Eccleſ. Hier. ordinem Monachorum ait eſſe ſummum omnium qui perficiuntur; exponendus eſt cum Corderio, ibi §. 3. de ordinibus eorum qui adhuc purgantur; cuiuſmodi ſunt Cathecumeni, & qui imbuuntur Cathechiſmo, ac energumeni, & ij laici qui illuminantur doctrinis ſacerdotum, & perficiuntur per Sacramenta. Horum ordines, iuxta S. Dionyſium, perfectior eſt ordo Monachorum. At Sacri miniſtri qui Clerum præſertim conſtant, præferuntur Monachis quoad gradus Eccleſiaſtici ſublimitatem. Eſto, ſtatus Monachorum ſit ſecurior, & accommodatior ad portum ſalutis ſubeundum, quod vnum euincit prolixa Petri Abelardi epiſt. 3. fuſiſſ. diſputatio pro Monachis, aduerſus Canonicos: Sed ſi S. Chryſoſtomus, ne ſeculares quidem & laicos, in media Eccleſia, hoc eſt in turba fidelium degentes, deſpiciendos affirmat, & negat deſpici cum Monachi extolluntur; multo magis negaret, per exornationem Religioſorum, deſpici Eccleſiaſticos ſeculares.

Æquè S. Auguſtinus, cum exhibuiſſet Anachoretarum & cœnobitarum vitam ſanctiſſimam, ad comprimendos Manichæos, ſuorum honeſtatem, & aliquorum Eccleſiæ Catholicæ Zizaniorum turpitudinem oſtentantes; veritus eam exornatio-

SECT. II. PVNCT. I. § 1. *[illegible]*

nè trahendam eſſe ad inuidiam, quaſi Eccleſiaſtici & Laici fideles deſpicerentur, ſubdit l. de mor. Eccleſ. cap. 32. [Neque verò ita ſeſe anguſtè habent Eccleſiæ Catholicæ mores optimi, vt eorum tantùm vitas quos commemoraui, arbitrer eſſe laudandas. Quam enim multos Epiſcopos, optimos viros, ſanctiſſimoſque cognoui, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & huiuſcemodi Miniſtros diuinorum ſacramentorum, quorum virtus eò mihi mirabilior, & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius eſt, eam in multiplici hominum genere, & in iſta vita turbulentiore ſeruare: Non enim ſanatis magis quam ſanandis hominibus præſunt: Perpetienda ſunt vitia multitudinis vt curentur, & prius toleranda quam ſedanda eſt peſtilentia. Difficillimum eſt, hic tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum atque tranquillum. Quippè (vt breuiter explicem,) iſti agunt vbi viuere diſcitur; illi vbi viuitur. Nec ideo tamen, laudabile Chriſtianorum genus contempſerim; eorum ſcilicet qui in ciuitatibus degunt, à vulgari vita remotiſſimi.] Excurrit in multos & viros & fœminas, Mediolani ac Romæ abs ſe viſos, extra cœnobium, ſed ſub aliqua tamen cœnobij imagine, ſolutos votis, vitam ſanctiſſimam exigentes, in medio ſeculi; ſub ductu tamen vnius Presbiteri & vnius matronæ Antiſtitæ, vt fit in ſodalitiis: quas perſonas negat deſpici cum laudantur Monachi. Quin etiam illos ipſos qui abſque eo quem attigi ducatu, Deo ſeruiunt in ſeculo deſpiciendos eſſe Religioſis, negaret omnino S. Auguſtinus l. de ſancta Virgine a cap. 23. qui alibi deprimit ſanctimoniales, efferentes ſe ſupra coniugatas; quaſi non habeat Deus multos & multas in ſeculo & in coniugio, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal, & incedentes in omnibus iuſtificationibus Domini ſine querela. Sunt omnino multi tales, in quibus valet quod Nazianzenus orat. 21. dixit de S. Athanaſio; ſic eum ſe geſſiſſe extra cœnobij ſepta, vt planè monſtraret, vitam monaſticam, morum potiùs grauitate & conſtantia, quàm corporea ſeceſſione contineri quandoquidem Dauid quoque, homo negotioſiſſimus, & pro ratione ſui muneris, conuerſans cum omnibus, de ſe ipſo dicebat pſal. 140. *Singulariter ſum ego.* At quem etiam Pſalmi locum, optimè Chryſoſtomus. [Solitudo non facit eſſe ſolum, ſed mens quæ tenetur amore ac ſtudio ſapientiæ. Ita enim qui habitant in mediis vrbibus, foris, & ſtrepitibus poterunt eſſe ſingulares homines, dummodò corruptos cœtus fugiant, & ſe iuſtorum cœnobiis adiungant,] quod plerique in ſeculo degentes faciunt. Differit præterea de eo animi (vt ſic dicam,) Monachiſmo, S. Bernardus ſerm. 40. in Cant. Aberrabat igitur toto cœlo Euſtathius Sebaſtianus apud Socratem lib. 2. cap. 33. atque Sozomenum lib. 4. cap. 23. (Baronius anno 319. alteri cuipiam Euſtathio id tribuit, vel Euſtactio Armeno, cuius eſt apud Epiphanium hæreſi 40. mentio,) cum ſeculares omnes præ Monachis nihil æſtimarit, damnatus in Synodo Gangrenſi à Præſide Oſio Apoſtolicæ Sedis Legato. Quanquam hic hæreticus, vlteriùs progreſſus eſt. Nam (vt patet ex tota illa Synodo, præſertim à Canone nono.) exiſtimauit, omnes diuites coniugatos, nec inductos habitu Monaſtico, eſſe in ſtatu damnationis, quæ eſt aperta & craſſa hæreſis. Peſſimè igitur hic blatero, ſic laudabat Monachos, vt deſpiceret quoſcunque ſeculares. Quod inconſultiſſimè factum eſſe, monſtrat quod ſupra attigi, & confirmant egregiè Gillebertus ſ. 5. in cant. & Richardus Victorinus lib. de [illegible] cap. 3. plerique externo habitu Monachi, ſint reipſa de Seir, & Eſauini, id eſt, reuera & coram Deo, non Monachi, ſed ſeculares; Multi autem in ſeculo conſtituti, habeantur apud Deum pro Monachis. Itaque neque Monachus ſecularem, neque ſecularis Monachum, præ ſe deſpiciat. Tametſi verum eſt, abſolutè ac vt plurimum, Religioſos ſecularibus, etiam bonis, eſſe anteferendos. Nec eximunt Saresberienſis 7. polycrat. cap. 23. (cœteroqui Religioſis quandoque minùs æquus,) dicere Religioſum negligentem, eſſe optimo ſeculari meliorem. Et annuit Petrus Damiani Opuſc. 50. cap. 13. cuius in hanc rem illa ſunt eximia. [Vitis ſi ſit ferax vuarum, cuncta præcellit arbuſta ſyluarum. Sin verò ſit ſterilis, cœteris iudicatur abiectior ac vilior eſſe virgultis. Vnde eſt quod ad Prophetam Ezech. 15. dicitur, *Fili hominis quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum*, &c. *Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas?* Sic profectò Monachus, ſi ad proferendos fructus boni operis ſit intentus & feruidus, nihil inter homines eo valet eſſe præſtantius. Alioqui ſi frigidus & infœcundus areſcat, ac dormiens ſtertat inre tanquam vilis alga deſpicitur, & ipſis quoque ſecularibus non æquatur. Si quis vero ſtudiis adipiſcendæ perfectionis inſeruet, ſed adhuc tamen per infirmitatem, de prioris vitæ vitiis intus aliquid retinet; ſecularis quiſpiam, licet Religioſus eſſe comprobetur & pius, nequaquam eſt huic per omnia comparandus. Melius quippè eſt, vitioſum aurum, quam æs purum; & pretioſius eſt hebes margaritum, quàm marmor Parium. Pallens quoque carbunculus amabilior eſt, quàm cœruleus ſit hyacinthus.] Frater denique Ægidius c. 7. vitæ apud Surium Tomo 7. Inſignis inter Minores ſanctimoniæ, gratiam vnam in Religione collatam, anteferendam dicebat decem ſimilibus ſeculari obuenientibus; quia gratia in Religione, tutior eſt ac purior. Tutior quidem, ob remotionem à mundi periculis: Purior autem, quia in Religione ſemouentur quæ poſſunt gratiam inquinare, abiguntur que muſcæ exterminantes ſuauitatem vnguenti. Abiunt inquam, ſin minùs omnino, at magna ex parte, labeculæ quæ in ſeculo ſunt longe frequentiſſimæ.

PVNCTVM II.

Epimetra varia de conſequentibus ad Religioſorum bonitatem.

TAntùm de anacephaleoſi propoſita. Nunc ad decora eam doctrinam conſequentia, veniamus. Quæ quod ſint ſupra dementum nobis hic præſtitorum, rectè Epimetra, ſiue corollaria denominabuntur.

§. I. Reli

§. I.

Religioſus quiſque Thaumaturgus; nec qualiſcunque, ſed maximus.

EX his quæ ſectionibus præcedentibus conſtituta ſunt, liquere debet, vnumquemque Religioſum haberi poſſe pro Thaumaturgo Quod enim deeſſe poſſit admirabilitati, idoneæ ad fundandum miraculum ei Sanctificationi ſui ipſius (vt Ioannes 1. Ioan. 3. loquitur), in qua iugis eſt Religioſus; qui tametſi oſtreo carnis affixus, indefeſſo tamen ſtudio reſecat omnes peccati radices, & omnes conſequendæ perfectionis remoras auertit? Hoc totum, in tanta naturæ ad id inclinatione, ſupra naturam eſt. Nec aliquid obſtaret, quominus miraculum denominaretur, niſi eſſet opus haudquaquam infrequens ac inſolitum; ſed quod per gratiam ordinariam præſtari poteſt: quibus operibus non ſolet tribui miraculi denominatio. Subſtantia tamen operis quod verè eſt ſupra naturam, ſufficiens eſt ad vendicandam operi denominationem *Miraculi*, & operanti denominationem *Thaumaturgi*, nec minuti ſed inſignis.

Iudicium Nyſſeni orat. in ſuam ordinat. eſt, qui ſatagens pro conciliatione Schiſmaticorum & hæreticorum cum Eccleſia, opponens autem ſibi, non edi nunc miracula in Eccleſia, ſicut olim; ideòque operoſius eſſe reuincere abiunctos ab Eccleſia, quàm eſſet tempore Apoſtolorum, cum edebantur miracula; Reſpondet: [Ego verò magnum afferre ad perſuaſionem momentum vim operum, non diffiteor. Verum quid quæſo de iis quæ nunc geruntur arbitrandum eſt? Nonne paria fidei vides miracula? Conſeruorum quidem noſtrorum præclara facinora, noſtra reputo, qui eadem in virtute curationum ſpiritu, nobiſcum ducuntur. Huius orationis veritatis teſtimonium ducunt viri ab exteris & longinquis regionibus aduecti, Patris noſtri Abraham ciues, ex Meſopotamia profecti; qui & ipſi de terra, & cognatione ſua, atque adeò ex toto mundo egreſſi, oculis ad cœlum conuerſis, & extra humanam quodammodo peregrinantes naturam, extra omnem perturbationum aleam conſtituti; tantum ex hac vita delibant, quantum neceſſe eſt: potiore verò ſui parte, cum incorporeis virtutibus in excelſis verſantur, ſenili ſpecie atque aſpectu venerando, canitie ſplendentes, & obſignata ſilentio tenentes ora, qui decertare verbis neſciunt, neque diſquirere aut diſceptare didicerunt.] Agit de Religioſis, atque adeò habet illos pro Thaumaturgis, vi ſolius Religioſæ vitæ

Caſſianus in hoc argumento eſt copioſus, cum in perſona Abbatis Chæremonis, coll. 13. c. 12. tum in perſona Abbatis Neſteroti. Chæremonem inducit dicentem, magna quidem eſſe opera Dei in orbe terrarum; quæ tamen in ſeruis ſuis operatur, longe excedere; & ſtupendum prorſus eſſe, ſi quis non perfunctoriè conſideret, quantam mutationem in iis quos ad ſuum obſequium vocat, efficiat: ex guloſis & gaſtrimargis adducens ad exigui viliſque cibi perceptionem propè inuitam: ex obnoxiis Ætnæo luxuriæ incendio quod ferè cenſerem inextinguibile, redigens ad frigiditatem in eo genere; Truculentos & iracundos ad placiditatem tantam traducens, vt non modò nullis commoueantur iniuriis, ſed etiam illatas magnanimitate ſumma excipiant; & (qui flos eſt fortitudinis, iuxta Theodoretum, orat. de charit.) gaudeant pro Deo contumeliam pati. Iſta ſunt profectò mira opera Dei, quæ in iis qui conuertuntur ad cor, calces ſeculo illidentes, ſunt quotidiana; ex prodigo fieri continentem, ex rapaciſſimo liberalem, ex ſuperbo humilem, ex delicato ac tenero ſqualidum & hirſutum, & egeſtatem atque anguſtiam præſentium rerum, etiam voluntariè perferentem. Iſta ſunt prodigia quæ poſuit Deus ſuper terram. De quibus idem Pſaltes alibi pſal. 71. Deum benedici, qui facit mirabilia magna ſolus. Amos cap. 5. item, inde Deum ſuſpicit, quod vmbram mortis tranſmutet in matutinum; quæ eſt mutatio dexteræ excelſi qua operatur in ſingulis quos ſibilo auræ tenuis ex fluminum Ægypti extremo attrahit in terram promiſſionis, vitæ religioſæ luculentam prædelineationem. Hæc quiſquis in ſe aliiſue attenderit, iuxta eundem Chæremonem cap. 13. (Attonita conſideratione flammatus, cum intimo cordis clamabit affectu; Mira opera tua Domine, & anima mea cognoſcet nimis. Iſtud ergo eſt mirabile opus Dei, hominem carneum carnales affectus in carne poſitum reſpuiſſe, & in tanta rerum atque incurſuum varietate, vnum tenere animi ſtatum, atque immobilem in omni accidentium permutatione durare. Qua virtute fundatus ſenex quidam, cum apud Alexandriam turbis infidelium circumfuſus, non ſolum maledictis, verum etiam grauiſſimis impellentium vrgeretur iniuriis, eique à ſubſannantibus diceretur; Quid miraculi, Chriſtus veſter quem colitis, fecit? Illud (inquit,) vt his ac maioribus ſi intuleritis, non mouear, nec offendar iniuriis:] Operatur Deus hæc miracula in Religioſis eo nomine dignis, ſed non abſque ipſorum coefficientia & libera ad tactum gratiæ præuenientis cooperatione. Itaque particeps eſt miraculi quod Deus in ipſo operatur, & *Thaumaturgus* audire meritò poteſt. Alio loco coll. 15. c. 8. Caſſianus Neſterotem inducit anteponentem miracula quæ bonus ſeruus Dei in ſeipſo præoperante Deo operatur, quam quæ vulgo habentur miracula. [Et reuera (inquit), maius miraculum eſt, de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quam expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis: & magnificentius ſignum eſt, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quam aëreis principatibus imperare; pluſque eſt excluſiſſe edaciſſimos de corde proprio triſtitiæ morbos, quam valetudines alterius, febreſque corporeas expuliſſe: Poſtremò multis modis præclarior virtus ſublimiorque profectus eſt, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni.] At hæc eſt iugis Religioſorum occupatio; nec aliò mentis intuitum dirigunt, vel affectum voluntatis impendunt. Sunt igitur in perenni maximorum miraculorum patratione, dignéque audiunt *Thaumaturgi*.

SECT. III. FVNC. II. §. I. *Epimetra vera de conſequentibus ad Religioſorum ſanctitatem.*

Suffragatur Euſebius Gallicanus homil. 2. de Epiph. in f. [Ecce vera, (inquit) ecce prædicanda miracula, ſtupendas imitationes, quas quotidie in nobis Redemptor noſter operatur, quando de peſſimis bonos facit, caſtos de luxurioſis, humiles de ſuperbis, de ſectatoribus ſeculi amicos Dei. Quæ poteſt maiora exercere miracula, quam quando hominem de ſubſtantia pulueris, in Angeli ſtatum prouehit, ac terrenam materiam cælo inſerit; & in immortalitatem, figmentum mortale tranſcribitur?] Fiet hoc perfectè, cum mortale hoc induerit incorruptionem, & abſorbebitur quod mortale eſt à vita. Prædelineatur tamen iam nunc, in iis quos Deus peculiari beneuolentiæ ſuæ afflatu, transfert in regnum filij dilectionis ſuæ, conſeritque

SECT III. PVNC. II. §. II.

Epimetra varia de conſequentibus ad Religioſorum bonitatem.

ſeritque cœtui Religioſo, qui Angelorum terreſtrium domicilium eſt: Ita porrò (vt præmittebam,) hæc omnia operatur Deus in nobis, vt nos quoque coefficiamus illa miracula. Nec ipſe ſimpliciter dicitur ea operari, niſi quia facit vt ipſi ea faciamus, vt egregiè exponit S. Auguſtinus, in pſal. 52. aduerſ. 4. & l. de corrept. & grat. cap. 15. itemque S. Gregorius 22. mor. cap. 11. & lib. 24. cap. 7. non vno loco.

S. Bernardus, ſerm. 1. de temp. dedicat. præfatus conſecrationem Eccleſiæ, non tam ſpectare parietes materiales, quàm animas & corpora eorum, qui Spiritum Sanctum inhabitantem excipiunt; infert, Religioſos habendos eſſe ſanctos & patratores miraculorum. [An (inquit) experimentum quæritis eius de qua loquimur ſanctitatis, & ſanctorum illorum miracula vobis deſideratis oſtendi? multi certè ex vobis, à peccatis & vitiis in quibus computruerunt tanquam iumenta in ſtercore ſuo, exiere viriliter, & quotidie impugnantibus eis potenter reſiſtunt, iuxta Apoſtolum Hebr. 11. qui de ſanctis loquens vtique, *Conualuerunt* (inquit) *de infirmitate, fortes facti ſunt in bello.* Quid mirabilius, quando is qui vix per biduum poterat, à luxuria, crapula, & comeſſationibus ac ebrietatibus, à cubilibus & impudicitiis, cæteriſque ſimilibus & diſſimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota vtique vita ſua? quid maius miraculum, quando tot iuuenes, tot adoleſcentes, tot nobiles, vniuerſi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur ſine vinculis, ſolo Dei timore confixi; quod in tanta perſeuerant afflictione pœnitentiæ vltra virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem? Ipſi credo videtis, quanta iàm poſſemus inuenire miracula, ſi perſcrutari ſigillatim liceret ſingulorum exitum de Ægypto & deſerti viam, id eſt abrenunciationem ſeculi, introitum monaſterij, in monaſterio conuerſationem.] Operatur ergo in Religioſis Spiritus Sanctus ſublimia opera atque miracula; idque virtutes quas in eis micare ſupra demonſtrauimus; iudicio Sancti Bernardi apertè euincunt. Sed Deus ita ea operatur in nobis, præueniens, cooperans, atque conſummans, vt ipſi ſimul operemur, ſubiungentes Deo tangenti, cooperationem noſtram. Quod eſt dicere, nos quoque per eam coëfficientiam denominari iure poſſe *Thaumaturgos.*

Coniunctiſſimus Bernardo Richardus Victorinus tract. de exter. mali. Latè euoluit quod hic à Bernardo tactum eſt, de egreſſu Religioſorum è ſeculo, adumbrato in egreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto. Ac proinde agnoſcit, miracula in egreſſu Iſraëlitarum patrata, reuocari in egreſſu Religioſorum è ſeculo: cum ea tamen differentia, quòd Hebræi ad ea miracula paſſiuè ſe habuerunt: Neque enim cooperati ſunt ad ſciſſionem maris cum appulſis ad littus Hebræis: S. Auitus l. 5.

Ceſſit confeſtim ductis reuerentia fluctus
Expanditque viam cui terram clauſerat hoſtis.
Machina pendentis ſtruxit quem ſcena liquoris,
Frænatas celſo ſuſpenderat aere Lymphas.

Non inquam concurrerunt effectiuè Hebræi, ad ſurrectos in molemque parietum hærentes fluctus. Nec quod deducti ſunt in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis, opus eorum fuit; vt neque ſiccatum ſubitò & calcabile profundum. Ad nullum denique ex mirabilibus quæ tunc interuenerunt, efficientiam aliquam contulerunt Hebræi; ſecus quàm nos facimus, quos Deus ad omnia magnalia ſupra naturam in conuerſione noſtra interuenientia, dignatur admittere cooperarios. Sunt autem ea magnalia planè multa, vt Richardus plenè proſequitur, proportionalia in vnoque ſeculum deſerente miracula, exponens: quæ quod nimis diffuſa ſint, & admodùm allegorica, apud eum legenda dimitto. Hæc porrò noſtra miracula, iure ſunt habenda potiora, quippè interna; qualia miracula Sanctus Auguſtinus lib. 18. de Verbis Dom. cap. 5. longè anteponit externis.

§. II.

Religioſorum paradiſus, & beatitudinis iam ex hac vita prægustatio

EX conſtitutis de tanta Religioſorum bonitate, eruitur eos iam ex hac vita eſſe in paradiſo. Hæc autem vox in ſacris literis prolyſima eſt, vt latè exponit Maluenda tract. de parad. cap. 4. & Debrio Gen. 5. num 21. & ipſe quoque alibi de bono latro. cap. 10. num. 15. attigi. Et interdum quidem, nomen *paradiſi*, deſignat locum voluptatis in quo collocatus eſt Adam. Aliàs verò denotat ſtatum beatitudinis, de quo paradiſo dictum eſt latroni à Christo, *hodie mecum eris in paradiſo.* Breuiter ergo monſtremus, religioſum ſtatum, conſequenter ad bonitatem ſupra expoſitam, vtrumque illum paradiſum allegoricè præferre.

De terreſtri paradiſo in religione exhibito; locus eſt luculentus, in Clementina *Exiui de paradiſo*; vbi tametſi Pontifex de ſolis Fratribus Minoribus agit, tamen eius oratio æquè circa alias Religioſas familias locum habet. Clemens ergo V. proloquens ad declarationem quorumdam dubiorum circa caput *Exiit qui ſeminat*, ſic auſpicatur. [Exiui de paradiſo, dixi, rigabo hortum plantationum, ait ille cœleſtis agricola, qui verè fons ſapientiæ verbi Dei à Patre in Patre manens; genitum ab æterno, nouiſſimè diebus iſtis, fabricante Sancto Spiritu in vtero Virginis, caro factum, exiuit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum, exemplar ſe dando cœleſtis vitæ, præbens hominibus ſemetipſum. Verùm quia plerunque mortalis vitæ ſollicitudinibus preſſus homo, mentis aſpectum ab exemplaris huiuſmodi, intuitu diuertebat, verus noſter Salomon, in ſolo militantis Eccleſiæ, hortum voluptatis inter cæteros quemdam fecit, à procelloſis mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs ac ſecuriùs vacaretur contemplandis ſeruandiſque huiuſmodi operibus exemplaris, in hunc mundum introiuit ipſe, vt rigaret ipſum fœcundis aquis ſpiritualis gratiæ & doctrinæ. Hic hortus ſiquidem, eſt Fratrum Minorum ſancta religio, quæ muris regularis obſeruantiæ, firmiter vndique circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit, eum aromatibus quæ ſuauitate mirâ, vniuerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt.] Contexit eo loco Pontifex, ſertum è variis ſcripturis ad paradiſum in terra conſitum pertinentibus, quo Religioſorum ſtatum ea appellatione condecoret. Optimè in eandem ſententiam diſſeſit S. Chryſoſtomus hom. 69. in Matth. qui propoſita inerti vita mundanorum, quibus deliciarum flumina eſſe videntur,

Epimetra varia de conſequentibus ad Religioſorum beatitatem.

videntur confirmat tanto interuallo diſtare eam vitam à iucundiſſima Monachorũ vita, quantum inter tranquilliſſimum portum intereſt, & mare tempeſtuoſum ac vehementiſſimis Decumanis agitatum. Subdit verò. [Perpende felicitatis illorum (Monachorum) ſtabilimenta, ab ipſis continuò diuerſoriis. Forum enim,& vrbes,& tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil ſibi cum his ſecularibus, rebus commune eſt; vbi nihil humanarum rerum perturbat; Non mœſtitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non inſidiæ, non liuor, non turpis amor, non aliud huiuſmodi; ſed quæ ſunt futuri regni iam meditantur. Valles & montes apud fontes, in ſolitudine ac tranquillitate habitantes,& cum Deo ipſo colloquentes. Omni tumultu domus ſua vacat, & anima omni paſſione & ægritudine libera, leuis ſubtilis, & ipſo tenuiſſimo aëre purior. Quorum opus id ſcilicet eſt, quo Adam etiam ante peccatum exercitus; cum gloriam indutus, & Deum liberè alloquebatur, & paradiſi regionem, magna plenam beatitudine habitabat. In quo enim iſti peius ſe habeant,quam ille quando ante inobedientiam, vt in paradiſo operaretur fuit conſtitutus? Nulla illi ſecularis erat cura, nulla certè iſti etiam vexantur. Integra ille conſcientia cum Deo colloquebatur, non aliter iſti. Imò verò tantò liberiùs quam ille id faciunt, quanto maiore fruuntur gratia, dono ſpiritus elargita.] Hæc apertè ferunt, Religionem eſſe terreſtrem paradiſum, ei conſimilem in quo Adam adhuc innocens diuerſabatur.

Similia legere eſt apud Hieronymum epiſto. 4. & explicatius in hæc verba apud Petrum Damiani. ſerm. 59. [Verè clauſtrum eſt paradiſus. Hic prata virentia ſcripturarum, præterfluens lachrymarum vndoſitas, quam de puriſſimis affectibus amor ille cœleſtis eliquat. Hic ſunt arbores erectiſſimæ choris Sanctorum; nullaque eſt quæ non multa fructus gaudeat vbertate.] Apud eundem; Opuſc. 11. c. 19. de eremo, eſt de ſeceſſione à ſeculo & vita religioſa, de qua etiam eſt Eucherij opuſculum de laudibus Eremi, ſic habetur. [Eremus eſt paradiſus deliciarum, vbi tanquam redolentium ſpecies pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, ſic fragrantia ſpirant odoramenta virtutum. Ibi ſiquidem roſæ charitatis, igneo rubore flammeſcunt. Ibi lilia caſtitatis, niueo decore candeſcunt; cum quibus etiam, humilitatis violæ dum imis contentæ ſunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis exſudat; & thus aſſiduæ orationis indeficienter emanet. Et cur ſingula quæque commemorem? Quandoquidem omnia illhic Sanctarum virtutum germina, diuerſis venuſta coloribus rutilant, & perpetuæ viriditatis gratia incomparabiliter vernant.] En ergo religioſa vita, paradiſus terreſtris, iuxta Petrum Damiani. Aſtipulantur aliqui apud Moſem Barcepham, par. 1. de Parad. c. 1. dicentes, Paradiſum myſticum eſſe profeſſionem conſiliorum Euangelicorum, quibus Chriſtum obiectis caducis omnibus ſequimur. Moxque c. 2. ibidem additur paradiſum myſticum eſſe. (Vitam ſpiritualem quæ animo agitatur, plena ſummæ temperantiæ atque ſanctitatis, & perpetuis meditationibus rerum diuinarum, earumque quæ ſunt à Deo condita addicta; atque omnino vita beata & Angelica, procul ab omnibus animi perturbationibus, ab anxietatibus, ſuſpiriis, luctu, remota; atque cum gaudio, lætitia exultatione coniuncta; itaque pollens potenſque, vt radios atque ſplendores diuinarum notionum concipere queat. Quippe qui in hoc paradiſo verſantur, in ſumma viuunt beatitudine, atque creatorem Deum, eiuſque creaturas mente contemplantes, oblectantur.] Eadem propè verba habet alio loco, p. 1. c. 2. Eſſe item hanc paradiſi terreſtris hypothypoſim, vitæ Religioſæ benè compoſitæ delineationem agnoſcit Petrus Bleſenſis epiſt. 13. informans Tyronem, in ſtatu religioſo iam initio vacillantem. Sic enim eum affatur. [Ama quæſo clauſtrum, & abſcinde ab animo tuo deſiderium exeundi. Nam iuxta ſententiam cordis mei, ſi paradiſus in hac vita præſenti eſt; vel in clauſtro eſt, vel in ſcholâ. Quidquid enim extra hæc duo eſt, plenum eſt anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, ſollicitudine, & dolore. Tu verò neſcio quam ſeculi dulcedinem ſomniaſti in clauſtro, quam ſi fortè per inſipientiam apprehenderis, auolabit vt ſomnium & inter nugatorias beatitudines quas ſuſpiras, inuenies te deluſum.] Eandem terreſtris paradiſi religioſo ſtatui accommodati, allegoriam, fuſe proſequitur Autor à c. 2. & nominatim c. 12. & 13. libri de quadripartito cellæ exercitio. Non eſſet porrò difficile, lignum vitæ, & arborem ſcientiæ, & omne lignum pomiferum paradiſi terreſtris allegoricè accepta, cum Philone, Ambroſio, Anaſtaſio Sinaita, & aliis myſticè paradiſum terreſtrem interpretatis, Religioſo ſtatui aptare, ſaluo ſemper ſenſu hiſtorico, malè per Origenem euerſo, dum intemperantiùs inſiſtit allegoriis. Eas tamen ſobriè adhibere, (vt hic factum volumus) omnino fas eſt, idque Patrum exemplo, & ipſius Pauli vſu docemur.

Altera paradiſi notio, eſt de Sanctorum beatitate. Quo ſenſu latro dictus eſt futurus eadem die in paradiſo; id eſt in gloria ſanctorum, quamuis ea tota die,ſubſtantialiter diuerſatus ſit in inferno. Nam vbicunque Deus clarè conſpicitur, ibi eſt Paradiſus, vt optimè perſpexit S. Auguſtinus. epiſt. 57. Eodem ſenſu Galli, beatos cœlites vocant *Sanctos paradiſi*; vt eos iam cœlo tranſcriptos, ſecernant à mortalibus adhuc hærentibus in aſperis & horridis mundi ſenticetis: Et eſt ſana ac irreprehenſibilis locutio, pro qua tuenda, rectè ſatagit Serarius l. 2. q. 5. in opere Litaneutico. Eandem agnoſcit ſanam Theodorus Beza epiſt. 82. contra quendam ſectarium, Gallos hac ex cauſa vituperantem. Sed ita purgat Beza ea calumnia Catholicos, vt alia illos atrociore grauet; dicens. *Ab ipſis ſanctos ſuos, Chriſti ſpoliis exornari.* At nos nullis Chriſti ſpoliis ſanctos exornamus, vt perperam garrit cauillator Beza. Chriſto ſua iura ſeruamus. Sanctis noſtris nihil ad Chriſtum attinens arrogamus. Benè autem Beza ſanctos appellat *Noſtros*; quia nulli ſunt in Caluini Synagoga ſancti, nulli extra Eccleſiam cœlo inferuntur. Hoc verè pronunciauit Sectarius, loquens vt Caiphas. Aptè enim huc quadrat Lanfranci verbum de Berengario inter falſiloquia verbum verum emittente.

Analogicam ergo beatitatem, cum beatitate ſanctorum cœlitum meritò componendam, qualis in valle lachrymarum haberi poteſt, Religioſis vi ſtatus ſui iam ex hac vita conceſſam, agnouerunt Patrum nonnulli, vt Nazianzenus orat. 21. n. 33. qui deſcribens fortitudinem Monachorum, ſtantium pro S. Athanaſio, vocat Monachos, *philoſophia deditos, ac Dei amore præditos, atque ante tempus in cœlis ciuium munere fungentes*, quod eſt dicere eos iam nunc ex hac vita, cœleſtium vitam viuere ac beatitudine perfrui. Bernardus ſerm. de parab. neg. idem planè habet, tractans ſecundam è quinque negotiationibus. (Secunda regio (inquit)

SECT. III. PVNC. II. § II.

Exponitur varia de conſequentibus ad Religioſorum beatitatem.

(inquit) eſt paradiſus clauſtralis. Verè clauſtrum eſt paradiſus, regio vallo diſciplinæ munita, in qua pretioſarum eſt mercium fœcunda fertilitas. *&c.* Caſtra Dei ſunt hæc. Quam terribilis eſt locus iſte. Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. Chryſoſtomus hom. 8. in Matth. celebrans Ægypti monaſteria, idem his verbis tradit. [Si quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudines, Paradiſo quouis omnem illam videbit eremum, digniorem; & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus *&c.* Eſt cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum Regium gregem, virtutumque cœleſtium conuerſationem in terris micantem.] Alibi, lib. 3. contra vitup. vitæ Monaſt. c. 10. minutè deſcribit Monachos in cœnobio tanquam in portu tutiſſimo, conſtitutos, & tanquam in cœlo collocatos, deſpectare conflictantes cum ſeculi fluctibus, & cum tempeſtatibus colluctantes mundi homines, expoſita plenè ſumma monaſterij tranquillitate, & pleno gaudio proportione referentibus tranquillitatem & gaudium Angelorum in cœlo. Præclarè in illud hom. 69. Matthæi 21. *Sicut Prophetam eum habebant*, cum præmiſiſſet, vitam monaſticam reſpondere vitæ Adami innocentis in terreſtri paradiſo, altius prouehens Monachorum iam ex hac vita beatitatem, componit eos cum Angelis in cœlo, qui vtique perfectè beati ſunt. In quam rem, aliqua delibat de vita Monachorum, quod deſperare ſe dicat adducere autores, vt eorum ſancta exercitia conſpiciant, adeuntes monaſteria. Sic porrò habet. [Ita igitur orbis terrarum lumina, in exortu ſolis, imo verò multo ante diem, à lectulo ſurgentes, integri, ſobrij, vigilantes, (nam nec grauedo capitis, nec rerum cura, nec turba, nec aliud huiuſmodi; eos perturbat, ſed tanquam Angeli in cœlo verſantur.) Illicò igitur poſtquam è lectulo ſplendentes & læti ſurrexerunt, choro conſtituto, integra conſcientia, omnes quaſi ab vno conſonantes ore, hymnis Deum laudant, gratias pro vniuerſis, tam proprijs quam communibus beneficiis ei agentes. Quare illo Adam omiſſo, quid inter Angelos & hunc Monachorum interſit chorum, libenter interrogauerim, qui ſic in terra cantant; & dicunt Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis?] Apertè, ſtatum Monachorum, non iam cum Adamo innocente, & terreſtrem paradiſum inhabitante, ſed cum beatis Angelis, cœleſtis paradiſi incolis, componit. Laurentius Iuſtinianus c. 7. idem confirmat in opere de perfectione monaſticæ conuerſationis. [In humanis (inquit) rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cœleſtis patriæ, quam monaſtica conuerſatio, & congregatio diuini cultui dedicata. Et hoc ſenſu, quadrat in Religioſum, illa alia notio paradiſi, pro atrio ante templum Domini. Sic enim Anaſtaſius in Dono, (quem alij Domnionem nominant), atrium ſuperius Baſilicæ S. Petri ab hoc Pontifice magnis marmoribus ſtratum & quadriporticu inſtructum, magnificentiſſimè exornatum ſcribit, tanta elegantia, vt *Paradiſus* appelletur. Eademque habet Aymonius, lib. 4. cap. 45. meminitque eiuſdem Paradiſi Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi agens de ſepultura Othonis in eo Paradiſo. Alibi quoque ſimilis Paradiſi mentio eſt. Teſtatur enim Iacobus du Bruël, ad Aymonium, aream ante templum B. Mariæ Pariſienſis, in antiquis eius loci chartis, denominari *Paradiſum*. Et Leo Caſſinenſis l. 3. c. 26. Chronici ſcriptor, meminit ſimilis atrij ante Eccleſiam Caſſinenſem, *quam* (inquit) *nos Romana conſuetudine, Paradiſum dicimus*. Religio ergo in paradiſi notione hactenus illuſtrata, eſt paradiſus ad hunc minus vulgarem ſenſum, quia eſt atrium domus Domini, ſiue cœleſtis Regiæ, iuxta, illud de ſeruis Domini, *qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri*; quod de Monachis & virginibus in cœnobio & Parthenone degentibus, accipit ibi creditus Hieronymus. De mente itaque Patrum, rectè aſſeritur, Religioſorum vitam eſſe vmbram futurorum, & fœlicitatis cœleſtis adumbrationem. Nunc ratione hoc aſtruamus.

Ad beatitatem ſanctorum cœlitum, tres actus concurrunt, nimirum Dei cognitio, amor, & de eo delectatio. His actibus proportionales, & pro vitæ præſentis tenuitate, admodum exquiſiti micant in Religioſis hominibus, imprimiſque liquidior ac plenior, quam in ſeculi hominibus Dei cognitio. Religioſi enim ſunt ſemoti ab vligine paſſionum, inferentium oculo mentis luſcioſitatem; imo vt Clemens 1. recogn. ſub initium. Romanus philoſophatur, ſubuehentem ex imo, fumum quo inſeritur plena exoculatio; ita vt ne Dominus quidem domus agnoſcatur, & dicat impius in corde ſuo, non eſt Deus. Aliqui inquit S. Auguſtinus, Tract. 8. in epiſto. Ioann. peruerſitate morum extingunt in ſe intelligentiæ flammam. Hæc tamen exoculatio, in Religioſos non cadit: quia ſunt moribus compoſitiſſimi, & arent ſicut vter in pruina. Itaque ex hoc capite, quantum mortali fas eſt, beatitatem iam ex hac vita prægustant. Illuſtrare hoc licet, præclara Nazianzeni orat. 28. n. 2. diſputatione; qua præfatus, Deum hoc eſſe animis, quod ſol eſt corporibus; & in eo tanquam in vertice veri ac boni, conquieſcere animi agitationem, ſubdit; [Cuicunque igitur terrena mole per rationem & contemplationem perrupta, ſolutaque hac carnali, ſiue nubes ſiue obuelatio dicenda eſt, cum Deo commercium habebere, ac puriſſimæ luci, quantum humanæ naturæ datum eſt, commiſceri licuerit, is duplici nomine beatus prædicari debet tum quod hinc ſurſum aſcenderit, tum quod Deificationem illam ſit conſecutus, quam verum & ſincerum philoſophiæ ſtudium conciliat, ac mentis ſupra terrenum binarium ſubuectio, propter eam quam in Trinitate intelligimus vnitatem.] Cum tanta intellectus luce, iungitur adhæſio voluntatis in Deum, quæ in Religioſis veluti naturaliter conſequitur auulſionem ab omnibus terrenis; ita vt poſſit vnuſquiſque eorum ad veritatem dicere, *Mihi adhærere Deo, bonum eſt*. Cui verò alteri adhæret, is quem ſua profeſſio auellit ab omnibus quæ Deus non ſunt, etiam à ſe ipſo? Nam ſe ipſum quoque, ſancto odio proſequi tenetur. Itaque cum voluntas humana non poſſit planè otiari, ſed neceſſario feratur in aliquod bonum; (eſt enim genij negotioſi & irrequieti;) profectò ſi ab omnibus creatis auellatur, vt fert Religioſum inſtitutum, non poterit non adhærere Deo, in quo omnem rationem boni obiiciente intellectu, inuenit vbi efficacitatem vniuerſam, ſuæ facultatis exerat, nec dum æquatura vel exhauſtura illecebroſitatem obiecti. Eſt quippè meracum bonum, nulla extranea admiſtione dilutum, atque adeò nulla ex parte auertens voluntatem: ſecus quam faciunt omnia noſtratia bona; quæ propter miſturam non boni, tantum abalienant, quantum alliciunt voluntatem, vt ſcitè diſſerunt Richardus Victorinus in pſal. 74. atque Bernardus; ſerm. de proceſſ. palmar. At in Deo, planè contrarium contingit, quia

eſt

eſt purum ac merum bonum: & quo arctiùs ſtringitur per voluntatem, eò penitiùs peruadere, nec vnquam ſiſtere, eſſet voluntati optabiliſſimum. Id quòd Religioſi cum Deo arctè nexi, magno ſuo bono experiuntur.

Delectatio in tam dulci obiecto, veluti connaturale germen pullulat ex actibus circa Deum elicitis. Eſt enim Deus, obiectum adeò ſuaue & iucundum, vt ſolus eius contuitus in quantauis anguſtia, ſatis ſuperque ſit ad omnem mærorem abſtergendum, & perfundendam omni oblectatione voluntatem; quod Nazianzenus orat. 17. num. 2. ex Dauide eruit, de ſe ipſo ſic affirmante. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Quid memoria paratius, exclamat Theologus? Quid magis ad manum, quàm recordari? Non poteſt ergo eſſe locus triſtitiæ, vbi Deus perpetuò obuerſatur memoriæ. Ex hoc principio Abbas Apollo referente Palladio, l. 48. Lauſ. negabat fas eſſe Religioſis mœrere; imò confirmabat eos debere omnibus lætitiis incedere, quod & Deo iam nunc potiantur, quantum huius carnis cochlea obuolutis licet; & tanta ſpe digni ſunt habiti, per totam æternitatem. Luctum ergo amandabat ad extorres à Deo, Gentiles, Iudæos, & malos Chriſtianos: prorſus verò mœrorem ablegabat à ſeruis Dei, intraturis in gaudium Domini, & iam nunc illud ſubeuntibus pro eius vitæ capacitate: Eò ſanè ſubiuerat Sanctus Franciſcus Xauerius, cum ad exundantem in ſuo pectore, Dei ſuauitatem, exclamabat; *Satis eſt Domine, ſatis eſt*, S. Item Dorotheus, doctr. 5. num. 8. de ſeipſo prodidit, præ regularis obſeruantiæ accuratione, tanta ſe à Deo perfundi ſuauitate ſolitum, vt ſuſpectam haberet eam gaudij vbertatem; ne fortè reciperet hic mercedem ſuam, vt plerique fallentes ſemetipſos.

Ex ſuauiatione Dei, & caducarum rerum faſtidio, conſequitur æquanimitas imperturbatè, & quicquid demum accidat, fluſtrum mentis perpetuum, & tranquillitatis animi, ac ſerenitatis omni deterſæ nubilo conſtantia perennis, cui comitati in Religioſis beatitatem, egregiè tradit Saluianus l. 1. de prouid. his præter cœtera. [Nulli (vt opinor,) beatiores ſunt, quàm qui ex ſententia ſua atque voto agunt. Humiles ſunt Religioſi, hoc volunt: pauperes ſunt, pauperie delectantur. Sine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt. Inhonori ſunt, honorem deſpuunt. Lugent, lugere geſtiunt. Infirmi ſunt, infirmitate lætantur. *Cum* enim (inquit Apoſtolus) *infirmor, tunc potens ſum.* Nec immeritò ſic arbitratur, ad quem Deus ipſe ſic loquitur, *ſufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur.* Nequaquam ergo nobis dolenda eſt hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem eſſe virtutum. Itaque quicquid illud fuerit; quicunque verè Religioſi ſunt, beati eſſe dicendi ſunt, quia inter quamlibet dura, nulli beatiores ſunt, quàm qui hoc ſunt, quod volunt. Soleant quamuis eſſe nonnulli, qui turpia atque obſcœna ſectantes, etſi iuxta opinionem ſuam beati ſunt, quia adipiſcuntur quod volunt, re tamen ipſa beati non ſunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Religioſi autem hoc cunctis beatiores ſunt, quia & habent quæ volunt, & meliora quàm quæ habent, omnino habere non poſſunt.] Confirmat hoc Saluianus, autoritate Stoicorum [qui, etiam vſque ad contemptum doloris ac mortis, doctrinæ ſuæ culmen erexerunt; dicentes ſcilicet, etiam in catenis atque ſuppliciis, beatum eſſe ſapientem. Tantam virtutis vim eſſe volue-

runt, vt non poſſit eſſe vnquam vir bonus, non beatus. Si ergo illi, à quibuſdam nunc etiam ſapientibus viris, miſeri non putantur, qui nullos laboris ſui fructus, niſi ex præſenti tantùm laude capiebant, quanto magis religioſi & ſancti viri, miſeri non putandi ſunt, qui & præſentis fidei oblectamẽta capiunt, & beatitudinis futuræ præmia conſequuntur?] Nihil vetat, *Religioſi* vocem, in his Saluiani locis vſurpare in notione vulgata; prout ſcilicet denotat cœnobitam ſeculari contradiſtinctum. Nam eo ſenſu alibi, l. 4. ad Eccleſ. ab eo ſic accipitur *Religioſi* vocabulum. Quamquam non me latet, plerunque *Religioſi* nomen idem ſonare quod *pium*, & de cultu diuino ſollicitum. Vt propterea ſubeat mirari, ruditatem eorum, qui vnius ordinis cœnobitici antiquitatem, Apoſtolica quoque tempora (ſi Deo placet,) antegreſſam, ſtabiliri putant, verbis illis Lucæ Actor. 1. *viri Religioſi, ex omni natione quæ ſub cœlo eſt.* At nemo Patrum, nemo Interpretum bonæ notæ per *Religioſos* eo loco, intellexit *cœnobitas, aut Monachos.* Apud Saluianum tamen, quibuſdam locis res aliter habet. Accepit enim aliquando, *Religioſum* pro eo quem ipſe plerunque, & S. Iſidorus, lib. de conuerſis, aliique veterum vocant *conuerſum.* Et quamuis aliquis, eum aliter in locis quæ exſcripſimus, accepiſſe vocem *Religioſi*, contenderet, nimirum prout ſæpè ſonat quemcumque cultui Dei addictum, ac pium, etiamſi ſui iuris, ac ſecularem; tamen ratiocinatio ex Saluiano propoſita, comprehenderet quoque Religioſos preſſè dictos, quia verè ſunt pij, & in cultum numinis adeò affecti, vt inde denominati ſint *Therapeutæ.* Igitur Religioſi preſſè dicti, ſiue cœnobitæ, de Saluiani ſententia, iam ex hac vita ſunt beati, & prægustant ſtatum beatitudinis, quia nihil illis obtingit præter voluntatem; & ob adhæſionem cum Deo, liquidiùs quàm per ſeculi homines percepto, & dependentiam ab eius nutibus, ei adhæſioni adiunctam, & gaudium de eo, ac in eo perceptum proportionalem ſtatum iam ex hac vita ſtatui beatorum cœlitum adipiſcuntur.

SECT. III. PVNC. II. §. II. Epi[illegible] varia de conſequentibus ad Religioſorum beatitudinem.

Hinc deducitur, mirum videri non debere, quòd magni viri & eximia ſanctitate conſpicui, altè ingemuerint, cum contigit eos ex hoc Religionis paradiſo extrahi. S. Anſelmus ex Monacho Cluniacenſi Lucenſis Epiſcopus, abſtractionem ſuam à cœnobio, deplorauit frequentiſſimè. Idem fecit S. Anſelmus apud Eliam ex Monacho Beccenſi, e ſi Epiſcopus Cantuarienſis. Sophronius actione 11. Concilij Conſtantinopolitani, flebilibus modis deplorat ſuã è cœnobio extractionem. Poſt multa enim de aduerſis, dulcedinem proſperorum, auctiorem demonſtrantibus, addit. [Meritò proinde & ego, cum miſerabili Iobo ob memoriam priſtinorum bonorum meorum excitatus, proclamo. Tranquilla & quieta hæc vita erat, & nauigatio ſine metu fluctuum. Quis conſtituet me ſecundùm menſes dierum antiquorum, quibus me Deus ſeruabat inafflictum? quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, viuebamque vitam quietam & influctuoſam. Quando luminis eius beneficio, gradiebar per tenebras; cum vindemiabã racemos ſilentij; cũ vireb ſurculis ſerenitatis, cũ imperturbationis delectabar palmitibus, cũ interioris libertatis iucundabar floribus, cũ ſecuritatis coronabar calycibus, cũ otij fouebar gratia, cũ terrena ſatiabar paupertate, cũ impericuloſi ſtercoris arabam ſulcos, cũ ſerenæ paupertatis nauigabã mare, cũ humilis caſæ delectabar pulchritudine, cũ mellifluũ mannæ, ſpõte naſcentis eſcæ, alter Iſraëlita manducabam, paſtus paſtu pacifico cœleſtique, abſque murmuratione & ingratitudine.] Gemitus

SECT. III. PVNC. II. §. III.

Epimetra varia de conſequentibus ad Religioſorum bonitatem.

Sancti Gregorij Magni, ob ſuam à portu religionis abductionem, & retruſionem in pelagus negotiorum Pontificiæ curæ, apud eum in proœmio Dialogorum & 1. Regiſtri indict. 9. epiſt. 6. legere eſt. Non eſt mirum, huiuſcemodi gemitus viris ſanctis eſſe extortos, cum ſe occaſione ſacræ præfecturæ è cælo religionis deiectos in terram tumultuoſam viderent. Quid mirum deplorasse ſortem ſuam poſteriorem, tam ſanctos viros, contentionem nouiſſimæ ſortis cum prima facientes; commorationis inquam in cœlo myſtico, cum commoratione in ſalo, & in ſolo cœnoſo ac horrido: Marcellus Tudertinus referente Sancto Gregorio 1. Dialo. cap. 10. excitatus à mortuis per Sanctum Fortunatum eiuſdem vrbis Epiſcopum, erupit in illas voces querulas, aduersùs Sanctum Fortunatum, *ô quid feciſti! ô quid feciſti?* dolens quòd ſtatu optimo, quem ſanctè moriens inierat, excidiſſet. Non erat quidem Marcellus plenè beatus, neque clarè videbat Deum, quia ex eo ſtatu quiſquis eum adeptus eſt, non exturbatur; contra quam de ſe ipſo mendaciter dici: Satan agens cum Iordane Magiſtro Generali Ordin. Prædicatorum apud Cantipratanum libr. 2. capit. 57. numer. 67. atque Cæſarium lib. 5. mir. cap. 10. Et tamen ex illo beatitudinis rudimento, quod poſſunt habere qui necdum clarè Deum vident, deiici & retrudi in noſtras ſordes, durum admodùm cenſuit Marcellus. Proportione idem dicamus, de ſanctis Religioſis, per occaſionem ſacræ præfecturæ, de cœlo monaſtico in quo quietè & cum ſumma ſerenitate degebant, retruſis in ſeculi turbines, & tumultuoſam vitam. Mirum planè non eſt, quod deplorent ſortem ſuam, ob eam è ſuo myſtico cœlo extractionem.

§. III.

Beneficium vocationis ad religioſum ſtatum, præ tanta eius præcellentia; quanti eſſe apud cordatum Religioſum debeat.

Felices, ſua ſi bona norint, pronunciabat agricolas Poëta 2. Georg. Hoc ipſum dici optimè dici poteſt, de Religioſis, horti diuinitus conſiti cultoribus & agricolis, vt ſupra ex Clemente V. loquebamur Felices enim reuera erunt, ſi ſua bona habeant perſpecta: Si dignitatem ſtatus ad quem diuinitùs ſunt vocati, & viciniam eius, analogiamque cum ſtatu beatorum cœlitum, non perfunctoriè, ſed attentè conſiderent; & ob mentis oculos aſſiduè ponant. Erit ſanè ea conſideratio, potens incentiuum ad gratum ſenſum erga beneficum numen, à quo inditum eſt homini ſemen, ad aſpirandum ad eum Angelicum ſtatum.

Omnium prædictorum capitum breuem expenſionem, ſubminiſtrat Sanctus Baſilius cap. 19. conſt. monaſt. qui profeſſus cœnobitæ vitæ excellentiam aperire; atque adeò magnitudinem beneficij collati in allectione alicuius ad eam demonſtrare, ſic diſſerit. [Principio, cœnobitæ ad bonum illud quod ex natura eſt, reuertuntur, cum vnâ cum cœteris, communionem, conſociatiónemque amplectuntur. Siquidem perfectiſſimam ego vitæ communionem illam appello, à qua priuata omnis, rei cuiuſque excluſa poſſeſſio eſt, & eliminata: itémque inde diſſenſio omnis ac perturbatio omnis, contentio omnis abeſt ac rixa, contráque vniuerſa communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus neceſſariò ad victum & cultum vtimur: Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus. Huic vitæ inſtituto, quid eſt tandem quod iure æquiparari poſſit? Quid eo beatius dici? Quid hac coniunctione, vnitate, ac neceſſitudine aptius excogitari? Quid mutua inter ſe morum animorúmque contemperatione gratioſius fingi? Homines ex diuerſis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeò in vnum veluti coaluiſſe, vt in pluribus corporibus vnus tantummodò eſſe animus videatur; viciſſimque plura corpora, mentis vnius inſtrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine eſt, is complurium animos imbecillitatis ſuæ participes habet. Qui verò animo æger eſt, & affligitur, ei complures præſto ſunt, à quibus curetur, & à quibus aſſiduè erigatur. Hi æquali iure, inter ſe, aliorum & famuli ſunt & Domini & in inuicta libertate, accuratiſſimam ſibi inter ſe ſeruiunt ſeruitutem; quam non neceſſitas caſus fortuiti, oppreſſis & in captiuitatem abductis, magno ipſorum cum mœrore violenter inuexit; ſed cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippè cum charitas ipſos alioqui liberos, inter ſe alios aliis ſubiectos efficiat; & ipſis nihilominus tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem conſeruet. Tales nimirum cum ab initio nos fingeret, Deus eſſe voluerat, & propterea crearat. Qui eiuſmodi ſunt, ſine controuerſia primi parentis noxam contegentes, antiquum bonum in priſtinum reuocant. Quandoquidem niſi naturæ noſtræ vnitatem diſſecuiſſet peccatum, lites, & diſſidia, & bella, in hominibus non eſſet. Hi liberatoris noſtri, eiuſque vitæ dum inter nos verſaretur, inſtitutorum, veri perfectique imitatores exiſtunt. Quemadmodùm enim ille coacto diſcipulorum choro, communia omnia, ſeque ipſum communem Apoſtolis præbuit; Item hi quoque, antiſtiti ſuo obtemperantes, (qui modò vitæ ſuæ præſcripta rectè conſeruant,) genus viuendi Apoſtolorum, ac Domini, imitantur. Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur. Nulla eſt inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuerſia; ſed cum habeat quiſque quæ omnium ſunt; omnes tamen integras apud ſe ſuas diuitias conſeruant. Siquidem nequaquam materia quæ circumſcribi poſſit, Angelorum diuitiæ ſunt, quæ quandocunque eam in plures diſtribui, opus ſit, neceſſariò diuidi debeat. Sed contra, materia omnis, illorum expertes copiæ ſunt & in vna eademque mentis agitatione diuitiæ collocatæ. Et propterea cum integra apud ſingulos bona ſua cuique permaneant, omnes pet æque diuites efficiunt: Nempe quæ ſe ſine controuerſia, pugnáve; ipſis præbeant poſſidendas. Summi enim boni contemplatio, & virtutum luculentiſſima cognitio, Angelorum Theſaurus eſt. Hæc autem eiuſmodi ſunt, vt cum perfectam eorum pro ſe quiſque ſinguli cognitionem poſſeſſionémque adipiſcantur, vniuerſis tamen in ea liceat intueri. Sine dubio tales ſunt, qui veræ ſunt pietatis cultores, vt eorum non de rebus terrenis, ſed cœleſtibus concertatio ſit, & indiuidua quadam diuiſione, eadem vniuerſi & ſinguli, apud ſe quiſque conſeruent. Siquidem virtutis ea acquiſitio eſt, & rectè factorum diuitiæ, & laudanda fraudatio,

fraudatio, & lachrymarum expers rapina: vbi inſatiabili auiditati præmium eſt ac propoſita corona; & quiſquis hic vim ſibi non facit, vt eo vſque perueniat, reum ſe conſtituit. Omnes rapiunt, & nemini iniuria fit, quæ quidem cauſa eſt, cur earum diuitiarum arbitra & moderatrix ſit pax. Hi dum laudabili ratione viuendi ſua, communitatéque, cœleſtis vitæ, ac ſtatus egregie formam effingunt, futura promiſſi regni bona præcipiunt. Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cuiuſquam ſit; ſed communia omnium omnia. Quot quantaue bona nobis conciliarit aſſumptæ carnis merito, liberator noſter, illi perſpicuè admodum demonſtrant communi hominum vitæ, dum laceram hominum naturam, & in partes penè innumerabiles diſſectam, quantum quidem in ipſis eſt, redintegrant, Deoque reconciliant. Siquidem eorum omnium quæ à liberatore noſtro in carne geſta ſunt, ſumma huc pertinet, vt humanam naturam, cum ipſam ad ſe ipſam, tum ad ſe etiam reuocaret, ſibiue eam conciliaret, & ſublata praua diſſectione in priſtinam integritatem coniunctionemque reſtitueret; atque vt peritiſſimus aliquis Medicus, corpus in plures partes conciſum, ſalutaribus medicamentis religaret. Atque hæc neutiquam ea re ſum proſecutus, vt dicendo, rei magnitudinem adderem; & eorum qui in vita cœnobitica promouentur, præclaras virtutes verbo exaggerarem: (Neque enim eiuſmodi mea dicendi facultas eſt, vt ea rebus alioqui per ſe magnis ſplendorem poſſit afferre: quin mihi metuendum eſt potiùs, ne exilitate ſua, eas ſua ſponte claras obſcuret:) ſed vt quoad fieri poſſet, ſplendidi adeò propoſiti ad virtutes inuitantis, excellentiam dignitatemque perſequerer ac demonſtrarem. Nam quid eſt tandem, quod ſi huic compararetur, non iure longè inferius iudicetur? Apud quos enim pater ſit vnus qui cœleſtem patrem imitetur, & filij multi qui ſummæ in Magiſtrum ſuum beneuolentiæ officiis, mutuò inter ſe alij alios ſuperare contendant; Filij inquam, & vnâ inter ſe concordibus animis adſtricti, & honeſtiſſimis virtutum officiis, Patrem quaſi prehenſa dextera excipientes, ac proinde recreantes; neque naturæ, neceſſitudinis ſuæ cauſam adſcribentes, ſed quæ natura firmior eſt, rationem coniunctionis ſuæ ducem ſibi ac cuſtodem aſciſcentes, & ſe inter ſe, vinculis ſpiritus ſancti conſtringentes; ad horum tam præclari negotij magnitudinem exprimendam, quæ ſatis idonea in terris inueniri ſimilitudo poſſit? Sed enim ea in terris nulla eſt, ſola cœleſtis relinquitur. Impatibilis cœleſtis pater ab affectionum impuritate ſe auocat; hic quoque, ratione ſibi cunctos concilians. Incorrupti liberi cœleſtis patris, in corruptionis ſtudium, hos quoque fecit adoptiuos. Charitate qua in cœlo ſunt inter ſe coniunguntur: charitas hos mutua compagine connexuit. Nihil omnino inſidiarum, ordiri auſit aduersùs huiuſcemodi phalangem Diabolus; vt qui vnus aduersùs tot agoniſtas parem intelligat ſe eſſe non poſſe, adeò expeditè, adeóque confeſtim contra ipſum militantes, & charitate veluti acta teſtitudine, inter ſe alij alios tantoperè protegentes, Spirituque conſepientes, vt ne vel tantillum loci detur irrependi illius aſſultibus. [Conſidera, quanta ſeptem Machabæorum in decertando conſenſio fuerit; & præ iſtis flagrantiorem apud hos animorum conſenſionem reperies. De his in carminibus ſuis exclamauit Dauid, cum dixit, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Quibus verbis ille, per *bonum* vitæ probitatem expreſſit; per *iucundum* autem, læti iam eam quæ ex concordia, & animorum coniunctione progignitur. Hoc vitæ genus qui diligenter colunt, ij cœleſtem ac ſupremam, mihi virtutem videntur imitari.] Non potuit S. Baſilius, altiùs ſubuehere cœnobiticæ vitæ dignitatem; & commoda. Ac proinde quantum ſit beneficium vocationis ad eam cœleſtem in terris vitam, eximiè aperuit: cuius propterea diſputationem, tametſi longiuſculam, repræſentare, nullatenus acciſam placuit, ne particula boni doni præteriret lectorem. Nunc aliquot alios in eam rem Patres, audiamus.

SECT. III. PVNC. II. § III. *Epimetra vaſta de conſequentibus ad Religioſorum bonitatem.*

Egregiè quoque in hanc rem diſſerit Petrus Damiani, opuſc. 52. cap. 1. ſic alloquens Religioſos Caſſianenſes. [Summoperè curandum eſt dilectiſſimi, vt immenſas Deo gratias iugiter referatis; qui videlicet hoc tempore de mundo eſtis electi, quo conſtat in eo quempiam difficile poſſe ſaluari. Impleſtis enim quod per Zachariam cap. 3. Domino vociferante præcipitur, *O Sion, fugite de terra Aquilonis.* Et rurſum. *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* Quibus nimirum veritas dicit, *Ego vos elegi de mundo; & quia de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.* Nam velut ſi ferox beſtia pecus inualidum mordicus apprehendat, paſtor autem vel vnum membrum de faucibus furioſè deglutientis educat; ita vos Chriſtus de ore cruenti prædonis eripuit, dum pereunte mundo in obſequium vos ſui famulatus elegit. Hinc eſt, quod per Amos cap. 3. prophetam dicitur, *Quomodò ſi eruat paſtor de ore leonis, duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſraël qui habitant in Samaria.* Sic itaque per exuberantioris gratiæ munus, non ambigitur vobis fuiſſe collatum, quod per eundem Prophetam cap. 4. alibi dicitur, *Plui ſuper ciuitatem vnam, & ſuper alteram ciuitatem non plui. Pars vna compluta eſt; & pars ſuper quam non plui, aruit.* Corda quippè terrena atque carnalia, velut æſtu ſqualentia diuturnæ ſiccitatis areſcunt, quæ fluenta ſupernæ gratiæ, compunctionis imbribus non infundunt. De qua videlicet terra, diuina vox ait. *Mandabo nubibus ne pluant ſuper eam imbres.* At contra de mente illa quæ Dominum veraciter ſitit, quæ fontem ſapientiæ indeficienti deſiderio concupiſcit, per Iſaiam dicitur, *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt in te herbas quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.* Cum ergo vos omnipotens Deus mundo ſubtraxit, ac ſub monaſtica ſibi diſciplina ſeruire conſtituit, quid aliud feciſſe cernitur, quam velut olim in catacliſmo, de multis pereuntibus vos paucos elegit, ac in bituminatæ arcæ latibulum, vt viueretis induxit. Clauſtrum quippè Monaſterij, viuarium eſt animarum.]

Sapienter Petrus Damiani opuſc. 52. ad introſpectionem beneficij Religioſæ vocationis, & tranſlationis à tenebris ſeculi ad lumen Dei admirabile, admonet non tantùm perfectionem ac nitorē religioſæ vitæ conſiderare, ſed etiam inquinationem præſentis ſeculi nequam, in quo hærent & conuol-

SECT. III. PVNCT. II. §. III. *Epimetra varia de conſequentibus ad Religioſorum bonitatem.*

ducuntur, qui extra Religionem verſantur. Eam ſeculi inquinationem S. Anſelmus c. 185. ſimpli. in hunc modum perſpexit in viſione Domini. [Vidit Anſelmus in infirmitate poſitus, & in extaſi quodammodò extra ſe raptus; vidit inquam fluuium vnum rapidum atque præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ; & quarumcunque terreſtrium rerum lauaturæ. Videbatur itaque aqua ipſa, nimis turbulenta, & immunda, & omnium ſpurcitiarum ſordibus horrida. Rapiebat igitur in ſe quicquid attingere poterat, & deuoluebat tam viros quam mulieres intra ſe, diuites & inopes ſimul. fœda quidem erat aqua; ex ea tamen viuebant, & delectabantur in illa, vt ille aſſerebat qui eum docebat. Ille verò ab ipſo inquirente, quiſnam torrens ille eſſet; vel quid multitudo illa ſe in ea voluptans prætenderet, ait, Ne mireris? Torrens mundum ſignificat, quo rapiuntur, in cuius ſpurcitiis illecebroſis, inuoluuntur omnes ipſum amantes.] Humbertus, l. 1. erudit. relig. par. 1. à c. 1. ex ſeptem capitibus, hanc ſeculi illuuiem & miſeriam egregiè perpendit, ad ritè æſtimandum beneficium eductionis e ſeculo Sed ne videamur eorum duntaxat qui ſunt in ſeculo veluti maculæ, contentionem facere cum Religioſis, ad illos item extendenda eſt contentio, qui viuunt in ſeculo ſine querela, inhærentes iuſtificationibus Domini, abſque profeſſione Euangelicorum conſiliorum. Horum ſtatum, Eccleſia agnoſcit bonum eſſe; ſed fatetur facile ſordere puluere terreno. Religioſorum autem vitæ modum, Angelicum quodammodò ac cœleſtem eſſe confirmat Ita S. Athanaſius Scribens ad Ammam Monachum, & Euſebius Epiſtola ad Martinum, ac S. Baſilius loco ſuperius excerpto, ac ſermone de renunciatione, & iis anterior S. Dionyſius quos deflorauit Turrianus initio Apologetici. agens contra Boquinum. Agnoſcant ergo Religioſi, quantum Deo debeant, qui eos adhuc incolas in terra, conſociat Angelis; & vtroſque proportionali beatitate magnificentiſſimè munerat.

Hoc argumentum, & fructus ex eo benè perpenſo extituros, vere at egregiè Marcus Eremita, l. de præcept. ſalutar. ea adhortatione quam habuit ad recens conuerſum, nec ita pridem Religioſo habitu, ac (vt Græci loquuntur) Angelico ſchemate conueſtitum. Oratio eſt paulò longior, itaque partem duntaxat, magis ad rem facientem repræſentabo. Sic igitur habet. [Initium fili præmonendi ſecundùm Deum tuum, hinc facere debes. Perpetua & nulla obliuione delenda memoria. cum aſſidua meditatione perpendi debent, vniuerſæ Dei humaniſſimi adminiſtrationes, & in te collata beneficia, ſalutis animæ tuæ gratia. Et ne per ſocordiam & obliuionem multorum & ingentium beneficiorum eius, excidat è memoria tua, tegi vitia; ideoque reliquum tempus inutiliter & ingratè tranſigas. Nam continua huiuſmodi memoria, cor pungens, inſtar aculei, excitat perpetuò illud ad confeſſionem, abiectionem & gratiarum actionem; cum anima contrita, ad omne bonum ſtudium, & vt manſueta vitæ ratio benignique mores rependantur Deo, cum omni eo digna virtute: ſemper animo benè conſcio, meditando illud propheticum eloquium. *Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis?* Cum enim ſecum anima beneficia reputauerit ab humaniſſimo Deo collata, à tempore natiuitatis; aut è quantis periculis ſæpiùs erepta ſit; aut in quanta mala ruens & crebrò delictis ſuccumbens delapſa, ſpiritibus qui ſeduxerant eam, tradita non fuerit in interitum & mortem, vt iuſto iudicio poterat. Sed humaniſſimus dominus longanimiter diſſimulans delicta conſeruauerit eam, illius conuerſione ſuſcepta, & eam quæ hoſtibus & ſpiritibus malignis vltrò per affectiones inſeruierat, ipſe fouens & per omnia prouidens, alebat: quam ſpiritu bono tandem direxit in ſalutem, & amatorio poculo, exercitatoriæ vitæ cordi indito, & vt mundum & vniuerſam carnalium affectionum eius ſeductionem lata deleteret, vires addidit; Exornauit etiam Angelico habitu Ordinis Angelici, effecitque vt à ſanctis Patribus in cœtum fraternitatis facile aſſumeretur. Quis porrò benè conſcio prædictus animo, his conſideratis, habens tanta pignora, nullumque bonum pluris faciens quàm percepta beneficia, non ſemper contrito corde permaneat? Nonne firmam fiduciam perpetuò reſumet hoc perpendens; nempe, ſi cum nihil egiſſem boni, ſed coram eo multum peccaſſem, deprehenſus in carnis impuritate, aliſque permultis vitiis, non ſecundùm peccata fecit, neque ſecundùm iniquitates retribuit, ſed tanta munera gratiaſque ad ſalutem ſuppeditauit. Quamobrem ſi nos in poſterum donauerimus ſeruitio illius, in omni pura conuerſatione ac conſummatione virtutum, bonis omnibus ac ſpiritalibus chariſmatibus nos dignabitur, deducens ad omne bonum opus & corroborans. Id. ircò qui perennem huiuſmodi cogitationem conſeruat, non oblitus talium beneficiorum, ſe placat & dirigit, impellitque ad omne bonum exercitium virtutis, & omnem operationem iuſtitiæ, prompto & parato ſemper animo ad peragendum Dei voluntatem.] Hæc & alia, in eam rem Marcus.

Secundùm Patres, præcellenter hoc argumentum proſecuti ſunt recentiores duo, Hieronymus Platus ac Leonardus Leſſius. Ille aurei ac gemmei, & ſi quid eſt pretioſius, operis de bono ſtatus Religioſi, vtilitatem, dignitatem, iucunditatem, Religioſæ vitæ libris tribus, plenè, accuratè, eruditè, ſolidè executus eſt Leſſius diſſertationi de ſtatu vitæ deligendo, quæſtionem tertiam; breui, ſed inſigni & qui eius in ſcribendo peculiaris character eſt, pellucida & ad perſuadendum percommoda, Religionis bonorum expreſſione impleuit; quo ipſo quantum ſit vocationis Religioſæ beneficium demonſtrauit, ad tria capita reuocans totius huius negotij ſeriem. Statuit ergo inſignem vocationis ad Religioſam vitam fructum eſſe, quod omnia penè ſalutis impedimenta remoueat. Sunt autem ea impedimenta numero ſeptem. 1. prauorum conſuetudo quæ tollitur loci ſeparatione. 2 appetitus diuitiarum cui qui ſubiacent inſerunt ſe doloribus multis, à præcipuis quibuſque ſtudiis auocati, & ad omne peccati genus pellecti. 3. amor & ſtudium carneæ voluptatis, animam efficientis aliquatenus carneam, vt diſſerit Origenes. hom. in pſal. 36. 4. cupiditas honoris, laudiſque, & gloriæ, vnde innumeræ ſollicitudines animum obnubilantes exiſtunt. 5. amor proprij iudicij; 6. amor vitæ, ſuo nutu & arbitrio exigendæ. Quatuor hos obices præcludunt Religioſa votorum vincula. 7. crapula, & epulatio degrauans animum, & limoſum reddens. Hinc quàm aptè religioſus ſtatus impedimenta ſalutis remoueat, manifeſtum redditur, quod erat primum caput propoſitum. Ad alterum, quod continetur mediis ad ſaluté opportunis,

opportunis, per religioſum ſtatum ſubminiſtratis, ſpectant inſtrumenta pietatis duodecim 1. Sacramentorum frequentatio 2. oratio frequens. 3. rerum diuinarum meditatio. 4. exempla virtutum. 5. Monita ſapientum 6 correctio erratorum. 7. directio ſuperiorum 8. lectio ſacra. 9. carnis & affectuum mortificatio. 10. Exercitatio virtutum. 11. diſcuſſio ſui quotidiana. 12. ſobria diæta. Hæc omnia in religioſo ſtatu vigere, per ſe perſpicuum eſt pulchrè illuſtratur à Leſſio, ſigillatim omnia enucleante. Tertium caput continetur facultate Deo ſatisfaciendi pro omnibus quibus ei obſtricti ſumus; ſiue pro beneficiis ordinis naturæ, cuiuſmodi ſunt creatio mundi & noſtra, item conſeruatio; ſiue pro beneficiis ordinis ſuperioris; puta Incarnationis, redemptionis, adoptionis, donationis ſui in Euchariſtia quæ idcirco vt ait Clemens Romanus 7. conſt. c. 37. *ſua magnitudine omne beneficium operuit*, promiſſionis æternorum bonorum, profeſſionis Chriſtianiſmi, ac denique peculiarium beneficiorum quæ quiſque percipit ſeorſim ab aliis. Ex his immenſa debitorum moles colligi poteſt. Quibus tamen ſatisfaciendi (quantum fas eſt homini,) religioſa vita opportunitatem ſuppeditat, vt idem Leſſius proſequitur. Nulla ergo oratio aſſequatur quantis religio cumulet bonis eos qui diuino beneficio ad eam vocantur: ac proinde beneficium religioſæ vocationis, ab iis qui eo donantur, cenſeri debet inæſtimabile.

§. IV.

Magnum Deo, magnum Catholici Eccleſiæ decus ex tanta Religioſorum præcellentia.

SIngularem Salomonis gloriam celebrauit Regina Saba, quod tales haberet domeſticos, tales formaſſet inſtruxiſſetque, vt poſſe inde exiſtere præcellens heri æſtimatio. Æque agnoſcenda eſt eximia Dei gloria, ex eo quod tam virtutibus diuites, tam moribus excultos, tam omni ſpiritali ornamento præluſtres, habeat domus ſuæ inquilinos, homines Religioſos; qui item Eccleſiæ velut matris honorificatæ domeſtici ſunt habendi, eique conciliare inſignem honorem, & magnificam gloriam. Vtrunque attingo.

Aduenire Deo gloriam inſignem ex vita & moribus Religioſorum, quales deſcripſimus, intelligi poteſt ex præclara diſputatione Gregorij Nyſſeni orat. 3. in orat Dom. circa primam petitionem orationis Dominicæ. Exponens enim quid ſit optare ſanctificationem nominis Dei, quod ſanctum ſemper fuit, eam contexit ratiocinationem, vt quamuis non agat de Religioſis in actu ſignato; quæ tamen profert, optime cadant in Religioſos, & in nullos aptius poſſint, quadrare. Itaque meritò hic adducentur. Sic verò habent. [Sic precantis ſenſus eſt, optare ne propter meam vitam nomen Dei malè audiat, ſed glorificetur & ſanctificetur. In me igitur ſanctificetur (inquit), nomen tuæ denominationis, quod à me inuocatur, vt videant homines bona opera; & glorificent patrem qui eſt in cœlis. Quis autem eſt ideò ferus & rationis expers, qui ſi inter eos qui Deo crediderunt videat vitam puram quæ per virtutem exigatur, ab omnibus peccati inquinamentis vacuam atque puram; ab omni ſuſpicione mali alienam, temperantia claram, prudentia grauem fortem & firmam, aduerſus affectuum ac perturbationum impetus & incurſus, corporis voluptatibus nullo modo mollem & effœminatam, à deliciis, à torpore & ignauia, & tumore faſtus, quam maxime remotam; temporalibus facultatibus & reliquo ſeculari cultu quantum neceſſitas deſideret vtentem, ſummo pede terram ſtringentem, quæ fruendis percipiendique voluptatibus, hoc terreno ſeculo non obruatur; ſed ſuperet omnem per ſenſus adhibitam fraudem; per carnem cum incorporea vita certet, vnas diuitias virtutis opes exiſtimet, vnam nobilitatem, neceſſitudinem cum Deo, vnam dignitatem, vnum potentatum, ſeipſum in poteſtate habere, & humanis affectibus non ſeruire, quæ productione materialis huius ſeculi vitæ, doleat & angatur, ſtudeat autem atque nitatur quemadmodum illi qui in mari vexantur atque affliguntur, capere portum requietis. Quis igitur ſi talem videat, nomen quod ab huiuſmodi vita inuocatur, non glorificet? Quocirca qui in oratione dicit *Sanctificetur nomen tuum*, vi verborum hæc orat. Auxilij tui præſidio atque adiumento, fiam irreprehenſibilis & inculpatus, iuſtus; pius; abſtineam ab omni malo facinore, loquens id quod verum, faciens quod iuſtum ſit: in rectitudine ambulans, temperantia illuſtris, integritate decoratus, ſapientia atque prudentia ornatus ad ſupera aſpiciens, terrena deſpiciens: inſtitutis Angelicæ vitæ clareſcens. Hæc eiuſmodi, breuis hæc petitio continet, quæ per orationem ad Deum dicit, *Sanctificetur nomen tuum* Non enim aliter per hominem Deus glorificari poteſt, niſi virtus eius teſtetur, diuinam potentiam atque virtutem eſſe cauſam bonorum.]

Æquè Chryſoſtomus, gloriam Deo obuenire ex benè compoſitis ſeruis ſuis, (cuiuſmodi ſunt Religioſi,) confirmat non vno loco. Sunt quidem omnes homines iure ac debito ſerui Dei, quippè omnis cinctus quo quis poteſt alteri mancipari in ſeruum, cadit in hominem reſpectu Dei, vt piè ſimul ac concinnè proſequitur Hiero. Platus. l. 1. de bono ſtatus relig. cap. 3. Et hoc profitentes nonnulli, nomen *ſerui* Dei voluerunt habere proprium ac ſubſtantiuum; vt ille apud Gennadium de ſcriptor cap. 87. & Honorium cap. 86. Epiſcopus, qui de Chriſto carneis ſuis oculis iam ex hac vita Deum conſpiciente, librum conſcripſit. Attamen peculiari titulo religioſi, denominantur antonomaſticè *ſerui Dei*, quia eius obſequio ſunt addicti, & nexibus votorum mancipati. Vnde titulus regulæ S. Auguſtini pro religioſis, ſic habet. *Regula B. Auguſtini ad ſeruos Dei*: Et idē. S. P. conſulens Religioſum quendam virum, nomine *Simplicium*, appellatione *Serui Dei* eum inſignit. Qua item S. Dionyſius, & Poſſidius Calamenſis, ac Saluianus, & S. Gregorius ſæpè vtuntur, ad deſignandum quem vocamus Religioſum, ſiue profeſſum ſanctum ſeruitium, vt loquitur S. Benedictus in regula cap. 5. Ex eo ergo quod Religioſi profiteantur *ſanctum ſeruitium*, id eſt quod ſint quod dicuntur, hoc eſt *Serui Dei*, colligit Chryſoſtomus, magnam inde gloriam Deo exiſtere; quod cum diffuſè præſtet variis locis, adducendus nominatim eſt locus quod id pulchrè exequitur, breuiter expendens illud Apoſtoli ad Corinthios, *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu.* Tractans

SECT. III. PVNC. II. §. IV. *[illegible] ad Religioſorum [illegible].*

SECT. III. PVNCT. II. §. IV. *Epimetra varia de conſequentibus ad Religioſorum beatitatem.*

enim illud additamentum Græci contextus, quod in Latino deſideratur, Sic ait. [Quidam *in per-tu*, exponent *in gratia*, quæ ſi in nobis erit, Deus glorificabitur. Contingет autem, ſi puram mentem habuerimus.] Et inferius [Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Spiritus enim iam huiuſmodi homo efficitur, quamuis corpore veſtiatur. Siquidem cum nihil corporeum, neque craſſum, neque terrenum, circa eum ſit, ſimpliciter corpus amplectitur, quandoquidem omnis principatus, animi & ſpiritus eſt. Ita glorificatur Deus. Ideirco in oratione noſtra, decere præcipimur, *ſanctificetur nomen tuum*. Et Chriſtus inquit. *Luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*. Ita glorificant eum cœli; non voce ſed aſpectu; admirabiles, & gloriam ſuo referentes conditori. Ita glorificamus eum & nos, vel potiùs magis quam illi; poterimus enim ſi volemus. Siquidem non ita cœlum, & dies, & nox, quemadmodum ſancta anima Deum glorificat. Nam & homo in cœli pulchritudinem aſpiciens, dicit, Gloria tibi Deus; quale opus condidiſti: ita hominis virtute conſpecta, & multo magis in hac vita. Ab illis enim creaturis, non omnes Deum glorificant, ſed multi ſponte ſua, ea quæ ſunt, nata dicunt: multi ad dæmones referunt autores, mundi opificium & prouidentiam. Qui antepere peccant, vt veniam nullam mereantur. At in hominis virtute, nemo ita impudens eſſe poterit; ſed omnino Deum glorificabit, cum vident eiuſmodi [illegible] viuere viuere. Et quis non admirabitur, cum homo eiuſdem eiuſdem naturæ particeps, & in medio hominibus verſatus, adamantis more ab aſſectuum examine non frangatur? cum inter ignes, ferrumque, & beſtias, adamante fortior perſtet: & omnes pietate exuperet? ignominia affectus, benedicit; cum male audiendo id probat, cum calumniis per eorum [illegible], pro eis [illegible] amoribus, cum inimici [illegible] beneficia. Hæc & huiuſmodi, magis quàm cœli, Deum glorificant. [illegible] enim cum eos [illegible], non erubeſcunt: ſed cum virum ſanctum conſpiciunt, philoſophiam diligentes præ ſe ferentem, vultum deiiciunt, & ſe ipſos accuſant, ſiquidem eum eiuſdem naturæ participem longe præſtantior ſit ac multo magis [illegible], etiam inuiti intelligunt, quòd diuina virtus hæc operetur. Quare (inquit) *& glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*.

Glorificatio hæc Dei obiectiua, de qua hoc loco Chryſoſtomus & alibi, hom. 9. ad popul. micat ſplendidiſſimè in Religioſis cum videntur. Et ſunt ſane Religioſi, cum hoc modo, tum aliis quibuslibet dignè Deum glorificandi rationibus, ad glorificandum Deum facti, iuxta illud Iſaiæ cap. [illegible], *plantatio Domini ad glorificandum*. Quem locum expendit ibi optimè S. Hieronymus, & ad Eccleſiam accommodat; in qua poſt Apoſtolos, neceſſe fore homines à ſeculo auulſi, & fortes ad exequendum quod iuſtum eſt. Nimirum primò, ad pendendum Deo omne obſequium; non tantum implendo præcepta, ſed quæ eſt omnis iuſtitia & iuſtitiæ conſummatio, voluntariè ſacrificando, & per conſilium Euangelicorum executionem, ad culmen religionis plenum cultum Deo exhibentis, pertingendo. Vere hæc eſt plantatio à Deo conſita: id óque non eradicanda; plantata autem eſt ad glorificandum, cum per actus laudis & gloriæ quibus Deum celebret, tum ipſo met ſui conſpectu. Nam ſi cœlum (iuxta S. Gregorium Nyſſenum, lib. in Hexaem, ex pſal. 104. & S. Ambroſium, orat. de obitu Satyri, gloriam Dei enarrat cum videtur, multo magis cœli illi animati, gloriam & honorem Deo afferunt, cum videntur, cum incurrit in oculos externa eorum modeſtia, tanquam veſtibulum exquiſitè compoſitæ domus; cum eorum vitæ compoſitio, & caducorum omnium contemptio conſideratur, & permanens in eis in æternum Dei verbum attenditur, id eſt inconcuſſa ad omnes Dei voluntates adhæſio. Hæc omnia multis vocibus Dei gloriam celebrant. Notum enim quippe eſt, has non eſſe humanas plantationes, quia caro & ſanguis talia non reuelat, ſed pater qui in cœlis eſt, tanquam diuinus agricola, eas plantat in homine ad ſuam gloriã. Et quiſquis capit, inde gloriã non hominis, ſed Deo pangit.

Magnum præterea decus extitere Catholicæ Eccleſiæ, optimæ fidelium matri, ex lectiſſima hac ſobole, agnouit Iſaac Abbas, lib. de contemp. mundi & nemo non videt; Hoc eſt decus ei peculiare. Nam extra Catholicam Eccleſiam Chriſtianam, nulli fuere verè Religioſi, quorum initium in Apoſtolis eſt factum. Lex quidem antiqua, à tempore Samuelis habuit prædelineationes aliquas vitæ Religioſæ exigendæ in lege gratiæ. Et ſubſecutæ poſtea ſunt variæ eiuſdem plenioris inſtitui Religioſi adumbrationes, de quibus plene in Tabernaculo Serarius. Tales Eſſeni, Rechabitæ, & maximè Nazaræi. Horum inſtitutioni prædelineationem vitæ religioſæ, in noua lege manifeſtandæ, plenè proſequitur agens de tonſuris & coronis Petrus Stellartius lib. 2. per quatuor prima capita, nec non diſſerens de eis Franciſcus Mendoça lib. 1. in 1. Reg. annot. ſodalitiali ſect. 2. Et fuere quidem Nazaræi, verorum Religioſorum, [illegible] pardo expreſſior, vt propterea Nazianzenus orat. 19. in [illegible] tempore illo Monachos, vocet *[illegible] temporis Nazaræos*, vbi [illegible] Religioſos cenſet dictos *Nazaræos*, eo quod pietatis ſtudio dediti, a rebus caducis, & vt S. Dionyſius loquitur, à rebus diuiſibilibus animum auocant, vt ſe ad beatam vnitatem referant. Ex diuerſis enim notationibus nominis *Nazaræus*, elegit illius eam quam Toletus in cap. 1 Lucæ annot. 50. illuſtrat ex Pſal. Sion. [illegible] 5. & Hieronymo, ad c. 11. Iſaiæ, vocem illam ſcriptam cum Zain deriuantibus à verbo *Nazar*, quod Latinè ſonat *ſeparare, ſanctificare, conſecrare, & à communi vſu diſtrahere*. Et tales erant Nazaræi antiqui, iuxta præſcripta n. 6. Tales igitur fuere priſci Nazaræi: ſed præcellentius ſupra comparationem, cadit in Religioſo, nouæ legis, ea ſeparatio & conſecratio. Quæ enim erat Samſonis annuntiata Nazaræi ſeparatio, præ ſeparatione S. Antonij & S. Benedicti, alio [illegible] Religioſorum noſtrorum? Nec minus congruit Religioſis, [illegible] altera etymologia vocis *Nazaræus* Hebraica, [illegible] probata, teſte D. Hieronymo, & defenſa à Toleto, qua ea vox ſcripta per *Tzade*, ſignificat *obſeruationem*, vel *florentem*. Habetur ſic ſcripta vox *Nazaræus*, in titulo Crucis, Romæ aſſeruato, & illuſtratur abunde à Franciſco Luca in cap. 2. Matth. in fine, ad illa Matthæi verba *quoniam Nazaræus vocabitur*. Eam floruſentiam ſtatus Religioſi, plenè expreſſimus in ſuperioribus, nitorem luculentum; & fragrantiam mirum quantum odoram agri pleni cui benedixit Dominus, eidem ſtatui accommodantes. Obſeruantia

verò

veró Religioſorum, ſi quis alteram notionem adamet, non eget illuſtratione; cum ſit per ſe perſpicuum, eos totos eſſe in ſacris obſeruationibus præſcriptorum Regularium retinendis. Implent igitur reipſa, quod prìſci Nazaræi rudi adumbratione præferebant.

Extra Hebræos veró, nullibi apud Ethnicos emicuit decus quod Eccleſiæ Catholicæ, à Religioſis, tanquam ei ſingulare vendicauimus. Satan quidem Dei mimus, laborauit in ſpecie aliqua Religioſi ſtatus inter Ethnicos inducenda. Sed omnia fuere non modò vmbratica, & euanida, ſed etiam deteſtanda. Ethnicos Philoſophos laruam practicæ ſapientiæ præferentes, componebat Nazianzenus orat. 1. in Iul. à numer. 36. cum philoſophis ſiue Religioſis noſtris. Demonſtrat autem, apud Ethnicos omnia vitiosè, ac ex vanitate, & faſtu peracta. Solidè autem ac ex vera virtute, omnia tranſigi apud ſolos Chriſtianos Aſcetas, de quibus hæc habet præter cætera. [Videſne hos pauperes & laris expertes, ac carne fermè, & ſanguine deſtitutos, eóque nomine ad Deum accedentes? Hos inquam, pedibus illotos, & humi cubantes, (quod ait tuus Homerus, vt hoc figmento dæmonum quendam ornet:) Hos humiles, & ſupra infera; hos inter homines, & ſupra humana, hos vinculis aſtrictos, & liberos, tenentes, & retineri neſcios, quorum nihil in mundo, & anima quæ ſupra mundum ſunt, quorum duplex vita eſt altera contempta, altera ſtudiosè culta & expetita: Hos inquam propter mortificationem immortales, propter diſſolutionem Deo coniunctos: hos inquam, ab amore alienos, & diuino atque omni vitioſa affectione vacuo amore flagrantes, quorum fons lucis, & quorum iam radij, quorum Angelici pſalmorum cantus, & pertinax ſtatio, & mentis ante mortem in cœlum ſe rapientis, ad Deum exceſſio: quorum purgatio, & quorum purgari, quippe nullum aſcenſus & Deificationis modum agnoſcentium: quorum rupes, & quorum cœli, quorum abiici, & conſternari, & quorum throni, quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum, quorum ſolitudo, & quorum ſeculi alterius celebritas, quorum compreſſæ atque conſtrictæ voluptates, & quorum perpetua omnémque ſermonis facultatem excedés animorum oblectatio quorum, lachrymæ peccati diluuium, & mundi piamentum, quorum extentæ inter precandum manus flammas extingunt, feras conſopiunt, gladiorum aciem retundunt, inſtructas acies in fugam vertunt, tuámque etiam impietatem, (mihi crede,) compreſſuræ ſunt, etiamſi ad aliquod tempus extollaris, impietatiſque fabulam cum tuis dæmonibus ludas.] Afflatur Iulianum Ethnicæ ſapientiæ admiratorem, qui etiam ſpeciem aliquam monaſterij inducere inter ſuos ſtuduit: Sed tam caſſa opera quam Plotinus, in vita Plotini, & ſocij qui inſtituere vitam cœnobiticam aggreſſi, fruſtra ſe niſos aduerterunt, cum ventum eſt ad mulieres. Reliqui Ethnici ſapientes, per quos latè excurrit Nazianzenus, nihil niſi vmbram virtutis, & euanidam perſonam prætulerunt. Qui quid ad Aſcetas Chriſtianos?

Poſteriorum temporum in Ethniciſmo pſeudomonachi ſiue Bonzij inter Iaponios ac Sinas, ſiue inter Alexicanos ac Peruanos, ſiue inter Turcas, ne memorandi quidem ſunt in hac contentione cum Religioſis Chriſtianis. Sunt enim potiùs bruta peiora, & gulæ ac ventris mancipia, quàm Religionis imagines. De Bonziis inter Iaponios ac Sinas Pſeudomonachis, res eſt nota ex S. Xauerij Epiſtolis, & ex Iaponica hiſtoria. Item de Ethnicis tum maribus tum fœminis Mexicanis æquè Religioſam profeſſionem ementientibus ad idolum Vioziliputli, per meram laruam pietatis, videndus Ioſephus à Coſta lib. 5. hiſtor. cap. 16. qui præmiſerat de Sanctimonialibus cap. 15. Peruanis ſub Abbatiſſæ cap. 15. 16. 17. *Electas ædes* incolentibus; eadem vmbratica Religione impoſturam facientibus. Turcarum Monachos triplici ſerie diſtinguere licet poſt Nicolaum Nicolai in opere de Nauig. & peregrin. Turcar. Geomailarij ſunt quod apud antiquos, Sarabaitæ, hoc eſt Gyrouagi, tunicam purpuream abſque manicis vix ad genua pertingentem amicti, ſupercincta Zona è cuius fimbriis pendent campanulæ, quas etiam circumponunt ad tibias, vt ſubuectim agitatæ, fœdorum canticorum quibus obuios demulcent, ſonum edant, Tunicæ ſuperiniiciunt leonis aut Leopardi pellem integram, cuius tibias ad pectus colligant. Caput caprinis pilis capillitio natiuo ſuppoſitis conueſtiunt, inauribus aures ornant. Sanctitatis famam vndecunque captant cum ſint ſpilli homines, & in emungendas pecunias quibus ſuæ hircoſitati ſatisfaciant, auidè intenti: Calenderij virginitatis decus affectant, vnde ieiuniis ſunt addicti. Togulam circumferunt laneam, ſetis equorum intertextam, adeóque horrentem, vt cilicium haberi & dici queat. Caput illis depilum, quod pileo operiunt latis alis quibus palmares fimbrias è pilis equinis confectas, appendunt. Collo, auribus, brachiis, ipſique (pace aurium pudicarum dictum eſto,) parti qua viri ſunt, ferreum annulum, petulantiæ carnis ſi emoueatur, coërcendæ circundant. Eo habitu procedunt vicatim, cantillantes hymnos Narzimi maledictæ ac impuriſſimæ ſectæ autoris, qui Azamię in Aſſyria, ob demorſum linguæ petulentia Mahumetem, pelle detracta alter Manes eſt letho datus. Deruiſij tertium genus laruatorum Religioſorum inter Turcas, errones æſtate tota per orientem; quotannis verò in Aſiæ minoris ſemnæum conueniunt quaſi ad conuitia ordinis, eo quod ibi Schidibattal primarius Mahumetis aſſecla & adiutor, conditus feratur. Eſu herbæ Mathlac, acti in affectatum furorem diuinitatis mentem occupantis (vt fabulantur) argumentum cultris exacutis in ſeipſos ſæuiunt, effutientes cœleſtia (ſcilicet) arcana, & populo illudentes, vt ſtipem emungant vberem, præſertim ſi Mecquam ad Mahumetis ſepulchrum viſendum, ſuſcipere peregrinationem cogitent, vnde reduces in magno ſunt apud plebeculam honore, & vt ſe Mahumeti æternum mancipatos profiteantur, corium vernecum informe, humeris imponunt, cætera nudi, præterquam velanda corporis, vt ait Petrus Bellonus 3. obſeruat. cap. 21. qui de horum fanaticorum, œſtro ac ecſuris, & dæmoniacis diuinationibus, plura habet, nec non Bartholomæus Giergiouits, & alij qui res Turcicas ſunt proſecuti. Ex his leuiculè tactis ac delibatis, liquet, nullam eſſe comparationem noſtrorum Religioſorum ac Pſeudomonachorum Ethnicorum atque Turcarum; nec tam exiſtere ſuperſtitionibus ſuis decus aliquod ab huiuſmodi colluuie propudioſorum abdominis diſcolarum, quàm omnem ignominiæ probroſitatiſque infamiam.

SECT. III. PVNC. II. § IV. *Epimetra varia de conſequentiis ad Religioſorum bonitatem.*

Quid Hæretici? Nam apud eos quoque, Religioſæ profeſſionis euanidum nomen aliquando locum habuit, quamuis nunc prorſus obſoleuerit. Fuere qui *Apoſtolici* dici vellent, ex plena imi-

SECT. III. FVNC. II. §. I.

Epimetra vana de conſequen- tione ad Religioſorum bonitatem.

tatione conſiliorum Euangelicorum, ab *Apoſtolis* ſeruatorum, de quibus D. Auguſtinus l. de hæreſ. cap. 40. & S. Thomas 3. contra gentes cap. 117. Et idem ementitum nomen aſſumpſere alij tempore D. Bernardi vt ipſe ſerm. 65. & 66. in Cant. meminit. Pridem etiam fuere, qui duce Euſtachio quodam, (vel vt ſupra ex Baronio anno 319. dicebamus, Euſtachio,) monſtroſam renuntiationem induxerunt, iure damnatam in Gangrenſi Synodo. Poſterioribus item temporibus, erupere Pauperes de Lugduno, & Fraticelli. Hi, & ſi qui alij ſimiles, nonnullam Monachiſmi ſpeciem ementientes, non excludunt Eccleſiam Catholicam, poſſeſſione ornamenti quod ei vendicauimus, quod ſcilicet, ſola exornetur veris Religioſis. Vana enim eſt illorum quos memorauimus Religioſi donanda potius nomine *ſuperſtitionis*, ac *profeſſionis impietatis*. In ſola autem Catholica Eccleſia, ſicut vera ſanctitas, ita vera Religio locum habet. Proptereaque S. Auguſtinus lib. de Eccleſ. à cap. 31. obſtruens ora Manichæorum, expoſtulat cum illis, quod ſuis ingererent zizania noſtra: aliquos inquam ex leges, ſiue inter ſeculares fideles, ſiue inter Religioſos; cum verorum Religioſorum (qui nunquam deſunt) vita compoſitiſſima, ſatis ſuperque eſſe poſſit ad aſtruendam Catholicæ Eccleſiæ ſanctitatem. [Iſtis (inquit) Manichæis, ſi poteſtis obſiſtite, iſtos intuemini, iſtos ſine mendacio, ſi audetis, & cum contumelia nominate. Iſtorum ieiuniis veſtra ieiunia, caſtitati caſtitatem, veſtitum veſtitui, epulas epulis, modeſtiam modeſtiæ, charitatem denique charitati, & quod res maximè poſtulat, præceptis præcepta conſerte. Iam videbitis, quid inter oſtentationem, & ſynceritatem, inter viam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & timorem, inter beatitudinem & miſeriam, inter vnitatem & conſciſſionem; poſtremò quid inter ſuperſtitionis ſirenas, & portum religionis, interſit.] Non potuit perſonatas Manichæorum Religioſos longiùs remouere à Religionis veritate. Meritò S. Leo ſerm. 15. de paſſio. denominabat eos, *Phantaſticos Chriſtianos*: quorum veſania eò prorupit; vt cum Catholici ſacras virgines virginitatem Deo addictam ſeruantes illibatam, ſanctè oſtentarent; illiſque obiicerent; cum ſubſannatione reponerent, referente S. Auguſtino l. de mor. Eccleſ. cap. 14. Vt quid Catholici virgines veſtras allegatis: *Etiam mula; virgo eſt*. Hoc infatuato ſale condiebant inſulſiſſime catholicorum argumentum. Nam fatuiſſime mulæ virginitas, in ſanctitatis argumentum producebatur. Itaque verè hærebat aqua hoſtibus Eccleſiæ, tam ſtupida contra ipſam allegantibus.

Claudo hoc punctum, egregia diſputatione Laurentij Iuſtiniani lib. de obed. cap. 18. his ex verbis concepta. [Inter cætera, quæ gloriam Dei in terra prædicant, & Catholicam fidem fidelibus hominibus commendabilem reddunt, eſt ſocialis vita fidelium; eorum præſertim, qui ſpreto penitùs ſeculi luxu, abdicatiſque à ſe, diuitiarum, honorum, & carnis illecebris, in monaſteriorum clauſtris voluntariæ ſeruitutis ſe perpetuo dedicarunt voto. Quis oro diuinam bonitatem, & ſapientiam ineffabilem, laudum non extollat præconiis, cum vtriuſque ſexus viros penè innumerabiles intuetur, iuuentutis florere decore, corporis ſoſpitate potiri, terrenarum facultatum abundare affluentia, poſſidere agros, vineas, domos, ſeruos, ancillas; parentum, amicorum, affiniumque generoſitate clareſcere, ſponte renunciare ſeculo, illius pompas ſpernere, propinquos omnes relinquere, ſub ignoti quodammodò viri diſciplina, per obedientiæ exercitium Chriſto Domino militare? Hoc quippè, humanæ conſuetudinis, & communis vitæ ſupergreditur limites. Non enim naturalis pignorum affectus patitur, vt contemnamus eos qui nos genuere, & in hanc viſibilem mundi iſtius produxerunt lucem. Non inquam lex cordibus innata mortalium, ſuadet, vt deſerta vrbe propria vniuerſis relictis conſanguineis, coæuis adoleſcentibus, familiaribus & notis, peregrinari per alienas ædes, remotas peragrare prouincias, ciuitates & caſtra non vno, duobus vel tribus annis, ſed toto vitæ ſuæ decurſu; atque ſpontanea deliberatione, pati famem, ſitim, frigus & nuditatem; corpus quoque attenuare vigiliis, macrare ieiuniis, laboribus exponere, quotidiana alimentorum domare inedia; & quod iis omnibus maius eſt, propriæ voluntatis debellare affectus. Nam natura ipſa trahit, vſus docet, impellit humana fragilitas, allicit ſocialis amor; mutua inclinant obſequia, dulciſſimúmque domeſticorum, & maximè propinquorum, contubernium cogit, vt quilibet rationis compos, in illo in quo natus eſt habitet ſolo, ſuorum affinium fruatur conſortio, propriarum opum curam & delectationem capiat, nec non arbitrij ſui ſectetur illecebras. Cæterùm cum iis contraria actitari conſpicimus, aut ex metu mortis, aut ex certa cognitione prætereuntis & fallacis ſeculi, ſiue ex bonorum id agitur ſpe validiſſima futurorum, quam vtique ſpem nemo niſi præuio fidei lumine guſtare permittitur, &c. Huius fidei, Anachoretæ ſancti claritate perfuſi, deſerta repleuerunt, præluſtrarunt ſolitudines, conſtruxerunt cœnobia in quibus diuinis intenderent laudibus, crebris vacarent orationibus, operi manuum opportuno inſiſterent tempore, congregarentque in vnum Dei filios circumquaque diſperſos, atque inuiſibilium inimicorũ latentes laqueos ſuperarent. Intelligebant profectò ipſi diuinitus inſpirati, ſeculum hoc carnis concupiſcentia, oculorum lenociniis, voluptatibus, & vitæ ſuperbia eſſe refertum. Intuebantur quotidie, homines ire per obrupta vitiorum, Dei legem negligere, eius mandata deſpicere præſentium delectationum oblectamenta ſectari, terrenis lucris, fugitiuis honoribus, impudicitiis pernicioſis, ac ſecularibus curis incumbere: quæ vtique alienum à Deo, ignotum ſibi ipſi, & à virtutibus auerſum, ſui efficiunt amatorem. Non enim in vnum conueniunt, neque ſimul ſtare valent lux & tenebræ, vanitas & & veritas, virtus & vitium, dilectio Dei & ſeculi, opera carnis & ſpiritus, temporalis vitæ gaudium & futuræ. Quamobrem vt debitum pietatis cultum Deo exhiberent, vt vitiorum paſſiones reprimerent, quæ de peccati fomite & carnis prurigine indeſinenter ebulliunt; vt proprias compeſcerent voluntates, à quibus pabulum ſumit omnis origo delicti, talibus pro Chriſti amore ſe manciparere ergaſtulis. Hac intentione laudabili, hoc ritu viuendi, ſancta illuſtratur Eccleſia.]

Adeò autem hinc illuſtratur Dei Eccleſia, vt inter cæteras veræ Eccleſiæ notas, ac veluti characteriſticas, quibus internoſci poſſit à Synagogis Satanæ ementientibus Eccleſiarum nomina, numerent iſta, quòd tam ſanctis cœtibus ac perſonis Religioſis omni ſanctitate renidentibus, coruſcet. Legendi qui motiua credibilitatis fidei Catholicæ, & Sanctæ Eccleſiæ à Chriſto conſtitutæ notas enucleant; nominatim Valentia in fidei analyſi, cuius breuiculum perelegantem, intexuit diſ-

putatio

putationibus in 2.2. Leſſius in Conſultatione, vtra Religio ſit potior: Medina, l. 2. par.2. Boſius in Opere de ſignis, Bellarminus l. de notis Eccleſiæ, Picus nepos in proœmio quod præfixit Theorematibus de fide, Coccius t. 1. l.8. & alij, eadem argumenta pertractantes.

Eſt igitur ſumma Religioſi ſtatus gloria; à quo tanta gloria Deo & Eccleſiæ obtingit. Et eſt quidem ſtatus ille præ externo habitu deſpicato & inglorio, in carnalium æſtimatione inglorius: apud Deum tamen & apud æquos quoſcunque æſtimatores, prænitet. Nec malè conferri poſſit margarito intra vile oſtreum abdito, quæ eſt Chryſoſtomi hom. 7. in ad Coloſſ. & Theodoreti orat. 9. de prouid. de quouis præcellenti iuſto dum ſuperſtes eſt, comparatio. At S. Macarius, hom. 15. & 40. & 43. non minus piorum ſtatum exprimit comparatione vnionis intra rancidum marſupium abditi. Quidni verò huc trahamus vetus diuerbium; *ἐν παγύρω σοφία*. In ſapientiæ ſanè argumentum, priſci, de collo Dianæ Epheſiæ, pagurum ſuſpendiſſe leguntur. Eſt pagurus, Cancri genus miræ ſapientiæ; quam prodit detrectans quempiam piſcium aggredi, quamdiu teſtea veteri cruſta abiecta, noua non reuenit, ſuccreſcens priore durior. Non diſſimiliter Religioſi, in veræ ac ſolidæ ſapientiæ ſpecimen; intra latebras ſuas inglorij ac humiles ſe continent, donec veniat immutatio eorum; & abiecto corruptibilis huius oſtrei tegmine, induantur lumine ſicut veſtimento.

SECTIO IV.

Illatum primum; Maledici in Religioſos, maledicti.

CVm tanta ſit Religioſorum amabilitas, (eſt enim proprietas bonitatis, hæc autem, vt vidimus, cum abſolutè, tum reſpectiuè eximia eſt in Religioſis;) mirum videri poteſt, eſſe tamen nec paucos, nec minutos, qui Religioſos odio habeant. Nam ſi obiectum voluntatis amore proſequentis, eſt bonum, iuxta fixam ab Ariſtotele regulam omnibus ſapientibus probatam, quæ (malum) monſtroſitas eſt, vt in Religioſis duntaxat ea fallax deprehendatur? Neque verò noua & recens eſt, hæc Religioſorum inſectatio præ abalienatione & odio; ſed admodum antiqua & cum Religioſo ſtatu nata, vt infra monſtrabo: Non eſſe tamen cur hoc mirum videatur, S. Auguſtinus Epiſ. 136. rectè admonet, verbis illis. [Quid mirum ſi homines, ſeruis Dei detrahunt, & qui eorum vitam peruertere non poſſunt famam decolorare conantur; cum ipſum Deum & Dominum eorum, quotidie blaſphemare non ceſſent, cum eis diſplicet quicquid contra eorum voluntatem, iuſto & occulto iudicio facit?] Itaque autor eſt iis ad quos ſcribebat, vt *contra maledica vaniloquia, ſuſpicioneſque temerarias, corde Chriſtianiſſimo cogitent ſcripturam* Dei, *qui nobis hæc omnia futura prænunciauit; & aduerſus ea vos firmos eſſe debere, præmonuit*. Non eſt igitur cur ſerui Dei cadant animis, ad maledictionem intortam in myſticum Iacobum, læuem ac ſupplantatorem: Non arctatur ad verba & voces maledictio de qua hic agimus, ſed diffunditur ad omne inſectationis genus, vt initio huius lucubrationis annotaui, ex vſu Scripturæ, ac etiam externorum, poſt Ioſephum Scaligerum. Depellere hæc iniuſtè vibrata iacula, & aduerſus ea communire innocentiam, operæpretium eſt; ad idque, nunc accingor.

PVNCTVM. I.

SECT. IV. PVNC. I. §. IV. *Non cauſæ vt cauſæ maledicendi Religioſis, ſigillatim recenſitæ, ac obiter reiecta falſiloquij.*

Non cauſæ vt cauſæ maledicendi Religioſis, ſigillatim recenſitæ, ac obiter reiectæ falſiloquij.

NOn eſt hic aduocandus inſulſus quorundam genius, Religioſis non tam maledicens, cœue odio habens, quam ab eis abhorrens per meram diſpathiam; quæ interdum in naturalibus interuenit abſque vllo conſpicuo fundamento. Sic aliqui à roſis abhorrent; alij à concentu Muſico; quidam à certis cibis cœteroqui ſuauibus, & quos alij habent in deliciis. Eodem igitur modo res habet in amores, in Morali diſt. 7. num. 177. quem nonnulli exercere erga aliquos non poſſunt; nulla ſe prodente cauſa qualis erat qui conteſtabatur, l. 1. epigr. 33. *Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare hoc tantum poſſum dicere. Non amo te.* Sunt igitur ſimiliter, quos vel aſpectus ipſe Religioſi percellit, nec amare talem perſonam poſſunt, quamuis auerſandi cauſam nullam ſignatè poſſint expromere. Eiuſmodi erat Martacinus ille, qui acceptis à Seuero epiſt. 7. ad S. Paulinum literis, per tertium eas tranſmiſit; [ne cogeretur (ait S. Paulinus, Seuero reſcribens), Monachum, aut in ſe vt iuſſeras fingere, aut in me vt neceſſe erat cernere.] Apparet fuiſſe faſtidioſum ſecularem, nobilem, & à Monaſtico ſitu & illuuie ac ſqualliditate abhorrentem. Itaque S. Paulinus viciſſim omnem compculi, molliculique habitum deſpuit, & ſibi nauſeam creare conteſtatur, verbis illis. [Sibi ergo ille habeat armillanſam ſuam, & ſuas caligas, & ſuas buccas: quarum alia mutare alia deducere timuit. Nos adeant & reuiſant conſeruuli & compallidi noſtri, non veſtibus pictis ſuperbi; ſed horrentibus ciliciis humiles; nec chlamyde curtalini, ſed ſagulis palliati; nec baltheo, ſed veſte ſuccincti; nec improba attonſi capitis fronte criniti; ſed caſta informitate capillum ad cutem raſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præraſi. Et ornatu pudicitiæ inornati & decenter inculti ſint, & honorabiliter deſpicabiles, cum ingenitam quoque ſpeciem corporis pro interiore cultu aſpernantes; etiam ſtudio deformantur, vt fiant pudenter inhoneſti vultibus, dum perficiantur ſalutariter honeſti mentibus. Huiuſmodi hominum; & vultus, & habitus, & odor, nauſeam illis facit, quibus odor mortis eſt in odorem vitæ; quibus dulce quod amarum, & turpe quod caſtum, & hoſtile quod ſanctum. Propterea iuſtum eſt, vt reddamus illis vicem, & fit nobis odor eorum tanquam odor mortis, ne deſinamus eſſe odor Chriſti. Quid enim nobis iure ſuccenſeant, ſi viciſſim nobis fœteat odor vitæ eorum, quibus odor noſtræ, in mortem eſt? Ille ieiunium meum horret; ego illius crapulam ferre non poſſum. Ille habitum Monachi loquentis euitat, ego flatum Traſonis ructantis effugio. Si illis diſplicet gutturis noſtri ſiccitas, & nobis gulæ eorum cruditas. Si illos offendit frugalitatis ariditas, & nos ventrium offendit ingluuies. videant ergo nos non manè ebrij; ſed veſpere ieiuni:

SECT. IV. PVNT. I. *Non cauſæ vt cauſæ maledicti in Religioſos ſigillatim recenſitæ ac obiter retuſæ falſiloquij.*

inni: nec heſterno inflati vino, ſed hodierno abſtemij; nec de crapula libidinis dementer inſtabiles, ſed vigiliis honeſtatis integrè ſaucii, & ſobriè tumulenti, quos parſimonia faciat non vorago titubare.] Hanc erga Religioſos diſpathiam, ſimili diſpathia merito penſatam, cuius ægrè cauſa prodi tur explicatè ac ſignatè, non numero inter odia erga Religioſos ex potente aliqua cauſa, cuiuſmodi ſunt odia de quibus agendum ſuſcipio, quæ vel ex aliqua cauſa vera exercentur, vel ex afflicta, & non cauſa vt cauſa.

Cur huiuſmodi non cauſam adhibeant aliqui, ratio eſt perſpicua. Nemo enim vult videri odio habere gratis, præſertim Dei ſeruos, quorum inſectatio in Deum redundare videtur. Itaque ij ipſi qui odio habent gratis, diſſimulata & tacita vera odiorum cauſa, prætexunt non cauſas vt cauſas, quas hic proponere & obiter excutere, neceſſarium imprimis videtur. Quod dico prætexi plerunq; odiis nó cauſas vt cauſas & cap ari inſectationi bonorum, tectoria vanarum rationum; antiquum eſt, notatum à Sancto Baſilio Epiſt. 80. in ſua cauſa, addicto Æſopico apologo. Videntur mihi (inquit) qui odium hoc inexcuſabile contra nos inducunt, haud diſſimile ab eo facere quod habet Æſopica fabula. Quemadmodum enim illa, lupum culpas quaſdam aduersùs agnum producere facit, quaſi is turpe ſibi ac decorotum fore putet, ſi præter iuſtam rationem interimat agnum, à quo nihil ſit læſus. Vt tamen licet omnem quæ ex adornata calumnia intenditur; accuſationem, agnus placidè diluat, nihilo magis lupum ab impetu ſibi temperare, ſed etiamſi iſtis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem peruincere: Ita & qui odio noſtri, non ſecus atque rei honeſtæ ſtudent, turpe forſan putantes, abſque ratione nos odio perſequi videantur, cauſas odii contra nos & crimina fingunt. Nihil autem eorum quæ contra nos feruntur, conſtanter tuentur; ſed nunc hanc, paulo poſt aliam, & rurſus quoque aliam. inimicitiæ cauſam aſſignant. Atque ita nulla in re malitia eorum ſolide conſiſtit; ſed mox atque ab hac intenta culpa reſiliunt, alteri incumbunt; & rurſus illa neglecta, aliam apprehendunt: & ſi omnia de quibus me accuſant, diluero, ab odio tamen haud recedunt.] Idem planè in Religioſorum inſectatione contingit. Obducuntur odiis eorum, prætextus varii, tanquam cauſæ, reuera non cauſæ; & vna depulſa fit progreſſus ad aliam; & hac quoque excluſa, non abſiſtitur inſectatione, ſed alia rurſus adducitur; & ſicut in hydra, reſecto vno capite, ſubnaſcuntur ſeptena. Præcipua prætextuum capita ſunt; vita incompoſita aliquorum Religioſorum, quam pro vno fonte lachrymarum, recte ſtatuit Cardinalis Bellarminus; refragante, & quod mirabile eſt; nullam eſſe religioſam familiam exlegem & incompoſitam, contendente Dominico Granina Ordinis prædicatorum, conſcripto ea de re opere iuſto, imo iniuſto. Inter capita vitæ exlegis aliquorum, numerantur figmenta reuelationum & miraculorum, ac (ſi Deo placet) falſorum ſanctorum; quæ ſanè eſt iniquitas maxima, ferè prodiens ex radice omnium malorum auaritia. Multis enim, eſt quæſtus magnus pietas, alio ſenſu quam apud Paulum figmenta reuelationum contra immaculatam Conceptionem paſſiuam Deiparæ, nota ſunt lippis & tonſoribus, cum iuſſu Iulii 2. ſint aliquorum Fratrum viuicombuſtis expiata. Miracula in templis Religioſorum, multiplicantur abſque numero, vt docent tabellæ ad certas aras appoſitæ; quibus vniuerſi circumpoſiti parietes conneſtiuntur. Epiſtola Arnulphi Lexouienſis, quæ eſt ad Alexandrum III. luculentum exemplum continet & miraculorum & ſanctorum falſorum, in incude Religioſorum impiè cuſorum, quod cauſam dedit decreto Alexandri, relato in decretalibus tit. de reliq. & venerat. Sanctor. cap. audiuimus. Monebat enim Alexandrum Arnolphus, in cœnobio Griſtano, Monachos adeò flagitiosè viuere, vt mutuis ſe vulneribus conciderent: Et tamen vt allicerent ſeculares, remedia morbis per aquam certis carminibus incantatam, ſpondebant. Cœnobij Procurator ebrius cum, in ipſo triclinio duos fratres ſuper cœnam cultello impacto peculiſſet, & ab iiſdem pertica quæ fortè ſe obtulit, interfectus eſſet, nihilominus iactantibus fratribus titulo Martyris honeſtatus eſt, & cultu publico donatus. Quod reiciens per Arnulphum Alexander, deteſtatus eſt; & cultum cuiquam, quantumuis iactato miracula edere, impendi publicè abſque Romani Pontificis auctoritate omnino prohibuit.

Obtenditur item odiis, ſplendor Religioſorum, dum ſe ingerendo in meſſem alienam, magnam partem functionum per quas Clerus ſplenderet, occupant ipſi; ſicque Hierarchicus ordo ſe depontanum factum à nouellis, gemit. Adhæc, immunitates Religioſis conceſſæ, ſunt admodùm inuidioſæ, eáque præſertim, qua ſubducti ſunt Antiſtitum Ordinariorum Iuriſdictioni; ita vt ab eis non accipiant facultatem excipiendi fidelium Confeſſiones, ne in Paſchate quidem, & in mortis articulo, etiamſi eſſet ad manum Parochus. Negant nihilominus Religioſi eſſe neceſſe, fideles apud Parochum peccata deponere; ſed aiunt poſſe fideles conſcientiam apud Religioſos exonerare, præuio duntaxat indicio Epiſcopi, de idoneitate Religioſi ad illud munus: qui cum ſit actus iuſtitiæ, non poteſt petenti reuera idoneo denegari: Hi ſunt primarij & magis frequentes prætextus odiorum erga Religioſos; quorum inanitatem ſigillatim perſtringo. Sunt enim reuera, non cauſæ vt cauſæ.

Vitam exlegem, nonnullorum qui ſe Religioſos dicunt, inficiari non licet. Inde tamen creari infamiam Religioſis bonis, ſuique inſtituti tenacibus, non eſt ferendum. Apud inconſultos tamen, laborat plerumquè ex hoc capite, fama bonorum. Sic Sarabaitæ, genus Monachorum deterrimum, (*Remoboth* dictum, obſeruat S. Hieronym. Epiſt. 22.) magnam infamiam Ordini Monaſtico inferebant, præ vitæ incompoſitione, ac multiplici dedecore, quo eos grauant Sanctus Caſſianus coll. 18. cap. 7. Sanctus Benedictus cap. 1. Regulæ, & Sanctus Iſidorus 2. de offic. cap. 15. Nec ſecus ab iis laruis Religioſi ſtatus, accidit probatis Monachis, quàm olim veris Chriſtianis à colluuie Gnoſticorum, qui ementientes nomen Chriſtianum, ſordebant ſupra modum ſpurcitiis ac ſceleribus; & cum à Gentilibus haberentur Chriſtiani magna infamia reſpergebant Eccleſiam, vt SS. Irenæus, & Epiphanius, aliique veteres deplorant. Non diſſimiliter igitur, ob aliquos ſales infatuatos; ob aliquos inquam Religioſos exleges, nomen *Monachorum*, iam olim, malè audiuit, & nunc quoque perſeuerat variis locis ea Religioſorum optimorum decoloratio, ex vita incompoſita nonnullorum; ita vt ipſa Italia, cum mali aliquid patratum fuerit, in adagiale ſcomma verſum ſit; *guarda Frate; cercate il Frate*; quaſi ſemper Monachus in malo negotio partem operæ ponat. Idque in Germania quoque inualuiſſe, liquet ex nuper

recuſis

SECT. IV. PVNCT. I. §. IV.

Non cauſa vt cauſa maledicenat Religioſis, ſigillatum recenſita, ac obiter reiecta falſiloquij.

recenſis Epiſtolis obſcurorum virorum, *pag. mihi* 355. Nec ea labes, ſi Eraſmo auſcultamus, ſiſtit intra laxatæ obſeruantiæ Religioſos, ſed ad ipſos quoque ſpecie externa compoſitiſſimos; quorum multos ſimulare Curios, & Bacchanalia viuere, expoſtulat, agens de Sileni Alcibiadis. Eam enim perſonatæ virtutis maculam, ad omnes ſacros & profanos ſtatus diffundens; cum venit ad Religioſos, ſic ſcribit. [Sunt, (atque vtinam non tam paſſim obuij ſint), quos ſi quis è barbæ ſylua, pallore, cucullo, inflexis ceruicibus, cingulo, ſupercilio, vultuſque truculentia velit æſtimare, Serapiones ac Paulos eſſe dicat. Sin explices, meros inuenies balatrones, helluones, planos, gandones, imo prædones ac tyrannos; ſed alia via, & haud ſcio an hoc peſtilentiore, quo tectiore planéque (quod aiunt) ἄνθρακας τὸν θησαυρὸν:] Quem Scorpiacæ caudæ ictum, illico mulcens, & abblandiens, leniſſe videri vult, Eraſmus, dicens, hæc non niſi ad diſcolas pertinere. Reipſa tamen, ex aliquorum incompoſitione, infeſtus ſemper Religioſis Eraſmus (, quia ab eis deſciuerat, & ita fert vſus Apoſtatarum,) vniuerſo Religioſo nomini infamiam quærit aſpergere: Quam dicebam eſſe admodum antiquam; nec vnquam planè extinctam, decolorandi Religioſos rationem, non ſemel alibi eidem Eraſmo vſurpatam.

Eſt tamen hæc odiorum cauſa, planè friuola, & iniuſta; tametſi Sacris hominibus ferè perpetua: Vnde illa Nazianzeni orat. 14. expoſtulatio. [Cum non ideò ſtatim omnes, nigri iudicentur, quia nonnulli tales ſint; nec ignobiles, aut deformes, aut ignaui, vel intemperantes, & libidinoſi, quod plures ita ſe habeant, verum per ſe quiſque ac priuatim expenditur, nec eorum quicquam quæ vel vitio vel laudi dantur, communiter omnibus attribuatur: Hic contra, vitium ad omnes facilè diffunditur; atque ob multorum vel etiam quorundam culpam, vniuerſus ordo in inuidiam & crimen vocatur. Quodque omnium grauiſſimum eſt, hæc criminatio non in nobis conſiſtit, verum ad magnum & venerandum noſtrum myſterium tranſit.] Hoc eſt, in ſacerdotium, cui infamia ex prauorum labe affricatur; quod Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſt. 52. & l. 3. epiſt. 242. grauiſſimè damnat; Vel in ipſam Chriſtianam profeſſionem, quod SS. Auguſtinus, conc. 2. in pſal. 30. v. 14. Nyſſenus, orat. 3. in orat. Dom. atque Chryſoſtomus hom. 7. in Gen. & hom. 3. in 1. Cor. vrgent, ad Chriſtianorum curam in ſubducenda oblocutionum materia; & ne incompoſitè ſe gerendo, præbeant iis qui foris ſunt, occaſionem blaſphemandi ſacrum inſtitutum; & eorum exlex vita, dehoneſtet profeſſionem ſanctam, cui dederunt nomina. Pleraque aduerſus hanc peruerſitatem adducere memini in Tractatione de Apoſtaſia, in opere de Iuda cap. 17. §. 15. Egregia præter cœteros eſt diſputatio Theodoreti, in calce operis exagitantis Ethnicos, qui legem Chriſtianam eſſe ſanctam & optimam fatebantur; ſed in eam refundebant nequitiam exlegum Chriſtianorum illam conculcantium. Idem iudicium eſto, de criminantibus Religioſos; quia ſunt aliqui nomen *Religioſorum* præferentes, nequaquam boni. Quam fuiſſe criminationem Donatiſtarum in Catholicos, autor eſt D. Auguſtinus, in illud Pſalmi 132. *habitare fratres in vnum*. Quod enim Catholici inſultarent Donatiſtis, propter pſeudomonachos eorum, (graſſatorum veriùs nomine inſigniendos; quippè ebrioſos, præcipites, furentes, vagantes, quibus titulis eos afficit S. Auguſtinus,) retorquebant ipſi in Catholicos inſultationem; vrgentes nomen & vitam Monachorum; non ſanè omnium, ſed aliquorum exlegum, nec ſanctè, vt religioſos decebat, vitam exigentium. Quales aliquos fuiſſe non diffitetur S. Auguſtinus. Allegatis enim probris Circumcellionum, addit [Verumtamen Chariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſunt. Et nos nouimus tales, ſed non periit fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non ſunt. Tam ſunt enim Monachi falſi, quam & Clerici falſi, & fideles falſi. Omnia iſta tria genera, fratres mei, habent bonos ſuos, habent malos ſuos. De tribus enim ipſis generibus, dictum eſt, *Duo in agro; vnus aſſumetur, & vnus relinquetur; & Duo in lecto vnus aſſumetur, & vnus relinquetur; Et duæ in molendino; vna aſſumetur, & vna relinquetur.*] Primam huius dicti partem, aptat Clericis, qui regunt, Eccleſiam, tertiam fidelibus laicis, quia in ſeculo vt in molendino verſantur; ſecundam Religioſis; [quia amauerunt quietem; (Per lectum enim quietem voluit intelligi,) non ſe miſcentes turbis, non tumultui generis humani; in otio ſeruientes Deo. Et inde tamen vnus aſſumitur, & vnus relinquitur. Sunt ibi probi, non ſunt ibi reprobi. Nam & latent quidam, qui non inuenientur niſi in fine.] Patrem inconſultam criminationem vniuerſi cœtus, propter aliquos male moratos Philoſophos, ſugillat in Ethnicis, Epictetus apud Arrianum l. 4. c. 8. Sed ne huc adnocem perſonatum ſapientem, rectè admonet Giſelbertus c. 5. quod etiam inter filios Dei, reperitur Satan; & Iudas quoque bipedum nequiſſimus, annumeratus eſt Apoſtolis. Sed quid iniquius, quam propter amurcam, torcularia deteſtari, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſiores implentur, ait D. Auguſtinus epiſt. 137. de hac ipſa calumnia diſſerens, & alio loco, in pſal. 99. ſub finem agens de Monialibus. [Inuenis Sanctimoniales indiſciplinatas. Numquid propter virgines malas, damnaturi ſumus & bonas?] Non ſanè, ſi ſapimus. Sigillatim quod attinet ad figmenta miraculorum & ſanctorum, per Religioſos quæſtuarios obtruſa, admittendum eſt fuiſſe qui in ea parte peccarint; quod docent exempla ſignata in Hipparcho §. 4. Probati tamen Religioſi, in eas ſordes non incidunt; & fatendum eſt, nonnullam ea in parte Epiſcoporum diligentiam deſiderari, Cum enim liceat illis per Concilium Tridentinum, prohibere ne quis miracula vlla publicè exponat, niſi ab ipſo Epiſcopo recognita & comprobata (Idem valet de reliquiis & cultu publico ſanctorum), quare gladium quo inſtructi ſunt, in vagina reconditum ſeruant, nec exerunt aduerſus eas abuſiones? Eſt igitur quæ propoſita eſt, cauſa odiorum in Religioſos, non cauſa vt cauſa.

Non eſt ſolidior, cauſa altera, quæ ducitur ex eo quod Religioſi falcem immittant in alteram meſſem, & fauorem ſibi ac gratiam plebeculæ colligant, obeundo aliena munia, & de omnibus ſe immiſcendo. Hoc Eraſmus, adagio, *vt fici oculis incumbunt*, in Religioſis reprehendit, hunc in modum. [Quod optimates impij, ſunt Reipublicæ; id fortaſſe ſunt Eccleſiæ, nonnulli ex his ordinibus quos vulgo *Mendicantes* vocant. Pios non accuſo nec ordinem inceſſo. Malos noto, quæ vbique maxima turba eſt. Hi ſic ſe ſe per omne Reipublicæ corpus ſparſerunt, vt nihil vſquam agatur ſine illis. Regnant in concionibus, quod peculiare munus eſt Epiſcoporum: Tyrannidem occuparunt in ſcholis, quod huic proximum munus. Per hos miniſtrantur Eccleſiaſtica Sacramenta, per hos ſacerdotes

SECT. IV. PVNC. I. §. IV.

Nonne vſu vt tanſa maledicenti Religioſis, ſigillum recenſita, ac diuerſa falſiloqui.

dotes ſumus. Hi plus quam cenſoria ſeueritate, pronunciant de profeſſione fidei: Hic Chriſtianus eſt, hic ſemichriſtianus; hic hæreticus, hic ſeſqui hæreticus. In eorum ſinus populus effundit occultos vitæ actus, & ſecretiſſimas animi cogitationes. Nec his contenti ſunt. Nulla panguntur principum fœdera, in quibus hi non agant partes. Sine his nullum contrahitur matrimonium. In theatricis certaminibus, in publicis ſordibus, agonothetas agunt; adeò nihil pudet. Denique nec mori licet, abſque illis. Nulla eſt aula Principum in quam non irrepſerint. Si quod impudens facinus deſtinarunt. Principes, per hos exequuntur. Idem late perſequitur Sectarius Pitatus decade poſter. 9. c. 7. (quid moliuntur Romani Pontifices, quod paulo ſit alienius ab Apoſtolica illa ſanctimonia, horum potiſſimum vtuntur miniſterio. Veluti ſi quod bellum, ſi quis tumultus, ſi qua exactio, ſi qua condonatio parum prudens; in hiſce fabulis iſti primas agunt. Interim ſimplici populo ſpecie ſanctitatis imponunt. Sacerdotes ad hos collati, Sacerdotes non ſunt Epiſcopi horum fiducia in vtramuis aurem dormiunt. Plebs deſtituta, pro vnicis paſtoribus, gemino luporum genere diſcerpitur.)

Ex hac parte ſartaginis, aut farraginis conuitiorum Eraſmi in Religioſos (addit enim teterrima quæ ſciens premo,) dimittendæ ſunt impoſturæ apertæ; cuiuſmodi eſt quod per Religioſos Sacerdotes ſint, qui ad ſacerdotium ſunt euecti. Quis enim bonus ſenſus ſubeſſe ei dicterio poſſit? Num enim ordines Sacros conferunt Religioſi? Suntne Epiſcopi, aut Pontifices? Itaque Eraſmus, dum effutit quicquid in buccam venit, & inconditè egerit quæ aduerſus ſeruos Dei abdita pectore tenebat apertè planus & impoſtor audire debet. Eiuſdem Eraſminianæ ſynceritatis eſt, quod Religioſi, agonothetas agant in theatricis certaminibus, ac publicis ſordibus. Et quod omnia nefaria, mandentur executioni per eos; bella, exactiones, condonationes imprudentes. Hoc ſpumas præſtat deſpuere. Quod ergo in criminatione & odiorum cauſa propoſita, non eſt prorſus omittendum, ſpectat ad ea aliena munia quæ Eraſmus expoſtulat per Religioſos obiri, nimirum conciones, adminiſtrationem Sacramentorum Euchariſtiæ & pœnitentiæ, doctrinæ in ſcholis traditionem, opitulationem moribundis præſtitam, & ſi quæ ſunt alia, per quæ Religioſi iuuando fideles, & Ordinarios animarum curatores ſubleuando, colligunt plebis gratiam, & ſplendent non modicè in Eccleſia. Vnde illæ lachrymæ in pleriſque, actis ſpiritu inuidiæ. Nam qui charitate tantum aguntur, nec quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quia non faſcinantur amore proprio, gaudent potius; cum vident eſſe, qui accurrant opitulatores, & Dei negotiorum & animarum cauſam agant. Quam teter autem ac furens ſit ſpiritus inuidiæ, SS. Cyprianus l. de zelo, & Baſilius homil. de Inuidia, demonſtrabunt, & alij notati in Tractatione de Calumnia. Ad rem noſtram veniendo, negamus tractationem verbi Dei pro concione, & adminiſtrationem Sacramentorum Euchariſtiæ ac pœnitentiæ doctrinam in Scholis, ſubſidium moribundis adhibitum, & huiuſmodi alia, præſtari à Religioſis falcem immittendo, in ſegetem alienam. Neque enim tale quicquam à Religioſis præſtatur, iniuſſu Patris familias totius domus Dei, ex cuius delegatione ac commiſſione operantur. Quia vniuerſa Hierarchia, in S. Petri ſucceſſore, generali in terris Chriſti vicario radicatur, vt monſtratum eſt in Epilogomenis ſubnotat. 2. verſ. 11. ad coronam auream ſuper mithram; atque adeò eiuſdem vicarij eſt, ſubordinatorum ſibi in paſcendo Chriſti grege paſtorum, Iuriſdictionem arctare aut diffundere, prout bonum fidelium tulerit, & adiuncta poſtulauerint. Itaque quia expedire viſum eſt, opitulationes admittere quibus ordinarij adminiſtri ſubleuentur in miniſtris quæ recenſita proximè ſunt; & ad quæ plerunque, maior eſt in opitulatoribus idoneitas, accedente non rarò pleniore ergà eos fiducia, illorum qui iuuandi ſunt; meritò ea ſubſidiaria opera per Religioſos præſtanda, inducta eſt in Eccleſiam, non ad grauamen Ordinariorum; ſed ad eorum leuamen, de quo, (ſi ſaperent, nec cæcus amor faſcinaret) gratias impenſè agerent Deo, vt benè proſpexit Conradus Card. Legatus in Germania, quem Cantypratanus l. 5. Apum. c. 9. n. 6. ait, aditum eſſe a Parocho, expoſtulante de fratribus recens tunc inſtitutis, & quod ſe intruderent in alienam meſſem: Interrogauit enim Parochum legatus, quot numeraret in ſua parochia animas, curæ ſuæ concreditas. Cum reſpondiſſet, numerare ſupra decem millia. Exclamauit Legatus. Proh miſer! Ego pro vnica anima mea ſollicitus, tremo ac timeo pro ventura diſcuſſione. Et tu, qui vltra curam quam animæ tuæ debes, pro tot millibus tibi concreditarum animarum angi deberes, expoſtulas de probis & nauis opitulatoribus, qui te in ferenda tam graui ſarcina ſubleuatum veniunt? Næ indignus es, qui Paſtor animarum audias. Dixit, & ſubmotum munere ſuo Parochum, res ſuas ſibi habere iuſſit, ſoffecto in eius locum alio, iuſtè ac ſapienter. Vidit enim ſagax Legatus, quid Parochus ille in muneris concrediti exercitio quæreret. Itaque ſubſidiariæ illæ functiones Religioſis delegatæ Ordinariis acceptiſſimæ eſſe debent, non ingratæ. Neque verò quicquam fuit quod obſtaret, quominus ea delegatio fieret, vt S. Bonauentura Opuſc. cur Minores prædicent &c. ex inſtituto eſt proſecutus, & anteriùs quoque, Rupertus in Alterc. Clerici & Monachi. qui pro Monachis id ipſum confirmat; quamuis in Monachos ob maiorem à populo ſeceſſionem, minus videantur quadrare functiones de quibus agimus. Nihilominus pro eis quoque, valere poteſt doctrina propoſita, quæ quoad alias, ad tantam ſeceſſionem quantam Monachi nomen præfert, minimè aſtrictos videtur explorata; vt tractatum eſt in Diſſertatione de Paternitate Spirituali puncto 9.

Neque tamen verum eſt, quod Eraſmus obiiciebat, & alij per amplificationem inuidioſam obmurmurabant, ferè ſolos Religioſos concionari, & confeſſiones excipere, ac Euchariſtiam, (cum abſque præcepti obligatione ſuſcipitur), adminiſtrare; ſicque ab ipſis parochis templis eorum, auertere fideles. Hoc, (vt dixi), falſiloquio ſordet, & quamvis verum eſſet, perperam fraudi eſſet Religioſis, quod pro eorum induſtria, & pleniore interdum peritia, plus frequentarentur. Quod ſi fauor quem Religioſi ex illis functionibus ritè ac dignè obitis colligunt, offendit Parochos; ſatagant ipſi pro ſe, exerceantque ingenium, nec parcant operæ in ſtudiis, vt habeant vnde populum pelliciant paſcendo eum verbo doctrinæ; & nemo Religioſorum obſtabit; imo omnes applaudent. Quare falſum eſt, Religioſos munera ſibi commiſſa erga fideles abeundo, auertere illos à Parochis, ac templis eorum. Non ita eſt. Tametſi poteſt verum eſſe, quandoque fideles pertæſos minoris peritiæ Parochorum, non incumbentium ſeriò in

ſtudia;

ſtudia; pertæſos item ſqualoris, & incompoſitionis Eccleſiarum matricum, amantes autem nitoris ac ſtudii quibus ſacrum miniſterium in Religioſorum templis renidet, præeligere loca in quibus vidét decentius ac dignius peragi ſacra. Curent igitur Parochi, ſuperare, vel ſaltem æquare ea in parte, curas & ſtudia Religioſorum, & nemo inuidebit quod ipſi adeantur; nemo per clancularias artes ac fraudes, maiorem parœcialis templi frequentiam interuertet.

At enim frequentatio ædium Religioſarum, & contemptionem effudit ſuper matrices Eccleſias, & tenebris obducit fideles, circa pleraq; ſcitu neceſſaria, vt feſta, ieiunia, coniugiorũ ineundorum proclamationes, denunciationes præceptorũ ſub anathemate, ad reuelandũ aut reſtituendũ, & alia id genus, quæ in ſolis Parochialibus tẽplis promulgantur. En quanto incómodo deſeritur collectio in Eccleſiis, in quibus fideles baptiſmo ſunt initiati, reſerato aditu ad cætera Sacramenta. Vbi magnum in Chriſto Sacramentum celebrant, vnde quævis Sacramenta cum ex obligatione ſuſcipiuntur ſunt petenda. Vnde vnctio ad extremam luctam, & viaticum ad iter adeundæ æternitatis ſuppeditatur. An non eſt hæc contemptio matricis Eccleſię, quæ per integrũ vitę curſum fidelibus tot bona conciliat? Cõtemptio autem Paſtoris Ordinarii, per eandem Religioſorũ in aliena iura inuolationem, eſt per ſe manifeſta, cum vultum pecoris ſui ad alienos euocati vix agnoſcat; cum non niſi ſemel in anno adeatur, neque hoc ad aperiendam conſcientiam, (quod fere populus apud Religioſos facit,) ſed tantum ad participandum diuino epulo. Quanquam & hoc quoque in parte, captatur legis eneruatio per frigida gloſſemata, quorum nunquam parca eſt ambitioſa Religioſorum induſtria

Has gerras cauillationum, non erit operoſum diſpellere. Ac primũ, inſulsè admodùm opponitur cõtemptio ædium ſacrarum matricum, de qua plebs fidelis non cogitat; tametſi commodo ſuo ac pietati, ſeruit, adeundo Religioſorũ templa, plerunque nitentiora, cum non rarò per ſegnitiem Curionum, templa parochialia, & valdè tenuiter inſtructa ſint ſupellectile ſacra, & ita ſordeãt, vt alicubi, haræ ac ſtabuli ſpeciem potiùs, quàm ſacrarum ædium præferant. Vnde ædificatio adeuntium euertitur, & affectus erga Dei cultum deteritur. Ignoratio verò rerum quæ à Parochis ſolis proponuntur, non multũ promouet cauſam Parochorum in hoc negotio. Siquidem pleraque eorum, vt feſta; & ieiunia, habentur notata in Calendariis, & in iis feſtorum indicibus quæ exotico vocabulo dicũtur *Almanach*, proſtantque in omnibus officinis, ac priuatis domibus. Alia quædam ex his quæ Parochus in templo ſuo proponit, de affixis per compita, & exitus viarum programmatis, innoteſcunt. Facile item per eos qui in parœcia affuere, diſſeminantur, vt etiam contingit circa Principum & magiſtratuum mandata quæ per præconem publicè inſonant: neque tamen iniicitur quibuſvis ciuibus obligatio, vt frequentes adſint in foro, cum exponitur mandatum, quia ſemper adſunt qui tubæ ſono exciti, ad exponentem præconem occurrant, & alios doceant quid poteſtas publica indixerit. Eſtque valdè per accidens, ſi ad aliquem fama mandati expoſiti non peruadat. Euaneſcit itaque prætenſa ædis matricis contemptio, ex frequentatione templi Religioſorum. Nec minùs euanida eſt prætenſa deſpectio proprii Paſtoris, qui per eam religioſorum à populo frequentationem, obtenditur non agnoſcere vultum pecoris ſui, quaſi non aliter Paſtor agnoſcere poſſit vultum commiſſorum ſibi fidelium, quã ſi peccata apud eum deponant. Eo enim duntaxat pertineret querela de non agnoſcendo pecoris vultu per paſtorem, ſi frequentarent Religioſi. Satis autem ſupérque fit argumento, quod inde in Religioſos intorquetur, ſi dicatur, ex legitima delegatione facta a Pontificibus, & in Conciliis Oecumenicis firmata, ac vſu tot ſeculorum roborata, indulgeri plebi fidelium, vt pro ſuæ conſcientiæ leuatione, & animi pace ac conſolatione auctiore, deponat peccata apud quos voluerit, dummodò præcellum ſit Antiſtitum de Confeſſarii idoneitate teſtimonium, quod vnum fert, quã exigunt *approbationem* Ordinarii, fidem facientis, conſtare ſibi de ſcientia, & probitate delegati ad fidelium Confeſſiones excipiendas, aliave miniſteria quæ delegato committuntur, ritè obeunda. Quare vniuerſa argumentatio contraria rimas agit, & fruſtra inædificatur ei auerſio a Religioſis.

SECT. IV. PVNC. I. §. I.I. *Non cauſa vt cauſa maledicend. Religioſi, ſigill'a ... recenſita ac obiecta ... loquy.*

Qui ignem aduerſus Religioſos fodicant, cauſari præſertim ſolent, exemptionem eorum ab Ordinariorum Iuriſdictione, ac poteſtate. Inuexit eam exemptionem à multis iam ſeculis, iuſta neceſſitas. Conclamarunt tamen aduersùs eũ iam olim, varii. Nam Ioannes Epiſcopus Hieroſolym. exarſit in S. Hieron. quòd fratrem ſuum Paulinianum in monaſterio Eleutheropolitani territoriis in Palæſtina, ordinarii curaſſet per S. Epiphan. qui quidem data ad ipſum Ioannem Epiſt. alt. 60. inter Epiſt. S. Hier. factum ſuum multipliciter purgat, adducto nominatim vſu ſuorũ Cypriorũ, apud quos fas erat Epiſcopis, initiare aliquem extra ſuum territorium, quãuis quod is vſus in Palæſtina non vigeret, dicat nulla ex parte violatum à ſe fuiſſe Ioannem, extra cuius diœceſim ordinaſſet Paulinianum. Quo ipſo, admittit exemptionem non fuiſſe ſibi ſuffragaturam, ſi in diœceſi Ioannis ſacros ordines contuliſſet, non cõſulto ordinario. Poſt tempora S. Hieron. Concilium Chalcedonenſe act. 1. c. 1. omnes Monachorum exẽptiones caſſas reddidit, eóſq; per omnia ſubiecit proprio Epiſcopo, ac ne abſque eius aſſenſu conſtrui poſſent monaſteria, conſtituit. Quod enim impietas Eutychiana, per Monachos inuecta eſſet in Eccleſiam, & per eoſdem pertinaciter propugnata, iuſtũ viſum eſt, tali frœno coërcere Monachorum licentiam. Secutis item poſterioribus, viri magni conclamarunt in Religioſorum exemptionem ab Epiſcoporum auctoritate, vt S. Bernard. variis locis annotatis in Epilogomenis ad Coronam auream ſubnot. 2. verit. 2. nec non P. Bleſenſis epiſt. 68. qui nominatim exagitat exemptionem à pendendis decimis. Inſupérque vſum mithræ, & aliorum inſigniũ Epiſcopalium, tanquam notas excuſi Antiſtitum iugi, reprehendit epiſto. 8. & 90. & Aſtipulati ſunt ei ſenſui, & exemptiones Regularium ab Epiſcopis improbarunt Ioannes Sariſberienſis 7 polycrat. c. 19. & epiſt. 95. nec non Iuo Carnotenſis epiſt. 65. & Ægidius Roman. tractatione de hoc argumento, ac Aluarus Pelagius l. 2. artic. 14. litera R. Tres hi poſtremi fuerant ex Regularibus cœtibus in Epiſcopos aſſumpti, & tamen perſtricti fulgore veritatis; dedere manus.

Hic aries toties & tanto impetu in Regulares intẽtatus; caſſo impetu cecidit, quoties admotus eſt, & nunc quoq; toto conniſu vibratur à præludentibus ſchiſmati. Eſſe tamen praxim antiquã, vt Religioſi, & eorum loca ſubducantur Iuriſdictioni Epiſcoporum, ambigere non licet. Nam S. Fulgent. vt ſcribit eius diſcipulus capit. 29. vitæ, cum iam Epiſcopus conceſſiſſet in monaſterium, ibique degeret, conteſtatus eſt per ſcripturam; [Nihil ſe in illo monaſterio proprium vindicare, nec pro poteſtate, ſed pro charitate inter Monachos habere. Conſi-

SECT. IV. PVNCT. II. §. I. *Vera maledictionum in Religioſos cauſa, non cauſis vt cauſis ſubiuncta.*

derans enim prouidus Antiſtites ne quod ſerui Dei ſimplices præiudicium poſtea paterentur, obicem contradictionis in hac ſcriptura, ſucceſſoribus ſuis appoſuit; quia vtilitati Monachorum ſeruientium Deo, nihil præpoſuit. Erit tamen iuxta Eccleſiam, domum, cui fabricandæ, curam maximam diligenter impendi: ne futuro ſucceſſori meo, deeſſet hoſpitium.]S. Landericus Epiſcopus Pariſienſis, vt ſcribit Franciſcus Lauonius de SS. Galliæ Cācellariis pag. 18 adſcripti, multis Epiſcopis, exemptionem monaſterij S. Dionyſij, ratam habuit; quod item fecit Andobertus Pariſienſis Epiſcopus, de Monaſterio Foſſatenſi, & Niceardus Rhemenſis de Baſilij, teſte Choppino l. 1. monaſt. n. 23. S. Gregor. Magnus in Concilio Lateranenſi, eo Conſtituto quod exhibet Baron. anno 601. exemit Monachos à poteſtate Epiſcoporum, ſubiciens eos Abbatibus. Idem, exēptionis Monaſterij Claſſenſis, in diœceſi Rauennatenſi, meminit l. 7. epiſt. 18. nec non exēptionis monaſterij Caſtillienſis in vrbe Schillitana ibid. epiſt. 33. Monaſterij Bobienſis exēptionem per Honorarium 1. referunt Acta S. Bertulphi Abbatis Ang. 19. Adeodatus Papa, Monaſteriū S. Mart. Turonenſis, conſentiente vrbis Epiſcopo, exemptione honeſtauit. Et quanquā ibi ait Adeodatus, Romanos Pontifices non amplius concedere tales exēptiones, non diffitetur tamē, olim fuiſſe factas, & non negat fuiſſe licitas & validas. Quod æquè dicendum eſt de S. Godefrido Ambianenſi l. 2. vitæ c. 11 qui agens cōtra Monachos S. Vldarici, exemptionem ſuā allegātes, vrget quidē falſationem diplomatis Pontificij, quo aduerſarij ſe exēptos iactabant, & inde eos premit, cum Rhemis in Synodo, tam Romæ apud Paſchalem Papam anno 1109. poteſtatem tamen eximendi penes Pontificem eſſe, non eſt inficiatus, tametſi ea ratione potuiſſet expeditiſſime nodū ſcindere. Concilium deniq; Anglicanū quod Beda l. 4. hiſt. c. 5. refert, exemptione Monaſteriorū ab Epiſcopis ſancit & firmat. Mirabile ergo videri poteſt, rem iam olim toties iudicatā, & Pontificū ac Conciliorū decretis ratam, vſuque perantiquo comprobatā, & in Capitulis Canonicorum ſecularium alicuius nominis ferè vbiq; receptam, obſtrepente nemine, in ſolis Religioſis domibus tanta cū vociferatione exagitari. At mihi etiam multo mirabilius eſt, quod notatū recolo ab Illuſtriſ. Lud. Dineto, Matiſconenſium Epiſcopo, eſſe qui ſoluti votis, atq; adeò merè ſeculares, curarint ſibi exemptionem ab Epiſcopis, & tamen adeò ſcrupuloſi ſint circa exemptiones regularium ab Epiſcopis, quibus per humanas rationes, & apertum politiciſmū abblandientes, ingerunt iugiter murmura contra Religioſorū exēptionē, quaſi hæc ſit euerſio Hierarchiæ Eccleſiaſticæ; pro qua ſatagere ſe fingunt, cū reuera ædificent Hieruſalem in ſanguinibus, nec aliud reuera moliātur, quā quæ Religioſorum ſunt inanire, & ſua implere, non aduertētes, ſe eo blandiloquio ſchiſmati proludere, & in Romani Pontificis autoritatē arietare, ex cuius concuſſione, vniuerſū Hierarchicū ordinem labefactandū, S. Auitus epiſt. 31 optimè admonuit. Tangit ſanè hæc de Religioſorū exemptionibus querela. Pontifices potiùs quā Religioſos, vt proinde P. Cluniacenſis l. 1. epiſt. 28. murmurantes de Religioſorū exemptione ac priuilegiis, alleget ad Pontificē exemptionis autorē, ſupponens, vt per ſe notū, neminem Catholicorū, ius Pontificium in exemptione inducenda, reuocaturū in dubium, planéque de eo liquere, ſupponit Alexander 2. epiſt. 8. Neque verò gratis, & ex mero ſuo arbitrio, Pōtifices, hanc ſuā in eximēdis Religioſis poteſtatē exercuere, ſed adacti iuſta neceſſitate, oriunda ex malignitate multorum Epiſcoporum, in monaſteria ſibi obnoxia graſſantiū, vt conſtat ex iis quæ prodita ſūt in Capitularibus l. 5. c. 176. & in Conciliis aliquot Toletanis, nominatim 4. c. 51. & 9. c. 2. Legendus itē eſt in hanc rē S. Greg. Magnus Epiſt. ad Marinium Rauennatem l. 5. epiſt. 28. & l. 6. epiſt. 40. nec nō S. Greg. 7. Epiſt. ad Lanfrancū Archiepiſcopū Cātuarienſem contra Harpaſti Epiſcopi violentiā in Monachos Abbatis Balduini, & alia aduerſus Cunibertū Epiſcopum Taurinenſem malè vexantē Monachos S. Michaëlis 2. reg. epiſt. 69. Lanfrancus quoque, Roberti Epiſcopi Caſtrenſis tyrannidē, & prędatoriam violentiā in cœnobium Conuętreium, graphicè deſcribit epiſt. 29. de quibus itē Malmeſburienſis agens de Anglis Pontificibus, & ad eam Lanfranci Epiſtolā Lucas Deckerius. Dixi in hanc rē at multa in Epilegomenis ad coronā auream ſuper mithiam ſubnot. 2. verit. 2. quę ibi legi poterūt. Nunc concludo, contentus monuiſſe, cauſam hanc odij Religioſorum, eſſe non cauſam vt cauſam, reuera prætextum inanem, obductum malignitati.

PVNCTVM II.

Vera maledictionum in Religioſos cauſa, non cauſis vt cauſis ſubiuncta.

IMpij apud Sapientē c. 2. ineunt ferale conſiliū his verbis expreſſum. *Opprimamus pauperem iuſtum,* &c. *circumueniamus iuſtum quoniam inutilis* (δύχρηστος, inſuauis, acerbus,) *eſt nobis & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ* &c. *Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, & præfert nouiſſima iuſtorum.* Sunt qui impios hæc effutiiſſe dicant, aduerſus quemcunque eximiè iuſtum, quæ eſt ad eum locum Ianſenij & Oſorij ſententia. Alij, (& quidem grauitate & numero potiores,) ad Chriſtū ab impiis Iudæis appetitum hæc referunt, vt Cyprian. Ambroſ. Auguſt. Proſper, atque Lactantius. Eſtque ſanè probabiliſſimum, hæc eſſe de Chriſto principaliter dicta. Fuit enim Chriſtus, *pauper iuſtus*, antonomaſticè, & tanta iuſtitia ac ſanctitate collucens, vt non comparetur ei aurum vel vitrum: id eſt nulla, neque Angelica neque humana perfectio, poſſit cum perfectione eius, venire in comparationem, iuxta S. Gregorij de eo Iobi loco ſententiam. Beneficentia verò eius in omnes, fuit teſtatiſſima, quod S. Petrus Actor. 10. poſt Chriſti digreſſum, fidenter eſt conteſtatus, *pertranſiit* (inquit) *benefaciendo & ſanando omnes.* & cum tanta eſſet eius bonitas, & abſoluta & reſpectiua, tamen à Iudæis odio habitus eſt gratis; vt ipſemet Chriſtus locum Pſalmi 34. de ſe exponens dixit Ioannis 15. *Vt impleatur* (inquit) *ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.* Legem appellat omnem veterem ſcripturam, modo loquendi, quam item vſurpat Ioan. 10. cum allegat locum Pſalmi 73. *Nonne* (inquit) *in lege veſtra ſcriptum eſt, ego dixi Dij eſtis?* De ſe ipſo igitur, Chriſtus agnoſcit prænuntiatum à Pſalte quod odio habendus eſſet gratis; id eſt nulla ſuppetente vera cauſa, quāvis prætexendæ eſſent nonnullæ; ex mera Iudæorum improbitate, & nequitia afflictæ. Vera autem cauſa in propoſito Sapientis loco exprimitur, quod ſcilicet eſſet contrarius impiis operibus Iudæorum,

&

& eos factis ac dictis ſugillaret, & tanquam nugaces æſtimaret. Sint igitur hæc à Sapiente de Chriſto, malignè & ſine cauſa a Iudæis impetito, principaliter prænunciata.

Extenſio tamen nonnulla eiuſdem loci, ad quoſcumque ingenue iuſtos, (quales ſunt Religioſi boni, non eſt incongrua, & probatur plerique patribus apud Leonem Caſtrium, & in c. 1. Eſaiæ variis bonæ notæ interpretibus. Et quadrat ſanè Religioſis, vniuerſus ille Sapientis locus. Verè enim, vita compoſitiſſima bonorum Religioſorum, eſt contraria operibus corruptis tenebrarum, quibus diſtinentur male affecti in Religioſos. Iidem quantumuis negotioſi videri velint, vere ſunt nugaces, & eorum negotia a ſeruis Dei habentur pro nugis, iuxta S. Auguſtini l. 1. conf. c. 9 obſeruationem, de nugis maiorum, nomine *negotiorum* inſignitis, & accedit Seneca adductus à Lactantio. 1. inſtit. c. 4. Quia ergo Religioſi boni, & verbo & ſcriptis cum res fert, ſemper autem obiectu ſanctorum morum, ſunt contrarij hominibus carni & ſeculo affixis, & illis muta ſaltem prædicatione, vitam exlegem & auerſa a recto ſtudia exprobrant, & à Deo iudice mina intentant; propterea maledicunt illis, & grauiora in eos exercent odia, qualécunque denique non cauſas, vt cauſas prætexant.

Confirmat egregie quod dico, Saluianus l. 8. de prouid. agens de odio quo Afri, nomine tenus Chriſtiani, proſequebantur ſui temporis Religioſos. Ait enim, Afros illos, ſe eodem modo geſſiſſe in Monachos, quo Iudæi rabie acti ſe geſſerunt in Chriſtū: prolatiſque variis ſcripturis referentibus conuitia, ſannas, ſibilos quibus Chriſtus a Iudæis eſt dehoneſtatus, ſubiungit. [Ita agitur & in Monachis, id eſt ſanctis Dei: Afrorum probabatur odium; quia irridebant ſcilicet, quia maledicebant, quia inſectabantur, quia deteſtabantur; quia omnia in illos pene fecerunt, quæ in Saluatorem noſtrum, Iudæorum impietas ante fecit, quam ad effuſionem ipſam diuini ſanguinis perueniret.] Et mox. [Non ſine cauſa perſecuti ſunt ſeruos Dei. Nam quis dicere poſſit quod ſine cauſa; homines ſcilicet omnibus à ſe vitæ ac morum ſtudiis diſcrepantes, in quibus nihil videbant ſuum; quoniam Dei totum? Maxima enim cauſa eſt diſcordiarum, diuerſitas voluntatū, quia fieri aut omnino non poteſt, aut vix poteſt, vt eam rem in alio quiſpiam diligat a quo ipſe diſſentit. Itaque eos non ſine cauſa (vt dixi) oderunt, in quibus omnia ſibi æmula atque inimica cernebant. Illi enim viuebant iugiter in nequitia, iſti in innocentia: Illi in libidine, iſti in caſtitate; illi in luſtris, iſti in monaſteriis: Illi propè iugiter cum Diabolo, iſti ſine ceſſatione cum Chriſto. Non ſine cauſa itaque, illud fuit, quòd Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & receptis comarum fluentium iubis vſque ad cutem tonſum videre, tam infelix ille populus, quam infidelis, ſine conuicio atque execratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſeruus, aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de ſacris Hieruſalem locis, aut de ſanctis eremi, venerandiſque ſecretis, ad vrbem illam officio diuini operis acceſſit, ſimul vt populo apparuit, contumelias, ſacrilegia, & maledictiones excepit. Nec ſolum hoc, ſed improbiſſimis flagitioſorum hominum cachinnis & deteſtantibus ridentium ſibilis, quaſi taureis cædebatur: Vere vt ſi quis ea inſcius rerum fieri, videret, non aliquem hominem ludificari, ſed nouum inauditumque monſtrum abigi, atque exterminari arbitraretur. Ecce Afrorū, atque Carthaginenſium fidem.] Addit, Apoſtolos, Paganos vrbes ſecuros intraſſe; imo cum honore in eos exceptos eſſe, [Intra Carthaginem verò, apparere in plateis & compitis Dei ſeruos, ſine contumelia atque execratione vix licuit.]

Liquet de cauſa genuina, odiorum quibus Afri in Religioſos flagrabant. Quicquid enim nequitiæ obtenderent, germana cauſa tantopere auerſorum affectuum, erat morum & actionum diſſimilitudo. Nam contrariorum, contrariæ ſunt cauſæ. Quod autem amorem maximè conciliat, eſt ſimilitudo. Eamque Plinius l. 4. ſcribens ad Fundanum, *tenaciſſimū amoris vinculum nominat, poterat & philtrum* dicere. Pellicit enim & illecebrat animas, ſupra omnia illectamenta, ſimilitudo morū & affectuum. Quod confirmare memini, tractans effectum amoris, in mor. diſ. 3. n. 154. traditque diffuſiſſime Tiraquellus. l. 5. connub. a n. 20. E contrario igitur, vt etiam vidit Boetius in opere de Muſica l. 1. c. item 1. diſſimilitudo morum ac ſtudiorum, mater eſt abalienationis & odij. Quid igitur mirū, Afros, & omnes eiuſdē genij, tā diſſimbolos ſanctis Monachis & religioſis, odio erga illos flagraſſe olim ac etiamnū flagrare?

SECT. IV. PVNC. III. §. 1. *Quàm graue Religioſis maledicere, & quouis modo infeſtos eſſe.*

PVNCTVM III.

Quàm graue, Religioſis maledicere, & quoquo modo infeſtos eſſe.

HOminis cædem Philo Iudæus, l. de ſpecial. leg. negat eſſe duntaxat quod dicitur, nempe homicidiū. Ait autē eſſe reuera ſacrilegiū; & quidē teterrimū; quia per homicidium violatur quod eſt in orbe ſimillimū Deo. Et tamen ea ſimilitudo, cū ſit ſita in natura hominis intelligente, (cuiuſmodi etiā eſt Dei natura) purè prout eſt naturæ autor,) nihil cōtinet ſuperius ordine humano & naturali. Multo ergo teterius erit, & ſacrilegij turpitudinem reſipere meritò dicetur, violatio eius cū Deo ſimilitudinis, quæ in participatione gratiæ & euectione ad ordinē ſupernaturalē fundatur. [Sacrilegij genus eſt (ait Saluianus,) l. 8. de prouid. Dei odiſſe cultores. Sicut enim ſi ſeruos noſtros quiſpiam cædat, nos in ſeruorū noſtrorū cædit iniuria; etſi à quoquam filius verberetur alienus, in ſupplicio filij pietas paterna torquetur: ita & cum ſeruus Dei à quoquam læditur, maieſtas diuina violatur, dicente id ipſum ad Apoſtolos ſuos Domino, *qui vos recipit, me recipit*; & *qui vos ſpernit, me ſpernit*. Benigniſſimus ſcilicet ac piiſſimus Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis & honorem ſimul & contumeliam facit, ne quis cum læderet Dei ſeruum, hominem tantùm à ſe lædi arbitraretur; cum abſque dubio, iniuriis ſeruorum Dominicorum, Dei admiſceretur iniuria; teſtante id ipſo Deo affectu indulgentiſſimo, in hunc modū. *Quoniam qui vos tangit, quaſi qui tangit pupillā oculi mei.* Ad exprimendā teneritudinē pietatis ſuæ, tenerrimā partē humani corporis nominauit, vt apertiſſime intelligeremus, Deū paruorū ſanctorū ſuorū cōtumelia lædi, quā parui verberis tactus, humani viſus acies læderetur. Inſectabantur itaque Afri ſeruos Dei, & in iis Deum.] S. Cyrillus adducentem Zachariæ locum, legit, *tangit pupillam oculi ſui*: hoc eſt ſe exoculat, & in corporis parte tenerrima ſe ſauciat. Quo pacto, violatio ſeruorum Dei, alio pertinet quàm ad ipſiuſmet Dei violationem. Maximum tamen damnum ſic ſe gerentis inſinuatur. Quàm enim chara eſt (& quidem meritiſſimò vt alibi diſputatum in cœcitate oculata, num. eſt,) viſus facultas, tam damnoſa cenſeri debet eius interclusio quæ violatione pupillæ infertur. Sed com-

SECT. IV. PVNC. III. §. I.

Quàm graue, Religioſis maledicere, & quoquo modo infeſtos eſſe.

munis eiuſdem loci lectio, & notio, probatior eſt ac retinenda; iuxta quam Deus ſeruos ſuos, vt rem ſibi acceptiſſimam pretioſiſſimam, intactos ſeruari mandarat. Coronatque diuinum aliud oraculum apud Pſaltem pſalm. 104. verbis illis expreſſum. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Siue enim cum Abulenſi, 1. Parab. 16. Iſraelitas de Ægypto egreſſos & in terram promiſſam tranſlatos, ibi ad literam a Pſalte ex Dei nomine deſignatos dicamus, eo quod Deus illos haberet in regnum Sacerdotale, vt Deus ipſe loquitur: Siue ſolos Patriarchas Exodi 19. ſpiritualiter tactos, ac interno imperio Reges & ſacrifices denotauit; non eſt dubium, quin potiore iure; iuſti quique ſacro vnguine in Chriſtos Domini delibuti, denominari poſſint Chriſti quidam: qua ſanè appellatione eos inſignit Nazianzenus; id quod iure ſpecialiſſimo de Religioſis mare ſeculi tranſgreſſis, & in Reges ac Sacerdotes ſpirituales initiatis fas ſit dicere. Huiuſmodi ergo Chriſtos tangere, id eſt violare quoquo modo, vetat Deus ſeueriſſimè, & de ſecus agentibus pœnas ſumit omni noſtra æſtimatione maiores. Quod ſi antiqui illi Hebræi, qui probi erant; & cum Deo familiarius verſabantur dicti ſunt prophetæ, in quibus Deus vetabat malignari: Sic enim de Abrahamo dictum eſt, Achimelec Gen. 20. *redde viro ſuo vxorem, quia propheta eſt, & orabit pro te*: & Ioſue à Siracide, eodem ſenſu dictus eſt Eccl. 46. *eſſe in prophetis*, non minori iure boni quique Religioſi, appellatione *Prophetarum* inſigniendi erunt, cum ſint verè gens ſancta, & non ſit alia natio adeò appropinquans Deo. Quid verò eſt aliud Religioſa domus, quam terreſtre cœlum, in quo homo aſſidue cum Deo diuerſatur, tanquam eius commenſalis ad fruendum cœleſtibus deliciis iam nunc adhibitus? Haud aliter Religioſum hominē depingit Euſebius 1. de demonſt. c. 8. Et Religionem cœlum quoddam terrenum eſſe ſtatuit Climacus gradu 4. conſentiente S. Bernardo l. 1. de Eccl. dedic. & Gulielmo S. Theodorici Abbate Epiſt. ad FF. de monte Dei, aliiſque ſuperius adductis. Exitiale ergo videri debet hos Chriſtos tangere, ſiue violare cuiuſcunque generis maledictis, & in hos Dei prophetas atque domeſticos malignari; quippè adeò intime cum Deo nexos, vt eius domeſtici habeantur, imo tanquā ipſius pupillę.

Hinc intelligitur, quanta ſit malignitas maledictionis vibratæ in Religioſos, quæcunque demum ſit ea maledictio, id eſt, ſiue intorqueatur vili æſtimatione, ſiue oblocutione ac verbo aſpero, ſiue facto iniurioſo atque damnoſo, aut interuerſione commodorum quæ alioqui eſſent eis obuenturæ. Omnia enim hæc, ex phraſi ſcripturæ, *verbis iniquorum* & maledictionibus accenſeri, iam ſæpè admonui. Tetra autem labe ſordere, non eſt dubium, cum eorum virulentia non ſiſtat in ſeruis Dei qui violantur, ſed redundet in ipſum Deum, vt ex Saluiano dixi, & confirmat quod Eſther aiebat, crudelitatem Amanis in Iudæos Aſſueri Regis ſeruos, in ipſum Aſſuerum redundare. Eum ſerui Dei nexum cum tali hero, aſſectatur tutela eius: velut rei ſuæ impenſa a Deo. Vnde liquere poteſt, quanta ſit, non dico præſidentia vel teneritas, ſed effrœnata audacia; eius qui in perſonam ſub Dei veluti aliis hærentem, & peculiari protectione tantæ maieſtatis honeſtatæ, non vereatur irruere, cum conſtet titulum regium alicui rei appoſitum, ſecuritatem illi præſtare; à quocunque incurſu & violentia. Videſis de huiuſmodi Principalibus titulis Gretſerum 2. de cruce c. 7. atque Malonium, ſignificatur huiuſmodi a Deo protectio in Scriptura, cum dicitur; *Eſt nomen meum ibi, aut nomen meum inuocatum eſt ſuper te.* Quæ de Religioſis congruè dici poſſunt, cum ſint Dei peculium per profeſſionem. Vt Exodi 19. populus Iſrael quia Deo erat addictus, denominatur *Dei peculium.* Quis ergo ſi ſapit, rem Deo vinculatam & tituli appoſitione ſuam factam auſit violare?

Accedit dignitas ſumma Religioſi, ratione gratiæ ſanctificantis qua inſtructus ſupponitur, & virtutum omnigenarum præ quibus eſt coram Deo pretioſus, & quidem tanta pretioſitate, vt vnus ſanctus pretio ſuo valore adæquet mundum totum. In quem ſenſum Theophilactus, & Ribera accipiunt illud Pauli Heb. 11. de ſanctis, *quibus dignus non erat mundus.* Id eſt, tantæ erant æſtimationis ac valoris, vt ſi mundus vniuerſus conflaretur in vnum pretiū, ne ſic quidem vel vnius ſancti pretium adæquaret. De continente item dixit Siracides, c. 26. *Omnis ponderatio, non eſt digna continentis animæ.* Senſus eſt, quantumcunque aurum, aut argentum, aliudve pretioſum aceruetur, ita vt creſcat in pondus immēſum, pretium eius impar futurum animæ, ſiue perſonæ, frœnanti ſuos affectus. At perſona Religioſa, non modò continens eſt iuxta vocis corticem, quia ex inſtituto cœlebs degit, ſed etiam affectus ſuos ſtudioſe compeſcit; & in eo eſt tota, vt ſub iugum mittat motus omnes inconditos. Non eſt ergo vllum pretium, quod eam poſſit adæquare, meritoque dicitur Marguarita pretioſa, etiam nunc, cum deliteſcit intra carnis oſtreum, vt ſuperiùs cum Chryſoſtomo & Theodoreto Philoſophabamur. Huiuſmodi ergo lapidem pretioſum inquinare, & malè afficere, quantæ eſt coram Deo malitiæ? Nec refert, quòd in ea Religioſorum cętero, ut bonos, non omnes æque niteant & aliqui tametſi non prorſus frigēt, tamē torpeant. Nihilominus enim quamdiu bonorum Religioſorum nomine quaſi ſubſtantialiter digni manent, ea ſunt apud Deum dignitate, vt longè præſtent probis ſecularibus. Iudicium eſt P. Damiani opuſc. 50. c. 13. his conceptum verbis. [Monachus ſi ad proferendos fructus boni operis ſit intentus, & feruidus, nihil inter homines eo valet eſſe præſtantius. Alioqui ſi frigidus & infœcundus areſcat, ac dormiens ſtertat, iure tanquā vilis alga deijcitur, & ipſis quoque ſecularibus non æquatur. Si quis verò ſtudiis adipiſcendæ perfectionis inſeruet, ſed tamen per infirmitatem de prioris vitæ vitiis adhuc aliquid retinet; ſecularibus quiſpiam, licet Religioſus eſſe comprobetur & pius, nequaquam eſt huic per omnia comparandus. Meliùs quippè eſt, vitioſum aurum; quam æs purum, & pretioſius eſt hebes margaritum, quàm marmor Parium, pallens quoque carbunculus, amabilior eſt, quam cœruleus ſit hyacinthus.] Quæ item delinquunt Religioſi boni, (homines enim ſunt, & non eſt homo qui non peccet.) iudicio S. Anſelmi l. 2. epiſtol. 29. leuiora ſunt, quàm quæ à ſecularibus ſimiliter peccantibus admittuntur: Conſentitque S. Thom. 2. 2. q. 186. artic. 10. Pauciora verò peccare Religioſos, quam ſeculares, S. Chryſoſt. l. 3. aduer. vitup. vitę monaſt. grauiter tradit. Non poteſt igitur ambiguum videri, quin perſona Religioſa ſit admodū accepta Deo, cuiúſque violationem grauiter auerſetur, ſitq; ea violatio, ingentis cuiuſdā apud Deū malitiæ. Certè multo maioris, quā cum ſimilis iniuria admittitur in perſonā alterius conditionis, puta iniuſtā, & cui cū Deo benè non conueniat. Tradit hoc perpulchrè S. Greg. 15. mor. c. 15. incidēs in locū Ezechielis 22. [Grauius eſt (inquit) ſi quis iuſtis potiùs quā peccatorib. noceat. Vnde & per Prophetā dicitur; *ſanguis eius in medio*

eius

cinctiſt, ſuper limpidiſſimam petram effudit illum: Non effudit illum ſuper terram, vt poſſit operiri puluere. Per terram videlicet, & puluerem peccatores, per petram verò limpidiſſimam, iuſtum ſignans, qui grauibus peccatorum contagiis non exaſperatur. Sanguis ergo per limpidiſſimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis, in afflictione iuſtæ animæ graſſatur.] Eſt ſanguis, ſymbolum peccati, præſertim eius quo violatur ius alterius. Vnde de menſtrua iniqui a'is ſemper auctiore accipit S. Gregor. alio loco hom. 21. in Ezechielem & 13. mor. c. 10. illud Oſeé 4. *Sanguis ſanguinem tetigit.* Apud Deum ergo longè acrior eſt violatio iuſti, quam ſi delinquatur in peccatorem & auerſum à Deo. Inſectatio igitur Religioſorum, quos par eſt exiſtimare, iuſtos eſſe, (alioqui Religioſorum nomine exciderent,) admodùm tetra cenſeri debet. Ipſe Deus, tanti facit iuſtum, vt ab eius contriſtatione caueat, & ferat ægerrimè ſi ab aliis contriſtetur. Sic enim loquitur apud Ezechielem c. 13. v. 22. *mœrere feciſtis cor iuſti mendaciter, quem ego non contriſtaui.* Videant igitur qui toti ſunt in cumulandis mœrore ſeruis Dei, quod eos iudicium maneat.

Hæc ſi vrgent pro violatione vnius ſigillatim perſonæ, quanto magis vrgere cenſeri debent pro violatione & inſectatione totius cœtus Religioſi, ex omnino multis perſonis integrati, inter quas multæ eſſe poſſint maioris apud Deum meriti? Eſto, nunc Turris gregis, ſit plerunque nebuloſa Turrim gregis Ophel, adeò ſublimem fuiſſe aiunt Hebræi apud Hieronymum in c. 32. Iſaiæ & in tradit. in c. 35. Geneſ. vt præ excelſitate videretur condere caput inter nubila, & pene effugeret cõtuitum. Hanc turrim minutiſſimam & ſublimiſſimam, Stephan. Cantuarienſis adductus in Allegoriis Tilmanni, ad c. 4. Michæ, interpretatur cœtum Religioſum, qui iuxta corrupta ſeculi iudicia, obſcurus videretur ac nebuloſus, præ externa vilitate & ignobili facie, reipſa tamen eſt turris munitiſſima, & Eccleſię ſanctæ forte præſidium. Veniet autem tempus, cum ad exortum ſolis iuſtitiæ, id eſt iuſtitias iudicantis Chriſti, diſcutietur nebuloſitas, omnéſque officiæ diſpellentur: Et tunc reuelabitur malignitas inſectantiũ illam.

Quæ omnium tenuiſſima videri poteſt, maledictio per verba ſiue detractio; eiuſmodi eſt vt inferre poſſit exterminium detrahenti: Quàm ergo malignitas erit maledictionum grauiorum? Detrahentes de ſeruis Dei exterminium ſibi accerſere, Origenes hom. 3. in pſ. 36. eruit ex illis verbis Pſaltis. *Qui benedicunt eum hæreditabunt terram: Qui autem maledicunt eum, exterminabuntur.* Gloſſa Origenis ſic habet. [Qui benedicunt eum, id eſt, qui benedicunt iuſtum, hæreditabunt terram. Quam terram? Illá bonam terram hæreditabunt, illam fluentẽ lac & mel, vbi ſunt bona illa quæ verè bona ſunt. Illam poſſidebunt qui benedicunt iuſtum. Maledicentes verò eum, exterminabuntur. Et vobis parũ videtur interdum malè loqui de Sanctis: Et perleue eſt vobis, dicere de ſeruis Dei; Ille, talis & talis eſt: Ille frãgit & ille ſeculum diligit, ille autem impoſtor eſt. Nõ audis quia qui maledicunt iuſtum, exterminabuntur? Aut ſi hoc parum vobis videtur, audite alibi, Deum dicentem ad iuſtum; *Inimicus ero inimicis tuis, & aduerſator aduerſariis tuis.* Videtis quanti periculi ſit inimicari iuſtis, vel malè loqui de Sanctis. Si enim verè credimus illud quod dixit Dominus de vnoquoque ſeruorum ſuorum, quia eſuriui & non dediſtis mihi manducare, & ea quæ addit, & dicit, quia qui vni ex inimicis meis fecit, mihi fecit conſequens eſt, vt & hoc dicat; Qui maledicebatis mihi, detrahebatis de me, & falſa contra me loquebamini, & accuſabatis me. Et ſi diximus, Domine, quando tibi maledix imus, aut quando de te detraximus? Aut quando falſa contra te locuti ſumus? Tunc dicet ad nos; Amen dico vobis quia quod feciſtis vni ex meis minimis, mihi feciſtis, ſicut enim dantes manducare vni ex iſtis, mihi feciſtis, & dantes liberè vni ex iſtis, mihi dediſtis, & ſicut induentes vnum ex iſtis, me induiſti: Ita maledicentes vni ex iſtis, mihi maledixiſtis: Et ſi benedixiſtis vel honoraſtis vnum ex his, mihi benedixiſtis, & me honoraſtis, ſicut & alibi nihilominus dicit; Qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Propterea ergo contineamus linguam noſtram, & ſeruos Domini admiremur, & benedicamus iuſtos, & nunquam detrahamus de eis nec aperiamus os noſtrum ad malè loquendum, ne forte extermine mur, ſed benedicamus, vt benedictionem conſequamur.]

SECT. IV. PVNCT. IV. §. I. *Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.*

PVNCTVM IV.

Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.

VT ordinata ſit tractatio, partior has maledictiones in varias veluti claſſes: nimirum in eas quæ iudicio interno, quæ verbis, ac operibus inferuntur, quibus aliæ ſubtexentur, ſitæ in auerſione commodorum, vel in ſuſcepta conuulſione iurium.

§. I.

Maledictiones mentales per iudicium depretians.

AD violationes Religioſorum progrediendo, auſpicandũ eſt à vilipenſione ac depreciatione interna, quam Ariſtoteles vocat *ὀλιγωρίαν*. Huius vocis notionẽ diligenter excutit Rangolius 1. Reg. 25. q. 76. Hic actus quo aliquid nihili æſtimatur, & inter ea quæ pro nihilo habentur recenſetur, eſt fõs è quo ſcaturiunt quæcunque in Religioſos peccantur. Qui enim ritè æſtimaret dignitatem ad quam Religioſi ſuſtolluntur, nullo modo adduceretur, vt in eos linguam acueret, vel calamum virulentum ſtringeret, aut maleficium quodpiam deſignaret iure itaque ab hac deprecatione faciemus initium.

Micat hæc vilipenſio in iudicio de Religioſorum inſania. Quod non eſt iudicium nouum, quandoquidem in veteri quoque Teſtamento. filij Prophetarũ qui Religioſos noſtros adumbrabant, inter alias maculas, inſimulati ſunt inſaniæ. Sic ille ab Eliſæo ſubmiſſus ad Iehu 4. Reg. 9. poſt perbreue arcanum cũ ipſo colloquium, digrediẽs, eo Scõmate per commilitiones Ieſu eſt laceſſitus; *Quid venit inſanus iſte ad te?* Monſtrat itẽ Sanc. 4. Reg. 2. eodẽ recidere conuitium intortũ in Eliſæum, cũ à pueris paternas voces domi exceptas referentibus, *calnus* eſt appellatus. Quod in eo Religioſorum typo factum eſt, in ipſis Religioſis locum frequenter iam olim habuit Rutilius enim Numatianus, Ethnicus Poëta l. 1. Itiner deſcribens iter ſuum, hac infamia reſperſit Monachos Inſulæ Caprariæ, ſic ſcribens.

Proceſſu pelagi, iam ſe Capraria tollit,
Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe Monachos Graio cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo viuere teſte velint.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.
Quiſnam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quænam peruerſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Siue ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,

SECT. IV. PVNT. IV. §. II. *Maledictiones variæ, in Religioſos intorta.*

Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimia bilis morbum aſſignauit Homerus,
Bellerophonteis ſollicitudinibus.
Nam iuueni offenſo ſummi poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

Erant hi Monachi Capraria inſulæ, ſerui Dei probatiſſimi, ad quos extat S. Auguſtini Epiſtola 81. Et tamen à malè ſano Rutilio, habiti ſunt emotæ mentis & inſani.

Nimbus iſte peruerſi iudicij, detonnit præſertim in S. Paulini caput cum abiecto culmine gradus quem tenebat in Republica, opibus item quibus abundabat nihili factis, illiſit ſeculo calces, & Monachum induit. Carnalibus enim hominibus, in ſuſpicionem venit emotæ mentis, vt in eius vita 2. p. narrat Sachinus. Nominatim verò Auſonius, homo quidem Chriſtianus, ſed iis Chriſtiano parum congruentibus moribus, vt fuerint qui de eius Chriſtianitate dubitarent, S. Paulino, *mentis errorem*, hoc eſt inſaniam impegit, ob illud factum. Et latius quoque diffudit maledictum. Nam omnes qui idem quod Paulinus præſtarent, æquè habuit pro inſanis, quibus mens verſa in feritatem eſſet, vt Bellerophontea animi agitatione laborarent, vt habetur ex ipſo S. Paulino Epiſt. 4. ad Auſon. ſannas eius depellente, ſic præter cætera.

Non etenim mihi mens vaga, ſed neque participantum
Vita fugax hominum, Lycia quâ ſcribis in antris
Pegazeum vixiſſe equitem, licet auia multi
Numine agente colant, clari velut ante Sophorum
Pro ſtudiis, Muſiſque ſuis, vt nunc quoque caſtis
Qui Chriſtum ſumpſere animis, agitare frequentant:
Non mores animi neque de feritate legentes
Deſertis habitare locis, ſed in ardua verſi
Sydera, ſpectantéſque Deum, veríque profunda
Proſpicere intenti, de vanis libera curis,
Otia amant; ſtrepitúſque fori, rerúmque tumultus.
Cunctáque diuinis inimica negotia donis,
Et Chriſti imperiis, & amore ſalutis abhorrent.

Cum hiſce ſeruis Dei verè ſapientibus, ab humano die iudicari ac emotæ mentis haberi, nihili ducebat S. Paulinus, ſic conteſtatus Auſonium, ſuum (vt vocat) parentem, hoc eſt Magiſtrum, ſapientior diſcipulus.

Non reor id ſano ſic diſplicuiſſe parenti,
Mentis vt errorem credat, ſic viuere Chriſto
Vt Chriſtus ſanxit. Iuuat hoc, nec pœnitet huius
Erroris. Stultus diuerſa ſequentibus eſſe
Nil moror, æterno mea dum ſententia Regi
Sit ſapiens. Breue quicquid homo eſt, vt corporis ægri
Temporis occidui, & ſine Chriſto puluis & vmbra.
Quod probat aut damnat, tanti eſt quanti, arbiter ipſe.
Ipſe abit, atque illi ſuus eſt comitabilis error,
Cúmque ſuo moriens ſententia iudice tranſit.

Adeundus præterea in hanc rem S. Paulinus, ſanum ſeruorum Dei conſilium in ſeculo calcando aſtruens, & contrarium fatuum ſenſum exagitans Epiſt. 6. ad Seuerum, & prima ad Aprum. Nimirum carneis hominibus, & terrena ſapientibus, verè animalibus non percipientibus quæ ſunt ſpiritus Dei, ad deliramentum pertinet opes abiicere, honores deſpuere, ſeipſum abnegare; quæ vulgus magni facit, vt ſtercora ducere.

Pertinet ad hanc ſeriem maledictionum in Religioſos, quòd tametſi ortu nobiles, eo ipſo tamen quod Religioni ſe mancipant, habeantur ignobiles. Hoc erat vile iudicium mundanorum de Religioſis tempore Saluiani, vt ipſe his verbis prodit. [Iam verò, illud quale, quàm tantum, quod ſi quis ex nobilibus conuerti ad Deum cœperit, ſtatim honorem nobilitatis amittit. Aut quantus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, vbi Religio ignobilem facit? Statim enim vt quis melior eſſe tentauerit, deterioris abiectione calcatur; ac per hoc omnes quodammodò mali eſſe coguntur, ne viles habeantur. Et ideò non ſine cauſa Apoſtolus clamat, *ſeculum totum in malo poſitum eſt*. Et verum eſt. Merito enim totum eſſe in malo dicitur; vbi boni locum habere non poſſunt. Siquidem ita totum iniquitatibus plenum eſt, vt aut mali ſint qui ſunt; aut qui boni ſunt malorum perſecutione breuiantur. Itaque ſicut diximus, ſi honoratior quiſpiam Religioni ſe applicauerit, illicò honoratus eſſe deſiſtit. Vbi enim quis mutauerit veſtem, mutat protinus dignitatem. Si fuerit ſublimis, fit deſpicabilis, ſi fuerit ſplendidiſſimus, fit viliſſimus. Si fuerit totus honoris, fit totus iniuriæ.] Fuerunt in ea ſententia, de eius qui Religionem init, deiectione è ſtatu nobilitatis, multi Iuriſperiti, quos ſignat Tiraquellus c. 26. n. 1. in opere de nobilitate. Meliùs alij ab eodem Tiraquello annotati à n. 3. affirmant, ſaluam eſſe, Religionem ineunti, nobilitatem, tantumque excidere titulis nobilibus, vt Ducatus, Marchionatus, ac ſimilibus.

§. II.

Maledicta in Religioſos intorta, verbis aſperis.

A Vili opinione interna, ferè fit progreſſio ad vilipenſionem externam per verba; ſiue contumelioſa, ſiue detractoria, quorum fœcunda ſemper fuere ora ſecularium in Religioſos. Ac primum conſequenter ad ſenſum internum vilem, de quo proximè, frequenter Religioſi dicti ſunt fatuari & inſanire. Eáque lutulenta aſpergine, apud ethnicos reſpergebantur plerunque Philoſophi noſtris Religioſis proportionales, in ethniciſmo, vt notatum eſt in Tractatione de virtutibus l. 3. n. 214. & l. 4. nu. 415. & diſertè tradit Seneca in opere de vita beata cap. 27. necnon Iulianus Apoſtata orat. 6. cum deſcribit quæ adoleſcentibus à philoſophis abducendis, inſuſurrari ſolerent, de probris in Philoſophos intorqueri ſolitis.

Pari linguæ procacitate, Religioſi ſæpenumero appetiti ſunt. Ac primum non rarò dicti ſunt ignaui ac deſides. Quam maculam Sancto Paulino iuſtam ſibi fuiſſe ob receſſionem à ſeculo; teſtatur in fronte Epiſtolæ tertiæ ad Auſonium. Sed rectè eam labem à ſe amolitus eſt Sanctus Paulinus, cui ſuffragatores acceſſerunt qui eius conſilium magnis præconiis extulerunt: Sanctus Ambroſius Epiſtol. 30. Sanctus Hieronymus Epiſtol. 13. Sanctus Auguſtinus Epiſtol. 32. 34. 65. 260. Sanctus Gregorius 3. dial. capit. 1. & 2. Magnus, Proſper, (aut quiſquis alius autor operis de vita contemplatiua lib. 1. cap. 9.) Gregorius de glor. conf. cap. 107. Turonenſis. Hæc Eccleſiæ lumina longè aliter de ſancto otio S. Paulini, déque receſſione à ſeculi tumultu ad vacandum Deo pronunciarunt, quàm illi alij qui carnis ſunt ſapientes, à quibus ea ſegregatio tributa eſt deſidiæ. Paſſim alij eiuſdem furfuris, Religioſos eadem calumniæ grauant

grauant, ob mendicationẽ, non alio loco habentes Religioſos mendicãtes, quam eſſent olim apud ſapientes, illi inertes Chriſtiani, quos S. Chriſoſtomus, ho.6.&c.4.5.Græc.5.17. Ethnicis ludibria fuiſſe teſtatur, dicto que ab eis χρισεμπορίζ. Eoſdẽ validè exagitat in illud 1.ad Theſſalo. *Obſecramus, operemini manibus veſtris.* Theodoſium lege lata hæc valentia mendicabula coërcuiſſe, notauit Baronius anno 382. Alia item iura contra eos lata, aceruat Scortia, theat. 218. expendens conſtitutionem Pij V. aduerſùs mendicantes intra Eccleſiam. Adduxẽt itẽ cõtra has Reipublicæ peſtes, nonnulla, Ripa tractans remedia à peſte præſeruantia, & Petrus Gregorius.l.15.c.2.& Agit in hanc inertem mendicitatem, S. Thomas non vno loco. quod l.7. ait 17.& 18.& 22.q.187.art.5.& opuſc.19.c 8. Huius apud omnes peſſimè audientis otioſitatis, damnat Religioſos, Leunclauius, *Sectarius*, appellatus, V. Billum ad Iamb. 15. Naz. num. 18. idcirco eos, *ventres pigros, & porcos ad ſaginam.* Sed & Vvicleffus acriter hinc concitatur in Religioſos, ex hoc fundamento inferens neceſſitatem operis manuum, vt apud Bellarminum l.de monach.c 41. videre eſt. Præiueratque Gulielmus de S.Amore iuratus Religioſorum mendicantium aduerſarius, vt eſt apud Cantipratanum, l.1.c. 10.à 7.& Alfonſum de Caſtro V. *Labor*, ac Sixtum Senenſem.l.6.annot.317. Verſatus eſt in hoc argumento diſcutiendo S.Bonauentura, A.de pauper.Chriſti.q.2.agens contra Gulielmum de S. Amore, & reſpondens quæſtionibus Fratris innominati. Iam olim quoquẽ, S. Auguſtinus, de opere Monachorum librum vulgauit. Ex horum porrò Doctorum ſcriptis patet, cum per alias magis ſerias occupationes licet, laudabile eſſe Religioſo, inſiſtere operi manuum, non ſolùm ad declinandum otium, ſed etiam ad vendenda opificia, victumque inde abſque cuiuſquam grauationẽ parandum; quod factum à Monachis & Anachoretis, ſæpè legimus in vitis Patrum. Sed & ad ſubleuationem egentium, iuxta Apoſtoli Epheſ. 4. monitum. Videndus Hipparchus §. 6. de Religioſo negotiatore. Semper tamen ſaluum eſſe debet Religioſis, (quippè voluntariè pauperibus,) ius colligendi mendicato, quæ ſunt ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria; adhibita ea temperatione quam prudentiæ leges præſcribunt, & ordinata charitas poſtulat. Quibus omnibus ſeruatis, grunnitus murmurantium contra Euangelicam mendicationem ceſſabunt, aut deſpiciendi erunt; præſertim quatenus nituntur otioſitate Religioſorum, quæ illis per meram calumniam affingitur.

Dicuntur præterea ſæpenumerò Religioſi, laborare auaritiæ lepra, eſſeque obnoxij ei probro, quod ſpiritus ſanctus Eccleſ. 4. intorſit in illum malè cordatum, qui vnus eſt & ſecundum non habet; nec tamen ceſſat ſatagere pro augendis fluxis opibus. Hæc tetra nota, multis Religioſis illinitur, ſiue ob importunam & ſecularibus plerunque grauem procacitatem, ſiue ob ſordes negotiationum; quales in aliquibus nomine tenus Religioſis improbat Saluianus l. 1. de prouid. initio dicens, eos *improbiſſimis quæſtibus vindicaſſe nomen Religionis, & pretuliſſe ad ſordidiſſimas negotiationes nomen Sanctitatis.* Exagitat quoque alioquorum Religioſorum auaritiam, falsò creditus Cyprianus l.de oper. Chriſ. Cardin. reuera Analdus bonæ Vallis. Erubeſco vel referre, Eunapium hominem Ethnicum, illiuiſſe chartis probrum illud raſorum atque nigrorum (ita Monachos deſcribit) quos ait, ſalita capita, hoc eſt Sanctorum reliquias, vicatim circumtuliſſe lucri gratia. Nec diffiteri licet, aliquos ſpecie externa Religioſos, ex auaritia ementitos eſſe ſacras reliquias, res merè profanas obtrudendo pro pignoribus ſanctorum. De qua turpilucrorum deteſtanda fœditate, videndus Hipparchus excutiens Religioſum Negotiatorem. §.4. Tandem adeò exploratum eſt, Religioſos obnoxios eſſe auaritiæ, vt etiam Caſſianus lib. 7. in illis æui ſui Monachis adeò accuratis, adeóque tenacibus ſacrorum inſtitutorum, eam labem notauerit, & plena lucubratione exagitauerit. Nec in Monachis tantùm, habere locum poſſe eam peſtem, ſed quod monſtroſius videri poſſit, Moniales quoque occupaſſe, S. Auguſtinus l.de bono viduit. c.21. notauit. Et rationem addidit, cur in his præſertim extimeſcenda ſit auaritia: quòd cum è tribus canalibus per quæ exonerare ſe poſſit natura corrupta; (nimirum concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ;) duo extremi in Parthenonibus non ſint periculoſi; Quæ enim in fimeto, (cuiuſmodi eſt Religioſa domus,) cerni poſſit ſuperbia vitæ? Concupiſcentia item carnis, per lupatum votorum cum belluinam affectum infrœnantium, & ſepta murorum coërcetur ne erumpat. Timendum duntaxat ſit, à concupiſcentia oculorum, ſiue ab auaritia. Quæ ratiocinatio tametſi pro marium quoque cœnobiis vrgere videtur, tamen multo plus valet pro Parthenonibus, in quibus infirmitas iudicij eſt multo manifeſtior, & auaritia, ſexus vitio, multo magis inualeſcit. (Nam ſexum fœmineum, præ maſculino laborare auaritia, Tiraquellus l. 9. connub. à num. 43. diffuſè proſequitur.) Nec tantùm negotiationi dant operam, (quę labes viros quoque inquinat,) ſed non rarò negotiationem exercent cum Simonia. Apage fœditatem execrandam. Ex eodem cœnoſo fonte auaritiæ in Religioſis, profluit turpitudo hæredipetarum, contra quam extant in Codice Theodoſij lib.20.de Eccleſ.& Cleric. edicta Valentiani, & aliorum Auguſtorum, nec non Conſtitutio, ne præter cœteros Monachi, à mulieribus poſſent accipere hæreditates, vel legata, aut alias donationes; eo quòd Monachorum auaritia, viduis locupletibus inſidiaretur. Et quòd lex præter morem promulgata eſſet in Eccleſiis, non malè coniectat Baronius anno Chriſti 370. legem illam ab Imperatore latam eſſe, poſtulatu Damaſi, & per ſecularẽ quoque poteſtatẽ, coërcitas eſſe ſordes Monachorum ac Clericorum, circumuenientium ſexum imbecilliorem. Nec referẽtes hanc legem S. Ambroſius ſerm.7.& Epiſ.31.& S.Hieronymus, Epiſto. ad Nepot. & epiſt. 3. ac 22. expoſtulant de legis iniquitate: ſed falſi inualuiſſe quæſtuariorum Monachorum auaritiam, dolent tãtùm, quòd data eſſet cauſa ferendæ illius legis. Et quamuis Pius Imperator Marcianus, Nexel.tit. 5.& eum imitatus Iuſtinianus, l. generali c. de Epiſc. & cleric. poſtea antiquarunt hanc legem tanquam ſacro ordini probroſam, tamen, quin lex lata fuerit, nec abſque fundamento, nominatim per turpilucros Monachos dato, diffiteri non licet. Nunc pleriſque locis interdictum Valentiani reuixit, nec abſque amplificatione. Dolendum igitur eſt, non ſemper falsò, Religioſos audiſſe, ac etiamnum audire auaros: Quanquam quod ſancta inſtituta ſemper reclamarint, nec vnquam deſint qui perſtent in ſacris familiis ab illis ſordibus immunes, vitium paucorum non eſt trahendum in diſpendium famæ bonorum, quibus exoſæ ſunt omnes ſordes propoſitæ, & nominatim negotiatio, quippè adamantibus eam duntaxat negotiationem, quam S.Bernardus, tractans quinque negotiationes in regione ſecunda, Religioſis conſectandam præſcribit.

SECT. IV. PVNC. IV. §. II. *Maledictiones varia, in Religioſos inuecta.*

SECT. IV. PVNC. IV. §. III. *Maledictiones varia, in Religioſos intorta.*

Dicuntur inſuper Religioſi, typho turgere, & per ſuperbiam efferri: quod prodit in aliquibus appetitio cathedræ honoris, & in pleriſque oſtentatio Pharitaica rerum ſuarum, etiam cuſis falſis Indicibus ſuorum ſanctorum, vel ſcriptorum. Sunt qui ordinis ſui ſupra alios ordines primatum ſtabilire affectant: Et de præcedentiis (vt vocant), ſunt ſollicitiſſimi. Nonnulli in eum finem, ordinis primordia accerſunt a ſeculis quæ fuerunt ante Chriſtum, nec abſque riſu eorum quorum non intereſt, fabricant Religioſi ordinis Ideam, nullo innixam fundamento autoritatis, aut rationis; ſed pro ſolius ſuæ imaginationis ductu; cui vt lenocinentur; negant Chriſtum fuiſſe Religioſi ſtatus propriè dicti plantatorem, & conſiliorum Euangelicorum voto firmatorum præceptorem, contra ſenſum omnium retrò Sanctorum Patrum. Beatam item Virginem, quæ ad hanc vſque ætatem celebrata fuerat virginitatis primiceria, eo quod prima votum virginitatis emiſiſſet, deiiciunt de ea poſſeſſione, & omnibus retrò Doctoribus illud eius decus buccinantibus, mentitionem impingunt. Tantum potest cœcus amor primatus, & Ordinis ab antiquitate ſupra omnes alios celebratio. Hæc & alia de Religioſis dici non eo inficias. Et eſſe in aliquibus, fundamentum audiendi ſuperbos, per vanitatem illam oſtendit, quæ non fecimus ipſi, & idei.co via noſtra vocantur, libens admitto. Attamen non eſt hæc labes omnium, atque adeò nomen Religioſum, non poteſt ex paucorum exerratione reſpergi infamia, & inſimulari ſuperbiæ. Quin potius ex factis humilibus innumerorum Religioſorum, Chriſto autori humilitatis, repreſſori tumoris, vt S. Auguſtinus l. 74. de tempo. c. 7. dixit ſumma ſollicitudine & accuratione inhærentium, diſcunt ſanctam ſuperbiam, in eo ſitam, ne quis vitiis ſubeſſe velit, ac nominatim elationi humanæ: Doctrina eſt Euſebij Gallicani in Exhortat. contra omnia vitia.

Dicuntur prætera Religioſi captatores nouitatum. Sic vocati ſunt Simeon Stylites, & Carthuſiani, cum primum innotuerunt. Sed nouationem quidem Simeonis, Patres qui tunc in eremo erant præcipui, habuere ratam, ex demiſſione animi in Simeone: & ex ea ad obediendum voluntate perſpexerunt, eum non ex ſpiritu vanitatis nec ſuperbiæ, ſed diuino inſtinctu ductum, induxiſſe nouum illum viuum vt narrat Theodoretus; Nouitatem verò Carthuſianorum, purgauit qui eam retulit Gulielmus Abbas Sancti Theodorici, nec indiligenter præterita eſt in Tractatione de Sancto Brunone, Stylita myſtico. Inferius verò excutiam quæ ſpecialiter aliquibus Religioſis apponuntur quoad doctrinæ nouitatem.

Dicuntur item Religioſi, ſeductores. Hanc fuiſſe iam tempore Origenis, oblocutionem de Religioſis, eo quod adoleſcentes ingenio ſo ad ſe pellicerent, apud eum hom. 3. in Exod. legimus. Sed maximè ea infamia flagrauit. S. Stephanus Iunior, vt eſt apud S. Nicephorum Conſtantinopolitanum in hiſtoria ad annum 766. Ait enim de Iconomachis Copronymo obnoxiis; [Poſt hæc, Stephanum quendam comprehendunt, virum ſanctum & Religioſum, habitu Monachum, atque anguſto tuguriolo incluſum ad radices montis maximi quem vulgo *S. Auxentij* nominant. Hunc igitur ſacrilegi homines impietatis accuſant, quod multos reciperet, quos ſcilicet ad huius vitæ gloriam condemnendam impelleret, eoque adduceret, vt domo ſua, cognatis, ac Principum palatiis relictis, ſe ſe ad Monaſticum vitæ genus transferrent.]

Eadem ex cauſa, vxor Arduini quem S. Romualdus ad ſeculi abiectionem aptauerat, virum illum ſanctiſſimum appellauit *Seductorem antiquum*, vt narrat Petrus Damiani in Romualdo cap. 59. ſed mox miſera fœmina in furorem verſa, nec niſi particula panis à S. Romualdo benedicti curata, men em mutauit, & ſancto Romualdo encomia pro maledictione pauxit, viroque conuerſionis poteſtatem fecit. S. Bernardum eadem labe dehoneſtatū, occaſione Roberti ad Claræuallen es digreſſi, ipſemet ſcribit epiſto. 252. Qui item alibi. l. 2. de conſi. c. 1. ob exitum infelicem expeditionis in terram ſanctam, cuius incentor fuerat, dictum ſe eſſe ſeductorem, modeſte expoſtulat. De pio Abbate, nominato ſeductore, ob exceptum aliquoties in ſuo cœnobio S. Pontianum, mentio eſt apud Gregorium Turonenſem c. 5. in vitis Patrum. Rhenanus, lib. 2. rerum Germanic. ſolo nominis cortice Beatus, ſeductionis ac implanationis locupletum adoleſcentum inſimulat Monachos, qui eos veluti piſces in naſſam concluſos, ad ſe traherent. Indeque ait, extitiſſe legem Francicam, ne liceret inconſulto Principe ſe addicere monaſterio. Eſt quod ſerui Dei, cum dicuntur *Seductores*, Solentur ſe ſe, ſimili nomenclatione Chriſto tributa, cum dictum eſt de eo, ſeductor ille dixit, adhuc viuens. Monitum eſt S. Auguſtini in pſal. 63.

Dicuntur præterea Religioſi, rudes literarum, atque indocti, ita vt non puduerit Ioannem Alexandrum Braſſianum *tit. Imperitia* in Farragine Adagiorum, tanquam prouerbiale effatum recenſere, illud, *Monacho indoctior*, cuius gloſſam prepudio ſam quæ ibidem habetur, abſit vt his chartis illitam velim. Et eſt probrum reiectu indignum, ſa is ſuperque depulſum per Indices ſcriptorum ex quocunque fere Religioſo ordine.

Dicuntur adhuc Religioſi, homicidæ ſui ipſorum. Magdeburgenſes ſane apud Harpſeldium, dialo. 2. c. 15. omnes veteres Monachos homicidij reos agunt, ob ſummam inediam, iuges propè vigilias, & alios monaſticos labores. Cartuſiani à Iacobitis (quid hæc vox in Gallia ferat, neminem latet), dicti ſunt propriæ vitæ inſidiatores, eo quod ſi per ægritudinem ad extrema deducantur, malint vitæ ſtamen à morbo ſuccidi, quàm iuſculo è carnibus, fugientem animam ſiſtere. Defendit tamen Carthuſianos, integra lucubratione, Arnaldus Vilanouatius, & nos planè in S. Brunone, punc. 7. §. 73. Stylita myſtico.

Dicuntur è contrario ab aliis, Religioſis, plus iuſto fouere carnem ſuam, ex nimis anxia tuendæ ſanitatis aut vitæ producendæ ſollicitudine. Eiuſmodi erant illi apud S. Bernardum, S. 30. in Cant. ſic eos affantem. [Quid prodeſt temperare à voluptatibus, & inueſtigandis diuerſitatibus complexionum, earumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina (inques), ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt, melancholiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni non congruunt.] Hæc illorum molliculorum & carneorum, pro fouenda carne anxietas, à S. Bernardo exagitata quod ſe Monachos deberent meminiſſe non Medicos; nec attendere ad complexioné debere, ſed ad profeſſionem; Secus ſe gerentes, quieté ſuā turbare, labore miniſtrantes premere, domum grauare, conſcientias fratrū lauciare. Et cū aliqui ſibi abblandirētur prolato Apoſtolo,

Apoſtolo, qui Timotheo præceperat vti vino propter ſtomachum, ſubdit S. Bernardus; Timotheum fuiſſe naſcenti tunc Eccleſiæ perneceſſarium, & meritò ab Apoſtolo peculiari prouidentia teneræ vitæ curatum. [Da mihi alterum Timotheum, & cibo eum auro, & potu balſamo.] Cæterum (vt præmiſerat) qui ipſius Pauli imitator fuerit, non faciet animam ſuam pretioſiorem quam ſe perdendo animam corpoream ſalubriter, non ſtoica ſtaminis vitæ ſuccißione, ſed mortificatione membrorum quæ ſunt ſuper terram. Auerſans ciborum obſeruatores, morum neglectores, quibus caro & ſanguis reuelauit non Hippocratis aut Galeni ſequaces eſſe, ſed Chriſti & Apoſtolorum prudentiùs perdentium cum debita temperatione vitam corpoream vt cuſtodiant quàm cuſtodientium vt perdant, vt contra paucos hac in parte peccantes, dixerit eodem loco ſanctus Bernardus.

Dicuntur præterea (quod probroſius eſt) deliciari & geniis indulgere. Ita criminatur Monachos diues mundanus apud Nazianzenum carmine ad fictos Monachos, adducens pro criminationis fundamento, quod haberent ad domunculas ſuas, hortum, & fontem, & locum auræ puræ opportunum. Depellit ibi breuiter has nugas Theologus, & efficaciſſimè idem præſtant innumeræ Religioſorum aſperitates quas ſigillatim recenſet carmine ad Hellenium, præter alias poſtea excogitatas de quibus ſuperius. Negare tamen non licet, (vt ſpina etiam in vinea reperitur, iuxta eiuſdem Nazianzeni adagium) quin aliqui Cluniacenſes tempore S. Bernardi, in Apol. ad Guhel. Abb. c. 7. & 8. probro quod hic à probatis Religioſis depellimus, obnoxij fuerint, carnibus quidem abſtinentes dum valebant, cæterum in alias cupedias intentiſſimi, grandia piſcium corpora duplicantes, oua autem verſantes & vexantes multifariam multiſque modis eum, ſubuertuntur, liquantur, diminuuntur; & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa; nunc mixtim, nunc ſigillatim apponuntur. De vini condimentis, immiſſo melle, & pigmentorum reſperſi pulueribus, conſequenter meminit S. Bernardus. Et hanc paucorum exerrationem à carnis mortificatione omnibus bonis Religioſis propoſita alienam, non minùs quàm baculi per aliquos geſtationem, ad mentiendam inualetudinem & veſcendum carnibus, ſapientibus exoſam atque improbatam, & acriter ibidem à S. Bernardo, indignum eſt affricare cæteris. Sed hæc admodùm antiqua ſunt, & exoleuiſſe videri poſſunt. Nuperrimè, neſcio quas delicias ſomniauerit Thomas Hurtado Buccaferreus, reſolut. Orthod. dicens Miſſas Euangelicas Societatis Ieſu, ad Sinas, Iaponios, & oras confines, in deliciis & commodè viuere, ideóque minùs coli & amari à Paganis, quàm Patres S. Franciſci & S. Dominici, qui nudi, excalceati, pauperes, ac pœnitentes, diſſeminant verbum Dei. Qui Hurtadum Buccaferreum norunt, non mirantur talia affingi ab eo Miſſis Euangelicis Societatis Ieſu, habentibus perpetuò animas ſuas in manibus ſuis; quorum plena agmina crudeliſſimis mortis generibus prædicationes ſuas obſignarunt. At conſtat, vitam in deliciis & commodè traductam, non eſſe aptationem conuenientem ad martyrium, cui Deus ſoleat rependere tantum decus, quantum eſt in mortis perpeſſione pro Chriſto. Itaque vel duntaxat retuliſſe, hæc commenta à Thoma Hurtado hoſte Ieſuitarum, diſſeminata eſſe, confutaſſe eſt.

Dicuntur item Religioſi, Reipublicæ peſtes, & publicæ tranquillitatis euerſores S. Stephanus iunior, & alij pij Monachi ſacrarum imaginum aduersùs Capronymi furorem propugnatores, hoc probro ſunt reſperſi, vt in S. Stephani Actis legere eſt. Eodemque verbere ſæpe pulſatus eſt S. Monachus & Martyr Maximus, vt legitur in Anaſtaſij Collectaneis. Flagrarunt eadem infamia alij multi Religioſi. Et iam olim inter Ethnicos, Philoſophi qui erant aliquatenus Religioſis noſtris proportionales, eiuſdem labis ſunt inſimulati, vt memini in Tractatione de virtutibus. l. 4. & 421. Nec mirum, viros vt ea ferebant tempora, ſapientes ac probos, cum omni alia fœdorum conuitiorum illuuie re pergi ſolitos, vt eſt apud Senecam, Epiſto. 73. & l. de vita beata c. 17. & Iulianum Apoſtatam, orat. 6. tum hoc nominatim, turbatæ politiæ; qua in parte mundanam poteſtatem eſſe teneriſſimam, & ſuſpicioſiſſimam, eſt in confeſſo.

SECT. IV. PVNC. IV. §. III.

Maledictiones variæ, in Religioſos iniectæ.

Ad omnes propoſitas verborum ſordes, & ſi quæ ſunt aliæ, quibus Religioſi homines dehoneſtari à maleuolis ſolent, robur & æs triplex circa pectus gerens Dei ſeruus, conſcientiæ ſuæ teſtimonium, & Dei integerrimi arbitri iudicium, dicat cum Nazianzeno orat. 14. num. 15. qui & ipſe Monachus erat. [Non mihi mœrorem afferunt prauæ linguæ, quod ſuum eſt facientes, malè videlicet loquentes; quoniam benè loqui non didicerunt *&c.* Non item mel vel laudatores vel vituperatores immutabunt, (quemadmodùm qui cœno vnguentum, aut vnguento cœnum admiſcent, ac permiſtionem qualitates confundunt,) vt maledicos ſermones tanquam à meipſo mutatus, grauiter & iniquo animo feram. Nam alioqui multas pecunias, laudantibus numerarem, ſi me laudando meliorem efficerent. Verum aliter ſe res habet. Quod enim ſum, hoc maneo, ſiue maledictis afficiar, ſiue laudibus in cœlum ferar. Homo autem verbis nitat vt inquit Iob. Ac quantum petram ſpuma, aut pinum vel aliquam aliam denſam & proceram arborem auræ, tantum me linguæ circumfluunt. Ac ſimul huiuſmodi quiddam mecum commentor. Si falſa obiicit accuſator, non me magis quam eum qui loquitur hæc oratio attingat, etiamſi me nominatim conuitiis petat. Si vera, me ipſum potiùs quàm eum qui loquitur accuſabo. (A me enim illi ſermonis materia ſubminiſtratur; non autem illius ſermo cauſa eſt cur talis ſim,) ac vocibus prætteritis, vt quæ nihil ſunt, mei ipſius obſeruator ero. Hoc vnum ex eorum improbitate commodi capiens, vt cautiùs vitam inſtituam. Tertium autem in quo etiam maximum aliquid æquè inprimis magnificum habet hæc maledicentia, iſtud eſt, quod vnà cum Deo maledictis impetimur. Iidem enim & Deitatem reiiciunt, & eum qui de Deo diſſerit, contumeliis afficiunt. Quare nihil horum graue ac moleſtum eſt, tametſi id plerique exiſtiment.] Hoc Religioſus quiſque de ſe ipſo profitetur; præſertim cum ab hæreticis, aut ab Atheis clancularijs quibus nunc orbis ſcatet, maledictis impetitur. Inſignis item in hanc rem eſt B. Auguſtini Epiſto. 136. Epiſtola ad Felicem & Hilarium, maledicorum vaniloquiis exagitatos, quos multipliciter ſolatur, ſed eo nominatim pronunciato. [Quid mirum ſi homines ſeruis Dei detrahunt; & qui eorum vitam peruertere non poſſunt, famam decolorare conantur, cum ipſum Deum & Dominum eorum quotidie blaphemare non ceſſent, cum eis diſplicet quicquid contra eorum voluntatem, iuſto & occulto iudicio facit?] Profecit ex S. Cypriano, Epiſto. 52. qui decolorationem ſeruorum Dei, ad malignitatem refert,

SECT. IV. PVNC. IV. §. III. *Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.*

refert, inualidam eos ad malum pertrahere. Ex vtroque autem, profecit S. Gregorius. l. 2. indict. 10. epiſto. 23.

§. III.

Maledictiones reales ſiue per facta.

INſectationem Religioſorum per verba aſpera atque conuitia, Saluianus l. 8. de prou. pag. 288. nexuit inſectationi per facta, quæ dici poteſt *maledictio realis*, præ mentali, & verbali de quibus hactenus. Pertinet verò ad hanc ſeriem, in primis inuolatio in res Religioſorum, direptis eorum domibus, aut ſacrariis, aut prædiis. Tum molitio imminutionis ordinum, per auerſos à cœtibus ineundis qui id cogitabant; ſiue mordendo non in ſibilo, ſiue vi per leges ſacrilegas lata. Item hæc refertur vis in ipſas Religioſas perſonas; exilio, carcere, cæde occulta, aut aperta, multatas; & denique obiectus offendiculorum ad quæ impingant & miſerè pereant. Omnibus his modis ſuſtinere vexationem Religioſi.

Inuolare in res Religioſorum, frequens iam olim maleficium fuit. Ioannes Fileſacus querelam Eccleſiæ Gallicanæ, lugendis hiſce prædictionibus inſeruit. Magna ſiquidem pars bonorum quæ ibi inuaſa referuntur, ſpectabat ad Monachos. Bibliotheca Floriacenſis, ſcatet huiuſmodi graſſationibus ſacrilegis. Retuli ipſe quoque non paucas in Opere l. 1. ſect. 1. à c. 2. cui titulus *Mala bonorum Eccleſiæ*; nec reticui iram Dei in huiuſmodi expilatores. Quos inter peſſimè ſemper audiit anterioribus ſeculis Carolus Martellus: tametſi Iacobus Sirmondus, de honore nationis ſollicitiſſimus, nitentem præſtare ſategit, ſaltem vt eum de pœnis inferni ſubduceret, contra reuelationem ex S. Eucherio Aurelianenſi iactatam, quam item Sirmondus falſiloquij notare non dubitauit, pertraxitque in eandem ſententiam Baronium, qui cum agebat quam familiariter, & Bollandum, 20. Febr. qui ſe eidem commercio literarum coniunctiſſimum profitetur. Sed fruſtra tanta eſt obſecratio liquidiſſimæ veritatis, vt dictum eſt in prædicta noſtra lucubratione de malis bonorum Eccleſiæ l. 1. ſ. 1 c. 7. n. 5.

Alia realis ſiue factorum violatio, eſt quæ obſtatur cogitantibus inire religioſum ſtatum. Multi hoc in genere peccarunt cum S. Paulinus nuncium ſeculo remiſit, vt legere eſt apud S. Ambroſium epiſto. 36. qui generoſum Paulini & coniugis eius Teraſiæ factum, aduerſùs profanorum crocitatus tuetur, & ſummoperè collaudat. Altè gemuit pro hac aliquorum Chriſtianorum noxa, S. Chryſoſtomus initio operis aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ, quod in tres libros diſtinxit. In primo generatim proſequitur quæcunque paſſim iactari ſolent ad affundendam frigidam capeſcentibus religioſum ſtatum. Et quia hic aries pietatis, potiſſimum à parentibus ſolet admoueri; poſtea in ſecundo libro aggreditur Patrem Ethnicum; & quam beatius futurum ſit eius filio inter Monachos quam in ſeculo, ingenioſiſſimè confirmat: non ex ſcripturis ſacris quas homo Gentilis reſpueret, in quo agendi modo cum Demetriano Ethnico, S. Cyprianum reprehendit Lactantius, l. 5. cap. 4.) ſ[illegible] mera ratione naturali, ſoliſque huius vitæ bonis expenſis, quæ ſola hominem Ethnicum per[illegible] poſſe ſupponit. Tandem verò librum tertium [illegible]pendit in admonendo circa hoc Patre Chriſtiano; & omnibus in contrarium officiis depulſis, fuſe docet quanti pater facere debeat, habere filium inter Monachos conſcriptum; quantaque obligatione vrgeatur filium non dimouere ab eo ſancto propoſito. Et cum mirandum eſſe fateatur, initio libri ſecundi, quod aliqui Chriſtiani filios à conſilio ineundi Religioſam vitam auocare cogitent, quod verò parentes id non extimeſcant cogitare, mirandum ſupra modum decernit. [Qui genuerunt (inquit) qui educauerunt, qui diebus ſingulis natos ſuos proficere, ſibique ipſis & ad virtutem & ad gloriam præcellere & cupiunt & optant; qui propterea cuncta & patiuntur & faciunt, eos quadam veluti ebrietate correptos repente mutari, angique, ac dolere vehementius, cum ab ſe liberi ad philoſophiam abducuntur, hoc profectò eſt quod vnum omnium ego maximè admiror; quodque omnia iam corrupta ſint & perdita, ſatis firmum & validum argumentum eſſe duco. Hoc enim prioribus temporibus vnquam contigiſſe, nemo eſt qui poſſit dicere; ne tum quidem, cum latè dominaretur error.] In hunc ergo tam ſibi ſuſpiciendum errorem, incumbit toto libro tertio dicti operis S. Chryſoſtomus. Eſt etiam de hoc argumento luculenta diſſertatio Petri Damiani Opuſc. 19. & 20. qua obſtantes ſuo ad monaſterium regreſſui validè repellit: quæ ad hoc negotium facilè trahi poteſt. Expertus hac in parte eſt, fratrum ſuorum ſecundum carnem, induſtriam, malignitatem, S. Thomas Aquinas. Nam vt narrat Thomas Cantipratanus l. 1. Apum c. 21. n. 10. illius temporis ſcriptor, extorſerunt à Pontifice fortè mandatum, vt in ſeculo hæreret, Abbatiæque Caſſinenſis adminiſtrationem ſuſciperet. Tum furtim abreptum & in carcerem detruſum, vltra biennium in cuſtodia detentum, frigore, inedia, & omnium rerum penuria maceratum. Etiam, (proh ſcelus!) ſubmiſſo in carcerem illum proſtibulo, tentarunt, in pedicas impudicitiæ conricere ſanctum iuuenem, vt violato grauiter numine, vocatio diuina euaneſceret. Qua in parte ſtultè laborabant S. Thomæ fratres ac cognati. Nam præter numinis offenſam multiplicem, qua ſe inquinarunt, fraudaſſent familiam ſuam honore inæſtimabili, ſi receſſiſſet ex ſententia; & Deus non firmaſſet adamantinis vinculis, in ſuſcepto pio propoſito, ſanctum iuuenem. Is ergo in ſua perſona rei momentum edoctus, conſcripſit inſigne opuſculum quod eſt numero decimum ſeptimum, *contra retrahentes homines ab ingreſſu Religionis*. Vbi imprimis, refellit eos qui nectebant moras ingreſſui Religionis, eò prætextu quòd cum putarent Chriſtianã perfectionem ſitam eſſe in conſiliorum Euãgelicorum exercitio, nollent aliquem aggredi ad ſuſcipienda Euangelica, conſilia priuſquàm in præceptis eſſet exercitatus, vt progreſſus ordinate fieret. Qua ratione, omnibus prope hominibus, aditum ad religionem intercludebant. His reiectis S. D. alios repellit, qui aliter moras iniiciebant ingreſſui religionis, ſtatuentes de tanti momenti negotio eſſe diu & cum multis deliberandum. Agit deinde S. Thomas, contra hæreſim (ſic enim appellat), aſſerentium præſtare operari abſque nexu voti), quam iniecta ſibimet per votum neceſſitate faciendi, quod per votum ſpondetur Deo. Quam hæreſim recens inſtauratam à religioſorum nouellis hoſtibus, conuellere memini alio loco p. 1. Heſter. Tandem S. D. certat contra eos, qui detrahebant homines ab ingreſſu Religionum mendicantium Claudius Eſpencæus, reiectus in laude beatitatis Sect. 1. cap. 26. nolebat vlli patere religionem,

nem, niſi ætate ſatis prouecto, & cum parentum aſſenſu. Hi ſunt varij modi quibus aliquis à religione retrahitur. Ad quid verò ea retractio aſtringat retrahentem, variant ſententiæ, vt videre eſt apud Molinam, tract. 4 c. de Iuſt. d. 51. n. 8. Bonacinam, diſp. 2. de veſtit. p. vnico, Rebellum, 1. p. l. 4. q. 15. num. 4. atque Suarem. Tract. de relig. reform. Sunt qui ita obligant retrahentem ad reſtitutionem, vt ſi aliter ſarcire non poſſit malum quod intulit, tenetur ingredi religionem loco eius quem abſtraxit; quod feciſſe aiunt S. Raymundum, cum aliquem auertiſſet ab ingreſſu in Ordinem Prædicatorum. Mea ſententia eſt, ſi vis abfuerit, & metus non ſit incuſſus, nec adhibita ſit deceptio, culpam retrahentis non eſſe niſi contra charitatem; atque adeò non obligare ad reſtitutionem, vt cenſent quoque Leſſius, c. 8. de Iuſtitia num. 14. & Miranda Manu Prælat. q. 15. art. 3. ac Torres. diſp. 15. de Iuſt. dub. 2. n. 11. Non dubito tamen, quin ſit culpa grauis. Sapienterque Molina conteſtatur parentes, ſi abſque rationabili cauſa diſturbant filiorum conſilia hac in parte, ne dubitent manere ſe iam ex hac vita, cordolium grande, vt frequens experientia docuit Addit etiam Molina, haud leuiter peccare Magiſtratum, ſi temerè recentis plantæ firmitatem, acrioribus quàm pro tempore impulſibus exponat, iubens adoleſcentes recens cooptatos ſequeſtrari, vnde eorum euerſio ſæpè conſequitur. Nec rarò deeſt in ea agendi ratione violatio Eccleſiaſticæ libertatis, vt aduertit Rebellus ſupra num. 5. Expendant ſuis momentis culpam eius qui alium auertit ab ingreſſu Religionis, Platus lib. 3. de bono ſtatu rel. c. 35. ac Leſſius. l. 8. de ſtatu vitæ deligendo. Vnus eſt nominatim euentus, in quo innoxium eſſet auertere aliquem ab ineunda religione. Si nimirum qui religionem cogitat, eſſet ita neceſſarius publico bono, vt non expediret eum mancipari religioni. Ea enim de cauſa S. Gregorius VII. lib. 7. epiſto. 17. acriter expoſtulat cum S. Hugone Cluniacenſi, quòd optimum quemdam Ducem, Eccleſiæ eo calamitoſiſſimo tempore perneceſſarium, cooptaſſet in Monachum; cum tamen eius eſſet probitatis, vt ſalus illius ex permanſione in ſeculo non eſſet vocanda in diſcrimen. Sordet ſacrilegio, hæc abductio à Religione, cum Monialis conſentiens abducitur ad turpitudinem. Quo in genere inicuit Lutherus, qui non alias magis adamauit mulieres, quàm quas è Parthenone abduxiſſet: & edito libello Germanico, comprobauit tanquam inſigne facinus, fœtentiſſimum factum Leonardi Koppen ciuis Torganienſis, qui vna via pellaciis & obiectu dulcedinum in prætenſo coniugio, ex monaſterio Nymicenſi nouem Moniales abduxit ab ipſo Luthero ad perpetuam familiarum infamiam, ex nomine & cognomine ſignatas, ipſis diebus recolendæ, paſſioni Chriſti addictis. Erat inter eas infœlices libidinis victimas, Catharina Bore quam poſtea Lutherus ſibi ſporci thori ſociam aſſumpſit, vt narrat Cochlæus in Opere de Actis Lutheri ad annum 1523. Hoc quantum ſit ſcelus, intelligere liget ex variis Patribus in hoc argumento verſatis. Non pertigerat ad amplexus vtrinque concupitos, ſpurciſſimus Sabinianus; ſollicitator tamen fuerat nefarij cum ſacra virgine ſacrilegij. Quibus verborum fulminibus eum feriat S. Hieronymus, legere apud ipſum eſt in porci illius increpatione. Item apud S. Ambroſium, habetur fortis correptio virginis vltrò lapſæ; quæ increpatio paucis ſub initium ac finem mutatis, eadem eſt cum increpatione Suſannæ lapſæ quæ legitur Tomo 9. Hieronymi. Eiuſdẽ argumenti eſt tractatio vna apud S. Baſilium, præfixa eius Epiſtolis, & alia apud S. Anſelmum, parte 3. Opuſc. nec non Epiſtola Bracharij ad Ianuarium pro lapſis. Nam vterque lapſorum, religioni mancipatus erat & voluntariè in ſcelus ruerant. Ex horum Patrum fortibus conclamationibus, in ſcelus abductæ vel ſeductæ à ſpurco proco Monialis, perſpici manifeſtè poterit, quanta ſit huius criminis atrocitas. Non egi niſi de retractatione Monialium annuentium, quia alterius rationis eſt ſacrilegium quod renuentibus infertur vt mox dicam.

SECT. IV. PVNC. IV. § II.
Maledictiones variæ in Religioſos inuecta.

Lege lata aliqui Principes interdixerunt Religionis ingreſſu abſque aſſenſu Principis. Hoc de Francis iam notaui ex Rhenang. S. Gregorius lib. 2. Epiſt. 62 & 65. cum Mauritio Imperatore, pro huiuſmodi lege ab eo lata certauit. Arcebat enim Mauritius, milites ingreſſu religionis; quæ lex ne ſtaret laborabat S. Pontifex. Valentinianus Senior & Valens, etiam eos qui iam ſucceſſerant, abſtrahi à deſertis mandarunt lege quæ extat in Cod. Theodoſiano. l. 63. C. de decurion. Eam legem Cuiacius, eod l. 26. & Anaſtaſius Germanius, volunt ſpectare ſolos Monachos Ægyptios, qui curia relicta illhuc ſeceſſiſſent Sed verba legis mihi videntur generatim ſpectare omnes Monachos, quamuis poſitum ſit exemplum & ſolitudinibus Ægypti, quia erant refertiſſimæ talibus Monazontis. 2. de immun. c 3. n. 10.

Sequuntur vexationes Religioſorum iam cooptatorum, per facta illis iniurioſa, & aſpera. Inter prima occurrunt quibus corpora Deo ſacra per vim inquinantur: Id enim piis perſonis, morte acerbius accidit. Duplex porrò ea in parte ſacrilegium cernitur, alterum ob vim illatam renuenti; alterum ob fœdationem corporis Deo per votum caſtitatis mancipati. S. Bonifacius Epiſto. 19. ſcribens ad Ethibaldum Mercionum Regem, Virgine ſacra ſacrilegè abutentem, fortis eſt in eo ſcelere exagitando. Poſſuntque non pauca in eam rem peti ex vehementiſſima Sabiniani increpatione per S. Hieronymum, tametſi potens ille ad nefarium opus non fuerat. Solet S. Hieronymus ſacrilegium iſtud inde criminari, quòd tantum ſit, vt ne Deus quidem ruinam pudicitiæ ſarcire in Virgine poſſit, eamque reparare. Ita S. Hieronymus c. 2. ſcribens ad Euſtachium, & cuſtodiam virginitatis inculcans. Qua in parte viſus non paucis eſt, exceſſiſſe; & in eius dicto molliendo, multi ſunt, Rupertus c. 11. in Opere de læſione virginitatis, Petrus Cellenſis l. 6. epiſt. 23. Ioannes Sariſberienſis, Petrus Damiani opuſc. Dixi de ea re quantum ſatis, in Naturali Theologia, diſt. 8. à n. 512. exponens obiectum diuinæ omnipotentiæ. Cum igitur dictum illud D. Hieronymi c. 16. pag. 589. condimento egeat, præſtat ad huius ſacrilegij immanitatem vtcunque aperiendam, vrgere factum multarum SS. Monialium quæ adeò cohorruerunt ad atrocitatem tanti ſceleris, vt ei præueniendo ſe deformarint, vt factum eſt à S. Elba & ſuis Monialibus, nec non à Clariſſis quibuſdam in Palæſtina teſte Volaterrano. Legeſis Eſpencæum, in opere de Continentia cum agit de caſtitatis ingenioſa induſtria ad ſe tuendam: Multa ipſe quoque in hoc genere notare memini in opere de ſobria alterius ſexus frequentatione per ſacros homines.

Exilium & carcer, ſunt mala è diametro oppoſita, quandoquidẽ vno datur facultas ad exſpatiandum, quæ altero præpeditur. Vtrinſque tamen moleſtia, eſt admodùm acerba. Exilij moleſtiam inſinuant conſolationes pro exulibus apud Senecã, Plutarchum,

SECT. IV. PVNC. IV. §. II. *Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.*

Plutarchum, & alios. Carceris incommoda expreſſit Caſſiodorus libr. 11. indulgent. 40. & libr. 5. epiſtol. 21. Et poteſt eo accommodari ſenſus multorum Theologorum, quod pœna Dæmonum per ignem, alia non ſit, quam inexpedibilis alligatio dæmonum ad ignem. Vtrumque hoc incommodum crebrò paſſi ſunt Religioſi, quoad exilium ſimiles facti Apoſtolis, qui de ſeipſis profitebantur, *inſtabiles ſumus*, hoc eſt hinc inde pellimur, & exulare cogimur. Exulauit S. Columbanus, iuſſu Theodorici Regis, tanquam importunus interpellator fœdorum amorum quibus Rex per auiam Brunichildem tenebatur implicitus. Prætextus tamen irrogandi exilij, non fuit libera obiurgatio turpitudinis regiæ, ſed quod vir ſanctus nollet cœnobio adyta patere ſecularibus. Progreſſus inde ad regnum Theodeberti, incolas reperit ad caput laci Turcini peccatores coram Domino nimis, à quibus cæſus flagellis, denuò in exilium actus eſt. Acceſſit tertium exilium cum poſt annorum aliquot commorationem apud Brigantium, Gallo ſocio Zelum ſuum aduerſus idola prodente, inuiſus illis factus, adactus eſt migrare in Italiam, vbi in Robienſi denique ſede ſtabilitatem in dictis tribus locis negatam reperit, factus ibi domeſticus Dei ac cœli ciuis per ſanctum obitum. S. Arnuldus Abbas Sueſſionenſis, quod neque ad bellum pergere, neque è bonis Deo conſecratis ſumptus ad bellum ſubminiſtrare vellet, actus eſt in exilium iuſſu Philippi Regis Francorum. Monachi Carnotenſes quod noluiſſent ſubiici Abbati intruſo per Theobaldum Comitem cognomento *Fallacem*, exularunt anno 1003. Aliorum multorum Religioſorum exilia, proſtant vbiuis. De compactis in carcerem omnino multis Religioſis, nihil attinet meminiſſe, cum ſit res exploratiſſima. Notanda verò præ cæteros fuit, ſors S. Philiberti Abbatis Gemeticenſis, qui conſtanter impio Ebroino exprobrans Apoſtaſiam, cum præter ſpem illæſus ab eo rediiſſet, ferente per emiſſarios ſuos odia, incentore omnis mali, incurrens in offenſionem Epiſcopi, cui fuerat amicitia coniunctiſſimus, truſus ab eo eſt in carcerem & peſſime habitus.

Cædis machinatione, & aperta illatione, ſæuitum ſæpè eſt in Religioſas perſonas. Veneno inſidiati ſunt S. Benedicto, falſi fratres referente S. Gregorio l. 2. dial. c. 3. De S. Mauritio Florentiæ Abbate exemplum conſimile narrat Ordericus l. 5. hiſtor. Vitalis. Idem contigit Papponi Stabulenſi ex Eucrhelmo, vitæ ſcriptore. S. Auſtrobetga Abbatiſſa Pauliacenſis à diſcolis monialibus idem diſcrimen ſubiit, vt eſt in eius actis 10. Februarij. Veneno per hæreticos propinato periit Lud. Pelatarius, vir doctus quem Sanctus Fundator Societatis Ignatius, primum Rectorem Romano collegio dedit. Vir eo præter cætera inſigni facto memorandus, quod Cadurcenſes infulas obfirmatè reiecit, & ſocietatis naſcentis humilitatem prælegit, vt habet Menologium noſtrum vltimo Decembris. Pater item Chriſtophorus Clemenſonus ſpiritus Apoſtolici me adoleſcente Concionator, propinato ab hæreticis veneno periiſſet, niſi quo erat firmiſſimo corporis habitu, magnam partem lethiferæ potionis eieciſſet. Eius tamen reliquias, quamdiu ſuperfuit, ſenſit infeſtas.

Apertè irrogata eſt cædes pleriſque ſanctis Monachis. Patres Sinaitæ, à Saracenis cæſi ſunt ad triginta octo 14. Ianuarij. Qua item die SS. Monachi tres ſupra quadraginta à Blemmidis gente ferociſſima ſunt trucidati. De ea graſſatione Saracenorum per Syriam, Palæſtinam, & Ægyptum, qua innumeri Monachi deleti ſunt, mentio eſt in Actis ſancti Euthimij Abbatis, & in Actis ſancti Ioannis Silentiarij, & ſancti Sabæ & conſentanea ſunt quæ apud Moſchum cap. 21. & 99. leguntur. Nongenti ſimul Monachi in monaſterio S. Vincentij ad fontes Vulturni periere intercepti à Saracenis. S. Placidus, per Manucham Saracenum, Abdalæ Hiſpani ducem, letho datus eſt cum ſociis. Sermonem de eorum felici morte, habuit S. Benedictus tunc ſuperſtes, quem variis adductis illuſtrauit Caramuel. in Opuſculum S. Benedicti pag. 30. Innumeros Monachos variorum hæreticorum furore cæſos, referunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. De Arrianis, Monachos Orthodoxos dira cæde multantibus, multa habet S. Athanaſius Apol. 2. & epiſto. ad ſolitarios, nec non Gregorius Nazianzenus, orat 21. & 25. & Theodoretus 4 hiſtor. c. 19. Ab impio Timotheo Æluro, Pſeudo-Epiſcopo Alexandrino, omnino multi SS. Monachi trucidati ſunt. Legeſis Baronium anno 457. Impii Humerici Claſſis S. Porcarium, cum 500. Monachis, Lerinæ, interfecit. Seueri ac Petri Tullonis furore, pleriſque ſancti Monachi Synodo Chalcedonenſi inhærentes, letho dati ſunt. Periere vna vice trecenti quinquaginta. Quæ & alia dira in ſeruos Dei patrata, Archimandritæ. 208 datis ad Hormiſdam Papam literis retulerunt. Et alia narrantur in relatione Archimandritarum ad Agathonem Papam; Et in libello porrecto Synodo quintæ Conſtantinopolitanæ ſub Menna. Act. v. Ibidem Conſtantinopoli, Monachi promulgatores literarum Felicis Papæ, aduerſus Acacium, crudeliter necati ſunt, relati idcirco in tabulas Eccleſiaſticas titulo martyrum 8. Februarii; narratque eorum cædem Baſilius Cilix apud Nicephorum l. 16. c. 17. De S. Stephano iuniore, ſic ſcribit S. Nicephorus Conſtantinopolitanus in hiſtor. ad annum 766. [Verberibus multis affectum, & carcere damnatum; poſtremo tandem veſte pedibus alligata, à palatio ad Bouis vſque forum, attractum, miſerrimè diſcerpſerunt. Cuius corpus in eum locum quem *Pelagij ſepulchra* nominant, tanquam malefici cuiuſdam, abiecerunt. Illhuc enim & profanorum Gentilium, & eorum qui capitali ſupplicio damnati eſſent, cadauera deportabantur.]

Abenner Rex, multos Monachos occidit; vt habent tabulæ Eccleſiaſticæ 3. Aug. ibidem 3. Sept. conſignatur paſſio S. Argulphi abbatis Serinenſis ac ſociorum S. Abbonis Floriacenſis cœdem, Aymonus Monachus integra lucubratione deſcripſit. Cartuſiani in Anglia ſub Henrico 8. Minores in Belgio per Sectarios ex Societate Ieſu pleriq; in Anglia & Scotia, Iaponia, & aliis pleriſq; locis occubuerunt.

In poſtremo genere vexationis quod ſupra recenſebatur, malignitas certat cum facti atrocitate. Dicebantur enim Religioſi moleſtiam paſſi obiectu ſcandali. Quale genus vexationis Balaam, vt Hebræos perderet, (quod narrat Moyſes n. 31. v. 16. & inſinuatur Apocal. 2. v. 14.) ſuaſit Balaco Regi Moabitarum; conſcius, ſi contra Dei iuſſum, polluti eſſent turpi commercio cum mulieribus exteris, receſſurum eſſe à Iudæis Dei præſidium; ſicque enerues fore, & facilè in prædam hoſtium ceſſuros. Perpeſſus eſt hoc genus moleſtiæ S. Benedictus, vt narrat S. Gregorius in vita S. Ben. c. 8. Siquidem Florentius Presbiter, ſeptem puellas ſpecioſiſſimas, nudas obiecit diſcipulis S. Benedicti, in ipſo horto cellæ adiuncto quam vir ſanctus inhabitabat. Vnde neceſſitas eidem iniecta, eſt ſolum vertendi.

§. 4.

SECT. IV. PVNC. IV. §. IV.

Maledictiones variæ in Religioſos intortæ.

§. IV.

Inſectatio Religioſorum per auerſionem commodorum.

VExationibus per iniquam æſtimationem & verba aſpera ac dira facta, ſubiicio inſectationes per auerſionem commodorum, quæ illis obuenire poſſent, vel etiam deberent.

Huc imprimis pertinet, quod refero verbis S. Bonauenturæ. lib. quare FF. minores prædicent. &c. [Quod quidem ferunt ſententiam excommunicationis in omnes Fratrum benefactores, cum nihil habeamus niſi quod offertur nobis à fidelibus vnde viuamus; idem eſt, ac ſi prohiberetur aliquis per excommunicationem, ne fratrem ſuum ac proximum à ſubmerſionis vel incendij, ſeu quolibet mortis periculo liberaret. Prohibere enim cibo reficere indigentem, eſt, eum velle fame occidere, quod quàm iniuſtum ſit, nullus ignorat.] Demonſtrat ibi conſequenter Sanctus Bonauentura, talem cenſuram eſſe inanem. In quam rem, proponit capita penes quæ excommunicatio eſt nulla: Sed vix fuit neceſſe patefacere, huiuſmodi brutum fulmen ſoli vibranti nocere.: Idem poſt tempora Sancti Bonauenturæ effutiuit Vvicleffus, idcirco damnatus in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & validè exagitatus à Valdenſi. l. 2. cap. 81. Similiter poſtea deſipuit Lutherus, & ipſe à Leone 10. reprobatus, & reuictus erroris à Bellarmino. lib. de Monach. cap. 4. Audiat Atteius Capito qui his diebus, œſtro illo percitus quo ſolet in Religioſos concitari, idem brutum fulmen vibrauit in erogantes eleëmoſinam Patribus Capucinis: auſus inſuper ferales illas voces profundere, ſatius eſſe Turcæ aut Idololatræ eleëmoſinam conferre quam dictis Patribus. Hæc maniaca, ſeipſis concidunt citra aliam exagitationem & machinarum quatientium admotionem.

Spectat ad hanc vexationum ſeriem, excluſio Religioſorum à piorum Teſtamentorum largitate. Quod primùm edicto publico ſtatuiſſe Valentinianum ſeniorem, ſupra notatum eſt, attingendo criminationem Religioſorum ab auaritia. Vbi etiam addidi, rudimentum illud vexationis, poſtea eſſe multipliciter amplificatum. Alicubi prohibentur Religioſi, quacumque via aliquid acquirere frugiferum vltra certam ſummam modicam annui Cenſus. Pertinet huc quoque, iudicio Saluiani lib. 3. ad Eccleſ. exhæredatio liberorum qui ſe Religioni manciparint. Collaudat primum Saluianus pios parentes, amantes ſobolem diuini amoris ſpiritu, & charitatem in ſuos, Chriſti cultum facientes; ac in naturæ vinculo Deum cogitantes, naturarum patrem, & amoris munera conuertentes in ſacrificia; fœnerantes Domino in hoc quod pignoribus ſuis præſtant. Hæc quidem principio ſeruata, collaudat, & meritò Saluianus. Subdit verò. [At verò nunc diuerſiſſimè & impiiſſimè, nullis omnino, à ſuis minus relinquitur, quàm quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: in nullos pietas minùs reſpicit, quàm quos præcipuè religio commendat. Denique ſi qui à parentibus filij offeruntur Deo, omnibus filiis poſtponuntur oblati: indigni iudicantur hæreditate, qui digni fuerint conſecratione; ac per hoc vna tantum re parentibus viles fiunt, quia cæperunt Deo eſſe pretioſi. Ex eo intelligi poteſt, quod nullus penè apud homines vilior eſt, quàm Deus; cuius vtique fit deſpectione, vt eos præcipuè parentes filios ſpernant, qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præclaram, videlicet, qui hæc faciunt, rationem conſilij ſui reddunt, dicentes; Quid opus eſt, vt filiis iam religioſis, aliqua hæreditatis portione linquatur? Nihil dignius, quàm vt quia cœperunt religioſi eſſe, mendicent: non quidem quod hæc res mendicitate oppreſſura ſit, quod à terrenis facultatibus abdicantur, cœlum ſpe poſſidentes, citò etiam re poſſeſſuros, regente illos Deo ſuo, ac protegente, qui eos cum immortali ſpe æternorum, etiam ſufficientia temporalium muneratur. Sed tamen quantum ad inhumanitatem parentum pertinet, egent; à quibus ſic relicti ſunt, vt egerent.] Subiicit parentum obiectionem, quorſum filiis conuerſis relinquatur æqua patrimonij portio, cum aliis fratribus? Reſpondet verò, ſic faciendum eſſe, vt filij [Religionis fungantur officio; vt religioſorum rebus, religio ditetur; vt donent; vt largiantur; vt illis habentibus, cuncti habeant non habentes: Imo ſi tanta eſt eorum fides atque perfectio, vt habeant, citò non habituri; Beatius vtique poſt quàm habuerint non habentes. Cur eis quæſo, inhumaniſſimi parentes, neceſſitatem indigniſſimæ paupertatis imponitis? Permittite hoc religioni ipſi, cui filios tradidiſtis. Rectiùs pauperes à ſe fiunt. Si tantùm eos inopes eſſe cupitis, concedite id ipſorum deuotioni. Liceat eis quæſumus, vt velint pauperes fieri. Eligere inopiam debent, non ſuſtinere. Poſtremò etiamſi ſuſtineant, deuotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos velut à natura expellitis, & quaſi è iure ſanguinis abdicatis? &c. Cum vos ideò plus relinquere ex patrimonio veſtro religioſis filiis deberetis, vt aliquid ad Deum ex facultatibus veſtris ſaltem per filios perueniret, ideò filiis non relinquitis, ne illi habeant, Deo quod relinquant. Præclara videlicet ratione atque cautela, contenti eritis vos filios non agnoſcere, ne illi ſe filios Dei eſſe cognoſcant; magnificam repræſentantes beneficiis ſacris viciſſitudinem, dum id ſtudioſiſſimè procuratis, ne vel per veſtros, aliquid honoris Deus habere poſſit, cum omnia vos per Dei munus habeatis. Cur ergo tam infideliter, cur tam impiè? Non exigimus vt veſtra Domino largiamini; aliquid Deo de ſuo reddite. Cur tam auarè, cur tam impiè agitis? Non eſt veſtrum, quod denegatis. Iniquum ergo arbitramini, vt ſecularibus filiis, religioſos filios ſubſtantia pares eſſe faciatis? Id ergo agitis, vt pœniteat eos; cœptæ Religionis, quos religio apud eos fecerit viles. Pius itaque ac bonus Dominus qui ſeruet in eis propoſitum ac profeſſionem ſuam. Cæterum quantum in nobis eſt, id agitis vt ſeculares filios anteferris: Quid eſt enim aliud quàm religionem interdicere, ob religionem deſpectui habere?] Diſputat iſta Saluianus aduersùs eos parentes, qui vexant filios religioſos, nolentes obuenire illis æquam portionem hæreditatis, cum filiis ſecularibus?

SECT. IV. PVNC. IV. §. V. *Maledictiones variæ, in Religioſos intorta.*

Nec parcit aliis, qui partes quidem æquales omnibus filiis erogabant, ita tamen vt pars Religioſo filio obueniens, vſu penes eum eſſet, proprietate autem penes fratres ſeculares; ita vt Religioſo moriente ea portio ad ſeculares fratres reueniret. Quam vſu conceſſi ſeiunctionem à proprietate, deridet S. Chryſoſtomus hom. ad pop. & hom. 11. n. 1. ad Timoth. homo non habeat niſi vſum rei. In hanc filij Religioſi fraudationem ſic conclamant Saluianus. [Inuenit iniquiſſima infidelitas parentum, quomodò à patrimonio ſuo Deum penitus excluderet; proprietatem rerum, Religioſis filiis auferendo: vſum enim iis dedit, vt eſſet quo ipſi viuerent; proprietatem iis tulit, vt quod Deo relinquerent, non haberent. O nouum irreligioſæ mentis ingenium? Inuenit quo videretur filiis ſuis, maiore erga Deum ſua impietate conſulere. Fecit enim vt ſancta ſoboles vſum rerum habens, ius rerum non habens, quaſi locuples quidem viuere, ſed quaſi mendica moreretur: ac ſi teſtator infideliſſimus, plena de hoc mundo poſſit ſecuritate diſcedere, cum ſciret de ſuo ad Deum peruenire nil poſſe. Quamuis in hoc ipſo quod ſupra dixi, per vſum rerum aliquarum filios religioſos opum imaginem poſſidere, nec hoc ſit quidem; quia etſi vſus videtur aliquid habere, conſcientiæ tamen non habet. Nemo enim poteſt ſe vel breui diuitem credere, qui ſcit ſe proprium nil habere. Quid agis miſerrima infidelitas; & Faganicæ (vt ita dixerim,)irreligioſitatis error? Itane tantum odiſti Deum, vt poſſis etiam, filios ob hoc tantum quia ad Deum pertinent, non amare? Meliore enim creditione quidam relinquunt libertos ſuos, quàm tu relinquis filios tuos.] Concludit Saluianus. [Indignum ergo arbitramini, vt ſancta ac placita Deo pignora, filiis mundo ſeruientibus comparentur? Verum eſt, & benè arbitramini: ſi tamen arbitrio iſto, iuſtè & in diuerſum vteremini id eſt in comparandos bonis filiis malos, & peccatores ſanctis non putaretis; & qui apud Deum vita ac mentis antecellerent, iidem apud vos gratia atque honore ſuperarent. Quid enim rectius, quid magis iuſtum, quàm vt qui meliores ſunt, iidem etiam honoratiores eſſent; & qui vincunt iudicio, iidem vincerent præmio, & qui anteſtant in Euangelio ſacro, iidem quoque in teſtamento humano anteſtarent; & hac ſaltem re, concordet cum voluntate Chriſti parentum pietas ac voluntas, vt quos Deus præpoſuiſſet electione, eoſdem etiam parentes anteponerent dignitate. Sed non ſolùm hoc non agitur, ſed in diuerſum omnia aguntur. Præponuntur enim puris commaculati, præponuntur fidelibus impij, præponuntur lumini tenebræ; præponitur terra cælo, præponitur mundus Deo. Et euaſuros ſe huiuſmodi parentes, vel in hoc ſolo iudicium Dei æſtimant, qui cultum Dei & dignitatem, iudicij ſui indignitate conculcant?

Alia Religioſorum inſectatio ad hanc ſeriem pertinens, eſt, qua alicubi Religioſi prohibentur vſu immunitatis hominibus ſacris per Canones conceſſæ. Adigantur enim pendere varia, titulo telonij aut portorij. Qua in parte apud tales Chriſtianos, Religioſi ſunt peioris conditionis quàm apud Turcas. Nam teſte Buſſequio, Turcæ, omnes ſacerdotes & Religioſos Chriſtianos, volunt eſſe immunes ab omnibus publicis oneribus. An non probroſum eſt, minùs indecentes eſſe Religioſos & Sacerdotes inter Chriſtianos quàm ſint inter Turcas. Apud Ægyptios olim, eadem immunitate patiebantur ſacerdotes idolorum, vt habetur ex Gene. 47. Quanto iuſtiùs perſonæ vero Deo addictæ, (ac nominatim Religioſæ quibus Deus eſt omnia,) ea immunitate potiri debent? Ita recte intulerunt Sancto Chryſoſtomus ibidem, ac Theodoretus, q. 106. in Gen. & ad eum locum Hamerius.

Patris appellatio, ſacerdotibus Religioſis, & honorifica eſt, & fructuoſa. Conciliat enim Religioſis autoritatem, & magnæ reuerentiæ fundamentum ſubminiſtrat iis qui deferunt eam nomenclationem; vt fusè monſtratum eſt in Tractatione de paternitate ſpirituali. Et delatam iam olim eſſe eam appellationem Religioſis ſacerdotibus, prolatis multis veterum locis demonſtratum eſt eadem lucubratione. Fuere tamen nuper, qui eam vellent abolitam & Religioſos ſacerdotes fraudare ea denominatione anniterentur. Adeò tamen radicata eſt in Chriſtiani populi mente ea denominatio, vt nihil euicerint qui adeò inania meditabantur. Tamen non defuit illis voluntas eam Religioſorum ſacerdotum appellationem obliterandi: quæ ſi effectum ſortita eſſet, neceſſitas iniiciebatur, caſtrandi formulam Confeſſionis generalis quæ vſurpatur in Liturgiæ principio. Nam eam formulam decurrens Camillus in perſona populi; ſacerdotem, etiam cum Religioſus eſt, ſemel & iterum appellat Patrem, dicens & *tibi pater*; ac rurſus, & *te pater*. En ad quas ineptias redigat libido Religioſos vexandi, perſonas liuore ſuffuſas.

§. V.

Religioſorum vexatio, per tentatam conuulſionem priuilegiorum.

RECtores Eccleſiæ nec abſque ſuffragatione Conciliorum, variis priuilegiis honeſtarunt Religioſos, quæ priuilegia veluti antidota laborum quos Religioſi pro Dei Eccleſia exantlant, in aliquid Religioſorum commodum cedunt. Artificio autem eorum qui ædificant Hieruſalem in ſanguinibus, & quod legitimis titulis non poſſunt aſſequi, tentant Religioſorum eiectione perficere, iam multoties impugnata ſunt, ac vt euaneſcerent laboratum. Quantos motus hæc ſollicitudo conuellendi Religioſorum priuilegia concitarit, quantos decumanos inde exceperint ordines Religioſi, præſertim vitæ miſtæ, apud Cantipratanum & Vadinghum legere eſt. Hactenus tamen Deus ſeruos ſuos texit, & beneficium à Chriſti Vicario collatum, perennare voluit. Et tametſi ſubinde recrudeſcunt procellæ, tamen tranquillante Deo & ventis ac mari imperante, fluctuum ſuccedit. Et ſpes eſt, perſtituram Dei in ſeruos ſuos benignitatem, quamdiu Religioſi à maiorum moribus non degenerabunt; & ſuis quique inſtitutis fideliter inhærebunt.

Sunt quædam ex Religioſorum priuilegiis, in quæ coniſcant vehementiùs, & acriùs arietant hoſtes Religioſorum. Primum eſt, exemptio Religioſorũ à Iuriſdictione Ordinariorũ, cũ ſubiectione. ad

ad ſolos Antiſtites Regulares. Secundum eſt , facultas audiendi fidelium confeſſiones , etiam in Paſchate, ſæmula quidem approbatione Epiſcopi, quæ idoneitati Sacerdotis Religioſi attenditur quoad eius doctrinam ad munus illud neceſſarium, & mores bonos ; non tamen expectato Parochorum aſſenſu ; & cum exſolutione ſecularium à neceſſaria repetitione confeſſionis apud Religioſos obitæ. Hoc priuilegium, cuſo falſo dogmate conuellere tentauit Ioannes de Poliaco Ord. Prædicatorum. Tertium eſt , libera auditio ſacri, Dominica aut feſto die , in templis Religioſorum. Circa quod priuilegium concitatus maxime eſt in diebus noſtris Ioannes Fileſacus , & quidam nuperus ſcriptor cui nomen Benedictus à Puteo. Quartum eſt, facultas ſuſcipiendi Ordines à quocunque Catholico Epiſcopo , abſque dimiſſoriis proprij Epiſcopi , ſolo Antiſtitis regularis aſſenſu exhibito ; & præuio examine per quod de Religioſi idoneitate , hoc eſt ſufficienti peritia, & probitate , conſtet Epiſcopo Religioſum initianti. Hoc priuilegium aliqui tyrannice conuellere ſunt aggreſſi , renuentes initiare eos Religioſos qui non renunciauerint quibuſuis ſuis priuilegiis , & ſe plenè ſubiecerint Epiſcopo, in cuius diœceſi verſantur ſicut ei ſubiiciuntur Clerici ſeculares Hæc tetratias inſectationum, tametſi externa ſpecie in Religioſos cadit ; tamen eodem niſu feritur ſummus Pontifex , qui vel arguitur inſipientiæ in conferendo priuilegio , vel impotentiæ & arrogatæ perperam poteſtatis ; quorum vtrumque procul eſſe debet à pectore Catholico , in Chriſti Vicarium reuerente. Et qui defectum poteſtatis cauſaretur, ſorderet hæreſi. Inferiùs tractando Religioſorum à beneuolis benedictiones, recurret hæc doctrina. Nunc quia tantum inſiſto , recenſendis Religioſorum inſectationibus , plura , non addo. Tacta ſunt aliqua circa primi priuilegij iuſtitiam , ſuperiùs , recenſendo non cauſas vt cauſas odiorum in Religioſos. De ſecundi & tertij priuilegij iuſtitia , dictum breuiter eſt , ſed validè , in proloquio ad Tractationem de Paternitate ſpirituali. Quartum liquidè ſequitur ex primo. Itaque non ſunt hic vlteriùs , nectendæ moræ , ſed progrediendum eſt ad alia.

§. XVI.

Miſcella inſectationum quibus Religio Clericorum Societatis Ieſu , peculiariter eſt exagitata.

QVantum recolo , Religio ſocietatis Ieſu maledictis & iudiciorum tetrorum , & aſperorum verborum , ac atrocium factorum , tranſfixa eſt , ſupra omnes alias Religioſas familias : vel inſtauratis malignitatibus , quibus in alios Ordines (præſertim per ipſorum primordia ,) ſæuitum eſt , vel planè nouis excogitatis. Quod in Galliæ præſertim metropoli , accidiſſe , nemo ſapiens mirabitur , ſi recolat inibi primum hanc Religionem coaluiſſe , & quà tantum & tam multiplex cordolium , Satanæ eſt ingeneratum. vlturus ergo ſuas moleſtias panurgus ille boni cuiuſuis iuratus hoſtis , vbi principium videt factum dolorum , quos (Deo gratia & gloria ,) multiplices ſuſtinuit ab hac ſocietate , ibi ſuum aduerſus eam furorem maxime exprompſit ; Deo prouidente ſeruis ſui , patientiæ ac meriti materiam , pro qua reſpondet in tempore , menſuram bonam & confertam & coagitatam , benedictionum dulcedinis , & gloriarum poſteriorum , vt B. Petrus de Chriſto ipſo loquitur : Conuulſionem porrò maledictionum quas referam peculiariter eſſe intortas in Societatem , non ſuſcipio accuratam , quod in eam curam incubuerint iam pridem præſtantes ſcriptores , nominatim Franciſcus Turrianus in Opere contra Boquinum Biturigem , verbi puri pincernam apud Heidelbergenſes , Ludouicus Richeomus , qui vnus in Gallia pro tempore aduerſùs caternam hoſtium ſtetit intrepidus , iudicio in ſcribendo , & rationum pondere , iure ſuſpiciendus. In Germania debellauit omnino multos Iacobus Gretſerus , & aliis locis alij , à quibus plena contritio calumniarum quas referam, peti poteſt. Obiter tamen ac per ſummum verticem , attingere inanitatem ſingulorum maledictorum , nemo iure prohibuerit.

SECT. IV. PVNC. IV. Maledictiones variæ in Religioſos intortæ.

Neque tamen pro maledictionibus habemus, omnia in nos iactata , ſiue ab hæreticis ſiue à Pſeudocatholicis. Imo quædam ſunt de quibus potiùs gloriari habemus. V. G. Philippus in myſterij iniq. præfat. ad Papiſticos. Mornæus , Ieſuitas denominat , *Papalis exercitus Triarios.* Abſit, vt hoc pro maledicto habeamus. Imo verò optandum ſummoperè nobis eſt , vt quod iſte filius Belial , tanquam lædoriam in nos intorquet , factis aſtruamus ? Erant Triarij apud Romanos , robur copiarum. Vnde adagium , *res ad Triarios redijt* , cum ſignificabatur , ob diſcriminis magnitudinem , optimos quoſque adhibendos eſſe. Quod igitur hoc nos eſſe in exercitu Pontificio ait Mornæus , quod erant Triarij in Romano exercitu, vtinam verum comprobetur in nobis ; quidem nihil tale iactamus , tametſi annitimur, vt inter Eccleſiæ milites , vtilem operam Deo & Eccleſiæ nauemus. Si tamen ab hoſte , conatus ille noſter , ſub ea ſuperba & magnifica appellatione obiectetur , non erubeſcimus tanquam de probro , quod emphaſim potiùs laudis & gloriæ continet. Agnoſcimus enim Romanum Pontificem , pro Præfecto Generali exercitus Chriſti , Regis virtutum , & eo ſenſu dicitur *Magiſter militiæ Dei , primorum Princeps & Dux*, vt habetur ex Euſebio ; 2. hiſtor. cap. 14. qui non agit eo loco , de magiſterio doctrinæ , (etiamſi id quoque competit Pontifici ſuper omnes docentes intelligenti ,) ſed de magiſterio ſiue præfectura, eo ſenſu quo Princeps Melitenſis , denominatur *Magnus Magiſter.* Quantum ergo eſt , in exercitu cui Romanus Pontifex archiſtrategus præeſt , denominari *Triarium* ? Verum eſt , ab hoſtibus plerunque intorqueri in eos quos exoſos habent , tanquam probrum , quod reuera ad inſigne potiùs decus pertinet. Et ita hic Mornæo contigit , exornanti mirificè Societatem Ieſu , delata ei nomenclatione quam peruersè putat probroſam. Quid vetat idem pronunciare de alio adagiali ſcommate in lexico hiſtor. vernaculo V. *Ieſuita.* quo ferimur , iactantibus tanquam infamem lædoriam de religioſo ſocietatis ? *Ieſuita omnis homo.* Ita referre memini ea dictione ſacra de Sancto Ignatio Loyola , qua eum compoſui cum Magiſtro Ignatio Sacræ ædis Sanctæ Sophiæ architecto.

SECT. IV. PVNCT. IV. §. VI. *Maledictiones variæ, in Religioſos iniuriæ.*

chireĉto. Vbi monſtraui; qui talia chartis illiuit, locutum eſſe vt Caipham (verbum eſt Lanfranci l. de Euch. de Berengario, optimè loquente, cum intenderet blaſphemare.) Verè enim Ignatij alumnus, debet eſſe *omnis homo*, id eſt imitatione Pauli, omnibus omnia fieri, vt omnes lucrifaciat. Hæc ergo, & ſimilia tanquam probra, reuera non probra, ſed encomia, dimittamus, iis duntaxat intentio, quæ etiam, externa facie, ſpeciem probri habent, ac dehoneſtare videntur.

Eiuſmodi imprimis eſt, quod negamus eſſe Religioſi; Hoc nugiuendi quidam, aſtruere ſibi viſi ſunt, ſtramineis quibuſdam ratiunculis quas refert Emmanuel Rodericus Fato 1. qq. regular. 4. l. 4. articul. 4. qui tamen rectè aduertit, hanc calumniam non habere locum erga Societatis IESV profeſſos ſed tantùm erga alios eidem corpori connexos: de quibus tamen cum alij plerique Pontifices, tum explicatiſſimè Gregorius 13. edixere, habendos eſſe pro ſubſtantialiter ac verè Religioſis. Ita Gregorius eo diplomate cuius initium eſt, *Aſcendente Domino*, quo diplomate tanquam fonti lupato, infrœnauit omnes hac in parte obloquentes. Quin etiam ad inquieta ingenia coërcenda, vetuit agitari, an quotquot in Societatem cooptati ſunt, ſint verè Religioſi, volens id haberi pro explorato. Qua in re inſtitit veſtigiis Alexandri IV. qui eo diplomate cuius initium eſt *Dei venerabilibus*, vetuit de ſubſtantia inſtitutorum Ordinis Minorum & Prædicatorum, agitari quæſtiones, volens id ex ſedis Apoſtolicæ comprobatione haberi manifeſtum. Faceſſat ergo calumnioſum probrum, quod Societatis alumni non ſint verè Religioſi.

Ad hæc, dicimur ſuperbia turgere. Hoc de nobis pronunciauit, qui cum non eſſet ex nobis, exiit ex nobis Papyrius Maſſonus. Nam in Raſodiis de vita Pontificum, agens de Paulo IV. ait, Nolæ in Campania *Ieſuinos* appellari, quos Hiſpani vocant *Ignatianos*. Eos verò ait, *ſibi ſolos videri Societatem cum Ieſu contraxiſſe, & in eo nimium, ſapientes eſſe, quod ſe putent, cœlo vel ipſi, quandoque imperaturos.* Hunc Apoſtaticum exſcreatum detergit validè Delrio 2. Magic. quæſt. 10. in fin. reuelans pudenda Maſſoni, qui vt fori tabula fieret, Societatem IESV in qua annis non paucis vixerat, deſeruit diggreſſus per poſticum; Et pro more Apoſtatarum, ſic lacerauit quos reliquit, ne perperam feciſſe relinquendo videtur. Sed quod ait, videri ſociis, ſe ſolos cum IESV Societatem contraxiſſe, ſpectat ad nomen *Societatis Ieſu*, quod hæc familia à S. Fundatore inditum, præfert firmante ſede Apoſtolica, & Tridentina Synodo Oecumenica ſeſſ. 25. comprobante. Ablatrauit quoque hoc nomen Melchior Canus 4. de locis capit. 2. Tractans enim eum locum Pauli, *fidelis Deus, per quem vocati eſtis in Societatem filij eius I. C.* ſic habet. [quæ ſine dubio Societas, cum Chriſti Eccleſia ſit, qui titulum ſibi illum arrogant, hi videant, an hæreticorum more, penes ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur. [Produnt iſtæ exulceratum Cani animum, ob ſuam ex aula deiectionem, Ieſuitis, eius imaginatione, attributam, & eſt in Societatis hiſtoria. Sed idem tempus, Petrus Boquinus Bituria, verbi pueri Miniſter, contra eandem huius famulæ appellationem, ſuperbam (vt ipſe vult & arrogantem, egit eo opere cui titulum fecit, *Aſſertio veteris ac veri Chriſtianiſmi, aduerſus nouum, & fictum Ieſuitiſmum.* Confutauit eum librum antithetica ſcriptione Franciſcus Turrianus. Et faciunt ad eam rem, quæ Suares, tractat. 10. de Religioſ. l. 1. capit. 1. Serarius in Ioſue, & Magalianus, qui ferè Serarium exſcripſit, nec non Iulius Nigronius ad titulum regis com. diſſeruerunt de eliminatione ſuperbiæ per eam nuncupationem. Et fœdum ſanè eſt, pulchro nomini dehoneſtationem inferre, malis ac probroſis actibus, cuiuſmodi præſertim ſunt qui à ſuperbia progeminant; Itaque ſocij quibus altè infixum eſt quàm ſit cauenda nominis Sancti dehoneſtatio, iuxta ea quæ diſputat Serlogus anteloq. 8. Sect. V. ad humilitatem non ad ſuperbiam ex ea nomenclatione excitari debent, & aptare ſibi verba S. Ephrem ſerm. de vita Relig. de Chriſtiani appellatione. [Ne nomini eius Sancto quod inuocatum eſt ſuper nos, iniuriam inferamus. Parcamus nobis ipſis, & intelligamus nomen noſtrum ipſius nomini conſonare. IESVS enim ipſe, & nos Ieſuitæ vocamur. Deus noſter Spiritus eſt. Quare & nos efficiamur ſpirituales.] Hoc eſt dicere detumeſcamus, & ſuperbiam inflantem abiiciamus, memores præferri à nobis, nomen IESV ſalutem noſtram per crucem inter duos latrones operari, quo nullum eſſe fortius ac potentius humilitatis incentiuum, egregiè aduertit Diuus Auguſtinus ſerm. 1. de S. Laur. inter ſermones de diuerſis, & Gregorius Theologus. Superbiæ item Societatis IESV inſimulauit Martinus Kemnitius orat. 20. numero 98. inter Lutheri combibones ſtrenuiſſimus, in collectione capitum doctrinæ Ieſuiticæ capit. 1. quod eſt de origine Ieſuitam. In ea opella ex iugibus mendaciis concreta, ait Kemnitius, Societatis IESV homines, anteferre ſe omnibus Religioſis cuiuſcunque Ordinis, ac ſibi eruditionis totius præcellentiam arrogare. Hoc verò admodùm calumnioſè ab hoc Lutheri puero affingi Ieſuitis, validè euincit Didacus Payua lib. 1. orthod. explicat pag. 36. referens præterea inſulſos ſales quibus idem Sectarius nomen *Ieſuitarum* reſpergit dictos aſſerens *Ieſuitas* quaſi Iebuſitas, & dempta vna ſyllaba, vocans *Suitas*. Ieſuitarum porrò appellationem, inditam huic familiæ contendit, quod Ieſum veluti ſubegerit, perdomueritque. Nam etiam Romani, & gente quapiam ſubacta; denominabantur *Africani*, *Germanici*, *Aſiatici* &c. Ita Ieſuitæ, à ſubacto IESV, & eius vera fide conculcata, denominati ſunt iuxta Kemnilij. Ethymologiam. Verùm hæc ſpurciloquia è vaniſſimo Lutherani popinonis ore effluentia, præſtat abiicere.

Frutex ſuperbiæ, eſt ſingularitas. Idcirco enim aliquis ſingulariter vult eſſe, quia dedignatur cæterorum communitatem. Huius tetræ notæ inſimulamur; propter multa. Nam 1. volumus habere certum habitum, qualem omnes alij Religioſi habent, fœtum magnis myſteriis vt dictum eſt in Heteroclitis ſpiritualibus, 2. Tyronum probationem ad biennium diffundimus, cum aliis quibuſvis ordinibus ſatis ſit ad Tyronum probationem annus vnus, 3. Per annos complures diſtinemus cooptatos, ſolo votorum ſimplicium vinculo illigatos. Sunt porrò ea ſimplicia vota ſolubilia, non abſque grauamine Epiſcoporum, & familiarum turbatione, 4. Chorum à nobis arcemus, nec abſque ſcemmate adagiali apud alios. Effutimus enim (ait Thomas Hurtado in orthod. Reſolut.) inſulſum illud, *Chorus ad ineptos*, 5. nullæ apud nos pœnitentiæ ſtatæ, nulla per aduentum Domini ieiunia,

ieiunia, vt in omnibus Religionibus aſſolet. VI. contemnimus Euangelicam doctrinam, denunciantes ſuperiori quæ in noſtris notata fuerint, ipſis non præmonitis. VII. nullum habemus in iuniorib. diſciplinis ducem, vt habent omnes Religioſi ordines. Quæ cauſa eſt tantæ in ſententiis licentiæ, & quod inaudita doctrinæ capita vulgamus, inuehentes cuſam à nobis primùm, ſcientiam mediam, ante noſtros homines nulli Theologorum compertam; reiicientes decantatiſſimam apud omnes retrò Theologos humanæ voluntatis prædeterminationem diuinam ineluctabilem. In moralibus verò quiſque noſtrum, ſibi fingit quod lubet; & ingenio ac induſtria noſtrorum factum dicitur, vt exulet iam ex orbe mendacium, & vſura, & ſimonia; vixque vlla ſit fœditas quam patronis inter noſtros deficiat. VIII. minuitur Profeſſis obligatio ſi in Antiſtites promoueantur, audiendi ac ſequendi monita per Generalem ſuggeſta, ſi potiora & ſaniora videantur: quod Paſqualigus Iulij Scoti Apoſtatæ hac in parte Magiſter, ſuperbiæ immanis inſimulat, quia eſt captare ſubiectionem Epiſcopatus religioni à cuius iugo exſoluitur, qui promouetur in Epiſcopum. IX. literas humaniores profitemur, quod alij ordines refugiunt memores increpiti eam ob cauſam à Sancto Gregorio V. Indiculum v. S. Deſiderius Deſiderij Viennenſis. Hæc ferè ſunt, ob quæ notamur ſingularitatis ex ſuperbia deriuatæ. Pateret verò latus campus ad exſpatiandum per ſingula criminationis huius capita; ſi niſi præripuiſſent eam operam Ribadaneyra iuſto opere de ſingularibus inſtituto Societatis, & Suares in extrema parte operis de Religione. Itaque plena diſcuſſione ad eos ablegata, perſtringam quàm breuiſſimè, quæ ſat eſſe videbuntur, ad deprehendendam criminationum illarum inanitatem.

Igitur contendo, pleraque ex propoſitis capitibus immeritò ſugillari tanquam ſordentia ſingularitate vitioſa; cum tamen ſapienter ſint de nouo inducta, conſentaneè ad finem quem ſibi præfigit Societas. Ac primùm immeritò ſugillatur habitus cum cœteris Sacerdotibus communis. Nam ob frequentes diſcurſationes quaquauerſum, inter Hæreticos, & ſchiſmaticos, atque Ethnicos, neceſſarius fuit noſter habitus communis, vt Suares tract. 10. de relig. l. 1. c. 5. à num. 4. rectè proſequitur; recte alio loco ibid. c. 7. n. 2. corrigens Auendarium, cui habitus noſter iuſto melior videtur, nec redolens aſperitatem veſtitus Sanctorum. Vnde Auendario pronunciat, eſſe characterem valdè imperfectæ religionis. Qua iudicandi licentia Chriſti ipſius vitæ ratio imperfectior habenda eſſet, longè aſperiore ratione vitæ Ioannis Baptiſtæ, qui venit, nec manducans, neque bibens vt S. Bernardus ſerm. dixit. At Chriſtus communem vitam inuehat; & nominatim eius veſtimentum, extrinſecus non erat cilicium ex pilis camelorum contextum, quale fuit hirtum & hiſpidum Baptiſtæ indumentum. II. diffuſio tyrocinij ad biennium non debuit noua videri, & idcircò ſingularitate notari, cum S. Pachomius ſuis triennium difficillimæ probationis indixiſſe negatur. Eſſeni item; referente Euſebio, 9 præp. cap. 1. quos in ſuum cœtum allegebant, per triennium probabant. Similes aliorum praxes, notauit Suares, tract. 10. lib. 2 c. 4. n. 2. & 3. Et verò difficultas miniſteriorum ad quæ ſocij ſunt adhibendi, iure potuit prolixiori probationi Tyronum, cauſam idoneam præbere. III. eadem ex cauſa profeſſio ſolemnis quæ votis non laxabilibus continetur, iure poſt annos aliquot à Tyrocinio dilata eſt; proludendo ad eam emiſſione duntaxat votorum ſimplicium, vt manifeſtius conſtet de ſolida virtute profitentium: & Societas ſecurior ſit ſe adhibere operarios inconfuſibiles. Interim verò conſultiſſime illigantur, votis ſimplicibus religioſo ſtatui ſubſtantialibus, vt monſtrat Suares. tract. 10. lib. 3. cap. 1. 2. 3. Quod ſi interdum iuſtam cauſam præbeant vt dimittantur nullam in ea dimiſſione cerni iniuſtitiam, rectè confirmat Sanches lib. 6. in decal. cap. 9. num. 64. & Tamburinus Tomo 3. diſp. 8. 9. 7. in opere de iure Abbatum; & fuiſſe praxim antiquorum, monſtrat Haephtenius; lib. 8. tract. 4. diſp. 7. & iam olim in eam rem quædam protuli, cap. 10. à n. 28. agens de Iudæ per Chriſtum abactione. addit Nebridius à Mandelherim, in antiqq. mon. Epiſto. 129. tantum abeſſe, vt hæc noxiorum depulſio per votorum ſimplicium laxationem, improbari in nobis debeat, vt potiùs inde inſigniter ſit commendanda Societas. Reddo eius ſenſum verbis ipſius [Si quæris quid cenſeam de regulâ Societatis Ieſu, quæ nouiſſime in terris apparuit: Syncerè dico. Sapientiſſima eſt in hôc maximè, quòd iam prona ſit ad emittendum impurum ſanguinem. Alioqui cum præ aliis ordinibus in puluere voluatur, mundano, tabem & corruptionem facillimè contraheret. Atque hic eſt ille ſpiritus nouus, quem Deus infudit S. Ignatio; liberrimæ ſcilicet diſpenſationis, cuius defectu, quàm nos frequenter vitiatus ſanguis infeſtat? Fratres, etſi extremè mali ſint, apud nos tam facilem eiectionem non patiuntur.] Exoſculor viri doctiſſimi ac religioſiſſimi dicta, dummodò facilis eiectio & pronitas ad dimittendum non accipiatur de præpropera truncatione membri cui vita ſit ſuperſtes in religionis corpore. Eam enim agendi rationem, nec S. Ignatius probauit vnquam, (quidquid nonnulli, antiquis de eo Scriptoribus, Ribadeneyræ, Maffæo, Orlandino, & aliis nil tale prodentibus; nuper ſint commenti;) & facile eſt perſpicere, laniis potiùs congruere, quàm Religioſæ familiæ moderatoribus, qui reſcindendo membro nunquam admouebant cultrum, ſi vita ſuperſit membro vtcunque ægro, & curationis ſpes abſque reciſione affulgeat. Obtendebatur in hôc criminationis capite, ex huiuſmodi vitioſorum iuſta expulſione, grauari Antiſtites, & familias turbari. At neutrum rectè dicitur: ſiquidem qui dimittuntur, vel facilè ſibi ex patrimonio prouident, citra grauamen Antiſtitum; vel ſua induſtria, haud magno labore parant, vnde vitam exigant; nec vel Epiſcopis ſint oneri, ſi iam ſint ſacerdotes, vel gradum Clericalem mendicatione dehoneſtent. Vt autem familias non turbent, regrediendo ad facultates quas dimiſerant, partim Principum edictis cautum eſt, partim cognatorum ſolertia variis artibus prouidet. IV. Chorum dimittimus quia multitudo occupationum, Eccleſiæ commodiorum, aliò nos auocat: Non quod dicamus *Chorus ad ineptos*, vt mendaciter nobis affingit Thomas Hurtado; ſed quod nequeamus, ſimul & ſancto muneri, & aliis ad honorem Dei vtiliſſimis quæ nobis impoſita ſunt operam nauare. Neque ſanè initio, multi Religioſi Ordines qui nunc chorum frequentant, Deo laudes in choro, pangebant. Videſis Suarem Tract. 10. lib. 1. cap. 8. & Vaſquem cap. 4. §. 1. num. 47. in Tractatione de beneficiis ac Leſſium lib. de Iuſt. cap. 41. n. 23. ac fusè Ribadeneyram.

SECT. IV. PVNC. IV. §. V. *Maledictiones variæ, in Religiones iniectæ.*

SECT. IV. PVNC. IV. §. VI. *Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.*

daneyram. l. de inſtituto Societatis V. non habemus ſtatas pœnitentias quia in tanta miniſteriorum diuerſitate & tam multiplici perſonarum conditione, nihil certi omnibus commune præſcribi potuit; quamuis prudens ſuperiorum arbitrium, poſſit & debeat vnicuique imponere; quod è re eius fuerit, præter ea quæ quilibet vltrò ſolet ſuſcipere, vt nominatim accidit circa ieiunium Aduentus Domini, quod multi inter nos citra obligationem voluntariè ſacrificantes decurrunt. VI. denominatio facta immediatè ſuperiori prætermiſſa correctione Euangelica, in vſu iam olim fuit apud Benedictinos & Prædicatores; atque Minores vt oſtendit Iacobus Aluares. lib. 5. de vita relig. inſtit. cap. 12. §. 1. Et ſaluis quibuſdam temperationibus, (de quibus Sanchez, l. 6. in decal. cap. 18. num. 46. Suares, diſp. 8. de char. lib. 6. & tract. 10. de relig. lib. 10. cap. 8. q. 10. & Valentia,) 22. d. 3. q. 10. p. 5. §. 1. eſt vſus honeſtiſſimus, & Religioni ſaluberrimus. VII. In rebus Theologicis non ſumus ſerua pecora; tametſi quantū fas eſt, inhæremus S. Thomæ. Licentiæ autem ac laſciuiæ ingeniorum, frænos iniiciunt qui ſtudiis præſunt, iuxta varia circa hoc negotium decreta. VIII. obligatio Profeſſorum, vt promoti in Antiſtites audiant Generalem, etſi ſuis ſenſis meliora indicent monita à Generali ſuggeſta, ea mandent executioni, eſt decentiſſima, & abſurdè à Paſqualigo & Iulio Clemente Scoto, Apoſtata, fuit exagitata, vt latè monſtraui in huius Bambalionis impugnatione, in opere aduerſus Iulium Scotum. IX. Literas humaniores tradimus, vt teneræ ætati ſimul cum literis pietatem inſtillemus, & fructus reſpondit labori. Suares Tract. 10. lib. 5. cap. 2. in hoc puncto eſt multus. Quomodò verò elidenda ſit argumentatio ducta ex Sancto Deſiderij Viennenſis redargutione per Sanctum Gregorium, legendus Indiculus SS. Lugdunenſium. V. G. *Deſiderius.* Itaque omnia capita penes quæ notabamur vitioſæ ſingularitatis, euaneſcant.

Arguimur præterea ignauiæ, & mollis tractationis corporum, ac (ſi Deo placet) Sybariticarum menſarum. Ita Petrus Boquinius Sectarius cap. 5. libri contra nomen Societatis. Quem quoad mollem corporis tractationem, elidit Franciſcus Turrianus obiiciendo tres ſupra quadraginta ex noſtris, pro fide Chriſti per illud tempus cæſos à Boquini ſodalibus Caluinianis. Et poſſent nunc multò plures adduci in Anglia, in Iaponia pro Chriſto trucidati. Nec defuere Galliæ, alacres pro cauſa Chriſti certatores Iacobus Saleſius, & Gulielmus Saltamoneſius, mactati à Caluinianis. Et recentiſſimè in oris Franciæ Americanæ, à feris humana ſpecie graſſantibus, immaniſſime lacerati ſunt cõplures, atteſtati Ieſuitarum generoſitati, & pectoribus honeſto nobili incoctis; malentibus poſt duriſſimos labores Chriſti cauſa exantlatos, vitã prodigere, quàm de conſtantia decedere. Hi & eorum ſodales penè innumeri, per immenſas ærumnas, per grauiſſima diſcrimina, per omne genus imbonitatum, manifeſtiſſimum fecerunt, eſſentne molliculi, ac deſides. Et audet Boquinus, audet neſcio quis ex Caluini hara, vel ex Lutheri ganea, Epicuri benè curata cute porcus, adhærens compari, ac plerunque (ob præmiſſa ſacra cum Deo pacta,) infami lupæ, obiectare ſeruis Dei mollitudinem & cuticulæ curam in deſideriis? A cõmuni ſociorum vita hanc calumniam concinnè depellit. Hieronymus Drexelius, in Tract. de ieiunio. Ferendum ſit allatrari ab huiuſmodi Lyciſcis; qui cum Deo vel paſtum terræ nunquam acquiſiuerunt præ vita molliſſima & carnea, vt Tertullianus lib. de præſor. rectè aduertit. nauis & indefeſſis & Dei operariis impingere mollem tractationem. Si enim ſectarius Patrem familias Belzebut, vocare perpetuum eſt, quanto magis domeſticos eius? At quis non ſtupeat, homines Catholicos & religioſam vitam profeſſos, adeò à recto abalienari, vt noſtros miſſos Euangelicos, ad Iaponios, & Sinas, oraſque confines, arguant mollitudinis, ac captationis deliciarum; ac ne ipſos remordeat conſcientia, dicere quod prædicent gentibus Chriſtum, ſed non crucifixum; prætexendo horrorem Ethnicorum, ſi audirent Deum quem illis annunciant, patibularium de infami ligno pependiſſe? Dixit hoc de Ieſuitis mollientis, crucis ignominiam conſultò occulentibus, ne erubeſcant ſub ſpinoſo capite deliciari, Thomas Hurtado. in Reſol. orthod. Et præiuerat quoad preſſam Crucis infamiam prætextu horroris Ethnicorum declinandi, Dominicus Gramma. Sed eſſe merum commentum, aliundè monſtratum eſt in tertia Buccaferrea, & tactum quoque eſt, tractando calumniam præuaricationis. Iulius Clemens Scotus Apoſtata noſter, quem non puduit effutire, *Societatem de ſpiritu feruoris remiſiſſe, & ignauia ſolutam deſtitui generoſis pectoribus, qualia initio habuit,* exploſus eſt in opere contra hunc virbium.

Apud Ioſephum Scaligerum audimus indocti Hoc tamen Arnoldus Forenſis tabula Gallus, eiuſdẽ cum Scaligero ſuperſtitionis Caluinianæ profeſſor, (& ſane titulo extruſus eſt Ricomago, plebis Catholiciſſimæ Zelo, vniuerſa eius ſupellectile in foro concremata:) negat abſolutè & vniuerſaliter videre: Nam in ſtudiis Theologicis præcellentiam concedit ſocietati. Eius hæc ſunt verba de ſocietate [Eius vera profeſſio eſt Theologia. Hic ille Theſaurus eſt, in quo exercitatiſſima eſt. Vt neceſſum ſit fateri omnes, illã in diſputationibus huius ſcientiæ aliarum Reginæ excellere] Ignorantiæ in aliis diſciplinis infirmabat ſocietatem Arnaldus Charabam Literatiũ Batauicum imitãs Scaligerum dico. Iuſt Scaliger, maledicentiſſimus ſimul & arrogantiſſimus Itaque nihil mirum eſt, ab homine hæretico, inflato mentis ſuæ ſenſu, hoc oletum verbis, (vt ei aſſolet,) ſpurcis ac fœtidis, à viro honeſto abhorrentibus, effuſum eſſe. Martinus Debrio in peniculo foriario, ſpurciloquia Scaligeri, abundè repræſentauit. Eiuſdem maledicentiam & craſſas hallucitationes; Carolus Scribanius ſub perſona Clari Bonarſcij exhibuit, nec non in Mineruali Serarius, & in doctrina temporum Dionyſius Petauius. Ab ea Trinitate ſcriptorum fortiũ, Goliath iſte apud ſuos Miniſtellos audiens *Deus rei literariæ*, quam leniter tinctus ſolida doctrina fuerit Alazon iſte, manifeſtè eſt euictum. Sed potentiſſimè redarguit eius inſipientiam muta oratione, Bibliotheca Societatis Ieſu, à Philippo Alegambe amœniſſimo Scriptore concinnata, ex principiis Petri Ribadeneyræ, cui mox ingens acceſſio à Patre Nadaſſo in Philippi labores ad ſupplendum introëunte, apparatur. Sed & externi, queis non liuent oculi, nec faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, ſed veritati, ſyncerè litant, luculentum teſtimonium doctrinæ Ieſuitarum perhibuerunt, nominatim Martinus ab Azpilcueta, Nauarrus, & Thomas Gallerus, in Religioſo: capite 14. ac Marcellus Francolinus. de horis Cano, Mihi tanquam domeſtico,

argumentum

SECT. IV. PVNCT. V. §. VII. Maledictiones variæ in Religioſos iactatæ.

argumentum iniurioſum parcè ac ſobriè vſi ſunt. Sed nihil potentius, certè clamoſius, ac importunius vrgetur, quam quod ſimus euerſores ſacræ Hierarchiæ. Hoc non hæretici, ſed domeſtici fidei, (ſaltem in ſpeciem,) aſſiduè impingunt. Sine ratione Confeſſionum quas accipimus etiam in Paſchate, ſine ratione ſodalitatum B. Virginis quas dirigimus in magnum (vt volunt,) parœciarum detrimentum, quia ſic imminuitur frequentia matricibus Eccleſiis debita. Verùm nihil horum nos ſpecialiter vrget. Nam Confeſſiones excipiunt toto anno alii plerique Religioſi, quibus non impingitur Sacræ Monarchiæ euerſio. Tametſi Maioribus quoque pridem eſſe impoſitam, eo quod prædicarent, & Confeſſiones exciperent Sanctus Bonauentura teſtatur, & iniuriâ id vrgere demonſtrat. Dixi in eam rem omninò multa in Arnaldo verbis, cuius hunc crocitatum depuli. Imò in caput talia obiectantium retorſi hoc verbum, quod ij verè peſſundent Hierarchiam ſacram, qui iura à Pontificibus conceſſa, & tot ſeculorum tracta firmata tentant conuellere. Æquè inane eſt, quod obiicitur de Sodalitiorum Parthenicorum directione. Idem quippe opponi poſſet curatoribus aliorum ſodalitiorum, quorum pleraque à variis Religioſis diriguntur. Neque verè iuribus Parochorum officere ea ſodalitia, egregiè euincit Edmundus Augerius capit. 24. in Metanæologia, qui ſapienter admonet, non quærentibus quæ ſua ſunt, ſatis eſſe poſſe, quod ſint certi, oues ſuas alibi non famere, præ defectu boni pabuli, ſed in paſcuis pinguibus à Deo prouiſis, reſici congruenter. Alias gerras calumniarum ex Camarima Rupellenſi, cui titulus eſt *Doctrina Ieſuitarum præcipua* capita petere licebit, & ex Lithi Miſeni opere contra vitam S. Ignatii. Me iam tot propudiorum, pœnitet, & tædet.

§. VII.

Maledici in Religioſos, ex omni conditione, gradu, ſtatu, ac genere?

QVi modis hactenus propoſitis ſunt Religioſis infeſti, in varias claſſes diſpeſcendi ſunt. Nam eorum aliqui ſunt Ethnici, quibus adiungi poſſunt Saraceni. Aliqui ſunt hæretici aut eorum veluti Stolones, Schiſmatici. Nonnulli etiam ſed Catholici, ſed quibus imponitur, vel quos nimius in res ſuas affectus tranſuerſos agit. Nec deſunt domeſtici, quos veſtrum malignum occupauit.

Videor prætériiſſe primarium Religioſorum hoſtem, & omnium incos iniquè ac malignè patratorum, cauſam primam, & vniuerſalem, Satanam dico. Cum enim immenſo furore æſtuet in Deum, quos videt Deo eſſe maximè charos, & in eius obſequio ac cultu flagrantes, eos odio incenciſſimo proſequitur; quod exerit quacunque poteſt via, tentando aſſiduè, & ignem profanum homini congenitum ſodicando, ſæpe etiam exterius, flagris ac tunſionibus ſæuiendo in corpora; vt occidiſſe conſtat Sancto Antonio, & Sancto Romualdo, aliiſque innumeris, quorum per Satanam cruciamenta, proſtant exarata in Actis Sanctorum, & vitis Patrum. [Hoſtile illis (nobis de dæmonibus Sanctus Antonius, referente Sancto Athanaſio,) contra omnes Chriſtianos, maximè verò Monachos, & Virgines Chriſti odium.] Abbas Serenus apud Caſſianum collat. 7. capit. 23. præfatus de hoſtili dæmonum atrocitate in primos Anachoretas, ſubdit. [In ipſis cœnobiis in quibus commorabitur octo vel decem, ita eorum atrocitas graſſabatur, & frequentes ac viſibiles ſentiebantur aggreſſus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, ſed viciſſim aliis deguſtantibus ſomnum, alij vigilias celebrantes, pſalmis & orationibus, ſeu lectionibus inhærebant. Cumque illos ad ſaporem naturæ neceſſitas inuitaret, expergefactis aliis ad eorum qui dormituri erant, cuſtodiam, ſimiliter excubiæ tradebantur.] De moleſtiis quas Monachi Sancti Gregorij ab infeſto dæmone ſuſtinebant, legendus Ioannes Diaconus, autor vitæ Sancti Pontificis lib. 4. cap. 89. De aliis pleriſque monaſteriis, videndus Cæſarius Heiſterbachienſis l. 5. mirac. Sanctus denique Bernardus, fortè mutuatus verba Sancti Antonii ſuperiùs adducta, conteſtatus eſt lib. 7. vitæ capit. 2. ingens eſſe Satanæ odium in omnes Chriſtianos, ſed maximè in Monaſticæ Religionis profeſſores. Perſonis enim eorum ac locis, infeſtum ſe præbet. Nec abs re Thyræus l. de locis infeſtis à capit. 4. inter loca infeſta in quibus dæmones turbas cient, ac tumultuantur, recenſet habitacula Monachorum. [Et in ſeculo quidem, quando ei militabamus, pacatus erat nobis, (vt ratiocinatur Eucherius hom. 8. ab Monach. numer. 7.) non enim habebat in miſerabili vita noſtra, in quo exerceret inuidiam. Delectabant illum noſtra opera. Sed ſupra omnem eam felicitatem erat vita noſtra quibus nocere non dignabatur inimicus. At tranſlatis in Religionem nobis [videns idola ſua in Dei templa mutari, frendens & tanquam leo rugiens, omnes nocendi aditus peruigil explorat, dirigit contra nos vitiorum acies, mille contra nos nocendi verſat ingenia.] Perſtrinxi quæ fuſiùs ibi proſequitur vernantiſſimus diſputator. Exploratum ergo eſſe debet, dæmones Religioſis malè velle. Non placuit tamen eos annumerare inſectatoribus Religioſorum. Tum quia nihil in nos poteſt Satan, abſque mala voluntate noſtra, vt diſſerit Abbas Achilleus lib. 7. vitæ PP. capit. 25. numer. 4. nec poteſt pro libidine nobis nocere, quia qui fecit eum applicauit gladium eius iuxta Sanctum Gregorium 32. mor. capit. 16. & veluti canis innexus catenis, latrare poteſt, mordere non poteſt niſi volentem, vt ait Sanctus Auguſtinus ſ. 196. de temp. & optimè ad titulum Pſalmi 91. nec non Sanctus Bernardus ſerm. de duplici baptiſmo ac Pelagius Epiſtol. ad Demetr. Secus quam homines, qui etiam nolentibus inferunt nocumentum: Tum etiam quia, Satan eſt cauſa vniuerſalis omnium inſectationum quæ iuſtis irrogantur. Ac denique quia eſt hoſtis inuiſibilis, trucidans in obſcuro rectos corde. Extra dubium igitur eſto, Satanam eſſe hoſtem antiquum, poſſeſſorem intimæ confuſionis (id enim ſonat nomen Regis Babylonis, quod Satanæ aptat Sanctus Gregorius 7. mor. capit. 16.) Ipſe eſt ſimpliciter dictus *inimicus*, de quo Sanctus Auguſtinus ſ. 26. de diu. capit. 16. accipit illud *odio habebis inimicum tuum*. Ipſe eſt antonomaſticè hoſtis noſter, vt idem Auguſtinus in pſalm. 40. ad verſ. 2. alibi tradit. Idem, eſt ipſamet ſitis mali noſtri, iuxta Sanctum Gregorium 14. moral. capit. 5. Ob rationes tamen propoſitas, non recenſeo Satanam inter hoſtes Religioſorum; reſtringens

 autem

SECT. IV. IVNC. IV. §. VII.

Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.

autem ad homines Satanæ in eorum perſecutione ſuccenturiatos.

In his, fuere imprimis Ethnici, quibus Monachorum nomen innotuit, habuere quippe eos exoſos, & multipliciter illos ſunt inſectati. Ita videre eſt apud Iulianum Apoſtatam orat. 7. componentem eos cum falſis Cynicis, nequiſſimis ac ſpurciſſimis. De Philoromo Monacho, proditum eſt, cum ſeculo renunciaſſet potente rerum Iuliano, ab ipſo primum fuiſſe, & caluitie dehoneſtatum, permultumque petulantibus pueris, vt ab eis alapas impingentibus diuexaretur. Liberæ enim & in faciem obſtitit impio Iuliano, quem noua confuſione perfudit, cum percuſſus & decaluatus, gratias impensè egit Iuliano, quod per eius impietatem, dignus habitus eſſet pro nomine Ieſu verbera & contumeliam pati, iſta teſtantur qui hominem aliquando viderunt, & iſta referentem audiuerunt, Paladius c. 213. Lauſ. & Heraclides c. 32. autor appendicis ad vitas PP. cui nomen *Paradiſo* S. Iulianus Sabas, cuius laus eſt apud Chryſoſtomum, hom. 21. in ad Ephet. in mor. de impij proſtratione in Perſide ſibi diuinitus patefacta, exultaui præter morem, eo quod ſciret tentata ab eo ſeruis Dei mala, & plenum exterminium ſi redux fuiſſet. Teſtatur etiam Zonatas, Tomo 3. Annal. Iulianum in Monachos fuiſſe efferatum, eo quod dæmon paredrus à Iuliano miſſus in Occidentem, precibus Publii Monachi, prohibitus eſſet progreſſione per decem continuos dies; poſt quod regredi infeſto negotio ad quod obligabatur, adactus eſſet. Itaque Iulianus audita remora per Publium miſſo ſuo iniecta, conteſtatus eſt, ſe vniuerſo Monachorum generi vaſtitatem illaturum, vbi victor reuertiſſet; quod vlciſcente Deo, nunquam contigit. Mirum porrò videri non debet, abhorruiſſe à Monachis omnibus Iulianum. Nam adeò furuum pectus, quod tantum concepit dolorem & tantam peperit iniquitatem, vt eiuraret Deum verum, & Chriſtianum baptiſmum nefaria litione eluere tentaret, non potuit in eiuſdem veri Dei ſeruis non malignari. Accedit, quod Iulianus inter Monachos fuerat aliquando cooptatus, vt dictum eſt in Tractatione de Apoſtatis. cap. 4. Familiare autem eſt deſertoribus ſacrorum cœtuum, odiſſe & omni probro reſpergere quos deſeruerunt ne malè deſeruiſſe videantur, vt eadem lucubratione eſt annotatum c. 10.

Arethuſii Ethnici, fauore Iuliani pro viribus Ethniciſmum à Conſtantino Magno exciſum, in ſanctimoniales Chriſtianas dirè graſſati ſunt, vt his verbis deſcribit Gregorius Nazianzenus orat. 3. Eccui incognitus Arethuſiorum furor? illi enim (vt, vnum ex multis commemorem, quod etiam Atheis horrorem incutere queat), virgines caſtas & mundo ſubliniores, quæque vix etiam viris vnquam in conſpectum venerunt, in medium productas, veſtibuſque ornatas, (vt per aſpectum contumeliam ipſis prius inferrent); ac poſtea proſciſſas atque diſſectas (ò Chriſte, quomodo tuam illius temporis contumeliam feram?) partim propriis etiam dentibus comminutas ediſſe; atque vt eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus ſe ingurgitaſſe feruntur; ac cibo illo perfunctos, communem & vſitatum admiſiſſe; partim palpitantibus adhuc viſceribus, ſuillum pabulum inſeruiſſe; feroeiſſimiſque porcis immiſſis, hoc ſpectaculum obiec iſſe, vt ſimul cum hordeo carnes laniari atque exedi perſpicerent. Miſtum alimentum, actum primum conſpectum, & auditum; quo ſanè is ſolum, dæmones ſuos alere merebatur, qui horum ſcelerum architectus erat. Quemadmodum etiam vt par erat, & ſanguine illo & vulnere aluit quod in præcordiis accepit] Zozimus, laudum Iuliani Apoſtatæ indefeſſus buccinator Conſtantini verò Magni ob ſuſcepta Chriſtiana ſacra rabioſus lacerator, Religioſis moſtibus maledicentiæ ſuæ dirè commandit; vt apud eum videre eſt. lib. v. Narrans enim ſeditionem Conſtantinopoli excitatam, ob actum in primum exilium S. Chryſoſtomum, ait Monachos intercepiſſe Eccleſias. Monachos autem his depingit coloribus. [Hi Legitimis nuptiis abſtinent, & tam in vrbibus quam in vicis, populoſa collegia complent hominibus innuptis, nec ad bellum nec ad Reipublicæ neceſſarium vſum idoneis: niſi quod via quadam progreſſi, ab eo tempore in hanc vſque diem, magnam terræ partem ad ſe tranſtulerint; & ſub prætextu quaſi cum pauperibus omnia communicent, omnes (propriè dixerim) ad inopiam redegerint.] Addit, eorum audaciam a plebe, & militibus retuſam eſſe, cæſis omnino multis & Monachis & quotquot pullis veſtibus induti erant, arbitrantibus militibus eſſe Monachos; quamuis plerique, vel luctus cauſa, vel ob alium quendam caſum huiuſmodi veſtibus amicti incederent. Tot verba; tot mendacia ei conſimilia figmenta, quod ſubdit de clade vrbis Conſtantinopolitanæ per ignem, cuius vim ſola duo ſimulachra Iouis Dodonæi vnum, & Mineruæ Lindi quondam repoſitum, alterum miraculo (ſcilicet) effugerint.

Eunapius Sardianus, Zozimo per omnia concolor impietate ac furore in Chriſtianos, nominatim effudit in Monachos, cacochymiam, deſcribens vitam Ædeſij. Malè quippè eum habebat euerſio templi Serapidis, & labefactatio ſuperſtitionis Ethnicæ per Chriſtianos Imperatores. Itaque quod in tanto opere, partem non exiguam habuiſſent Monachi, in eorum lacerationem incubuit.

Longobardi, (quos cum Tacito l. 2. Annal. & l. de mor. Germ. & Velleio Pateꝛculo ad hiſtor. Chron. ac ex noſtris Proſpero, & Gentili eorum Paulo Diacono geſta eorum deſcribente Longobardis dicere oportuerat,) Sorduere Ethniciſmo; vt liquet ex S. Gregorio, 3. dial. c. 8. & ex Eccleſiaſticis tabulis 2. Martii, vbi dicuntur adoraſſe caput capræ & dira nece affeciſſe, abhorrentes ab eo cultu. Eſto, aliqui Longobardi, fuerint, Arriani, & alii Catholici. Ex iis ergo qui Ethniciſmo erant, addicti, fuerunt qui Monachos dirè vexarent vt habetur ex literis Stephani 2. (iuxta alios 3.) ad Pipinum Regem. Præter cœtera enim horrenda, quæ à Longobardis patrata refert, addit. [Seruos Dei Monachos, qui pro officio diuino in monaſteriis morabantur, plagis maximis tundentes laniauerunt; & ſanctimoniales fœminas atque recluſas, quæ ab infantia & pubertatis tempore, pro Dei amore, ſeſe clauſuræ tradiderant, abſtrahentes, cum magna crudelitate polluerunt. Quin etiam & in ipſa contaminatione, alias interficere niſi ſunt.]

Xogũ, Iaponũ Imperator, & vniuersè Chriſtiano nomini bellũ indixit acerrimum, & implacabiliter exarſit in Religioſos; quorum ingentem numerum viuicombuſtiis, & inauditis foſſæ & aquæ cruciatibus cœlo tranſcripſit. Noſtrorum in Iaponia trucidatorum, ægrè iniri poſſit numerus. Vt mirum ſit, Fratrem quendam, in ſuo Odœporico Indico, F. Philipp. 9. a S. Trinit. l. 5. Itiner. c. 1. n. 15. & 16. obiter attingentem Chriſtianitatis in Iaponia cladem, cum ex altero ordine paruuloſque mo-

cat

rat pro fide cæſos, plures Noſtrorum centurias dimittere intactas. Hoc, eodem ſpiritu fecit quo corporis S. Franciſci Xauerij incorruptelam, haudo b'cure obtenebrare tentauit. Quæ omnia reſipiunt pectus tactum dolore cordis intrinſecus, ob Hiſtoriam Propheticam F. Franciſci à S. Maria, à Ioanne Pineda confixam, firmato per Hiſpanam, atque Romanam quæſitorum decretoriam ſententiam, vulnere; quod excordes aliquos adeò tranſuerſos egit, vt in opera ſanctæ parentis cultrum immittere non erubuerint, reciſis punctis ſupra viginti, quibus ab ea Heroina Societas Ieſu, cum honore memorabatur. An hoc eſt quod Pſaltes dixit, *tange montes & fumigabunt*? Sed hac de re alibi plenius. Nunc præſenti negotio inſiſtamus.

Quam dirè & inhumaniter in America Canadenſi, tractati ſunt pleriqne Societatis Ieſu Religioſi, ab Ethnicis in quorum ſalutem incumbebant literæ ex ea ora datæ teſtantur; referentes nonnullos ex eiſdem dira nece eſſe multatos: per viuicomburium videlicet, aut interciſionem membrorum; alios truncatos variis corporis partibus ægrè vitam retinuiſſe, & omne genus diræ barbariei excepiſſe. Quod ea ſcripta ſint vulgatiſſima, & terantur omnium manibus, nihil attinet quicquam in particulari annotare.

Saraceni Ethnicorum conſanguinei, vt alibi eſt demonſtratum, furorem ſuum in Religioſos ſæpè ſæpius prodiderunt. Monaſterij S. Antonij, poſtea à Saracenis euerſi; & S. Sarmatæ eius diſcipuli ab iiſdem Saracenis interfecti, meminit S. Hieronymus in Paulo Thebæo, & in Chronico; itemque Romanæ Tabulæ 1. Octobris. Varias graſſationes Saracenorum in Religioſos, attigi ſupra, tractans vexationem per cædes. Nominatim verò Rex Saracenorum ſiue Maurorum Habdalla, miſſo ex Hiſpania Manucha pirata, S. Placidum Tertulli filium, & alios Monachos Meſſanæ trucidauit. Alter item Rex Saracenorum, æquè nomine Habdalla, cum omnium Chriſtianorum; tum præſertim Monachorum, atrox piſcator exhibetur à Theophane ad ann. 757. & aliquot conſequentes. Madi quoq; Habdallę filius & ſucceſſor, eodē actus maniaco & dæmoniaco afflatu, in Monachos fuit ſæuiſſimus. Marochij, quinque fratres Ordinis Minorum, à Mauris ſuperſtitione Saracenis, dirè tractati ſunt, vt habent eorum Acta apud Surium 16. Ianuar. & Sixtus IV. in diſplomate dato anno 1481. ac Chronicum Franciſcanorum, parte 1. toto l. 4. nec non: VVadingæus. Martyrium Conſalui Sylueira Godinus in eius vita agente nefario Pompa Mahumetano, & Franciſci Lepij & Abrahami Georgij ex Societate Ieſu, à Saracenis illatum, monſtrant odia Saracenorum in Religioſos non exoleuiſſe poſteriori ætate.

Confines Saracenorum ſunt Iudæi. Ex ea colluuie in Religioſos ſæuiiſſe proditur non nemo. Sed ille vnus ſat eſſe poteſt qui odio ſacrarum imaginum litrum prænunciati imperii à Leone Iſauro, periit, & ſacrarum imaginum exterminium, & eorum qui pro imaginibus ſtarent inſectationem. Cum audita eſſet impij Iudæi ſcelerata petitio, immanis perſecutio cum in omnes promiſcuè Catholicos, tum præſertim in Monachos efferbuit Quam Conſtantinus Capronymus nauli corui malum omnum, omni diritate cumulauit, Monachis ſæuiſſimè eam ob cauſam exagitatis, vt in Actis S. Stephani Iunioris, & apud, S. Nicephorum Conſtantinopolitanum, & apud Miſcellæ autorem refertur.

Hæretici in Religioſos fuere ſemper atrociſſimi. Donatiſtas Monachorum hoſtes ſæpè exhibet S. Auguſtinus tract. 97. in Ioann. & l. 3. contra. liter. Petil. c. 40. Petilianus, qui inter eos Alpha erat. [Perrexit ore maledicto in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ, à me fuerit inſtitutum.] Verba ſunt S. Auguſtini. Qui etiam in pſalmum 132. v. 1. tractans illud Pſaltis, *Ecce quam bonum habitare in vnum* (quæ, verba ait peperiſſe monaſteria) ſic habet. [Ex voce huius Pſalmi, appellati, ſunt & *Monachi*, ne quis nobis ex illo nomine inſultet Catholicis. Quando vos rectè hæreticis de Circumcellionibus inſultare cœperitis, vt erubeſcendo ſaluentur; illi vobis inſultant de Monachis. Primò, ſi comparandi ſunt, vos videte: ſi verbis noſtris opus eſt, iam laboratis; non opus eſt niſi vt admoneam vnunquemque, vt attendat; ſolum attendat & comparet: Quid opus eſt in verbis noſtris, comparentur ebrioſi cum ſobriis, præcipites cum conſideratis, furentes cum ſimplicibus, vagantes cum congregatis. Sed tamen dicere conſueuerunt, quid ſibi vult nomen *Monachorum*? Quanto melius dicimus nos, quid ſibi vult nomen *Circumcellionum*? &c. Nam Circumcelliones dicti ſunt, quia circum cellas vagantur. Solent enim ire hac atque illhac, nuſquam habentes ſedes, & facere quæ noſtis & quæ illi norunt, velint nolint.] Itaque Donatiſtas Monachos componebant cum latronibus & graſſatoribus; tractabantque vt tales. Iidem Donatiſtæ, quam indignè tractarent Catholicas Moniales, S. Optatus lib. 2. ſcribens contra Parmenianum refert, ac flebilibus modis deplorat.

SECT. IV. PVNC. IV. §. 1. Maledictio nes var. &, in Religioſos tanta.

Arriani Monachos dirè ſunt inſectati. De Lucio Arrianorum Pſeudo Epiſcopo, ſic ſcribit Sozomenus. l. 6. c. 20. [Adiuncto ſibi præſidiariorum militum præfecto, cum magna hominum manu ad bellum contra Monachos in ſolitudine gerendum contendit. Nam fortaſsè perſuaſum habebat, ſi eos qui tranquillitatis ſtudio ducebantur, exagitaret, ſe illos ita in ſuam perducturum ſententiam; & Chriſtianorum voluntates qui in vrbibus habitabant, eo pacto facillimè ad ſe conuerſurum; quandoquidem multi & diuini viri, id temporis, monaſteriis illius regionis præerant, & omnes opinionem Arij deteſtabantur. Quorum teſtimoniis populus obſecutus, eandem quam illi doctrinam amplexatus eſt qui de dogmatis religionis diſſerere, aut inaniter garrire, neque voluit, neque nouit; ſed veritatem credidit penes illos eſſe, qui virtutem factis declarabant; quales tum ex Monachis Ægyptiis, facilè principes fuiſſe accepimus, duos Macarios, Pambo, & Hieraclidem, & reliquos Antonij diſcipulos. Lucius igitur abitratus non poſſe fieri, vt doctrina Arriana in animis Orthodoxorum penitus insereretur, niſi poſſet efficere, vt Monachi iſti ſecum opinione conſentirent; quoniam illis perſuadere non poterat, vi cogere aggreditur.] Ruffinus 2. hiſtor. c. 3. de truculento hoc Lucio, ait, eum talia patraſſe, qualia nunquam à perſecutoribus Ethnicis perpetrata fuiſſent. Eiuſdem Ariamoniæ profeſſor Balacius, Ægypti præfectus, Monachos & Moniales nudari & flagellari publicè fecerat. Cum verò S. Antonius per literas eum corripuiſſet, literas expuens proiecit, & latores multis affecit iniuriis, minis quoque in ipſum S. Antonium intentatis Sed eas dira mors paulo poſt ſuperueniens caſſas reddidit, vt narrat. S. Athanaſius c. 52. vitæ.

Valens Imperator Arrianus, de furore in reliquos Catholicos viſus eſt aliquid remittere, audito

Themiſtio

SECT. IV. PVNC. IV. §. VI. *Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.*

Themiſtio, facundo oratore, apud aliquot Imperatores gratioſo, tametſi Ethnico. In Monachos tamen implacabiliter exarſit, iubens eos ad militiam adigi, & renitentes contundi fuſtibus, aut etiam letho dari, vt narrant Oroſius l. 7. c. 33 & S. Hieronymus in Chronico ad annum 375. Eoſdem Valens fraudauit immunitate à tributis, conceſſa à Conſtantino & Conſtantio, vt habetur ex Codice Theodoſiano, l. 63. de decur. & ex Nazianzeno Epiſtola ad Iulian. & carm. ad Hellenium. Reliqua diræ tractationis, petere licet ex Socrate l. 4. c. 19. Ruffinum exſcribente; qui agunt de ſola perſecutione Monachorum in Ægypto, vbi erant Monachi innumeri. Non tamen ibi ſtetit furor Valentis, ſed alias quoque oras eſt peruagatus, vt liquet ex conſolatoria per S. Baſilium eſt 19. inter addititias epiſtola, qua aliquod lenimen adhibere tot ærumnis eſt annitus.

Conſtantinus Copronymus in omnes pios immaniter bacchatus eſt, ſed in Monachos immaniſſimè. Nullum atrocitatis genus ab eo prætermiſſum eſſe in SS. Monachos, liquet ex Actis S. Stephani iunioris, & ex Theophane, in Miſcella ac S. Nicephoro Conſtantinopolitano, in Hiſtoria. Monſtroſo furoris genere, aſtrinxit populum Conſtantinopolitanum, iuramento ſuper SS. Euangelia & S. Crucem, ac diuinam Euchariſtiam concepto, quod nunquam eſſet Monachis communicaturus, aut ſalutantibus aliquid humanum reſponſurus. Imo quod obuios ſectos pro cliſurus eſſet contumeliis, & denominaturus *tenebroſos* à veſte nigra, ac *immemorandos*, id eſt deteſtandos; & lapidibus appetiturus. Clade accepta bis mille & Sexcentarum nauium in Bulgaros directarum in maiorem veſaniam prorumpens, Monachos, quotquot erant Conſtantinopoli, adegit cum Monacha, quemque manu prehenſa per medium hyppodromum tranſire, incitato populo ad illis conuiciandum, vt narrat S. Nicephorus. Addit Theophanes ad annum 771. per Thraciæ præfectum, Monachos omnes ſuis monaſteriis exturbaſſe, & bonis ſpoliaſſe; ſcripta quoque de geſtis SS. Monachorum incendio damnaſſe. Audiendus quoque de huius beſtiæ in Monachos crudelitate S. Nicephorus ad annum 466. [Inter hæc (inquit), Imperatoris impietas multo inſolentiùs efferri, ac religioſorum hominum & conſecratorum vita omnis irrideri, ac ludibrio haberi: Sed in ſancta Monachorum collegia præcipuè, vis illa bacchata eſt. Qui enim ex illorum Ordine in ſuſcepta profeſſione perſiſterent, ac vitæ ſuæ cultum ac inſtitutum conſtantius retinerent, aut illorum ſacrilego dogmati repugnarent, variis pœnis, & exquiſitis tormentis ſubiecti ſunt. Aliis barba flammis exuſta, aut cum ea parte traherentur, violenter euulſa. Aliis Sacrarum tabularum quibus Sanctorum effigies inſcriptæ erant, illiſu, capita diffracta ſunt. Nonnullorum oculi ſuffoſſi, alij aliis corporis partibus crudeliſſimè mutilati. Ita pietate omni ac religione pulſa, & Gentili ſuperſtitione denuò velut introducta, ſcelerum machinæ omnes admotæ ſunt, quibus ſanctis hominibus inſultare ac nocere ſtudebant. Ex quo factum eſt, vt nonnullos in eandem ſecum perniciem atque exitium traherent, qui illorum impio dogmati ceſſerunt; partim violentia impulſi, partim dolo circumuenti, adulatione decepti, aut pecuniarum illecebra capti; aut Magiſtratuum ſpe ac præfecturarum militarium inducti, aut aliis deniq; nefarij hominis inſidiis ac fraudibus irretiti, eiurata profeſſione ac religioſo illo cultu depoſito, ex attonſis in comatos mutati ſunt.]

Hæreticis Tyrannis, verius quam Regibus, ſuppar impietate & odio in Religioſos, fuit Henricus 8. Rex Angliæ, quem fœda libido transformauit in monſtrum hominis. Quam trux & ſæuus fuerit in Monachos, legere eſt in hiſtoria Campiani, de eius cum Catharina diuortio, & apud Sanderum, & Ribadaneyram Carthuſianos, quos hic pardus immaniter diſcerpſit, memoraui in Brunone ſtylita myſtico; punct. 10. §. 2. *in fine* ibi etiam de aliis eiuſdem ſacræ familiæ in Belgio ſub Guilelmo Arauſico trucidatis, adducta eſt ſcriptio Arnoldi Hauenſis.

Arnoldus de Brixia, quem S. Bernardus epiſt. 89. notat *Abelardi hæretici armigerum, & opem de Italia*, (ne è Breſcia ſiue ora ſebuſiana ortum quis cenſeat, in S. Bernardum & quoſuis Monachos infixit genuinum, eò virulentiùs, quod ſanctitatis ementitam ſpeciem præferebat, & mellea dicendi facultate pollebat, nec pura falſiloquia, ſed nonnullis veris admiſta incautis propinabat. Depingit eum ſuis coloribus Otho Friſingenſis l. 2. de rebus Friderici & S. Bernardus variis locis quæ adnotauit Prateolus in hæreticorum Elencho in elencho V. Arnaldus. Scitè Guntherus in Ligurino, lib. 3. quem adſcribo, agentem de turbis ab eo Romæ excitatis.

Cuius origo mali, tantæque voraginis auctor.
Extitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Peſtifero; tenui nutriuit Gallia ſumptu,
Edocuitque diu. Tandem natalibus oris
Redditus, aſſumpta ſapientis fronte, diſerto
Pollebat ſermone rudes, clerumque procacis
Infeſtans odio; Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris;
Pontifices, ipſumque grauis corrodere lingua
Studebat Pappam, ſceleratáque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo
Iure ſequi Monachos. Nulli fiſcalia iura
Pontificum, nulli cura popularis honorem
Abbatum, ſacras referens concedere leges.

Mitto reliqua quæ de eius blandiloquio, & nonnullis veris falſo vberi immiſtis, addit Guntherus.

Ioannes VVicleffus, malignitatis in ſacra omnia oſtentum, in lacerandis Religioſis impudoratus & effrenis fuit, vt videre eſt apud VValdenſem, t. 3. & ex parte, in Concilio Conſtantienſi, vbi ſeſſione 8. referuntur quadraginta quinque eius articuli reprobi. Eorum Viceſimus, & aliquot ſequentes, feriunt Religioſos, & ſic habent art. 20. [Conferens eleemoſinam fratribus, eſt excommunicatus, eo facto. 21. Si quis ingreditur Religionem priuatam qualemcunque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſeruantiam mandatorum Dei. 22. Sancti instituentes religiones priuatas, ſic inſtituendo peccauerunt. 23. Religioſi viuentes in religionibus priuatis, non ſunt de religione Chriſtiana. 24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicationem. 31. Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri Diabolici. 34. Omnes de ordine mendicantium, ſunt hæretici, & dantes eis eleëmoſinam, ſunt excommunicati. 35. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad ſeruandum diuina præcepta, & per conſequens ad perueniendum ad regna cœlorum, niſi apoſtatauerint ab iiſ-

dem,

dem], 44. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc quod habuerint poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intrauerunt Religiones, & ſic à Domino Papa vſque ad infimum Religioſum, omnes ſunt hæretici. Omnes 45. Religiones, indifferenter introductæ ſunt à Diabolo.] Quas dixit Religiones priuatas, ipſæ ſunt familiæ ſacræ Religioſorum, contra diſtinctæ iuxta Vvicleffum Religioni communi, ſiue Chriſtianæ. Omnes hi articuli & alij complures ab hoc Diaboli in diebus ſuis primogenito effutiti, damnantur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & accuratè refelluntur à Valdenſi, nec non à Gulielmo Vicleffordo. Videndus item de effrænatiſſimo Vvicleffi genio Harſpfeldius in hiſtoria Vvicleffiana. Vt mirum proinde eſſe non debeat, ingenium adeò tetrum atque malignum, in Religioſos eſſe efferatum.

Eraſmus multiplici hæreſi ſorduit, vt monſtraui in opere de Apoſtaſia, & libro de iuſta confixione librorum, agendo de libris Atheorum clancularioꝛum. Itaque meritò inter hæreticos Religioſorum perſecutores recenſetur. Peſtiferum eius opus colloquiorum, ſcatet inſulſis ſalibus in Religioſos. Opus Adagiorum ante caſtrationem à Manutio factam, iiſdem furfuribus redundabat. Ferre non poteſt. Eraſmus, deſertores ordinum dici *Apoſtatas*, contendens eam probroſam appellationem, in ſolos eiuratores fidei cadere. In quo ſibi proſpicit. Hæſerat enim inter Religioſos Religioſus, per annos nouem; quibus ſic exactis, conuerſus eſt retrorſum. Vix vllum eius opus legitur, in quo vel apertè, vel ſubdolè, non feriat Religioſos. Ac nominatim Eccleſiaſtes, ſiue opus de ratione concionandi, ſæpè ſæpiùs his maculis contaminatur, per ſpeciem illuſtrandi aliquod monitum Concionatori opportunum.

Lutherus l. de votis Monaſt. hanc fœdam cacochymiam è purulentiſſimo pectore vomuit in Religioſos. [Cupio eradicata, & extincta, & abolita eſſe vniuerſa monaſteria, quæ vtinam Dominus igne, & ſulphure cœleſti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat; adeò vt ne memoria quidem illorum ſuperſit. Neque ſatis fuerit, illis anathema imprecari *&c.* Vota Monaſtica ſunt impia, Gentilia, Iudaica, Sacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, hypocritica, Apoſtatica, & Sanctorum exemplis aduerſaria. Quare cum omni fiducia reuocanda, & diſcerpenda ſunt, etiamſi pia & ſana opinione emiſſa ſint.] Quid addi poteſt ad eam efferationem in Religioſos? Accipe tamen ſuperpondium, quo alibi in 1. Cor. q. 7. eos qui cœlibem in Monaſteriis, vitam exigunt, ait concremare corpora ſua idolo Moloch. Lutheri corculum Philippus Melancthon in Apolog. confeſſ. Aug titul. de votis, vitam Monaſticam nouitium inuentum appellat. Opera verò Monaſtica vocat ſimulationes hypocriticas, & traditiones Phariſaicas atque Mahumeticas.

Ioannes 4. inſtit. capit. 3. Caluinus coluber de harum regularum radice egreſſus, vocat monaſteria *Lupanaria*, & vota monaſtica *retia Satanæ.* Monachos omnes nominat *Sophiſtas cucullatos, qui ab Eccleſia defecerunt, & ſe totos Diabolo conſecrarunt* 4. inſtitutio. capit. 13. numero 17. Ieſuitas ex nomine mordet, & Anabaptiſtis annumerat.

Matthias Flacius 3. inſtitut. cap. 13. numero 2. Illyricus, cum ſuis Magdeburgenſibus centur. 10. cap. 4. multa tetra & horrida effutit in Religioſos, vocans eos *hominum monſtra omnibus execranda; inimicos humanæ Societatis, & perfectos infractores tabulæ ſecundæ Decalogi*

SECT IV. PVNCT IV. §. VII. *Maledictiones variæ, in Religioſos iniuria.*

Henricus Stephanus Caluinianus, Camarinam mendaciorum & ſpurciloquiorum, titulo *Præparationis ad Apologiam pro Herodoto*, impleuit narrationibus fœdis atque indignis, quibus ſacrum ordinem vniuerſum, ſed Religioſos præſertim, dehoneſtaret. Religioſos deformat omnibus turpibus notis, barditatis, luxuriæ, gaſtrimargiæ, ventricoſitatis, auaritiæ. Et cuius non? Iocularitatem Eraſmi, quam infeliciter æmulatur, perfudit mordaci aceto in ſacras cœnobitarum vtriuſque ſexus familias. In ſumma opus eſt teterrimum, & velut Diaboli armamentarium contra bonam famam Religioſorum ordinum, omni propudio inſtructiſſimum.

Ioannes Leuntclauius, Apologiam pro Zozimo adornauit, in qua attingens Valentis legem contra Monachos, ait, Valentem iniuſtè eſſe reprehenſum eam ob cauſam: Et ea lege ad vſum reuocata, ac redactis ad militares annonas ampliſſimis facultatibus quas ignauæ pecudes, (Monachi,) abſumunt, & agmina cogi poſſe maxima contra Barbaros, & in armis perpetuò ſine Reipublicæ ſumptu aliquo, cuius ipſe quaſi ſanguis & ſuccus vana maiorum ſuperſtitione ventribus illis ceſſerit.] Idem in præfatione ad Muſulmanicam hiſtoriam. [Ne Derſuilaros quidem, qui ſolitarii ſunt Turcarum, à vita quæ in actu conſiſtit, abſtinere videas. Secus atque fieri conſtat apud nos Chriſtianos, qui Monachorum greges infinitos graui cum onere Reipublicæ, nec vllo fructu, vel in legata, vel in armata militia, ventres nimirum pigros alimus.]

Quid paucas ex hæreticis, (noſtrorum præſertim temporum) ſpicas odiorum teſtes decerpo, cum conſtet, omnes ad vnum Lutheri, Caluini, ac Zuinglij gregales, in Religioſorum nomen conclamare, & quaſuis Aſcetarum familias quibuſcumque poſſunt modis violare, ſibique exoſas profiteri? De inſectatoribus Religioſorum per eos qui foris ſunt, non plura.

Domeſticos fidei, dolendum eſt eandem perſonam non ràrò aſſumere, & locum dare ei expoſtulationi quæ legitur apud Origenem hom. 8. in indices, accommodantem ad hoc negotium, quod ſcriptum eſt de filiis Orientis, vnà cum Madian, & Amalec conuenientibus ad expugnandum Iſrael. Quod enim Madian & Amalec, populus carnalis & tenebroſus, inſurgerent aduersùs Iſraëlitas, ſpiritus ac lucis filios, negat Origenes mirum videri debere. At quod ſe illis iungant filii Orientis, hoc fatetur ſibi maximè mirum accidere. Similiter ergo quod Ethnici, quod Saraceni, quod hæretici, omnes in tenebris & vmbra mortis degentes, inſurgant in Religioſos, non eſt idoneum admirationis argumentum, quare reuera eſt, quod idem præſtent domeſtici fidei, hoc eſt Catholici, ſiue laici, ſiue ex ordine ſacro.

Inter laicos Catholicos Religioſis infeſtos, agmen ducat Valentinianus 3. qui lege lata vetuit, Curiales fieri Monachos, quod eadem Sanctione, quæ extat titul. 12. Cod. de Epiſc. & vetuit quinque Originariis inquilinis, colonis, ac ſeruis. Nonnulli item Principes, memorari à Sancto Bonifacio Moguntino Epiſtola ad Ethelbaldum malignati ſunt in Monachis. Franci magnates, tametſi Catholici, beneficia Monaſtica in laicos tranſtulerunt, quodque probroſiſſimum eſt, etiam fœminas monaſteriis virorum præfecerunt. Eſt de his

SECT. IV. PVNCT. IV. §. VI.

Maledictiones variæ, in Religioſos intorta.

his propudiis, prolixa diſſertatio Ioannis Fileſaci, titulo *Querela Eccleſiæ Gallicanæ.*

Quam vicinos ſuos Cluniacenſes vexarit Comes Matiſconenſis, ſcriptis prodidit P. Mauritius, vt infra referam. Comitem Carnotenſem, Canonicos Regulares eiuſdem vrbis indignè tractaſſe, legitur in Sancti Bernardi Tyronij hiſtoria. Bibliotheca Floriacenſis ſcatet narrationibus inuaſionum ac prædationum quibus plerique nobiles ac potentes ſeculi, in monaſteria ſunt graſſati. Plerique laici, ob filios ſuos Religioſo cœtui adſcriptos, feralem in modum ſunt concitati in Religioſos. Tales nonnullos tempore ſuo hac in parte grauiter peccantes, compeſcuit Sanctus Chryſoſtomus forti lucubratione, cuius titulus eſt *contra vituperatores vitæ monaſticæ.* Sanctus Bernardus ex perſona Heliæ filij apud Claram-vallem attonſi, in parentes ea ex cauſa ferocientes, egregiam ſcripſit parænesim. Quid capitatim appendo laicos Religioſis infeſtos? Saluianus l. 8. de prouid. pleroſque ſui æui Gallos, & gentem Afram vniuerſam, Monachos indigniſſimè habuiſſe, teſtatur oratione pereleganti: quæ hinc commiſerationem in ſeruos Dei indigniſſime tractatos moueat; inde horrorem præ truculentia filiorum nequam, ingeneret legentibus, cum autem ſit diffuſior quam vt hic repræſentari poſſit, ibi legatur.

Præ laicis, infeſti plerunque ſunt Religioſis Clerici, id eſt Eccleſiaſtici ſeculares, præ certim habentes curam animarum, & eorum adminiſtri. Ita obſeruauit Sanctus Bonauentura in opere determinationum ad q. 27. quem magno (vt ſolet) iudicio, nec ita multis differentem, iuuerit audire. Titulus quæſtionis eſt. *Quæ ratio eſt, quod Clerici*, id eſt beneficiarij habentes curam animarum;) *magis oderunt nos, & perſequuntur, quàm laici & ſimplices Sacerdotes.* Ad hanc quæſtionem ſic reſpondet S. D. [Reſpondeo, dicendum. Sicut non omnes laici diligunt nos, ſic nec omnes Clerici odiunt nos. Si qui autem videntur nos odire, hoc quinque de cauſis poteſt eſſe. Vna, quod timent nos, quod ipſorum facta, & exceſſus, vel defectus, pleniùs agnoſcamus, & ſeueriùs arguamus, quia clariùs videmus quales eſſe deberent, & non ſunt, per quos Eccleſia gubernatur. Secunda, quod inuidere nolis, quod ſumus hominibus gratiores, & ipſi comparati nobis, appareant in vita vel in ſcientia vtiliores vel etiam induſtriores in doctrina. Tertia, quod dolent, ſi per confeſſiones, ſecreta eorum ab aliis qui conſcii fuerint, percipimus, dum timent per illa magis vileſcere: vel fortè perſonas illas noſtro conſilio ab eis auerti, & ad meliora conuerti. Quarta quod timent ſibi, aliqua per nos emolumenta ſubtrahi, dum eleemoſinas quæ dantur nobis, arbitrantur ſibi fore dandas, ſi nos non eſſemus. Et hæc videtur potior eſſe cauſa, pluribus qui nos odiunt, ſcilicet ſi plus inhiant lucris pecuniarum à ſuis ſubditis, quàm animarum &c. Poteſt etiam quinta cauſa eſſe, quod diuina iuſtitia illos qui quanto ampliùs cognouerunt & ſpreuerunt, & quibus maiora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & grauiùs cæteris offenderunt, frequentiùs ſacra indignè contrectant, & percipiunt, tanto magis, indurat, & profundius cadere permittit. Vnde non ſolùm ipſi ſunt mali in ſe, ſed etiam alios ſecum malos eſſe deſiderant, & bonos odiunt, & quos incitari nolunt, optant non eſſe, & perſequuntur eos quos diſſimiles ſibi eſſe dolent. Salomon: *Grauis eſt nobis etiam ad videndum.* Et tunc ibidem plures de prædictis tanguntur. Laici verò quia de prædictis cauſis minus habent, adeo minus odiunt. Imo etiam diligunt, quia ſentiunt nos ſalutem ſuam diligere, & ſperant, per nos eam fideliter apud Deum promouendam, ore, meritis & doctrinis. Clerici etiam qui ſanè ſapiunt, eadem ratione nos fouent, & diligunt, quaſi filios ſuos, & vocatores, & cooperatores, tam ſuæ ſalutis, quàm ſuæ ſollicitudinis ſibi commiſſæ, in ſuis ſubditis neceſſarios adiutores, & oneris ſibi compoſiti fideles ſubleuatores.]

Ex Clericis ergo, ſiue beneficiariis exlegibus, aut quærentibus quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, omnino multi variis occaſionibus procellas excitarunt in Religioſos. Aliqui præterea ex falſa opinione, de Religioſis gratis concepta, arbitrantes obſequium ſe præſtare Deo, illos exagitarunt, & exagitare hodiéque pergunt: Fuerunt item quos præda ex monaſteriis diuexatis captata, ageret tranſuerſos in vexationem cœnobitarum. Et tales fuere Antiſtites illi, quos occaſionem præbuiſſe, exemptionibus Religioſorum à Iuriſdictione Ordinariorum per Pontifices, ſupra eſt memoratum. Hodie recrudeſcentibus tempeſtatibus ſonoris, ante annos circiter quadringento excitatis, & poſt aliquod ſeculum denuò commotis, non pauci Antiſtites, præſertim quos Ianſeniu. vigentibus Religioſis damnatus tranſfigit, ferociunt in Religioſos, (nominatim eos qui vitam miſtam profitentur,) & variis tetris effectibus concepta odia exerunt. Eoque res deuenit, vt vnus quiſpiam, adeò emota mente egerit, vt vetuerit Religioſis mendicantibus erogari eleemoſinam, ſatius eſſe conteſtans, elargiri ſtipem Turcæ, quàm Capucino. Heu feralem vocem, quæ aërem inceſtauit, & cœlum horriſono boatu tutudit. Nonnulli nouo hoc ſpiritu acti, renuunt Religioſis ſacros ordines conferre; niſi renuncient priuilegiis a ſede Apoſtolica collatis, & longiſſimo vſu firmatis. Negant item Religioſis, confeſſiones excipere volentibus approbationem, ſiue teſtimonium authenticum de idoneitate ad munus illud obeundum, quippe ſcientia ſufficiente inſtructis, (vt examen præuium docuit,) nulla quoad mores dedecenti labe notatis. Et quamuis huiuſmodi teſtimonium non ſit actus gratiæ, ſed iuſtitiæ, ideóque idoneo comperto negari non poſſit, tamen obfirmatè denegant approbare Religioſos; ſiue calcata, ſiue in dubium vocata poteſtate concedentis priuilegium, (quæ cauſa negandi approbationem, vel ſordet hæreſi, vel eſt hæreſi contermina;) ſiue quod aliqui minus inhoneſtè in ſpeciem obtexunt, aſſerentes ſibi opus non eſſe huiuſmodi adiutorum miniſterio nec velle ad eam functionem adhibere niſi Sacerdotes ſeculares. Cum tamen ius Religioſorum ſit liquidum, & ex conceſſione Rectorum ſupremorum Eccleſiæ, fas illis ſit, iuuare fideles ad ſe accedentes. Colliditur item ea obfirmatio in neganda approbatione, cum iure fidelium, quibus per Eccleſiam fas eſt, Religioſis approbatis aperire conſcientias. Non nemo præterea expoſtulat, Religioſos eſſe à decimis pendendis exemptos, & inde odiorum fomitem petit. Quoſdam, (quis credidiſſet?) nomenclatio *Patrum* Religioſis Sacerdotibus delata, percellit, eámque abolitam volunt, tanquam aduerſantem viribus Epiſcoporum, & Parochorum, quibus ſolis datum eſt, generans in Chriſto per Euangelium myſticos liberos.

His ita generatim præmiſſis, ſubiiciamus in

eandem

eandem rem aliqua ſingularia exempla, (de innumeris pauca) Clericorum ſæcularium Religioſis infeſtorum. Tres Magiſtri Pariſienſes e Clero ſæculari, Deſiderius Longobardus, Giraldus de Abbatis Villa, & Guilelmus de S. Amore, ingentem procellam excitarunt in FF. Prædicatores & Minores Lutetiæ, vt habetur ex Apologiis Sanctorum Thomæ & Bonauenturæ aduerſus illos ac ex illius temporis Scriptore Thoma Cantipratano l. 2. apum c. 10. n. 27. nec non ex opere per Alexandrum 4. damnato & nuper refoſſo quod poſt hæretas ignon iniotitium, qua paucis partas conceperunt collato ſtudio. Tribus prædictis adiungit Cantipratanus, Chriſtianum Beluacenſem, Laurent. Anglicum, & Philippum Greuigium, Academiæ Cancellarium quibus Alexander 4 in bulla cuius initium eſt, cũ olim addit Odonem de Dueco. Turbas per eos excitatas in Regulares referunt præter Cantipratanum, Antonius Senenſis in Chronico Ord. Prædic. anno 1250. & Valinghus in Chronico Minorum ad idẽ tempus Pauca illa quæ ex S. Thoma contra hos Magiſtros decerpo, in uſt ã quãto acore, imo felle agerent, & quò collimarent (In diffamationẽ Religioſorum falſa confingunt. Et enim vt diximus) ad contemnendum eſt cor eorum hæc te nonſunt contenti quælibet mala confingere, ſed grauiſſima, quibus eos ſuſpectos reddant, & hominum ſocietate indignos & omnibus odioſos. Et vt eos ſua detractione plenius opprimant, eis imponunt mala illa quæ in Eccleſia inueniri peſſima poſſunt, & ſecundum eius initium, vt in primitiua Eccleſia, & ſecundum eius progreſſum, ſicut ſecundùm tempus quod nunc agitur. & ſecundum eius terminum, ſicut erit temporibus Antichriſti. Proſequitur ſigillatim S. D. omnia illa horrenda probra, quæ hi Magiſtri per ſe, & ſuos emiſſarios, de ſeruis Dei falſo diſſeminabant, quæ præ prolixitate ibi legenda dimitto. Nec qui leget, mirabitur, in diebus noſtris per lupos ouilla pelle indutos, eadem refingi, atque diſſeminantis in eadem ipſa in qua hi Magiſtri quandam pacis ferocia in Religioſos ſua odia exprompſerunt.

Clerici Angli, vt refert S. Anſel. l. 3. epiſt. 20. literis in eam rem datis ad Epiſcopum Exonienſem, graues erant Monachis, & in eos faciebant quæ nõ oportuerat, Verba ſunt S. Anſelmi, temperate inſinuantis indignitates quas Monachi erant perpeſſi. Meminitque etiam ibidem prohibitionis à Clericis illatæ, ne Monachi pulſarent ſigna ſiue campanas ſecundum ordinem ſuum, ad ſe nos & alios conuocandos ad diuina officia; Quam prohibitionem S. Anſel. iniquam eſſe ſupponit, & poſtulat amoneri, vt ſerui Dei poſſent ordinate ac decenter exhibere Deo ſacri officij tributum.

Inter Epiſcopos, malè animatos erga Religioſos, numerãdus imprimis eſt Richardus Filius Radulphi Præſul Armachanus Nam is præſertim efferbuit in Religioſos vitæ miſtæ, qui tunc erant mendicantes. Ita patet ex eius de hac re ſermonibus, qui edit habentur ad calcem operis defenſ. Armenorum, ab eodem Armacano conſcripti. Ab homine eiuſdẽ genij ac ferociæ in Religioſos mendicantes, tentatus non ita pridem eſt Armacani Canoniſmus. Sed facili negotio diſiecta eſt malè materiata machinatio, in opere de confeſſione librorum parte 1. art. 8. n. 121.

Samuelem Dublinenſem Antiſtitem ſic admonebat S. Anſel. l. 3. epiſtol. 71. Audiui quod Monachos qui in ipſa Eccleſia ad ſeruiendum congregati erant, expellas & diſpergas, nec redire volentes ſilatenus recipere velis Quod ſi ita eſt, non te decet. Officij ſiquidem tui ſcitur eſſe, magis diſperſos congregare, quã cõgregata diſpergere. Quapropter mãdo ibi, vt ſi aliqui abiecti ſunt, & redire volunt, eſtque in Dei ſeruitio ſub obedientia commodi, eos ſuſcipias, & ſalutem eorum per paternum affectum ſtudioſe intendas, niſi quod abſit, huiuſmodi cauſa in illis obſtat, quæ hoc fieri omnino prohibeat.]

Robertum Caſtrenſem Epiſcopum, Lanfrancus epiſt. 29. corripit ob vaſtitatem illatam cœnobio Conuentrienſi; ſigillatim enumerans mala quibus ille Epiſcopus affecerat Monachos. Enumerat etiam Vvillelmus Malneſturienſis l. 4. de Pontif. Anglor. agens de Roberto Eclanè dedidicerat Robert. canonem Conſilij Herpfordienſis præſide Theodoro Cantuarienſi quo præcipiebatur; [vt quæque Monaſteria Deo conſecrata, nulli Epiſcoporum liceat in aliquo inquietare Monacho, nec quicquam de eorum rebus violenter abſtrahere.] Videndus qui hæc explicatius attingit Beda l. 4. hiſt. c. 5.

Annis proximè ſuperioribus, Petrus Camuſius Epiſcopus Bellicenſis ex cauſa parum decora, exarſit in Patres Capucinos quos variis libris exagitauit. fuitque ea exagitatio ferè omnibus mendicantibus communis.

Concilium Anglicanum Religioſis infeſtum, memorat Baron anno 979.

Aliquos ſummos Pontifices, minus bene animatos fuiſſe in Religioſos, proditum eſt. Benedictus 12. Ordini Prædicatorum grauis fuit tentata reſciſſione primorum ſtatutorum, & inductione laxationis, vt narrat Leander Albertus de viris illuſtribus ord. Præd agens de Geraldo Donato, Generali 17. Innocent. 3. aggreſſus erat Ciſtercienſium vexationem. Sed à B. Virgine per Confeſſarium ſuũ repreſſus eſt, vt narrat Cæſar. l. 7 c. 6. Innocent. IV. vt latè refert Cantipratanus, mul a in Religioſos eſt machinatus. Ioannes 20. antea dictus *Petrus Hiſpanus*, in Religioſos fuit malè animatus, vt teſtatur Ptolomæus Lucenſis ad annum 1277. Ioannes 22. cuiuſmodi fuerit in Minores, neminem latet.

In extremo agmine infeſtorum Religioſis, colloco Religioſos ipſos, tũ externos, tum domeſticos. Externi ſæpè inuicem ſe mordent ob inſtitutorum diuerſitatem, dum hi ſe albos, illi nigros denominãt, & ex colore lites cient; non ſecus ac olim in hippodromo. Quod eſſe valdè ridiculũ, moſtrat Petrus Cluniacenſis l. 6. epiſt. 4. Plerunque feruet veterum inſectatio in nouos ordines; ex inuidia, inde ſuborta, quod veteres depontani fiant per nouos. Hoc idem Petrus, late proſequitur l. 4 epiſt. 17. Verũ quod externus inimicus maledicat, ſuſtinendũ eſt. Malefactiores ſunt hoſtes inteſtini, eo periculoſiores, quo intimiores Quanta ſit atrocitas inteſtinæ huius vexationis, Pſaltes ex Chriſti perſona expreſſit, prænuncians Iudæ proditionẽ *Si (inquit) inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus.* Expenſus eſt in hanc rẽ locus iſte in Tractatione de Iuda c. 7 n. 9. Vixerat Iudas in prima domo Religioſa, Religioſus, ſub Chriſto Priore, Procurator, vt Nider l. de ref. Relig loquitur. Factus aũtẽ dux eorum qui comprehenderũt Ieſum, euaſit in exemplar domeſticorũ cœtui in quẽ coop ati erant, maligne inferentium moleſtia n. Ipſum ſequuntur omnes auũrę iniuſtę, præuaricatores inquũ, omnes, & Apoſtatę, ac hiſum in domo Dei factores, rebellionũ machinatores aduerſus præſides; ſcandala domeſticis & externis inferentes, quod mirum videri debere negat Gilbertus autor altercationis cap. 5. pag. 32. quia gladius Dei, etiam in cœlo inebriatur, & ſtellæ de cœlo quoque cadunt, ac in paradiſo à Deo conſito, protoplaſti corruerunt. [Magis ergo dolere quam queri oportet, quia ex huius

Theoph. Reyn. Aſcetica. Ll mali

SECT. IV. SANCT. IV. §. VIII. *Maledi . . . in Rel . . .*

SECT. IV. PVNCT IV. §. VIII. *Maledictiones variæ, in Religioſos iactatæ.*

mali ſimilitudine, rarum videmus aliquem Sanctorum conuentum vbi congregatio diuerſorum ordinum eſt, vbi etiam propriè ſedes Dei eſt, niſi meritò proclamare poſſimus, cum veniſſent filii Dei, & ſtarent ante Dominum, affuit inter eos etiam Satan: In qua parte, cognoſcimus cum ſuis complicibus Iudam.]

Quis inter hos Iudæ aſſeclas, locum neget nequiſſimo illi Monacho, qui vt male Cœnobio faceret, actus furore Diabolico, granariis ignem immiſit, & ingentem vaſtitatem ædificiis ac rebus monaſterii intulit? Narratio eſt luctuoſa, nec minùs digna premi, quàm conflagratio tẽpli Dianę Epheſiæ, per malè ſanum gloriæ aucupium. Neque tamen meliore loco ſunt incendiarii illi, qui non granaria & ædes, vt nequam ille Monachus, ſed domũ Dei & horrea Sanctimonię, excitatis myſticis incẽdiis factionum & ſeditionum, tentant diſperdere, de quibus verè dixeris illud, *viri ſubuerſores ſunt tecum.* Notatus eſt huius genii Petrus Abelardus, cum eſſet in Monachum cooptatus, & per eum recruduerunt pridẽ ſopitæ lites de falſo aduentu S. Dionyſii in Gallias & ſimilia turbarum in cœnobio argumenta. Inter Minores F. Ioannes Olini, eiuſdem factionis ſpiritus, eſt inſimulatus. Sed perperam, vt dixi in opere de Calumnia ſ. 2. ſerie 2. c. 17. & annuit poſtea Lucas Vvadinghus in Annal.

Indubitatum verò exemplum inteſtinorum hoſtium & domeſticorum proditorum, Iudę primicerii aſſeclarum, ſubminiſtrarunt Columbus & Arcadius, duo Diabolicæ informationis oſtẽta, à quibus S. Aigulphus Abbas Lerinenſis, malignitate Apoſtatica tentus, variiſque ludibriis ac vexationibus affectus deniq; ac letho datus eſt cum aliis innoxiis Monachis, per *Monomachos* veriùs quàm *Monachos* (vt verbum Theodori Studitæ catech. retineã) aſcito in ſceleris participium impio Comite Mummulo. Ab ea malignantium Synagoga, poſt ſpoliatum monaſterium, Sanctus Abbas cũ innoxiis Monachis, truſus in carcerem, & inde eductus ac naui impoſitus fuit. Secuta eſt vexatio, linguis eorũ præciſis, euulſis oculis, nudatione ignominioſa dehoneſtatis corporibus, truculenta denique morte irrogata. Solante ſe ac ſuos S. Ægulpho, allegatione illius oraculi Chriſti, *Trademini à parentibus, & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis.* Ac ne qui deeſſet horrendæ tragœdiæ, Sanctorum corpora poſt obitum, fœdè laniata, & ferinum in morem diſcerpta ſunt; vt haberet id quoque locum, illud Euſebii Gallicani hom. de S. Blandina de ſanctorum corporibus etiam poſt mortem dirè tractatis. [Nihil feciſtis inaudita ſæuitia Incaſſum ſe extinguere eorum memoriam credidiſti, quorum gloriam propagaſti. Habemus etiam domeſticorum exempla qui Religioſis quos deſeruerunt, in actis S. Stephani Auxentiani, de Sergio, Georgio, ac Steph. Sergius vt Copronymo gratificaretur, nouum Iudam ſe exhibuit S. Steph. ſuo Abbati, implanatus ab impio Calliſto Copronymi in ferenda impietate, & ſeruis Dei à recto abducendis, adminiſtro. Nam & atrocibus calũniis onerauit virum ſanctũ, & volumine aduerſus eũ conſcripto, multiplici eũ infamia reſpergere tentauit, Georg. Cripatus in ſuum cœtum à S. Steph. & Angelico habitu amictus, poſt tertiũ diẽ à cooptatione, defecit à Sancto inſtituto, & in Copronymi gratiã proſciſſo Sancto Abbate, eiúſque cœtu, grãdi honore ab ſceleſto Copronymo affectus, eſt auctuſque dignitate Hippocomei qui iudicio profanę plebis ad quã ab Imperatore eſt productus, cum initio ignoraret eũ fidem & Monachiſmum eiuraſſe, capitulis ſupplicio dignus eſt conclamatus, eo quòd veſtẽ Monaſticam induiſſet. Ste; h. denique in mõtis monaſterio à S. Steph. Monachis adſcriptus, & Sacerdotis illhic dignitate exornatus, illecebris Cõſtantini eiúſque adminiſtrorũ dementatus, retrorſũ conuerſus eſt, nefariam illam vocem in Copronymi gratiã emittens cum ſacram veſtem abiecit; *hodierno die here, à ſatanicis faucibus operatua ereptus, ac tenebroſo amictu exutus ſplendidum pallium indui.* Cuius eiuratione & ſacri inſtituti laceratione, Copronymo acceptiſſimus, ſophiani palatii miniſter eſt conſtitutus. Maledicta hæc trias, domeſticorũ S. Steph. Abbatis, viri ſanctiſſimi proditrix, inſigni ſe impietate obſtrinxit, vt legere eſt in S. Steph. Actis.

§. VIII.

Maledictis in Religioſos, repenſa maledictio.

VErum deprehenditur verbum Iſaaci ad Iacobum, Iacobi zetypis. *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus.* Quotquot enim Religioſis fuere infeſti, ſeriùs, ocyus, induti ſunt velut diploide, confuſione ſua. Nimirum & in hac vita, & (niſi reſipuerint, & in futura; pœnas dantes. Quod immenſus hac in parte campus pateat, ſatis erit eam maledictionem repenſam maledicentibus Iacobo myſtico, attingere in proximè propoſitis maledicorum, ſiue inſectatorum exemplis.

Et generatim quidem certum eſt, palpabilique experimento pridẽ deprehenſum, inſectatores Religioſorum tanquã in Prophetis Dei malignantes, infamia apud omnes flagraſſe; Deo Religioſis pro infamia & dedecore quo ab hoſtibus reſpergebãtur, bonam vicem rependente. Pręiuit exẽplo Magdalena, cui Religioſo erga Chriſtum officio fungenti, pauci murmurantes obſtrepuerunt, in angulo, vt ſic dicam. At Chriſtus probrum piæ fœminę malè illatũ abſterſurus, ſpopondit vbicunque prædicatum fuerit Euangelium regni, (hoc eſt vbiuis terrarum) in memoriam eius & laudem, recitandum fore pium eius factum, quod pauci inconſiderati temerè ſugillabant, non abſque murmuratorum infamia; quandoquidem eorum oblocutio cum Magdalenæ pio facto nectenda erat ab Euangeliſtis, & ab Auditoribus laudum Magdalenæ, excipienda cũ improbatione. Perpulchrè id obſeruauit S. Chryſoſtom. orat. 2. contra Iudæos Idipſum ergo accidit inſectatoribus Religioſorũ iam ex hac vita, Deo maculas ſeruis ſuis illatas, iuſto iudicio, abſtergente, & probrum in eorum hoſtes refundente. Accedet verò poſtea ſuperpondium pœnæ immenſum: cum noxæ improborum, qui in ſeruis Dei ſunt malignati, & quos Deus vt pupillam oculi charos habet violare ſunt auſi, rependet in æternitate iuſtum ſupplicium: cuius prægustationem, vt plurimum, iam ex hac vita propinat, proludens iuſto bello quod pluet ſuper illos, in æternum.

Auſpicemur à repenſione facta Ethnicis, Religioſorũ inſectatoribus. Iulianum Apoſtatã, Religioſorum, (vt vidimus) inſectatorẽ, moles ærũnarũ excepit: Nam præterquam quod eius nomen omni cum deteſtatione cõputruit, diuina vltio iã ex hac vita apprehendit: Confeſſus enim S. Mercurii lanceã, & ſanguinem cum rabie & blaſphemiis in cœlum iactans, peſſundatis rebus Imperii Romani, Perſis hoſtibus ludibrium debuit, & pro caſſis minis, in Chriſtianum nomen, ac ſpecialiter in Monachos vibratis, ſandapilam à Chriſto fabri filio; qua inglorium eius cadauer efferretur, accepit: vt pius quidã repoſuit ad ſcomma Libanii, Iuliano in expeditione Perſica cõſtituto, ſciſcitãtis quid fabri filius faceret ad auertẽdas Iuliani à Perſide reducis iras. Si tamen

vel ad ſepulturā eguit ſandapila, qui referente Nazianzeno in S. Athanaſii monodia, dehiſcente terra abſorptus, mox que e cultu; primordia infelicitatis æternæ in maledicto cadauere ſuo, non ita multo poſt teterrimam mortem perſenſit, Arechutiis, & aliis eius ſociis ad tantā vindictam attonitis. Zozimo & Eunario lacerationibus Monachorum, carò ſtetit bacchario in ſeruis Dei. Pretiū enim nauatę operę aliud non tulerunt, quàm fremitum ac rabiem, videndo florentem Chriſtianitatem, & Monachos vbique Deo ſeruitutem exhibere cum honore, & acceptione apud omnes. Itaque ringentes ac iraſcentes dētibus ſuis ſ. emere ac tabeſcere, deſideria denique ſua de reſtituendo Ethnicismo pereuntia, videre habuerunt. Longobardorum in Religioſos furorē, graues diuinitus illatæ in eam gentem clades exceperunt, quas denique gentis vniuerſæ contritio in Italia, per Francos eſt ſubſecuta. Haud alios exitus ſortiti plerunque ſunt Saraceni, & ipſi Religioſorum plerunque hoſtes. Vorati denique & abſorpti à Turcis. Iaponios Tyrannos, nominis Chriſtiani & maximè Religioſorū inſectatores variis agitatos turbinibus, hiſtoriæ Iaponicæ produnt, & quæ ira Dei maneat eos expectante adhuc Dei patientia in electorum ſuorum probationem, & expurgationem, nondum liquet, ſed tempora ſubſecutura manifeſtabunt. Quod item de feris hominum ſpecie, poſt tantam in Religioſos barbariem in ora Canadenſi exprompeam, eſt à iuſto retributore expectandum.

Iam Hæreticorum fellita, & inſaturata in Religioſos odia, non fuerunt impunita. Donatiſtæ, quos Monachis fuiſſe infenſiſſimos memorabā, exagitati ab Imperatoribus Catholicis, Conſtantino, Conſtante, Valentiniano 1. Gratiano, atque Honorio, in Arianos, ac quod teterrimum pœnæ genus eſt, in Saracenos denique euaſerunt, & terra eorum verſa eſt in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Lucius Arrianorum Pſeudoepiſcopus, caput graſſatorum in Monachos Ægyptios furentum, expulſus denique ignominioſè Alexandria, vbi titulo Epiſcopi, latronem egerat, infeliciſſimè periit. Prefectus Ægypti Balacius, qui de iniuſta Monachorū vexatione a S. Antonio per literas correptus, in ipſum S. Antonium minas feroces verterat, & eius literas cōtumelioſè abiecerat, non diu tulit impunè. Nam vt ait S. Athanaſ. c. 54. vitæ poſt recitatas comminatorias S. Antonii ad eum literas, & earum abiectionē & minas impii hominis. [Confeſtim minitatorem oppreſſit ſupplicium, & poſt quinque dies, os effrenatum vltio diuina compeſcuit.] Vrbe enim egreſſus, ab equo cæteroquin manſueto excuſſus, & morſibus laceratus: poſt tertium diem expuit infelicem animam, omnibus in Balacii fine digno, collaudantibus patrem ac vindicem pauperum Deum. Valentem Imperatorem, item Arrianum, Religioſorum dirum hoſtem, magnæ item calamitates inuoluerunt huius viuicomburium, ab hoſtibus deliteſcenti in ſtraminea caſa illatum attigit S. Chryſoſtomus informans viduam iuniorem, & plenè proſequitur Ammianus l. 31. & poſt eum Ruffinus l. 2. c. 13. Socrates l. 4. in fine, Sozomenus l. 6. c. vlt. ac Theodoretus l. 4. c. 31. Exemplum inſigne caducitatis ſummorum faſtigiorum, & denique euigilantis in perfidos ſeruorum Dei inſectatores, aliquandiu dormientis in ſpeciem iuſtitiæ. Conſtantinus Copronymus omnium ſcelerum fœtore graueolentiſſimus, Monachos crudeliſſimè diuexauit: Exitus truculentæ huius beſtiæ, is fuit, qui vitæ reſponderet. Nam in Bulgarica expeditione, anthrax in cruribus percuſſus, febre incendiſſima propè deflagrans, inter horrendos boatus; quod ſe igni inextinguibili traditum diceret infelicem animam expuit, vere *Copronymus*, ſiue *ſtercorens*. Verè *Caballinus*; Nam hoc quoque cognomen tulit, quòd ſe ſtercore caballorum illineret, & aulicos ſuos eadem graueolētia delectari vellet, vt Theophanes agnoſcit, & in Actis S. Nicetæ. Allucinantur autē Glycas à loco cui nomen *Cabala*, id eius cognomentū repetens. Mortui Cadauer, illatū primò ædi ſacræ SS. Apoſtolorum, vbi Leges erant piſcatorum oſtiarii, vt dixit S. Chryſoſtomus in demonſ. quod Deus ſit Chriſtus, quia prope templi limen tumulabantur, poſtea de requie conditorii eruum, vt habet Græcorum Monologium, concrematis medio in foro oſſibus, Dei vindictam in impium, teſtatam fecit: Dirum Religioſorum hoſtem, Armaldum, Brixienſem, finis moribus congruens excepit. Nam damnatus ab Innocentio 2. in Concilio Lateranenſi, cum in Italiam è qua pulſus erat, regreſſus eſſet, ac editionem Romæ aduerſus Pontificem & Cardinales excitaſſet, & fuga ſibi ad Federicum inita conſuluiſſet; repetitus ab Adriano Papa, eique traditus, ſuſpendio vitam concluſit, tanquam ſeditioſus hęreſiarcha, & in omnes ſacros cœtus, nominatimque in Religioſos iniurius, vt diſtinctius proſequitur Otho Friſingenſis l. 7. chron. c. 31. & l. 1. de geſtis Feder. c. 20. ac Guntherus in Ligurino, quos defloráuit Baro. ab anno 1139. ad annum 1155. quo eius de trabe alta ſuſpendium conſignatur. Vvicleffus hoſtis Religioſorum iuratiſſimus, ſceleratam vitam congruo fine terminauit, omnibus diris ſubiectus, & cadaueris extumulati concrematione multatus, vt habet hiſtoria Vvicleffiana Harpsfeldii. Eraſmi Sannionis nomen cōputruit, & qui præſertim Religioſos ſcriptis iocularibus appetiit, & ridiculos reddere ſtuduit, in deriſum proborum omnium factus eſt, paſſimque exſibilatus. De Lutheri Religioſorum hoſtis capitaliſſimi luctuoſiſſimo fine, vix attinet meminiſſe, cum res neminē lateat. Epicuri de grege porcus cum benè potus ac hilaris lectum ſubiiſſet, noctu à dæmone fauces elidente oppreſſus, ſubitanea & improuiſa morte exceſſit, vt habet certior narratio apud Cochlæum, tantúſque fuit è demortui cadauere fœtor, vt ferri non poſſet. Calupius alterum nequitię portentum, conflictans cum duodecim ſimul ægritudinibus, quarum vnáquæque lethalis erat, verſus in furorem, negato ad animam à corpore auellendam gladio, frendens ac rabiens, deteſtabilem animam vomuit. Lege Bellarminum in tractatione de notis Eccleſiæ l. 4. c. 17.

SECT. IV. PVNCT IV. § VIII. *Malè ...nes ...aria, in Religioſos inſeſta.*

Catholici Religioſis infeſti, non tulere impunè. Relegens impreſſa ſuperius veſtigia, ordior à mundi apicibus laicis. Valentinianus 3. malè rebus ſuis conſuluit, vexans Religioſos, vt euenta monſtrarunt, & teſtatus eſt ſucceſſor eius Martianus, ea ſanctione qua legem Valentiniani Monachis iniurioſam abrogauit. Cæſus à Maximo Valentinianus imperium prædæ obiecit, non modò Attilæ Tyranni, ſed etiam Francorum, à quibus Galliæ occupatæ ſunt in perpetuum, totumque imperium peſſundatum. Tanti fuit tetigiſſe Chriſtos Domini. Carolus Martellus Pipini Ducis filius nothus, bona Monaſteriorum liberè expilans, & in bellatorum præmia vertens, aliquandiu floruit. Nam, & regnum Franciæ pro arbitrio eſt moderatus, ſuperatis omnibus æmulis, & Saracenos immenſa ſtrage affecit, ſtratis ex eorum exercitu 375. millibus, & nouo prælio eoſdem in Galliam irrumpentes fudit, magna

SECT. IV. PVNCT. IV. §. VIII. *Maledictiones variæ, in Religioſos ingeſtæ.*

felicitate. Sed corrupit tantam Dei in ſe largitatem, ſacrilega prædatione Monaſteriorum, & aliarum Eccleſiarum. Longa igitur torſione & verenda morte conſumptum, vt ſcribit S. Bonifacius ad Athebaldum Merciorum Regem; multi ex viſione S. Eucherio Aurelianenſi obiecta, damnatum ad inferos prodiderunt. Eámque viſionem multa veterum ſcripta exhibent, & Concilia Rhemenſis Rothomagenſis prouinciarum probarunt. Primus Iacobus Sirmondus ſtudio honoris gentis ſuæ, conuellere eius veritatem tentauit, & Baronio qui cum agebat perfamiliariter, retractationem circa eã narrationem perſuaſit; contendens S. Eucherium longè ante Carolum è viuis exceſſiſſe. Sed recentior rerũ Aurelianenſium ſcriptor Sauſſayus, ſtetit pro veritate viſionis S. Eucherio oblatæ, & vnde in fraudem actus ſit Sirmondus, manifeſtum fecit. Itaque caro ſtetit Carolo, ſeruos Dei diuexaſſe, ac rebus ſuis ſpoliaſſe. Pandulfus princeps Capuanus, ob iniurias domui S. Benedicti illatas, grauiſſimè multatus eſt vt habet Leo Oſtienſis in Caſſinenſi Chronico l. 2. c. 62. Innumera quidem & atrocia ſcelera admiſerat Pandulphus ſpeciali tamen tormento admodùm horrendo quæ Leo deſcribit, affectus in Tartaro eſt, ob vi ablatum Caſſinenſibus aureum calicem, & neglectam dum ſuperſtes eſſet, eius reſtitutionem. Aſyli Religioſi violatores fulminibus abactos, habent Acta S. Marcelli Acœmetarum Archimandritæ, & ex eis Baronius anno 466. Affine eſt quod Dicmarus l. 4. Chron. narrat de Ducis Hermãni militibus, Romæ monaſterium S. Pauli grauantibus, quorum quatuor demiſſum fulmen eliſit, reliquis in fugam actis. Pœnas graues repenſas variis nobilibus, vexantibus monaſterium S. Mariæ, deſcribit Cæſarius l. 7. c. 7. Comitis Matiſconenſis Cluniacenſibus atrociter infeſti, aſportationem à dæmone, recitat teſtis omni exceptione maior Petrus Cluniacenſis l. mirac. c. Fuit hic poſtremus Matiſconenſium Comitum, & paſſim cenſeri eum qui dictus eſt, *Gulielmus Alamannicus*, ſcribit Petrus à S. Iuliano l. de antiq. Matiſc. pag. 256. rerum Matiſconenſium diligens ſcriptor. Afrorum in Religioſos effrenem licentiam ſatis ſupérque multarunt Vandali, & poſtea varij Tyranni, ac denique oppreſſio Saracenica, orſa per tributi penſitationem anno 647. & conſummata per occupationem plenam, anno 696. quæ vaſtitas hodiéque perſeuerat, nec imponendum malis finem, niſi per mundi finem, haud inuerìſimilis eſt coniectura.

Sacri homines Religioſorum inſectatores, non abierunt impuniti. Magiſtrorum Pariſienſium, qui è Clericorum numero erant, bacchationem in Religioſos, excepit illata diuinitus vltio Cantiprat. l. 2. Apum. c. 10. à n. 27. Giraldus de Abbatis villa paralyſi percuſſus & lepra opertus interiit. Gulielmus de S. Amore ab Alexandro 4. infamia notatus, libro per eum & complices edito ignibus aſſumpto, reuocare omnia ac reſcindere iuſſus, horrori deinceps omnibus fuit, præ intorto in eum Eccleſiaſtico fulmine. Chriſtianus Beluacenſis, & Laurent. Anglicus, ſimilem paſſi dehoneſtationem, pœnitentes & publicè, ante obitum noxam deprecati, in ſummo mœrore exceſſerunt. Philippi Greuæi infauſtum exitum, repræſentat Cantipratanus l. 1. apum. cap. 19 n. 5. & 6. iuncto l. 2. cap. 10. num. 36 Siquidem à Gulielmo Parienſi Epiſcopo poſt eius mortem viſus eſt ſuam prodens damnationem æternam cum ob ſuam ſpurcam vitam & pluralitatem beneficiorum contra ſenſum plurium defenſam, ac fructus ſuperfluos non erogatos pauperibus, tum etiam (tametſi, id ipſe non prodidit) ob inſectationem Prædicatorum ac Minorum contra quos fuerat aſtuoſiſſimus.

Inter Epiſcopos, quàm malè Armacano ceſſerit Religioſorum inſectationi, dixi agen. de iuſta, & iniuſta confixione librorum, vbi de ridiculè inuecto ab homine eiuſdem genij, Canoni mo Armacani, eſt diſputatum. Concilium Anglorum Epiſcoporum, machinantium Religioſis mala, Chriſtus ipſe corripuit, vt refert autor Actorum S. Dunſtani. Singularia pleraque exempla antiſtitum Religioſos gratis perſequentium, conſultò nunc premo, euulganda per otium.

Cardinalium qui Religioſos grauarunt, noxam non abiiſſe impunitam, exemplo eſſe poteſt Georgius, cognomento *Cardinalis Monachus*, tutor pueri Ioannis Sigiſmundi Regis Hungariæ, in quo regno Georg. omnia poterat. Cum fundamentis, monaſterij, ſuo iuſſu diſiecti, arcem ſuperſtruxiſſe quam inhabitauit aliquandiu, poſtea in ea proditoriè cæſus eſt ex præſagio Cœnobiarchæ eiuſdem monaſterij. Corpus eius in Sacrilegij cumulum; iacuit lacerum, & inhumatũ per dies non paucos donec funere tumultuario à Sacerdotibus Collegij Albenſi neque ſepulturæ eſt donatum. Tametſi horrenda tanti viri cædes & defuncti dehoneſtatio, multipliciter vindicata eſt, Tamẽ viſus eſt Deus in illius perſona, monitos voluiſſe mortales, etiam Eminentiſſimos non eſſe moleſtiam inferendam Chriſtis eius, nec impunè cuiquam fore, malignari in Religioſis. Henricus Cardinalis, & Rex Luſitaniæ in ſui vnius aulici gratiam, cœnobium Aleobaſiam ordinis Ciſtercienſis, ab Alfonſo 1. fũdatum, & vbertimè locupletatum, minuit nonnulla parte cenſus. Non eſt in longas moras protracta S. Bernardi prænunciatio. Dixerat enim in ſpiritu Domini cũ ſciſſione patrimonij Chriſti ſeruis Dei Religioſis Ciſtercienſibus attributi nectendam fore regni ſciſſionem. Refert verba ipſa Beati Bernardi, Chryſoſtomus Henriques in Ciſtercienſi Menologio 20. Auguſti. Itaque diuiſionem cenſus cœnobij, mox conſecuta, eſt regni diuiſio, & tranſlatio in aliam gentem

Pontificis ſummos, vel à Religioſis auerſos, vel eis minùs beneuolos, cenſoria numinis virga non ſeiunxit ab obnoxiis pœnæ, vt inciperet à domo Dei iudicium. Benedictus 12. molitus laxationem inducere in Ordinem Prædicatorum, quoties ad negotij tractationem ſe accinxit, febre correptus eſt. Potioribus autem illius Ordinis Patribus, ad incongruam Pontificiis voluntatem obſurdeſcentibus, adeò excanduit Benedictus, vt ipſa die, præ cõcitatione, è viuis exceſſerit. Nec ita multo poſt. Gerardus ordinis illius 17. Generalis, per Clementem ſextũ patruum ſuum, omnia Benedicti Concilia aduerſus eum ordinem euacuauit. De Ioanne 20. cui nomẽ fuerat Petro Hiſpano, ſic loquitur Ptolemæus Lucenſis in Chronico ad annum 1277. [Multas attentauit nouitates, & præceps multum in agendo fuit. In philoſophia magnus fuit, ſed in actionibus ſpiritu Hiſpanico plenus, quia exoſos Religioſos habuit, propter quam cauſam percuſſit eum Dominus, quia domus ſua ruit ſuper eum, ex quo ſemiuiuus relictus, ad modicum tempus moritur Viterbij vbi creatus fuerat. Vixit autem Papa menſibus circiter octo.] Innocentius 4. vexationi Religioſorum quam intulerat, adſcripſit citum interitum quo à Deo percuſſus eſt; illud Pſaltis de ſe vſurpans; *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam, animam eius.* Legendus in hanc rem Cantipratanus 2. Apum c. 10. num. 21. Eſt enim Innocentius 4. de

quo

quo agit, etiamſi nomen conſultò reticuit. Ait ergo, eo quod eadem die qua reuocauit priuilegia, à ſe, & quatuor anteceſſoribus Pontificibus conceſſa; Prædicatoribus & Minoribus, (eadem, inquam) die, paralyſi percuſſus obmutuit, nec vnquam poſtea inualuit, ... Qui etiam à quodam Sanctiſſimo viro, extra muros vrbis Romæ manifeſtiſſimè viſus eſt mortuus, damnatus à Sanctis Dei Fráciſco atque Dominico iudicantibus.) Ioannes 22. ſi tua in Minores concitatione quippiam ægritudinis contraxerat, multis ex Ludouici Bauari pertinacia, & aliorum rebellium obſtinatione, ægritudinis affectus, deceſſit.

Domeſticorum in ordinem proprium, nunquam iuſta odia, quorum ſuperius tanquam peruerſiſſimorum poſtremo loco meminimus nunquam caruerunt iuſta repenſione ab irato numine. Exemplo ſit Columbus, S. Aigulphi Cœnobiarchæ ſui, teter perſecutor, de quo in hunc modum S. Aigulphi Acta. (Columbus concinnator & autor cædis Sancti viri, iuſſu Regis Clodouæi quæſitus & comprehenſus, in vincula coniectus eſt, lataque in eum ſententia diris pœnis affectus, & tandem interfectus eſt.) Benè cum eo eſt actum, ſi euaſit æternas pœnas, precibus ac meritis Sancti Aigulphi: quò ſcriptor Actorum, coniectat ſpectaſſe, oblitá rationem alterius circuli ſanguinei in Columbi corpore à demortuo S. Aigulpho efformati, negata obliteratione alterius per Clodauæum & Ebroinum, Maiorem domus, in ſceleratum Monachum concitatos peragendæ.

SECTIO IV.

Illatum alterum. Benedicentes Religioſis, benedictionibus repleti.

EXegimus benedictionis per Iſaacum Iacobo filio collatæ, partem primam, qua maledicentes Iacobo, maledictos eſſe voluit. Hoc in Religioſis, quorum Iacobi, ſupplantator ac læui, fuit typus luculentus, verum comprobari, liquidò demonſtratum eſt. Nunc eiuſdem benedictionis pars altera, Religioſis item accommodanda eſt, monſtrando, qui in Religioſos beneuoli ſunt, & de eis bene merentur, viciſſim repleri benedictionibus. Quanto id iure fiat, aperiam primo loco; Tum varios benedicendi, ſiue bene de Religioſis merendi, modos, proſequar. Ad extremum aliquos præponam erga Religioſos inſigniter beneuolos, & attingam repenſa eis bona, illectamentum cæterorum ad ſimiliter ſe gerendum.

PVNCTVM I.

Quàm meritorium ac Deo acceptum ſit, ſe præſtare Religioſis beneuolum, eiſque benedicere.

NOn licet ambigere, quin beneuolentia erga Religioſos ſit Deo acceptiſſima, & inſignis meriti ferax. Eſt enim actio cum Dei amore & honore coniuncta. Nam ſicut Deus in ſeruis ſuis contemnitur, & in eorum violatione iniuriam patitur, iuxta Saluianum ſupra adductum, ita in eiſdem amatur & colitur. Vnde mirum non eſt, quòd Deus illo qui in charos ſibi Religioſos beneuoli ac benefici ſunt, beneuolum ſe ac beneficum præſtet, pro more ſuo expromendi argumenta bonitatis ſuæ, in eos quos beneuolentiæ ſuæ munere dignatur. Doctrina eſt Sancti Chryſoſtomi expendentis illud Apoſtoli ad Philippenſes hom. 1. *ſuper communicatione veſtra*. Vbi cum aſſumpſiſſet eos qui pro viribus ſuppeditaſſent Apoſtolis neceſſaria ad Euangelizandum, participes factos eſſe meritorum; & in eiuſdem gloriæ communicationem veniſſe, ſubdit. (Non eſt res mediocris, inſeruire Sanctis, ſed plurimum valet: Conſortes enim nos reddit præmiorum illis repoſitorum. Verbi gratia proiecit aliquis multas pecunias propter Deum, ſemper intentus eſt rebus diuinis, virtutem exercet haud vulgarem, & vſque ad verba, vſque ad cogitationes, denique vſque ad omnes virtutes eorum qui exactam ad pietatem adhibuere diligentiam. Tibi licet, etiamſi tantam diligentiam non præſtiteris, venire in ſocietatem præmiorum illis repoſitorum. Quo pactoſi inſeruias illis, & dictis factis. Si conſoleris, ſi neceſſaria ſuppeditaueris, ſi miniſterium omne impenderis. Sic enim viam illam aſperam, reddideris commodiorem. Proinde ſi ſuſpicis eos qui verſantur in deſertis, qui vitam Angelicam delegerunt, qui in Eccleſiis ſimilia præſtant officia, qualia illi in deſertis, ſi hos ſuſpicis inquã, pariter & doles quod multo interuallo ab illis diſtat. Licet & alia ratione conſortem eorum fieri, miniſtrum ſubminiſtrando, & in eruiendo. Nam & hoc diuinæ bonitatis eſt, ſocordes quoque ac pigros, & qui vitæ rationem illã aſperam, exactamque viuendi diſciplinam non poſſunt ſuſcipere, per aliam viam in eundem cum illis ordinem adducere: Videlicet, hoc eſt quod Paulus vocat *communionem*. Communicant (inquit) nobis in carnalibus communicamus eis in ſpiritualibus. Etenim ſi Deus pro exiguis nihilique rebus, regnũ largitur cœlorum, famulis quoque eius, pro exiguis ac ſenſibilibus, impartiunt ſpiritualia. Quin potius & hæc & illa dat Dominus. Ipſe enim eſt qui per illos largitur. Non potes ieiunare, non potes ſolitarius viuere, non humi cubare, non noctes inſomnes ducere: Et tamen datur tibi horum omnium mercedem capere, ſi rem alia tentes via, ſi eos qui hæc faciunt, curaris, ſi refocillaris, ſi aſſiduè delinieris, & ex iis rebus contractam laſſitudinem alleuaueris. Ipſe ſtat in pugna, ipſe vulnera quoque recipit: Tu foue à certamine redeuntem, excipe placidis manibus, ab animo ſudorem abſtergens, hortare, conſolare, refrigera defatigatum animum. Quod ſi tali cum alacritate ſeruierimus ſanctis, conſortes erimus præmiorum illis repoſitorum. Idem & Chriſtus docuit, dicens, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula.* Vides illos participes eſſe factos.

Hæc beneuolorum ac beneficorum in Dei ſeruos, admiſſio ad eorum merita, & prœmia, quam iuxta Chryſoſtomum Apoſtolus *communionem* appellat, fundatur in accepta, & grata Deo beneuolentia, in ſeruos eius, ob nexum quem cum Deo habent tanquam aliquid ad eum attinens. Tradiditque expreſſius eam veritatem Chriſtus, alibi quàm in loco per Chryſoſt. adducto ex Luc. 16. Nimirum Matth. 10. verbis illis. *Qui recipit vos, me recipit, qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iuſtũ in nomine iuſti, mercedẽ iuſti accipiet*

SECT. IV. PVNC. I. §. I. *Quam meritorium ac Deo acceptum, ſeſe præſtare Religioſis beneuolum ac benedicentem.*

SECT. II. PVNCT. II. §. I. Multiplex modus Religioſis benedicendi.

accipiet. Iuſtum in nomine iuſti, & Prophetam in nomine Prophetæ ſiue Doctoris ſacri ac prædicatoris recipit, qui eos in hoſpitio ac fouet iuſtum ac Prophetam, non ob aliquas humanas cauſas, ſed quia iuſtus & Propheta eſt. Talem excipiens ac fouens, cooperatur eius miniſterio; & idcirco debet participare eius mercedi: Non quod eandem planè mercedem, etiam quoad quantitatem, accipere debeat: ſed quod ſit accepturus proportionalem ſuæ charitati in ſeruum Dei, & cooperationi in opus eius, vt benè cum Chryſoſtomo cenſet Franciſcus Lucas. Hæc ergo mercedis communio, radicatur, (vt dicebam,) in accepta & grata Deo perſona operante; cui adminiſtram & cooperatricem adiungi, Deo probatur.

Imò abſtrahendo ab eius operatione, eo ipſo quod perſona eſt Deo accepta, & fruitur ab aliquo, remuneratione dignus eſt qui talem perſonam fouet, tanquam habentem cum Deo neceſſitudinem aliquam & coniunctionem, ſiue habitudinem: cuiuſmodi excogitari poſſunt omnino multæ inter Deum & Religioſos. Sunt enim Religioſi, vt ex ipſa eorum appellatione ſupra monſtrauimus, cœleſtis aulæ milites, ac therapeutæ, & domeſtici Dei. Habere quippe Deum ſuos domeſticos, Apoſtolus ad Epheſ. 2. agnoſcit. Inter eos autem qui eo titulo gloriari meritò poſſint, ſunt Religioſi: quandoquidem ſeculo extorres, & omnia quæ extra Deum ſunt auerſati, in Dei familiam ſunt tranſcripti. Ex quo capite S. Bernardus ſerm. de peregrino, mortuo & crucifixo *in fine*, Religioſos ſuos pronunciat eſſe Dei domeſticos. [Felices vos (inquit,) qui domeſtici meruiſtis eſſe, quibus dicit Apoſtolus, *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.*] Domeſticam Regis familiam paulo ſuperiùs vocauerat. Nam cæteros quidem fideles, & fatetur ad generalem Dei exercitium pertinere. Religioſos autem confirmat eſſe de ipſo Dei famulitio domeſtico. Eoſdem inter Dei amicos numerari ex Chriſti ipſius voluntate, ſuadet imitatio & expreſſio vitæ Apoſtolorum, quibus dictum eſt; *Iam non dicam vos ſeruos* &c. *Vos autem dixi amicos.* Et quamuis amicitia iuxta Ariſtotelem 8. Eth. c. 6. infert æqualitatem, & idcirco eſſe amicitiam homini cum Deo ſicut ſubdito cum Rege diffiteatur: Tamen quæ Dei erga nos ſumma condeſcenſio eſt, non dedignatur admittere creaturam ſuam ad eum ſtatum in quo perinde tractetur, ac ſi ei intercederet nonnulla cum Deo æqualitas, communicando conſilia atque arcana. Ex quo capite S. Bernardus ſer. de ingrat. ſubuectionem Religioſorum ad diuinam amicitiam commendat. Nec extimuit S. Bernardus alio loco ſ. 85. in Cant. altiùs quoque ſubuehere Religioſæ animæ coniunctionem cum Deo, ſtatuens eſſe Chriſti ſponſam, ad connubium cum ipſo Deo promotam, qua neceſſitudine nulla poteſt excogitari intimior, cum coniuges ſint vna caro. Sponſa autem Dei qui ſpiritus eſt, vnus cum eo ſpiritus euadit, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 6. qui *adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* Sicut ergo cuique, domeſtici & amici chari ſunt, & ſua cuique ſponſa eſt amatiſſima, ita amari & foueri, tractarique beneuolè ab aliis, idem eſt acceptum. Idipſum de Deo cogitemus, qui non ſe priuauit ea propenſione in ſibi coniunctos, quâ nobis ineſt erga eos quibuſcum intercedit nobis neceſſitudo, prout Saluianus libro 8. princ. ratiocinatur confirmans Dei erga nos prouidentiam, ex parentum cura erga ſua pignora.

PVNCTVM II.

Multiplex modus Religioſis benedicendi.

TOtidem notari poſſunt benedictionis genera, quot ſunt maledictionis. Aliqua enim benedictio cogitatione, aliqua verbo, aliqua factis peragitur, ſicut proportione dictum eſt circa modos maledicendi. Percurramus breuiter ſingulos.

§. I.

Benedictio Religioſorum, præclara æſtimatione atque iudicio.

BEnedicunt cogitatione, qui magni æſtimant Religioſum inſtitutum, quod facile præſtant, qui perſpectam habent eius dignitatem nec detritionem eius, contempto ſeculi ſenſui admenſam approbant. Præfert hanc prænobilem æſtimationem 1. externa reuerentia, & obſeruantia plerique Sanctis Religioſis delata dum ſupereſſent. In eam rem Sanctus Chryſoſtomus hom. 21. in ad Eph. in morali, adducit exemplum Sancti Iuliani Sabæ, Scitis ſane (inquit) & auditis, quidam verò veſtrum, viderunt etiam, virum illum de quo dicturus ſum, Iulianum dico, admirabilem ac celebrem. Hic erat vir rudis, & agreſtis, humili ſorte & ex obſcuris parentibus ortus, neque omnino externæ eruditionis peritus. Iſto in ciuitatem introeunte (raro autem hoc fiebat,) ita cateruatim colligebatur populus, vt nihil tale factum ſit, vel Rhetoribus, vel Sophiſtis, aut aliis quibuſcunque ingredientibus. Quid dico? An non & nunc quidem, nomen eius cunctis Regibus illuſtrius, & venerandum magis, habetur.] Viſus antiquus ferebat, vt ſeculares laici, occurrentes Monacho, poſtularent ab eo benedici, quo ipſo, benedicebant cogitatione Monaſtico ſtatui, formantes de perſonis in illum tranſcriptis inſigne iudicium. Ipſi Saraceni facti obuii Sancto Hilarioni, ſubmittentes colla cum vxoribus ac liberis, inclamabant *Barac*, id eſt imperti nobis benedictionem, vt ſcribit in Hilarione, Sanctus Hieronymus. Optimè Beda 3. hiſtor. cap. 26. præfatus nonnulla de S. Regis Oſuuini in Monachos affectu, ait. [In magna erat veneratione, tempore illo Religionis habitus; ita vt vbicunque Clericus aliquis aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur. Etiamſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice, vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici, gaudebant; verbis quoque horum exhortatoriis, diligenter auditum præbebant.] Atteſtatur Gyraldus Cambrenſis cap. 8. in Cambriæ deſcriptione, quoad Vvallenſes. Propter hanc cauſam Magiſter in Regula cap. 95. adductus à Sancto Benedicto Arrianenſi capit. 71. concord. §. 3. ægrè ferebat, Monachos ſuos exire domo: Ne fortè (inquit) piorum, quos Religioſos appellat, [oculis viſi, ad damnationem potius noſtram, ab eis pro Angelis adoremur, & *benedicite* nobis, non meritis, indignè dicamur: cum fortè ſancti poterimus eſſe, quod non ſumus.]

Æſtimatio

Æſtimatio porrò magna de Religioſo inſtituto, concipi poteſt & generatim, & ſigillatim. Generatim, cùm benè penetratur excellentia Religioſi ſtatus, & rectè penſatur, quantam conferat opportunitatem, Deo accuratè ſeruiendi eique ſe in ſinu committendi. Vt enim ſtatus coniugij, iudice Apoſtolo, 1. Cor. 7. hominem diuidit, & diſtrahit in multa hæc, miſerum hominem excidens, vt optimè dixerit Petrus Damianus lib. 2. epiſto. 4 in vxorem equidem & in liberos partiuntur affectum hominis: vt de S. Baſilius l. de virgin. circa med. ait, coniuges ad vnumquemque partum, ſtuſtum animæ abſcindere: Ita è contrario ſtatus Religioſus, perſonam à multis hic auulſam, colligit & compingit in vnum. Et inde ductum eſſe *Monachi* nomen, S. Dionyſius c. 7. Eccleſ. hierar. affirmat. Atqui nihil cogitari poteſt dignius eo ſtatu, qui nos maximè aptat ad coniunctionem cum Deo, fine noſtro, ac bono ſummo. Sigillatim verò, bona religionis alicuius æſtimatio concipitur animo, cum ſpectatur finis immediatus quem aliqua Religio præfixum habet, inde proportio mediorum quæ eadem Religio ad finem illum aſſequendum vſurpat. Qui enim id exquiſitè perſpicit, haud dubiè benè cenſet, & honorificam æſtimationem efformat de ea Religione particulari, & ea tenus illi benedicit cogitatione atque iudicio.

Generatim ac vniuersè loquendo, de Religioſo ſtatu luculentam exiſtimationem prætulerunt, varia Doctorum iudicia de ſtatus Religioſi dignitate & præcellentia. Adduxi nonnullos ſuperius, poſt expenſam Religioſorum bonitatem. Et nonnulla proximè ſubijciam. Hic potiùs adducenda ſunt ſenſa eorum qui vitæ commodis ad nauſeam in ſeculo potientes, honoribus ſublimes, delicijs affluentes, inuenta vna hac pretioſa margarita, venditis omnibus quæ habebant, comparauerunt eam. Haud incongrua cum ſtatu Religioſo comparatio. Nam Chryſoſtomus hom. 7. in ad Coloſſ. & Theodoretus orat. 9. de prouid. vitam hic abditam & ingloriam, (cuiuſmodi eſt vita Religioſorum,) componunt cum margarita intra oſtreum concluſa. Viri ergo plerique ſublimes, ſiue doctrinæ laude, ſiue potentia ſeculari, talem de Religioſo ſtatu concepere exiſtimationem, vt elegerint abiecti eſſe in domo Dei Religionem ineuntes; arbitratique ſint vt ſtercora, opes, honores, atque delicias, quorum omnium faciebant detrimentum. Alexander Alenſis, æuo ſuo Theologus eminentiſſimus, Hugo item de S. Caro, doctrinæ laude clariſſimus, cùm poſſent hærentes in ſeculo, retinere nomen ſecundum nomen magnorum qui ſunt in terra, calces illiſere ſeculo; & humili Religioſorum ſorte eſſe maluerunt: Idipſum fecerunt plerique ſeculi apices, & mundana pleraque faſtigia. Reges dico, omnino multi, quos ſignare va in Chriſti annis poſſumus. Eleſbaam Rex Æthiopiæ anno 522. Sigebertus Rex Anglorum Orientalium 644. Sebi eorundem Rex 672. Vamba Rex Hiſpaniæ 680. Edelredus & Coenredus Merciorum Reges in Anglia 704. Rachi Rex Longobardorum 750. Eadbertus Rex Northumbriorum 758. Bardanes Imperator 801. Michael Curopalates Imperator 813. Lotharius Imperator 855. Alfonſus Caſtus Rex Hiſpaniæ 927. Hugo Rex Italiæ 945. Iſacius Comnenus 1059. Balduinus Rex Hieroſol. 1131. Stephanus Rex Vngariæ 1131. Regum item fratres, aut deſignati hæredes, Religionem capeſſere ſæpe notati ſunt nominatim. Carolomannus frater primogenitus Pipini Regis Francorum 747. Anſelmus frater Aiſtulphi Longobardorum Regis 751. Caſimirus hæres regni Poloniæ 1034. Henricus frater Regis Francorum 1149. Ludouicus Toloſas, filius Regis Neapolitani. Non numeraui inter Imperatores religionem profeſſos, Henricum quartum, etiamſi ita iactatum eſt. Reuera enim Henricus, profligatæ vitæ homo, ſæpè ſæpius fulmine Eccleſiaſtico ob ſcelera immania obtritus, nunquam cogitauit Religioſus fieri. Sed quod iactatum eſt de Henrico 4. facto Cluniacenſi Monacho, iocus fuit in eum incluſum ſolo Dorenſem, qui anno 1137. mortuo Henrico, quod eum facie & ſtatura referret, ſimulauit ſe eſſe Henricum; & coactis copiis, Imperatoris laruam aliquandiu prætulit; donec retecta impoſtura, attonſus eſt in Cluniacenſem Monachum, iactante paſſim eo ſcommate, *Henricus 4. factus eſt Monachus Cluniacenſis.* Rem narrat Robertus de monte in append. ad Sigebertum anno 1138. & hanc ſimileſque impoſturas addens ſans Fulgoſus l. 9. cap. vltimo. Hoc ergo perſonato ac ioculari Monacho allegato, habemus omnino multa coronata capita propter Deum attonſa, cuiuſmodi nonnulla recenſuimus. Extat liber Stephani Cyprij ord. Prædicatorum cuſus Pariſiis anno 1585. inſcriptus *Βασιλικὸν ἐυχαριστήριον*, quo recenſet Imperatores ac Reges qui ineuntes Religionem, abiecere ſeculi pompas. Videſis præterea in eam rem variarum Religionum, (vt vocant,) Arbores quibus non Imperatores tantùm ac Reges, ſed etiam Reguli ac Dynaſtæ quos ex vſu ſcripturæ, de quo late Sherlogus) antelog. 5. ſect. 6. à n. 128. Reges dixeris inſcripti cuiuſuis ordinis, recenſentur. Nemo porrò non videt, omnes illos, inſigne de Religioſo ſtatu iudicium efformaſſe. Nec tantùm de Religioſo ſtatu in vniuerſum; ſed etiam ſigillatim de eo particulari, religioſo ordine quem inibant. Quo item ſpectabunt, quæ de variis ſingularibus ordinibus illuſtria iudicia, verbo prodita, mox referimus.

§. II.

Benedictio Religioſorum, verbo viuo ac emortuo.

VErbum *viuum* appello, prolatitium ac ore fuſum; emortuum autem, quod chartæ committitur. Alterutro modo facile eſt vt erumpat foras æſtima io honorifica, mente intus concepta de Religioſo ſtatu. Sapor enim mentis, iuxta S. Paulinum, Epiſto. 15. in ſermone (ſiue prolato ſiue chartæ illito,) ſentitur. Varij igitur ſiue in genere Religionem, ſiue in particulari certum ordinem Religioſorum exornarunt, voce aut ſcripto, aliqui iuſtis tractationibus, alij breuiùs.

Qui vniuersè ac generatim Religioſam vitam exornarunt externo præconio, partim pleno & ad iuſtam tractationem expanſo, partim breui & verbis ſubſtricto, innixi ſunt. Pleſium encomium religioſæ vitæ longè illuſtriſſimum, habemus à ſancto Chryſoſtomo in Opere Tripertito contra vitæ monaſticæ vituperatores; & Tractatu de Regis ac monachi comparatione. Sed & Sanct. Baſilius in Conſtitutionibus, & in ſermone de abdicatione, ac epiſtola 1. & in vtriſque Regulis, frequens ac multus eſt in

SECT. IV. PVNC. II. §. I. *Multiplex modus Religioſi benedicendi.*

celebratione vitæ religioſæ S. Ephrem in Opere de vita ſpirituali, & in variis parænetibus ad Monachos, hoc argumentum ſæpè ac fusè verſat. Idem facit S. Hieronymus, variis de hac re lucubrationibus, epiſto. 2. 4. & 15. præſertim ad Heliodorum, Ruſticum, atque Paulinum. S. Auguſtinus idem egregiè executus eſt in Opere de moribus Catholicæ Eccleſiæ, necnon Eucherius in Eremi laudatione; ibi enim *eremum*, pro ſeceſſione à ſeculo & Religioſa vita accipit. S. Bernardus paſſim, præcellentiam Religioſæ vitæ celebrat; ſed nominatim ſerm. 17. & 37. de diuerſ. & ſerm. 16. in Cant. & epiſtola 351. & in Apologia ad Gulielmum Abbatem. Petrus Damiani monaſticam vitam commendat, ſed nominatim ſerm. de S. Nicolao & Opuſc. 51. Laurentius Iuſtinianus in Opere de vita ſolitaria, & de contemptu mundi, nec ſemel alibi, exſpatiatur in hoc campo. Inter nuperos palmam ſibi facilè præripit Hieronymus Platus, in nunquam ſatis laudato opere *de bono ſtatus Religioſi*. Eſt enim opus, & doctrinæ ſacræ vbertate, & pietate, ac cultu ſermonis eximium: præ quo arent alij exornatores religioſæ vitæ minus antiqui, vt Iodocus Clichtouæus l. de laude Monaſtices, & alii nonnulli.

Qui abſque plena tractatione exornarunt Religioſam vitam, fuere innumeri. Paucorum plagulas decerpo, Nazianzenus orat. 9. de Clericis Regularibus ſimul ac Monachis agens, & eis à Iuliano præfecto tributorum laxationem apprecans, et offert; totum ſacerdotum & Philoſophorum cœtum qui nullo vinculo humi tenentur, qui ſola corpora, ac ne ea quidem tota, poſſident: qui Cæſari nihil, Deo omnia habent, hymnos, preces vigilias, lachrymas; hoc eſt, eiuſmodi opes quæ manibus arripi ac teneri nequeunt, qui mundo mortui ſunt, Chriſto viuunt, carnem confecerunt, animam à corpore abſtraxerunt: His parcens, aut etiam omnino Deo reddens diuini numinis famulos & diſcipulos, cœleſtiumque rerum inſpectores; has inquam generis noſtri primitias, hæc columina, has fidei coronas, has pretioſas margaritas, hos templi illius lapides; cuius fundamentum & lapis angularis eſt Chriſtus, hoc eſt præclari Eccleſiæ complementi, pulcherrimè vtique, & ipſis, & tibi, & nobis omnibus conſulueris.] Autor vitæ S. Fulgentii, cap. 2. vitæ ait, eum conſuetudine Monachorum, eo adductum eſſe, vt agnoſceret, ſtatum eorum eſſe laudabiliſſimum, & ſicut gaudiorum, ita & tædiorum ſeculi exſortem. Ipſe S. Fulgentius l. 3. de verit. prædeſt. c. 22. non dubitat, bonum Monachum cum mundi principibus componere: ex quo liquet quanti faceret Religioſorum ſtatum. Plerique Patrum Religioſæ vitæ rationem vſque eò extollunt, vt nullam dicant eſſe in terris ſimiliorem Angelicis Ordinibus nullam viciniorem vitæ quæ in cœlis exigitur. Ita S. Bernardus in Apolog. ad Gul. Abb. Et affinia habet S. Ephrem ſerm. de virt. & vitiis & ſerm. aduerſus vitia nec non Palladius in prolo. Lauſ. qui religioſam vitam appellat *cœleſtem politiam*. Theodorus Studita in Teſtamento num. 5. quod in vitæ propè clauſula confecit, ſic de Monachis ſtatuit. [Confiteor Monaſticum ſtatum, ſublimem eſſe, & excelſum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget abſolutæ vitæ perfectione. Non eſt ſenſus in ſola adeptione perfectionis, per totam vitam deleri peccata, vt aliquis exiſtimauit: Sed S. Theodori ſenſus eſt, etiam in prima profeſſione religioſæ vitæ, vt conuerſionis profectæ in Deum tam peccatorum omnium abſterſionem conferri. Quanquam eximium quoque religionis decus eſſet, ſi perfectione totius religioſæ vitæ vniuerſa peccati rubigo detereretur. Sed S. Theodori ſenſus eſt is quem dixi. Et idem ſtatuit S. Anſelmus c. 191. ſimil. agens de Osberni Monachi peccatis, in ipſo Religionis ingreſſu abolitis. Nec diſſimiliter ex Angeli reſponſo narratur in Minorum Annalibus, in inuectiua de Fratre quodam Chriſtophoro. Petrus Bleſenſis caſtigans librorum ſuorum deprauatorem, ſic loquitur de Religioſo ſtatu. [Vitam Religioſorum quorum diuerſæ ſunt ſpecies, (polymita eſt enim tunica Ioſeph, & circumamicta varietatibus ſponſa Chriſti,) tota cordis affectione veneror, ipſorumque pedes brachiis deuotiſſimæ humilitatis amplector. Scio enim quia præ cunctis ſecularibus, & Clericis & laicis, tantò differentiùs virtutum titulos referunt, quanto impreſſioribus veſtigiis, Apoſtolorum regulis inhæreſcunt. Ipſi in humilitate, hoſpitalitate, obedientia, charitate, & cæteris quibus regnum Dei rapitur ac poſſidetur, indefeſſa ſollicitudine ſe exercent. Hi carnem deprimunt, ſpiritum erigunt, vitam in terra ducentes Angelicam; Chriſto militant in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigiliarum excubiis, in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, in confeſſionibus & diſciplinis, & lachrymis, in cœleſtium ſuſpiriis, in igniteis compunctionibus, in iubilationibus arcanis, in exceſſibus mentis, dulcibuſque ſuſurris, in quibuſdam gloriæ cœleſtis experientiis, in amplexibus ſponſi.] Videſis præterea alios quos addenſat Iacobus Billius ad Iambicum 15. Nazianzeni, n. 18. gloſſans eam Monachi definitionem à Theologo ibi propoſitam, *Quid Monachus? Eſt qui viuit legi, & Deo.*

Venio ad commendationem ac exornationem ſingularium ordinum Religioſorum quos inter, primus locus debetur Canonicis Regularibus, quippè antiquitate & dignitate potioribus. Hunc ordinem ab ipſis Apoſtolis primò conſtitutum, (fuerunt enim Apoſtoli verè Religioſi, vt alibi tract. de Apoſtaſia c. 3. eſt demonſtratum); poſtea verò, à S. Auguſtino certis legibus firmatum, & ſubinde variis modis inſtauratum, exornat diffusè Gabriel Pennotus in Canonicorum Regularium hiſtoria; & plenè quoque F. Ioannes de Paige in Præmonſtratenſi Bibliotheca, varios eiuſdem ordinis ramos diſtinctè ſignans, & vltimo loco collocans ſuum ordinem Præmonſtratenſem, ſub regula Canonicorum S. Auguſtini inſtitutum, cuius ornamenta vndecunque corrogat. Et quod eximium ſupra omnia ornamentum ac decus eſt, Sanctos, & Sanctas eiuſdem ordinis, breuiter intextis eorum Actis referens, toto l. 2.

Auguſtinianos olim procul ab vrbibus degentes, nunc *vrbicos Eremitas* vt verbum Petri, Damiani lib. 5. epiſto. 8. huc accommodem, ſed deputatum atque deſertum, ſatis ſuperque exornat ſancti inſtituti autor B. Auguſtinus. Verè enim fuit eorum parens, quidquid Saneyranius, & Nicolaus le Maiſtre, Antimonachi effutiuerint, cætera Ianſenio fœderata turba ſuffragante. Videſis Ambroſium Coriolanum; in defenſione ſui Ordinis. Exarmant præterea eundem ordinem viri ex eo illuſtriſſimi de quibus Ioãnes Baptiſta Gramaus in Africa illuſtrata & Proſper Stellartius in Auguſtinomachia & in fundaminibus ordinum, ac in virorum illuſtrium elogiis Cornelius Curtius.

Lerinenſem Ordinem, nunc quidem Ordini S. Benedicti adiunctum, longe tamen ante S. Benedicti tempora florentem, celebrarunt complures,

ac

ac nominatim Eucherius in calce libri de laudibus Eremi , & Ennodius in Actis B. Antonij Lerinenſis, & Hilarius Arelatenſis in vernantiſſimo S. Honorati panegyrico ; atque Cæſarius, hom. 26. alias 9. ex quo hæc pauca decerpo. [O felix & beata habitatio inſulæ huius , vbi tam ſanctis quotidie, & tam ſpiritualibus lucris gloria Domini Saluatoris augetur , & tantis damnis Diaboli malitia minoratur. Beata inquam & felix inſula Lerinenſis , quæ cum paruula & plana eſſe videatur in terra, innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur. Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes prouincias erogat Sacerdotes , ac ſi quos accipit filios , reddit patres ; & quos nutrit paruulos , reddit magnos, quos velut tyrones excepit , Reges facit. Nam omnes , quoſcunque felix & beata habitatio iſta ſuſcepit, charitatis & humilitatis pennis ad excelſa virtutum culmina , Christo ſublimare conſueuit.] Et huius cœnobij tabulis , Ferrarius in noua Topogr. Martyr. v. *Lerinum* ait extitiſſe ex eo duodecim ſanctos Archiepiſcopos , totidem Epiſcopos , Abbates decem ; Monachos Confeſſores quatuor, Martyres centum quinque. Qui videtur non habuiſſe pro Martyribus S. Porcarium & quingentos Monachos cum eo cæſos ſub Geiſerico quos Eccleſia 12. Augusti titulo Martyrum honeſtat , & pro fide cæſos agnoſcit.

Carthuſianos eximiè extulerunt varij ſummi Pontifices deflorati , à S. Brunone Stylita myſtico : puncto 11. nec non Gulielmus Abbas S. Theodorici in Epiſtola falſo S. Bernardi lucubrationibus annumerato Item Petrus Cellenſis in aliquot Epiſtolis , epiſto. 13. & 46. Robertus de Monte ad annum 1131. Autor vitæ S. Godefridi , l. 3. c. 8. ex Carthuſiano Ambianenſis Epiſcopi. Petrus Bleſenſis , epiſto. 8. Petrus Cluniacenſis. l. 6. epiſto. 12. & l. 2. mirac. c. 28. Omnium pleniſſimè Dionyſius Richelius, l. de præconio ordinis ſui cuius (tametſi domeſtici ,) Encomium non eſt abiiciendum. Sobriam enim à domeſtico laudem, iure admittendam eſſe , monuit Nazianzenus , laudans Gorgoniam Sororem. orat. 9. Tametſi enim fœdum eſt , quod aliqui ſuum ordinem ita commendant , vt aliis anteponant iure id criminante Philippo Abbate : l. de contin. c. 86. Tamen modeſta & ſobria proprij cœtus commendatio , eſt acceptione digna vndecunque. Et talem ſuis panxit Richelius , vir & doctrina clarus & ſanctitate præcellens.

Benedictinos , celebrauit Trithemius in Opere de ſui Ordinis viris illuſtribus , & in Penthico quo illatam tam florenti familiæ cladem deplorat. Sed non ſemel ſubſannatur à Baronico , quod alienis , ſiue ſcriptorum , ſiue Sanctorum pennis , conneſtiat ordinem ſuum : tametſi longè parcius quam Conſtantinus Caietanus. Adeò ea in parte in ulſus, vt timeret Scipio Cobellutius Cardinalis S. Suſannæ , ne eius ſtudio & labore SS. Petrus & Paulus , inter Benedictinos numerarentur. Similique ex cauſa Nebridio à Mundelhein, epiſto. 121. antiq. Monaſt. & Leoni Allatio ludibrium , debuit. Quid mirum ab externi pexum eſſe cum ipſa S. Benedicti familia in cauſa S. Ignatij , & Societatis Ieſu , Caëtanum abiecerit ? Ego parcius ago ne videar pœnas ſumere de Conſtantino , qui in me gratis bacchatus eſt occaſione operū Petri Damiani , quæ ipſe ſatis inconditè emiſerat , & Monachi huius negotiatoris , qui exemplaria diſtrahebat magno cum lucro , quod illi ex iterata editione melius compoſita deceſſit. Hinc illæ lachrymæ, vt notaui in opere de calumnia amouens à me captationem nouitatum , quæ mihi à Conſtantino impingebatur ob Petri Damiani opera in meliorem vendibiliorem formam redacta diſtinctius meliuſque cōpoſita proderunt poſtea Lugduni Vnde cōcitatio Ordinis Benedictini ramū Cluniacenſé præclarè exornant Petrus Damiani , l. 6. epiſto. 4. & Petrus Cellenſis, epiſt. 157. Maculas verò huic cœtui à S. Bernardo inſperſas , deſticat longo apologetico Petrus venerabilis.

SECT IV. PVNC. II. §. I. Multiplex modus Religioſis benedicendi.

Ramum alterum eiuſdem familiæ , conſtituunt Cæleſtini ; quos egregiè collaudat Card. Cameracenſis; nec ſemel Gerſo, quem aliqui imperitè cenſuere Cæleſtinum; vt dixi ſuo loco. in mantiſſa ad Indic. SS. Lugd. v. *Ioannes Charlierius*. Error inde manauit , quod fratrem Gerſo haberet Cœleſtinum , eumque ordinem impensè coluerit , & locuplete ſua (pro tempore) , Bibliotheca donarit : quam dolendum eſt , poſterorum incuria , potentum vnguibus fuiſſe permiſſam. Celebrat exquiſitè eundem Ordinem Putherbæus in Epiſtola nuncupatoria ; præfixa operibus Thomæ à Kempis.

Fontebraldenſis familia , (quæ item ramus eſt Ordinis S. Benedicti] multipliciter exornata eſt in lucubratione de autore eius Roberto de Abruſcellis , viro ſanctitate ac rebus pro Dei gloria geſtis præcellenti. Splendidè item hunc Ordinem exornauit in eius hiſtoria R. P. Honoratus Nicquetus, num. 32. ſeqq. quam optandum eſt donari latio , vt Ordinis huius decora innoteſcant quaquauerſum.

Monachis nigris , (de quibus hactenus) , vinculo eiuſdem ſubſtantialis regulæ , nectuntur Ciſtercienſes , & horum ſurculus familia Claræuallenſis. De Claræuallenſibus pleraque retuli in S. Bernardo Ape Gallica num. 55. & 64. vbi etiam de relicto diuinitus horum ſemine, (Fulienſes Patres dico ,) actum eſt , parcius quàm pro meritis. Laudes Claræuallenſium hodiéque regulari diſciplina mirificè florentium , dabunt Petrus Cellenſis epiſt. 54. & 58. & Nicolaus Monachus S. Albani Epiſto. 7. Ordinis verò veluti truncum, hoc eſt Ciſtercienſes , exquiſitè celebrarunt omnino multi : ſed vix quicquam proferri poteſt luculentius , eo encomio quod illis pangit Stephanus Tornacenſis. epiſto. 1. Adeundus inſuper Philippus Abbas , l. de Contin. Cleric. c. 25. ac Petrus Bleſenſis, epiſt. 82. 89. & 96. ac Petrus Venerabilis , l. 4. epiſt. 17. & S. Methildis , c. 14. gratiæ ſpirit. nec non in Occidentali hiſtoria Iacobus de Vitriaco. l. 1. c. 51. & c. 14. 15. 17. 19. Scitè Benedictus 12. eo diplomate cuius initium eſt. *Fulgens ſicut ſtella*. Item Alexander 4. eo diplomate cuius eſt exordium , *Circa ſacrum & famoſum ordinem*; & egregiè quoque in Epiſtola ad Capitulum Ciſtercienſe. Item Innocentius 4. in diplomate cuius initium eſt, *Theſauro virtutum*. Et in alio Gregorius 10. quod incipit , *In veſtitu deaurato* & Clemens. 4. eo diplomate cuius initium eſt , *Paruus fons qui creuit*. Inſigniter præterea Ciſtercienſes commendat Fridericus Imperator in Epiſtola ad Prælatos ordinis Ciſtercienſis. Legere eſt omnia illa diplomata , & hanc Epiſtolam , in Collectione Priuilegiorum , ſubtexta Menologio Ciſtercienſi.

Ordo Prædicatorum ſe ſatis commendat.

Minores collaudat egregiè Pontifex Clement. Exiui *de Paradiſo* & cap. *Exiit* de verbor. ſignif. in 6. Legenda inſuper inſignia in hanc rem diplomata Gregorii 9. Innocentii 4. Alexandri v. Nicolai v. quæ proſtant in Bullarum collectione Aluarus Pelagius de eiuſdem ſuæ familiæ ſanctitudine,

SECT. IV. PVNC. IV. §. III.

Munus, lex modus Religioſis benedicendi.

tudine, variiſque ornamentis, agit perhonorificè in opere de ſtatu & planctu Eccleſiæ. lib. 2. artic. 61.

Carmelitarum encomiaſtæ annotati ſunt in Scapulari Stochiano cap. 4. Dimittendû tamen eſt illud eorum decus, quod non nemo petit ex verbis Lucæ, dicentis conueniſſe Hieroſolymam, l. de variis regulis c. 50. *viros Religioſos ex omni natione quæ ſub cælo eſt*, quod de ſuis Carmelitis dictum putat Thomas à Ieſu & Philippus à S. Trinitate. Hoc nimis inſulſum eſt. Nec multò ſapidius, quod Carmelitanos vere Religioſos, anteceſſiſſe Chriſtum, contendunt, quorum in ereſt ſe primos Religioſorum dicere. Ita plenè Lezana in Carmelitarum Annalibus; vt taceam F. Franciſcum a S Maria in hiſtoria Prophetica, pleriſque improbata. De ipſa verò re, Legeſis Salianum anno mundi 3127. n. 27. & anno 3139. num. 45. & quæ dixi in Opere de Apoſtaſia. c. n. 45. 3.

Societatem Ieſu Didacus Payna in Opere Orthodoxarum Explicationum toto l. 1. à Kemnitij latratibus propugnauit, exornauitque inſigniter. Idem præſtitit Ioannes Baptiſta Confectus in opere de ortu religionum. cap. 11. Alios in eiuſdem Societatis encomia effuſos, adduxi in S. Ignatio *anima mundi*. puncto 11. Alia in eius exornationem protuli in opella de S. Ignatio architecto S. Sophiæ, & nouæ Baſiliadis; necnon in alia diſſertatione de S. Ignatio, adumbrato in puero Ægyptio, filio viri Amalecitæ, facto Dauidis ductore. Gratulatur Societati Caramuel in Theologia Regularium diſſert. 34. vſurpatis illis Bernardi ſerm. in feſt. S. Andreæ verbis quibus vir Sanctus tractans illud *delicias meas eſſe cum filiis hominum*, ſic expoſuit hos filios hominum [Iſti ſunt filij hominum, qui ſperauerunt ſub tegmine alarum tuarum, quos elegiſti de plebe, quorum lauiſti pedes, quibus tuum ſpiritum infudiſti, qui fidem veri nominis quadrigis Euangelicis per orbem quadrifidum portauerunt. Iuxta Tertullianum, lib. 5. Marcio. cap. 8. filij hominum quibus Chriſtus cælos ſubiens, dona contulit, ſunt Apoſtolorum filij, vitam horum Patrum quibus Deus filios dedit ac generationem venturam, exprimentes imitatione, & eorumdem functionibus nauantes operam.

§. III.

Benedictio Religioſorum per opera.

Hic modus beneuolentiam erga Religioſos prodendi, eſt omnino multiplex. Vel enim benefit Religioſis, dando cœtui eorum perſonas, vel extruendo eis cœnobia, eaue iam extructa locupletando; vel erogando eis eleëmoſinas, vel tuendo illos cum ſe dat occaſio, ad propulſandam impendentem iniuriam: Hæc beneuolentiæ expromendæ ſpecimina, omnes aliquo tandem modo poſſunt præſtare Religioſis. Fauores verò quos ſoli Eccleſiæ Rectores conferunt, ſeorſim attingam.

Benefaciunt aliqui Religioſis, conferendo perſonas: Hoc imprimis præſtant parentes, offerendo liberos ſuos religioni: quæ eſt actio æmula deſtinationis Iſaaci ad victimam per Abrahamum patrem; quantum in Abrahamo fuit. Nam etiam liberi, cum in ſacra familia religioſo obſequio addicuntur, cenſentur immolari: Quo pacto multi interpretantur immolationem filiæ Iephte per ipſum patrem. Ita omnes Rabbini, quibus videtur adhærere Caramuel in Theolog. reg. l. di. p. 18. quanquam ea opinatio eſt contra tot omnem Patrum ac Doctorum, vt monſtrat Suares. 2. de voto cap. 10. num. 8. Negari tamen non poteſt, quin viſum ſit multis, filiam Iephte dictam eſſe immolatam; quia addicta eſt à patre perpetuæ virginitati in cultum numinis. Liberorum ergo addictio in Religioſam familiam, opus eſt Deo gratiſſimum, dummodò liberi ipſi libentes annuant; & nec minis adacti, nec terroribus impulſi religionem capeſſant, vt ſæpè contingit circa puellas, latè exagitante eam adactionem Bleſenſi, epiſto. 54. agenti contra violentiam Archidiaconi Pictauienſis, qui Adelitiam nepté ſuam, inuitam & renitentem, in clauſtrû concludere ſtatuerat. Vnde quanta imminerent mala, monſtrat optimè Bleſenſis. Eaque mala, innumeris experimentis comperta habens Eccleſia, ſapienter in ſynodo Tridentina, quoad puellas, violentiam parentalem coërcuit interpoſita anathematis interminatione. Puellæ enim ſunt pudentiores & infirmiores, faciliuſque cedunt parentum minis, luctuoſo plerunque euentu. Vnde congruè Concilium, quoad puellas frœnauit violentiam parentum; quoad mares autem nihil edixit, ſed rem iuri naturali permiſit: Tametſi potuiſſet haud dubiè, nec iniuria, violentiam parentum quoad mares quoque, ſimiliter frœnare; quia plerunque peſſimè circa mares quoque, cedit violentia parentum in liberos vt religionem capeſſant. Ritum & formulam è qua fiebat addictio, iuuat exhibere ex veteri membrana Monaſterij S. Remigij Rhemenſis. [Dum legaliter ſancitum antiquitùs teneatur, & cautum cum oblationibus Domino parentes, ſuos tradere filios, in templo Domini feliciter ſeruituros, proculdubio hoc de noſtris filiis faciendum ſalubriter præbetur exemplum. Æquum enim iudico, Creatori noſtro de nobis reddere fructum. Idcirco ego Hildegrinus, hunc nepotem meum nomine Riſuinum, cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu mea inuoluta, ad nomen S. Remigij, vel ad ſanctorum quorum etiam hic reliquiæ continentur, & Abbati præſenti trado coram teſtibus permanſurum, ita vt ab hac die, non liceat illi collum de ſub iugo regulæ excutere; ſed magis eiuſdem regulæ fideliter agnoſcat inſtituta ſeruare, & gratanti animo militare. Et vt hæc mea traditio inconuulſa permaneat, promitto iureiurando coram Deo & Angelis eius, nunquam per me, nunquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates, aliquando egrediendi de monaſterio occaſionem tribuam; Et vt hæc mea traditio, firma & inuiolata permaneat manu mea propria ſubterfirmaui Hildegrinij qui hanc chartulam fieri, & firmari rogaui, manu Bauonis fratris eius, & Vvalberti.] Conſimilis formula legetur apud Smaragdum, veterem Regulæ S. Benedicti commentatorem. Aliā oblationis formulā ex ſolius Patris nomine itéque aliā ex nomine vtriuſque parêtis, repræſentat Lucas Deckerius ad Epiſto. 32. Lanfranci: Sunt auté ferè vniformes & ex cap. 59. regulæ S. Benedicti c. 18. ſtatut. expreſſæ, diſtinctiùs tamen aliquos ex ritibus ibi propoſitis adducit Lanfrancus & eos diligenter enucleat Haephtenus. l. 4. diſquiſit. Tract. 1. diſq. 4. An verò impuberes parentum voto addicti, religioſo famulatui, teneantur eo voto parentum, cum puberes euaſerint, diſcutiunt Suares tract. 7. de relig. lib. 4. cap. 7. & Sanches. 4. de

voto

voto cap. 18. Et quicquid in contrarium inſinuet Petrus Damiani, opuſc. vl. cap. 5. certum eſſe debet, pueros pubetes factos, non teneri voto parentum, niſi cum facti ſunt puberes ratum habeant quod circa ipſos à parentibus fuerit geſtum. Parentes autem in ea liberorum addictione religioſo famulatui, ſi purè agant propter Deum, magnum ſibi meritum comparant. Offerunt enim Deo, quod habent pretioſiſſimum. At non agerent purè propter Deum, ſi tantùm quærerent exonerationem familiæ, vel ſi liberos illos religioſo obſequio manciparent, quos deprehenderent eſſe ad ſeculi ſplendorem aucupandum minùs idoneos, cæteros autem ſeruarent addicendos ſeculo ac pompis eius: quæ eſt vetus querela circa puellas, tunc tantùm virginitati traditas, cum ob deformitatem, maritos non inueniunt: quod vitium eſſe miſerorum, ac debilis fidei parentum, expoſtulabat S. Hieronymus. Epiſto. 8. At qui piè ac Chriſtianè agunt, & purè quærunt demereri Deum, nihil debile aut luxatum Deo ſeponunt, ſed exemplo Abelis, quæ habent potiora, offerunt Deo, veriti expoſtulationem eius per Malachiam cap. 1. dicentem, *maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Et ſuperiùs. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? Et ſi offeratis claudum & languidum, nonne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.*

Exerunt hoc primum beneficentiæ genus erga Religioſos, ij quoque, a quibus aliquis inducitur ad capeſſendum religioſum ſtatum, quod præſtare poſſunt vel religioſi eius familiæ ad quam aliquis inducitur, vel externi. Religioſis cauendum eſt, ne per amorem proprij cœtus proſelytos, quibus religionis affectum inſtillare ſatagunt, auertant ab alio inſtituto religioſo, vt illos ad ſe pertrahant. Qua agendi ratione iaciuntur ſemina inſtabilitatis, in eo qui ſic inducitur ad propriam inducentis religionem. Itaque qui purè hac in parte agit, nec quæ ſua ſunt quærit, ſed quæ Ieſu Chriſti; & quid reuera in maius proſelyti bonum cedat attendit, ſequitur potius quàm præcedat proſelyti mentem; niſi apertè exorbitet ac exerret. Externis verò, ſiue non religioſis, non eſt incongruus labor ſuſceptus in perſonis idoneis ad religionem inducendis, præſertim cum Deo aliis item compendiis fœnerant. Sic enim S. Philippus Nerius, pio ioco, à viro item ſancto, Ribad. vitæ S. Ignatij dictus eſt *Nola*; quòd ſicut æs campanum oraturos inuitat ad Eccleſiam, neque tamen vnquam ſubit templum ad orandum: Ita B. Philippus, cum multos induceret ad ingreſſum religionis, eam tamen nunquam capeſſeret. Sed nimirum, erat ille in ſtatu ſeculari Deo vtiliſſimus, & fortè vtilior quàm in religione fuiſſet. Quodque S. Hieronymus Hebridium, & Exuperantium ſeculi homines, *monachos ſub paludamento* appellabat, bellè S. Philippo accommodari poteſt. Præter modum porrò inducendi viua voce in religionem, multi ſcripto idem præſtiterunt. Vt Eucherius Valerianum cognatum ſuum, & alias quoque Hilarium Arelatenſem: Petrus item Bleſenſis, aliquot Epiſtolis idem argumentum verſauit. Bernardus Prior Portarum, Aymonem de Varennes & Aymonem de Rohoria ad fugam ſeculi & religionis ingreſſum, hortatus ſedulo eſt, nuperrimè vulgata parænesi Epiſtolari. Epiſto. 11. & 55.

Ad eos qui religioni perſonas curant, reducuntur qui admiſſas, ſed nutantes fulciunt ac firmant; vel per apoſtaſiam ſepta tranſgreſſas, reuocant ad caulam: Eiuſdem enim beneficentiæ genus eſt, parta ſeruare, aut ſubducta reponere, atque primò conferre. De nutantibus ſuffultis, eſt illuſtre exemplum apud Bleſenſem Epiſtola ad Carthuſianum de iam arrepta ſtiua Euangelica abiicienda cogitantem, quem omni ſtudio ſtabiliore ſatagit Bleſenſis. Ioſephum Monachum in adita monaſtica profeſſione vacillantem, firmat S. Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 372. Lætum ne ſuorum fletibus cederet, ſed immotus preſtaret, hortatur S. Auguſtinus. Epiſto. 38. Abſtractum violenter ab Epiſcopo Monachum, reducere omni ſtudio conatus eſt S. Anſelmus, l. 3. epiſt. 13. data ad Epiſcopum epiſtola, cuius nominatim limbus, eſt lectu dignus. S. Romualdus, patrem ſuum Sergium, in ſuſcepta vocatione nutantem, imo certum redire ad ſeculum, laudabili duritia ligno ſtrinxit, & clauis fixis ne euadere poſſet impediuit, è media Gallia nudis pedibus Rauennam progreſſus, vt conſilium hoc ſuum exequeretur. Apoſtatis reuocandis ſtudium impenderunt plerique Sanctorū, adducti in Tractatione de Apoſtaſia. cap. 20. Et eſt ſanè actus magnæ charitatis, vt conſtabit attendenti ad teterrimum ſtatum Apoſtatæ, qui pacta ſua cum Deo inita, fecit irrita; vnde manent eum magna mala & in altera vita, vt S. Ephrem paræn. de nat. ſcandaliz. præclarè docet. S. Philibertus Abbas Gemneticenſis, caput obiecit furori Ebroini Maioris domus Franciæ, vt ei truculento homini apoſtaſiā à Luxonienſi cœnobio exprobraret, ſi fortè ea reprehenſione ſanā mentem reſumeret. Hincmarus Tomo. 2 opuſc. 59. pag. 829. pro apoſtaſia Pipini Regis ſollicitiſſimus eſt. Sancti quidam viri ſtrenuè ſatagerant vt adoleſcentem nobilem ex pio monacho impium, ac impiorum choragum, denique ad bonam frugem reuocarent, vt recitat S. Ioannes Chryſoſtomus, l. 3. aduerſus vituper. cuius etiam pro reuocando Theodoro lapſo ſtudia neminem latent. S. Iſidorus Peluſio a, lib. 1. epiſto. 318. apud Lucam Archimandritam pro Apoſtata intercedit, dummodò tamen profugus pro quo agit, eſſet eiuſmodi, vt poſſet deinceps de eius conſtantia ſpes concipi. B. Clara Agolantia (vt habent eius Acta,) ſollicitè egit pro Apoſtatæ ſanatione, quod item anniſa eſt præſtare S. Catharina Senenſis, datis ad deſertorem fortibus literis, Bracharij ad Ianuarium pro monacho & Moniali lapſis ac profugis, epiſtola extat, & fortis & elegans. De ſtudiis ergo piorum pro reductione Apoſtatarum, liquet. Et quanquam teſte S. Iſidoro Peluſiota, l. 1. epiſt. 129. Monachus deſertor ægerrimè reuocetur, præſertim ſi diutiùs computruerit in ſtercore ſuo; tamen etiam cryſtalli obduratæ, id eſt interprete B. Auguſtino in pſal. peccatores diuturni & obdurati flante Auſtro liquantur & ſpiritu ſancto eos tangente, reueniunt quandoque ad cor & qui diu dormierāt, adiiciunt vt reſurgant. Sic apud S. Birgittā, q. reuel. c. 33. Ciſtercienſis, qui per annos duodeuiginti à caula aberrauerat, denique ad ſe rediit. Auguſtinianum Apoſtatam, memini adoleſcens, Nemauſi Arecomicorum per liberos iam grandes natu, ex ſcorto ſpecie coniugis ſuſceptos, perſuaſum eſſe in vitæ propè meta, reſipiſcere, & eiurata hæreſi, Catholicis adiungi, coram omnino multis qui iacenti aderant Catholicis; per quos poſtmodùm magnus planctus (celeberrimas exequias cum Luca Actor. 8. dico,) factus eſt piè demortuo, nō abſque graui cordolio ſectariorū, apud quos per annos multos ſubulcū egerat. Eſt igitur reductio Apoſtatarū, beneficētia inſignis erga ipſos deſertores, & erga cœtū religioſū cui denuò conſeruntur.

SECT. IV. PVNC. IV. §. II. *Multiplex modus Religioſis benedicendi.*

Qui

SECT. IV. PVNCT. II. §. I.

Multiplex modus Religiosis benedicendi.

Qui vel ad religionem alliciunt; vel ab ea digreſſos reuocant, dici poſſunt ædificare religioſis domos, iuxta phraſim ſcripturæ, quæ ait, Ægyptias mulieres ex charitate ſubdu‍xiſſe crudelitati Pharaonis infantes Hebræorum; & ideirco Deum ædificaſſe illis domos; id eſt ſobolem copioſam contuliſſe. Eſt autem aliud beneficentiæ genus, per domorum ædificationem, cum conſtruuntur cœnobia. Qua in parte benefactoribus ac fundatoribus, grata in vicem rependere ſtuduerunt, varij in Ordinibus Religionis chronographi & Chorographi, qui fundatores domorum recenſuerunt. Nauauit operam omnibus cœnobiorum Ordinis Minorum fundatoribus annumerandis, & laude congrua honeſtandis, Franciſcus Gonzaga. Origines Benedictinæ Auberti Miræi, idem præſtant quoad familias & cœnobia Ordinis S. Benedicti. Præmonſtratenſium ſuorum fundatoribus referendis le Paige, Biblioth. Præmonſtratenſi. Librum addidit Gaſpar Bruſchius idem præſtitit circa Monaſteria Germaniæ.

Hi ſanè Religioſis benedicunt æquè ac alii qui non per domorum fundationem, ſed dando Religioſis ſtipem qua viuant, ſuſtentant illos. Id enim ſpectare ad benedictionem, monſtrat Petrus Damiani Opuſc. 30. c. 2. allegato eo Pſal. isloco, *viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus.* Idque eſt, communicare Sanctorum neceſſitatibus; vitæ ſcilicet neceſſaria ſuppeditando, quæ ſunt hoſtiæ quibus promeretur Deus, iuxta Apoſtolum Hebr. 13. Nam reuerà eſſe acceptiſſimum Deo ſacrificium, S. Chryſoſtomus ſerm. 20. in ad Rom. pulchrè proſequitur. Nazianzenus orat. 28. n. 19. verò magnam hinc mercedis fiduciam ingenerari commendat, eſſeque hanc beneficentiam conferenti lucroſiorem, quam ei cui confertur, præclarè confirmat. Id quod etiam admonet in ſua regula, Serapion. §. 1. Confirmabat hoc S. Franciſcus, ex eo quod ſecularis dat Religioſo temporalia; accipit verò ſpiritualia, per fuſas pro ſe preces & communicationem bonorum operum. Quin etiam tametſi Religioſus ſileat, obiectiuè tamen mouet Deum ad benedicendum ſuo muneratori, reddens ipſi retributionem eius cum ſuperpondio; eſtque ea benedictio optima, ſecularí repenſa. Quo pacto aliqui accipiunt verba famulorum Nabalis ad Abigail. *Ecce dauid miſit nuncios de deſerto, vt benediceret Domino noſtro.* Petebat Dauid à Nabale ſubſidium aliquod vitæ. Idque Nabalis famuli, appellant *benedictionem.* Quia accipiendo, Dauid erat Dei benedictionem conciliaturus Nabali. Ita Greſerus in opere de benedictionibus l. 1. c. 1. Sibi ergo maximè prodeſt, qui his pauperibus benefacit. Et quamuis ea erogatio eleemoſinæ; cuicunque fiat, vtiliſſima eſt & Deo accepta; haud dubie tamen acceptior Deo eſt; beneficentia in egenum iuſtum (qualem par eſt ſupponere eſſe quemcumque Religioſum;) & eum iuſtum qui ſe vltro propter Deum ad inopiam demiſerit. Ratiocinatio eſt S. Bonauenturæ in apolog. pauper. re p. 4. c. 1. allegantis Hieronymum. l. contra Vigilant. Non eſt igitur dubium quin cæteris paribus, Religioſorum ſubleuatio ſit Deo acceptior ac melior. Abdias diſpenſator domus Achab, flectendo Eliæ, allegabat 3. Reg. 18 quod Fuerit Iezabele pauiſſet pane & aqua, centum Prophetas Domini, qui tunc erant noſtrorum Religioſorum vmbræ. Sed ſuperauit Abdiam Melania, nondum Origenis fuligine per Ruffinum denigrata. Nam furentibus in Catholicos Arrianis, & ſcribit S. Paulinus, epiſt. 10. per triduum, quinque millia Monachorum latentium, panibus ſibi pauit, tanto ſupergreſſa Abdiæ largitatem (vt S. Paulinus bene perpendit), quanto centenarius numerus multitudini quinque millium cedit. Sic ſeculares ſalui fiunt per Religioſos, eo modo quo Gabaonitæ per Dei ſeruos quibus famulabantur, vt Philoſophatur Origenes. hom. 10. in Iosue. Sic Monachus eſt in ſeculari diuite, vt vitis in vlmo, iuxta S. Cæſarii hom. 24. ſimilitudinem; quæ adhibetur quoque a S. Gregorio hom. 20. in Euang. Sic paſſeres qui non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, nidificant in lignis campi, ac cedris libani, vt meditatur Rupertus in Heriberto, cap. 2. & præiuerat S. Auguſtinus in pſal. 103. can. 3. ſub l. agens de eius & Othonis Imperatoris ſollicitudine, vt ſuppeterent Monachis neceſſaria [Pauperum (inquit), memores extiterunt viri ſummi, hæredes æternæ viriditatis, de qualibus in Pſalmo ſpiritus Propheticus dicit; *ſaturabuntur ligna campi, & cedri Libani quos plantauit.* Hoc namque præconio, ſub nominibus *lignorum campi, & cedrorum libani*, myſtice a S. ſpiritu, diuites & potentes ſeculi præuiſi ſunt, hoſpitales futuri pauperibus; item Eccleſiæ filiis ſpiritualibus, de qualibus ibidem continuò ſubiungit; *Illic paſſeres nidificabunt: Herodii domus, dux eſt eorum*; id eſt Chriſtus, qui per auem Herodium ſignificatur, prouiſor eſt eorum, qui propter ipſum pauperes fiunt; præparando animos diuitum ſecularium, vt quomodò paſſeres in ramis lignorum campi, cedrorumque libani nidificant, ita ipſi in poſſeſſionibus ſiue facultatibus illorum, parata ſibi vitæ huius neceſſaria percipiant.] Optime in hanc erga pauperes Dei ſeruos beneficentiam, commutari à paſtoribus, pœnas quas locupletibus pro noxis ſuis debent infligere, Gulielmus Pariſienſis de ſacram. ord. c. 11. admonuit.

Non eſt porrò contentus S. Chryſoſtomus, hom. 14. in 1. ad Timot. ſtipis erogatione in Dei ſeruos quandocunque facta, & porrecta per alium; ſed ita hortatur fideles res ſuas erogare Monachis, vt quiſque per ſeipſum, non per intermedium aliquem, per ſeipſum inquam illis abſque ſequeſtro aditis, beneficentiam erga eos exerceat: Nimirum quia eorum frequentatio eſt longè vtiliſſima, cum ob luculenta virtutis exempla incurrentia in oculos adeuntium religioſam ſedem; tum ob pia colloquia per occaſionem ſtipis conferendæ, miſcendaque cum Dei ſeruis illhic degentibus. Nolo lectorem fraudare parte aliqua ſapidiſſimæ orationis. [Accurrere ſollicite (inquit), & ſanctos viros inquire, qui reuera ſancti ſunt; qui in ſolitudinibus ſedent, qui mendicare non valent, qui Deo ſemper ac iugiter vacant: In longinquam abi peregrinationem, per teipſum eroga: Multum enim ſi dederis, emolumenti conſequeris. Vides tabernaculum ac diuerſorium, cernis deſertum, inſpicis ſolitudinem; fitque vt ſæpè, dum pecuniam diſtribuere pergis, animam Deo integram afferas, capiatque te amor quietis, & ſocius ſancti certaminis fias, atque cum illo vna valefacias ſeculo. Multum confert pauperum ipſe quoque conſpectus. *Bonum est* (inquit) *ingredi domum luctus, quam domum riſus.* Hic enim animus intremiſcit. Nam dum prouocatus ad riſum, ſimul deliciarum lenocinio caperis. Vbi verò riſus abeſt, triſtitiæ pates. At in domos luctus, nihil eiuſmodi eſt. Verum etſi deſunt deliciæ, dolore non caperis: ſi verò adſint, diſciplinæ rigore te contines. Verè domus luctus, monaſteria ſunt, vbi cinis atque cilicium, vbi ſolitudo,

tudo , vbi riſus nullus , nullus negotiorum ſecularium ſtrepitus ; vbi ieiunia , vbi terrenorum duritia lectulorum. ibi munda ſunt omnia , nullus ibi nidoribus locus ; abſunt procul ſanguinis riui, perturbationes ; curæ , tumultus , tranquillo in portu nauigant , ac veluti luminaria ſunt , ſublimi de loco nauigantibus , fulgore ſuo iter aperientes. In littore placido ſedent , omnes ad quietem ſuam inuitantes ac pertrahentes , neque naufragium pati ſinentes, eos qui ſe intuentur , non permittunt in tenebris degere eos qui ſuas aſpiciunt ſedes. Perge itaque ad illos.] Recido cætera quæ os aureum in eam ſententiam præclarè fundit.

Poſtremum huius ſeriei genus beneficentiæ in Religioſos ſitum eſt in Religioſorum tuitione ab oppreſſoribus, aut inuaſoribus. Poſſunt quidem ipſi Religioſi , ſi facultas ſuppetat , ſe tueri & obſiſtere ſuis oppreſſoribus , ſiue aditione iudicum , vt monſtrat , ſanctus Bonauentura, ſiue ſi prorſus neceſſe ſit correptione armorum , quod feciſſe aliquando Canonicos tunc Regulares Brinatenſes, dictum eſt in Religioſo Loricato. Nimirum defenſio ſui , eſt iuris naturæ , ideóque Religioſis quoque non eſt neganda , vt ſanctus Chryſoſtomus l. 1. contra vituperat. vitæ monaſt. rectè tradit, & alibi in quolib. dictum eſt cum Richardo Mediauillano. Quanquam Religioſi potentiam in eo ſtatuit ſanctus Chryſoſtomus l. 2. ibid. quod vltionem refugiat , nec pœnas de ſuis vexatoribus ſumat , imo eos impensè diligat , & carbones ignis ſuper capita eorum congerat. Hæc ita ſe habere, vltrò datur. Nihilominus ſi iuſtum videatur à ſe amoliri vexationem iniuſtam , nec plerumque ſatis virium religioſis ſuppetat ad id præſtandum , laudabiliſſimè aget ſecularis potens , ſi miſeratus ſeruorum Dei vicem accurrat vindex ac tutor , audiens ſapientem qui autor eſt , vt iuuentur imbecilles. Id enim eſt quod ait , prou. 31. *Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt.*

§. IV.

Fauores Rectorum Eccleſiæ erga Religioſos ordines , in ipſorum ordinum gratiam.

Multiplex modus Religioſis benedicendi.

HOc genus beneficentiæ, quod ex cauſa ſuperius propoſita ſepoſitum eſt in hunc locum, vel ſpectat ipſos Religioſos , quia in eorum gratia collatum eſt , abſque reſpectu ad illos ; vel ſpectat fideles , religioſorum miniſteriis iuuandos. Dicemus ſigillatim de hoc vtroque fauorum genere , vt diſtinctior ſit tractatio.

Initium autem faciendo à fauoribus in gratiam ipſorum Religioſorum collatis , varij tales fauores ſecerni poſſunt. Aliqui enim ſunt extraordinarij , & admodum infrequentes ; alij verò ſunt minùs extraordinarij , & idcirco paulò frequentius indulgentur. Alij denique ſunt ordinarij , ac ferè omnibus communes. Fauorum erga Religioſas familias , aliqui Pontifices fuere admodum liberales , vt Gregorius IX. v. Bullarium. erga Ordinem Prædicatorum. Sic enim lego de eo apud Leandrum. [Gregorius IX dixit Ioanni de Argentina, Generali FF. Prædicatorum. Me tibi chariſſimè , quaſi pro incude conſtituo ; linguam autem meam pro malleo ; vt ſecundum omnia priuilegia quæ ordini tuo expediunt , ſcribi facias & ego bullabo.] In Minores munificentiſſimus hac in parte fuit Leo X. Erga Societatem Ieſu, Gregorius XIII. Erga alios ordines , alij.

Inter admodum extraordinarios & idcirco maximè infrequentes fauores , referendum imprimis videtur , priuilegium vt aliqui Epiſcopi ſubiiciantur Præfecto religioſæ familiæ. Notauit hoc Baronius anno 569. de præfecto Monaſterij ſanctæ Columbæ , cui , (teſte in huius ſancti Actis Notgero , necnon Beda. 3. hiſtor. cap. 4. ex ſingulariſſima Apoſtolicæ ſedis conceſſione , ſubſunt Epiſcopi : quod tametſi inſolitum , & veluti præternaturale ; non excedit tamen poteſtatem ſupremi Eccleſiæ Rectoris , nec aduerſatur iuri vlli diuino indiſpenſabili. Sicut fieret ſi concederetur alicui non Epiſcopo , collatio Sacerdotij , aut communicatio poteſtatis conſecrandi & abſoluendi. Hæc enim ſpectant ad poteſtatem Ordinis , in qua Epiſcopus indiſpenſabiliter præcellit , omnibus non Epiſcopis. At in iis quæ ſpectant ad Iuriſdictionem , & ſubiectionem perſonæ , ſupremus Hierarcha , vbi expedire viderit , poteſt ordinem veluti connaturalem mutare , & aliquid elargiri iis quibus quaſi extraneum eſt id habere. Sicut Pontifices Romani , ſancto Stephano Hungariæ Regi , homini laico , propter ardentiſſimam plantandæ fidei ſollicitudinem , indulſerant titulum *Apoſtoli Hungariæ* ; & autoritatem contulerunt , vt res Eccleſiaſticas , Epiſcopatus inquam , & Abbatias , quantum ad externam œconomicam attinet , pro arbitrio diſponeret : & tanquam ſummo ſub Romanis Pontificibus in Hungaria Hierarchæ conceſſerunt , vt Crucem ante ſe præferri faceret ; iure Metropolitanorum ac Patriarcharum proprio , in hominem ſecularem ac laicum tranſlato. Sancto item Venceſlao Bohemiæ Duci , Alexander 2. vſum Mithræ laicis inconceſſum indulſit, præ eius ſummo ſtudio in res Eccleſiæ. Legendus Baronius ad annum 1068. Itaque ſubiectio alicuius Epiſcopi ad Iuriſdictionem Abbatis , non debet cenſeri chimærica , aut poteſtatem ſummi Pontificis ſupergrediens. Non puto tamen huc pertinere quod narrat Cantipratanus , 2. Apum c. 21. n. 10. de ſeptenario Epiſcopatuum Abbati Caſſinenſi ſubiectorum. Sed puto id eſſe accipiendum de ſua temporali ſubiectione territorii quam Arnaldus Vuion lib. 1. ligni vitæ cap. 2. & lib. 3. ad diem 21. Martij. ad quatuor duntaxat Epiſcopatus reſtringit , diffundens verò tantæ in Abbate illo poteſtatis phylacteria , ad Principatus duos , ducatus item duos , Comitatus viginti , Ciuitates ſex ſupra triginta , Caſtella ducenta & quinquaginta.

Subiectioni illi quaſi præternaturali Epiſcoporum ſub Abbate , aliquatenus reſpondet ſubiectio Religioſorum , etiam Sacerdotum , ſub Abbatiſſæ poteſtate. Ea marium ſubiectio ad fœminæ regimen , locum habet in Ordine Fontebraldenſi ex mente fundatoris Roberti de Abruſcello , æmulati expreſſionem ſubiectionis ſancti Ioannis Euangeliſtæ ad beatam Virginem ex Chriſti in cruce pendentis ad Ioannem oraculo. Firmarunt Pontifices

SECT. IV. PVNCT. I. §. IV. *Multiplex modus Religioſis benedicendo.*

eam inſtitutionem, nec abſurdè vt fusè monſtratum eſt in Triade fortium Dauidis parte 1.a num. 53. expendendo illud Roberti factum. In Ordine item Brigitano, eadem marium ſubordinatio ad fœminam Abbatiſſam, inducta eſt, ipſo Chriſto præſcribente, in Regula Saluatoris, verbis illis. [Abbatiſſa ob reuerentiam Beatiſſimæ virginis matris meæ, cui hic Ordo dedicatus eſt, caput & domina eſſe debet; quia ipſa virgo cuius cap. 14. Abbatiſſa gerit vicem in terris, aſcendente me in cœlos, caput & Regina extitit Apoſtolorum, & Diſcipulorum meorum.] Moxque ibidem edicitur, vt ne Confeſſarius quidem, cui multa conceduntur circa negotia & bona Monaſterij, quicquam inconſulta Abbatiſſa ſtatuat; quod ad eam tanquam ad Monaſterij caput, pertineat, de omnibus diſponere. Et ita fere vſum receptum, annotat Naclerus, Gener. 56. & Henricus Spondanus ad annum 1370. Cum autem ea regula S. Brigittæ, a multis omnino Romanis Pontificibus ſit comprobata, eo ipſo ſubiectio de qua agimus, omnis labis pura eſt agnoſcenda.

Ad hæc, inter fauores ſatis extraordinarios, numerari poteſt facultas Ciſtercienſibus conceſſa ab Innocentio VIII. in diplomate emiſſo anno 1489. V. Idus Aprilis, Pontificatus ſui anno 5. vt Abbas Ciſtercienſis, omnibus Ordinis ſui Monachis, Ordines ſubdiaconatus ac diaconatus poſſit impendere. Et idem ſuarum quoque Abbatiarum Monachis præſtare queant, primi quatuor Coabbates Generalis Ciſtercienſis. Ea facultas quoad ſubdiaconatum, minùs ambigua erit, ſi quod multi Doctores cenſuerunt, ſubdiaconatus non eſt ordo ſacer, ſed ſolo iure humano eſt inſtitutus. Quod explicare de ſubdiaconatu & aliis eo inferioribus Ordinibus tradit Bleſenſis. Serm. 47. Nec niſi vt probabilius, ſubdiaconatum eſſe ſacramentum agnoſcit Vaſques, 3. p. d. 238. cap. 2. Communiſſima tamen inter antiquos Theologos ſententia, admittit ſubdiaconatum eſſe ſacramentum; atque adeò non eſſe iuris humani, ſed diuini, quia cum vera ſacramenta ſint gratiæ feracia, ſolius Chriſti eſt ea inſtituere. Subdiaconatum itaque eſſe verum ſacramentum, multi veteres docuerunt, adducti à Valentia: 3. p. d. 9. q. 1. p. 4. & ſuffragantur omnino multi iuniorum, quos ſignant Bonacina, q. vnica de ord. p. 2. Tiberius, lib. de ord. q. 17. atque Marchinus tract. 1. de ord. p. 1. cap. 8. num. 13. Hic tamen alio loco, admittit poteſtatem conferendi ſubdiaconatum, eſſe à ſummo Pontifice delegabilem ſimplici ſacerdoti; tract. 1. parte 2. cap. 13. num. 9. & ſeqq. quod ante Innocentium VIII. à Gelaſio epiſt. 1. cap. 8. eſſe admiſſum, confirmat. Nec eſt cur probus & prudens Theologus immittat cornua ad ventilandum quæ Pontifices conceſſerunt aut declararunt, vt ſapienter admonuit Sanct. Anſelmus lib. de Incarn. verbi cap. 2. citiùs euellenda impacta in eam petram cornua conteſtans, quàm petra ipſa quatiatur.

Medij Ordinis fauores, hoc eſt, neque adeò extraordinarij, neque adeò frequentes, ſunt ſatis multi. Et nonnulli quidem ſunt potiùs ad pompam, & dignitatis oſtentationem; alij verò ad commoditatem aut vtilitatem. Ad pompam ſolam, pertinet conceſſus Abbati vſus mithræ, ac ſimilium ornamentorum Pontificalium. Hoc priuilegium, quia ex ambitione Capitolium Monaſticum ſubingreſſa, (vt huc Fulberti Epiſto. 21. verba aduocem,) extortum potiùs quam delatum videbatur, acriter exagitatur a Bleſenſi. Epiſto. 90. Et concitatur quoque eadem ex cauſa, in vſum illum, Sanctus Bernardus ſub finem Epiſtolæ ad Henricum Senonenſem Epiſto. 42. vbi multa præfatus contra Abbates iugum Epiſcoporum excutientes, ſubdit. [Aperte indicant quidam, (Abbatum) quid cogitent, dum multo labore ac pretio, Apoſtolicis adeptis priuilegiis, per ipſa, ſibi vendicant inſignia Pontificalia, vtentes & ipſi more Pontificum, mithra, annulo, atque Sandaliis. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio. Si miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus. Profectò, eſſe deſiderant quod videri geſtiunt; meritóque non queunt eſſe ſubiecti, quibus iam ipſo ſe comparant deſiderio. Quod ſi & nomen eis conferre, priuilegiorum poſſit autoritas, quanto putas auro redimerent, vt appellarentur Pontifices? Quò iſta ô Monachi? vbi timor mentis, vbi rubor frontis? Quis vnquam probatorum Monachorum, tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Duodecim humilitatis gradus Magiſter veſter edisſerit, propriiſque diſtinguit deſcriptionibus. In quo quæſo illorum, docetur aut continetur, vt hoc faſtu delectari Monachus, has quærere debeat dignitates? Labor & latebræ, voluntaria paupertas, hæc ſunt Monachorum inſignia, hæc vitam ſolent nobilitare Monaſticam. Veſtri autem oculi omne ſublime vident; veſtri pedes, omne forum circumeunt; veſtræ linguæ in omnibus audiuntur conſiliis, veſtræ manus omne alienum diripiunt patrimonium. Tamen ſi ita oportet, vt emancipati à ſubiectione Pontificum, pari cum ſucceſſoribus Apoſtolorum gloria, pari cathedra, iidemque ſolemnium indumentorum inſignibus attollamini; cur non & ſacros ordines celebratis, & benedictiones datis in populis? Quam multa moueor dicere aduersùs impudentiſſimam præſumptionem?] Quod Sanctus Bernardus, faſtuoſos Abbates vrget, vt ſi Pontificalia ornamenta affectant, dent quoque benedictiones in populis, ſpectat tantùm benedictiones quas Epiſcopi, per viros & plateas ad omnem occurſum, ſublatis aliquot dextræ manus digitis, impendunt populo. Quo pacto, nemo vnquam Abbatum, tametſi infulatus & mithra inſtructus, dedit benedictiones in populis. Tametſi benedictiones, etiam ſolemnes in diuinis Officiis, multi Abbates abſque noxa impendant fidelibus. Haud porrò abs re Sanctus Bernardus, impenſum in has vanitates aurum monaſteriorum expoſtulat. Non ſolùm enim ad extorquendum diploma fiebant non leues expenſæ, ſed exigebatur quoque annua penſio perpetua, vt liquet ex diplomate de vſu Pontificalium inſignium, conceſſo à Clemente VI. Stephano Abbati Cadomenſi, vulgauit Lucas Decherius in notis ad vitam Lanfranci pag. 19. vbi ſic legitur. [Roberti Abbatis & conuentus ſupplicationibus inclinati, eidem Roberto & ſucceſſoribus ſuis Abbatibus eiuſdem Monaſterij, concedimus, vt mithris aureis ſiue deauratis, lemnas & gemmas habentibus, & aurifriciatis & planis, annuloque & ſandaliis & aliis Pontificalibus inſigniis, in Miſſarum & horarũ aliarum ſolemniis, temporibus congruis, vbicumque

præterquam

præterequàm in Conciliis , Prouincialibus , & Synodis Epiſcopalibus; nec non in iiſdem Conciliis, & Synodis huiuſmodi, planis mithris vti perpetuò : nec non in monaſterio, Eccleſiis ac locis Eccleſiarum, prædictis; in Miſſa, Veſperis, & matutinis , & menſa , benedictionem ſolemnem facere & impendere, etiam perpetuò liberè valerent. *&c.* Et ad indicium huiuſmodi à ſede prædicta obtenti priuilegij , volumus, quòd dicti Abbas & Conuentus, nobis noſtriſque ſucceſſoribus, ſingulis biennüs perſoluerent vnam vnciam auri.] Abbates Præmonſtratenſes, hoc fomentum ſuperbiæ, Capitulari decreto procul à ſe ablegarunt, quod iiſdem petentibus firmauit dato diplomate Innocentius 3. Pontificatus ſui anno 1. Refertur in Collectione priuilegiorum Ord. Præmonſtratenſis. Priuilegio 27.

Sunt item huius medij ordinis, alij quidam fauores, indulti ſpecialiter quibuſdam Religioſis in ipſorum commoditatem & ordinis bonum. Multa eiuſmodi collegit ſuo Ordini collata Ioannes le Paige autor ferè toto lib. 3. Bibliothecæ Præmonſtratenſis : quæ quamuis aliis quoque (ſaltem pleraque,) ſint directè collata, vel facta ſint participatione communia , non ſunt tamen omnibus attributa. Emmanuel item Rodericus, omnino multa ſuis Minoribus indulta recenſuit in qq. Regularibus. in Collectione priuileg. Extat etiam inſtum volumen cui titulus *Priuilegia mendicantium*, quo varia variis Ordinibus conceſſa ad hanc ſeriem pertinentia proferuntur; (permiſtim tamen cum aliis ad iuuandos proximos conceſſis;) cuiuſmodi item pleraque, cum eadem miſtura referuntur in Compendio Priuilegiorum Societatis IESV. Quod autem plerunque non expediat, huiuſmodi iura priuata vulgare, ne emoueantur crabrones, & ſatis reuera ſit quod iis innoteſcant quibus ſunt collata, nolo in illis minimè repræſentandis, diligentiam probare : ſed vniuerſè contentus ſum dicere, huiuſmodi fauores eſſe magnos ac multiplices, iiſque Pontifices apertè prodidiſſe, quanti facerent Religioſos cœtus , quibus tam multa præter ius commune contulerunt , ſoluentes illos communibus cœterorum obligationibus , præ eorum dignitate ac meritis , & fructu copioſo quem in Dei horreum inferunt; vt fore ſemper proloquuntur Pontifices in iis diplomatibus quibus ea ſingularia iura concedunt. Horum porrò fauorum iuſtitia & validitas, apud quemcunque Catholicum debet rata eſſe , cum omnia talia contineantur intra ambitum poteſtatis pontificum , & quibus volunt dent illa; neque reuera ius vllum ſuperius quatiant , aut oblædant.

Ordo tertius fauorum qui indulti ſunt in bonum ipſorum Religioſorum , eos continet qui omnibus aut ferè omnibus Religioſis familiis ſunt communes. Huiuſmodi ſunt , facultas abſoluendi ſuos ab omnibus peccatis , ac ferè ab omnibus cenſuris, quantumuis reſeruatis. Item poteſtas diſpenſandi in maxima parte irregularitatum. Quæ conſcientiarum pedicæ tam multiplices ſunt , vt Vrbanus V. creatus Pontifex, de nullo ſibi tantoperè gratularetur , ac de immunitate à tam multis offenſaculis , vt Gerſo ſcribit lect. 4. de vita ſpirit. Coroll. 14. propoſ. 2. Eſt ergo beneuolentia inſignis Rectorum Eccleſiæ , erga omnes vel propè omnes Religioſos cœtus , quod voluerint ipſos eidem ſecum indemnitati participare : ita vt quod Pontifex vi ſuæ poteſtatis vndecunque exſolutæ, habet ſuper omnia illa impedimenta iure humano conſtituta , hoc Religioſi largitate Pontificia à ſuis ſuperioribus poſſint maxima ſaltem ex parte obtinere. Affinis fauor eſt , quod omnia vota in ſæculo emiſſa , per religionis ingreſſum euaneſcunt. S. Anſelmus lib. 3. Epiſto. 154. exiſtimaſſe videtur, eiuſmodi vota per ſolam Religioſam profeſſionem concidere. Ait enim [De voto Monachi, qui antequàm ad noſtrum ordinem veniret, vouit ſe nunquam ampliùs vinum bibiturum ; hoc mihi videtur eſſe faciendum , quod fit à maioribus noſtri Ordinis, & maximè apud Cluniacum, videlicet, vt huiuſmodi vota quæ fiunt ſine promiſſione fidei & ſacramento, in voto Monachici Ordinis in quo homo , quicquid ad ſe pertinet , & ſe ipſum totum Deo offert, iudicentur eſſe completa, & ſit in diſpoſitione Prælati , vel ea ſeruare rationabiliter, vel mutare. Vos autem huic Monacho de quo loqui poteſtis ſi placet, ad tempus concedere , vt quod incepit faciat. Quod ſi quando intellexeritis non expedire , præcipite illi vt faciat fidenter, quod faciunt communiter fratres.] Paſſim tamen DD. agnoſcunt , vota in ſeculo emiſſa , vſque ad profeſſionem ſuſpendi ; in profeſſione verò euaneſcere. Ita cum multis Sanches lib. 5. in decal. cap. 5. num. 38. nec non Suares , tract. 7. lib. 6. cap. 11. & alij multi quos proferunt , & congrua ratione communiunt ac firmant. Cum autem ea vota per profeſſionem non ſoluantur ex natura rei, neque ex vllo iure diuino : (poſſent enim remanere poſt profeſſionem , neque eſt vnde aſtruatur diuina inſtitutio abolens huiuſmodi vota ;) fatendum eſt , aboleri iure humano , ſiue fauore conceſſas à rectoribus Eccleſiæ , in gratiam heroici actus quo homo ſe Deo mancipat, emittendo religioſam profeſſionem.

SECT. V. PVNC. II. §. IV. *Multiplex modus Religioſis benedicendi.*

Præter vincula propoſita quæ Eccleſiæ Rectorum beneficentia in Religioſis diſſoluit , datur aliud genus vinculi , remorans ingreſſum cœleſtis gloriæ ; nimirum reatus pœnæ temporariæ pro paccatis conuenienti ſatisfactione non deterſis. Hic nexus tollitur per Indulgentias; quarum tanta eſt ex largitate Eccleſiæ, in omnibus , vel penè omnibus religioſis cœtibus copia, vt ex hoc capite, præter cœtera, Religionis ingreſſus ſoleat denominari *alter baptiſmus* ; quod in dictis Patrum inueniri, tradit Petrus Damiani; opuſc. 16. cap. 8. hoc eſt libro 6. vitæ Patrum libello 1. num. 9. Aliquot in eam ſententiam Patres adduxi in Tractatione de Apoſtaſia cap. 11. §. 9. Nunc addo illuſtrationem ex vetere ritu Monachandi : (id eſt admittendi in Monachum , admodùm accedente ad ritum baptiſmi. Repræſento hic verba codicis Hibernici ſub annum Chriſti 800. manu exarati, adducta à Luca Deckerio in Notis ad vitam Lantfranci pag. 20. [In Monachorum ordinationibus , Abbas debet Miſſam agere , & tres orationes complere ſuper caput eius qui ordinatur. Et per quatuor dies , velet caput ſuum cuculla ſua. Et ſeptimo die , Abbas tollat velamē, ſicut ſeptimo die Preſbiter in baptiſmo velamen infantium abſtollit. Ita & Abbas debet Monacho, cui hoc ſecundum Baptiſmum eſt , iuxta iudicium Patrum, & omnia peccata dimittuntur ſicut in Baptiſmo. [Sed in Baptiſmo, & omnis culpa,

SECT. IV. PVNC. II. §. VI. *Multiplex modus Religioſis benedicenda.*

culpa, & omnis reatus, tollitur ex operato Sacramenti: hic autem macula culpæ abſtergitur per actum contritionis & perfectæ conuerſionis ad Deum; reatus verò tollitur & per illos actus, prælertim per Indulgentiam fauore Eccleſiæ conceſſam. Videndus in hanc rem S. Thomas 1.p.q.189.art.3.ad.3.& 22. 9.vlt.art. 3. & in 4. q. 3. art. 34. 3. ad 3. & Thomas Valdenſis, Tomo 3.tit.9. cap. 80. nec non ex recentioribus Bellarminus lib.de monach.c. 6. Sanches lib. 5 in dec.cap. 5.num.1. Suares Tract.7.de relig l.6.c.11. num.9 Leſſius lib. 2. cap. 41.num. 72. & quos hi ſignant.

Ad has exſolutiones à grauaminibus internis, accedunt aliæ per exemptionem, ſiue à Iuriſdictione ordinariorum, ſiue à penſitatione decimarum. Contra priorem exemptionem; fuere iam olim quærelæ; quibus Petrus Cluniacenſis ſatisfactum ſufficienter cenſebat, remittendo querulos ad ſummum Pontificem, qui erga ſeruos Dei eam benignitatem exprompſerat. De eius verò in eximendo aut iuſtitia aut poteſtate, nefas eſſe dubitare, ſupponit Petrus Cluniacenſis. Et meritò! Nam iuſtitia eſt explorata. Fas quippè ſuperiori ſupremo, perſonam ſibi obnoxiam ſubducere poteſtati inferioris Antiſtitis, quia ita eſt ſuperior eius qui ſibi ſubeſt, vt tamen ſupremus ſuperior ad eum immediatè quoque pertingat. Sicut Regis poteſtatis non eſt dumtaxat ſuper populi præfectum, & per eum ſuper ciues; ſed immediatè quoque ad ciues ipſos, & ad vnumquemque diffunditur. Ita Pontificis maximi poteſtatem non eſſe duntaxat inter Antiſtites inferiores, puta Epiſcopum aut Parochum, ſed etiam ſuper Epiſcopi & Parochi ſubditos, ex eius ſuprema poteſtate euincitur. Et quemadmodum Epiſcopus illæſo iure Parochi, præeſt ipſe quoque immediatè cuiuis è parœcianis, quod negare, S. Thomas, opuſc. 19.cap.4. ait eſſe *ridiculum & blaſphemia vicinū*: Ita fideles quique qui ſubſunt Epiſcopo & Parocho, immediatis animarum Paſtoribus, Pontificia quoque poteſtate, ad eoſdem immediatè pertingente, continentur: Quamuis Pontifex dicatur ſuperior mediatus, quia habet ſub ſe alios ſuperiores, quibus nemo alius inferior ſubiicitur. Hoc pleniùs illuſtratum ac ſtabilitum eſt, in Epilogomenis ad coronā auream. ſub not. 2. Inde verò apertè habetur, poſſe Epiſcopū ſi expedire videatur, ſubditum aliquem ſuum, ſubducere Iuriſdictioni Parochi, eumque gubernare, vel per ſemetipſum, vel per alium quàm per Parochum. Quod poſſe Epiſcopum, erit extra dubium, ſi Parochum Iuriſdictionem qua pollet, habeat ab Epiſcopo, vt multorum fert ſententia. Multò magis igitur Pontifex, cuius autoritas eſt ſuprema, poteſt vnum aliquem, aut plures fideles; ſi ita expedire videat, ſubductos Iuriſdictioni paſtoris particularis, ſubiicere Iuriſdictioni alterius; vel ſibi ſoli ſubditos velle. Atque adeò exemptio Regioſorum à poteſtate ordinariorum, labe iniuſtitiæ vacauit. Nam Pontifex (vt præmiſi, & rectè ſtatuit Maucler par.2. mon.lib 5.cap.13.) & ſuperior eſt, etiam immediatè poteſtatem habens in quemcumque fidelem, & eſt ſuperior Ordinarij cuiuſuis ſuperioris; puta Epiſcopi; cuius Iuriſdictionem ſi ipſe non confert, (de quo problematicè diſputatur,) attamen moderari ac diffundere, vel reſtringere, vel ſuſpendere, aut etiam prorſus tollere poteſt, quoad ſingularem quemque Epiſcopum; de quo ſalua fide ambigere non licet, nec vllus vnquam ſyncerè Catholicus Theologus, controuerſiam mouit.

Quod autem eadem Religioſorum exemptio à Iuriſdictione ordinariorum, non modò labe iniuſtitiæ vacauerit, proindeque fuerit valida, ſed etiam fuerit licita, perſpicuum eſſe debet, ex æquitate ſubleuandi Religioſos, impotentia Ordinariorum violenter oppreſſos, vt non paucis exemptis ſupra ſignatis eſt demonſtratum. Disertè Concilium 4. Toletanum. Can. 50. [Nunciatum eſt præſenti Concilio, quòd Monachi, Epiſcopali imperio, ſeruili operi mancipentur, & iura monaſteriorum contra inſtituta Canonum, illicita præſumptione vſurpentur; ita vt penè ex cœnobio poſſeſſio fiat; atque illuſtris portio gregis Chriſti ad ignominiam ſeruitutemque perueniat] S. Gregorius lib. 4. epiſ. 41.& 45. Magnus aduerſùs Caſtorij Ariminenſis Epiſcopi oppreſſiones, Abbate Lumnoſo agente, monaſterium eiuſdem Abbatis forti patrocinio communiuit, & ab Epiſcopi iuriſdictione exemit. Inſigniter quoque Sanct. Gregorius 7. lib.2. Epiſt. 69. Cunibertum Taurinenſem, cœnobij S. Michaelis oppreſſorem coërcuit, his præter cætera: Numquid nam exiſtimas, Epiſcopos in paſtorali regimine poteſtatem atque licentiam ſuſcepiſſe, vt monaſteria quæ in ſuis parochiis conſiſtunt, quantum velint opprimant; & ſtudium religionis, ſuæ prælationis occaſione, hæc & illa potenter exigendo, & poteſtatem exercendo comminuant? An ignoras quòd SS. PP. plerunque & religioſa monaſteria de ſubiectione Epiſcoporum propter infeſtationem præſiſtentium diuiſerunt, & perpetua libertate donantes, Apoſtolicæ ſedi velut principalia membra adhærere ſanxerunt?] Aliud illuſtre exemplum in hanc rem ſuppeditat ſcribens ad Robertum Caſtrenſem Epiſcopum Lanfrancus, Epiſto. 29. his eum affatus verbis, [mando & præcipio ex parte Regis & noſtra, quatenus ab omni grauamine quod cœnobio Conuentreio inferre diceris, omnino te ſubtrahas; quicquid de ipſo cœnobio, vel terris ipſius cœnobij violenter abſtuliſti, ſine mora reſtituas. Clamorem enim fecerunt ad me, tam Abbas quam Monachi eius, quod dormitorium eorum per vim introiſti, arcas eorum fregiſti, & equos, & omnes proprietates quas habebant, rapuiſti; Inſuper domos eorum deſtruxiſti, & materias earum ad tuas villas aſportari præcepiſti; in ipſo quoque cœnobio cum familia tua, conſumens bona Monachorum, octo dierum moram feciſti: Hæc nec tui officij, nec tuæ poteſtatis eſſe cognoſcas.] Erat Conuenticium monaſterium magnificentiſſimum ac locupletiſſimum teſte Malmeſburienſi lib. 4. de Pontif. Anglis, qui ſtragem ei à prædicto Roberto illatam, deplorat flebilibus modis. [Ex vna trabe (inquit) quingentas marcas argenti corraſit, quæ ſcrinia ſuſtentabant. Plures ibi moratus annos, nihil probitatis exhibuit loco; adeò ſacras opes dilapidans, peculatus crimen incurrit, repetundarum reus futurus Epiſcopus, ſi eſſet accuſator paratus. Monachos miſerabili ſtipe cibans, nec regularis ordinis amorem curauit accendere, nec niſi ad popularem literaturam paſſus eſt aſpirare, ne regulæ rigor & ſcientiæ vigor, redderet elatos contra ſe &c.] Num ſatis titulorum ad exemptionem ab eo conferendam ſubminiſtrauit lupi huius rapacitas?

Præter

Præter impotentiam animi multorum Epiſcoporum, quæ eximendis Religioſis ab eorum Iuriſdictione occaſionem præbuit, accedit, quod multi Epiſcopi, religioſæ Oeconomiæ admodùm rudes, & potius facti ad mores ſeculi, quam ad cœnobitica inſtituta facilè peſſundarent Religioſam diſciplinam, & ſacra inſtituta conuellerent, ſi penes eos eſſet Iuriſdictio in Religioſos. Quidquod propter altos ſpiritus aliquorum Epiſcoporum, expediens, aut etiam neceſſarium viſum eſt, ſacros pleroſque cœtus ſeculares, (puta Collegia Canonicorum ſecularium, & nonnullas ſacras Laicorum ſodalitates,) eximere à Iuriſdictione Epiſcoporum? Deque huiuſmodi exemptionibus, non fuit qui mutiret in lingua ſua, eo quod tales ſeculares exempti, ſunt potentes viribus, facileque ſe tegerent per protectionem Laicæ poteſtatis. Quæ igitur (malum?) execratio eſt, pro ſolis Religioſis, quia ſecundùm carnem infirmantur, concitare tot fragores? At rationes eximendi, multò magis valent pro Religioſis, vt patebit attendenti; & Religioſorum merita ad Sanctuarij pondus appendenti. Longè enim præponderant rationibus eximendi ſeculares. Non poſſe porrò Religioſos exemptioni huic ſua renunciare, probat Rodericus t. 2. qq. reg. q. 63. art. 10.

Quæ contra huiuſmodi exemptionem à Iuriſdictione Epiſcopi opponi ſolent, intentantur magno cum bombo à Richardo Cantuarienſi Epiſcopo, ſcribente ad Alexandrum 3. Quod enim Abbas Malmesburienſis, denegans obedientiam Epiſcopo Sarisberienſi, minùs reuerenter locutus eſſet, effutiens quod à quodam fori rabula ſuggeſtum erat; nempe ſe pro vna auri vncia, poſſe libertatem ſuam adipiſci, concitatus ab Epiſcopo Richardus, calamo Petri Bleſenſis adhibito, Epiſto. 68. ſic Alexandrum eſt affatus. [Hæc ad aures Eminentiæ veſtræ Reuerende Pater, communi deploratione deferimus, quia peſtis iſta latiſſimè ſe diffundit. Aduersùs Primates & Epiſcopos, intumeſcunt Abbates; nec eſt qui maioribus ſuis reuerentiam exhibeat & honorem. Euacuatum eſt obedientiæ iugum, in qua erat vnica ſpes ſalutis & præuaricationis antiquæ remedium. Deteſtantur Abbates habere ſuorum exceſſuum correctores; vagam impunitatis licentiam amplectuntur; Clauſtraliſque militiæ iugum relaxant in omnem deſiderij libertatem. Hinc eſt, quod monaſteriorum ferè omnium facultates, datæ ſunt in direptionem & prædam. Nam Abbates exteriùs curam carnis in deſideriis agunt, non curantes dummodò lautè exhibeantur, & fiat pax in diebus eorum. Clauſtrales verò tanquam acephali, otio vacant & vaniloquio; Nec enim præſidem habent, qui eos ad frugem vitæ melioris inclinet. Quod ſi tumultuoſas eorum contentiones audiretis, clauſtrum non multum differre crederetis à foro. Hæc omnia Reuerende Pater, Veſtræ correctionis iudicium poſtulant tempeſtiuum. Niſi enim huic malo maturiùs remedium adhibeatur, verendum eſt, ne ſicut Abbates ab Epiſcopis, ita Epiſcopi ab Archiepiſcopis, & à Prælatis ſuis Decani & Archidiaconi eximantur. Et quæ eſt hæc forma iuſtitiæ, aut potiùs iuris deformitas, prohibere ne diſcipuli Magiſtro conſentiant, ne filij obediant patri, ne milites, ſequantur Principem, ne ſerui Domino ſint ſubiecti? Quid eſt eximere ab Epiſcoporum Iuriſdictione Abbates, niſi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? Videant quæſo iſta & iudicent, qui iudicant orbem terræ, ne inde emanare videantur iniuriæ, vnde iura ſumuntur.] Addit poſt nonnulla, eſſe contra iuſtitiam, alieni cum iniuria in alium conferre beneficium, quod contendit fieri ſubducendo ſubditum ab Antiſtite legitimo. Vrget item, non debere Eccleſiaſticam poteſtatem ſupremam, facere quod abhorret & auerſatur mundana. Luciferum tentando ſe eximere à legitima poteſtate, ait euaſiſſe Diabolum. Concludit verò [Scimus equidem, quod ob quietem monaſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem, has exemptiones plerunque Romani Pōtifices indulſerunt. Veruntamen in contrariū res verſa eſt. Monaſteria enim quæ hoc beneficium damnatiſſimæ libertatis, ſiue Apoſtolica autoritate, ſiue quod frequentius eſt, Bullis adulterinis adepta ſunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt; ideóque & multæ domus quæ nominatiſſimæ ſunt in ſanctitate & religione, has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuò reiecerunt.] Haud diſſimilia contra exemptiones iſtas proponit, agens cum Eugenio 3. de conſid. cap. 8. 9. & 10. & cum Henrico Senonenſi Epiſto. 42. S. Bernardus.

SECT. IV. PVNC. III. § IV.

Multi, l. æ modus Religioſis benedicendi.

Nihil tamen horum, euincit, exemptiones de quibus agimus, aut eſſe inualidas, aut eſſe illegitimas. Siue enim à Pontifice non vrgentibus ambitioſè Abbatibus, vltrò ſint delatæ ad tranquillitatem monaſteriorum; ſiue ab Abbatibus abſque ſpiritu ſuperbiæ ſint captatæ ad excutiendam tyrannidem impotentis animi Antiſtitis; fatendum eſt, eſſe legitimas & labe vacantes. Alioqui S. Gregorius l. 4. epiſ. 85. & 87. & l. 7. epiſt. 18. qui monaſteria quædam exemit, dicendus eſſet iniuſtitiam admiſiſſe; aut rem feciſſe inhoneſtam; quod abſit vt quiſquam ſobrius ac ſanus concedat. Tametſi Ioannes Maior, in 4. d. 7. q. vnica. deficiente alia euadendi via, eò temeritatis (ne dicam veſaniæ) proruperit, vt admitteret, dici poſſe, S. Gregorium hac in parte erraſſe. Proh audaciam! Igitur exemptiones (per ſe loquendo) labe vacare poſſunt, vt fusè præter cæteros confirmat Henriques. lib. 7. à cap. 24. Nec eſt verum, has exemptiones oſtium pandere licentiæ Monachorum exlegum, aut Præfectorum incompoſitioni. Nam in euentu cœnobij quoad regularem diſciplinam euerſi qualia deſcribuntur apud Petrum Cellenſem, epiſto. 68. & 126. & apud Hildebertum cum agit de Abbate *Beſtia*, ſi ſcandala erumpant, nec Prælati Regulares conueniens remedium adhibeant, Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus, ex Concilij Tridentini ſeſſ. 21. decr. de reform. cap. 8. decreto, poteſt, non habita ratione exemptionis autoritatem ſuam interponere, quia exemptio non debet eſſe iniquitatis perfugium; in quam rem videndus Rodericus. t. 2. q. 63. art. 11.

Iam exemptio à decimis, qua fruuntur quædam cœnobia, ab eodem Richardo Cantuarienſi, per *P*etrum Bleſenſem epiſt. 82. acriter eſt exagitata in Ciſtercienſibus, qui cauſati *P*ontificiam exemptionem, renuebant de ſuis agris decimas pendere: Inſtat è contrario per Bleſenſem Richardus. [Teſtimonio ſacræ paginæ, decimæ, tributa ſunt egentium animarum. Et quæ eſt hæc iniurioſa immunitas, vt exempti ſitis à decimarum ſolutione quibus obnoxiæ terræ erāt anteqnàm veſtræ eſſent, vt quæ ſolutæ ſūt hactenus, nō perſonarū obtētu, ſed territorij ratione? Si in veſtrā poſſeſſionē terræ deuolutæ

SECT. IV. PVNC. II. §. V.

Multiplex modus Religioſis tene- di[illegible].

ſunt, quare in hoc periclitatur alienum ius? Nam ad vos terræ, iuxta communem æquitatem, cum ſuo onere tranſierunt. Vt quid in alienam iniuſtitiã terras & nutrimenta veſtra priuilegiati facitis, vt auferatis quod alienum eſt? Numquid Abel de nutrimentis ſuis Dominum non reſpexit? Numquid iuſtiores eſtis primo omnium iuſto, vt vos contra Dei iuſtitiã exigatis? Per Prophetam præcepit Dominus, decimas inferri in horreum ſuum. Vos ab eius horreo iubetis auferri. Habet iuſtitia diuinæ legis, vt in Leuitarum ſortem cedant decimæ; Vnde iuſtitiæ Dei manifeſte reſiſtit, qui miniſtris Eccleſiæ nititur ius decimationis auferre. Sanè ex his & conſimilibus, ſatis liquet: quod ſi virtus obedientiæ eſſet in ſolutione decimarum, aut redditruum, aut exhibitione iuris alieni, facilè detrectaretis obedientiæ iugum. Milites Galliarum ſibi ius decimationis vſurpant; nec veſtris priuilegiis deferentes, eas à nobis potenter extorquent. Aduersùs eos deberetis inſurgere, non aduersùs Clericos, aut Eccleſias Clericorum. Deberetis recolere, vos quandoque fuiſſe Clericos, atque ſacramenta ſalutis in eorum Eccleſiis percepiſſe. Sed Chriſtianæ profeſſionis vinculum & deuotio filialis, affectus priuignales induit & ſub religionis prætextu, tranſit in contemptum. *&c.* Quicquid indulgeant priuilegia Romanæ Eccleſiæ, vobis expedire non credo, contra conſcientiam veſtram, quod alienum eſt, vſurpare. Quid ſi à ſede illa publicum emanaſſet edictum, quod vbicunque inueneritis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis liceret, eos de ſuis euectionibus deiicere & equos in vſus proprios retinere? Quid intereſt, equos rapiatis, an decimas, niſi quia decima res ſpiritualis eſt; & ideò enormius ſacrilegium in decimis committitur, quàm in equis. Cum Dominus præcipiat, decimas ſolui, quis contra eius præceptum potuit diſpenſare? Vbi diuina & humana iuſſio ſibi inuicem contradicunt, obediendum eſt Deo magis quàm hominibus. Cumque ſint duæ leges interior & exterior; interior ſemper præiudicat: quodque puritas conſcientiæ dictat tibi, exteriori præcepto fortius eſt, & omnem indulgentiam alienæ diſpenſationis euacuat.] Fuit ſub diuerſis Pontificibus, mutatis circumſtantiis, quoad hanc exemptionem variatum; vt ad eam Bleſenſis Epiſtolam notat Buſæus. Per ſe tamen loquendo, hic fauor potuit eſſe innoxius, ſpectatis ordinis alicuius Religioſi cui is fauor indultus eſt, grandibus meritis & paupertate; opulentia verò eorum quibus fuiſſent pendendæ decimæ. Multus in hoc puncto eſt Suares tract. 2. de relig. lib. 1. cap. 18. & 19. Sed res videtur facilis. Nam ſicut portio fructuum beneficij, potuit decidi à reliqua fructuum maſſa, & concedi alteri quam beneficiario; Et ſicut à S. Syluestro Clerici egentes locupletibus, per quos ſuſtentarentur ſunt adiuncti; Ita pars Eccleſiaſtici cenſus, ſita in decimis, potuit à Pontifice iis adimi qui habebant ius decimarum; & Religioſi qui pendere eas debuiſſent, potuerunt ab eadem penſitatione exſolui. Eſt enim ea decimæ exſolutio, veluti eleëmoſina in huiuſmodi Religioſos collata, quam Pontifex, cum cauſa ſubeſt, imperare poteſt locupletibus: vt propterea quod Richardus Cantuarienſis fatetur, minus inuidioſæ cenſeri debeant Religioſorum exemptiones à decimis; quippè tenui cenſu temporario inſtructorum, quàm ſi locupletes ea immunitate donarentur. Non iam ob hanc exemptionem concitatum eſt in Monachos Concilium Prouinciale ad S. Dionyſium; ſed eo quod Monachi alicubi decimas poſſiderent, vt narrat in vita S. Abbonis Aymonius monachus Floriacenſis cap. 9. Cuius poſſeſſionis iuſtitia ex titulo eam fundante repetenda eſt. Poſſunt enim decimæ variis titulis ad alios deriuari, quam ad Miniſtros quibus paſſim penduntur. Videndus Suares in Tractatione de decimis. tract. 2. de relig.

§. V.

Fauores Religioſis Ordinibus indulti, in gratiam fidelium quibus iuuandis dant operam.

Reliqui ſunt fauores ab Eccleſia collati Religioſis, in gratiam fidelium quos iuuandos ſuſcipiunt. Quanquam enim hi fauores, fidelibus collati potiùs ſunt quàm Religioſis, tamen in partem quoque beneficentiæ veniunt Religioſi, quibus ea ratione inſtructis, opportunitas datur benefaciendi, & proximos demerendi. Pertinent ad hanc fauorum ſeriem, libertas audiendi ſacra apud Religioſos diebus feſtiuis, abſque onere ſatisfaciendi præcepto per alterius ſacri auditionem. Item poteſtas prædicandi verbum Dei, præuia Antiſtitis approbatione. Ad hæc, adminiſtratio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ extra ſuſceptionem ex obligatione præcepti; ac denique auditio Confeſſionum quocunque tempore, ne Paſchate quidem excluſo, præſuppoſita approbatione Epiſcopi de idoneitate Religioſi ad munus illud obeundũ, ritè edocti per examen præuium, ſi ita libuerit.

Circa auditionem ſacri ex præcepto neceſſariam feſtis ac Dominicis diebus, aliqui quærẽtes quæ ſua ſunt, valdè obſtrepunt, contendentes auditionem ſacri ex præcepto neceſſariam, in Eccleſia Parochiali eſſe faciendam; nec ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, alibi audiendo. Ita præter cœteros Ioannes Fileſac. l. de orig. parœc. cap. 6. n. 7. Sed contrarium edixere plerique ſummi Pontifices, tacti in proluſione ad Tractationem de Paternitate ſpirituali à pag. 15. Et multis idem confirmant Suares, t. 33. p. d. 88. ſect. 2. Fagundes, in præcepta Eccleſ. Scortia l. 2. de Miſſa cap. 20. num. 5. & alij, qui de auditione ſacri diſſeruerunt. Mirum verò eſt, quod aliqui adeo ſunt ſolliciti vt auertant fideles ab audiendo ſacro Religioſorum feſtis diebus; Sileant autem de ſacerdotibus ſecularibus extra parœciam ſacrificantibus, quorum ſacra fideles paſſim audiunt, exſoluti obligatione aliud ſacrum in parœcia audiendi, vt habet praxis vbique recepta per totam Eccleſiam, etiam Romæ, vidente nec improbante Pontifice. Quidni ergo liceat, ſacrum eodem modo audire apud Religioſos, quando ex obligatione eſt audiendum? Vltrò tamen do, decere, præſertim feſtis diebus ſolemnibus, ſacrum in parœcia audire, vt Concilium Tridentinum ſeſſ.... admonuit. Sed aliud eſt ex decentia facere, aliud ex neceſſitate præcepti, & obligatione ſub graui peccato: qualem iniiciunt qui negant ſatisfieri præcepto, audiendo ſacrum extra parœciam. Adducuntur ad eam neceſſitatem aſtruendam, aliqui Canones. Sed vel ſunt duntaxat decreta Synodorum Prouincialium, quæ extra eam prouinciam nunquam obligarunt; vel pridem exoleuerunt per vſum contrarium, & Pontificias pleraſque declarationes omni tali neceſſitate exſoluentes. Verũ eſt, Sixtum IV. in Extrav. c. 1. de Treuga & Pace, improbare

probare impudentiam mendicantium pro concione tradentium, fideles non teneri diebus feſtiuis ſacrum audire in parœcia, cum ita ſit iure cautum (nempe c. *vt Dominicis* de Parochiis:) ſed meritò Sixtus eum virum improbauit. Quid enim attinebat, inuidioſum illud argumentum pro concione ventilare? Addit tamen Sixtus ibidem, ex honeſta aliqua cauſa; poſſe fideles alibi quàm in parœcia ſacrum audire diebus feſtis. Tantum caueri, debere contemptum parœciæ quem duntaxat vetabat cap. *vt Dominicis*, vt benè notauit Rebuffus repetit in c. *omnis vtriuſque* n. 19. Vnde mox poſt Sixtum, Leo 10. interrogatus an fideles in feſtis audientes Sacrum apud Regulares ſatisfacerent præcepto de auditione ſacri reſpondit ſatisfacere, dummodò non contempto proprio Sacerdote Parochiali, abſint à parœcia. Ita Leo in Bulla cuius initium eſt *Intelleximus*. Et planè hanc eſſe mentem Eccleſiæ, quod fideles ſatisfaciant præcepto, audiendo Miſſam in Eccleſiis Regularium, declarauit Pius V. in Bulla cuius initium eſt; *Etſi mendicantium*. Et Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *Significatum*.

Facultas prædicandi verbum Dei, & rudes catechizandi, fauorem continet longè maximum; cum functiones illæ ſint ſummæ dignitatis in Eccleſia, & partem præcipuam muneris Apoſtolici contineant. Depoſcunt autem homines plenos ſpiritu ſancto ac fide, & olim ſoli Epiſcopi prædicabant; ita vt quoties aliquis mittendus eſſet ad Euangelizandum gentibus, prius inauguraretur Epiſcopus, vt dictum eſt tractando anomalias Tractationis verbi Dei. Facultas ergo tantæ dignitatis Religioſis concredita eſt, magno fidelium bono, vt euentus iampridem docuit, hodiéque docet. Et ſunt ſanè Religioſi, ad id munus maximè idonei; cum ob doctrinam qua plerique omnes in Religioſo cœtu pollent: tum ob expeditionem atque auulſionem ab omnibus caducis, & immunitatem ab impedimentis coniugij; quibus qui illigantur, ad excurſiones Apoſtolicas, & ferendum Dei verbum non ſunt accommodati. Quid mirum? cum etiam Epictetus apud Arrianum, renuat, Philoſophum perfectum, quem ſtatuit orbis vniuerſi Magiſtrum, affigi, mulieri, per coniugium: ne grauatus eo pondere honorato, (ſic Nazianzenus in diſſertat. nominat vxorem) ineptus fiat ad diſcurrendum quaquauerſum, vt neceſſe eſſet ad diſſeminationem ſapientiæ, cui Philoſophus addicitur? Idem multò iuſtius aſſerendum eſt de ſatore æternitatis, quæ eſt apud Ambroſium l. 5. in Luc. nuncupatio Euangelici operarij. Eſtque experimento deprehenſum, Religioſos quia nullo tali nexu grauantur, expeditos eſſe ad innumeras regiones Euangelico ſemine imbuendas; ac reipſa innumeros Ethnicos, & in Orientis & in Occidentis Indiis, nec non ad Auſtrum & Boream, ſua prædicatione adiunxiſſe Catholicæ Eccleſiæ, vt ſupra dictũ eſt, & fusè proſequitur Boſius l. 2. de ſig. E cõtrario pincernæ verbi Dei, puri nec diluti, Miniſtri inquam Sectarum erroris, adhærentes Euæ ac liberis, non poſſunt ad oras diſſitas diſcurrere concionabundi, vt nouale quodpiam Chriſto proſcindant, ſed ad ſummum collocant operam in deprauanda regione aliqua haud procul diſſita, in qua veritas Catholica haberet locum vt Tertullianus l. de præſcrip. annotauit.

Poteſtas Religioſis collata, cibandi fideles pane vitæ & intellectus, (Euchariſtiam dico,) reſtringitur ad huius ſacramenti vſum liberum; id eſt, ex mera deuotione; cuiuſmodi eſt omnis communio extra mortis periculum, & Paſcha formaliter ſumptum; quod continetur octiduo ante Paſcha, & octiduo poſt ſiue per octauam Paſchæ. Hæc enim communio & quæ ſub mortem vſurpatur; obeunda eſt apud Parochum. Quæuis autem alia ſumptio Euchariſtiæ, quia fit citra obligationem, poteſt fieri apud Religioſos, ex fauore Pontificum, qui in magnum fidelium bonum redundat. Multi enim longè frequentius communicant, pellecti ex longè maiore facilitate communicandi. Nec rarò communio, apud Religioſos maiore cum pietate obitur, ob ſeceſſionem à turba, & elegantiam ac expolitionem miniſterij ampliorem; vt frequentiſſimo experimento eſt teſtatiſſimum. Non inſiſto vlteriùs huic negotio, quia iuſtitia & æquitas huius miniſterij, videtur per ſe manifeſta; paucique vel etiam vix vlli ſunt, qui circa hoc, funem contentionis agitarint.

SECT. IV. PVNCT. II. § V. *Maledictiones variæ, in Religioſos intortæ.*

Maximè verò feruet æſtus ac œſtrum contradicentium, circa delegatam Religioſis facultatem excipiendi fidelium confeſſiones quocunque tempore, etiam in Paſcate, & ſub mortem. Ex quo conſequitur, fideles, nullam ſuam Confeſſionem teneri facere apud Parochum; ſed poſſe ſemper deponere peccata apud Religioſos. Delegauit Religioſis hanc facultatem Gregorius 9. anno. 1234. & 1238. Innoc. 4. Bulla 21. Alexander 4. Bulla 24. Clemens 4. Bulla 10. Martinus v. Bulla 2. Bonifacius 8. Bulla 1. Benedictus 11. Extrau. *inter cunctas* Eugen. 4. Bulla 22. Nicol. v. Bulla 2. Sixtus IV Bulla 11. & 14. Leo 10. Bulla 22. & 45. Paulus 3. Bulla 7. & 8. Paulus 4. Bulla 3. Pius 4. Bulla 2. Pius 5. Bulla 7. Gregorius 13. Bulla 1. & 26. Sixtus 5. Bull. 14. Clemens 8. Bulla 1. & alia Bulla cuius initium eſt *Significatum* Paulus 5. inter adiectas Bulla 23. Vrbanus 8. in Bulla cuius initium eſt, *In plenitudinem*. Non poteſt ergo eſſe dubium, quin Religioſi ſint delegati ſummi Pontificis ad audiendas fidelium confeſſiones quocunque tempore, atque adeò etiam in Paſchate. Huic ergo legationi, obſtrepuere iam olim multi, qui cauſantur Religioſos eſſe Pœnitenti velut extraneos: quippè qui non ſunt proprij fidelium ſacerdotes. Ea agendi ratio, & in ius Parochorum incurrit, & diſſonat ſacris Canonibus, præſertim illi decantatiſſimo, *omnis vtriuſque Sexus*. Eſt item euerſiua Hierarchiæ Eccleſiaſticæ à Chriſto conſtitutæ. Vnde à variis iam olim eſt exagitata; multique pridem cenſuerunt, Confeſſiones factas fratribus, aut eſſe inualidas, aut ſaltem eſſe poſtea apud Parochum repetendas. Ab annis circiter iam quadringentis, tempeſtates ſonoræ per oras iſtas contra hunc fauorem Eccleſiæ, ſunt concitatæ per tempus illud ſubinde recruduerunt, per eos qui plus ſtudebant ſuis commodis & honoribus, quam bono fidelium.

Nihilominus Eccleſia bono fidelium conſulens, indulſit illis libertatem plenam adeundi quemcunque Confeſſarium idoneum, legitimè ab Epiſcopo approbatum; vt & maior ſit pœnitentis fiducia & melior ſæpè à Confeſſario directio, ob maiorem plerunque Confeſſarii delegati peritiam. In quo eſt patens diſcrimen, inter neceſſariam ex præcepto Euchariſtiæ perceptionem, & Confeſſionem. Nam ad exhibendam Euchariſtiam ex obligatione percipiendam, quiuis ſacerdos eſt æquè idoneus; nec eſt cur timeatur fiduciæ minori communicantis; ſicut iure plerunque timetur fiduciæ minori pœnitentis, ſi conſcientia ſit exoneranda apud ordinarium eius Miniſtrum. Itaque non eſt mirum, Eccleſiam reſeruaſſe Paſtori Ordinario

SECT. IV
PVNC. II.
§. V.
Mal. per vocem Religioſis benedicendo.

quancunque communionem ex obligatione faciam, permiſiſſe autem delegatis Confeſſiones, etiam ex neceſſitate peractas, dummodò illi delegati Miniſtri, ſint ab Epiſcopo approbati, id eſt iudicati idonei ad munus illud obeundum, eo quod & moribus niteant, & ſcientia requiſita inſtruantur. Itaque approbatio longe aliud eſt quam Iuriſdictionis delegatio. Hanc quippe Regularibus tribuit Pontifex, & poteſt etiam Parochus cuilibet concedere. Approbationem autem ſolus Epiſcopus concedit Regularibus, iuxta Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 15. latè expenſum à Barboſa p. 2. in Opere de poteſtate Epiſcopi, & à Fagunde l. 1. numer 2. exponente 2. Eccleſiæ præceptum. Eſt autem approbatio teſtimonium authenticum ac publicum de miniſtri idoneitate, præſcientia, & probis moribus, ad munus Confeſſarij obeundum. Vnde ſi præuio examine conſtet Epiſcopo de idoneitate Religioſi, non poteſt approbationem negare, quia non eſt gratia (ſicut eſt delegatio Iuriſdictionis,) ſed eſt actus iuſtitiæ, quem ſi indebite neget Epiſcopus, iniuriam admittit, & vi conceſſionis Leonis 10. in diplomate *Dum intra* lato in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 11. valebit confeſſio abſque approbatione indebitè negata. Verba Leonis ſunt [Sacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, quod ſuperiores, fratres quos ad audiendas Confeſſiones elegerint, Prælatis, vel eorum Vicariis præſentare teneantur, talibuſque præſentatis, & admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis, confitentes, Conſtitutioni *Omnis vtriuſque ſexus* quoad confeſſionem ſatisfeciſſe cenſeantur.] Nimirum cum approbatio non ſit actus gratiæ, ſed iuſtitiæ, ſi indebitè recuſetur, puta ex mera pertinacia, vel ex odio in Regulares, aut quia Epiſcopus negat ſe egere extraneo miniſtro Sacramenti pœnitentiæ cui Regularis ex charitate vult dare operam; poteſt Regularis recuſationem pro approbatione habere. Ex quo item fundamento, in Proluſione ad Paternitatem Spiritualem, eruebam, approbationem neque reuocari poſſe pro Epiſcopi libito, neque poſſe arctari ad breue tempus, de quo non poſſit eſſe probabilis exiſtimatio, quod Religioſus exciderit idoneitate iam comperta, vt poſſet quoad doctrinam contingere poſt decennium. Quo pacto admitto quòd Henriques l. 6. cap. 6. num 4. litera V. regularem ſemel approbatum reprobari non poſſe ab eodem Epiſcopo, abſque cauſa iuſta, latè demonſtrat. Sic igitur habet, Pontificia delegatio ad Confeſſiones audiendas. Vt autem fauoris, de quo agimus, iuſtitia ſit vſquequaque explorata, recolenda ſunt nonnulla ex tractatione de Miniſtro delegato Sacramenti pœnitentiæ. Illudque imprimis, poſſe Pontificem delegare Iuriſdictionem alteri quàm Paſtori ordinario, vt ea Iuriſdictione inſtructus poſſit Sacramentum pœnitentiæ conferre, & ritè confeſſis abſolutionem impendere. *Ordinarium Paſtorem*, voco illum qui non ex commiſſione, ſed vi muneris ac curæ paſcendi ac purgandi ſubditos, id præſtare debent. Et talis eſt, qui dicitur *proprius Sacerdos*: cuiuſmodi eſt Parochus ſiue curatus, comprehendendo in ea voce Vicarium perpetuum, & quemlibet alicubi collatum ab Epiſcopo, loco Parochi, vt rectè cum Sanche, Ægidius de Conink. Is tamen Vicarius quem Parochus ſua ſibi voluntate aſſumit, eſt merè delegatus, nec Iuriſdictionem quam à ſolo Parocho habet, poteſt alteri ſubdelegare. Item Ordinarius Paſtor & Sacerdos proprius, eſt Epiſcopus proprius. Ac denique Ordinarius cuiuſvis fidelis Paſtor, & proprius Sacerdos; eſt ſummus Pontifex, qui iure appellatur *omnium fidelium Paſtor & rector*. Ab his igitur Ordinariis paſtoribus, poteſt aliis non paſtoribus delegari Iuriſdictio in foro pœnitentiæ; quod certum eſt ex fide. Ita enim ſæpè tradunt Pontifices & Concilia, nominatimque Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. Eſt item ex fide certum, Ordinariorum ſuperiorem, verbi gratia Papam, poſſe inconſulto, vel etiam inuito Ordinario inferiori, (puta Epiſcopo aut Parocho,) delegare iuriſdictionem alicui, quod item poteſt Epiſcopus, inconſulto vel etiam renuente Parocho. Ita Suares t. 4. 3. p. d. 26. ſ. 1. num. 8. qui id probat ex traditione & vſu Eccleſiæ: itémque ex Pontificum reſcriptis; ac denique ex independentia Iuriſdictionis Ordinariæ qua Ordinarius ſuperior potitur, à Iuriſdictione Ordinarij inferioris. Vnde efficitur, vt quamuis Ordinarius ſuperior ex rationali cauſa poſſit inferiorem ordinarium ligare, ac prohibere, vel etiam eius abſolutionem caſſam reddere, aut delegationem ab eo factam ad abſoluendum irritare; inferior tamen non poſſit abſolutionem vel delegationem à ſuperiore collatam inhibere; aut impedire ſubditum ſuum volentem confiteri Ordinario ſuperiori, vel iis quos ipſe delegauerit. Nam ſi verè delegatus eſt, non poteſt non habere idoneum confeſſendæ abſolutionis ſubiectum, cum pro quo delegatur, quantumcumque reclament alij delegante inferiores. Poſſunt ergo ſuperiores ordinarij abſque ordinariorum inferiorum licentia aut conſenſu, delegare ſuam ſuperiorem Iuriſdictionem ordinariam: alioqui vt rectè notat Durandus in 4. d. 17. q. 12. Epiſcopi non poſſunt audire Confeſſiones ſubditorum qui ſunt in ſua diœceſi, inconſultis Parochis, nec poſſent inſtituere pœnitentiarium ad idem præſtandum, niſi aſſenſu Parochi requiſito, quod conſtat eſſe ridiculum, & contra omnem praxim receptam. Ordinarij porrò ſuperiores, cenſentur intendere delegationem ſuæ Iuriſdictionis abſque aſſenſu inferiorum, quoties præbent facultatem exercendi Iuriſdictionem in foro pœnitentiæ, niſi expreſſè declarent, placere ſibi vt inferioris Ordinarij conſenſus præhabeatur. Conferent ad huius doctrinę illuſtrationem, benè multa quæ de natura, & ratione poteſtatis delegatæ, diligenter tradit Molina tract. 5. de Iuſt. à d 14.

Ex dictis liquet, quàm iniuſtè aliqui, (vt S. Thomas in ſupplem. q. artic. ad 1. dixit) quærentes quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, inſectentur delegationem Religioſorum per Pontifices ad audiendas Confeſſiones. Quo agendi modo, æquè feriunt Epiſcopos quibus abblandiuntur. Eripiunt enim illis poteſtatem delegandi aliquos ad Confeſſiones audiendas, inconſulto Parocho, & eorum Iuriſdictionem Ordinariam, mutant in delegatam; quandoquidem adimunt eis poteſtatem delegandi, quam concedunt Parochis abſque vllius aſſenſu delegantibus. Cum igitur multo magis ſit ordinaria poteſtas in Pontifice, certum eſt, eum poſſe, vbiuis & reſpectu quorumcumque, delegare cuiuis idoneo, poteſtatem abſoluendi in foro conſcientiæ, neque in ea delegatione facere illi iniuriam. Nemo enim iniurius in alium eſt, dum vtitur iure ſuo. Ac proinde ſalua ſemper Parochis ordinaria ſua poteſtate, fas eſt Pontifici ſubmittere delegatos, qui Parochos in tam formidabili onere ſubleuent, deberétque id eſſe Parochis gratiſſimum, vt rectè vidit Conradus Cardinalis Legatus apud Cantipratanum in Apum c. 9.

numero

numero 6. qui de his procellis in Religioſos, alibi l. 2. cap. 10. à numero 2. item benè diſſerit, ſicut etiam S. Thomas op. ſc. 19. cap. 4. & Sanct. Bonauentura in 4. d. 18. q. 4. artic. 3. ea lucubratione qua rationem reddit cur FF. Minores prædicent, & audiant confeſſiones. Ex recentioribus videndi in eandem ſententiam Soto quæſt. 20. de Confeſſ. Ioannes Medina quæſt. 10. de pœnit. p. 2. Valentia l. 5. extrau. toto de hæretic. Poſita autem validitate delegationis Pontifex, ſequitur manifeſtè pœnitentem verè abſolui à delegato, nec teneri poſtea exponere Ordinario, peccata expoſita delegato, *contra falſam & erroneam & à ſacra doctrina deuiam* ſententiam Ioannis de Poliaco reprobatam à Ioanne 22. in Extran. *vas electionis*, & à Clemente 8. in diplomate dato 1592. 21. dec. & damnata quoque, vt ſcandaloſa & iuri Prælatorum contraria, in F. Ioanne Angeli teſte Maiore in 4. d. 17. quæſt. 6. qui per illud tempus ſcribebat. Sanè iuxta eam reprobam doctrinam, teneretur aliquis confiteri de peccatis iam dimiſſis, & debitor liberatus, teneretur denuò debitum ſoluere, vt rectè in hanc rem ratiocinatur Benedictus 11. Extran. *inter cunctas* de priuilegiis. Neque verò Pontifices Iuriſdictionem delegantes, eam delegarunt cum onere, vt peccata iam expoſita denuò exponerentur Sacerdoti Ordinario. Si enim ita fuiſſet facta delegatio, pœnitens, etiamſi iam exſolutus, teneretur poſtea eadem peccata exponere ratione pacti cum delegante initi, atque adeò etiam cum pœnitente; cuius pacti violatione incurretur à pœnitente lethalis culpa cuius abſolutio haberi non poſſet, niſi ſtaretur pacto, & peccata apud Ordinarium exponerétur. At Pontifices non delegarunt Religioſis Iuriſdictionem, cum eo pacto ac onere pœnitentium. Imò expreſſè declararunt, ſe pœnitentes à ſuis delegatis abſolutos, liberare omni onere reponendi ea peccata. Id enim onus, pœnitentes auerteret ab adeundis Miniſtris pœnitentiæ à Pontifice delegatis, quod à mente Pontificis eſt prorſus alienum. Videndi in hanc rem, Durandus in 4. d. 17. quæſt. 12. num. 8. Suares d. 26. de pœnit. l. 2. à num. 5. Ægidius Coninck diſp. 8. de pœnit. dub. 9. à quibus aſſertio poſita ſtabilitur pluribus. Ante hos verò diligenter verſauit hoc negotium Paludanus, in Deciſione Articuli ſuper materia Confeſſionum, quæ deciſio attexitur eius Tractatui de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis, edito Parochiis anno 1506. Subiicitur item in eodem volumine, Tractatus Heruæi Natalis, de poteſtate Papæ, in quo deueniens ad delegationem à Papa factam Fratribus ad audiendas Confeſſiones, damnat hæreſeos, tricantes, in eo negotio, & vel obſtrepentes valori delegationis, vel inicientes confeſſo fratribus, obligationem denuò confitendi Parocho, peccata fratribus expoſita. Ac ne quis cauſetur, hoc Doctores fuiſſe Religioſos, frequens eſt in hac aſſertione, Ioannes Gerſo, & nominatim tract. de poteſt. Eccleſiaſt. conſid. 11. & l. de ſtatib. Eccleſiaſt. 1. p. 1. 3. 4. & 5. & lect. 2. in Euang. Marci: Item 2. p. in Regulis moralibus, tit. de pœnitentia. Subſcribit Ioannes Maior, & ipſe Theologus ſecularis in 4. d. 17. q. 6. & 7. & Iacobus Almainus eadem diſt. nec non Philippus Gamachæus Tract. de Pœnit. c. 18. omnes ſeculares, & Pariſienſes Theologi.

PVNCTVM III.

SECT. IV. PVNCT. III. §. V. *Beneuoli erga Religioſos benedicti.*

Beneuoli erga Religioſos, benedicti.

INſigniores aliquot Religioſorum Euergetas, recenſitum venio. Aliquot inquam, ex ordine ſacro, & profano, ſiue laico. Nam iuſtam talium menſuram exhibere, non eſſet meæ facultatis in modica hac lucubratione; cum ſint innumeri tales ex omni gente, & populo, & natione; nec ſit vllus gradus vel ordo mortalium, qui non geſtiuerit in hoſce Dei ſeruos beneficentiam exprimere. Itaque per paucos annumerabo, nec niſi ex mundi apicibus, idcirco à Deo benedictis in hunc Syllabum conferam. Conſultò autem prætereundus eſt, qui inter beneuolos erga Religioſos, abſque controuerſia Princeps eſt, nempe Dominus Deus, & Chriſtus eius. Sunt quidem innumeri & maximi fauores Dei & Chriſti, erga Religioſos, non modo è fauoribus intra naturæ cancellos concluſis, ſed etiam ex iis qui naturam ſuperant. Deus enim Religioſum quemque præuenit in benedictionibus dulcedinis. Ipſe eos ad ſe trahit, & in ſuo obſequio fouet ad finem vſque. Quo nomine aliiſque innumeris, debetur ei à Religioſis æterna doxologia, & benedictio, ac charitas, & gratiarum actio ſempiterna. Chriſtus item Deus homo. Religioſos debitorum ſuorum participatione vbertim impertit, & ducit eos ad vitæ fontes aquarum per Sacramenta, & alia ex Chriſti inſtitutione à Religioſis piè frequentata. Neque in tam denſis fauorum Dei ac Chriſti erga Religioſos, imbribus, admittendi ſunt aliqui otioſè excogitati à fabulonibus; cuiuſmodi præter cæteros erat ille quem Theodiſtus à S. Theodoro ſtudita renictus, meritò retractauit; nempe quòd vnus Monachus poſſet à pœnis inferni eripere centum quinquaginta damnatos, quaſi in inferno eſſet aliqua redemptio, nec ſit delirum, æſtimare abyſſum quaſi ſeneſcentem id eſt prout Gregorius ea Iobi verba intellexit, exiſtimare, damnatis ad inferos fore aliquem finem cruciatuum. Hi inquam & ſimiles fictitij fauores repudiandi ſunt, & Theoctiſtus ille tam multis ſorduit hæreſibus à Baronio anno 833. annotatis, vt non poſſit conciliari fictitiæ illi aſſertioni de fauore vni cuilibet Monachorum conceſſo, fides ab eius autoritate. Hærendo ergo in fauoribus ſolidis, ſuppetunt diuinæ erga Religioſos beneficentiæ ſpecimina, & plurima, & grandia. Et nihilominus Deum ac Chriſtum, hoc loco inter Religioſorum benefactores benedictionibus replendos non recenſeo, ſed arcto diſputationem ad puros homines, de quibus etiam agebat Iſaac, benedicens benedicentibus Iacobo, quem propoſuimus pro Religioſorum antitypo. Paucos ergo ex ſacro, & laico ordine, erga Religioſos optimè animatos, & idcirco benedictionibus repletos, hic attexamus.

Sanctus Gregorius, haud vacuo cognomento *Magnus*, Religioſos mirificè coluit, texit, fouit, vt ex eius Regiſtro & Dialogis apparet. Quod enim eius Dialogos, Melchior Canus, falſiloquij pro ſimplicitate autoris accuſauit, non eſt quod

refellatur

SECT. IV. PVNCT. III. § V.

Beneuoli erga Religioſos, benedicti.

refellatur, cum à Baronio in Martyrol ſufficienter ſit præſtitum, nec à nobis alibi l. de calum. prætermiſſum. Nunc ſufficit de Sancto Georgio dicere, cum ſic adamaſſe Religioſos, vt adhuc in ſeculo degens copioſum patrimonium in Religioſos profuderit, ſtructis è ſuo, in Sicilia ſex monaſteriis, & Romæ ſeptimo, ad clinum Scauri. Tanti viri memoria erit in benedictiones ſeculorum. Adeò porrò floret eius gloria, vt etiam Orientales Romanæ Eccleſiæ decorum æmuli, nec ſoliti latinis applaudere, huius tamen Pontificis cultum quotannis, hodiéque præcipuo ſtudio frequentent. Varij illuſtres ſcriptores deflorati in Pietate punc. V. Gregorium ſpeciali, inſignibus encomiis, & quoad pietatem, & quoad Chriſtianam ſapientiam magnificè exornarunt Sanctum Gregorium; quæ ſunt totidem cumuli benedictionum, quibus vir Sanctus à Deo repletus eſt, quia Religioſis benedixit, & iudicio, & verbo, & opere.

Gregorius 13. immortalis memoriæ Pontifex, cum eſſet erga ſe & ſuos parciſſimus, nullum finem fecit effundendi opes quibus per dignitatem Pontificiam affluebat, in egenos, & in fidei tuitionem ac propagationem aduerſus Turcas, & Hæreticos, ac largè in Religioſos, præſertim laborantes in verbo, & doctrina. Veſtitu ſubtus vtebatur vili, & quod ſtupori ingerendo par eſſe queat, deprehenſus aliquando eſt, detritas veſtes interiores, ſarcire per ſeipſum, vt eſſet vnde ſuppeteret ad prædicta ſancta opera ſumptus. Audiuit aliquando nequitiam Patris prænobilis, & gradu ſublimi, ſed pro conditione egeni, & ære multo alieno grauati, qui filiæ ſpecioſiſſimæ lenonem agere, conſilium inierat: Er erat Magnas prædiues, qui pro vſu vnius noctis, aureorum duodecim millia ſpurco Patri offerebat. Non ferens Pontifex adeò fœdum mercimonium, ſubmiſit qui Patri illam ipſam ſummam duodecim millium aureorum clanculum numeraret, ne ſcortator Iupiter per aureum imbrem ad Donaëm prolaberetur. Nepotem dilectiſſimum, idem Gregorius, ex animi ægritudine iacentem, quòd non haberet vnde Arpilum oppidum, (vti receperat) compararet, & dato quod pepigerat pretio ſuum faceret, vbi ex Medicis intellexit, quæ cauſa Nepotem lecto affixiſſet, ad eum adiit, & conteſtatus, ſe de cenſu Eccleſiæ ad rem domeſticam ſuarum augendam, ne obolum quidem collaturum, vaſa nonnulla, & aurea, & argentea, pretij non exigui, quæ ſibi in minore fortuna dono obuenerant, diſtrahenda conceſſit, vt eſſet vnde coëmendo oppido neceſſaria pecunia ſuppeteret. Hic tamen Pontifex, adeò circa ſe & ſuos parcus, cum in alia opera bonum Eccleſiæ, & fidei tutelam ſpectantia, ſanctè profuſus fuit, tum nominatim erga Religioſos. Inſcriptio, ad eius ſtatuam marmoream in Capitolio poſitam exarata, refert ab eo vicies centena aureorum millia, collocandis in matrimonio pauperibus virginibus impenſa; In ſeminaria verò, & Collegia omnium penè nationum, Religioſis concredita, immenſos theſauros inſumptos fuiſſe. Additio ad Ciaconium, recenſet quatuor Societatis IESV Collegia, in extremo Orbis Orientalis angulo à Gregorio Pontificij anno 11. ædificata atque dotata. De eiuſdem in varia alia Collegia, ac ſeminaria, erecta de nouo, atque dotata largitatibus, conſulendus Henricus Spondanus ad Chriſti annum 1573. & ad annum 1577. rurſuſque ad annum 1579. & ad annos 1584. & 1585. Gregorij memoria in benedictione eſt, toto orbe terrarum, ac Romæ præſertim; vbi in Collegio plenario quod Societati IESV ſumptu Pontificio ac Regio extruxit, quotannis ſub medium Maium, exornatur publico encomio de eius laudibus, nulla vnquam oratione exhauriendis.

Carolus, re ac nuncupatione Magnus, Occidentalium Imperatorum primus; cum in Eccleſias planè multas, largè beneficus fuit, tum in Monaſteria liberaliſſimus. Nec contentus oris Europæis, in quas ſuas effunderet opes, in Syriam quoque, & Aſiam, Africam, & Ægyptum, munificentiam ſuam erga pauperes, præſertim voluntarios, copioſè exprompſit, vt videre eſt apud Epiphanium, & alios rerum Caroli Scriptores. Rependit Deus Carolo, vicem bonam, & benedixit ei in omnibus. Nam & in vita innumeris victoriis poſitus eſt; & filios ac poſteros felicitatis ſuæ participes, diu habuit. Poſt obitum, Gallorum, & Germanorum iudicio, nec contradicente Romana Eccleſia, cœleſtium honores eſt aſſecutus, vt pluribus dixi agens de pietate ſpeciali erga vnum aliquem ſanctum præ aliis, in Scholiis ad punctum vltimum.

Henricus ex duce Bauariæ Rex Germaniæ, princeps inſigni pietate eximiè coluit familiam Cluniacenſem, vt in Sanct. Odilonis hiſtoria tradit Petrus Damiani. Ad Monaſterium verò Cluniacenſe, ſæpiùs peregrinatus, magnis ac pretioſis muneribus ſæpè illud ditauit, Glabro lib. 1. hiſtor. teſte, qui nominatim ſcribit, Henricum Romam profectum ad Benedictum VIII. ſtabiliendum, & coronam Imperij ab eo ſuſpiciendam, donatum eſſe à Pontifice, inſigni xenio aurei pomi rotundi, pretioſiſſimis gemmis per quadrum conueſtiti, ac deſuper conſerta aurea Cruce præfulgentis. Optimus Princeps, prædiues donum myſteriis grandibus grauidum, ita admiſit, à Pontifice in magno omnium Ordinum cœtu delatum, vt diceret, nullis aliis donum adeò pretioſum congruere, quàm Sanctis Monachis, qui calcatis mundi pompis Crucem expeditè ſequerentur. Itaque confeſtim, adeò eximium munus, tranſmiſit Cluniacum. Optimi Principis affectum in Dei ſeruos, multæ victoriæ diuinitus collatæ penſarunt, & Regia primùm dignitas, mox Imperatoria Religioſum Principem cohoneſtauit. Sanctus Benedictus, clienti ſuo, Caſſini ſanitatem, poſt grauiſſimam ægritudinem contulit, vnde illi tantus in ſanctum locum affectus eſt inditus, vt toto emiſſo promitteret, ſe inibi ſi diutius ſupereſſet, Imperiali culmine depoſito, ſeruiturum Deo, vt Leo Oſtienſis in Caſſinenſi Chronico libro 2. capit. 40. ſcriptis prodidit. Defunctum, Eccleſia ſanctis cœtibus adſcripſit, clarum miraculis, inter quæ numerari meritò debet, perpetua cum S. Chunegunde coniuge, virginitatis obſeruantia.

Sanctus Ludouicus 9. Rex Francorum, & omni virtutum genere mirè præcelluit, ſic in Religioſos ordines mirè fuit affectus. In Prædicatorum ac Minorum Ordines tunc adoleſcentes, quo fuerit animo, Thomas Cantipratanus qui tunc viuebat, locuples teſtimonium perhibet, extremo libro Apum libro ſecund. capit. 57. numero 65. Dirè vexatos, ac penè oppreſſos, ab iis quos ſuffragatores ac patronos eſſe par fuerat, texit potenter Rex optimus, & qua *iniquorum Proſcriptionibus* vt Cantipratanus loquitur, qua

datis

Beneuoli erga Religioſos benedicti.

dati: Romam ad Alexandrum IV. Pontificem, & Cardinales fortibus literis, effecit, vt malignitas comprimeretur, & ſerui Dei indemnes eſſent, maximo (vt benè expendit Cantipratanus,) Eccleſiæ commodo. In Carmelitas, quantum expromptum fuerit ſtudium, dixi in Scapulari Stochiano parte 1. capite 8. In ſumma, ſicut fuit pauperum pater, ita magna voluntate proſecutus eſt pauperes voluntarios, quorum paupertas nobilior, & Deo acceptior eſt, quàm mendicabulorum, quæ ad ſtipem excipiendam, infelicitas potiùs quam virtus adigit. Redundant in hanc rem illuſtribus exemplis eius Acta, præſertim quæ Gaufridus à Bello loco eius Confeſſarius exarauit. In quibus illud ſingulare, quod refert de Sanct. Rege Perutium profecto ſpecie peregrini, vt Fratrem Ægidium Sancti Franciſci aliquando ſocium, viſeret. Ibi oſtiario cœnobij ignotus, aduocata tanquam ad vulgarem peregrinum Fratre Ægidio, vti popoſcerat, in aduenientis ſerui Dei amplexus ruit, & ambo flexis genibus arctè ſtricti ad non modicum tempus hæſerunt, nihil plane exterius profati, ſed ſola interiore collocutione per corda mirificè recreati, ab inuicem, corporibus non cordibus, ſunt diuulſi. Non pauca apud eundem Gaufridum cap. 16. vitæ, legere licet, de variis Religioſis domibus à Sanct. Rege ſtructis, vel inſtauratis, vel copioſè ditatis, nec non de variis humilitatis officiis impenſis à Rege Sanctiſſimo, Religioſis hominibus. Et cum multi ex Ordinibus Prædicatorum, & Minorum, Lutetiam ad ſtudia ſacra appellerent, largis eleemoſinis in eos erogandis non ſatiabatur, illud exclamans. [O quam benè collocatæ ſunt eleemoſinæ in tot tantóſque Fratres, ex toto orbe terrarum Lutetiam adeuntes, vt quod hic ex diuinis ſcripturis hauriunt, in totum mundum effundant in honorem Dei, ac ſalutem animarum?] Tantæ in Religioſos propenſionis, Rex optimus, ex ſenſu animalium hominum recepit pertenuem compenſationem, quippe victus in bello pro Religione ſuſcepto: ac denique inſtaurata pro Chriſto expeditione in Saracenos, ex peſte in terra aliena defunctus. Hic fuit ſenſus hominum non percipientium quæ Dei ſunt, etiam Gallorum, quorum erat pro honore Sancti Regis ſatagere. Sed iter à nobis, quod inſipientium oculis viſum eſt exterminium, Deus ſanctitatis optimi Principis per miracula benè multa atteſtatus, monſtrauit fuiſſe viam vitæ, & æternæ beatitatis veſtibulum: Poſteritatem item eius, tot iam ſecula feliciter ſtabiliens in ſede Regni ampliſſima, impegit mentitionem, maledicentibus Sancto Regi, quem calculus Eccleſiæ per canoniſmum, ſupra omnem inuidiam ſtatuit.

Ferdinandus 2. Imperator virtutibus ac dotibus Regiis inſtructiſſimus, ita vt de eo dixerit ad veritatem, Hippolitus Maranius in Cæſaribus Marianis capit. ſecund. §. 2. [Alter noſtri temporis Conſtantinus, quem patrem ſanctimonia, pietate, integritate, clementia, ſuperior illa ætas non vidit.] Præcellenter idem argumentum verſauit Guhelm. Lamormainus iuſto opere. De ſingulariſſima eius in Deiparam pietate, fusè ibidem Maracaius. Inſignis item fuit eius pietas erga Sanctum Angelum Cuſtodem. Nam ipſe eſt, cuius rogatu Paulus V. feſtum Sancti Angeli Cuſtodis induxit, Officio per Cardinalem Bellarminum, ad eam rem concinnato. Ferdinandi liberalitas in Religioſos Ordines, & nominatim in Societatem IESV, cui nouem ad minimum Collegia erexit ac dotauit, notiſſima eſt ex prædicto Lamormaini opere, & ex Matthæo Rodero in Bauaria Pia in ſupplem. in editis Bauariæ Sanctæ. Minus obuium eſt, ſed tamen certum ac eximium, Dei in eum beneficium, quod deſcripſit Gulielmus Vvael pag. 66. & 67. in opere de Chriſti vulneribus. Erat Ferdinandus, recolendæ paſſioni Chriſti addictiſſimus. Vnde quot noctibus, priùs quàm ſe in lectum inferret, ſolidæ imaginis Chriſti in Cruce confixi pedibus oſcula piè figebat. Homo nequam cubiculi miniſter, corruptus pecunia ab hoſtibus, pedibus Crucifixi venenum præſentiſſimum illiuit; vt oſcula figens Ferdinandus, mortem contraheret. Sed aggreſſus de more diſſuauiare Chriſti pedes, luculentum ſpecimen diuinæ erga ſe prouidentiæ eſt expertus; imagine ſacra pedes retrahente. Optimus Princeps, veritus ne qua ſua culpa indignus factus eſſet, oſcula Chriſti pedibus figere, acciri iuſſo Confeſſario, cœleſte ei prodigium aperuit, & obſeruata pedum illitorum humiditate, pane recenti admoto, eam extergi iubet, quo cani porrecto, illico extinctus eſt. Perfidus Cubiculi Miniſter, animaduerſa tanta Dei prouidentia perculſus, Cæſari ad pedes accidit, & ſcelus ſuum faſſus, veniam exorauit. Proferamus alia vulgatiora ſpecimina diuinæ prouidentiæ erga optimum Principem, ſeruorum Dei verè Patrem. Rependit Deus Optimo Cæſari, vicem bonam, & optimam. Nam ebullientibus vndecunque hoſtibus in eius perniciem iuratis, extraordinaria ſemper Dei protectione munitus eſt, & in Cæſarem promotus, nequicquam reſlantibus hoſtibus potentiſſimis, qui ſpe deuorarant imperij tranſlationem in aliam gentem, atque familiam. Rebelles Bohemos, qui in Regem ſibi elegerant Fredericum Comitem Palatinum Rheni, eodem poſt prælium in fugam acto, domuit; & ad officium adegit. Guſtauum Suecum, à rebellibus euocatum ſtrauit, & prædæ quam immenſam collegerat, fruitione prohibuit. Denique infinitis propè diſcriminibus ereptus diuinitus, Bohemia ſubacta, Auſtria coërcita, Morauia pacata, Sileſia repreſſa, Hungaria magnam partem recuperata, hoſtibus potentiſſimis legionum cœleſtium ſubſidio profligatis; vt legere eſt apud Ioannem Bellum in laurea Auſtriaca, Hieremiam Drexelium in Horologio, Hora noctis quinta, Coluenerium in Calendario Mariano 8. Nouembris, & alios. Piiſſimè excedens è vita, exemplo teſtatum fecit, quanti ſit apud Deum ſuſcepta Religioſorum cura atque tutela.

Gulielmus V. Dux Bauariæ, Religioſorum omnium erat amantiſſimus; Tuebatur eorum iura, ſubueniebat laborantibus, beneficiis recreabat, ad menſam ſuam frequenter eos adhibebat, nec dedignabatur apud eos cibum ſumere amicitiæ, & beneuolentiæ teſtandæ cauſa. In Societatem IESV fuit beneficentiſſimus, cuius templum Monachienſe, ſacra ſupellectile pretioſiſſima adeò largè inſtruxit, vt minus pij, Iudam murmurantem de Magdalenæ in

Chriſtum

SECT. IV PVNCT. III. §. V. *Beneuoli erga Religioſos, benedicti.*

Chriſtum effuſa charitate, exclamarint non ſemel, *vt quid perditio iſta facta eſt.* Repenſam à Deo tantæ in ſeruos ſuos beneuolentiæ mercedem, Matthæus Raderus in ſupplementis inditis Bauariæ Sanctæ copioſè exhibuit. In Gulielmo ſanè expleta videtur ea Pſaltis prænunciatio de iuſto viro, *Ecce hæreditas Domini, filij, merces fructus ventris.* Ex Renata coniuge lectiſſima, & inſignis virtutis, ſuſcepit prolem eximiam. In Maximiliano reuecta eſt, domum dignitas electoris, in Imperio eminentiſſima. Alter filius, fuit Elector Colonienſis. Tertius, Philippus in S. R. E. Cardinalem prouectus eſt. Filiam Ferdinando Secundo Imperatori elocauit Gulielmus, matrem futuram Ferdinandi Tertij Imperatoris. Vitam vixit diuturnam ad annum 78. protenſam, adeò virtutibus nitentem vt grauis teſtis, Propoſitus Generalis Carmelitanorum Excalceatorum, ex B. Tereſiæ informatione, ſanctè confirmarit, reuelatum ſibi eſſe diuinitus, Optimum hunc Principem, & Renatam coniugem piiſſimam, nec non Mariam Annam filiam, Ferdinandi 2. Cæſaris coniugio illigatam, poſt fælicem obitum ad cœleſtem gloriam demigrantes, beatorum cœlitum contubernium meruiſſe. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum, & ſeruos eius diligit.

Ludouicus XIII. Chriſtianiſmus, omnibus Regis ornamentis, ſupra communem humanorum faſtigiorum modum inclaruit: Beneuolentia verò in Religioſos, fuit Illuſtriſſimus. Dicet aliorum Ordinum quiſque, quæ ad ſe attinent, & beneficia quibus eos demeruit. Mihi ſpecimina aliquot, innumerabilium eius in Societatem noſtram meritorum, præterire nefas fuerit. Argumentum verò attrectabile inſignis erga nos beneuolentiæ ac beneficentiæ tanti Principis, duci poteſt ex ſtipendiariis officiis, (vt cum Sancto Ambroſio de Valentiniano dicam) quæ illi cum è vita exceſſit dependenda à nobis fuerunt. Ex maiorum præſcripto, cuius domus aut Collegij Fundatori ſuperſtiti, tria ſacra à quouis Noſtrorum vniuerſo orbe Sacerdotum addicuntur, totidémque penduntur defuncto. Iis item benefactoribus, liberalitas æquat vnius domus aut Collegij fundationem, idem piorum officiorum demenſum rependitur. Cum erga ſacra quæ Ludouico Regi ſuperſtiti debebantur, pridem exhibita eſſent, pro defuncto, triginta ſacra, cuiuis per totam Societatem Sacerdoti ſunt impoſita, pro ſubleuatione animæ tam eximij multorum Collegiorum Noſtrorum fundatoris, & tam beneuoli Societatis noſtræ Tutoris ac protectoris. Ex quo æſtimare licet, quantis ille benefactis Societatem ſibi obſtrinxiſſet. Repenſam illi à Deo pro tot in ſeruos ſuos benefactis benedictionem, fruſtra ſit exponere; cum ſolis radiis ſcripta proſtet in prole maſcula duplici, poſt annos viginti ab inito coniugio, diuinitus (certè per ſpecialiſſimam Dei prouidentiam,) conceſſa, & ex tot victoriis feliciſſimè reportatis, non de externis tantùm hoſtibus, ſed etiam inteſtinis, præſertim quos hæreſis irrequietum malum, aduersùs debitam Regi ſuo obedientiam obdurauerat. Cumulus bonorum fuit mors piiſſimè obita, non abſque præſagiis æternæ beatitatis optimum Principem exceptura, ad quod illi nominatim cultus Deiparæ ſingulariſſimus (vt latè proſequitur Hippolitus Maraccius de regibus Marian. cap. 10.) & tantam in ſeruos Dei beneficentiam, pignori eſſe potuerunt.

EPIMETRVM.

Ad Benedictos Domini Gratulatio.

MArtyres, Tertullian. l. ad Martyr. non ſemel, denominat ſimpliciter *Benedictos.* Alias verò quod compluribus teſtimoniis firmat Iacobus Sirmondus ad libr. ſeptim. Sido epiſtol. 9. Chriſtiani receptiſſimo Epitheto denominati ſunt, *Benedicti.* Aptiſſimè ergo eadem denominatio transfundi poteſt ad Religioſos, qui & *veri Martyres* dicti ſunt, vt plenè proſequar in Tractatione de Martyrio parte prim. capite tertia, & Chriſtianum nomen haudquaquam vacuum portant. Berno ſanè Epiſcopus Metenſis, perfidè ac immaniter à ſuis exoculatus; factus luculentum patientiæ exemplum, denominatus eſt *Benedictus*, vt refert Flodoardus in Chronico anno 928. Igitur Religioſi in multa patientia poſſidentes animas ſuas, haud abs re, denominari poſſunt *benedicti.* Nec deeſt ex hactenus diſputatis, congruentiſſima ratio eius nuncupationis. Nam cum ſint ipſe fons indeficiens benedictionum quibus proximi perfunduntur, quando non ipſi quoque benedicti, niſi concidat Ariſtotelicum effatum; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Non eſt Dominus Deus, inconſultus benedictionum ſuarum diſtributor, vt qui benedicit, iis qui ſuæ familiæ benedicunt; eidem chariſſimæ ſibi familiæ, & domui ſuæ non benedicat; præſertim cum ipſa tanto ſtudio, & tam multipliciter eidem Domino, ac Patri, & Deo ſuo benedicat.

Igitur benedicti vos à Domino, ſerui Dei, & quidem benedictione ſpirituali in cœleſtibus; in Chriſto, hic honeſtati: Poſtea verò plenitudine exuberantiſſima, omnis cœleſtis benedictionis donandi in cœlo, vbi excluſa omnia per maleuos hic in vos intorta maledictione, omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Nec mirum: nam & Satanas (quem *ibi nomen iniquitatem* dici cenſet Nyſſenus) obſtructo ſibi ac compreſſo ore conticeſceret, & eius emiſſarii validiſſimo linguario admoto, ſimiliter multabuntur. Et optimus quidem Pater Deus benedictionibus propriis accommodatè ad cuiuſque guſtum, diſpertit mortalibus ſua munera. Potioribus tamen ſeruis, & ſuis veluti domeſticis, elargitur benedictionem iam ex hac vita ſingularem dignitate, tametſi numero non vnam, quam liceat in dilectiſſimi Ioſephi benedictione per Iacobum Patrem, adumbratam agnoſcere. *Omnipotens* (ait Iacob; Ioſepho ſuo Gal. 49.) *benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum*

orſum; benedictionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui, confortatæ ſunt benedictionibus Patrem eius. Fiant in capite Ioſephi, & in vertice Nazaræi, inter fratres ſuos. Quam verè nomen *Nazaræi* ſiue *ſeparati*, de Religioſis noſtris dicatur, perſpicere licet ex iis quæ de Nazaræo Chriſtiano, latè tradit Franciſcus Mendoza prim. Regum. 1. annotat. 10. libr. ſecund. In huius ergo Nazaræi verticem, confluunt benedictiones à Sancto Fundatore collatæ inſuperque cumulatæ benedictionibus tot Sanctorum Aſcetarum, qui primo ſacræ familiæ parenti inhæſerunt, & eius preſſere veſtigia. Porrò benedictiones huiuſmodi, partim ad ipſum Religioſum attinent, & in eo ſiſtunt; partim exundant in alios. Priores ſunt benedictiones cœli deſuper, & abyſſi iacentis deorſum. Poſteriores verò ſunt benedictiones vberum & vuluæ.

Benedictiones *cœli deſuper*, intelligo benedictiones dulcedinis quibus Deus de cœlo ſeruos ſuos præuenit. Illum inquam ſaporem vitalem, (vt Ennodius Epiſtol. ad Conſtant. ſcitè dixit,) quo homo à Deo, efficaciter ſimul ac ſuauiter præuentus, non modò vltrò & abſque reniſu ſequitur vocantem Deum; ſed etiam mira cum dulcedine, & alacritate. Hæc eſt pluuia voluntaria ſegregata hæreditati Dei: nec eſt rigatio limoſa, cuiuſmodi eſt Ægyptiaca, habens in terra cœlum ſuum, vt Philo vocat lib. tert. de vita Moſis. Hoc eſt Niloticam ſuperfuſionem.) Sed eſt rigatio expectanda de cœlo: & per Dei benignitatem cœlitus ferè perpetuò depluit in Religioſi cœtus alumnos; quibus ſi contingat ex humana imbecillitate infirmari, illico per hunc cœleſtium imbrium affluxum, perficiuntur, & ad omne bonum conualeſcunt. Parauit hanc cœleſtem pluuiam in dulcedine ſua pauperi Deus. Hæc ergo eſt benedictio cœli deſuper, in Religioſi caput depluens, dum vita ſupereſt.

Quæ verò eſt & optatiſſima & dulciſſima benedictio, illa eſt quæ dici poteſt *benedictio iacentis*; qua ſcilicet benigniſſimè hominem tenebo affectum, perfundit in vitæ clauſula, & imminente iam morte. Tunc ſanè horreſcentibus & areſcentibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient, diuinorum per vitam munerum aſpernatoribus; benè erit timentibus Deum religioſis probatis. Anguſtias eorum qui vitam malè exegerunt, cum hora illa aduenerit, deſcribit luculenter Eucherius homil. de Machab. Nec alia ſors manebit Sarabaitas; illos inquam Religioſos, qui nomen ſanctum ementiti, perſonam duntaxat & laruam profeſſionis protulerint. Prædictis in terrores & angores verſis, quod alibi idem Eucherius, homil. octau. ad Mon. vernantiſſimè aperit, boni ac probati Religioſi, omni conſolatione redundantes, proximè ſucceſſuras æternas delicias prægustabunt: E diametro infelicium animarum, quæ obdurnerint ad vocantis Dei tactum, ac ſollicitationem. Pij Religioſi pia anima, ſuperabundauit conſolatione, ac voluptate, puriſſima & ſynceriſſima diffluet; quod idem florulentiſſimus ſcriptor Eucherius prælocutus exlegis animæ ad extrema deductæ tormentum, ſubiectis his verbis vtrumque aperit. [At verò illa anima quæ benè curſum ſuum direxerit, quæ Chriſto in ſenioribus ſuis obtemperauerit, quæ profeſſionem ſuam per omnia cuſtodierit, non timebit vltimæ illius horæ neceſſitatem. Exire de huius corporis habitaculo, ita ſibi videbitur, quaſi poſt longas carceris tenebras, producatur ad lucem, quaſi de aliquo obſcuriſſimo ſpecu in aulam regiam introducatur; quaſi de lacu miſeriæ, & de luto fœcis abſtracta, ſpecioſis ac ſplendidis veſtibus induatur, atque inter florum & aromatum ſuauitatem, miris reficienda odoribus collocetur. Recordemur quàm iucunda ſit quies, quàm delectabilis repauſatio, poſt depoſitum alicuius grauiſſimi oneris faſcem. Quàm dulce ſit poſt longæ captiuitatis catenas, ac charam patriam recuperata libertate remeaſſe. Quàm pretioſum ſit, poſt multa nauigationis pericula, ad optatam terram, atque ad portum deſiderabilem perueniſſe. Atque ex his colligamus & cognoſcamus, quàm iucundum erit comite bona conſcientia, ad vera & ſolida gaudia, atque ad Angelorum tranſire conſortia; & ad illam vitam conſcendere, vbi nulli erunt labores, nulli dolores, nulla incommoda, & (quod ſupra omne bonum, bonum eſt,) nulla peccata, ſed æterna innocentia, inuiolata iuſtitia, inconcuſſa ſecuritas, ac ſempiterna felicitas. Hunc ſtatum beatiſſimum, prægustabunt adhuc hærentes in corpore, mox abituri ad Deum religioſi boni perfuſi benedictionibus abyſſi iacentis deorſum. Ita vt in quo temporis articulo, mali ac exleges, præ horrore malorum aduentantium, infernum ſuperiorem ante inferiorem perſentient, iuxta Sancti Auguſtini in pſalm. 85. diſtinctionem; boni è contrario, paradiſum in terra experiantur, lectiſſimis Dei benedictionibus perfuſi.

EP METR. *Ad Benedictos Domini Gratulatio.*

Vberum ac vuluæ benedictio, pertinet ad ſemen ſanctum, ac ſpem viuant copioſam, quam Religioſi probati Deo pariunt, qua precibus & exemplis, qua piis allocutionibus ac ſcriptionibus ſedula item verbi diuini diſſeminatione, inter Catholicos & aduerſos à fide filios Belial, Paganos dico, Iudæos, Saracenos atque Hæreticos. Quæ & quàm numeroſa ſoboles Deo procreetur per hanc Religioſorum benedictionem, non eſt difficile oculis ipſis vſurpare. Quibus enim in oris Barbarorum, inſonuit Chriſti nomen, niſi per Religioſos? Teſtes vtræque Indiæ, & noua Francia; aliæque ad Auſtrum & Boream regiones, vbi plurima accreuit Chriſto ſoboles, per miſſos Euangelicos è Religioſis cœtibus ad hoc adhibitos. Inter Hæreticos verò, quinam ſollicitiùs ſategerunt, per immenſa ſua pericula reuocare diſperſos ad Eccleſiæ cauſam, quàm Religioſi? Documentum eſto quod in Anglia, Scotia, Hybernia, Batauia, Suetia, aliiſque hæreſi contaminatis regionibus geritur, vix per alios quàm per Religioſos, nouæ ſobolis per Euangelium procreandæ ſollicitos. In Catholicis verò pulpitis, quorum fructuoſiùs ac frequentiùs voces inſonant, quàm Religioſorum? Si reducendi ad frugem bonam peccatores, ſi alendi cibo vitæ ad omne ſanctimoniæ augmentum;

mentum, qui deſponſant Deo vitæ innocentiam retinent; nulli ſæpiùs, nulli vtiliùs, id præſtant, quàm Religioſi. Sic benedicuntur in Deo Amen, quos ad benedicendum ſibi Deus ipſe in bona voluntate ſua ſegregauit. Hæc eſt beatiſſima benedictio inter cæteras a Diuo Auguſtino in palm. 66. recenſitas, optabiliſſima; pro qua per ſingulares dies benedicendum eſt Domino; ita vt etiamſi inter multos dies aliquis ſub ſtudiis illuxerit, non prætermittatur tamen benedictio Dei, eo quòd tametſi videatur nobis in die triſti male; ſit tamen nobis in Deo noſtro bene, vt alio loco idem Diuus Auguſtinus in pſalmum trigeſimum tertium, & in pſalmum 144. ſeclè diſſerit.

Laus Deo, & Beatæ Mariæ Virgini.

SYNOPSIS

SYNOPSIS OPELLÆ.

PROLOQVIVM.

Sectio I. Bonitas abſoluta Religioſorum. Odor primus agri pleni, ex eorum virtutibus ad perfectionem propriam attinentibus.

Punctum I. Odor Chriſtianæ perfectionis ac mediorum, eius adoptioni ſubſeruientiũ, quantus in Religioſo ſtatu.

§. I. De charitate, flore virtutum primario, quàm in Religione fragret ac niteat.

§. II. Fides ac Spes quàm odoræ in Religioſo ſtatu.

§. III. Prudentia quàm odora apud Aſcetas.

§ IV. Fragrantia Iuſtitiæ erga Deum, ſiue Religionis, in ſtatu ab ea denominato.

§. V. Fortitudinis Religioſorum, odor ſuauiſſimus.

Punct. II. Amœna & fragrans ſpecies, religioſæ reciſionis, cupiditatum perfectioni obſiſtentium.

§. I. Fragrantia Religioſæ paupertatis.

§. II. Religioſorum odora ſpecies innexa priori, reciſione cupiditatis honorum.

§. III. Fragrantia Religioſorum in vocatione cupiditatis, rotæ natiuitatis noſtræ, inflammatæ à gehenna.

§. IV. Religioſorum fragrantia in reciſione iuſto auctioris curæ erga carnem propriã.

§. V. Odora ſpecies Religioſorum, in reciſione affectus erga Incarnatas neceſſitudines.

§ VI. Fragrantia in reciſione exſolutionis libertatis propriæ, per obedientiam.

§. VII. Incrementum fragrantiæ, ex reciſionum propoſitarum firmatione per votũ.

Punct. III. Practica expreſſio bonitatis abſolutæ Religioſorum, præſertim ex Chryſoſtomo, Auguſtino, atque Sozomeno.

Sect. II. Bonitas reſpectiua Religioſorũ, odor alter agri pleni cui benedixit Dominus.

Punctum I. Fructus à Religioſis, maximè communes.

§. I. Vtilitas à Religioſis per preces.

§ II. Religioſi exemplo ſuo fructuoſiſſimi.

Punct. II. Varij pro fide Religioſorũ labores, totidémque ab eis in Eccleſiam vtilitates.

§. I. Fidei Chriſtianæ per Religioſos diſſeminatio; ingens ab eis vtilitas.

§. II. Fructus à Religioſis, per defenſionem fidei contra Hæreticos.

§. III. Cicuratis Schiſmaticis in hæreſim lapſabundis, fructuoſa Religioſorum opera.

§. IV. Defenſio fidei, per arma Religioſæ militiæ.

Punct. III. Cultura pietatis in domeſticis fidei, ingens à Religioſis vtilitas.

§. I. Bona per ſanctos Antiſtites è cœtibus Religioſis aſſumptos.

§. II. Sedula ac pia verbi Dei tractatio, ingens à Religioſis vtilitas.

§. III. Fructus à Religioſis per Sacramenta.

§. IV. Vtilitas à Religioſis, per excitationem fidelium ad Deiparæ venerationem.

§. V. Subductio occaſionum & incentiuorum peccandi, per piam Religioſorum induſtriam, magnum ab eis commodum.

§. VI. Fratriæ Laicorum per Religioſos inductæ, ac ritè conſtitutæ, haud tenue fidelium bonum.

Punct. IV. Fructus à Religioſis, quoad humana.

§. I. Res literaria, verbo ac ſcriptis, per Religioſos promota.

§. II. In tempore neceſſitatis, Religioſi ſubleuatores fidelium.

§. III. Iuuenta ſalubriter per Religioſos, ad mortalium commodum.

Sect. III. Anacephalæoſis antedictorum, cum multiplici epimetro.

Punctum I. Propoſita hactenùs doctrina, breuiculus.

§. I. Religioſos eſſe vndecunque montes ſuaueolentiæ Dei, perſtrictum breuiter ex antedictis.

§. II. Suſpicio inuidioſa depellitur.

Punct. II. Varia epimetra è conſequentibus ad tantam Religioſorum bonitatem.

§. I. Religioſus quiſque Thaumaturgus, nec qualiſcunque, ſed maximus.

§. II. Religioſorum paradiſus, & beatitudinis iam ex hac vita prægustatio.

§ III. *Beneficium vocationis ad religioſum ſtatum, præ tanta eius præcellentia, quanti eſſe apud cordatum Religioſum debeat.*

§. IV. *Magnum Deo, magnum Catholicæ Eccleſiæ, decus, ex tanta Religioſorum præcellentia.*

Sectio IV. Illatum I. Maledici in Religioſos maledicti.

Punctum I. Maledictionum Religioſis irrogatarum, non cauſæ, vt cauſæ ſigillatim recenſitæ, ac obiter reiectæ falſiloquij.

Punctum II. Vera maledictionum in Religioſos cauſa, non cauſis vt cauſis ſubiuncta.

Punct. III. Quàm graue Religioſis maledicere, & quoquomodo infeſtum eſſe.

Punctum IV. Maledictiones variæ in Religioſos intortæ.

§. I. *Maledictiones mentales, per iudicium deprecians.*

§. II. *Maledicta in religioſos intorta verbis aſperis.*

§ III *Maledictiones reales, ſiue per facta.*

§. IV. *Inſectatio Religioſorum per auerſionem commodorum.*

§. V. *Religioſorum vexatio per tentatam conuulſionem priuilegiorum.*

§ VI. *Miſcella Inſectationum, quibus Religio Clericorum Societatis* IESV, *peculiariter eſt exagitata.*

§. VII. *Maledici in Religioſos, ex omni conditione, gradu, ſtatu ac genere.*

§. VIII. *Maledicis in Religioſos repenſa maledictio.*

Sectio IV. Illatum alterum Benedicentes Religioſis, benedictionibus repleti.

Punctum I. Quàm Deo acceptum, ac meritorium ſit, ſe præſtare Religioſis beneuolum, eiſque benedicere.

Punctum II. Multiplex modus Religioſis benedicendi.

§. I. *Benedictio Religioſorum, præclara æſtimatione atque iudicio.*

§. II. *Benedictio Religioſorum, verbo viuo ac emortuo.*

§. III. *Benedictio Religioſorum, per opera.*

§ IV. *Fauores Rectorum Eccleſiæ, erga Religioſos Ordines, in ipſorum Ordinum gratiam.*

§. V. *Fauores Religioſis Ordinibus indulti in gratiam fidelium quibus iuuandis dant operam.*

Punct. III. Beneuoli erga Religioſos, benedicti.

Epimetrum. Ad Benedictos Domini Gratulatio.

AMOR

AMOR CRVCIFIXVS,

SEV TRACTATIO

DE AMORE NATIONIS,

& Cognationis in ſeruis Dei temperando.

SCOPVS SCRIPTIONIS.

AMOREM CRVCIFIXVM exhibeo, non illum, de quo Ignatius Theophorus Epiſtol. ad Rom. celebrante Magno Dionyſio cap. 4. diu. Nom. *Amor meus Crucifixus eſt.* Nec illum Auſonij Edyll. 6. penicillo expreſſum ex Treuirenſi pictura, reum ſine crimine, iudice nullo accuſatum: à noxiis quibuſuis ſuas in eum culpas referentibus damnatum: Sed alium aliquandò innoxium & labis purum, aliàs verè noxium, verè clauis ac cruce dignum, monſtro conſimilem, quippè ferinis tribus inſtructum capitibus, vt trifaucem de Tartaro Cerberum, vel tricipitem Geryona, liceat recognoſcere. Tres gradus amoris dico latitudine ſiue diffuſione obiecti diuerſos, in *Nationem* in *Patriam*, in *Cognationem*, de quibus Tullius, lib. 1. offic & Gulielm. Pariſienſis l. de Euch. c. 6. Quanquam quod patria ſit partialis natio, poterimus primum illud biceps caput, pro vnico ducere.

Quod autem amorem ſub eodem vocis Cortice ſtatuo multiformem, id eſt, aliquandò purum, atque probandum, aliàs cænoſum & auerſandum, Platonicam redolet Philoſophiam; quæ ediſſerente Apuleio, in Apolog. pag. 166. ſtatuit. [Geminam eſſe Venerem Deam proprio quumque amore & diuerſis amatoribus pollentem. Earum alteram *Vulgariam*, quæ non modò humanis animis, verumetiam pecuniis & ferinis ad libidinem imperitare; Alteram verò *Calitem* Venerem, prædita quæ ſit optimati amore ſolis hominibus & eorum paucis communi, nullis ad turpitudinem ſtimulis vel illecebris ſectatores ſuos percellentem: quippè eius amorem non amœnum & Caſimum, ſed contra incomptum & ſerium pulchritudine honeſtatis virtutes amatoribus ſuis conciliare, etſi quando decora corpora commendet, à contumelia eorum procul abſterrere. Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum, quàm quod admoneat diuinos animos eius pulchritudinis, quam priùs veram & ſynceram inter Deos viderint. Quapropter (vt ſemper,) eleganter Afranius hoc ſcriptum reliquit; *Amabit Sapiens, cupient cæteri.*] Hæc duplicis Veneris, ſiue amoris diſtinctio, deterſis fæcibus ab Apuleio admiſtis, ac nominatim præexiſtentiæ animarum ante corpora, bellè ad rem præſentem facit, & ab auctore libri de ſubſtantia dilectionis, Chriſtianis vocibus, eadem ſententia exprimitur. Vt igitur de Platonicorum ſententia ab Apuleio expreſſa, vna amoris origo nitens, laudata, probri expers, alia cænoſa, ſpurca, beſtialis, ac ferina: ſic in cognominibus amoribus, nationis, patriæ, & cognationis, cernitur multiformitas, ita vt vnus erga illa obiecta amor, noxius ac peſtilens, ſit habendus; alius verò innoxius, & illimis, nec homine duntaxat ciuili ac perpolito; ſed Religioſo quoque, & cæleſtibus ſollicito, ac per æternas regulas directo, dignus; A quo enim abhorreat, eos amare, in quos natura, etiam non corrupta, propendet? Alius verò eorumdem obiectorum amor, quem improban-

Amor Nationis, propriè, ex ſe purus.

dum dixi, non ex ipſis obiectis probrum habet, ſed ex acore & deprauatione ab adiunctis accedente, ob excluſam temperationem debitam; de qua proinde adhibenda curandum eſt, iſque eſt huius tractationis ſcopus.

Itaque quod Chriſtus vniuerſè circa amorem præſtare venit, ego circa nationis & cognationis amorem quomodò præſtari poſſit ac debeat, exponendum ſuſcipio. Non vetuit Chriſtus amare, iuxta D. Auguſtinum 4. confeſſ. cap 11. & 12 & ſerm. 3 ex 40. nouiſ. Quin potiùs amorem commendauit, ſed illimem ac purum, & vulgaribus fæculentiis liberum. Itaque amorem mutare venit atque detergere, non auferre. Sicut non vetuit, Chriſtianos lætari ac ridere, vt Saluianus lib. 6. de prouid Benè monuit: tantùm immoderatione ac intemperatione riſus interdixit, iubens riſum noſtrum in eſſe quaſi ſeruorum heri cruci confixi, & domeſticorum Regis ſpinea corona redimiti: quia nulla eſt expeditior ratio intemperatos quoſuis affectus temperandi. Hanc porrò amoris erga obiecta propoſita temperationem, ſuſcipio præſertim demonſtrandam quoad Religioſas perſonas, quibus ob ſtatus initi perfectionem, multò arctior iniicitur neceſſitas declinandi defectus, amoribus illis, ſi intemperati fuerint, comitantes. Præterquàm quod vix eſt Regularis cœtus, cui ex ſancti. Fundatoris inſtitutis ac propriis legibus, ea temperatio non ſit præſcripta, & quidem magna cum cura: proinde iuſtum ſit ſacris legibus ſuppetiari, & ſtudioſè anniti, ne quid aduersùs eas hac in parte obrepat, vnde collapſio totius Religioſæ diſciplinæ & ſanctorum inſtitutorum euerſio conſequatur. Non enim eſt machina vlla in Satanæ armamentario validior, & ad labefactandam ſacrorum inſtitutorum ſanctimoniam fortior quàm quæ ex inordinato erga obiecta propoſita affectus impetu ducitur. Itaque enitendum eſt, vt hos amores cum Chriſto crucifigamus, quod eſt eos temperare, & puros ac nitentes præſtare & per viam maximè compendiariam, ad propoſitam Religioſo perfectionem contendere.

SECTIO PRIMA.

De Amore Nationis in ſeruis Dei temperando.

CVR ordiar à temperatione amoris e ga nationem, non eſt ob curum. Nam natio latiùs patet, quam patria preſsè accepta, atque cognatio: accipitur preſsè *patria*, cum ad locum natalis ſoli reſtringitur. Alias enim pro ipſa natione vniuerſa vſurpatur; ita vt non *conterraneos* duntaxat, quod propriè eſt nomen ciuium eiuſdem vrbis, vt latè contendit Polycarpus Palermius, lib. 1. de Plinij patria cap. 2. ſed quoſcunque eiuſdem regionis homines comprehendat. Nec diſſimilis eſt polyonimia nominis *Gens*, quæ interdum nationem totam deſignat, in populos ſubdiuiſam, iuxta illud Maronis lib. 1. cap. 15. *Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.* In quam ſententiam plura Petrus Nannius in Miſcellaneis. Tomo 2. veter. Grammaticor. 1892. Ex quo vſu paſſim *Gentiles* appellantur, qui eiuſdem ſunt nationis, vnde Cledonius antiquus Grãmaticus obſeruauit, *patronymica* dici à ciuitatibus, *Gentilia* à prouinciis. Et tamen frequens eſt, Gentiles dici qui eiuſdem ſunt ſtirpis, & aliquo cognationis nexu deuinciuntur, vnde *nobilitas gentilitia*, & *inſignia gentilitia*, pro vnius alicuius ſtirpis nobilitate atque inſignibus. Mihi voces pro ſubiecta materia, nunc hanc, nunc illam induent formam: ita vt ex adiunctis in quibus verſabitur oratio, diiudicandum velim, quæ ſit voci cæteroqui ancipiti, ſubiecta notio.

CAPVT PRIMVM.

Amor Nationis ex ſe purus, nec Religioſum dedecens.

AMorem nationis ex ſe ſpectatum, poſſe eſſe labis purum, facilè eſt euincere, cum auctoritas ſuppetit & ex ſacris & ex profanis literis, quibus docemur, viros omni exceptione maiores, affectum erga Nationem ſuam cum laude prodidiſſe.

Sancti veteris Teſtamenti, nationis ſuæ ſtudioſi, Noëmus.

ANtiquiſſimum eſt exemplum Noëmi, quem S. Chryſoſtomus, l. 2. de prouid. ſignatè deſcribit, in diluuio incenſum amorem ſuæ nationis demonſtraſſe, concepto mœrore ad eum amorem cómenſo, ob Nationis ſuæ extirrationem. Horrorem ſtragis illius, graphicè exhibet præter Chryſoſtomum

ſoſtomum Baſilius Seleuciç orat 5.& vterque egregie expédit. ſannas, quibus illi æque peruerſi ac miſeri, laborantem in arcæ fabrica Noemum ferie- bant annos compluribus, per quos patientia Dei expectabat, ſi forte arcæ contuitus & denunciati diluuii metus, auerſas à recto mentes reduceret. Nec tamen aut im manis morum deprauatio, quibus iuſtum & ſanctum diuexarant impii homines, aut ſcommata, aut ſannæ quibus eum fabricandæ arcæ intentum violarant, reſtinxit in Noëmo amorem gentis ſuæ ac nationis. Sic dico, & infelices illos vniuerſali eluuione demerſos, eiuſdem cum Noëmo nationis fuiſſe aſſero, quia tunc vniuerſus mundus erat vna natio: quippè ante diluuium *terra erat labij vnius, & ſermonum eorumdem*, vt Moſes c. 11. Geneſ. notauit. Et quanquam admitteremus multas tunc fuiſſe nationes, tamen vna aliqua erat, quæ propriè dici poſſet Noëmi natio, & ipſa quoque exſcindebatur. Mœrebat igitur Noë ob exciſam nationem ſuam, quia amabat eam. Et quamuis Deus (quod Chryſoſtomus in c. 7. Geneſ. conſiderat) clauſit arcæ oſtium deforis, ne vir iuſtus obiectu tantæ cladis oculis vſurpatæ, incurreret mortis diſcrimen præ acerbitate doloris: tamen non potuit Noë non aduertere, per tam diuturnum tempus diuinæ iræ, (nempè primùm pluuiæ continuatæ ad dies & noctes quadraginta; tum aquarum per centum quinquaginta dies non imminutarum), deletam eſſe vniuerſam gentem quæ ſuper terram erat: id quod viro ſancto, cuius pectus ferreum non erat, ingens creauit cordolium amori commenſum. Nam tametſi gens illa erat indigniſſima amore viri iuſti, & iis fuerat moribus qui meritiſſimò iram Dei in nefaria capita deuocaſſent, tamen vir ſanctus, quod gens ſua eſſet, diligebat eam, & quod deleri ad internecionem meruiſſet, mœſtus ac gemens recogitabat. Nec aliunde petit D. Chryſoſtomus tom. 29. cauſam excuſandi inebriationem Noëmi, quam quod videns tantam ſolitudinem, & tot corpora ante oculos ſuos proiecta, & commune omnium ſepulchrum brutis & hominibus factum, amariſſimo eſſet corde; cui tantiſper recreando, vini vium tanquam triſtitiæ remedium de ſapientis prou. 31. ſententia adhibendum duxerit, quanquam vis remedij vlterius quæ cogitaſſet, progreſſa eſt, ipſo innoxio. Suppeditat ergo Noë, exemplum inſigne amoris erga nationem propriam.

Moyſes.

VVlgatiſſimum ſimulque illuſtriſſimum eſt in rem noſtram Moſis exemplum. Nam ingratiſſimè habitus eſt à nationis ſuæ hominibus. Signis ille de cœlo præter communem ſanctorum morem inclaruerat, imbres beneficiorum in populum ſuum demiſerat; quæ omnia ſunt ex ſcripturis notiſſima, & eleganti compendio perſtringuntur à Saluiano lib. 1. de prouid. expendente opera diuinæ in Hebræos prouidentiæ perſpexerat populus ille duræ ceruicis, quàm familiariter ad Dei colloquium adhiberetur Moſes, agens eorum quos ductabat cauſam; ſenſerat. [Fulgura, terribiles buccinarum cæleſtium ſonos, tremendum vndique totius aëris fragorem polos ſacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas, loquentem cominus Dominum, legem diuino ore reſonantem, inciſas digito Dei literas, rupices paginas, ſaxeum volumen, diſcentem populum & docentem Deum, ac mixtis penè hominibus atque Angelis, vnam cæli ac terræ ſcholam.] Hæc omnia in populi gratiam a Deo præſtita, Moyſe ſequeſtro & pro illis apud Deum peruentore, Venerabiliſſimum Hebræis tantum virum reddere par fuerat. Et tamen iugibus propè murmurationibus, ſeditionibus, rebellionibus, indocilis ac infrænis populi; eſt diuexatus. In faciem illi exprobrata eſt Tyrannis, & arrogata in liberum populum dominatio. Verbis ac factis vberi malignitate reſperſis, certatum eſt cum optimi Ducis beneficentia. Et quamuis identidem ſub præfecti ſui cauſam agente Deo rebelles ac increduli multabantur, vix tamen abſterſis ob illatam plagam lachrymis, ſuperſtites in idem cœnum reuoluebantur, omni probro onerantes Dei famulum: Ne lapidum quidem in eum coniectu abſtinentes, & malorum omnium, quæ ob peccata ſua excipiebant, cauſam infrunitè referentes in Moyſem. Quæ tam durata, támque ſolida eſt patientia, vt ad tantoperè prætractam animorum rebellium ceruicoſitatem non ſolueretur? Quis ex humano motu rem æſtimans, non expectaſſet ſumi pœnas de adeò dyſcolis, & contundi, vel etiam exſcindi, adeò in hoſpitalem populum?

Nihil tale Moyſi contigit; ſed ipſomet, Deo populi exterminium meditante, & multò copioſioris multitudinis, quæ docilior ac tractabilior futura eſſet, præfecturam ſpondente, homo gentis ſuæ ſtudioſiſſimus, renuit acquieſcere. Quinimo Apoſtolica philoſophia, vt loquitur S. Chryſoſtomus homil. de cruce & latro. anteoccupans mititatem Euangelicam, quo tempore non cenſebatur vetitum pro oculo oculum, dentem pro dente eruere, ipſe ex incenſa in nationē ſuam Charitate, popoſcit aut condonari noxam veſano populo, aut ſe deleri de libro vitæ. Magnus omnino & admodum inflammatus Moyſis erga nationem ſuam affectus proditur, per eam petitionem quomodocunque exponatur: quod varii variè præſtant. Nam aliqui cenſent Moyſem præoptaſſe ſibi damnationem ęternam, vltrò Dei fruitione, & quod conſequens eſt immenſa tormentorum mole grauandum, ſi admitteretur ea conditio: Ad veniam tamen populo exorandam & indemnitatem à iuſto ſupplicio diuinitus inferendo, eidem impetrandam, tanto ipſius Moſis incommodo, non cohorruiſſe virum gentis ſuæ amore flagrantiſſimum, cenſuere nonnulli. Alii petitionem Moyſi de temporali vita gratiæ interpretantur, quaſi contentus eſſet vita ſpiritual. in præſentia excidere, ſi id conducere poſſet ad populi cum Deo conciliationem. Vtramque interpretationem refert & approbat Tyrinus Exodi 32. ad v. 32. Quanquam mihi veriſimillimum eſt, Moyſem non niſi corporeæ vitæ ſuæ excidium optaſſe, vt populo exoraret conciliationem cum Deo, quod velle videtur S. Paulinus, Epiſto. 21. ſcribens ad Amandū cum agens de hac Moſis fiducia, ait; [Ille diuini colloquii particeps, non ſalutis ſuæ negligens, nec inſolens, Domino, profundi arte conſilii auſus eſt dicere *Domine dimitte illis, aut dele me de libro vitæ*, vt Domino iuſto debitum peccatori populo interitum comminanti, oblationem ſuæ potius abolitionis eis opponeret: diuinæ videlicet pietatis iuſtitiæque ſecurus vt parceret & iniuſtis miſericordia Domini; dum iuſtum non poteſt delere iuſtitia. Idem habet S. Auguſtinus q. 147. in Exod. ſed quacunque demum vita excidere voluiſſe Moyſem quis cenſeat, vt populo ſuo benè eſſet, perinde eſt ad rē præſentem. Magnum enim & valdè incenſum fuiſſe oportuit Moyſis amorem erga immorigerum & ingratum populum, cum per binas

SECT. I. CAP. I.
Amor Nationis propriæ, ex ſ: purus.

SECT. I. CAP. I. *Amor Nationis, propter eum ſe ſummi.*

nas quadragenas, (imo per tres, ſi Rabbinis, & Lirano, Caietano, Oleaſtro, Saliano, ac aliis credimus,) fecit quod ipſemet his verbis memorat c. 9. Deuter. *Procidi ante Dominum ſicut prius 40. diebus & noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens; propter omnia peccata veſtra quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocaſtis: Timui enim indignationem & iram illius, qua aduerſum vos concitatus, delere vos voluit.* Charitas digna homine familiariter agente cum Deo, quam propterea Patres elogiis cumulant, quoties in eam incidunt. Et perpulchrè Moyſi, ſtudioſiſſimus ac frequens eius laudum præco S. Ambroſius l. 1. de pœnit. c. 8. de ipſo pro populo immaniter reo preces fundente ſic habet. [Quod rogauit emeruit, & impetrauit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando ſe obiecit pro populo dicens. *Et nunc ſi dimittis illis peccatum, dimitte; ſin autem, dele me de libro vitæ,* Vides quia non tanquam delicioſus interceſſor & faſtidij plenus ſibi conſulat, ne offenſionem contrahat? Sed magis omnium memor, ſui immemor, offendere non timebat ipſe, vt plebem ab offenſionis periculo erueret & liberaret.] Idem alio loco l. 2. offic. c. 7. [Quantas Moyſes, à populo Dei illatas abſorbebat contumelias? Et cum Dominus in inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem ſubduceret. Quam miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, ſolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat, operibus; & cum Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari ſolebat.]

Ezechiel, Ieremias, Prophetæ reliqui.

MOyſi in flagrantiſſimo affectu erga gentem ſuam, S. Chryſoſtomus homil. de Aſcenſ. adiungit Ezechielem atque Ieremiam. Ille enim cap. 9. imminens populo ſuo excidium, tragicè deplorat, & auertere ſatagit. Hieremias verò cap. 7. eadem ex cauſa, totus eſt in Threnis atque lamentis; ac nominatim cum vetuiſſet Deus, ne oraret pro populo, quem perdere fixum habebat, orauit tamen & cadentem iam iam ſententiam retorſit, poſtmodumque vt abiecto luctu, lætitiæ ſe darent ob exoratam veniam, admonuit, vt S. Ambroſius l. 1. de pœnit. c. 8. animaduertit. Alibi hom. de cruce & Latro. inſuper Chryſoſtomus, eximiam Samuelis dilectionem erga ſuam nationem expendit. Grauiter enim ab ea læſus & abiectus, cenſuit tamen peccatum fore non exiguum, minuere erga eam affectum. Potuiſſent eodem iure, his Dei hominibus adiungi Prophetæ omnes. Nam quod non mulcerent populum vaniloquiis, ſed Deus in illis dolaret illum, & occideret in verbis oris ſui, transfigens telis verborum ignitorum rebelles lumini, idcircò Prophetas peſſimè habebant, verbis ac factis prodentes malignitatem, qua in ſanctos viros concitabantur. Et tamen nihil in ſcriptis propheticis occurrit frequentius, quàm ſanctorum Prophetarum in nationem ſuam incenſus amor. Nam & pro eius calamitatibus, impensè merent ac lugent, & de eius bonis lætantur, aguntque gratias quorum vtcumque, amantium eſt, & ad menſuram gaudij de proſperis, ac luctum de aduerſis, quantitas amoris eſt admetienda: vt proinde ex tanto ſenſu & commotione Prophetarum in bonum, planè ingentem ac incenſum eorum affectum in gentem ſuam liceat æſtimare.

Sancti in lege noua, nationis ſuæ amantes. Chriſtus.

NOn minus luculenta ſunt noui teſtamenti loca, in quibus ſancti Dei homines, (ſed ipſe in primis ſanctus ſanctorum Chriſtus Dominus), amorem in gentem ſuam prodidiſſe leguntur. Et quidem quod ad Chriſtum attinet, argumentum luculentum amoris in nationem ſuam præbuit, cum imminente paſſione, appropinquans metropoli totius nationis, (cum qua primaria vrbe, vaſtandam gentem vniuerſam præno cebat, in vberes lachrymas ſolutus eſt, præ amore, impendens genti ſuæ exitium ægrè ferente, vt notauit Euthymius Lucæ 19. & Ioannes Theſſalonicenſis orat. in vnguenti feras *initio.* Adiuncta huius facti, fuere planè ſingularia, & Chriſti affectum planè inſignem teſtantia. Nam tunc ei excuſſæ ſunt lachrymæ, cum inter fauſtas acclamationes ac plauſus populi, deſcendens è monte Oliueti Occidentem verſus, totam Ieruſalem habuit in proſpectu: Pertigerat verò ad eum locum, in quo primum Romani poſt annorum triginta inducias ad expectandam pœnitentiam conceſſas, caſtra ponere, ad obſidionem vrbis auſpicantes, ſunt aggreſſi. Et appetebat dies proximè ſub Paſcha, quo datum eſt obſidioni & calamitatibus vrbis ac gentis initium. Ex Ioſepho l. 6. c. 3. & 4. bellum Iudaicum deſcribente, prædictas circumſtantias colligere eſt. Hæc ergo prænoſcens Chriſtus, & tot mala in nationis ſuæ caput, facto ab eo loco, ac ſub eam diem initio, deuocanda proſpiciens, ingemuit *ſuper illam* ἐπ' αὐτῇ hoc eſt, *propter illam* ciuitatem, atque adeò gentem occaſione feſti Paſchalis velut in ſagena immenſo numero inibi concludendam & exſcindendam ferè vniuerſam, fame aut gladio. Et pro amoris ac mœroris magnitudine, interclusæ ſunt Chriſto voces, vt benè perpendit Euthymius; pſal. 54. & patet ex contextu hiante & abrupto. Ait enim *quia ſi cognouiſſes & tu*, adhibens Apoſiopeſim ei conſimilem, qua vſus eſt Dauid in perſona Chriſti, Iudæ immane ſcelus truncata illa oratione repræſentans, *Tu vero homo Vnanimis, Dux meus, & notus meus.* De cuius loci hiatu actum eſt in tractatione de Iuda c. 8. n. 9.

Suppetit aliud præterea argumentum, amoris quo pius Dominus gentem immeritam proſequebatur. Refugere viſus eſt Chriſtus propinquior factus paſſioni, calicem à Patre datum. Eam paſſionis detrectationem, ſi conſentaneè ad ſcita Patris eſſet poſſibilis, Origenes à l. 2. contra Celſ. Chriſto admiſſa refert, primum ad teſtandam carnis ſuſceptæ infirmitatem, ex qua de veritate humanæ Naturæ ſuæ, conſtare poſſet. Addit verò inſuper Origenes cauſam aliam deprecandi calicem hunc maximè facientem; nempè [quod videns Saluator qualia populus & Ieruſalem patientur in vindictam à Iudæis perpetrati contra ſe facinoris, non ob aliud quam propter beneuolentiam, qua populum illum perſequebatur, volens vitare futuram paſſionem dixerit, *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix hic*, ne portio mea propter audax in me facinus, omnino à te deſeratur.] Adhibet quoque Origenes Tract. 35. alibi, hanc interpretationem petitionis Chriſti, paſſionem ſi fieri poſſet, deprecantis, & S. Hieronymus, in c. 26. Matth. eandem interpretationem in ſuum Commentarium intrulit, ex Origene (vt videtur) depromptam. Ait enim de Chriſto [Poſtulat non timore patiendi, ſed miſericordia

ſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & ſignanter, non dixit, *Tranſeat a me calix*, ed *calix iſte*; hoc eſt populi Iudæorum; qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur.] Idem habet Beda. Nec ſuit cur Maldonatus, hanc Chriſto cauſam detrectandi ſecundum naturalem motum calicis, ſublatum vellet: quaſi ſicta eſſet, Chriſtus non timuiſſet mortem: Quamuis enim extra dubium ponatur, Chriſtum mortem timuiſſe, tamen potuit eam timere, cum ex aliis motiuis, tum ex hoc de quo agimus, impendentis ex ea ruinæ populo ſuo, quem ſingulari amore proſequebatur.

Ex cruce itidem tanquam ex edita ſpecula, quo eſſet in populum ſuum affectu monſtrauit Chriſtus, plane exquiſite. Ibi enim expandit manus ſuas amplexabundus, ad populum non credentem & contradicentem ſibi. Eſaias cap. 65. quidem iuxta vulgatam, non niſi *incredulum* dixit. Sed Paulus Rom. 10. ſecutus 70. legit, *ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα, incredulum, & contradicentem.* Vtrumque enim vox vnica *Sorex*, apte ſignificat: ita vt in plerisque ſcripturis, proteruiam & contumaciam aut intractabilitatem indomitam ſonet. Ad huiuſmodi ergo populum contradictorem in dictis; in factis obſeruatorem, in tormentis illuſorem, in morte exprobratorem, vt piè expendit Sanctus Bernardus ſerm. 20. in Cantic. omni denique barbarie in ipſum furentem, (quod totum, *talis contradictionis* nomine complexus eſt Apoſtolus, Hebr. 12.) expandit Chriſtus tota die manus: quod S. Leo, ſer. 8. de Paſſ. & S. Hieronymus in cap. 65. Eſaiæ de Chriſto, in cruce expaſſis brachiis pendente, acceperunt. Sic verò expandens manus, (qui geſtus eſt hominis ad complexum parati,) parati amorem erga truces Gentiles ſuos teſtatum dedit; cum ea ipſa præparatione ad excipiendos & in gratiam admittendos, quos experiebatur adeò infenſos; tum oratione fuſa pro iiſdem tranſgreſſoribus, quorum ſcelus atrociſſimum extenuare conatus eſt ab ignorantia. Nam quamuis non erat ignorantia eiuſmodi, quæ par eſſet omnem prorſus noxam amoliri; cum & miraculis & vaticiniis Prophetarum aſſidue inſonantibus, ac perſpicuè in Chriſtum cadentibus, ſatis ſuperque ſoluta videri poſſet ignorantia: tamen eo modo quo omnis peccans eſt ignorans, dum non expendit ſuis momentis quod facit; neſciſſe dicti ſunt quid facerent: nam ſi cognouiſſent; Dominum gloriæ non crucifixiſſent, vt Apoſtolus 1. Cor. 2. quoque annotauit. Ex qualicunque ergo Iudæorum ignorantia, amator eorum Chriſtus, malis, quæ eos manebant, in ſummis ſuis doloribus indolens, captauit veniam pro eo (vt creditus Cyprianus dixit ſerm. de paſſ.) *ſcelere ſcelerum, ac peccato peccatorum.*

Deipara.

AFfectu erga gentem ſuam, ſuppare cum filij patientis affectu B. Mariam exhibet. S. Amphilochius orat. in S. Deipar. exiſtimans, gladium qui pendente Chriſto pertranſiit matris animam, iuxta Simeonis prænunciationem, fuiſſe dolorem acerrimum, de eluuione malorum inundatura nationem ſuam ob cædem Chriſti. Nam dolorem de Chriſti cruciatibus, leniebat triumphus, de Satana & inferno per eam cædem comparatus: itemque cita reſurrectio, demorante ad veſperam fletu, & ad matutinum lætitia. At euerſio populi ſui, nullo fine concludenda, obuerſabatur animo Virginis: qua proinde doloris gladio inde transfigebatur; potiùs, quàm ex dilectiſſimi filij cruciatibus. Ita quidem Amphilochius. Et quamuis contentio illa dolorum Deiparæ ex clade gentis, ex filij cruciatibus non videatur probanda: tamen ad gentis quoque Iudaicæ ruinam, gladium Mariæ pectori infixum referunt non ignobiles interpretes: qui gladium ad vniuerſa mala à Simeone Virgini prænunciata referentes, conſiderant, inter ea mala, recentiſſimam Iſraelis euerſionem, in cuius magna ex parte ruinam poſitus Chriſtus à Simeone dictus eſt. Itaque Beda, Lucæ 2. Ianſenius, Maldonatus, Franciſcus Lucas, atque Cornelius. Eſto obiectum gladij, ſiue doloris maximè ſenſibilis qui Virginem tranſuerberauit, fuerit immenſa moles cruciatuum filij, vt optime expendit Toletus in c. 2. Lucæ annot. 57. Nec dubitauit Georgius Nicomedienſis, orat. de Maria ad Crucem ſtante, ſupra quorumuis Martyrum quantumcunque immanes cruciatus, dolorem ex tunc adacto Virgini enſe, ſuſtollere. Cum hoc tamen probe cohæret, vt pia mater ob gentilium ſuorum ruinam ad illam tam agnô Dei cædem, vindice Deo conſecuturam, tranſuerberata dicatur.

Apoſtoli omnes, ſed Paulus nominatim.

DE amore Apoſtolorum in nationem ſuam Iudaicam, argumentum inſigne ſuppeditant varia loca Epiſtolarum apoſtolicarum, quibus monſtratur, Apoſtolos per varias orbis partes diſperſos ſinorum Hebræorum curam geſſiſſe peculiarem. Crediderant ſanè in Chriſtum ad Petri & aliorum Apoſtolorũ prædicationem omnino multi. Itaque cum alij ex eadem gente, incircumciſi corde, in eos pluſquam in gentiles conuerſos ſæuirent, vt S. Chryſoſtomus in cap. 2. ad Galat. obſeruauit, ſpoliati ſunt bonis, quam rapinam bonorum ſuorum cum gaudio tulerunt, cognoſcentes ſe habere meliorem & manentem ſubſtantiam, vt Apoſtolus Hebr. 10. ad eos ſcribens dixit, & alibi 1. Theſſalo. 2. confirmat. Quod enim quiſpiam Flau. Dexter in chron. ad ſolos Hebræos Hiſpanos, eam Epiſtolam ſcriptam dicit, non videtur veriſimile, cum ſcripta potiùs videatur & ad diſperſas duodecim tribus, vt fecere Iacobus, & Petrus, & ad eos quoque Hebræos qui Hieroſolymis ac per Iudæam hæſerant, vel latentes, vel anguſtiis multis à rabie Hebræorum obduratorum affecti. Ad hos nominatim, quod eſſent egentiſſimi, conſolatio per litteras, & ſubſidia per corrogatas eleemoſinas, tranſmittebantur ab Apoſtolis qui gentes recens conuerſas excitabant acriter ad hæc officia; & vt per vnam Sabathi, (id eſt, die dominica) conuenientes ſeponerēt, quod in hos pauperes collaturum vellent. Id quod curandum Paulo & Barnabæ cum ad gentes Euangelio imbuendas pergerent, enixe commendarunt primarij Apoſtoli, ipſo Paulo teſte ad Galat. c. 2. & 1. Cor. 16. ac 2. Cor. 8. Et fideles, Doctori optimo auſcultantes, etiam quandoque ſupra vires, (vt de Macedonibus ſcribit ipſe Paulus,) ſuppeditabant eleemoſinas, quibus abſque ſuſpicione, per Paulum colligendis & tranſmittendis, comes peregrinationis, in *gratiam*, id eſt charitatem à Paulo miniſtratam, eſt adiunctus. Mentio eſt eiuſdem ſollicitudinis Apoſtolorum in hos pauperes gentis ſuæ, Romanor. 15. & Actor. 11. & alibi. Illuſtratque diligenter hoc punctum Laurentius à Villauincentio l. 1. c. 2. & 3. in ſua ſacra pauperum Oeconomia.

SECT. I.
CAP. I.
Amor nationis propriæ in ſ[illegible]

Sed

SECT. I.
CAP. I.
Amor Nationis proprius ex ſe patet.

Sed cum de hoc Apoſtolorum affectu in nationem ſuam alia multa poſſent proferri penitus variis eorum dictis, ac factis, ſat erit B. Paulum adducere, qui pleriſque locis ſtudium hac in parte ſuũ declarat, ſed manifeſtiſſimè & magna adhibita verborum emphaſi ſcribens ad Romanos, cap. 9 *Veritatem* (inquit) *dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium; & promiſſa, quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt per omnia Deus benedictus in ſecula.* Inſignes ſanè, amandi gentem ſuam titulos addenſat his verbis Apoſtolus, magnam Doctoribus antiquis iuxta ac nouis diſſerendi materiam, præbens ſuo illo deſiderio anathematis à Chriſto pro fratribus ideſt, pro populo ſuo ac natione Hebræa. Componens autem Rupertus, lib. 4. in Exod. cap. 30. hoc Apoſtoli votum cum petitione Moſis, vt deleretur de libro Domini, niſi parceret genti peccatrici, populo pleno peccatis; negat vllius eſſe, niſi amore feruentiſſimi, alterutrius amorem in Hebræos penetrare. [Nam eadem (inquit,) charitate & hic locutus eſt; & ille: ſed paulo differt in verbis, dum hic anathema cupit eſſe pro fratribus ſuis: hic autem deleri ſe concedit cum illis. Ille ſua ſeparatione vult ſalutem fratrum redimere: hic, ſi non poſſit eorum ſalutem obtinere, concedit ſe cum eis de libro viuentium deleri; vel anathema exiſtere. Vtriuſque dicta magni ponderis ſunt, & noſtras vires excedunt. Magni etiam viri, hactenus vtramque ſententiam humeris ſuis vexauerunt, & rem ſicut eſt, ſatis verbis exprimere non potuerunt. Eſt enim hoc penè ineffabile, nec niſi aliquid de eiuſdem Charitatis ſpiritu habentibus, ſaltem ſenſu perceptibile, vt quomodò homo Dei familiaris, qualicunque cauſa vel ratione, hoc animo ſuo admittere poſſit, vt à Deo anathema eſſe vel de libro eius concedat ſeipſum deleri: quomodò in iſta conceſſione non ſolum nullam incurrat pœnam aut culpam, ſed etiam ampliorem apud Deum mereatur gratiam. Nobis hoc ſolum de tanta re ſublucet, quia Deus charitas, Deus humilitas eſt; & cum per humilitatem ſiue charitatem, à Deo quiſquam procul abſiſtit, indigniorem ſe indicans eis pro quibus intercedit; miro modo quantum ſe deprimit, tantum aſcendit: quantum condemnet, tantum iuſtificat; quantum à Deo quaſi recedit, tantum illi proximus fit. Diuitias animi eiuſmodi, nos frigidi atque inopes ignoramus, & idcirco cum legimus illum anathema ſe eſſe optantem pro fratribus, illum de libro Dei deleri, ſe concedentem; aut dicta diſſimulamus, aut in ſenſum exilem grauiſſimè prolata detorquemus. Cæterum quem ſpiritus idem tetigit, videt ex parte aliqua, quantum talis habitus mentis apud Deum valeat, pro ſua reuerentia.]

Eximium iſta Pauli non ſecus ac Moſis in gentem ſuam affectum produnt, de Ruperti ſententia. Nec aliter de Paulo ſimul ac Moyſe Caſſianus, collat. 9. cap. 18. exponens enim purum ac incenſum charitatis ac Sanctificandi nominis diuini affectum, poſt alia, ait. [Denique vas electionis hoc repletus affectu, etiam Anathema fieri optat à Chriſto, dummodò ei familia multiplex acquiratur, & ad gloriam ſui Patris, ſalus totius Iſraeliticæ plebis accreſcat. Securus enim optat interire pro Chriſto, qui nouit neminem mori pro vita: Et iterum; *Gaudens* (inquit) *quando nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis.* Et quid mirum ſi vas electionis, pro Chriſti gloria, & fratrum ſuorum conuerſione, gentiſque priuilegio, anathema fieri, optat à Chriſto, cum Michæas quoque Propheta, vellet ſe mendacem fieri; & ab inſpiratione ſanctus ſpiritus alienum, dummodò plagas illas & captiuitatis exitia quæ ſua vaticinatione prædixerat, plebi Iudaicæ nationis euadat; *vtinam* (inquiens) *non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potiùs loquerer.* Vt prætermittamus illum legiſlatoris affectum, qui cum fratribus ſuis, etiam perituris; non renuit interire; dicens; *Obſecro Domine, peccauit populus iſte peccatum magnum; aut dimitte eis hanc noxam aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.*] En coniunctos à Caſſiano æquè ac à Ruperto, Moyſem & Paulum, quoad affectum incenſiſſimum erga gentem ſuam. Et quoad Paulum, præiuit vtrique Nazianzenus orat. 1. ingentem ſpiritus feruorem in Paulo ſuſpiciens, qui Chriſtum pro nobis factum maledictum piè æmulatus ſit, volens ipſe quoque, pro fratribus eſſe maledictum & anathema. Sed illud eſſet anathema quo à Chriſto abiungi voluerit, vnde ingens affectus illius incenſio petenda eſt, reſtat declarandum.

Frigidius aliqui referente Caſſiodoro, l. de amicitia pag. 1234. illam à Chriſto ſeparationem pro fratribus optatam ſibi ab Apoſtolo, referendam cenſuerunt ad ſeparationem Pauli [à ſecreto meditationis, & ab orationis inſtantia, & à contemplationis arcano. Nam pro fratrum ſalute quodammodò ſeparabatur à Chriſto, qui cum orando & contemplando vacaret, ad mundi ſtrepitum, & ad labores ſeculi rediens, quodammodò auellebatur à Chriſto.] Hoc dico frigidum eſſe, quia non præfert eum incenſum affectum quem Patres paſſim in Paulo celebrant, declarantes hanc eius petitionem: imò planè alienum eſſe à mente Apoſtoli, mox patebit. Eſto, ſit aliqua à Chriſto propter Chriſtum ſeparatio, meriti haud quaquam ſterilis, ſic ſe habere, vt benè tradidit S. Anſelmus apud Edinerum, l. 2. vitæ §. *Venit. ad* & S. Bernardus, ſerm. 50. in Cant. atque in Inuectiua Bleſenſis, cum de pellice tamen ea abiunctio à contemplationis dulcedine, multum abeſt abhorrere anathematis quod ſibi Paulus optabat.

Non niſi mortem temporalem ſibi optaſſe Paulum, cenſet S. Hieronymus, q. 9. ad Algaſ. cui adſcribitur S. Gregorius 10. mor. cap. 7. ſed quomodò mors corporis ſit ſeparatio à Chriſto, ægrè intelligitur. Vix ſciuiſſe Paulum quid peteret, & præ affectus magnitudine, non ſatis diſpexiſſe quid optaret ſignificat Caſſiodorus l. de amicit. Præfatus enim *errare*, cum qui pro ſalute aliorum, ſuam diſcrimini obiicere, nedum prodigere velit, ac proinde Paulum æquè ac Moyſem à ſtulto illo deſiderio procul omninò abfuiſſe, ſubdit. [Moyſes quaſi materno affectu populum diligebat Mater autem paupercula, ſi nõ alias intromittatur ad deſiderabiles ſibi cibos, niſi foris filium derelinquat, quid diceret illa, niſi, aut mecũ admittas filium meũ, aut vtrique interdicas introitum? Affectũ quidẽ Moyſes prodidit quẽ habebat ad populũ, ſed conſilium non expreſſit. Sic etiam Apoſtoli verba ex affectu potius, quam ex conſilij iudicio cenſeantur.] Videtur Caſſiodori mẽs eſſe, & Moyſem & Paulum, Ebrios (ſi fas eſt dicere) affectu erga gentem ſuam, præ flagrantiſſimo deſiderio

ſiderio auertendi ab ea malum ingens, & bonum oppoſitum eidem conciliandi. Hyperbolicis verbis expreſſit affectum ſuum, ea interponendo, quæ re vera fieri nollent. Neque enim abhorrere ab vſu ſcripturæ locutiones hyperbolicas exploratum eſt, & ex variis Patribus alio loco illuſtratum. De Æquiuoc. cap. 2. n. 15. quibus nunc addo Theophanem Ceramæum, homil. 57. *ad finem* & qui ex inſtituto id argumentum verſauit nec ita pridem ad manus meas deuenit, Maximilianum Sandæum in opere de hyperbole toto lib. 1. Accommodatiſſimũ in rem præſentem eſt, hyperbolicum dictum Lothi, qui cupidiſſimus aduenas in tutela ſua conſtitutos eripiendi contumeliæ quæ illis à nefando populo impendebat, obtulit filias ſuas Virgines ad ſtuprum; non animo inducendi ad malum minus, ad deuitandum maius, (vt pleriſque eſt viſum, qui propterea admittunt Lothum peccaſſe; cum non liceat Patri, minus illud malum filiabus ſuis præſertim iam deſponſatis accerſere, vt alienum maius auertat:) ſed vt rectè vidit Caietanus, in caput Geneſ. 19. ad auertendum tanta ſua ſubmiſſione populum à cœptis nefariis. Qua loquendi ratione hyperbolica Iudas flectendo Patri dixit, *duos filios meos interfice, ſi non reduxero tibi Beniamin*: & Dauid Ionathæ 1 Reg. 20. *ſi eſt iniquitas in me, tu me interfice & ad patrem tuum ne introducas me.* Non quod hanc oblationem acceptari vellent, aut crederent; ſed vt tam humili ſubmiſſione flecterent quos rogabant, & exorarent poſtulata. Idem ergo à Lotho factum cenſeri poteſt. Eaque ratione iuſtus vir Apoſtolo laudatus, ſubducitur immani flagitio proſtitutionis filiarum, certis viris iam deſponſatarum. Æquè ergo cogitare licet, Moyſem ac Paulum magno deſiderio ſalutem populi ſui ſitientes, obieciſſe Deo ſcriptos in anathemata; vt tãta demiſſione, gentis ſuæ ſalutem cupidiſſimè expetitam exorarent, quamuis oblationem eſſe acceptandam nec exiſtimarent, nec cuperent. In ea ipſa tamen hyperbolica oblatione, expreſſio incenſiſſimi affectus erga populum prodebatur.

Vt mittas faciam alias omninò multas interpretationes quas ad hunc Pauli locum addenſant Interpretes, præſertim Eſtius, Pererius, Cornelius, Toletus, & inter Scholaſticos Suares diſp. 9. de Char. ſect. 1. num. 4. Mihi ea maximè probatur, quæ eſt eruditi Ambroſij atque Anſelmi, ac Caietani ad hunc Apoſtoli locum, ac S. Thomæ agentis de charitate ordinata. Affirmant iſti, Apoſtolum expoſiturum populi ſui reprobationem, ne putaretur animo eſſe ab eis auerſo, conteſtatum eſſe, quam incenſo affectu & tunc, & iam olim, proſecutus eſſet, quos tantoperè à Deo olim dilectos videbat. Et initio quidem, cum eſſet patriis inſtitutis addictiſſimus, tam cæco gentis ſuæ amore actum eſſe, vt vellet & à Chriſto, & à Chriſtianis, cum execratione ſeiungi, propter gentem ſuam, cuius gloriam verebatur imminuendam honoris Chriſti amplificatione & religionis Chriſtianæ incremento. Ad illud ergo tempus, quo Apoſtolus adhuc patriis inſtitutis inhærebat, pertinet deſiderium quo ſe flagraſſe ait, vt eſſet à Chriſto anathema pro fratribus ſuis. Iuxta quã interpretationẽ ceſſat inexpedibilia dubia, quomodo Paulus iam Chriſtianus, potuiſſet pro Iudæorum ſalute, vel damnationem æternam ſibi optare, vel diuinæ gratiæ diſpendium, cum æterna ſua, aut temporali animæ pernicie; quod ſibi in mentem non veniſſe ſatis inſinuat Apoſtolus, non dicẽs, *Opto ego ipſe*, ſed *optabam* in tempore præterito, cum ſcilicet tam cæco gentis ſuæ amore agebatur, vt Chriſtum pro ea haberet exoſum. Neque ſic exponens verba Apoſtoli, officio præſenti inſtituto, quo eius iam ſancti iamque Apoſtoli amorem erga gentem ſuam, declarandum ſuſcepi. Nam & hunc ſuum amorem tunc cum iſta ſcriberet, valdè flagrantem, exprimit diſertè in capitis fronte Apoſtolus: Et illum ipſum intemperatum ac iniquum amorem gentis ſuæ quo in Iudaiſmo flagrauerat, adducit in confirmationem præſentis ſui affectus erga eandem gentẽ. Nam etſi pridem fecerat amorem, priùs impurum, tamen à ſummo amore obiecti ex genere ſuo amabilis, cuiuſmodi eſt natio, non deſciuerat ad odium, vel ad amorem intra honeſti fines remiſſum.

SECT. I. CAP. I. Amor Nationis, proprie ex ſe purus.

Sancti iam extra viam poſiti, amantes ſuæ nationis.

QVid mirum, ſanctos Dei homines, dum adhuc carnis oſtreo concluduntur, diligere gentem ſuam, cum etiam illati iam cœlo, & corpore à nobis ſegreges, affectum erga ſuos non deponant, imò quia in Deum magis feruent, in ſuos quoque, ferantur ardentiùs? Notatum id eſt de Onia & Hieremia, etſi nondum reſerato cœlo, tamen in loco pacis conſtitutis, vt narratur in Machabæorum hiſtoria l. 2. c. 15. Iudas enim Machabæus, erigendis ſuorum animis, *Expoſito digno fide ſomnio, vniuerſos lætificauit. Erat autem huiuſmodi viſus. Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos, &c. manus protendentẽ orare pro omni populo Iudæorum. Poſt hoc apparuiſſe & alium Virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum. Reſpondentem vero Oniam dixiſſe; Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael. Hic eſt qui multùm orat pro populo & vniuerſa ſancta Ciuitate, Ieremias Propheta Dei. Extendiſſe autem Ieremiam dextram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem; Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſrael.* Gladius hic *ſanctus*, id eſt, benedictus, & diuino munere delatus, non erat gladius materialis, reipſa exhibitus Iudæ, ſed qualis in viſione imaginaria porrigi debuit, in diuinæ protectionis argumentum, & pignus victoriæ precibus Ieremiæ exoratæ. Monſtrat porrò apertè hæc vera viſio, haud falsò Ariſtotelem 1. Ethic cap. 11. pronunciaſſe, etiam in altera vita, beatos tangi ſtudio ſuorum, & eorum caſibus, prout poſſunt, ſalua fœlicitatis incolumitate, condolere, & in omnibus neceſſitatibus opitulatores atque auertuncos malorum adeſſe, ex amore quo in eos feruntur. Et hunc eſſe Chriſtianis peculiarem titulum venerandi ſtudioſiùs cælites populi ſui, quod retineant in eum Charitatis viſcera, tractatum eſt in Hagiodulia ſpeciali, puncto 7.

Sanguis cum laude pro Natione ſua fuſus.

HOneſtas ergo amoris erga gentem & nationem propriam, euicta ſufficienter eſt exemplis ſanctorum, etiam iam ex hac vita traductorũ. Sed non eſt inſuper prætereundum argumentum ex eo ductum, quod videamus viros pietatis nomine claros, nemine obſtrepente, imò collaudantibus & maximè probantibus omnibus pro nationis ſuæ tutela aut commodo, pleraque præſtare, vel ardua vel magnarum impenſarum indiga, & tamen arbitrari obſequium ſe præſtare Deo, ſi in ea cauſa, nec vllis impenſis, nec (ſi res ferat,) vel vitæ ipſi ſuæ parcãt. Non eſt quod ſignentur exẽpla, cenſentiũ pulchrũ & decorum eſſe mori pro patria, id eſt, pro natione

SECT. I. CAP. I. *Amor nationis propriæ, ex ſeparati.*

ſua & regione, patriam ſtrictè dictam complectente, cum tales ſint, quotquot in bello iuſto, occumbunt, non conducti mercede ad bellandum. Nam mercenarij milites, ſunt interdum exteri; ſed qui abſque militari ſtipendio ad bellum prodeunt, fere ſunt nobiles, quos nationis amor ad aſcendum vel ſubigendum hoſtem euocat. Quod ſi in tali bello cadant, nemo eam mortem habuerit pro ingloria vel minus fœlici: quin potius immortalium honorum ſementis ducitur, non alia de cauſa, quàm quia oppetitur ex amore nationis, cui tuendæ fuit opportuna, aut neceſſaria: Habent varia in hanc rem, ex ipſis quoque Ethnici, Clemens Alexandrinus, l. 4. ſtrom. atque Theodoretus, l. 8. contra Græcos & alij annotati, tractando fortitudinem bellicam. lib. 5. de virtut. n. 49. & 50.

Qui verò ſanguinem alia ratione pro natione ſua fuderunt; qui nunquam, opibus, & facultatibus non pepercere, ſunt enim opes tanquam hominis, vt cum Auguſtino, & aliis late dico in Tractatione de Martyrio) parte. 1. c. 5 à num. 2. alij fundandis Xenodochiis, alij conſtruendis Noſocomiis, quidam Collegiis erigendis, in quibus nationis ſuæ adoleſcentes inſtruerentur, ſuum erga nationem propriã affectum magna omnium approbatione ſunt teſtati: Non eſſet operoſum, implere iuſtum volumen exemplis ad vnumquodque horum capitum pertinentibus; cum nihil vniuerſo ferè orbe occurrat frequentius; ſed Romæ præſertim, quæ cum ſit Chriſtianitatis Metropolis, ad quam propter potentiorẽ principalitatẽ omnes quæ ſub ſole ſũt Eccleſias conuenire neceſſe eſt, vt S. Irenæus l. 3. c. 3. præclarè iam olim aſſeruit; erigit Deus corda multorum primariæ cuiuſque nationis ſiue Magnatum, ſiuè locupletum, vt vellent, genti ſuæ ad radicem fidei Catholicæ & ſolum ſanguine principum Apoſtolorum & Martyrum prope innumerabilium largè perfuſum, proſpicere, & ſanis & ægritudine fortè corripiendis, cum illhuc pertigiſſent. Signo exempla nonnulla quæ plenius illuſtrata dabunt autores ſcriptionum de pietate Romana, Camillus, Fanuccius, in lib. de pietate Romana & Theodorus Amydenus, parte 1. operis eiuſdem argumenti. ex quibus fere illa libaui, quæ non iniucundum fuerit legere, & ad firmandam veritatem, pro qua hic ſatago, ſunt plane opportuna.

Fundata magnis impenſis Xenodochia, pro ſua natione.

Peregrinorum ſuæ nationis hoſpitalem domum, habent Romæ Theutonicij, erectã anno 1350. occaſione Iubilæi à Clemente VI. indicti cui domui quod primi fundatores Theutonici, ab hoſpitibus preces pro anima ſua popoſciſſent, inditum eſt nomen *ab Anima*. Gallis quoque, eſt ſua domus Hoſpitalis ad S. Ludouici ædem ſacram, gentis illius hominum pia liberalitate fundata, & aucta in Thermis Alexandrinis. Hiſpanis ſuis, hoſpitalem domum ad circum Agonis erexit Alphonſus de Paradinas, Epiſcopus Ciuitatenſis anno 1450. dicauitque S. Iacobo Hiſpaniarum patrono, & S. Ildefonſo Toletano. Aragonij tamen, & nexi cum eis Baleares ac Caſtetani, ſeorſim ſuis ab anno 1495. Hoſpitium S. Mariæ Montis Serrati auſpiciis conſtruxerunt, & valde auxerunt anno 1570. Luſitanis Matrona clariſſima Ioanna de Vlyſſipone anno 1450. occaſione Iubilæi cœpit Xenodochium; cui poſtea Antonius, & Georgius qui dicti ſunt Cardinales Portugalenſes, accito patrono S. Antonio Vlyſſiponenſi, incrementum dedere. Angli 1198. ſedente Bonifacio 9. gentis ſuæ peregrinanti, hoſpitalem domum erexere, Ioanne Shepardo opus inchoante, & ſe ac vxorem in numerum peregrinorum ſuæ nationis addicente. Permoti autem ſunt ad hoc opus, euentu miſerando mulieris Anglicanæ peregrinæ, quæ noctu per vrbem vagans, feris in pabulum ceſſit. Gregorius XIII. variis ex Anglia peregrinis, ob ciuitatem illhic Catholicam religionem Romam aduentantibus, ſalua hoſpitalitate, Collegium alumnorum Anglicanæ nationis, hoſpitio adiunxit, nec non hoſpitalem pro nautis eiuſdem gentis domunculam Transtyberinam, non procul ab æde D. Chryſogoni. Polonis ſuis hoſpitalem domum curauit æternæ memoriæ Antiſtes Card. Hoſius anno 1580. ſub S. Saluatoris ac. S. Staniſlai nuncupatione, ad radices Capitolij. Flandri, & conterminí iiſdem populi, hoſpitalem ſuis peregrinis domum, ante annos quingentos à S. Iuliano dictam erexere, quã Robertus Flandriæ Comes anno 1194. Roma pertranſiens inſtaurauit, & ampliore cenſu inſtruxit. S. Stephanus Rex peregrinatus Hieroſolymam, & Romam, ac Conſtantinopolim, ſuæ gentis peregrinis in ſingulis illis Ciuitatibus domum hoſpitalem conſtituit, Romæ ad S. Petrum in Vaticano, inſtauratam anno 1497. à Regis Vladiſlai procuratore. Hoſpitium peregrinorum Bohemorum conſtruxit in regione pontis Adriani iuxta ſacram B. Luciæ ædem, primùm Spironeus Rex eorum primus, cum Romam peregrinatus eſſet anno 931. Inſtaurauit illud & locupletauit Carolus IV. Bohemorum Rex anno 1357. Suecis ſuis, imò vt habet inſcriptio, Suecis, Gothis, ac Vandalis S. Birgitta anno 1344. hoſpitalem domum cõſtituit ad campum Floræ, inſtauratam à Leone X. anno 1513. opus vrgente Olao Magno, Vpſalenſi in Gothia Archiepiſcopo, qui aderat. Hoſpitalis domus Scotorum in Campo Martio ſtructa, ſub auſpiciis S. Andreæ regni Scotiæ patroni, deficientibus ob hæreſim hoſpitibus ceſſit ſodalitio Corporis Chriſti, ſalua obligatione hoſpitalitatis in Scotos aduenas, ſi qui fortè aduenirent. Illyricis agente apud Paulum II. & Sixtum IV. Regina Baſſinæ, ac Seruiæ deſpota, domus Hoſpitalis à tribus gentis illius Epiſcopis tunc Romæ degentibus inchoata, incrementum inſigne accepit: cui colophonem poſtea appoſuit Sixtus V. quod ædis ſacræ Hoſpitali coniunctæ, egiſſet alias Titularem. Inſubres ſiue Lõgobardi, popularibus ſuis hoſpitalem domum titulo S. Ambroſij anno 1471. erexerunt. Genuenſibus Nautis, Meriadux Cicada Fiſci Apoſtolici Curator, hoſpitalem domum fundarat anno 1483. quam poſtea Ioannes Baptiſta Cicada Genuenſis S. R. E. Cardinalis, auctam ædificiis ac redditibus, patere voluit omnibus Liguribus. Natio Britannica Armorica, Xenodochium ſibi in Campo Martio pridem erectum, inſtaurauit anno 1578.

Item Noſocomia, atque Collegia.

NOſocomia certis Nationibus addicta, magnã partem Romæ cum Xenodochiis ſunt cõiuncta. ita vt quamuis ſeorſim ſani ac valentes peregrini illius nationis, ſeorſim autem ægri excipiantur, eadem tamen vtriſque ſit domus. Sic aduenæ Hiſpani Caſtellani excipiuntur, & omni ſtudio curãtur apud S. Iacobum. Tarraconenſes quos in Aragonenſes tranſmutauit poſteritas apud ædem B. Mariæ Montis Serrati. Galli ad S. Ludouicũ, Luſitani ad S. Antonium Vlyſſiponenſem; Flandri ad S. Iulianũ.

Illyrici

SECT. I. CAP. I. *Amor Nationi, propter ea ſe ſuent.*

Illiryci & Dalmatæ ad S. Hieronymum. Aliquæ tamen nationes peculiaria ſibi Nolodochia ægris ſolis curandis addicta habent, vt Florentini ad Tiberis ripam non procul à ſacra gentis illius æde à D. Ioanne nuncupata. Senenſibus par cura fuit ſtructo in via Iulia apud ædem ſacram D. Catharinæ Senenſis ſuis popularibus ægris Noſocomio. Bergomates propè forum Antonini ægris gentis ſuæ excipiendis ſimilem hoſpitalem domum habent, & exceptos ibi gentiles ſuos curant magna charitate: Sunt hæc quoque argumenta valida, honeſtatis Deo & hominibus probatæ, in fouenda gente ſua elucentis.

Iam quod attinet ad conſtituta Romæ Collegia certarũ, nationũ è quibus euocati adoleſcẽtes bonas literas haurirent, & ſanã ac purã fidem cum pietate ſugerent, non ſunt proferenda quæ varij cum Pontifices, tum Magnates externis erexerunt, cuiuſmodi eſt Germanicum ac Hungaricum quod cœpit Iulius III. & cumulauit verè Pater & fidei curator vniuerſalis, Gregorius XIII. qui item Anglis, Græcis, ac Maronitis, Collegia conſtituit. Scoticum ſub Clemente VIII. habuit initium. Hibernis idem beneficium præſtitit Card. Ludouicus Ludouiſius. Illyricis Clemẽs VIII. qui de ſuo nomine dixit Collegium Clementinum, quamquam Vrbanus VIII. inde abductos Alumnos Lauretum reduxit, vnde abducti fuerant. Sed vt præmiſi, iſtiuſmodi Collegia, minùs ſunt ad præſens inſtitutum, quod quamuis ſint addicta certis nationibus, non tamen ſint conſtructa & dotata ab hominibus eiuſdem gentis, qualia ſunt hic proferenda, vt probemus ex huiuſmodi opere numquam ſatis laudato, honeſtum eſſe poſſe Nationis cuique ſuæ temperatum amorem, qui eſt hoc loco ſcopus noſter. Ap ũ ergo ad rem præſentem eſt, exmplum Petri Corſi, qui quod eſſet ex Iſtria oriundus, facultates, quibus erat copioſè inſtructus, contulit in Collegium quo Romæ exciperentur *Scholares de Iſtria*, vt habet lapis, eius Sepulchro appoſitus poſt eius obitum, qui contigit anno 1583. Bononiæ Ægidius Albornotius triginta ſuorum popularium Hiſpanorum Collegium conſtituit, de quo plenè Geneſius Sepulueda peculiari commentario, quo alios Ægidij ſtudij ſtudium alibi æmulatos annotat atque collaudat. Lutetiæ ſunt nonnulla certarum nationũ alumnis ſuſtentãdis addicta Collegia, vt videre eſt apud Iacobum du Bruel l. 2. antiquit. Paris. & alios qui de vrbe Pariſienſi ſcripſerunt, nec non apud alios qui de eiuſdem vrbis Vniuerſitate edidere libros. Admitto, non omnia Collegia Pariſienſia ab aliqua prouincia nomen habentia, eſſe conſtituta: Sed aliqua ſcio erecta eſſe atque dotata ab externis, qui non eſſent illius prouinciæ, niſi ratione Epiſcopatus, vel alterius muneris. Item admitto non omnia quæ à talis gentis fundatore ſunt erecta, ſolis alumnis illius gentis addici, ſed plerunque nomina illa præferrem ad memoriam fundatoris, abſque reſpectu ad nationem certam, cui autor ea fundatione proſpexerit. Aliqua tamen Collegia, reuera ſunt addicta certæ gentis alumnis, à fundatore ex eadem gente. Vt quod dicitur *Longobardorum*, ab homine Longobardo alumnis ex ea regione aduocandis conſtitutum. Qua item ratione Collegium S. Nicolai (vulgo *magnum*,) Auenione fundatum eſt pro gente Sabaudia, autore homine Sabaudo, Ioanne de Broniaco ſiue de Brognieto, oppidulo propè Aneſſium vnde oriundus erat. Is opimis pluriſque beneficiis auctus, magnas opes quas poſſidebat, in variis ſacris fundationibus inſumpſit, quas qui Ciaconij opus ſuppleuit Ferdinandus Vghelus annotauit, ſed omiſit nobilem fundationem Collegij quod dixi, è quo multi prodiere & Theologi & Iuriſconſulti......

Has Collegiorum fundationes eſſe magni omnino meriti, diffuſe probat Ioannes Molanus l. de piis Teſtam. cap. 45. Nec quod fiant tantùm in gratiam nationis propriæ, officit earum honeſtati, niſi ſi inhoneſtum eſt ſuos iuuare. Et veriſimile eſt, Synagogas illas Libertinorum ac Cirenenſium & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia, memoratas Actor. 6. (plures enim ibi recenſeri Synagogas, non vnicam, habet communiſſima ſententia;) non fuiſſe tantùm oratoria ad precandum: ſed cætus quoque ad ſtudendum, ſiue Collegia pro illis nationibus. Nam inde (teſte Luca,) prodibant varij diſputantes cum Stephano. Videntur ergò fuiſſe iuuenes è variis illis locis miſſi, vt ibi docerentur legem, & ritus Hebræorum ſicut nunc fit in Academiis, vbi ſunt fundationes, illæ Collegiorum multiplicium pro variis nationibus vel prouinciis.

Veteres Ethnici, ſolo naturæ lumine, amorem Nationis probarunt.

POteram in hanc cauſam, ſicut ſcripturas, & filios Dei, quibus hactenus, ita filios quoque hominum allegare; ſapientes ſæculi dico, quibus amor nationis cuius eſt honeſtiſſimus, eumque ipſi exemplo ſuo comprobarunt. Magnam partem huc pertinent, quæ de amore patriæ ex variis adunata ſunt à Stobæo. Nam *patriæ* nomen, plerunque ad nationem extendi, initio admonui. Apud Veteres ergo Solo naturæ lumine ductos, amor gentis ſuæ ac nationis, honeſtiſſimus ſemper eſt habitus, ita vt ne vitæ quidem temporariæ parcendum putarent, ſi gentis neceſſitas id poſtularet. Et ratio ad hoc vrgens, non eſt obſcura. Nam ratio eſt vnum veluti corpus morale, cuius membra ſunt ſinguli ad eam pertinentes. Hoc vt exploratum ſupponunt, & vt totius politicæ ſolidum fundamentum iaciunt, qui de publicæ rei aut regni adminiſtratione diſſerunt; Beneque præter cæteros id illuſtrauit Ioannes Michaël, ea lucubratione, cui titulum fecit, *Anatome corporis Politici.* Quo ergo affectu, quiſque totius corporis ſui compagem adamat, eo neceſſe eſt proſequatur nationem ſuam vniuerſam, quæ nihil aliud eſt, quam illa membra moralis corporis adunata.

Concluditur, amorem Nationis honeſtum, eſſe, & Religioſos quoque decere.

EX prædictis manifeſtè euincitur, quod aſſerebã de amore nationis, Religioſos item decente. Pertinent enim ipſi quoque, ad nationem ſuam, ſuntque membra populi ſiue Regni, cui titulo ortus aggregantur. Nam quod dicuntur *non eſſe de hoc mundo*, reuera non excludit eos à communi Societate: ſed dicitur ad expreſſionem eius quod Chriſtus de ſe eſt profeſſus, cum apud Ioannem cap. 8. dixit *Ego non ſum de hoc mundo*; ideſt, non ſapio quæ ſunt ſæculi neque ambio terrena, ſpretis iis quæ ad Deum pertinent, vt mundo vſuuenit. Eademque ſignificatione, apud eundem Ioannem cap. 15. dixit Chriſtus Apoſtolis; *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo eſtis, propterea odit vos mundus.* Sic paſſim Religioſi dicuntur *mortui*

SECT. I. CAP. II. *Mala ex Amore Nationis*

mundo, iuxta expoſitionem Serapionis Sindonitis apud Palladium ſect. 73. Ianſ. Illuſtrauit plenius notionem illarum vocum Autor libri de ſalutaribus documentis Auguſtino adſcripti, c. 16 ac Humbertus in opere de Eruditione Religioſorum. l. 1. parte 4 c. 1. Eatenus igitur Religioſi non ſunt de mundo, quatenus ipſorum eſt aliis regi legibus, quã quibus mundus deprauatus regitur; ita vt debeant non inſiſtere ſemitis quas mundus in maligno poſitus terit: Illas dico ſemitas mortis, abducentes in miſerandum interitum, quæ ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quibus iuxta Apoſtolum, quicquid in mundo ex lege eſt, continetur. De eo mundo non ſunt Religioſi; qui iure ac verè hoc nomen præferunt ſunt tamen de mundo, quod attinet ad communes obligationes perſonarum regionis ad quam pertinent; quas inter obligationes, fundamentaria, & omnium aliarum radix eſt amandi populi ſui ac nationis. Atque adeò hic amor ex ſe bonus eſt, & à natura ipſa conſertus, vt benè vidit Caſſianus coll. 16. c. 2.

CAPVT II.

Amorem Nationis, niſi à Religioſo temperetur, cænoſum facilè effici, & virulentam multorum malorum ſcatebram.

NIhil adeò bonum eſt ac naturæ rationali conforme, quin per malum vſum inquinari ac deprauari poſſit. Exempla cuiuſuis generis hoc confirmant. Eſculentorum ac poculentorum vſus, eſt honeſtus & neceſſarius. Idem tamen ſi temperatio congrua deſit, puta ſi nimius ſit, aut penes aliquod adiunctum à recto deficiat, contrahit labem Idem eſt de ſtudio tuendæ vitæ, & de cuiuſcunque humanæ indigentiæ remedio; cuius non vſus, ſed abuſus, ideſt, non ritè temperatus vſus in vitio eſt, vt præclarè tradunt Nazianzenus orat 20. n. 19. & Auguſtinus l. de vera religione c. 10. Hærendo igitur in re noſtra, tametſi amor nationis ex ſe honeſtus eſt ac illimis, tamen niſi accipiat conuenientem temperationem, euadit luculentus, & pleriſque grauibus omninò malis aditum pandit; quod breuiter aperiendum eſt, vt illius temperationis adhibendæ neceſſitas manifeſta fiat.

Ex amore nationis immodico contemptus Dei in Iona.

QVid verò in hanc rem proferri poſſit vrgentius, quàm ſi demonſtretur, ex incompoſito erga nationem propriam affectu, exiſtere contemptum numinis, & mandatorum diuinorum conculcationem, contemptionem Sanctorum etiam beatitate iam potientium in cælo, ſciſſuram Eccleſiæ, per Schiſmata; virtutum exilium à ſacris cœtibus, & tranquillitatis mundanæ euerſionem. Hoc ſanè eſt, paucis complecti quicquid cogitari tetrum ac horridum poteſt Nihil porrò hic ſupra fidem, aut per amplificationem dixi, nihil quod ſubiecta oculis experimenta, & repetita ab omni æuo exempla non adſtruant. Et quidem quod ad diuina iuſſa per intemperatum nationis amorem calcata attinet, nolo multiplicandis exemplis agere. Vnicum ſed perilluſtre exemplum adduco. Ionas tantulus homuncio, Deo refractarius euaſit: & cum Niniuem petere iuberetur ſpeciali Dei mandato, obedire detrectauit, & fugit in Tharſis. Fugæ cauſam prætexuit Ionas, cap 4. bonitatem Dei facile ceſſuram pænitentiæ Niniuitarum, vnde concertorum verebatur, minatum ex Dei nomine interitum ludibrium, & ſannas in denunciantem illas Prophetam. Sed eam non fuiſſe adæquatam fugæ cauſam polito quod prætexta non fuerit, (nam quamuis ſcriptura ſic locutum Ionam eſſetur, vera tamen locutum non dicit,) agnoſcunt Patres grauiſſimi, de quorum ſententia Ionas ea præſertim ex cauſa fugam capeſſiuit, quod cum eſſet Propheta, & præſciret gentium conuerſionem coniungendam fore cum ſuæ gentis Hebrææ abiectione, non potuerit in animum inducere, vt cum tanto nationis ſuæ diſpendio, demandatum diuinitus munus prædicãdi gentibus aſſumeret, fieretq; administer ſalutis gentium, cum populi ſui abiectione.

Aſſignat hanc cauſam initæ à Iona fugæ, Nazianzenus, orat. 1. cui videtur narratio de fuga Ionæ à facie Omnipotentis ac Omniſcij Domini, laboratura inſigni abſurditate, ſi ſiſteretur in extimo literæ cortice; ita vt Ionas non alia de cauſa fugiſſe diceretur, quam timoris ne mendax haberetur, flexo facilè Deo per pænitentiam Niniuitarum. Itaque profitetur Theologus, accepiſſe ſe à quodam viro erudito, & ad intimos Prophetæ ſenſus perſuadendos idoneo, quomodò ſuccurrendum eſſet narrationi de fuga Ionæ. Nimirum dicendo, præcipuam Prophetæ cauſam capeſſendæ fugæ, fuiſſe amorem nimium gentis ſuæ, cui ea detrectatione diuini imperij velificabatur, timens genti ſuæ ſi conuerſio gentium ad concreditum à Deo prædicandi miniſterium conſequeretur. [Non ergo, (concludit poſt multa Nazianzenus,) potentem Dei manum quam aliis comminabatur, Ionas ignorabat, nec hoc in animum inducebat, fore vt diuinum numen, prorſus effugeret: abſit à nobis hæc perſuaſio; Verum quia Iſraelis prolapſionem proſpiciebat, gratiamque propheticam ad gentes migrare ſentiebat, idcircò prædicationem defugit, atque imperata facere cunctatur, ac gaudij ſpecula relicta, (nam Ioppe apud Hebræos hoc ſignificat,) id eſt veteri faſtigio & dignitate, in mæroris pelagus ſe proiicit.] Vir ille in ſacris literis eruditus, atque ad intimos Prophetæ ſenſus percipiendos idoneus, quo docente iſta abs ſe obſeruata ait Theologus, iuxta Eliam Cretenſem fuit S. Methodius; Additque Elias, idem haberi apud S. Maximum. Veriſimillimum tamen cenſeo, fuiſſe Origenem, prout Billius annotatum fuiſſe ait ad marginem M. S. codicis operum Nazianzeni, quem à ſe viſum ait penes Cardinalem Lotharingum. Et ſanè Origenem redolet myſtica illa narrationis de Iona interpretatio euertens literam, quam continenter ex eodem Autore his verbis exhibet Theologus. [Ac propterea tempeſtate iactatur, & dormit, & naufragium patitur, & è ſomno excitatur, & ſorte capitur, & fugam fatetur, & in mare demergitur: atque à ceto abſorbetur quidem, ſed non abſumitur; verùm Dei opem illhic implorat, ſimulque cum Chriſto (res mira!) die tertio educitur.] Hæc an non Origenem olent? Vt vt ſit, cauſa defugiendi obſequium a Deo impoſitum, ex metu ruinæ populi ſui ad conuerſionem gentium conſecuturæ, deterſis Origenianis illis fæculentiis, pura eſt & Autori illi ac Nazianzeno probata: nec tantum habenda eſt idonea, ſed etiam videtur fuiſſe primaria, metſi fortaſſis non adæquata.

In

In eadem ſententia de cauſa fugæ à Iona initæ eſt S. Hieronymus in cap. 1. Ionæ exponens ea verba. *Et ſurrexit Ionas vt fugeret*, ſic ſcribens. [Scit Propheta ſancto ſibi ſpiritu ſuggerente quod pænitentia gentium, ruina ſit Iudæorum. Idcirco amator patriæ ſuæ non tam ſaluti inuidet Niniue, quàm non vult perire populum ſuum.]Et mox poſt nonnulla in eam rem. Quod humanus eſt, timebat ne per occaſionem prædicationis ſuæ, illis conuerſis ad pœnitentiam, Iſrael penitus relinqueretur. Nouerat enim eodem ſpiritu quo illi gentium præconium credebatur, quod quando Nationes credidiſſent, tunc periret domus Iſrael: & quod aliquando futurum erat, hoc ne in ſuo fieret tempore, verebatur.] Non diſſimiliter Remigius & Hugo in Ioan. inſinuatque idipſum tametſi minùs apertè, S. Gregorius lib. 6. mor. cap. 13.

Affirmare itaque abſque temeritate licet, Ionæ aduerſus Deum rebellionem, & detrectationem diuini imperij, ex intemperato Nationis ſuæ amore prodiiſſe. Nec poteſt negari, quin Ionas cæteroqui vir ſanctus & Propheta grauiter ea in parte deliquerit. Id enim pœna rebellem ſubſecuta ſatis monſtrauit. Nam & diſcrimini nauim, qua vehebatur obiecit, & ipſe deiectus in mare intra viuum ſepulchrum, & natantem carcerem, (vt pereleganter ait Baſilius Seleuciæ) orat. 12. & 13. detruſus eſt. Videndi qui mulctam Ionæ à Deo irrogatam concinnè deſcribunt SS. Ephrem. ſerm. de Iona, Chryſoſtomus, hom. 1. de pœnit. atque Paulinus. carm. ad Cyther. Exanimaduerſione ergo in Ionam, haud leuiter ab eo peccatum præ immoderato in nationẽ ſuam amore, perſpicuum eſt. Sicut Adam tametſi ſanctus. Ex immoderato tamen in coniugem affectu, eo abductum eſt, vt per grauem omnino culpam calcaret diuinum præceptum; & ad mala in eum & totam progeniem exundatura, oculos clauderet. Et Vxor Iobi haud dubiè pia mulier, præ immoderato tamen coniugis patientis amore, iuxta Aſterium, hom. de dimiſſ. Vxoris vt illum tot malis eximeret, & vitã non vitalem vlteriùs non protraheret, hortata eſt ad immane facinus, ſcilicet vt prælocutus blaſphemias mortem ſibi acceleraret. Haud aliter ergo Ionas, tametſi vir ſanctus, fœdè tamen impegit, cum inebriatus nationis ſuæ amore, mandatum Dei, bono populi ſui indebitè captato, poſthabuit. Verè igitur pronunciabam, ex hoc exemplo liquere, amorem nationis cæteroqui ex ſuo genere honeſtum, ſi debita temperatione careat prorumpere vſque ad contemptum Dei, & calcationem diuini mandati.

Mors Chriſti, ex amore intemperato nationis, in Hebræis.

AEque in Deum carne noſtra contectum, inſurrexit nationis intẽperatus amor. Nec enim reuera aliunde prodiit rabies ex qua Iudæi Chriſtum in crucem egerunt, quã ex immoderato in nationẽ ſuam affectu. Intelligitur id apertè, ex definitione concilij malignantium poſt ſuſcitatum Lazarum, deſcripta à Ioanne c. 11. Præfatus enim Euangeliſta, quoſdam qui interfuerant tanto Chriſti miraculo abiiſſe ad Phariſæos, & retuliſſe quanta feciſſet IESVS addit. *Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant. Quid facimus; quia hic homo multa ſigna facit, Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Manifeſtum eſt, timuiſſe Concilium cladem gentis Iudaicæ & exportationẽ è ſolo ſuo. Dominabantur quippè iam Iudæis Romani. Itaque verebantur hi conſiliarij, ne omnibus in Chriſtum credentibus, & IESVM pro Meſſia agnoſcentibus, excuſſum iugum ſuum adhæſione ad nouum Regem expoſtulantes Romani, venirẽt, & populum tanquam rebellantem, in alias terras abducerent, & Vrbem Hieruſalem cum templo deſtruerent, toti genti Iudaicæ vaſtitatem inferentes. Quæ eſt S. Chryſoſtomi hom. 67. in Ioan. interpretatio admodùm genuina, & apertè præferens ſpiritum carnis ex tanto affectu in temporale gentis bonum, cum tot diuinorum operum calcatione, & innocentis Chriſti cæde captandum, impellente. Nec minus eidem ſenſui Iudæorum, gentis amore ebriorum patefaciendo, ſubſeruire poteſt S. Auguſtini tract. 49. in Ioan. interpretatio, qua cenſuit voluiſſe Concilium affirmare, omnibus in Chriſtum credẽtibus neminem remanſurum qui contra Romanos ciuitatem templumque defenderet. Non videtur quidem adeò quadrare hæc expoſitio, quandoquidem iam Romani ſubiectos habebant Iudæos: nec erat cur prætexeretur defenſio aduersùs aduenientes qui iam aderant, & Metropolim, ac prouinciam totam tenebant ſubiectam. Tamen ad noſtrum inſtitutũ, perinde eſt vtra expoſitio probetur, quia in vtraque idem immoderatus erga gentem ſuam amor elucet: æquè ac in reſponſione Caiphæ cuius lingua plus ſapuit, quam cor, vt huc accommodem dictum S. Ephremi hom. de Iona. Dixit enim Caiphas, *Expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat.* Arctat vir impius effectum mortis Chriſti ad populum ſuum & gentem, cum tamen (vt Euangeliſta addidit,) & ad populum Hebraicum fructus paſſionis Chriſti diffuſus ſit, & ad gentes quoque exteras permanarit. Sed mens Caïphæ ſolam nationem ſuam ſpectabat. Et quia Caiphæ tanquam Pontifici inhæſit vniuerſum Concilium, fixum ab illo die habuerunt, vt Chriſtus interficeretur, vt Euangeliſta notauit. Itaque proxima, & veluti immediata cauſa, ex qua Iudæi moti ſunt ad inferendam Chriſto necem, fuit immoderatus gẽtis ſuæ amor. Planè enim immoderatus fuit amor ille, ex quo cædem hominis innocentis, & innumeris clari miraculis, ne periclitaretur temporalis tranquillitas gentis propriæ, decernere non exhorruerunt, per ſummam cæcitatẽ poſthabentes finem mediis, ac ſpiritualia temporalibus, quæ eſt manifeſta peruerſio, ac Deum ipſũ paupertatis noſtræ tegminibus propter nos adopertum, tam immaniter violantes, vt non fuerit, quò altiùs proueheretur malignitas. Sed amor nationis adeò exoculauerat carneos homines, vt nullum peccatũ, dum genti ſuæ benè eſſet, exhorreſcendum putarent, iuſto Dei iudicio id conſecuti, vt quia non ſic dimiſerunt Chriſtum, & venirent Romani, ſceleris in ſanctum Dei admiſſi cæleſti afflatu impellente vltores, & vniuerſa natio euerteretur, ſtultam faciente Deo ſapientiam mundi, gentis commoda temporalia præferentem æternæ ſaluti & honori Chriſti, vt præclarè obſeruat S. Gregorius, 6. mor. c. 12. & præiuerat S. Baſilius ſer. de humilit.

SECT. I. CAP. II. *Mala ex Amore Nationis intemperato.*

Verè hæc fuit iracundia terræ, in qua loquentes Iudæi, dolos cogitarunt. Locus eſt in pſalmo 34. vbi ex perſona Chriſti, petit Dauid ne hoſtes ſibi ſupergaudeant, id eſt ne lætentur, & exultent de eius clade. Qui gratis ei erant infenſi, quantumuis oculis annuerent, ita vt viderentur amicè fauere, & tamẽ meditabantur fraudes in iracundia terræ. Hieronymus vertit, *in rapina terræ.* Nam 70. habent ἐν ὀργῇ Vbi perperã aliqui mendũ fingentes legendũ putãt ἐν ὀρυγῇ γῆς quo pacto vertendum eſſet, *in fouea*

SECT. I. CAP. II. *Mala ex Amore Nationis intemperato.*

terra ad ſignificandum, hoſtes Chriſti vt vt pacem externa ſpecie interdum prætenderent, tamen in occulto & in latebris ſuis machinatos eius eſſe ruinam: quod cum editione 70. Interpretum & Latina vulgata nullo modo cohæret. Iuxta probatam ergo interpretationem, cauſa meditandi dolos, & necem Chriſto machinandi, fuit *iracundia terra*; quæ tametſi dici poſſet eſſe iracundia occulta & ſtudioſè contecta, ac veluti operta ſuperingeſtione terræ; aut certe eſſe iracundia e terreno ſenſu concepta, aptiſſimè tamen cum Hieronymo dicetur eſſe iracundia in rapina terræ; vel ira concepta ex metu ne terra rapiatur & auferatur. Qui fuit animalis ac terrenus metus Iudæorum, de Chriſti morte conſilium ineuntium, gratis & maligne concepta in eum ira; eo quod arbitrarentur, per eius occaſionem, terram ſibi ſuam eſſe auferendam, venientibus Romanis & arbitrantibus IESV in Meſſiam & Regem Iudæorum admiſſo, conflatam eſſe rebellionem, ad excutiendum eorum imperium; Itaque iracundia in Chriſtum concepta, quæ mox Chriſti necem parturiit, deriuata eſt ex metu rapinæ terræ, & ex affectu immoderato erga Nationem, cui timebant à Chriſti honore.

In Sanctos iam cælo illatos iniuriæ, ex nimio in nationem propriam amore.

MInùs mirabimur, nationis amorem iniurium erga Deum & Chriſtum, ſancti. Chriſto inferioribus & puris hominibus non pepercisse. Ex ago de ſanctis iam cælo illatis, & miraculorum gloria claris; vt proinde cælos quoque perrupiſſe dici poſſit huius inſaniæ violentia. Fidem dicto adſtruo, in primis ea narratione quæ in 7. Synodo legitur de muliere Cæſarienſi clariſſima, cui nomen Arete: quæ cum reliquiæ S. Anaſtaſij Martyris Perſæ, atque adeò alieni à natione Cæſarienſium, perueniſſent Cæſaream adductæ è Perſia, vbi S. Anaſtaſius paſſus erat, omnibus de ſancti Natione non ſollicitis, in eius honorem effuſis, ſola negauit ſe adoraturam reliquias ſancti, è Perſide infenſa genti ſuæ aduenientis; *Ego*: inquit, *Lipſanum à Perſide veniens, non adoro.* Nempè amore gentis ſuæ ebria, non putauit, ſanctum externum, (quicquid fama de miraculis eius vulgaret,) poſſe à Deo exorare beneficia, vel mulctare qui eum violarent: quaſi id ſolis ſanctis indigenibus ſiue patriis conceſſum eſſet. Id quippè ſonare videtur, quæ retulimus locuta dicitur, *in diffidentiam verſa* πρὸς δυσπιστίαν τραπεῖσα. Sed Deus, inſanum mulieris ſenſum irrogata mox vindicta correxit. Nam acerrimo lumborum dolore per aliquot dies correpta, leuamen nullum inueniens, iuſſa eſt ab apparente ſibi S. Anaſtaſio, Lipſanum è Perſide veniens adorare; & quod Deus mundaſſet, commune non dicere; ideſt non habere pro profanis & immundis, alterius nationis reliquias. Delata ergò à ſeruis ad ſacellum S. Martyri conſtructum Cæſareæ in Tetrapylo, vt vidit eius imaginem, agnouit vultum eius à quo monita erat de quærenda ſanitate precibus S. Anaſtaſij, adorato piè eius Lipſano. Itaque ſolo proſtrata, & vberibus lachrymis eluens contractam maculam, illicò ſanata eſt; edocta, in omni gente, quicunque rectè ſe geſſerit, eſſe acceptum Deo.

Aliud non minùs illuſtre, nationalis affectus externos ſanctos violantis exemplum, recitat Beda. lib. 3. Hiſtor. Angl. Oſfrida Merciorum Regina, filia Oſuuini fratris S. Oſuualdi, monaſterium Beardanam multis magniſque beneficiis cumulârat, & in eo condi ſacra oſſa B. Oſuualdi paulò ante cæſi, ac diuinis miraculis illuſtrium, auidè, expetens, eò deduci ſacrum patrui corpus iuſſerat. [Cumque veniſſet carrum (ait Beda) in quo eadem oſſa ducebantur, incumbente veſpera, in monaſterium præfatum, noluerunt ea qui erant in monaſterio, libenter excipere: quia etſi ſanctum eum nouerant, tamen quia de alia prouincia ortus fuerat, & ſuper eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum inſequebantur. Vnde factum eſt, vt ipſa nocte, reliquiæ allatæ, foris permanerent, tentorio tamen maiore ſupra carrum, quo inerant, extenſo.] Miraculum diuinitùs tunc editum, Monachos illos nationales pudefecit. Nam tota ea nocte, columna luci diſſima a carro ad cælum vſque porrecta, quantì eſſent apud Deum externi hominis reliquiæ; patefecit prouinciæ vniuerſæ. Itaque verecundati Monachi, præſentiam ſacrarum exuuiarum quam ſummo ſtudio par fuerat emercari, conuenienti erga oſſa externi cælitis, affectu ſuſcepto, admiſerunt illa in cænobium, ibidem deinceps hæſura, & diuinis operibus eum locum illuſtratura.

Schiſma primum in Eccleſia, ex intemperato in Nationem ſuam amore.

PRæ violatione ſanctorum cælitum, munus mirum videri poterit, affectum intemperatum erga nationē propriam, ſanctis in terra degentibus infeſtum eſſe; ſiue ſanctos ſpectemus in Eccleſia, ſiue in Concilio iuſtorum & Congregatione. Quod dico de Eccleſia, perſpicuè habetur ex œſtro Iudæorum in Apoſtolos, cum aduerterunt eos de aliis nationibus Euangelij luce perfundendis cogitare. Exemplum ſuppetit illuſtriſſimum ex Actorum 22. vbi narrante Paulo pro concione ſuam ad Chriſtum conuerſionem, & quomodò dixiſſet illi vt excederet Hieroſolymis, eo quod Iudæi non eſſent eius ſermonibus auſcultaturi, allegante Paulo notum eſſe Iudæis quanta mala intuliſſet alias Chriſtianis, repoſuit Chriſtus, *Vade, quoniam ego in Nationes longè mittam te.* Hæ voces anguſti pectoris hominibus, nec niſi in nationē ſuā intētis faces admouere indignationis ac furoris ſupra omnem modum inflammati. Vnde ſubdit Lucas. *Audiebant autem eum* Paulum *vſque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem ſuam dicentes, tolle de terra huiuſmodi, non enim fas eſt eum viuere, Vociferantibus autem eis, & proiicientibus veſtimenta ſua, & puluerem iactantibus in aërem* &c. Quamdiu Paulus ſuam ad Chriſtum conuerſionem, & obiecta ſibi diuina viſa retulit, ac etiam cum expoſuit iuſſum Diuinum feſtinatò ſecedendi è Hieruſalem, eo quod non eſſet à Iudæis audiendus; tamdiu Iudæi nihil obſtrepentes aſtiterunt. At vbi addidit Paulus, dictum ſibi inſuper eſſe à Chriſto, *Vade, quoniam ego ad nationes longè, mittam te*; Ad hoc verbum, acti ſunt in furorem, & ea edidere impotentis animi ſigna; quibus expreſſiora dari nequeant. Itaque vel hoc vnum exemplum nationis ſibi ipſi addictiſſimæ, & ab aliis nationibus maximè abhorrentis, monſtrat, Nationalitatem vitium eſſe Iudaicum; & Eccleſiæ ſemper infeſtum. Idem ex eo Intelligi poteſt, quod ex affectu nationis, procliue eſt generari in Eccleſia Schiſma, quo Eccleſia ſcindatur, & pax Dei exterminetur.

Et

Et ſumo ſchiſma, non prout intendunt confundi tur cum hæreſi, ſed prout pugnat contra debitam cum capite aut cum reliquo Eccleſiæ corpore coniunctionem. In quo ſenſu, Schiſma malum eſt virulentiſſimum & ferè ſemper proludit hæreſi. Actum latè eſt de ea virulentia in Corona aurea ſuper mithram, ſub not. 1. ſinctu 4. tractando grauitatem peccati abiungentium ſe ab Eccleſiæ vnitate, etiamſi citra hæreſim.

Primum huius generis Schiſma, quod Eccleſiam male habuit, originem duxit ab intemperato nationis propriæ amore, vt notauit Thomas Boſius, l. 19. de ſig. c. 5. & habetur ex Luca, c. 6. qui ſic loquitur, *creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* Erant primùm fideles, cor vnum & anima vna. Nam, cum non ita multi eſſent, fortior erat eorum vnita virtus. Subintrauit autem diſſidium cum multitudine: ita vt iam tunc valuerit, quod Saluianus l. 1. ad Eccleſ. Timothei nomine, hunc ipſum Lucæ locum allegans, deplorabat. [Quantum auctum eſt populorum, tantum penè vitiorum. Creſcentibus filiis ſuis mater ægrotat. Et quanto ditior multitudine, tantò egentior deuotione; latior corpore, anguſtior mente; eademque & in ſe maior, & in ſe minor, nouo pænè & inaudito genere proceſſus & receſſus, creſcens ſimul & decreſcens.] Sed illud maximè crementum vnitati ſpiritus & conſenſioni animarum incommodauit, quod ex aggregatione plurium nationum eſt conſtitutum. Nam vix inſonuerat ſpiritus ſancti buccina, & ex omni natione quæ ſub cælo eſt, Hieroſolymis tunc aduna‹t›a, aliqui coaluerunt in Chriſti cœtum. Nec ita multo poſt, cum ea nationum varietate, diſſidium domeſticum Eccleſiam turbauit, Græcis aduerſus Iudæos expoſtulantibus ob neglectas vel poſt habitas nationis ſuæ viduas; cum Iudæi omnia & honorifica & vtilia, ad nationem ſuam trahere, Grecis viderentur; vnde murmuratio aduerſus Hebræos, & Schiſma in Eccleſia. Scio ambigi, an Græci illi murmuratores, fuiſſent ipſi quoque religione Hebræi, ſed in Græcanicas colonias abducti, Græca lingua & moribus vterentur; (Ita enim plerunque factum habetur ex Ioſepho, l. 12. antiq. c. 5. & l. 16. c. 4.) an verò eſſent Gentiles ad fidem traducti: quos vno *Græcorum* nomine donari ſolitos, præferunt illa Pauli ad Romanos cap. 1. *Iudæo primum & Græco.* Nec aliter ſumitur non ſemel nomen *Græcorum* in ſacra hiſtoria Machabæorum, cum alia quæuis gens, ab Hebræa ritibus ac legibus diſcrepans, denominatur *Græca.* Theodoretus libros ſuos aduerſùs gentiles, inſcripſit aduerſus Græcos, & Græcanicas affectiones. Idem paſſim ſonat ea vox apud Baſilium, Nazianzenum, atque Chryſoſtomum. At ergo illi Græci, murmurantes præter viduas ſuas, eſſent conuerſi ex Ethniciſmo, an verò eſſent oriundi ex Hebræis, fuiſſentque addicti Moſaicis inſtitutis, priuſquam Chriſto nomen darent, anceps quæſtio eſt. Sed qualeſcunque demùm anterius fuerint quoad religionem & ſacros ritus, certum tamen eſt, eos fuiſſe diuerſæ ab Hebræa nationis; eo quod nati non eſſent in Iudæa ſed in Græcia, latè, aut preſſè accepta. Homines itaque nationis ſuæ ſtudioſiſſimi, ſciderunt ſe à cæteris Chriſtianis ex Iudæa ipſa oriundis, ac Moſaicorum rituum antea profeſſoribus: eo quod viderent, Hebræos viduis gentis ſuæ, demandari velle omnia honorifica munera viduis credi ſolita; aut quia videbant Hebræos potiorem curam habere viduarum gentis ſuæ in diſtributione ſacri cenſus, nec æque proſpicere viduis alterius nationis, etiamſi Chriſto addictis. En igitur, per portam affectus intemperati erga nationem propriam, ſub ingreſſum in Chriſti Eccleſiam ſchiſma & vnitatem illam Deo & hominibus acceptam, quæ primum in Eccleſia Chriſti fragrauerat ſicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam Pontificiam, & in oram veſtimenti eius, exoleuiſſe, cum primum nationis amor iuſte auctior inualuit.

SECT. I. CAP. II. *Mala ex Amore Nationis intemperato.*

Clades ſacrorum cœtuum, ex immoderato Nationis amore.

DEſino mirari, quod ſeneſcente nunc Eccleſia, & frigeſcente charitate, inconditus hic amor propriæ nationis, virus ſuum in ſacros cœtus effundat, quando calente (vt ſic dicam), aſperſione ſanguinis Chriſti; cum Eccleſia pace altiſſima frueretur, inuenit, Diabolus per ſceleratam hanc viam qua inferret diſſidia in addictas Deo familias, & quomodò lites cieret in concordibus Dei. Certum ſanè eſt, ac experimentis multiplicibus confirmatum, nulla ex parte, aditum patentiorem præberi ruinæ ſacrarum familiarum, quam ſi per occaſionem varietatis nationum in eas adunatarum, cuiuſque ad gentem ſuam affectus, myſticum hoc corpus ab vnitate diuellat. Sapientiſſimè Origenes, hom. 9. in Ezech. præfatus à multitudine cladem ſanctitatis deriuari, nec multitudinem niſi à peccato induci, ſtatuit è contrario; [vbi autem virtus, ibi ſingularitas, ibi vnio, ex quo erat omnium Credentium cor vnum & anima vna. Et vt manifeſtius dicam principium malorum omnium eſt multitudo: principium autem bonorum, coanguſtatio, & à turbis in ſingularitatem redactio. Vt puta, nos omnes ſi ſaluandi ſumus, ad vnionem vt perfecti efficiamur in eodem ſenſu & in eadem ſententia, & ſimus vnum corpus, & vnus ſpiritus. Si verò tales ſimus, vt non nos vnitas circumſcribat, ſed & de nobis dici poſſit, *Ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephe,* & adhuc à malitia ſcindimur atque diuidimur, non ſumus futuri vbi ſunt illi qui rediguntur in vnionem. Nam vt Pater & Filius vnum ſunt, ſic qui vnum ſpiritum habent, in vnionem coarctantur. Ait quippè Saluator, *Ego & Pater vnum ſumus;* Et; *Pater ſancte, rogo vt ſicut ego & tu vnum ſumus, ita & iſti in nobis vnum ſint.* Et in Apoſtolo legitur, *donec occurramus omnes in virum perfectum & in menſuram ætatis plenitudinis in vnitatem Chriſti.* Et rurſum. *Donec perueniamus omnes in vnitatem corporis ac ſpiritus Chriſti.* Ex quo ſignificatur, quia virtus ex plurimis vnum facit, & neceſſe nobis ſit vnum per eam fieri & fugere multitudinem.] Concluditur ex hac Origenis ratiocinatione, ſi non ſit vnitas in pio cœtu, deeſſe virtutum, cuius perfectio in vnione conſummatur. Vnitatem autem maximè profligat, hæc per multitudinem nationum non coagmentatam, diſſipatio ſpirituum, ac diuiſio voluntatum. Itaque non niſi inane ſacræ familiæ nomen præferat neceſſe eſt, ea in qua ſeculares hi affectus mundum induxerint, qui excluſus religatione in vnum, nomine ipſo *religionis* expreſſa, videri poterat.

Non dubium, quin ſi iſta recogitarent ſerui Dei, qui abiecto ſæculo ædificarunt ſibi ſolitudines cum Regibus, & conſulibus terræ (verè enim Reges terræ ſunt, qui terram calcant, & ſibi ſubiectam

SECT. I. CAP. III. *Seri tere contra Nationis amorem intemperatum.*

habent,) pluſimum abeſſent à profano illo ſpiritu vnitatis euerſore, quo aliqui audiunt *externi & aduenæ*; ideóque non modò non habent eodem loco quo cæteri qui ſunt indigenæ; aut gentiles, ſed etiam malè habentur. Sic enim de Sancto Antiocho legimus Raderus in virid. 26. Nouquodcum in cœnobio degeret, potuerit indignæ tractationi, & quod alterius eſſet Nationis. Carolomanum & ſocium, Rupex coquus male habuit quod externi eſſent idem in Carolomano tom. 2. Bauar. Atque vtinam nuſquam poſtea auditæ ſint brutæ illæ voces impiorum ad iuſtum, exaratæ Genes. 19. *Ingreſſus es vt aduena, numquid vt iudices?* Tantundem enim ſonat profana illa lingua, quam non nouerat primæua Religio; *Externus eſt, non indigena. Ne igitur promoueator, ſed abiicitur, nec ſit in caput, ſed in caudam.*

Fidei Chriſtianæ, & publicæ pacis quaeſtio, à nimio in Nationem affectu.

REferebam denique in amorem intemperatum nationis, euerſionem pacis mundanæ, & tranquillitatis publicæ, cum innumeris malis coniunctam. Hoc eſt per ſe notum, ex ſcopo, qui fere propoſitus eſt iniuſtè bellantibus. Vix enim aliud captant, quam protenſionem maiorem finium, ad quos natio pertingit; At ea diffuſio regni, cum non poſſit haberi niſi bellando, & ſub iugum mittendo anteriores incolas regionis de nouo adiungendæ, neceſſario infert innumera mala. Bellis ſanè, etiamſi omni ex parte iuſtis, tot & tanta comitantur mala, vt eis exprimendis nulla oratio ſit ſatis. Eraſmus ea lucubratione, quam inſcripſit, *dulce bellum inexpertis*, guſtum exiguum malorum illorum dedit: ex quo tamen pronunciare liceat de ſumma vniuerſa. Retuli ipſe quoque ſat multa, in Homine Dominico Loricato, tractans bella in quæ Religioſi conferunt operam. Nec tamen florem (ſi licet dicere,) virulentiæ multorum bellorum, exhibuit alterutra illa tractatio, cum ſcilicet à bellis exiſtit clades Religionis, aut Catholicæ fidei euerſio, non ab hæreticis modò, ſed etiam à profitentibus Catholicam fidem, quandò contingit eos, quos aſciſcunt belli adiutores aut ſocios, in ſancta quoque, furorem bellicum per ſacrilegia effundere. Parit hæc, & alia innumera mala, intemperatus amor nationis, cum piæ eius gloria, aut temporali vtilitate, clauduntur oculi ad conſequentia bellum, ſiue iniuſtum ſiue iuſtum, ſed Religioni ac fidei, incommodaturum, per accidens quidem, (id enim excuſant;) ſed tamen reipſa, & ineuitabiliter. Retraho calamum à luctuoſo argumento, contentus annotaſſe, Camarinam malorum propoſitam, ſæpenumero, ex cænoliſſima affectus corrupti erga nationem origine, deriuari.

CAPVT III.

De Nationis amore à ſeruis Dei temperando, ſcripturarum oracula.

TEmperandi igitur amorem nationis, ſumma ſeruis Dei inijcitur neceſſitas, ne in tot tantáque mala, quæ ab hoc amore, cum temperatione caret, ſcaturire deprehenſum eſt, infœliciter incurrant. Operæpretium verò eſt, diuinam autoritatem per ſcripturas declaratam, ad hoc ipſum ſuadendum adducere, ponderatis aliquot locis, quibus vel eorum, qui alterius nationis ſunt, amor, & humanæ tractatio commendatur, vel omni externorum violatione, grauiter interdicitur. Quorum vtrumque, immoderationem affectus erga propriam nationem excludit. Neque enim aliunde prouenit, vt caueatur perſonarum alterius nationis violatio, cum poſſet inferri, aut vt quis erga eaſdem perſonas beneuolè, & officioſè ſe gerat, quàm quia ſuum affectum non arctauit ad nationem propriam.

Diuina apud Moſem Oracula in fauorem aliarum Nationum.

EX veteri inſtrumento, ſuppetit locus egregius ex Deuteronomij 10. vbi Moyſes adhortans ad amorem exteriorum, ſic loquitur: *Deus amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum. Et vos ergo amate peregrinum, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Ægypti.* Ex hac ratione diligendi peregrinum, manifeſtè habetur, *peregrinum* hic appellari, qui alterius eſt nationis, non autem eum qui quamuis ſit eiuſdem gentis, tamen intra fines regni ac nationis, procul eſt à domo ſua, qua ratione vſurpatur ſæpè vox *peregrini* in iure Canonico, cum agitur de contrahendo matrimonio, vel de ſuſcipienda in Paſchate Euchariſtia, aut de obligatione ad leges peculiares alicuius loci: Itémque in iure Ciuili, & nominatim in celebri Conſtitutione Federici, cuius initium eſt, *Omnes peregrini.* Multò minùs vſurpatur vox *peregrini*, in ea Moſis monitione, iuxta antiquam notionem à Tullio l. 2. offic. memoratam, & à Brechæo annotatam ad l. *quos nos* ff. de verbor. ſignif. vt nimirum deſignet illum quem nunc *hoſtem* dicimus. Nulla harum notionum *peregrini*, cadit in diuinum oraculum propoſitum. Itaque *peregrinum* dixit Moyſes, qui alterius eſt nationis; vt aiebam patere ex ratione quæ adducebatur cur amandus eſſet peregrinus ab Hebræis, eo quod & ipſi peregrini fuiſſent in terra Ægypti, & experimento ſuo didiciſſent, homini alterius nationis, ſat eſſet peregrinitatem, ad vbertatem incommodorum; quippe qui procul ab amicis ac notis degens, non poſſit non deſtitui multis, & commodis & neceſſariis, ad vitam ſuauiter exigendam. Meritò igitur admonebat per Moyſem Deus, cauerent, alterius gentis hominem mala tractatione grauare, & cumulare incommoda quæ, & aduehit peregrinitas.

Quæ item ratio amandi peregrinum, proponitur capit. 19. Leuit. verbis illis: *ſi habitauerit aduena*

uena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: ſed ſit inter vos quaſi indigena, & deligetis eum quaſi vos metipſos: fuiſtis enim & vos aduena in terra Ægypti. Librat optimè hanc rationem fouendi aduenas, Faſtidius Epiſcopus, vetus parens libri de vita Chriſtiana, (perperam D. Auguſtino adſcripti) capit. 8. ſpeciali enim Dei prouidentia contigit ſe obſeruat, ad populum Dei præceptis charitatis, & iuſtitię aſſuefaciendū, vt priùs ipſe peregrinaretur in terra aliena. Sic ergo ſcribit de Iudaico populo. [Quod derelicta regione in qua sēper habitare optauerat, patriáque deſerta, in alienam prouinciam hoc eſt in Ægyptum migrare fecit, non ſine cauſa, nec ſine Dei prouidentia factum eſſe reor. Sed hanc fuiſſe puto rationem quia Deus populum ſuum quem elegerat præceptis miſericordiæ, pietatis, iuſtitiæ, cæteriſque bonis operibus cupiens erudire, voluit eum in externa patria pro tempore peregrinam eſſe & captiuum, vt captiuitatis, & peregrinationis mi eriam diſceret & labores; quo faciliùs poſtmodum, miſereri peregrinantibus, & laborantibus noſceret, ſi ipſe ante peregrinationis miſerias didiciſſet. Nemo enim tam libenter peregrino & aduenæ miſeretur quam qui peregrinationis exitus nouit. Nemo libentius hoſpitem ſine tecto, ſuo introducit hoſpitio, niſi qui ante indiguerit alieno, &c. Meritò ergo Deus miſericordiæ, & pietatis magiſter, qui legem poſtmodùm erat editurus, per quam populo ſuo miſericordiæ, & pietatis; omniumque bonorum operum præcepta erat traditurus, voluit eum priùs omnes paſſiones, preſſuras & tribulationes & anguſtias in terra perpeti aliena quo faciliùs poſtea poſſet talia patientibus miſereri, & ſuis tēperare mandatis, &c. Deniq; vt ob hāc cauſam hæc eū pertuliſſe euidentius clareat ipſius Domini intueamur mandata dicentis, *Aduenam non vexabitis nec tribulabitis; Fuiſtis enim, & vos aduena in terra Ægyptie.* Exod. 22. Et iterū legimus. *Diligite proſelytum quia & ipſi fuiſtis in Ægypto peregrini.* Deut. 10. Et alibi dicit. *Si autē meſſus fueris meſsē in agro ſuo, & obliuiſceris manipulum, non reuerteris accipere illum. Proſelyto & Orphano & viduæ erit &c. & memor eris quia famulus eras in terra Ægypti: Ideò præcipio tibi verbum hoc.* Deut. 24. Vnde facilè videtur atque dignoſcitur, eum populum ob hanc cauſam cunctis afflictum fuiſſe miſeriis, vt miſereri alteri ſuo doceretur exemplo, ſicut ſcriptum eſt. *Docuiſti enim populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtos eſſe & humanos.* Sap. 12. Liquet ergo de vi motiui à Moſe poſteriùs propoſiti.

Eſt & illlud motiuum quod Moyſes priore loco adhibuit apprimè potens, quod Deus non indigenam modò diligat, ſed etiam peregrinum, quippè quem pro filio, & factura ſua habet, & idcircò ei victum ac veſtitum, id eſt, omnia ad vitam neceſſaria ſubminiſtrat. Vt proinde par ſit, homines quoque, imitatione Dei, præſtare ſe humanos, alterius nationis hominibus, omnibúſque eos officiis proſequi, *tanquam ſemetipſos*; id eſt, tanquam ſi einſdem eſſent gentis; nec peregrinitatem eis exprobrando, nec vllam eis iniuriam moleſtiamve inferendo, vt decet homines compoſitos, & doctos affectu vniuerſali, Dei optimi maximi imitatione.

SECT. I. CAP. III. *Scriptura contra Nationis amorem intemperatum.*

Illuſtratio eorandem Oraculorum ex Philone.

Eſt apud Philonem l. de charitat. locus illuſtris de diuinis Oraculis quoad aduenas, dignus qui deſcribatur: pleraque enim illuſtrando huic negotio accommodata continet. Prælocutus itaque Philo, de præceptis Moſaicis charitatis exercendæ erga ciues, & indigenas Hebræorum, ſubdit, [Poſtquàm ſuis benè proſpexit, etiam aduenas dignatus eſt multis priuilegiis, qui deſerta cognatione patriáque, & maiorum inſtitutis ac ceremoniis, delubriſque demigrarunt in optimam coloniam, tranſlati à fabulis, ad veritatem, & cultum veri numinis. Hos aduenas diligenter commendat ſuis Gentilibus, non ſolùm vt amicos iam cognatóſque, verum vt vnius fortunæ participes, tum animo, tum corpore, & aduerſitatum æquè ac proſperitatum ſocios, ceu membra vnius corporis, conciliante cunctos mutua beneuolentia. Proinde non eſt quod dicam de cibo, potu, veſtitu, aliiſque ad victum neceſſariis, quæ lex indigenas iubet præbere aduenis. Hæc enim vltro contingunt, apud eos qui aduenas non minùs, quam ſeipſos diligunt.]

Videtur Philo arctare omnia mandata hactenus propoſita quoad tractationem aduenarum, ad eos qui tranſiſſent ad ſacra Iudaica, facti proſelyti. De aliis autem qui manerent in alia religione, parciùs tractandis, tantumque non habendis odio, ita ſubiicit. [Vt videas extremam æquitatis lineam, vult aboleri memoriam iniuriarum illatarum à veteribus hoſpitibus, vt magis nomen ad Charitatem faciens valeat, quàm reſpectus malæ tractationis. Proinde diſertè interdicit; *Non proſequeris Ægyptium odio.* Atqui nullam iniuriam Ægyptij ab hac gente abſtinuerant, nouas ſemper crudelitatis ſpecies, addentes prioribus. Attamen quoniam ab initio non excluſerant eam à ſuis ciuitatibus, nec arcuerant à finibus, ob eam rem, (inquit,) habeant priuilegium & ius amicitiæ.] (ſcilicet vt odio non habeantur tantùm; nec præter ius afficiantur moleſtia.) [Et ſi fortè aliqui voluerint tranſire ad Iudæorum inſtituta, non ſunt hoſtiliter eliminandi, tanquam inimicorum poſteri: ſed hac conditione admittendi, vt tertia generatione vocentur in Eccleſiam, audituri diuina eloquia, eodem iure quo indigenæ ac patricij.]

Verum eſt, hanc quaſi probationem, indictam à Deo eſſe illis externis, antequam poſſent initiari, & fieri Epoptæ. Tamen quod priuſquam adiungerentur ad populum Dei, in vnum cœtum Religioſum eiurato Ethniciſmo, nullis aliis ex Dei lege fruerentur bonis, quam quod non eſſent habendi odio, & eliminandi, vt Philo inſinuat, non eſt admitttendum; Diuina enim iuſſa quæ per Moſem promulgata vidimus, multò plus ferunt: Indicunt enim amorem peregrinorum, eo quod Dominus ipſe eos amaret; & iuſtum ſit, vt qua conditione voluiſſent ipſi eſſe in terra Ægypti, cum eſſent in ea aduenæ, eadem eſſent apud eos alij aduenæ; quippè qui non ignari malorum, aliis condolere ac ſuccurrere didiciſſent. Itaque ſenſus quem ſubieci diuinæ legi, de quibuſvis aduenis, etiamſi diſparis cultus, humaniter tractandis, & amore ac beneuolentia proſequendis, ratus eſto, quippe per ſe fluens, & communis Sanctorum

SECT. I. CAP. III. *Scriptura contra Nationis amorem intemperatum.*

ctorum, & quorumuis idoneorum legis illius interpretum.

Deus ſibi conſtans, non eraſit alibi hæc oracula permittens capi vſura ab alieno.

NOn conuulſit Deus hanc ſuam legem, de abſtinendo violatione externorum, præ vniuerſali affectu erga omnes nationes, cum Deuter. 23. vetans Iudæum dare Iudæo ad vſuram, aliter tamen ſtatuit de alieno. *Non fænerabis*, inquit, *fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno.* Hic manifeſtum eſt *alienum*, non dici peruerſum, & veluti ſegregem à filiis Dei, vt cum Pſaltes ait, *Filij alieni, mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt*: Dicitur ergo *alienus* loco prædicto; qui non erat de gente Hebræa; atque videtur Deus approbaſſe illam alienigenarum vexationem. Verum cum vſura ſit intrinſece mala, non videtur Deus potuiſſe illam approbare, etiam reſpectu externorum. Vſura enim eſt exactio fructus è re non frugifera, vt etiam Ariſtoteles agnouit, atque adeò non poteſt honeſtari aliquo prætextu. Et ab ipſo Deo in ſacris litteris, tanquam iniqua ſæpè proſcribitur: ac ex Dei ſpiritu Patres in eam grauiſſimè conclamant, præſertim Ambroſius l. 3. de offic. Baſilius in pſalm. 14. conc. 12. tota, Hilarius in pſalm. 14. ad finem, atque Chryſoſtomus to. 5. Græcol. p. 63. Itaque ad ſummum, Deus permiſit, non approbauit vſuram propter duritiam cordis Hebræorum, & eorum rapacitatem, ac quæſtus ingluuiem inſaturabilem. Sicut eodem capite 23. Deuter. meretricium alienarum, ad maiora mala auertenda permittitur, quamuis non approbetur quippè iuri naturæ repugnans. Fortaſſis etiam *alienus*, à quo Hebræus permittitur exigere vſuram, non erat quicunque alienus, ſed hoſtis, vt Sanctus Ambroſius l. de Tobia cap. 15. eſt interpretatus. At hoſtis, cum iure belli occidi poſſit, multò magis poteſt parte bonorum ſuorum ſpoliari, non titulo exigendæ ab eo vſuræ, ſed titulo iuſtæ vſurpationis rerum eius. Qua ratione, nunc quoque Chriſtiani iuxta Damhouderium in Chriſt. paræn. poſſunt à Turcis vſuras exigere, non titulo vſuræ, ſed licitæ ſubductionis rerum ad eos attinentium, vt compenſentur damna propè infinita quibus affecerunt, & de nouo in dies afficiunt Chriſtianos. Quanquam de Chriſtianis ſpecialiter non grauatis à Turca, Molina tractat. 2. d. 693. concluſ. 4. atque Layman. l. 2. tractat. 3. cap. 12. quæſt. 6. aſſert. 3. exiſtimant, nefas eſſe illis, quicquam Turcis ſubducere titulo compenſationis, quod fundamentum æquè excluderet vſuras. Sed hoc nunc noſtra non refert. Maneat itaque eam Dei permiſſionem de non dando fœnori niſi alienis, non officere diuino mandato de affectu vniuerſali erga omnes nationes, per ſe loquendo.

Neque interdicens amicitiis, & connubiis cum Palæſtinis.

MVltò minus eidem mandato incommodat iuſſum quod fertur Exodi 34. de non iungendis amicitiis aut connubiis cum populis Palæſtinæ: Hoc enim iuſſum, non ſpectauit Palæſtinos illos, eo quod eſſent alterius nationis, quàm Iudæi: ſed ob periculum abductionis Iudæorum in idololatriam, cuius prurigine laborant. Præterquàm quod cum Deus eas gentes ob immania ſcelera addixiſſet internecioni, & terram eorum deſtinaſſet populo ſuo: non erat iuſtum, vt ipſe populus Dei, contraheret fœdera, iungerétque amicitias cum illis Orci victimis; mox exterminandis. Et nominatim caueri debuit, ne Iudæi in libidinem ſolutiſſimi, vxores ex illis gentibus acciperent, quarum pellaciis certiſſimè eſſent auertendi ab executione diuini decreti de extirpatione maledictarum illarum propaginum, & in cultum Deorum apud eos ingentem eſſent pertrahendi, vt manifeſtiſſimè deprehenſum eſt in Salomone, quem iam ſenem, mulieres alienigenæ complures, quibus copulatus eſt ardentiſſimo amore ad veſaniam per cultum idolorum impulerunt. Nam [Deceptrix res eſt mulier, & idonea ad decipiendum ſemel ſuis captos laqueis. Nam inter arma alia, habet voluptatem, qua mens vincitur.] Verba ſunt Sancti Cyrilli Alexandrini libro 7. in Iulia, agentis de ſubuerſione Salomonis, per nefaria connubia. Quæ ratio euincit, meritò non tantùm connubia cum gentibus diuino mandato exciſis vetita fuiſſe Iudæis, ſed etiam cum quibuſuis Idololatris, quales erant Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Sidonij, atque Cethæi, è quibus gentibus erant mulieres quæ infatuerant Salomonem. Ad quas gentes extenſum fuiſſe diuinum decretum Iudæis intimatum, de abſtinentia à coniugio cum alienigenis, dicitur 3. Reg. 11. Igitur hoc periculum per accidens comitaturum amicitias & connubia Iudæorum cum alienigenis, nihil effecit mandato diuino, de non auertendis externis: præſertim cum alius ſit interdicere nuptiis ac fœderibus, & amicitiarum neceſſitudinibus (quibus ſolis interdicebatur Iudæis erga alienigenas;) aliud excludere affectum per ſe honeſtum, & à quouis diſcrimine incurrendi peccati abiunctum, qualem ſolum Deus erga omnes externos mandabat.

Itemque vetans per Siracidem, induci alienigenam in domum.

ADhuc faciliusexpeditu eſt, quod poſſet opponi ex Siracide, ea inſigni conteſtatione de non inducendo in domum ſuam alienigena, id quod illuſtrat aliquot comparationibus, ſic docens. *Non omnem hominem inducas in domum tuam, multa enim ſunt inſidia doloſi.* Hæc de alio dicit alienigena, quàm de eo qui tantum ſit alterius nationis. Conteſtatur enim periculum eſſe ne cui imponatur, ſi in domum ſuam facilè inducat quoſcunque needum probatæ vitæ, nec compertos honeſtorum morum. *Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & ſicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum; ſic & cor ſuperborum, & ſicut proſpector videns caſum proximi ſui.* Quia initium omnis peccati ſuperbia, ideò *ſuperbum* accipit pro quouis iniquo, ſubdolè inſinuante ſe, & per ſimplicitatem admiſſo in familiaritatem intimam, priuſquam ritè exploraretur. Nec deeſt qui ſuſpicetur pro *ὑπερηφάνου* legendum fuiſſe *ὑπούλου*, id eſt, *perfidi ac ſpecie amicitiæ, proditoris.* Iniquus ergo & doloſus in amicitiam præproperè admiſſus, quantumvis beneficiis affectus

ctus, malum nihilominus iugiter machinatur. Sicut præcordia patria, quantumvis immittantur boni cibi, iugiter inhalant fœtorem, cum incommodo, & perſonæ cui inſunt, & cæterorum, quos ea graueolentia offendit. Nec aliter etiam ſe gerit perfidus ille quam perdix deliciosè nutrita intra caueam, vnde iugiter fugam meditatur, æquè ac caprea in laqueum coniecta, quo ſe expedire fraudato venatore contendit. Se item gerit idem proditor, ſicut ſpeculator, ex alta ſpecula proſpiciens ſecurè alienum caſum. Hæ ſimilitudines aliter quoque aptari poſſunt, & fortaſſis planiùs. Nimirùm vt ſenſus ſit, perfidus iſte ac iniquus, fugibus ſuis patentibus dolis, te implanabit, & illaqueabit, atque concludet ſicut perdicem venatoriam, aut capream laqueo obſtrictam, & ruinam tuam ſecurus ac ſimplicitati tuæ illudens perſpiciet. *Bona enim in mala conuertens, inſidiatur.* Interpretabitur maligne intentionem tuam rectam, *& in electis imponet maculam.* Etiam quæ ſanctè ac piè feceris, calumniando improbabit. Neque verò ſtatim adorietur te magnis noxis impactis, ſed ortus à minimis, in capitis periculum te adducet. Hoc eſt quod ſubditur à Siracide, *A ſcintilla vna augetur ignis, & ab vno doloſo augetur ſanguis; homo verò peccator ſanguini inſidiatur.* Itaque concludit ſapiens ſapienter. *Attende tibi à peſtifero, fabricat enim mala, ne fortè inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum.* Quis ſit iſte peſtifer, iſte fabricator malorum, & ſubſannationis perpetuæ inductor, explicatur in moniti clauſula, quæ ironicè accipienda eſt. *Admitte ad te alienigenam, & ſubuertet te in turbine, & abalienabit te à tuis propriis.* Non intendit hortari ad alienigenam admittendum, ſed prænunciat quid ſecuturum ſit, ſi admittatur in familiaritatem intimam, nondum benè probatus. Itaque manifeſtum eſt, alienigenam, de quo agitur, toto hoc monito, non eſſe hominem alterius nationis, ſed quemcunque minus notum etiamſi ſit eiuſdem gentis, vel etiam ciuitatis. Atque ita nihil hic aduersùs diuinum mandatum, de beneuolè tractandis externis.

Varietas amiciens ſponſam, expoſita de affectu vniuerſali.

PRæter locum ex Deuteronomij 10. impellentem ad amorem peregrinorum, de quo hactenus, afferri in eandem rem poteſt locus ex Pſalm. 44. vbi cyclas ſponſæ Regiæ ſiue Eccleſiæ, vocatur, *varietas.* Sic enim affatur ſponſum Pſaltes. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Et mox. *Omnis gloria eius, filiæ Regis, ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Quæ idcircò quod nondum inducta in thalamum eſſet, pro veterum more, à ſponſo *filia* denominatur internas dotes, ad quas humani oculi non peruadunt, habere dicitur præcellentes, exteriùs autem varietatibus circumamiciri, aut varietate circumdari. *Varietatis* porrò nomine, veſtis multicolor deſignatur, & hic, & apud Ezechielem cap. 17. v. 3. veſtis enim multicoloribus & variis contexta liciis, varia eſt atque polymita. Præclarè de notione vocis huius, in ſcripturis multiplici vocum cortice expreſſa, diſſerit Pradus ad illud Ezechielis v. 16. *veſtiui te diſcoloribus*, & Pineda l. 5. de Salom. cap. 4. v. 17. exponens Epithalamium Salomoni à Danide depactum. Cum autem varietas illa qua veſtitur Eccleſia, ſit *varietas vnitatis*, vt loquitur Caſſiodorus in pſalm. 44. eaque variorum vnitas veſtiens Eccleſiam, poſſit ad planè diuerſa referri; placent qui eam accipiunt de gentium omnium vnitate, ex quo coaleſcunt in vnam Eccleſiam Chriſti. De gentibus quiſque ſpopondit Eccleſiæ Deus per Iſaiam cap. 49. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamento veſtieris.* Itaque in Dei Eccleſia, omnes gentes prouinciatæ ſunt vniendæ, ſicut varia veſtis vnius licia, coaleſcunt in vnum multicolor veſtimentum. Idque eſt quod Sanctus Auguſtinus, varietatem, qua circumdatur & circumamicitur Eccleſia, refert ad varias linguas contexentes vnam Eccleſiam, quæ ſunt quidem multiplices veluti extenſiuè, *alia enim eſt* (inquit) *lingua Aſra, alia Syra, alia Græca, alia Hebræa; alia illa, & illa,* ſed omnes hæ gentes vna Eccleſiæ veſtis ſunt, vna ſacris inſtitutis, vna Sacramentis, vna dogmatibus, & eximie vna affectibus, quia ſecluſa diſtinctione nationum, amor in omnibus vigebit erga omnes, & erit in vnaquaque affectus Catholicus, & vniuerſalis.

SECT. I. CAP. III. Seruitus cõtra Nationis amicitiam incõ. peregrinos.

Natio piorum, dilectio, ex Siracide.

QVid vetat ad præſens quoque inſtitutum referre illud Siracidæ. cap. 3. *Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.* Dicuntur *filij ſapientiæ* qui ſe ſapientes produnt, ſicut filij obedientiæ, qui in ea virtute præcellunt. Sapientes ergo conſtant Eccleſiam iuſtorum, iuxta Eccleſiaſticum. Hi enim ſunt verè iuſti apud Dominum. Natio autem illorum eſt obedientia, & dilectio, hæc progenies eſt obedientium, & diligentium. Seruant enim exquiſitè Dei mandata, nominatim quæ ſpectant ad vniuerſalem omnium dilectionem. Ita vt hæ virtutes, videantur eſſe eorum pro apia ac genus [quia ſicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt,] ait agens de Noëmi proſapia Sanctus Ambroſius l. de Noë capite 4. eodem cum his virtutibus veluti vtero ſunt prognati, vt huc transferatur priſcum illud de Catone, *eodem illum vtero, quo continentia, eſſe progenitum.* Sunt item hæ virtutes, iiſdem pro ratione ac gente, nec aliam ſiue proſapiam, ſiue patriam, ſiue nationem agnoſcunt; quàm obedire Deo atque omnes cuiuſcunque demum ſint nationis diligere, induendo imitatione Dei, affectum vniuerſalem. Video *Nationem* apud Siracidem eo loco ſumi pro *natiuitate*; quo pacto apud Tullium libr. 3. de natur. Deorum, *Dea natio*, Dea erat Natiuitatis. Quanquam aliqui Codices legunt, *Naſcio.* Sed non video quid obſit, quominus interpretatio poſita admittatur, ita vt obedientia, & dilectio, ſapientibus dicantur eſſe pro gente, & patria.

Nouum Teſtamentum, totum, pro amore vniuerſali.

IN nouo Teſtamento, eo crebriores ſunt & vrgentiores affectus vniuerſalis commendationes, quo eſt congruentius Teſtamento amoris (vt illud ſæpè nominat Auguſt.) amorem profiteri maiorem ac protenſiorem. Et ſanè anguſtiæ illæ quas lex antiqua inſtitutis ad vnam nationem arctatis inuexerat,

ſublatæ

SECT. I. CAP. III. *Scriptura eſt contra Nationis amorem intemperatum.*

ſublatæ ſunt, & gentes quoque factæ ſunt participes diuinæ largitionis: atque adeò acceptæ in communionem amoris ex vnitate inſtitutorum efflorescentis. Hoc fuit dirumpi per Chriſtum maceriam, & diſſici parietem intergerinum, vt fierent vtraque vnum: quod nonnemo interpretatus eſt de cœleſtibus ac terreſtribus per Chriſtum conſociatis: Deo enim in Filij ſui ſanguine mortalibus conciliato; Angeli prius ab humano genere auerſi, & contra illud pro Deo ſtantes, alios animos erga hominem induerunt. Et hoc ſenſu Chriſtus Coloſſ. 1. dicitur in ſanguine ſuo pacificaſſe quæ in terris ſunt, cum iis quæ erant in cœlis. Meritò tamen alij cum S. Hieronymo Eph. 2. quod vtraque vnum facta eſſe dicuntur, & quod maceria antea dirimens, diſiecta affirmatur; referunt ad vnitatem Iudæorum ac Gentium, Chriſti morte conciliatam; & eius ſanguine veluti cæmento coagmentatam. Mutatis ſiquidem per Chriſti mortem Moſaicis inſtitutis, & diſparibus religioſi cultus abolita omnibuſque ad ſeruiendum Deo humero vno traductis, labium electum eſt reſtitutum; remotaque ea repentis vel etiam abalienati affectus occaſio, quæ ſolet religionis veritatem comitari: atque ita vnitas & vniuerſalitas affectus, ad gentes quoque priùs exoſas dilatati eſt conſecuta. Ex quo colligitur, affectum intemperatum erga nationem, pugnare directè cum eo fructu Crucis Chriſti, quo nationes prius abalienatiſſimæ & inuicem maximè diſſidentes, coagmentatæ ſunt in eius ſanguine cuius gutta, Nazianzenus orat. 42. in fine, id præſtitiſſe ait mortalibus, quod lactis coagulum, omnes ſe in vnum addenſaſſe. Qui in re ad veritatem expreſſum cernitur, quod ferebat Ethnica fabula de guttis ſacri ſanguinis, è quibus humanum genus cognatum, Ioue omnia ordinante, pullulauit. Argumentabatur ex ea fabula Iulianus Auguſtus in fragmento longo pag. 535. vocans *famam ab antiquis ſacrorum adminiſtris acceptam*: [Nimirum quo tempore Iupiter ordinabat omnia, ſacri ſanguinis guttas excidiſſe, è quibus humanum genus pullulauit. Ita ergo propinqui ſumus, omnes vtriuſque ſexus homines, quemadmodum Dij immortales affirmant; & ex rerum ipſarum teſtificatione perſuaderi neceſſe eſt, cum a Diis, vniuerſi originem traxerint] Nugaris blatero. Non à Diis omnes, ſed ab vno Deo procreati ſumus, ex quacunque demum gente ſimus; idque validiſſimum eſt affectus vniuerſalis incentiuum. Sed illud ſanè vrgentius, quod tametſi ex Dei ſanguine non pullulauimus, cum citra Dei ſanguinem ſimus facti, ſumus tamen Dei veri ſanguine refecti, ac vitæ miſerè deperditæ reſtituti, & omnes ea aſperſione ſanguinis coagmentati. Hæc veritas tam directè, contra affectum Nationis intemperatum, toto Nouo Teſtamento inſonat, vt videri poſſit, Nouum teſtamentum vniuerſum, aliud non eſſe, quam inuectiuam fortem contra amorem gentis immoderatum: & pungens aculeataque Satyra, contra delinquentes poſt Chriſtum, ea in parte.

Librata nominatim, quædam Pauli loca.

SEd cum in Nouo Teſtamēto vniuerſo, frequentiſſime iſta audiantur, apud Paulum tamen; qui vt Saluianus l. 3. de prouid. ait, in veſtigiis Domini ſui ambulans; patentiora quodammodo & expreſſiora pedibus ſuis fecit eſſe eius veſtigia, eſt hæc veritas, & teſtatiſſima, & frequentiſſimè inculcata. Paulus enim propè iugis eſt in celebranda & extollenda ea vnitate per Chriſtum inductà, admonétque inde aſſiduè, omnes populos vnum in Chriſto eſſe: Ex quo ſequitur, arctationem affectus ad vnam gentem, eſſe à Chriſtiana profeſſione alieniſſimam. Hoc enim fert indiſtinctio illa nationum & conditionum per Chriſtum inducta: idque eſt quod Apoſtolus c. 3. ad Galat, ait, *Omnes filij Dei eſtis, per fidem quæ eſt in Chriſto IESV. Quicunque enim in Chriſto Baptizati, eſtis Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque, Græcus, non eſt ſeruus, neque liber; non eſt maſculus neque fœmina. Omnes enim, vos, vnum eſtis in Chriſto IESV.* Ex eo quod per baptiſmum, quicunque eo initiantur, ſint Chriſto commortui, & conſepulti, ſimulque ad nouam vitam à Chriſti ſpiritu tanquam ab vna communi omnibus anima ſint informati, eruit Apoſtolus, omnes in Chriſto vnum eſſe, & ex quo vnus pro omnibus mortuus eſt, omnes in vnum quadantenus tranſiſſe: atque adeò ab eo tempore non ſpectari cuius gentis aut conditionis, aut ſexus quis ſit, cum omnia hæc diſcrimina, per vnitatem illam veluti formæ, totius huius myſtici corporis, ſint ſublata. Neque enim vnitas corporis ab Apoſtolo celebrata, arctatur ab eo ad vnam nationem vel regnum, vt benè conſiderauit Soto, in deliberat. de cauſa pauper. ſed ad omnem plane oram Chriſtianam diffunditur.

Eodem recidit illa alia Apoſtoli ad Coloſſenſes cap. 3. argumentatio. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis; & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius qui creauit illum; vbi non eſt Gentilis, & Iudæus circumciſio, & præputium, Barbarus, & liber; ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Chriſtianos expoliatos veterem hominem ac nouum indutos, (Græca enim ſunt temporis præteriti;) volt Apoſtolus conformes eſſe Deo ac Chriſto nec vllum nationis, conditionis, aut gradus habere diſcrimen; cum omnes vnum ſint in Chriſto. Atque ita quamvis olim inter varias gentes ac nationes intercederent ſimultates; & Iudæi abominarentur Ethnicos, hi viciſſim Iudæos auerſarentur atque deſpicerent; tamen ex quo Chriſtus omnes in ſeipſo adunauit, neceſſe eſt omnes illas nationum diſcretiones ceſſare. Vnde Deus, indiſcriminatim ſicut munera & beneficia, ita ſupplicia Iudæis & Græcis pro vtrorumque labore conſtituit, vt Apoſtolus Rom. 2. notauit ſcribens ad Romanos, & antesignanus Apoſtolorum conteſtatus eſt. Actor. 9. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Sic ille audita Cornelij cohortis Italicæ centurionis, curata cœlitus ad Chriſtum traductione; eumque tametſi ex alia, gente, tamen à Deo in Cruce mortuo purificatum nec deinceps communem ſiue profanum ac impurum habendum, ex obiecto ſibi diuino viſo & monito intelligens, depoſuit anteriores Iudaici affectus arctationes ad nationem ſuam. Vnde ex quo ad Cornelium & adunatos cum eo amicos eius intrauit, *dixit ad illos. Vos ſcitis quomodò abominatum ſit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus.* Itaque diſcriminatio omnis nationis inter Chriſto credentes, eſt profligata, & vt Apoſtoli, ad gentis varietatem non attenderent, Deus mandauit.

Chriſtus

Chriſtus non arctauit amorem Apoſtolorum, mandans ne in viam gentium abirent.

NOn eſt quod quis in contrarium opponat, mandatum à Chriſto Apoſtolis impoſitum apud Matthæum, c. 10. cum dixit, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael*. Nihil iſta ad rem præſentem. Nam hæc arctatio Apoſtolorum ad ſolam ſuam nationem, facta eſt anno ſecundo prædicationis Chriſti, quando ipſe præexercitatione aliqua, ad Euangelij diſſeminationem inſtructos volens Apoſtolos, eos reſtrinxit ad fines prædicandi ſibi ipſi conſtitutos. Erat enim Chriſtus, *miniſter circumciſionis*; id eſt, Apoſtolus Iudæorum tantùm, *propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum*. Deus enim maioribus Iudæorum, promiſerat Chriſtum. Itaque vt fidem datam liberaret, noluit Chriſtum aliis quàm Iudæis prædicare ex profeſſo; tametſi obiter, data quandoque occaſione, è gente aliquos iuuerit, vt Samaritanam, Chananæam, Leproſum alienigenam, etſi qui alij, fuere ſtillicidio quopiam Euangelico reſperſi. Ne ergò Iudæi Chriſto miſſo ad eos ſolos, ſi Gentibus ex profeſſo euangelizaret, offenderentur; abſtinuit Chriſtus, Gentibus ex inſtituto prædicare, ſed intra Iudææ fines ſe continuit. Et ad vitandam ſimilem offenſionem, par non fuit, Apoſtolos ad gentes mitti Chriſto nondum paſſo in carne. Poſt eius verò reſurrectionem, repagula illa effracta ſunt, iuſſis Apoſtolis docere omnes gentes, & vniuerſaliſſimi affectus nationes omnes complectentis, ſpecimen præbere. Itaque cum in præſentia agamus de amore nationis poſt conſtitutam Eccleſiam Chriſtianam, cuius initium ducendum eſt à miſſo in die Pentecoſtes Spiritu Sancto, nihil ad hanc rem facit, temporaria illa prohibitio, ne Apoſtoli in viam gentium abirent.

CAPVT IV.

Patrum voces, de neceſſaria homini Dei, temperatione affectus in gentem ſuam.

INtingentes Calamum in Spiritus Sancti pyxidem, è qua exaratæ ſunt Scripturæ, SS. Patres (quidni enim ad cæteros tranſferam, quod de Sancto Baſilio dixit Nazianzenus orat. 20. num. 100.) inculcant ipſi quoque, temperationem affectus erga nationem propriam, vt proinde è re præſenti ſit, aliquorum ex ipſis de hac re ſententiam audire.

Sanctus Iuſtinus antiquitate & ſapientia præcellens, interrogante Diogneto homine Ethnico, ecquinam eſſent Chriſtiani, eximiam ad eum dedit reſponſionem, qua per analogiam corporis cum illius æui profanis hominibus, & animæ cum Chriſtianis, perbelle expreſſit germanam ſerui Dei notionem. Et præter cætera, hoc de Chriſtianis tradit. [Patrias proprias habitant, ſed tanquam inquilini. Omnia cum aliis habent communia, tanquam ciues; & omnia patiuntur tanquam peregrini. Omnis peregrina regio, patria eſt eorum, & omnis patria eis eſt peregrina.] Qui hoc ſunt animo erga quemuis locum, & in omni regione habent ſe vt inquilinos, id eſt, vt aduenas ac externos, haud dubiè non affigunt affectum ſuum vni regioni, in qua eos edi contigerit; ac proinde erga omnes cuiuſcunque demum ſint regionis, optimè afficiuntur, idque eſt quod Iuſtinus in Chriſtianis celebrare intendit.

SECT. I. CAP. IV. *Patres pro temperando nationis propriæ amore.*

Tertullianus l. de vel. virg. c. 2. eundem in Chriſtianis omnibus ſenſum vigere debere ſignificauit, negans vllum Chriſtianum, aut aliquid ad eum attinens, poſſe alibi haberi extraneum. Negat inquã alibi degentes Chriſtianos, eſſe aut dici poſſe probatis Chriſtianis extraneos: [Cum quibus ſcilicet communicamus ius pacis, & nomen fraternitatis. Vna nobis & illis fides, vnus Deus, idem Chriſtus, eadem ſpes, eadem lauacri ſacramenta. Semel dixerim, vna Eccleſia ſumus. Ita noſtrum eſt quodcunque noſtrorum eſt.] Qui cum tot titulis vnita ſis, poſſit iungere extraneitatem cuiuſquam?

Pontius in Cypriano, nullum Chriſtianum eſſe vllibi peregrinum ac externum ex eo confirmat, quod vbiuis Chriſtiano ſit natale ſolum, vbiuis prouincia ſua & regio. Ex quo infert fruſtra & ab vrbe, exilium in pœnam irrogari Chriſtiano; [Cui totus hic mundus, vna domus eſt. Vndè licet in abditum & abſtruſum locum fuerit relegatus, admixtus Dei ſui rebus, exilium non poteſt computare. Adde quod, Deo integrè ſeruiens, etiam inter ciues ſuos, aut (propè dixerim,) inter parentes ipſos, vitæ terreſtris alienus eſt.] Qui eiuſmodi eſt, non affigit haud dubie affectum ſuum vni regioni, ſed fideles omnes agnoſcens pro fratribus, vniuerſali beneuolentia erga eos ducitur, è quacunque demùm regione prodierint.

Quo iure, allegari in rem præſentem poſſunt innumeri Patres, qui profitentur omnem verum ſeruum Dei eſſe in hac vita peregrinum, ac proinde à natalis ſoli, & propriæ regionis affectu immoderato auulſum. Tradit hoc diffusè S. Chryſoſt. hom. 24. in ad Hebr. tractans illud Apoſtoli de antiquis Patribus profitentibus quod *peregrini & hoſpites eſſent ſuper terram*. S. Auguſt. in pſal. 38. & ſerm. de Verb. Dom. idipſum præclarè confirmat, cum alibi ſæpè, tum nominatim ad illud Pſalmi 118. *incola ego ſum in terra*. Pulchrè ad caput 25. Leuitici, q. 91. exponens quod Deus vetuerat terram vendi in perpetuum, abſque ſpe reſtitutionis poſt centum annorum interuallum. Nam vbi nos legimus, *terra mea eſt, & vos aduenæ & coloni mei eſtis*, Ipſe legit, proſelyti & *incolæ vos eſtis ante me*. [Hoc eſt, (inquit,) quamuis proſelyti, id eſt, aduenæ ſint vobis qui ex alienigenis adiunguntur genti veſtræ vt incolæ nõ in terra propria manentes: tamen etiam vos omnes ante me aduenæ eſtis & incolæ. Hoc Deus ſiue Iſraelitis quod terras aliarum gentium, quas expulit, eis dederit: ſiue omni homini qui ante Deum ſemper manet, & vt ſcriptum eſt, cælum & terram implet, vtique præſentia ſua. Omnis homo aduena eſt naſcendo, & incola viuendo, quoniam compellitur migrare moriendo.] S. Gregor. 15. mor. c. 27. & ipſe quoque, variis locis, ſed præter cætera conſiderans lapidem caliginis, ſiue carbonem nigerrimum fouendo igni æterno addictum, hoc eſt, reprobum, diuiſum per huius vitæ torrentem è populo peregrinante, id eſt, à ſanctis & electis viatores ſe ac peregrinos agnoſcentibus. Optimè S. Ambroſ. ſer. 51. vniuerſum paſſionis Chriſti fructum in paranda peregrinis requie impenſiùs expendens, ex eo quod pretium proditionis Chriſti, magno Dei conſilio, non ſit illatum in corbonam, ſed expenſum in agrũ

SECT. I. CAP. IV.

Patres pro temperando nationis propria amore.

ad ſepulturam peregrinorum, quos proinde ſolos in eo agro excipi proditum eſt an verè, dico in tractatione de Iuda c.12. n.21.

Illum ipſum vniuerſalem animum, terram omnem pro regione ſua ducentem, quo inſtructum Chriſtianum perfectum, exhibuit Pontius, aſtipulantibus aliis Patribus allegatis, ſibi item ineſſe profeſſus eſt S. Baſilius, Naz. orat. 20. num. 74. eo ad Modeſtum Valentis Arriani præfectum reſponſo, cum is exilium intentaſſet ſancto viro, niſi ad partis Arrij cum Valente inflecteretur. [Exilium haud cognoſco, qui nullo loco circunſcriptus ſum ac neque terram hanc quam nunc incolo, meam habeo: & eam omnem in quam proiectus fuero, pro mea ducoimò (vt rectiùs loquar,) vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus.] Æquè magnifica, idémque ſonans quæ ex illo proditur vox. [Vnam omnium agnoſco patriam, paradiſum; Incola autem ſum in terra, ſicut omnes Patres mei.] Si vna omnium patria, multò magis vna regio, niſi ſi etiam patria (vt ſæpè alibi) pro regione ſumatur. Si Incolam ſe vbique etiam in vulgo dicta patria agnoſcit, mundanum eò & totius ſe mundi ciuem nullo circumſcriptum terreno loco profitebatur, æquè ac omnes patres ſuos fuiſſe agnoſcebat vſurpatis verbis ac ſenſis Dauidis pſal. 38. dicentis, *Aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut & omnes patres mei.* Neq; quod ſe *incolam* dixerat, eam notionem mutat, quæ voci *Aduena* ſeu *externi*, ac *peregrini* ſubiiciatur. Nam vt Diuus Auguſtinus quæſt. 156. in Geneſ. rectè tradit, nomen *Incola* his locis ſonat *Peregrinum*. Sicut etiam alibi pſalm. 119. nomen *Incolatus* pro peregrinitate ſumitur, cum à gemente quod tamdiu à vera regione ſua extorris degeret, dicitur, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola facta eſt anima mea.*

In propoſitum ſenſum iure acceperim, laudem à Gregorio Nyſſeno eidem Baſilio depactam in monodia. Præfatus enim Nyſſenus, nauci factum fuiſſe fratri Baſilio genus, ſubdit de patria; ſiue preſsè ſiue latè dicta, iuxta proximè adducta. [Similiter vna cum quæſtione generis, patriæ quoque mentio elicitur ac repudiatur. Qui enim ſe ſupra omnem mundum poſuerat, & quaſi coarctabatur in omni ſenſibili elementorum natura, adeò vt ne cœlum quidem ſupra ſe poſitum ferret, ſed ad vlteriora animâ contenderet; & ſenſibilem mundi ſuperans amplexum, ſemper in iis quæ cogitatione ac mente comprehenduntur, inambularet & occupatus eſſet, atque vna cum diuinis virtutibus in ſublimi verſaretur, & nihil impedimenti corporalis onere ad mentis iter impediretur; quando ſuſtineat, ſe à parte aliqua terræ cognominare, & per loci fœlicitatem atque commoditatem, ſibi laudes corrogare? Contumelia enim fuerit, & verarum laudum imminutio, ſi virtute ad conſiderandum propoſita, aqua, frondes, & flores, & glebæ, atque eiuſmodi res, admirationi ſint, cum alioqui quicquid liberæ voluntatis bonum non eſt, etiamſi quàm maximè pulchrum, commodum & egregium ſit, nullam famæ & nominis commendationem afferat, illi cui ſimul contigerit.]

Nazianzeno è regione Cappadocum orto, cum ad gubernacula Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ admotus eſſet, inde faceſſitum eſt negotium, quod externus eſſet ac alterius nationis, quod ipſe ſic refert & diluit orat. 25. n. 32. [At etiam peregrinum & externum præconem habemus, dices fortaſſe quiſpiam ex iis qui nimis circumſcripti & carni dediti ſunt. Quid? Nonne Apoſtoli peregrini fuerunt? Nonne multarum nationum atque vrbium hoſpites? in quas diuiſi ſunt vt Euangelium quaquauerſum curreret, nec quicquam triplicis luminis expers eſſet, ac veritatis luce minime perfuſum, adeò vt iis etiam qui in tenebris ac mortis vmbra ſedebant, ignorantiæ caligo diſcuteretur? Audi quid Paulus Gal. 2. dicat; *vt nos*, (inquit) *ad gentes, illi autem ad circumciſionem.* Sit ſanè Petri Iudæa: quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Ioanni cum Epheſo, Thomæ cum India, Marco cum Italia? Quid cæteris omnibus, (ne ſigillatim loquar,) cum iis ad quos profecti ſunt? quare aut illos etiam obiurga, aut mihi quoque ignoſce. Aut oſtende, cum veræ doctrinæ potiſſimam curam geras, ex inſulſis tantùm nugis tibi calumniam ſtrui. Quoniam autem de his rebus humiliter tecum hactenùs & abiectè diſſerui, age ſublimiùs iam nunc, & magnificentiùs diſputabo. Magnis omnibus & excelſis viris ô homo, patria vna eſt, ſuperna Hieruſalem, in quam conuerſationem noſtram recondimus &c. Terrenæ autè hæ patriæ, atque hæc generum diſcrimina, breuis huius ac caducæ vitæ noſtræ ac ſcenæ, ludi ſunt. Quam enim quiſque terram, ſiue per tyrannidem, ſiue per calamitatem anteoccupauerit, ea patria dicitur; cuius omnes æquè hoſpites & aduenæ ſumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.

Sanctus Auitus Epiſtol. 9. ſcribens ad Sanctum Cæſarium Arelatenſem, eique commendans Maximianum Epiſcopum oculis grauiter laborantem & è diſſitis admodùm oris, (quæ illæ eſſent, incertum;) ad Regionem Arelatenſem ſpe facta ſubleuationis incommodi quo laborabat proficiſcentem; præter perſonæ merita, & calamitatem ex communi regionis ſuæ ſubuerſione, dignam cui Cæſarius impenderet miſerationem, qui pro ſua pietate vbique quærebat miſericordiæ aditum; præter hæc, inquam, quæ vrgendo S. Cæſario videbantur ſufficientia, & externi licet hominis ſubleuationi exorandæ accommodata; addit S. Auitus, quod Maximianus externus homo eſſet, & longæ peregrinationis laborem ſuſcepiſſet, ſe verò id non attendere. [Quia quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vaſtitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus ſacerdos dici non poteſt, vbi Catholica reperiri Eccleſia poteſt.] Optimè. Sed quod de ſacerdote, (id eſt, de Epiſcopo, dicit, quod vbi eſt Catholica Eccleſia, ibi non poſſit dici eſſe peregrinus ſiue externus; æquè haud dubiè pro quouis fideli valet. Nam ipſe quoque ad Catholicam Eccleſiam pertinet. Vnde ſi Antiſtes quiſpiam, tametſi extra ſuum territorium conſtitutus, & nihil plus habens iuriſdictionis quàm laicus, tamen quia de Eccleſia eſt, peregrinus dici non poteſt, vbicunque Chriſtiana Eccleſia habet locum, profectò neque fidelis laicus poteſt peregrinus cenſeri, de S. Auiti ſententia, vbicunque eſt Eccleſia Catholica.

Auerſantur ergo Patres eam circunſcriptionem illorum Chriſtianorum, qui cum ſe Catholicis profiteantur, quæ (vox, *vniuerſalem* ſonat, & ad omnes Nationes pertinentem non vt cenſuit S. Pacianus, Epiſtol. 1. ad Sympr. refragrante Sancto Auguſtino Epiſtol. 48. *vniuerſaliter obedientem*,) finibus regionis ſuæ concludere fidem videntur, cum eum terminum præfigant affectui voluntatis. Explodendi eodem modo quo Donatiſtæ illi qui *Catholicos* ſe nuncupantes, anguſtis Africæ limitibus

limitibus arctabant Oecumeniſmum, nomini Catholico reſpondentem.

Adduci denique in rem præſentem poſſunt, omnes Patres hoſpitalitatem commendantes. Nam vt bene obſeruat Soto in deliber. de cauſa pauper. cap. 4. hoſpitalitas propriè exercetur erga externos & aduenas. Quamuis enim cuius quoque poſſit tecto excipi, tamen ea non eſt propriè dicta hoſpitalitas; ſed quæ alien genæ ac peregrino impenditur. At hoſpitalitatem omninò multi PP. mox adducendi, celebrant; qui proinde eo ipſo, amorem vniuerſalem erga omnes nationes commendant.

CAPVT V.

Antiquis Chriſtianis temperationem amoris erga nationem cuique ſuam, & affectum bonum in exteros, gentis diſcrimine eliminato, fuiſſe cordi quàm maximè.

Efficaciora ſunt exempla quàm verba, vt benè proſequitur Lactantius l. 4. c. 23. [Quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Vtinamque tam multi benè facerent, quam multi loquuntur benè. Sed qui præcipiunt, nec faciunt, ab eſt ab iis fides.] Operæ pretium igitur eſt, dictis Sanctorum circa neceſſariam temperationem affectus erga gentem ſuam, & conuenientiam affectus incenſi erga alienam, adiungere facta & exempla, pauca de plurimis.

Qui nationem rogant; ſe Chriſtianos dixere, non fuere Nationales.

Magnam temperationem in propriæ nationis amore præferunt reſponſa variorum ſanctorum, qui interrogati ciuites eſſent, aut ad quam gentem ſiue nationem referrentur, prætulerunt nomen nationis, & omnia alia reſponderunt. Fecit hoc Diaconus Lugdunenſis nomine *Sanctus*, flagrante Lugduni perſecutione Antonini, deſcripta in Epiſtola ad Aſianos, quam Euſebius l. 5. ſuæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ intexuit. Inuictus hic Chriſti pugil nomen ſuum, & gentem, ac ciuitatem, & conditionem interrogatus, illud ad omnia talia interrogata reſpõſum dedit. *Chriſtianus ſum*, id pro natione & ciuitate, ac omnibus terrenis habens. Idipſum narratur in Actis SS. Probi, Tharaci, & Andronici, non ita pridem ab Heriberto Roſuedio euulgatis. Affinia de S. Luciano Martyre, memorat S. Chryſoſt. in eius laudat. & de S. Concordio, Ado, ac de omnibus ſanctis 40. Martyribus, D. Baſilius 1. Iannar. in eorum Encomio. Sic enim de eis habet. [In medium procedentes, ſeſe Chriſtianos eſſe faſſi ſunt. O beatas linguas quæ ſacram illam vocem emiſerunt, quam aër quidem excipiens, ſacer eſt factus: Angeli audientes, plauſerunt, diabolus verò cum dæmonibus magnam accepit plagam; Dominus poſtremò in cælo deſcripſit. Igitur horum quilibet in medium procedens, En, (ait,) *Chriſtianus ſum*. Et veluti in ſtudiis qui ad certamen prodeunt, dicunt ſua nomina, & in locum pugnæ deſcribuntur: ſic & hi nunc nobilitatis generiſque ac dignitatis propriæ obliti, tantùm ſeruatoris ſui profeſſi ſunt nomen, quod omnes ordine fecerunt. Ex quo facta eſt omnium vna appellatio. Non enim talem, ac talem, ſed Chriſtianos, omnes ſe clamarunt.] Hoc eis pro familiæ, patriæ, gentis, ac nationis nomine fuit. Hæc reſponſa aperte ferunt, hos ſanctos non fuiſſe peculiariter addictos ſuæ nationi: ſed omnem regionem, in qua vigeret Chriſtianiſmi profeſſio, habuiſſe pro regione ſua: nec ſecùs erga quamcunque Chriſto addictam gẽtem fuiſſe animatos, quàm erga ſuammet regionem, intra limites Charitatis ordinatæ; quod eſt duci ſpiritu vniuerſali, & agi affectu non arctato ad vnam duntaxat nationem.

SECT. I. CAP. V. *Praxes amoris exterorum, in antiquis Chriſtianis.*

Pachomius, viſa Chriſtianorum in exteros charitate, conuerſus.

Lvculentum exemplum eiuſdem affectus vniuerſalis extra nationem ſuam diffuſi, ſubminiſtrant Acta S. Pachomij, cum diſcribunt, qua via Spiritus Sanctus eum ex Ethniciſmo ad ſubeundum leue Chriſti iugum adduxerit. Cum enim Conſtantino Magno in Maxentium Tyrannum expeditionem adornante, mandatum eſſet vt lectiſſimi quique iuuenum ad militiæ tyrocinium tenerentur; (& erat non mollis, ſed aſpera iatis detentio;) inter cæteros Pachomius annos natus viginti, in Tyronum numerum venit: Militibus appulſis Thebas, vt volunt aliqui, id eſt Oxirinchum Thebaidis ciuitatem Chriſtianam, quamuis eſſent aduenti ex variis prouinciis, ac eo loco peregrini omnes atque externi, tanta tamen charitate à Chriſtianis illis ciuibus excepti ſunt, vt Pachomius ſtuperet; ac ſciſcitatus quæ ea gens eſſet, adeò erga externos, & antea ignotos homines benè animata, reſponſum tulit, eſſe gentem Chriſtianorum, ſummi ac ſolius veri Dei cultui mancipatam: Non eſt ſurdo cantatum. Nam ex adeò indiſtincta charitate erga quaſcunque nationes, veritatem religionis odoratus, voto ſe aſtrinxit, cum primùm per ſolutionem à militia liceret, adiungendi ſe Chriſto: nec eius duntaxat Inſtituta communia profitendi, ſed etiam capeſſendi Chriſtianæ perfectionis conſilia, quod & fecit; & ex his initiis, euaſit in Pachomium. Gennadio dicitur l. de ſcriptor. c. 7. [Vir tam in docendo, quàm in ſigna faciendo, Apoſtolicæ gratiæ, & fundator Ægyptij cœnobiorum.] Multa occurrunt in hac narratione, meritò inſpicienda. Sed in præſentia ſufficit obſeruare, quanta fuerit priſcorum Chriſtianorum erga exteros Charitas: Quid feciſſent erga fideles peregrinos, qui etiam erga Ethnicos milites alienigenas, erant tam benè animati.

Proteus peregrinus, argumentum antiquæ Chriſtianorum charitatis in exteros.

Exquiſitam præterea veterum Chriſtianorum charitatem in exteros, docemur ex Luciano, Peregrini Philoſophi cognomento *Protei* impoſturas deſcribente. Eum abs ſe Athenis diuerſante viſum in tugurio extra vrbem viriliter ac honeſtè philoſophantem ſcribit Agellius l. 12. c. 11. vocans *Virum grauem* atque *conſtantem* quod quomodò cum indita illi *Protei* appellatione quadret, non ſatis perſpicio. Hic igitur è Paro inſula Philoſophaſter, patris ſui interfector, & pæderaſtiæ infamia flagrans, ſolum patrium vertens, Chriſtianorum erga fideles quoſcunque, etiamſi exteros, liberalitatis benè conſcius, dedit inter eos nomen, & ſacro lauacro externa ſpecie ablutus eſt. Nam omnia per ſimulationem, planus improbiſſimus faciebat, tantùm vt Chriſtianos exſugeret, ac

SECT. I. CAP. V. *Praxis amoris ex eorum in eos quis Christiani.*

eorum impenſa ſibi proſperceret. Quod autem, vt ex Tertull. & S. Cyprianiæ edidicimus, peculiariter curarentur qui pro fidei confeſſione in carcere contruſi ab Ethnicis fuiſſent neque hoc artificium quo ſibi mar upium ex Chriſtianorum oblationibus large ſubminiſtratis turgeret, prætermittendū putauit. Itaque trudi in carcerem à Syriæ præſide, vaferrimo conſilio curauit. Vnde poſtmodum, auro Chriſtianorum ſufiarcina us prodiit. Neque enim Chriſtiani, ſiue ad lautam tractationem Martyrum deſignatorum, ſiue ad redemptionem libro de uis facultatibus annumerato, deſiderari aliquid patiebantur. Regreſſus in patriam poſt exſolutionem, parte auri a Chriſtianis ſuppeditati impetratam, ad ſecundam peregrinationem ſe accinxit, viatici negligens, quod vbiuis ſibi, Chriſtianorum in ſuos, atque in exteros, liberalitatem, abundè omnia ſubminiſtraturam experimento ipſe ſuo compertum haberet. Et res ad tempus ceſſit ex ſententia, vbique enim à Chriſtianis maxima cum charitate exceptus eſt, & quocunque liberet deductus. Sed tandem in flagitio quopiam deprehenſus à Chriſtianis, proſcriptus eſt; atque ita eorum largitate ſiccata, implicitus eſt magnis difficultatibus, quas poſt complures vagationes, etiam Romani vſque, vnde edicto Veſpaſiani Philoſophos relegantis, abactus eſt, turpi fine concluſit in Olympiis: Viuicomburio, cui ſe ad famę immortalitatē ſolēni pōpa addixerat, in cineres ſolutus. vt Lucianus, rei geſtę oculatus teſtis, eſt autor.

Perſpicuum videtur, hunc planum, ex quo ſe in Chriſtianorum numerum ſimulando inſinuauit, cū ſolum veheret, alióque cōmigraret, iis litteris munitum vix ſe dediſſe. quas peregrinantibus fidelibus datas SS. Optatus lib. 2. & Auguſt. epiſt. 163. teſtantur. *Formatas* paſſim appellant. D. Auguſt. *communicatorias* dixit. Theophilus Alexandrinus epiſt. 1. & & 3. Baſil. *pacificas*, quo item nomine vocantur in Synodo Chalcedonenſi can. 11. Quanquam notio litterarum ſiue formatarum, ſiue pacificarum, latiùs funditur, quam ad eas quæ dari ſolebant pauperibus fidelibus peregrinantibus, cum etiam quæ literæ à recens ordinatis Epiſcopis dabantur ad Collegas, *pacificæ* denominarentur, vt apud Balſamonem videre eſt, & literæ teſtes gradus ſacri quo quis in Eccleſia potiretur *formatæ* appellarentur. Excutiunt iſta diligentius qui de literis Eccleſiaſticis ſcripſere, Geraldus Rodolphus, atque Ferrarius. Ad rē noſtrā ſufficit, quod fideles peregrinantes, literis præpoſitorum Eccleſiæ exhibitis, curarentur ſubſidiis Chriſtianorum quos adibant, vel per quos tranſibant, præſertim ſi litteræ eiuſmodi eſſent, quibus quis vel Clericus exiſtens, vel in Eccleſia opere clarior commendaretur, vnde & *commendatitiæ* dicebantur, quarum literarum mentio eſt in Concilio Chalcedonenſi c. 11. & 13. Et huiuſmodi videntur fuiſſe literæ datæ huic peregrino, quandoquidem Lucianus eum inter Chriſtianos adeò prouectum ait, vt profiteretur inter Prophetas, & rerum ſacrarum Magiſtros, atque Doctores.

Externorum exceptio quàm cordi eſſet priſcis Chriſtianis.

Verùm abſque vllis quoque literis, ſiue cōmunicatoriis, ſiue cōmendatitiis, fideles antiquos priſcorum Patrum inſiſtentes veſtigiis, & fructibus hoſpitalitatis in ſcriptura decantatis permotos, in externos ſiue fideles, ſiue etiam quoſcunque, beneficentiam beneuolentię indicem, lubentes exprompſiſſe, eſt vulgatiſſimum. Idque nominatim in S. Bonifacio etiam cum in voluptatum in cœno libidinis, celebrat Petrus Damiani ſermone de eo. At hi ipſi iam qui interdum fugiebant in hoc officio charitatis, increpabantur tanquam degeneres a maioribus, & tenuiſſimo opere diuinā frugem feraci Scitè Origenes hom. 5. in Geneſ. [Miſſi Angeli ad ſubuerſionem Sodomorum, cum iniunctum cuperent maturare negotium, curam prius gerunt hoſpitis Loth, vt eum de imminenti ignis excidio, contemplatione hoſpitalitatis eximerent. Audite hæc qui peregrinis clauditis domos, audite hæc qui hoſpitē velut hoſtem vitatis. Loth in Sodomis habitabat: alia eius benè geſta non legimus. Hoſpitalitas in eo, ola ex vſu veniēs, memoratur: Euadit ignes, euadit incendia, ob hoc ſolum quod domum ſuam patefecit hoſpitibus. Hoſpitalem domum Angeli ingreſſi ſunt. Clauſas hoſpitibus domos, ignis ingreſſus eſt. Celebrarunt hoſpitalitatem tanquam opus Apoſtolicæ doctrinæ admodum conſentaneum, & primis Chriſtianis maximè frequentatum, omnium verò ſæculorum Patribus, Ambroſio 2. de offic. cap. 21. & l. 3. cap. 7. præſertim Chryſoſtomo conc. 2. de Lazaro & homil. 41. in Geneſ. Auguſtino ſerm. 70. de tempore apprimè probatum, ex poſteriorum temporum Doctoribus omnino multi, vt S. Bernardus epiſt. 241 quæ eſt ad Toloſanos, Petrus Bleſenſis epiſt. 2. Alardus Amſtelredamus in encom. hoſpitalit. Petrus à S. Audomaro Veſtcappellius tract. de hoſpital Monachor. Paulus de Angelis toto l. 5. de Eleëmoſ. de poteſt. Epiſcop. p. 1. tr. 11. concl. 9. ac pleſique interpretum ad illud 1. Petri 4. *hoſpitales inuicem ſine murmuratione*: aut ad illud de Epiſcopo ad Titum 1. à Barboſa toto l. 5. de eleëmoſ. & Eſpencæo digreſſ. l. 1. c. 1. ac Coſma Magaliano ibi plenè illuſtratum, *hoſpitalem benignum*, nec non ad illud omnibus indictum Rom 12. *hoſpitalitatem ſectantes*. Et Hebr. 13. *hoſpitalitatem nolite obliuiſci*, & ad illud Matthæi, *qui recepit Prophetam*, vbi nominatim Rupert. cap. 19.

Cadit ſub obligationem, præſertim Eccleſiaſticorum.

Neque verò hoſpitalitas propriè dicta, qua ſcilicet peregrini & aduenę indiſcriminatim excipiuntur, liberi mis inter Chriſtianos habita eſt, ſed tanquam ex neceſſitate præcepti obeunda, vt liquere poteſt ex hoc decreto Synodi Trullanæ c. 9. in ea adiecta. [Admonendi ſunt omnes, vt hoſpitalitatē diligant, vt nulli hoſpitium præbere detrectēt: Et ſi cui fortè hoſpitium præſtiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, niſi fortè illi qui recipiuntur, ſponte ſua aliquid dent. Dicendum quoque eſt illis, qualiter multi per hoſpitalitatis officiū deo placuerunt, dicēte Apoſtolo, *per hanc enim placuerunt quidā Deo, Angelis hoſpitio ſuſceptis*. Et iterū *Hoſpitales ſine murmuratione*. Et ipſe Dominus ad iudicium veniens, dicturus eſt, *hoſpes erā, & non collegiſtis me*. Sciant quicunque hoſpitalitatem amant, Chriſtum ſe in hoſpitibus recipere. Nam ille modus hoſpitalitatis, non ſolum inhumanus, ſed etiam crudelis eſt, quo nunquam in domum hoſpes ante recipitur, niſi prius dandi hoſpitij merces compenſetur, & quod Dominus agere iuſſit pro perceptione regni cœleſtis, pro acquiſitione terrenarum rerum agatur.] Non damnantur crudelitatis caupones, quibus artificium ad vitam ſuam, & familiæ ſuſtentandam, eſt apparatio ciborum, & diuerſorij commodatio aduenis. Diuites tamen qui cum poſſent gratis excipere aduenas, pretio conuenio excipiunt, ij ſunt qui Concilij oratione percelluntur

celluntur, & cuiuſdam inhumanitatis notantur. Sicut à S. Ambroſio refertur c. paſce diſt. 86. dicuntur occidere, qui cum poſſint, egenum non paſcunt. Inter interrogationes ab Epiſcopo in ſolemni parochiarum viſitatione faciendas, hæc apud Burchandum l. 1. c. 94. inter. 71. proponitur: Num eſſent in Parochia, qui peregrinis aut viatoribus hoſpitiũ negaſſent. Idque ibi recenſetur tanquam culpa, de qua ex officio ſit ab Epiſcopo inquirendum. Supponit ergo ea interrogatio, verum eſſe quod dicebam de non libera diuitibus exercitatione hoſpitalitatis. Confirmari item poteſt ea obligatio ex 2. Concilio Matiſconenſi can. 11. quod ſic ſtatuit. [Sectatores hoſpitalitatis nos eſſe, non ſolum Dominus IESVS admonet, cum ſe dicit in hoſpitem receptum fuiſſe; ſed etiam in multis locis Apoſtolus, omnibus penè præceptis. Propterea beatiſſimi fratres, vnumquemque noſtrum oportet non ſolum ad hoc opus aptare, ſed etiam omnium fidelium mentes, vt poſſint apud Deum miſericordiæ operibus pro noſtris peccatis intercedere; & nos ei per veram hoſpitalitatem reconciliari. Si quis ergo noſtrum non admonuerit; aut exemplum exhortationis ſuæ ipſe prius comprobarit opere, indignationem diuinæ procul dubio incurreret maieſtatis: Prædicetur hoc noſtræ mediocritatis ſtatutum, in auribus omnium Chriſtianorum.] Hæc poſtrema ferre videntur, totum Canonem ad omnes Chriſtianos pertinere, non autem ad ſolos Clericos vel Epiſcopos, vt videri poterat inſinuatum ex Canonis principio, & ex illa compellatione, *Beatiſſimi fratres*. Sed clauſula Canonis, manifeſtè ad omnes pertinet.

Quanquam non eſt dubium, quin præ laicis Clerici opulenti, & maximè Antiſtites, ad hoſpitalitatem ſint obſtricti, quod Interpretes & Patres confirmant ex verbis Pauli, ſtatuentis Epiſcopum debere eſſe *Hoſpitalem*, Græce eſt, φιλόξενον, id eſt amatorem aduenarum & externorum, vt benè notauit Laurentius à Villauicentio, l. 2. c. 7. tractans œconomiam pauperum; inde inferens huiuſmodi hoſpitalitatem erga peregrinos, eſſe de ratione Epiſcopalis dignitatis; id eſt, maximè pertinere ad Epiſcopum. Is enim niſi peregrinos hoſpitio excipiat, & quidem omnes, hoc eſt, cuiuſcunque gentis; inhumanitatis notabitur, vt diſertè ait S. Hieron. ad Titum 1. & ad Oceanum nec non S. Auguſtinus ſer. 1 de com. vita Cleric. Nominatim ſanè Apoſtolus, inter dotes idonei Epiſcopi, numerat eſſe *Hoſpitalem*. Et idem commendat Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 8. Eum verò qui ab hoſpitalitate alienus eſſet, non debere in Epiſcopum promoueri ſcripſit S. Gregorius l. 11. ep. 6. Diffuſè hoc verſat Alphonſus de Fores in ſacerdotum Inſtitutione, cum agit de hoſpitalitate. Idem benè illuſtrat Epiſcopus Iuris Canonici conſultiſſimus, cuius nuper vita functi memoria tanquam patroni ſingularis mihi ſemper in benedictionem erit, D. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 1. tit. 11. concl. 9.

Diotrephes & aſſeclæ, indigni ſacra rectione.

INdigni itaque erant Epiſcopatu, cum Diotrephes ille, cuius mentio eſt apud S. Ioannem, Epiſt. 3. c. 1. tum alij à S. Hieronymo mox adducendo memorati. Diotrephem fuiſſe Epiſcopum, diffitentur aliqui ſed plures admittunt, idque potius ſignificant D. Ioannis de eo verba. Eſſe autem Epiſcopatu depoſitum propter ſcelera atque ſuperbiam, ac nominatim ſcelerum eius vnum fuiſſe, quod impediret ſuſcipi hoſpites in Hiſpaniam peregrinationis gratia profectos, ſcribit Flauius dexter. Hæreſiarcham facit Beda Ioan. 1. eiuſque hæreſim fuiſſe quod doceret non eſſe impendendam peregrinis humanitatem, ſcribit Bernardus à Luxemburgo in Hæreticorum Catalogo, v. *Diotrephes*. Et annuit ferè Prateolus ad 3. ep. Ioan. niſi quod arctat eius errorem ad reiectionem peregrinorum fidelium quibus infenſus erat; homo (vt videtur Eſtio,) Iudaizans, cui ſoli Chriſtiani qui ex circumciſione erãt, aut legalia cum Chriſti fide copulabant, accepti erant. Id enim eſſe videtur quod ei tribuit S. Ioannes, *Neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt, de Eccleſia eiicit*: Fratribus enim, id eſt, ſynceris Catholicis, non communicabat & communicantes mulctabat excommunicatione vt Richelius exponit. Eamque in fideles auerſionẽ, ex zelo Iudaiſmi fuiſſe in his Iudaizantibus acerrimã, ita vt ſupra alios flagrarent odio in purè Chriſtianos, habetur ex Epiphanio. hær. 28. 29. & 30. Non fuit ergò hæreſis ſuperbi iſtius Diotrephis, quod malum eſſet exhibere peregrinis humanitatem, vt ei perperam tribuit Bernardus Luxemburgenſis; rectè reiiciente Alfonſo de Caſtro, v. peregrinus, ſed cum laboraret hæreſi de neceſſitate obſeruationis legalium, auerſabatur in fermentatos Chriſtianos; & eorum exceptores eiiciebat ex Eccleſia.

Non erit incredibile hoc feciſſe ſuperbum hominem Apoſtolico mucrone transfixum, cum tempore S. Hieronymi reperirentur, qui eadem præſtarent. Sic enim ille exponens illud Epiſtolæ ad Titum, ſed *hoſpitalem*, poſt allegatum locum Ioannis collaudantis Caium ob benignam exceptionem peregrinorum, & culpantis Diotrephem ob contrariam cauſam [verè nunc eſt cernere quod prædictum eſt. In pleriſque vrbibus Epiſcopos ſiue Presbyteros, ſi Laicos viderint hoſpitales, amatores bonorum; inuidere, fremere, excommunicare, de Eccleſia expellere; quaſi non liceat facere quod Epiſcopus non faciat; & tales eſſe laicos damnatio ſacerdotum ſit. Graues itaque eos habent, & quaſi ceruicibus ſuis impoſitos, vt à bono abducant opere, variis perſecutionibus inquietant.] Eadem repetit alibi. Non attinet quærere, cuiuſmodi eſſet ea excommunicatio, cum per ſe pateat, eam contineriſſe errorem intolerabilem, (vt benè notat Thomas Anglicus; in epiſt. 3. Ioan.) nec ei fuiſſe diſſimilem, quã Iudæi, confitentes Ieſum eſſe Chriſtum, faciebant extra Synagogam, vt habetur Ioan. 9. ſed eò deuenit auaritia indignorum Epiſcopi nomine, in quam vlterius cõclamare non eſt huius inſtituti, quod tantum ſpectat vſum antiquæ Eccleſiæ, de exhibenda ex obligatione charitatis vniuerſalis hoſpitalitate peregrinis cuiuſcunque nationis: quæ obligatio Epiſcopos præcipuè vrgens, omnibus fidelibus eſt communis, cum per facultates id poſſunt, vt hactenus variis teſtimoniis & exemplis ſanctorum eſt demonſtratum; quibus aut hoſpitalitatem propriè dictam id eſt aduenis impenſam celebrant, aut eius neceſſitatem Chriſtianis iniectam teſtantur.

SECT. I. CAP. V. *Praxes amoris externorum in antiquis Chriſtianis.*

Gloria, externorum exceptioni, promiſſa.

SEd quid attinet teſtimonia aut præconia aliunde hoſpitalitati corrogare, cum teneamus cæleſte oraculum Matt. 25. conſignatum, quo inter cauſas electionis ad gloriam, ea recenſetur, *hoſpes eram & collegiſtis me?* Et è contrario, vna è notis reprobationis ibidem profertur, *hoſpes eram, & non collegiſtis me*. Vox Græca ξένος, propriè ſonat errantem abſque domo, in terra aliena, vt notat Franciſcus Lucas, quod obſeruandum fuit, ne quis aberret, exiſtimans collectionem hoſpitalem, cui Chriſtus ſpondet gloriam

SECT. I. CAP. V. *Praxes amoris exterorum, in antiquis Christianis.*

gloriam cœleſtem, eſſe exceptionem amici, cum quo homo habeat teſſeram hoſpitalitatis (*Conteſſationem* appellat Tertullianus l. de præſer. cap. 20.) qualem plerique habuere tabulis quoque æneis aut marmoreis teſtatam, vt videre eſt in exemplis tabularum quæ addendat Iacobus Philippus Tomaſinus l. de teſſer. hoſpit. c. 2. & 3. & 16. Non agit de huiuſmodi hoſpitibus Chriſtus. Nam cum etiam Ethnici, ex motiuo humanitatis naturalis ac Philoſophicę, huiuſmodi hoſpitalitatem exercerent, non eſt ſtatuendum eius præmium ſupernaturalis gloria, quæ condignè rependitur iis qui iuſtum in nomine iuſti recipiunt; vt Chriſtus ait apud Matthæum 10. id eſt, quia ex motiuo charitatis reuelatæ, in illud opus, etiam erga exteros, & ignotos ſe impendunt. Et hac ratione ſumitur vox *hoſpitis* apud Apoſtolum Epheſ. 2. cum dixit: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & Domeſtici Dei.* Quos vulgata editio nominat *hoſpites & aduenas*, Hieron. ibi conſentaneè ad Græcum contextum, vocat *peregrinos & accolas*: quæ voces iuxta Tullium l. 1. offic. *externos* & è longinqua regione in alienam peruectos ſonant. Hoſpites igitur de quibus inter electionis ligna agitur, ſumendi ſunt in ea notione quam Euagrius adhibuit, dicens [Hoſpes & pauper, Dei collyrium ſunt. Qui eos exceperit, confeſtim oculorum vſum recuperabit.] Allegat hunc locum S. Damaſcenus l. 2. paral. c. 16. *in fine.*

De hiſce hoſpitibus egiſſe Chriſtum, rectè vidit S. Ambroſ. l. 2. offic. c. 21. in præclaro hoſpitalitatis elogio, è quo decerpo nonnulla. [Commendat pleroſque hoſpitalitas. Eſt enim publica ſpecies humanitatis, vt peregrinus hoſpitio non egeat, ſuſcipiatur officioſe, pateat aduenienti ianua. Valdè id decorum eſt totius orbis exiſtimatione, peregrinos cum honore ſuſcipere, non deeſſe menſæ hoſpitalitatis gratiam, accurrere officiis, explorare aduentus hoſpitum. Quod Abrahæ laudi eſt datum, qui ante ianuam ſuam ſpeculabatur, ne fortè præteriret peregrinus aliquis, & diligenter prætendebat excubias, vt occurreret, vt præueniret, vt rogaret; ne tranſiret hoſpes, dicens, *Domine ſi inueni gratiam ante te, ne prætereas puerum tuum.* Et ideò pro hoſpitalitatis mercede, fructum poſteritatis recepit. Loth quoque nepos eius, non ſolum genere, ſed etiam virtute proximus, propter hoſpitalitatis affectum, Sodomitana à ſe ſuiſque ſupplicia detorſit. Decet igitur, hoſpitalem &c. In officiis autem hoſpitalibus, omnibus quidem humanitas impartienda eſt, iuſtis autem vberior deferenda honorificentia. Quicunque enim iuſtum receperit in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet, vt Dominus pronunciauit. Tanta autem eſt apud Deum hoſpitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis ſit. Vides quia Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit? Vides quia Loth Angelos ſuſcepit? Qui ſcis, an & tu cum ſuſcipis hoſpitem, ſuſcipias Chriſtum; cum in hoſpite ſit Chriſtus, quia Chriſtus in paupere eſt, ſicut ipſe ait; *In carcere eram, & veniſtis ad me, nudus eram & operuiſtis me*, & ſcilicet, *hoſpes eram & collegiſtis me.*] Reliquum caput conſumitur in collandanda hoſpitalitate egenis peregrinis exhibita liberaliter, ſed cum menſura congrua humanitati, largiente peregrinis non ſuperflua, ſed competentia; reprehenſo errore iam dudum (vt ait,) inolito, vnde ariditas officiorum, vt homines damnum putent, quicquid præter morem impenditur. Argumentatur eandem ſententiam, ex hoc ipſo Chriſti teſtimonio, æternam gloriam ob collectos hoſpites retribuere in iudicio, idem Ambroſius alibi l. 1. de Abrah. cap. 5. nec non Chryſoſtomus hom. 24. in Ioann. & Auguſtinus in pſalm. 75. & 128. & ſerm. 6. de tempore, qui diuites exceptores hoſpitum, ait habere manus plenas, quibus non contemnendo manus inanes, conſtruunt ſibi æterna tabernacula, audituri à Chriſto iudice, *hoſpes eram & collegiſtis me*, nec ſunt ex eorum numero, edormientes ſomnum, nihil in manibus ſuis inuenerunt.

Inde præſertim, ſtudium erga eam hoſpitalitatem veterum Chriſtianorum, etiam voto firmatum.

AVdierunt Chriſtum ita docentem, antiqui Chriſtiani, adeò addicti hoſpitalitati, & peregrinorum ac externorum intra domos ſuos exceptioni, vt res ſit admirationis pleniſſima, componentibus antiqua cum nouis. Illuſtre eſt exemplum ciuitatis in Thebaide & amplæ & populoſæ, cui nomen *Oxyrinchus*, in qua nullum hæreticum, nullum paganum habitaſſe, ſcribit Ruffinus l. 2. vitæ PP. capit. 6. illhuc aliquando peregrinatus, negans exponi poſſe, quanto affectu & honore exceptus ibi eſſet, vnoquoque eum ac comites ad ſe rapiente, ac domum ſuam abducere tentante. [Ipſi quoque Magiſtratus (inquit,) & principales ciuitatis, & reliqui ciues, ſtudioſè per ſingulas portas ſtatuunt, qui obſeruent, vt ſicubi apparuerit peregrinus aut pauper, certatim ad eum qui præoccupauerit adductus, quæ ſunt neceſſaria conſequatur.] Fuerunt qui ſe voto aſtringerent, ad excipiendos in Chriſti gratiam peregrinos hoſpitij egentes. Memorat hoc votum Sanctus Auguſtinus in pſalm. 75. ad illud Pſaltes, *vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Ochus enim à votis quæ ait eſſe omnium, quia ſunt rerum omnibus in communi præceptarum, cuiuſmodi ſunt vota non occidendi, non fornicandi, & ſimilium prauorum actuum deuitandorum, addit; eſſe vota quædam ſingulorum propria, in gradu inæquali perfectionis conſtituta, vt votum continentiæ coniugalis, quo ſublimius eſt votum continentiæ vidualis, & quod iſti quoque antefertur, votum incorruptæ virginitatis, quod qui emiſerunt, nouerunt plurimum. Tum ſubdit. [Alij vouent, domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis aduenientibus. Magnum votum vouent.] Hoc votum videtur Sanctus Auguſtinus æquiparare cum voto deſerendi ſæculum. Nam de hoc item voto ait, quod illud emittentes, *Magnum votum vouent.* Sed nobis ea contentio votorum non eſt neceſſaria, intentis in illud vnum, quod tempore Auguſtini, ac etiam anteriùs, (nec enim arctat hoc votum ad ſuam ætatem, ſicut neque cætera vota memorata,) fideles aliqui vouerent, ſe omnibus fidelibus peregrinis, omnibus inquam, atque adeò ex quacunque gente & natione, (dummodò fideles eſſent,) patentem domum habituros. *Sanctos* in eo voto intelligi fideles, notiùs eſt, quàm vt illuſtratione egeat, & patet ex veſtibulo variarum Pauli Epiſtolarum, & ex diſputatis de *Sancti* prænomine, agendo cauſam Valeriani Cemelienſis cap. vltim. Vt ergo quis ſtatueret excipiendis quibuſcunque fidelibus peregrinis, apertum habere domus ſuæ oſtium, idque voto firmaret; erat tenera votum magnum, quo opes, hominis vtique ſanguinem, vt alio loco diſſerit S. Auguſt. ſerm. 5. ex 40. nouis, largè ſibi pro Deo mitti admitteret.

Nec

Nec contenti huius voti materia, ſiue lubenti aduenientium peregrinorum exceptione, plerique Patrum, vrgent Chriſtianos, vt audientes Apoſtolum, hoſpitalitatem conſectentur. Hoc quid ſit, attigit optimè Origenes in cap. 12 ad Rom. [Quam benè Apoſtolus hoſpitalitatem ſectantis magnificentiam, vno ſermone comprehendit? Dicens enim ſectandam eſſe hoſpitalitatem, non illud ſolùm oſtendit, vt venientem ad nos hoſpitem ſuſcipiamus, ſed vt requiramus, & ſolliciti ſimus, & ſectemur, ac perquiramus vbique hoſpites, ne fortè in plateis ſedeant, ne extra tectum iaceant. Recordare Loth, & inuenies quod non illum hoſpites, ſed ipſe quæſierit hoſpites: & hoc erat hoſpitalitatem ſectari.] Mirùm quomodò Abrahamum prætenerit, cuius præcipua eſt hac in parte gloria. Itaque S. Chryſoſtomus ea ipſa Apoſtoli verba expendens, Abrahamum, qui Lothum docuerat hoſpitalitatem, Lotho annectit dicens. [*Hoſpitalitatem ſectantes.* Non dicit, *facientes*, ſed *ſectantes*: inſtruens nos vt expectemus egenos, donec ad nos veniant, ſed ad ipſos curramus & eos ſectemur. Sic Loth fecit, ſic Abraham. Totum namque diem in hoc conſumebat, bonam expectans venationem: Et ſi quando quempiam videbat, inſiliebat, occurrebat, ad terram ſupplicando procedebat, dicens, *ſi gratiam inueni in conſpectu tuo, ne tranſeas ſeruum tuum.* &c. Abraham ſumptam famuli perſonam induit. Nos autem licet manifeſtè ſciamus, quod in pauperibus Chriſtum ſuſcipiamus, neque ſic tamen manſueti reddimur: ſed cum ille è contrario & obſecret & ſupplicet, & procidat, nos nihilominùs accedentes conuitiis obruimus. Et Abraham quidem per ſeipſum & vxorem adimplebat obſequia; nos verò neque per famulos. Si verò & menſam cognoſcere voles quam ille peregrinis parabat, multam & illic liberalitatem videbis.] Non intendit Apoſtolus & eius veſtigiis inſiſtens Origenes, quærendos eſſe ex obligatione hoſpites, ita vt peccet, qui eos non inquirit. Id enim ſub nullam obligationem cadere, ſed ſufficere ſi cum pauperes innoteſcant, excipiamur hoſpitio, aliterue ſubleuentur, rectè docet D. Thomas 2.2.q.32.artic. 2. ad 4. & quodlib. 8. artic. 12. Et ratio eſt, quia ſubuentio iſta miſericors, non eſt aliquid certæ cuipiam perſonæ ex iuſtitia debitum, ſed communiter omnibus indigentibus præſtatur ex charitate talis indigentiæ conſcia. Et cum ſcientia indigentiæ alienæ non ſit ſcientia iuris alicuius vniuerſalis ſed facti particularis, deeſt obligatio quærendi indigentem cui ſubleuatio præſtetur. Tanto ergo ſplendidius emicuit beneficentia Abrahami & Lothi inquirentium vbinam eſſent peregrini & hoſpites quos poſſent excipere. Apoſtolus verò vrgens ad ſectandos hoſpites, ideſt conquirendos & ſtudioſè veſtigandos, non impellit ad officium ex præcepto neceſſarium, ſed ad actum conſilij ac perfectionis valdè nobilem: nec plus intendebat S. Chryſoſtomus, collaudans Abrahamum & edoctum ab eo Lothum, de prædæ huius opimæ ſectatione. Ad ſtuporem in hoc campo excurrit, ſignatis omnibus adiunctis ſacræ huius venationis Abrahami, ſectantis hoſpitalitatem, ſi quo modo eam poſſet apprehendere, idem S. Chryſoſtomus hom. 41. in Geneſ. tractans apparitionem illi factam in conualle Mambre, cum ad meridiem (quo maximè tempore peregrini egent refrigerio,) ſederet in oſtio tabernaculi, impulſum ad hoſpitium, ſi quos vidiſſet peregrinos. Et diſertè notat S. Chryſoſtomus, virum ſanctum, quoſcunque peregrinos, etiamſi ignotos, & de terra longinqua venientes, nihil perſcrutantem, iisdem humanitatis officiis eſſe proſecutum: neque vilitatis perſonæ ratione habita, neque dignitatis; perinde ac ſi ſolos nobiles, aut exquiſitè ſanctos excipere decreuiſſet. Proponunt Abrahamum pro paradigmate excipiendorum peregrinorum etiamſi ignotorum & è regionibus longinquis aduenientium, Patres paſſim, vt Ambroſius, l. 1. de Abrah. c. 5. Chryſoſtomus, ſerm. 111. & 161. Auguſtinus, ſerm. 70. de temp. Bernardus, Epiſto. 241. Bleſenſis, Epiſtola 2. Rupertus, lib. 5. in Geneſ. c. 38. Hi & alij, immenſas laudes Abrahamo ob eius hoſpitalitatem pangunt, tametſi ignorarunt eam Rabbinicam obſeruationem, quod domus ei eſſet quatuor habens oſtia ad quatuor mundi cardines obuerſa; ſemperque patentia, excipiendis vndecunque aduenirent peregrinis. Hunc Patrem fidei ſuæ, veteres Chriſtiani ſummo ſtudio ſunt æmulati, in adeò fructuoſa negotiatione, vt S. Chryſoſtomus hom. 41. in Geneſ. appellat.

SECT. I. CAP. V.

Praxis eius, in antiquis Chriſtianis.

Structæ publicè iam olim domus hoſpitales, excipiendis externis. Et ſanis & ægris.

NOn priuatim duntaxat, (quo ferè ſpectant omnia hactenus propoſita,) ſed publicè quoque, iidem antiqui Chriſtiani, ſuæ in exteros quoſque beneuolentiæ, & vniuerſalis charitatis argumenta præbuere, extructis publicis Xenodochiis ad peregrinorum exceptionem. Nomen quidem *Xenodochiorum*, nouum fuiſſe; ſicut *monaſteriorum*, res tamen ipſas, & ante hæc nomina ſua fuiſſe, ſcribit S. Auguſtinus; Tract. 97. in Ioan. non quod voluerit tunc primùm, cum ea ipſe diceret, nomina *Xenodochij* & *monaſterij* adinuenta eſſe; ſed quod ea nomina poſt res ſignificatas pridem vſurpatas, cuſa eſſe affirmarit. Adhibetur vox *Xenodochij* L. *omnia priuilegia*, Cod. de Epiſcop. & Cleric. Vbi etiam res eadem, & L. *Si quis ad declinandum* ξένων appellatur. Nunc *Xenodochium* confunditur cum *Noſodochio*, vel *Noſocomio* excipiendis ægrotis addicto. Propriè tamen *Xenodochium*, vt rectè diſtinxit Iſidorus, l. 15. orig. cap. 3. ſignificat domum ad excipiendos externos ſiue peregrinos, & quidem omnes indiſcriminatim: niſi ſi quandoque ex peculiari voluntate fundatoris, aliud caueatur, eo quod is ſuæ duntaxat nationis peregrinis conſultum voluerit, vt circa ægrotos quoque contingit quoad Noſocomia. Inde tamen videtur orta laxatio vocis *Xenodochium*, ita vt in ægrorum quoque domos cadat, quod aliquibus locis, eadem domus, vtrique Charitatis officio addiceretur, vt factum videtur in ea hoſpitali domo, quam S. Gallicanus ex Patricio & Conſule humillimus Chriſti ſeruus, ad oſtia Tiberina, quo multi ex variis oris nauigio appellebant Romam adituri, nobilitauit officiis pietatis, quæ orbem vniuerſum ſtupore defixerunt; concurrentibus ad mirum adeò ſpectaculum ex oriente & occidente quàm plurimis, vt narratur in Actis SS. Ioannis & Pauli; attingiturque etiam in Romanis tabulis Eccleſiaſticis, Iunij 25. & apud Adonem Gallicanum ergo cum Hilarino viro ſanctiſſimo & peregrinos excepiſſe, & ægrorum curam geſſiſſe proditum eſt.

Xenodochij quod à S. Samſone Præsbytero Romano, conſtitutum eſſe Conſtantinopoli, Acta eius à Metaphraſte adducta teſtantur, alia ratio eſt. Nam etſi vocatur *Xenodochium*, tamen ſanctus ille Medicus, ægrorum duntaxat curam ſuſcepit. Plus

SECT. I. CAP. V. *Praxis amoris exterorum in antiquis Chriſtianis.*

tamen propoſitum fuiſſe videtur Iuſtiniano eiuſdem domus hoſpitalis reparatori, vt ex Procopio l. 1. de ædific. Iuſtin. habetur. Et idem dicendum eſt, de iis domibus quæ in Concilio Chalcedonenſi canone 8. vocatur πτωχεῖα. Nam quamvis interpres Zonaræ, eam vocem Latinè expreſſit, nomine, *Hoſpitalium domorum*, tamen idem Zonaras, declarat, eas domos vſui fuiſſe, vel curandis ægris, vel iis pauperibus ſuſtentandis, qui præ tenera, aut eſſæ ætate, opis alienæ egerent, habebantque ædicularum ſacrarum inibi ſtructarum Curatores clericos; qui quod ſe ab Epiſcoporum rectione ſubducerent, à Concilio mulctantur. Talem quoque fuiſſe *domum hoſpitalem* extra vrbem Cæſarienſem à S. Baſilio conſtructam, cui idcircò, (vt refert Nicephorus l. 10. c. 41.) cognomentum erat *Baſilias*, habetur ex Nazianzeno orat. 20. num 91. qui eam fabricam præ amplitudine vocat *nouam ciuitatem*, & præ ea quæuis ædificia orbe toto celebratiſſima depreciat. Hoſpitale item impenſis fratris S. Dorothei ſtructum, vt narratur initio Doſithei, quamuis excipiendis pauperibus ſtructum dicitur in S. Barſanuphij Actis, tamen indidem conſtat, eam domum hoſpitalem ſolis ægris excipiendis fuiſſe inſtitutam. De Hoſpitalibus in hoc ferè ſenſu, latè diſſerit Lapus de Caſtellione. tomo 14. Tractat.

At hoſpitales domus preſsè ſumptæ, quæ ſcilicet excipiendis tantum peregrinis adducebantur, alterius erant rationis. Vnam talem ſanctum Pammachium, epiſtol. 26. (non enim Pachomium, vt quiſpiam alienis oculis legit,) in portu Romano erexiſſe, ſicut Fabiolam Romæ pro ægris aliam conſtruxiſſe, primam (id eſt, cui ipſamet tam nobilis matrona ad miniſtrandum ſe addiceret, & cum nemo hactenus Magnatum Noſocomium cui inſeruire vellet, erexiſſet;) autor eſt S. Hieronymus Epiſtola 30. Eius de Pammachio verba ſunt. [Audio, te Xenodochium in portu feciſſe Romano; & virgam de arbore Abraham in Auſonio plantaſſe litore. Quaſi Æneas noua caſtra metaris, & ſuper vndam Tiberis, vt ille cogente quondam penuria, cruſtis fatalibus, & quadris patulis non pepercit, tu viculum noſtrum, id eſt, domum panis ædificas, & diuturnam famam repentina ſaturitate compenſas. Euge noſtra initia tranſgrederis; ſtatum ſummum tenes, de radice peruenis ad cacumen. Primus inter Monachos, in prima vrbe, primum ſequeris Patriarcham.] Abrahamum intelligit, excipiendis peregrinis addictiſſimum; cuius imitatione, *domum panis*, (quæ eſt notio nominis Bethleem, vnde Hieronymus ſcribebat, eam idcircò vocans *viculum ſuum*), reficiendis peregrinis extruxerat Pammachius, vbi Æneas abſumpſerat cruſtas fatales, & quadras patulas vt in fatis fabuloſis erat. Alluſio eſt ad Fauni oraculum Latino datum, vt eſt apud Maronem. lib. 7. Hinc igitur Romæ Pammachius peregrinis, inde Fabiola ægris, conſuluerunt, opus partiti, quod alios iunxiſſe dixi, nimirum ſanctos Gallicanum & Hilarinum. Similiter Iuſtinianus Hieroſolymis hoſpitia duo exædificauit in via ad nouam Eccleſiam, Deiparæ ſacram. [Vno (ait Procopius, l. 2. de ædific. Iuſtin.) hoſpites peregrini ſuſcipiuntur, altero requieſcunt, & refocillantur ægroti.] Xenodochium quoque Hieroſolymis ſtructum, ad excipiendos miſeros peregrinos, per tempus dominantium illhic Saracenorum, aduenientes ſanos & ægrotantes peregrinos fouebat, excipiebatque. Idque fuiſſe initium Ordinis Hoſpitalariorum, à quibus illud Xenodochium regeretur, ſcribit Vvillelmus Tyrius. l. 18. c. 5. Et quanquam initio, Amalphitani fundatores Monaſterij B. Virgini dicati, ſolis ſuæ gentis peregrinis conſuluerunt, tamen Xenodochium quod poſtea ope ac ſubſidio Monachorum illorum conſtructum eſt, peregrinos ex aliis gentibus ad loca ſancta commeantes excepit, vt Tyrius annotauit. Sed per ſe primò, inſtitutio illa ſpectauit egentes peregrinos ſanos, in prædicta domo excipiendos: Multorum ſimilium Xenodochiorum ad peregrinos excipiendos, in locis ad quæ tam multi peregrinarentur, vt Romæ & ad S. Iacobum compoſtellæ, ac apud Virginem Montis Serrati, meminit Laurentius à Villauicentio in ſua Oeconomia ſacra pauperum l. 2. c. 7.

Antiqua officia Chriſtiana in peregrinos, exceptos in Xenodochiis.

CHaritatem vniuerſalem, qua perſonæ etiamſi alterius gentis ac nationis in Xenodochiis excipiebantur, cumulabat omne genus piorum officiorum in peregrinos. Nam non modò cibo ac potu reficiebantur, ſed etiam editis aliis charitatis argumentis fouebantur. Agit de iis erga peregrinos officiis, Iacobus Gretſerus. l. 3. de peregrin. cap. 9. Inter cætera verò charitatis officia peregrinis adhiberi ſolita, erat pedilauium, vt conſtat ex c. 18. 19. 24. 43. Geneſeos, & ex c. 19. Iudicum. Idque officium ab Abrahamo per ſeipſum eſſe hoſpitibus ſuis exhibitum, quamvis ſcriptura diſertè non tradit, inſinuat tamen; & apertè aſſeritur à S. Hieronymo, epiſto. 26. & à S. Chryſoſtomo hom. 41. in Geneſ. & à S. Auguſtino ad ſolit. vit. agen. paſſimque ab aliis hoſpitalitatem Abrahami recolentibus. Idipſum factitaſſet veteres Chriſtianos ſuis hoſpitibus, conſtat ex S. Athanaſio l. 2. hiſto. c. 11. deſcribente captum Hermiam, lauantem pedes peregrinorum, cuius id videtur fuiſſe munus. Patet item ex Sozomeno, deſcribente hoſpitalitatem Serapionis Cyprij. Quid quod Apoſtolus inter notas viduæ probatæ, numerat hoſpitio recepiſſe ſanctos & eorum lauiſſe pedes? Ad quem locum Theodoretus in c. 5. 1. ad Timoth. antiquum vſum mulierum Chriſtianarum in hoc miniſterio erga hoſpites obſeruat, & Lydiæ ac Phæbes exemplis illuſtrat.

Et ad id ſe offerebat Abigail 1. Reg. 25. cum Dauid eius nuptias captaret. Faſtidius, (falſò creditus Auguſtinus) l. de vita Chriſtiana cap. 15. quid ex mente Apoſtoli faciendum eſſet, quidque ſuo tempore per ſuperbiam aliquæ non facerent, ſic aperit. [Sed ſunt aliquæ viduæ, diuites nobiles, & potentes, quibus forſitan videtur indignum, vt aut filios Deo & non ſeculo educent, aut hoſpitio recipiant aduenam, aut ſanctorum pedes laborioſos, lutulentos, & horridos, delicatis & nitidis manibus tangant. Sed nec dignæ erunt tales in futuro tempore, Sanctorum eſſe conſortes, quos ita hic ſpreuerunt; Nec partem habere poterunt cum Chriſto, quem ſuſcipere noluerunt, & cuius plantas ſuis contrectare manibus horruerunt, quia Chriſtum ſpernit, quicunque eius famulos ſpernit, ſicut ipſe dicit, *qui vos ſpernit me ſpernit*. Mariæ, lachrymæ vnde Chriſti lauarentur pedes, abundarunt: Noſtri autem temporis fœminis aut viduis, vnde peregrinorum pedes lauentur, ipſa aqua deficit.] vixiſſe notatur ſub annum Chriſti quadringenteſimum. Itaque iam tunc refrixerat in Chriſtianis mulieribus hæc humilis officij erga hoſpites pietas, quam apud Ethnicos quoque non dedignatas

dignitas nobiles mulieres, legimus apud Athenæum lib. 12. cap. 50. & lib. 13. cap. 17. & Heliodorum lib. 2. hiſtor. vt probroſum proinde videri non debuerit Romanis fœminis Chriſtianis, hoc miniſterium.

Abſolute tamen & indiſtinctè, non exprimendo fœminarum hac in parte charitatem, apoſtolo laudatam, à Romanis Chriſtianis diu ſeruatum, vt lauarent pedes peregrinis, ſæpe legimus. Miranda verò eſt obſeruatio Centuriatorum, centur. 4. c. 7. qui quod legiſſent ritum lauandi pedes in baptiſmo eſſe Romæ abrogatum, ob errorem ex eo vſu timendum, cuius meminit S. Auguſtinus Epiſtol. 119. cap. 18. intulerunt, Romæ ſanctum morem abluendi pedes peregrini, fuiſſe prætermiſſum. At S. Ambroſius, qui Romanus erat, & ritum Romanorum circa hoſpites non ignorabat, tradit, eos qui factum Romanæ Eccleſiæ de non lauandis pedibus ſtatim à baptiſmo collato excuſabant, allegaſſe lotionem pedum in regeneratione faciendam non eſſe, ſed in miniſterio, hoc eſt hoſpitibus, cum eis exhibetur miniſterium Charitatis. Videndus de pedilauio Gretſerus iuſto opere: & infra de eo charitatis officio alia dicam, tractans hoſpitalitatem Monachorum apud quos maximè vigebat hic vſus. Hoc ergo & alia, benignitatis & humanitatis erga hoſpites officia, ſicut exercebantur in domibus quibus priuatim excipiebantur hoſpites, (quo ferè pertinent quæ hic attulimus,) ita etiam obibantur in publicis Xenodochiis: quod nominatim SS. Gallicano, & Pammachio præſtitum, iam obſeruauimus.

Vigens apud poſteros, officiorum illorum … exercitatio.

NOn eſt obducta procedente tempore, rubigo huic antiquorum Chriſtianorum erga externos charitati, ſiue in Xenodochiis publicis, ſiue in priuatis domibus. Roma quippè Chriſtianorum communis patria, in qua nemo fidelis haberi externus debet, præclara vtriuſque generis argumenta in dies ſubminiſtrat, cum annis quibuſuis excipiens in compluribus Xenodochiis cuicunque nationi communibus, peregrinos omninò multos; tum præſertim anno magno piaculari, qualem nunc officiis pietatis ditiſſimum exigimus. Teſtatur ſanè Theodorus Amydenus lib. de pietate Romana parte 1. capite 1. in ſolo S. Trinitatis Xenodochio, per tempus Iubilæi anni ſancti, excipi quandoque vna nocte ad quindena millia peregrinorum cuiuſnis nationis; & anno toto ritè ſubducto numero hoſpitum, quingenties mille ibidem diuerſari. Camillus Fanuccius lib. 3. de pietate Romana c. 27. anno 1575. vltra centum millia peregrinorum; anno autem 1600. vltra trecenta millia, excepta ibidem, ſcribit. Rafaël Riera cap. 6. deſcribens Iubilæum anni 1575. aliquando vna die inibi excepta duodecim millia peregrinorum affirmat; & narrat omnino mira de magnatum ac Principum virorum, deque primariarum matronarum in fouendis per illud tempus peregrinis pietate, Hæreticorum ad ea charitatis prodigia ſtupentium regreſſu ad Catholicam fidem firmata. Omninò multa huiuſcemodi conuerſionum exempla annotantur in narratione vernacula de geſtis anno 1575. & 1600. in Xenodochio SS. Trinitatis. Quæ his ipſis diebus ab Innocentio X. Eminentiſſimis Cardinalibus, viris Principibus, erga peregrinos vndecunque confluentes raro chriſtianæ charitatis vniuerſalis exé-

ſplo edi conſpicamur; aſſimulantur veritati narrationum de anterioribus illis annis magnis, & eundem ſpiritum, qui maiores animauit, nunc eadem vigere, egregie confirmant.

De prominentibus plerique Septentrionalibus, priuſquam hæreſi contaminarentur, inſignia produntur exempla humanitatis ciuium in aduenas. Scribit ſanè Olaus Magnus, l. 15. hiſtoriar. Septentrional. in omnibus regionibus Septentrionalibus, eximiam vigere erga hoſpites humanitatem, ita vt indigenæ omnia ſua in eos effundant, eamque diem nigro calculo notandam putent, qua nulli peregrino exhibuerint beneficium. De Gothis ſcribit Ioannes Magnus l. 4. c. 2. ſummo dedecori apud eos eſſe, peregrinum tecto arcere. Quin etiam edicto Caroli Regis, præceptum eſſe incendi domum cuius Dominus ter peregrinum excipere detrectaſſet. De iiſdem Gothis proditum eſt, adeò feruere inter eos ſtudium benefaciẽdi peregrinis, vt lis quandoque ea ex cauſa ſuboriatur; & qui gratuito hoſpitio plures aduenas ſuſceperit, cæteris felicior habeatur. Affinia de Vandalis habet Albertus Krantzius, l. 4. Vand. c. 23. De ſuis Tigurinis; & vniuerſa illa ora, multa in hoc genere præclara adducit Gulielmus Stuchius. l. 1. de conuiuiis c. 27. Iſtria cauponas & mercenaria diuerſoria non habere dicitur, vt ſit gratuita aduenarum hoſpitalitas; vt ſcribit Tomaſinus de teſſera hoſp. c. 27. Cæterùm Patauinis ad tollendas lites de potiore alicuius ciuium iure ad excipiendum domi ſuæ aduenam, conſtituta erat columna; tot annulis inſtructa quot eſſent apud eos nobiles familiæ, vt apud illum diuerteret aduena, cuius annulo equum alligaſſet, de quo vſu Fortunius Licetus. l. de annul. c. 43. Priuatam hoſpitalitatem pij viri Romani, miraculo compenſatam refert Cantipratanus, ex ea hoſpitalitate commendans humanam, l. 2. c. 21. n. 1.

SECT. I. CAP. V. *Traxit autem ex veterum in antiquis Chriſtianis.*

Nouus vſus excludendi ab vrbibus alienigenas, cuiuſmodi.

EX hac inductione antiquorum & recentium ſeculorum Chriſtianorum, infert Dominicus Soto, in deliberat. de cauſa pauper. c. 3. & 4. non conſonare Chriſtianæ charitati legem illam, quam eius tempore aliqui iuris humani, quàm diuini conſultiores ferri à Carolo V. poſtulabant: nimirum vt alienigenæ etiamſi non vagabundi (vt loquuntur), id eſt, ſæculares pauperes, qui cum poſſent, laborando victum ſibi comparare, malunt mendicando inertes viuere; (nam tales eſſe ad laborandum compellendos, concors omnium doctrina eſt à Soto cap. illo 3. fusè confirmata,) excluderentur ab vrbibus, & mendicatione prohiberentur, quamvis infirmi; nec labori ad parandum victum ſufficienti pares; quales ferendos cenſebant, ſi eſſent indigenæ, excludendos autem ſi eſſent externi & alienigenæ. Eam petitionem fuiſſe nouam, de qua nuſquam, & nunquam lex lata aut petita eſſet, affirmat Soto; pronuncians id magnum eſſe & præualidum argumentum aduerſùs nouitium hoc inuentum, quod nunquam venerit antiquis in mentem talia cogitare, nedum præſcribere. Quin potius notat Soto, leges contrarias extare, cuiuſmodi eſt Authentica de quæſtore, & lex Hiſpanica, quam vocant *ordinamenti*, nouo edicto à Rege Henrico confirmata apud Taurum. His iuribus, & præſertim vſu ſemper recepto, ac in ipſis ſcripturis probato Exodi 23. Leuit. 23. Deuter. 10. ſtabiliri ſufficienter putat Soto, & annuunt Vaſques

Opuſc.

SECT. I. CAP. VI. *Conſtituta Religio ex bene amore externorum.*

Opuſc. de Eleëmoſ. c. 5. dub. 4. ac Ioannes Medina de Eleëmoſ. c. 7. nemini innoxio, cuiuſmodi eſtis, de quo agimus, (iam enim ſepoſuimus, & excludendum diximus mendicum otioſum, quem vocabant & auerſabantur Ethnici, approbante S. Chryſoſtomo homil. 6. in 1. ad Theſſalo. hoc probrum Chriſtianis obiectum non diſſimulante) ; exilio mulctari non poſſe ac priuari facultate vbilibet vitam exigendi, accipiendo vtiq. ab iis qui ex charitate conferre volent, neceſſaria vitæ ſubſidia. Niſi qui pauperes alienigenas mendicatione prohibent, velint ſe non iam ex miſericordia, vt fit ab iis qui more recepto eleemoſinam erogant, ſed ex iuſtitia obligare ad ſuſtentandos mendicos illos; non per biduum, aut triduum, ſed quandiu egebunt: quod onus ægrè inuenientur qui velint ſubire: cum ad vitandum minus grauamen, ſatagant pro pauperum alienigenarum excluſione. Non obeſt huic aſſertioni Concilium 2. Turonenſe can. 5. mandans vt vnaquæque ciuitas pauperes ſuos alat pro viribus, ne pauperes per alienas Ciuitates fatigentur. Hoc, inquam, non conuellit vſum in Eccleſia perantiquum, admittendi externos quoque, & illos benignè iuuandi; cum ſit decretum latum in fauorem pauperum, ne adigantur alio migrare, ſubſidia ſibi vitæ paraturi; Si tamen frigente inter ſuos charitate, aut alia de cauſa, velint migrare alio, & ibi benignitate fidelium frui, non cogitauit Concilium de indicenda eorum excluſione. Hæc tamen intelligenda eſſe cum ea temperatione quæ ordinatæ charitati conſentiat dicemus infra, cap. 9. §. 3. monſtrantes, in pari neceſſitate fas eſſe præferre incolas aduenis, & indigenas externis: ita vt ſi vrbs aliqua non ſit par ad opitulandum vtriſque, poſſit externos excludere quicquid anceps hac in parte Soto de cauſa pauper. c. 55. timeat admittere, inclinans vt tunc nemine aduena excluſo, moneantur ciues, vt ſi non omnes iuuare queant, prius opitulentur ſuis. Verum ne ea libertas etiam in alienigenas effundendi ſuperflua, arefaciat aliquando venam largitionis erga indigenas, in quos ſublata occaſione benefaciendi externis, erogabitur quod ciuibus ſuperfluum eſt: non videtur ambigendum, quin in eo euentu alienigenæ poſſint excludi, æquè ac excluduntur ob bonum ciuitatis, cum pertinent ad nationem hoſtilem, flagrante bello: aut cum ab eis timetur lues, vel religionis periculum, aut latrocinia. Quo poſtremo titulo iure excluduntur, qui ſe falsò *Bohemos* iactant, & *Zingari* paſſim dicuntur, de quibus actum alibi poſt Delrium, 4. Mag. cap. 3. 9. 5. atque ante Gallucium 1. Ethi, cap. 1. q. 7.

CAPVT VI.

In religioſis cœtibus benè conſtitutis intemperato erga nationem propriam affectui non fuiſſe locum, ſed amorem vniuerſalem gentis cuiuſcunque viguiſſe iam olim.

QVæ dicta ſunt generaliter de antiquis Chriſtianis circa amorem exterorum, ſpecialiter accommodanda ſunt Religioſis cœtibus, qui ſunt Chriſtianorum portio lectiſſima.

Exploſus error, quod nequeat Religioſus in ſua natione eſſe perfectus.

SVpponendum verò imprimis eſt, aberraſſe qui dixerunt, neminem poſſe eſſe verè Religioſum, niſi ſit aduena. Refert hunc quorundam ſenſum creditus Ambroſius Epiſtola quadam quæ præmittitur tractatui de moribus Brachmanorum, nec non Autor libri de conflictu virtutum & vitiorum cap. 28. his vterque verbis eam aſſertionem refellentes. [Audio quoſdam apud vos, dicere non poſſe aliquem in patria ſuæ natiuitatis perfectum eſſe, illud in argumentum aſſumentes quod Dominus dixit, *Nemo propheta acceptus eſt in patria.* Quos primo oportet ratione veritatis refelli, & ſic demum qualiter intelligenda ſit prolata ſententia, demonſtrari. Audiant igitur patienter qui hoc dicunt; quia dum ſenſum ſacræ ſcripturæ, prudenter non conſiderant, penè omnes ſanctos contemnunt. Si enim ita eſt vt aſſerunt, ergo quotquot ex Romanis conuerſi apud Romanos degunt, quotquot ex Græcis apud Græcos, quotquot ex Italis apud Italos, quotquot ex Iberis apud Iberos quotquot ex Germanicis apud Germanicos, quotquot ex Aquitanicis apud Aquitanicos, quotquot ex Britannis apud Britannos, quotquot ex Anglis apud Anglos religiosè viuunt, imperfecti erunt. Ecce Paulus, & Antonius, & Thebæis apud Thebæos perfecti ſunt. Ecce Hilarion ex Palæſtinis, apud Palæſtinos perfectus eſt: Ecce Macarius ex Ægyptiis, apud Ægyptios perfectus eſt: Ecce Oxyzinchus Ciuitas ex propriis ciuibus tota perfecta: Ecce, vt ad vicinos noſtros veniamus, Protaſius & Geruaſius in propria hac Mediolanenſi ciuitate, propriaque domo manentes, ac per decem annos Monachorum vitam exercentes, ita perfecti ſunt, vt Martyres fierent. An fortè ſola veſtra prouincia, extra hanc regulam erit excepta, vt non de propriis, ſed tantùm de externis habeat Monachos? Satagendum igitur magis eſt; vt vbi quis fuerit, iuxta perfectorum regulam viuat; non parentum, non propinquorum, non affinium illecebris à via perfectionis declinet. Sic certè iuxta ſeruatoris ſententiam, patri, matrique fratribus, ſororibus, vxoribus, filiis, domibus, agris, & cunctis quæ poſſidet, renunciare valebit. Hoc autem dico, non quo ſeceſſores qui de regno ad regnum, de publico ad eremum tranſeunt, dignos ſumma laude non dicam: ſed quo illos etiam qui magis affectibus patriam fugiunt, quàm greſſibus, fælices atque perfectos oſtendam.] Monſtrat conſequenter, aliud eſſe, neminem Prophetam in patria ſua ſiue apud ciues ſuos eſſe gratioſum; aliud neminem poſſe eſſe perfectum, ac verè religioſum, ſi ſit indigena, ſed tam externos quàm indigenas poſſe religioſam perfectionem capeſſere.

Hic error explodendus principio fuit, vt ſupponeremus, in cœtu religioſo benè conſtituto, poſſe permixtos degere cum indigenis exteros; idque perfectionis ſtudio non obſtare, dummodò vtrique affectu vniuerſali ducantur, & in varietate nationum ac gentium, habeant cor vnum & animam vnam, vt in pleriſque ſanctiſſimis cœtibus iam olim contigit, & fieri debere, perfectiſſimi Religioſorum cœtuum legiſlatores mandarunt: Hoc monſtratum venio, ortus ab eiuſdem inſtituti religioſis ex diuerſa natione adunatis: poſtea verò obiter tangam quis affectus erga diuerſi inſtituti & diuerſæ nationis Religioſos benè compoſitos, vigere debeat,

beat, & viguerit reipſa apud antiquos religioſæ vitæ profeſſores.

Sancta cœnobia populoſa, è variis nationibus adunata. Publianum.

ANtiquos pleroſque populoſiſſimos cætus regulares, ex variis gentibus adunatos, ſalua vni ate affectuum, & animorum concordia, nemine gentem ac nationem ſuam intemperatè proſequente, obſeruare liceret complures. Seligo nonnullos. Publius ex ordine Senatorio nactus originem, cum ſub tempus S. Antonij, (vt ex Theodoreto l. 4. hiſtor. cap. 25. habetur,) Abbas factus eſſet, copioſum Monachorum cœtum adunauit; primum quidem Græcorum; deinde verò Syrorum Græcis adiunctorum; & eam gentium varietatem ad Deum vno ſpiritu collaudandum informauit, vt his verbis tradit Theodoretus, cum retuliſſet, eum ſocios prius ſegreges, ſuggeſtione piorum quorundã congregaſſe in vnum. [Cum omnes ſimul coëgiſſet, & paruas illas dimiſſet domunculas; iis autem qui erant congregati vnam ædificaſſet, rogauit vt ſimul viuerent, & ſe inuicem incitarent, & hic quidem illius imitaretur manſuetudinem, ille verò manſuetudinem huius zelo temperaret: & alius communicans vigilias, acciperet ieiunij diſciplinam. Sic enim (inquit) à nobis inuicem id quod deeſt ſumentes, perfectiſſimam efficiemus virtutem. Quomodò enim in fo is ciuitatum, alius quidem vendit panes, alius verò olera; alius habet veſtes vænales, alius eſt opifex calceorum; à ſe autem inuicem id quo opus habent comparantes vitam agunt iucundiorem; qui dat enim veſtem, pro ea accipit calceos; qui autem emit olus, vendit panem: ita nos oportet inuicem permutare virtutis partes pretioſiſſimas. Cum qui erant eiuſdem linguæ ſic exercerentur & decertarent, & Græca voce Deum laudarent huius vitæ inſtituti eos quoque cepit amor, qui lingua vtebantur illius regionis; & concurrentes aliqui ſupplicarunt, vt ipſi quoque in eorum gregem admitterentur, & eſſent eius ſacræ doctrinæ participes. Conceſſit autem quod poſtulabant, legis memor Dominicæ quam ſanctis tulit Apoſtolis, dicens, *Euntes docete omnes gentes*: & cum iuxta illud habitaculum ædificaſſet alterum, eos iuſſit illhic degere, diuino quodam templo conſtructo, in quod iuſſit & hos & illos conuenire incipiente die & deſinente, vt veſpertinos & matutinos hymnos Deo ſimul offerrent, in duas quidem diuiſi partes, & ſinguli ſua voce vtentes: ex ſucceſſione autem canticum emittentes. Permanſit autem in hodiernum vſque diem forma eius inſtituti, & neque tempus quod hæc talia mutare vehementer contendit; nec qui illius ſucceſſere curationi, vt ex limitibus ab eo poſitis aliquid euerterent, in animum induxere, idque cum non duo vel tres, ſed plures, hanc ſuſceperint præfecturam. Cum primum enim ille certamen impleſſet, & ex hac vita exceſſiſſet, & in illam omni moleſtia vacuam commigraſſet. Theotecnus quidem Græcæ linguæ, Aphtonius verò Syræ præfecturam accepere: qui vtrique illius virtutis fuerunt animatæ quædam ſtatuæ & imagines.] Non eſt ſenſus, fuiſſe duo monaſteria, quorum vnum rexerit, præfectus ex eadem gente, alterum alius eiuſdem nationis cum cænobitis quos regebat. Sic enim non eſſet ſeruatum quod tempore S. Publij locum habuerat, cum vnus ipſe, & Syros & Græcos regeret: Itaque ſimiliter ſucceſſores eius primum Theotecnus, poſtea Theodotus atque Theotecnus iunior, & Gregorius, vtroſque Monachos rexere; Quamvis quod vnus aliquis ſubpræfectus, alteri linguæ ſub vniuerſali Paſtore præeſſet, haud inficias iuerim. Et talis fortaſsè videri, poſſet fuiſſe Apthonius, reſpectu poſterioris cætus ſiuè Syrorum. Quanquam enim domicilium vnius linguæ Monachorum, erat adiunctum, & fortaſſis contiguum alteri, ita vt eſſet vna totalis domus, ac integrum cænobium: videtur tamen ad maiorem conuictus mutui & rectionis opportunitatem, vna pars fuiſſe attributa vni nationi, altera alteri: Et inde ſimul conueniebant in eandem ſacram ędem vbi alternis verſibus quiſque linguâ ſua adhibita, diuinas laudes decantabant. Specimen id eſt illuſtre monaſterij duplicis, de qua cænobiorum forma dictum plenius in Tractatione de ſobria alterius ſexus frequentatione per ſacros homines c. 8. Hæc tamen duplicitas linguæ nihil offecit concordi vnitati, & excellenti ſanctimoniæ, quam hos ſanctos Monachos fuiſſe aſſecutos, vniuerſa Theodoreti narratio clamat.

SECT. I. CAP. VI. *Conſtituta Religioſa pro amore externorum.*

Cæſarienſe, ſub S. Baſilio.

MOnachorum ætate S. Baſilij, vita perfectiſſima ab ipſo Aſceticæ diſciplinæ ſapientiſſimo informatore Sancto Baſilio cap. 19. graphicè expreſſa eſt, indèque maximè celebrata, quod omnis ab illis abeſſet diuiſio atque contentio. [Contráque vniuerſa communia, animi, mentes, corpora, eáque quibuſcunque neceſſariò ad victum veſtitumque vtimur; communis Deus, communis pietatis mercatura, communis Zelus, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus. Huic vitæ inſtituto, quid eſt tandem quod iure æquiparari poſſit? Quid eo beatius dici? quid hac coniunctione, vnitate, & neceſſitudine aptius excogitari? Quid mutua inter ſe morum animorumque contemperatione gratioſius fingi? Homines *ex diuerſis nationibus ac regionibus profectos*, per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem, adeò in vnum veluti coaluiſſe, vt in pluribus corporibus, vnus modò eſſe animus videatur, viciſſimque plura corpora, mentis vnius inſtrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine eſt, is complurium animos imbecillitatis ſuæ participes habet: qui verò animo æger eſt & affligitur, ei complures præſtò ſunt, à quibus curetur, à quibus aſſiduè erigatur, Hi æquabili iure inter ſe alij aliorum & famuli ſunt & Domini, & in inuicta libertate accuratiſſimam ſibi inter ſe ſeruiunt ſeruitutem: quam non neceſſitas caſus fortuiti, oppreſſis & in captiuitatem abductis magno ipſorum cum mærore violenter inuexit; ſed cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippè cum charitas ipſos alioqui liberos inter ſe alios aliis ſubiectos efficiat, & ipſis nihilominùs tamen, illorum voluntatis arbitrio libertatem conſeruet. Tales nimirum cum ab initio nos fingeret Deus, eſſe voluerat, & propterea crearat. Qui eiuſmodi ſunt, ſine controuerſia primi parentis noxam contegentes, antiquum bonum in priſtinum reuocant; quandoquidem niſi naturæ noſtræ vnionem diſſecuiſſet peccatum; lites, & diſſidia, & bella in hominibus non eſſent.] En ideam perfectæ vnitatis inter variarum gentium aſcetas, in quibus recapitulabatur (vt eſt apud Apoſtolum,) id eſt, ad priſtinam conditionem reducebatur vita humana, abſque inue-

SECT. I. CAP. VI. *Conſluentia Religioſ. pro amore exterorum.*

cta per varietatem nationum, varietate affectuum: Ita vt ſicut initio nulla erat nationum diuerſitas; ita iſti quoque, per ſummum affectuum concertum, & exquiſitam conſenſionem, viderentur ad priſtinam redacti vnitatem, & omnes vnius eſſe nationis.

Lerinenſe.

LErinenſis cœnobij à S. Honorato primùm conſtituti, populoſitas & antiquitas, neminem latet. Quod enim ibi eſſet *Angelica congregationis militia*, vt loquitur Fauſtus Epiſtol. 5. ad Ruric. & ex eo veluti plantario quotquot præficiebantur Eccleſiis probatiores Antiſtites, aſſumerentur; magnam contraxit famam ea congregatio; de cuius Encomiis videndi Sidonius in Euchariſtico ad Fauſtū Regienſem, Eucherius in calce libelli de laudibus Eremi. Fauſtus Sermone de S. Maximo. S. Hilarius Arelatenſis in Monodia S. Honorati, & paſſim alij; nominatim verò Cæſarius Arelatenſis, homil. 25. qui inde (vt ait) eductus, vbi ſub S. Porcario Abbate meruerat, Arelatis denique prouectus ad infulas, eo aliquandò regreſſus, & ad piam adhortationem ab Abbate impulſus, effunditur in gloriā eiuſdē Congregationis, *Ab Oriente vſque in Occidētem, & ab omnibus pene locis, in quibus Chriſtiana religio colitur*, (vt inferius loquitur,) *prædicata quæ cum in paruula & plana eſſet inſula, innumerabiles tamen montes ad cælum miſiſſet.* Quo eodem modo Ennodius, in vita S. Antonij Lirin. qui alicubi Lerinum *nutricem ſanctorum inſulam* appellat, alibi in vita S. Epiphan. de ea ait, *Nutrix ſummorum montium, plana Lerinus.* Deſcribit Ennodius res geſtas S. Antonij inibi Monachi ſtylo toto'o conſignans eximiam perfectionem illius congregationis; & nominatim obſeruat, [totam illam Dominici gregis legionem, diſtinctam actu fuiſſe, varietatam gentibus, quaſi vnam animam viuiſſe.] Quod *diſtinctam actu* dicit, pertinet ad varias occupationes, & diuerſa exercitia; quibus Monachi diſtinebantur. Variatio autem gentium, ſpectat ad multiplicitatem nationum, è quibus orti erant degentes in ea Congregatione Monachi. Et verè fundator ipſe Honoratus, alterius gentis erat, non Gallus; vt ſatis apertè inſinuat Hilarius Arelatenſis in Monodia, & autor vitæ ſancti Capraſij. Quanquam non me latet, quam deſudarit vir doctiſſimus in Pontif. Arelat. pro decoribus patriæ certans, vt S. Honorati natales ſuis Arelatenſibus vendicaret; quantum video ſtudioſiùs quàm ſolidiùs, S. Capraſius primus illhic ſacerdos, externus quoque erat; hoc eſt Nicomedienſis. E Pannonia eodem venit S. Antonius ab Ennodio celebratus. Multi alij Lerinum è variis mundi partibus iam à principio cōfluxere, ita vt de primordiis cænobij illius agens Hilarius, dicat: [Certa im iam illhuc omnis regio, quærentes Dominum dirigebat. Honoratum expetiit, quiſquis Chriſtum deſiderauit &c. Omnes vndique ad illum certatim confluebant. Etenim quæ adhuc terra, quæ natio, in Monaſterio illius ciues ſuos non habet? Quam ille barbariem non mitigauit?] Rurſuſque inferius. [Hinc illud erat, quod omnis congregatio illa diuinæ cupida ſeruitutis, ad nomen ipſius ex diuerſis terrarum partibus collecta, tam moribus quàm linguis diſſona, in amore illius conſpirabat.] Et quia quæ ſunt eadem vni tertio, eadem quoque ſunt inter ſe, tanta illhic ſpiritus vnitate, vita exigebatur, vt non homines in terra, ſed Angeli in cælo verſantes viderentur, non obſtante adunatione ex diuerſiſſimis regionibus, etiam barbaris. Nam eam vnitatem animorum, ibi ſummam viguiſſe, prodit, & tanquam fragrantiſſimi odoris, in tantis inibi cœtibus bonum, celebrat Eucherius laudans eremum, diſertéque Ennodius; & apertè habetur ex tanta illius Congregationis ſanctimonia, cui abſque huiuſmodi vnitate, non fuiſſet locus. Sanè illi quos ex omnibus nationibus, viſendi S. Honorati ac conſtituti ab eo cænobij fama pelliciebat, (vt addit S. Hilarius) indeque ad merendum ſub illius ſignis pelliciebantur; vel domum reduces immenſis præconiis celebrabant, auerſi potius ab eo fuiſſent, ſi pro nationum varietate ſciſſos ibi animos, & diſcolores affectus deprehendiſſent.

Luxouienſe.

LVxouienſe apud Sequanos cœnobium, à S. Columbano conſtitutum, è variis nationibus primum coaluit. Ibi enim Scoti ſiue Hiberni, nec non Britanni, Germani, & Galli habitantes in vnum magna accuratione famulabantur Deo ſub S. Columbani ductu ac informatione. Diſplicuit Satanæ ea vnitas animorum in tanta gentium varietate. Itaque concitauit Brunichildem, ſceleratæ ambitionis fœminam, quæ Theodoricum nepotem, à legitimis nuptiis auocans, infami pellicum amore dementabat; verita excludi ab aula, ſi legitima Regina iungeretur Theodorico. Eadem S. Columbanum Regis turpitudines coarguentem, regni finibus extrudi iuſſum, auulſit ab iis qui in Gallia orti eſſent, cæteris omnibus foras propulſis; ſicque vnitas illa animorum, per abiunctionem corporum ſolis Gallis remanentibus tentata eſt, ſed non diſrupta. Nam mox magna quoque pars Gallorum, hominem Dei ſecuta, habitare in vnum ſub eius diſciplina quæſiuit; abiecto gentilitio ſpiritu per cuius virulentiam, à Brunichilde Regis auia ad tempus diuulſi fuerant. Ipſa verò Brunichildis, diuulſionis machinatrix, à Clothario rerum potito poſt Theodorici obitum non ita multò poſt, (vt S. Columbanus prædixerat,) nullo relicto ſucceſſore legitimo conſecutum, in camelo ad infamiam circumducta, indomitis denique equis illigata atque diſcerpta, diſcerptæ vnitatis ſanctorum pœnas dedit, vt habet receptiſſima narratio, obſtrepentibus licet nonnullis recentioribus pro ea Æthiopiſſa dealbanda ſatagentibus.

Caſſinenſe.

EO loco cui nomen *Haxum* vt ſcribit Paulus Diaco. l. 1. de geſtis Longob. cap. 26. cænobium Caſſinenſe ſtruxit S. Benedictus Cœnobij Caſſinenſis decora, paucis perſtrinxit Calixtus 2. comprimens quorumdam Epiſcoporum in eum cætum ipſis ſubductum concitationes. [Caſſinenſis Eccleſia per IESVM Chriſtum fundata eſt, cuius imperio Pater Benedictus ad eundem locum deueniens, illumque ab idolorum ſordibus emundans, ſanctæ regulæ deſcriptione, & miraculorum prodigiis, & ſui corporis ſepultura, toti orbi ſpectabilem reddidit, & totius Monaſtici Ordinis caput effecit: atque idem venerabilis locus à Romanis Pontificibus reſtauratus, & Romanæ Eccleſię filiorum, vnicum in aduerſis ſolatium, & in proſperis infatigata requies perſeuerat.] Petrus Damiani en-

comium

comium inſigne eidem cœnobio depanxit, ſcribens ad Deſiderium inibi Abbatem, poſtea Victorem III. Papam. Cur autem facultates illius cœnobij piorum liberalitate propè immenſum creuiſſent (vndecunque enim Sanctus loci odor & S. Benedicti reuerentia pingues oblationes, terrarum, caſtrorum, & omnis generis prouentuum educebat, vt fusè deſcribitur à Leone Oſtienſi & Paulo Caſſinenſi Diacono in Chronico) magnus omnino ſeruorum Dei numerus in eo cœnobio ſuſtentabatur. Ad ducentos inibi vixiſſe, ex multis & quidem admodùm diſſitis regionibus adunatos, notatur in Chronico Leonis l. 3. c. 31. Poteſtque numeroſitatis argumentum peti, ex laude perpetua, quam Caſſini inſtitutam inſinuat Carolus Magnus mox proferendus. Et veriſimile eſt, eum ſacrum vſum in aliis minùs illuſtribus cœnobiis vigentem, in capite Monaſteriorum non fuiſſe prætermiſſum. At ea inſtitutio laudis perpetuæ, planè magnum numerum laudantium depoſcit, præſertim ſi ad horas ſingulas numerus deſtinaretur non planè exiguus, v.g. duodenarius, quem numerum Romarici S. Amatus, pſallentibus ad quamcunque horam deſignauit. In tam numeroſo ergo cœnobio, ex tam variis gentibus & nationibus adunato, (Italos cuiuis prouinciæ, Germanos, Gallos, Anglos, Hiſpanos, & alios externos eò confluxiſſe notatum eſt.) pax & concordia ſumma vigebat, idque inter illius cœnobij ornamenta à Carolo Magno repoſitum lego, iis verſibus quos ad Paulum Longobardum exarauit, cum eum abs ſe exilio multatum, Caſſini Monachum factum inaudiſſet.

Hinc celer egrediens facili mea charta volatu,
Per ſyluas, colles, valles quoque, perpete curſu,
Alma Deo chari Benedicti tecta require.
Eſt nam certa quies feſſis venientibus illhuc:
Hic olus hoſpitibus, piſcis, hic panis abundat.
PAX PIA, mens humilis, PVLCHRA &
CONCORDIA FRATRVM,
Laus amor & cultus Chriſti, ſimul omnibus horis.

Meritò Angelorum more vexiſſe tot turmas, dixit Petrus Damiani, celebrans S. Benedictum. At inter Angelos non ſunt affectus Gentilitij aut Nationales, ſed omnes ſunt filij Dei vnanimes, In quibus ſuis ſublimibus, pacem altiſſimam fecit omnipotens. Similes ergo iis vixere Caſſinatos in tanta gentium & Nationum diuerſitate.

Cluniacenſe.

VErè *Sanctos & Angelica veneratione edendos*, cœnobij Cluniacenſis fratres, appellat Petrus Damiani lib. 6. epiſtol. 5. diffusè excurrens in eorum præconia, id quod etiam copiosè præſtat ibidem epiſtol. 4. poſtquàm è Gallia regreſſus quæ Cluniaci vidiſſet Sanctimoniæ ſingularis argumenta deſcribit, vocans illud cœnobium, paradiſum quatuor Euangeliorum fluentis irriguum, totidem ſpiritualium exuberantem riuis virtutum; hortum deliciarum diuerſas roſarum ac liliorum gratias germinantem, ac mellifluas aromatum ac pigmentorum fragrantias ſuauiter redolentem de quo verè poſſet Deus dicere hunc eſſe agrum plenum, benedictum ac ſuaueolentiſſimum; concluditque. [Et quid aliud Cluniacenſe monaſterium dixerim, niſi agrum Domini plenum, vbi velut aceruus eſt cœleſtium, ſegetum, chorus tot in charitate degentium Monachorum.] Et tamen degebat illhic numeroſiſſima ſanctorum cohors (ſupra trecentos ſuo tempore ibi vixiſſe teſtatur in libros quorundam ſtatutorũ Petrus Cluniacenſis) ex omni natione quæ ſub cœlo eſt adunata. Illhic Galli, Germani, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, Hiſpani, Itali, Deo ſub regulari diſciplina ſeruituri conueniebant, & vitam exigebant ſanctiſſimè. Sanctus Bernardus, etiam in ea lucubratione ad Gulielmum Abbatem quæ velut ſcapula videri poteſt decutiendo pulueri qui per aliquorum ſocordiam inſperſus erat, celebrat tamen exquiſitè Cluniacenſes, quorum ordinem fuiſſe, *primum in Eccleſia*, ait, *& cui nullus eſſet in terra ſimilior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei quæ in cœlis eſt Hieruſalem mater noſtra, ſiue ob decorem caſtitatis, ſiue propter charitatis ardorem*. Et quia charitas ad domeſticos optimum ac firmiſſimum munimentum eſt aduersùs externos impetus, (vt propterea Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 14. negat timorem ſibi fieri ab ingruentibus extrinſecus procellis, ſola verò interna diſſidia extimeſcere) mirum nõ eſt Cluniacẽſes cum ſumma egeſtate conflictantes & Petrus Cluniacenſis ibidem prodidit, & externorum infeſtationibus agitatos hæſiſſe immotos. Hanc ſanè Matiſconenſes Præſules, iuribus eorum ac immunitatibus conuellendis incubantes, inde Comes eorum facultatibus inhians, faceſſebant ſeruis Dei negotium. Sed arctè vexos inuicem & in maxima nationum diuerſitate inter ſe coniunctiſſimos, nulla vis externa vnquam labefecit, quamdiu glutinum charitatis tantam gentium varietatem copulans perſeuerauit.

SECT. I. CAP. VI. *Conſtituta Relig. oſa pro amore ex. ernorum.*

Societas IESV.

POteram facile in omnibus populoſis Congregationibus, iam olim conſtitutis, eundem concentũ animorum in magna nationum varietate annotare. Sed quod res ſit explorata, & vbique occurrant exempla, abſiſto pluribus. Inter Congregationes verò recentiore memoria adunatas, ſat erit adducere domeſticum exemplum Societatis IESV. Hæc turbulentiſſimis temporibus, cum gens contra gentem, & regnum contra regnum ſtaret, Europa vniuerſa ob diſſidia Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Regem Gallorum feruentia, in factiones ſciſſa; coaluit è viris diuerſarum nationum. Erant enim inter eos è quibus ſocietas primùm Lutetiæ coaluit, Hiſpani, Galli, Allóbroges, quorum Principes inter ſe confligebant, nec audiebantur per omnes illas oras è quibus orbi erant, niſi prælia & opiniones præliorum. Conuenere tamen decem illi primi ſocij, tanta animorum conſenſione, vt ex iiſdem omnes parentibus procreati viderentur. Quam vnitatem cordium Paulus IV. in electione concordi Iacobi Layni per ſocios è nationibus diuerſiſſimis factam, ſuſpexit, vt notauit Ribadeneira l. 1. vitæ Layni c. 12. Eamdem Paulus V. confirmans nouis Bullis ſocietatem & alij plerique Pontifices, in variis diplomatibus, quibus ſocietatem muniuerunt, ſummopere in illis collaudarunt: Nec in illis ſtetiſſe, ſed ad poſteros quoque virtutis eorum æmulos permanaſſe, ſunt gratulati; vt cæteros prætermeam, inſignis illius ornamenti, quo Spiritus Sanctus Societatem IESV decore dignatus eſt, encomiaſtas

SECT. I. CAP. VI.

Cœtus vna Religioſa pro amore externorum.

Bonum & iucundum, talis habitationis in vnum.

EN igitur in quos de S Baſil.ſentent.c.19.Conſt. recte cadat Dauidicum, *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Et concinit D.Aug.in pſal.132.qui illud *in vnum*, perbellè ait Monachis congruere,qui vere *in vnum*, hoc eſt, ſoli degunt [Qui ergò ſic viuunt in vnum,& vnum hominem faciunt,vt ſit illis verè quod ſcriptum eſt, vna anima, & vnum cor; multa corpora, ſed non multæ animæ,multa corpora,ſed non multa corda, recte dicuntur μόνοι,id eſt,vnus ſolus. Vnde & ille vnus ſanabatur in piſcina.] Verba ſunt S. Auguſtini, aptantis Religioſis eum pſaltis verſiculum, quem ait monaſteria peperiſſe, & tubam fuiſſe qua per vniuerſum orbem terrarum ſonâte,congregati ſunt in vnum, qui ex voce huius pſalmi appellati ſunt *Monachi*, quaſi *Soli*,quia etiamſi ſint numero plures,affectu tamen vnanimi,perinde ſe habent,ac ſi eſſent vnus ſolus. Et iſti ſunt, vt D. Auguſt. ſubdit, qui pertinent ad barbam, qui pertinent ad oram veſtimenti,qui numerantur inter Montes Sion. Periphraſes ſunt Religioſorum habitantium in vnum, vere ac dignè Deo,non corpore tantum ſed & corde. Nam & per barbam deſignantur, quæ non niſi in ætate perfecta aduenit,vnde benè denotat perfectos,vel certè fortes, ſtrenuos, alacres in via Dei, quæ etiam ſunt *Barbati* notiones. Et deſignantur etiam per oram veſtimenti, ſiue Eccleſiæ:quia præ humilitate habent ſe vt nouiſſimos ac omnium peripſemata. Vel ſi ora ſuperior veſtimenti,collo appreſſa ſpectetur,(vt videtur potiùs ferre cortex literæ Dauidicæ,)verè ſunt in apice perfectionis, ſi nõ ſtatu,at actu,& poſſeſſione. Ex abundantia verò diuinæ fragrantiæ qua perfundũtur,ſunt bonus Chriſti odor in omni loco; ac præ vbertate roris diuini quo reſperguntur, euadunt feraciſſimi omnium ſanctorum operum:vnde benedictio illis à Deo, & vita vſque in ſæculum. Hunc rorem Hermon,(quæ vox ſonat *lumen exaltatum*, quod eſt Chriſtus in Crucem elatus, vbi eſt Religioſorum prototypus, & exaltatus etiam in cœlo, vnde dat dona hominibus;)effundit Deus ſuper Montem Sion,id eſt,ſuper hos magnos atque perfectos,qui ſunt in Eccleſia. At neque hic ros, neque vnguentum, neque barba, neque ora veſtimenti congrueret illis, niſi habitarent in vnum;tanta viuentes conſenſione,vt fratres videri poſſint, vel etiam vnus homo, nullis carneis vel gentis vel nationis affectibus ab inuicem disiuncti; quod eſt non eſſe vnius moris nec habitare vnanimes in domo.

Sollicitæ excubiæ Sanctorum Præfectorum pro amore externorum in ſacris cœtibus.

ÆStimantes hæc ſuis momentis Religioſorum cœtuum inſtitutores, & ij quos ſpectat ad ſacrorum inſtitutorum incolumitatem excubare, quã diligentiſſime ſemper proſpexerunt, vt ei animorũ vnitati quam maximè peſſundat amor nationis immoderatus,in ſacris cœtibus conſuleretur, & qui eã turbarent, coërcerentur; ac ſi res ferret,nec ſanari poſſent qui eam gangrænam inferebant in corpus myſticum reſecarentur. Sanè Religioſi inquieti ac pacem turbantes; (quod maximè faciunt qui eo morbo, cui hic medicinam facimus, corripiuntur) dicuntur à D. Aug. in pſal.132. expreſſi ea Chriſti ſententia, *duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Nam lectus in quo iacetur, & quies capitur,bellè exprimit Religioſum ſtatum; ſicut è contrario molendinum,in quo motio eſt & gyratio inquieta,vitam ſæculi apte denotat, vt S. Aug. philoſophatur. Qui ergo Religioſi cum ſint in cœtu vnitatis,per affectus intemperatos miſcent ſe turbis ac tumultui generis humani, & ita exciſa vnitate, conflant binarium,meritò aſſumuntur & extrahuntur de ſacro cœtu,relicto altero,qui vnus in illo vno lecto & indiuiſus permanſit. Vel ſi ad externam vſque ſegregationem non deuenitur, diuina tamen deſtinatione ſuo tempore retegenda,iam nunc excluduntur. Neque tamen protſus impunè ferunt, vbi viget diſciplina,nec ſucci ſunt neruis rectionis, Paſtoribus in Idola commutatis.

Sanè in Ordine Minorum,inter Conſtitutiones editas ann.1354. Gulielmo Farinerio obeũte munus Miniſtri Generalis, ſic mandatum lego, c.6.verſic. *diſtrictè.* [Diſtrictè per obedientiam præcipit Generalis Miniſter,cum Generali capitulo,&c.contra appropriatores locorum, quod Miniſtri, cum viſitant,quandò eis videbitur expedire, de huiuſmodi diligenter inquirant, & inquiri faciant per cuſtodes:etſi quos tales inuenerint,de ſuis locis expellere teneantur. Dicimus autem *appropriatores locorum*, quibus ſi dantur obedientiæ recedendi, procurant eas per preces ſæcularium reuocari:vel qui alios,nõ de ſuis locis natiuis, ſeu quos extraneos reputant, ſubditos vel prælatos ſecum nolunt habere,vel etiã pacificè ſuſtinere.] Nec in familia Prædicatorum impunita fuit vni ſuperiori in externos malè animato, peregrinorum ſociorum exceptio non ſatis conſentanea charitati;vnde manaſſe adagium, *Non ſunt piſces pro Lombardis*, ſcribit Ferdinandus de Caſtillo, In hiſtor. Ord. S.Dominici l.2. cap.70. vt infra referam.

In Societate IESV, S.Ignatius Fundator, parte 10. conſ.§.11. eam affectus propenſionem ad nationem propriã, pro peſtifera habuit;ac ne irreperet ſolicitiſſimè proſpexit, indicto omnibus ſuis vniuerſali amore,partes omnes etiamſi contrarias,inuicem in Domino cõplectente. Peccantibus verò contra hãc animorum coniũctionem,idem S.Ignatius, pœnam ſtatuit, 8.p.c.1.§.5. ſeparationem; vel omnimodam à ſocietatis corpore, vel localem,ſi ea cenſeatur poſſe ſufficere. Poſt ſanctum Fundatorem, Iacobus Laynes qui proximè ab eo ſocietatẽ rexit, l.2.vit. Laynis c.13.cum veniſſet ad extrema,móxque animam in extremis labris ſedentem eſſet efflaturus,grauiſſima conteſtatione ſenſum hac in parte expreſſit.

Sæpè ſæpiùs Euerardus Mercurianus Laynio poſtea ſuffectus,eximiæ integritatis ac prudentiæ vir, in clauſula parænetica ad Patres tertiæ Generalis Congregationis,in qua electus ipſe fuerat in præpoſitum, ſic allocutus eſt Patres. [Obſecro vos per miſericordiã Domini,vt huic quàm maximè inuigiletis,alter de altero in bonitate ſentientes,vt vtrique inuicem benè ſentiamus. Omnes enim eiuſdẽ vocationis,& fratres, & filij eſtis: Itaque nulla, obſecro,ſit Sarmatia, nulla Hiſpania, Italia nulla, nulla Germania,aut Gallia,ſed vna ſocietas, vnus in omnibus Deus,omnes,in vno Domino IESV Chriſto, cuius membra eſtis.] Retulit hunc locum Daniel Bartolus, in abſolutiſſima quam edidit, Societatis IESV Hiſtoria, erutum ex Romano tabulario Claudius Aquauiua, magni vir animi, & in regulari obſeruantia tuenda conſtantis, de auertenda peſtiferi huius affectus malignitate diſputauit, non modo in Encyclica de perfectione & Charitate

charitate fraterna, cuius bona pars in hoc argumēto conſumitur, ſed etiam ea Epiſtola qua de fælici Societatis progreſſu diſſerit, e qua decerpo plagulam. Præfatus enim quanta clades Religioſo ordini immineat a diſruptione vnionis, ſubdit. [Proinde nulla ratione, ſuperioribus diſſenſiones inter Domeſticos ferendæ ſunt, nec tolerandum vt ea quę ad nationes pertinent, & charitatem maximè diſcindunt, vel leuiter attingantur: dicente Apoſtolo, non apud Religioſos modò, ſed etiam Chriſtianos quoſuis, *Nec ſeruum eſſe, nec liberum; nec barbarum aut Scytham, ſed omnia, & in omnibus Chriſtum.* Hæc eſt gloria Societatis noſtræ iam tunc ab initio. Et certè melius eſt nobis magis mori, quàm vt gloriam huiuſmodi quis euacuaret. Non igitur ferendū eſt, vt quæ ſingulorum ſunt vitia, integris tribuantur nationibus, cum nihil laude vel vituperatione dignum ſit, quod voluntarium non eſt: & diligentiſſimè regula illa ſeruanda quæ prohibet, ne aliæ nationes de aliis ſiniſtrè ſentiant, aut loquantur: ſed peculiari affectu faciendum eſt cuique, vt diuerſas nationes in Domino proſequatur. Omnes ſiquidem ſumus ciues ſanctorum, & patriā vnam paradiſum computantes, eam a longe aſpicimus & ſalutamus.] Concludit, credere ſe, ac pro certo habere, ex eo vno maximè ſocietatis bonum & conſeruationem pendere.

Qui Aquauiuæ ad clauum ſocietatis vniuerſæ ſucceſſit Mutius Vitelleſcus, cum alibi ſæpè in hoc genere prodidit ſollicitudinem ſuam, tum nominatim Epiſtola Encyclica data anno 1617. Præfatus enim ſe exhorreſcere, ſi audiat, aliquem in ſocietate *externum* dici, fortiſſimaque ſe vrgeri cupiditate, eam vocem & eos ſpiritus ex ſocietate ſtirpitus conuellendi, addit. [Et verò Prouinciis atq; nationibus addicti conſecratique iſti ſpiritus, ſanctæ huius ſocietatis cuius vnus eſt, eritque Spiritus, Spiritus IESV, coniunctionis nimirum, charitatis atque concordiæ dulciſſimum mare influentes; æquum ſanè fuerat, vt obliterato etiam nomine interirent. Quod ſi quis oculorum ſocietatis iſti pupilla, ſiue huiuſce bene adeò conſtituti compactique corporis cordi, qualibet incommodare ratione conaretur, næ is à moderationibus acerrime plectendus foret, peſtiſque habendus in loco in qua tractanda, vti clementer agere atque humaniter, immanitatis eſt ſummę, ita ſeuerè atque, (vt ita loquar,) crudeliter ſe gerere, pietatis eſt maximæ atque veriſſimæ. [Reliqua quæ eam in rem nitidè ſimul ac grauiter addit, apud eum leguntur.

Inter ſtudioſos, Academiarum, idem curatum à Gerſone.

QVid mirum depoſci à Religioſis, ſtudium vnitatis inter nationes, cum Gerſo informans ſtudentes Lutetiæ in Collegio Nauarræo, prolixè cōmendet idipſum ſcholaribus in vno Gymnaſio literis operam dantibus? Idque accurate ſeruatum, effecit vt ex omni gente ac natione confluerent ad eam Academiam qui inde haurirent ſcientiam Angli, Scoti, Hyberni, Germani, Poloni, Pannonici, Itali, Hiſpani. Neque enim externi dedignati ſunt haurire doctrinā ab externa Academia, in qua benè habebantur, & ſine inuidia ac gentium differentia communicabatur ſcientia. Id quod æquè à Socrate, Platone, Pherecyde, Pythagora, Thalete, Solone, & cæteris omnibus Philoſophis factum, notauit Theodoretus l. 1. contra Græcos: obſeruans aditas ab eis fuiſſe remotas nationes Ægyptum, Siciliam, Italiam, aliaſque regiones; quamuis variis ſubiectas principibus, ac etiam bella inter ſe agitantes. Id ipſum (vt dixi,) cernere licuit in principe illa Academia omnibus gentibus ac nationibus iam olim frequentata. Et qui in ea maxime floruerunt, non indigenæ, ſed externi fuerunt, puta Alcuinus, Albinus Flaccus, Petrus Lombardus, Alexander Alenſis, Angelus, SS. Thomas & Bonauent. Itali, Ioannes Dunſius Scotus, ſiue Hibernus, Hugo de S. Caro. & Franciſcus de Maytonis Sabaudi Inalpini, Gregorius Ariminenſis, & recentiore memoria Ioannes de Turrecremata, Franciſcus à Victoria, Ioan. Maldonatus, Hiſpani. In aliis Academiis idem facile eſſet annotare. Quo enim celebriores & populoſiores fuerunt; ab exteris & profeſſoribus & auditoribus, frequentata, deprehendere licet. Imò ante conſtitutas exemplo Pariſienſis, varias per orbem academias, claros profeſſores propemodùm omnes, fuiſſe externos, ſiue magnis ſalariis euocatos, ſiue ſtudio parādę famę adductos in exteras regiones, ex Suetonij claris Grammaticis, Philoſtrati Sophiſtis, Auſonij profeſſoribus Burdegalenſibus, ac ſimilibus ſcriptoribus eſt manifeſtum. Nulli horum, nec auditoribus eorum vndecunque confluentibus, externos eſſe, fraudi fuit.

SECT. I. CAP. VI. Co... Religioſo pro amore externorum.

Iuſtum ergo eſt, vt quando Religioſi ſublimiorē ſapientiam profitentur, ſollicitè conniantur, vt húc obicem profectus ſui, in tam ſublimi doctrina, remoueant. Alioqui locus erit illi querelæ, *Erubeſce Sidon, ait mare*, quia ex actione ſæcularium confunditur vita Religioſorū, vt habet Gloſſa S. Greg. in præfat. c. 1. & parte 3. Paſtor. adnot. 29. Sed & Richard. Victorinus l. de Incar. verb. c. 3. tractans illud Dei per Eſaiam, *ad me clamat ex Seir*, interpretatus *Seir*, hiſpidum ac piloſum, cuiuſmodi erat Eſau profanus, & hoc totum ad homines ſæculares accommodans, pronunciat erubeſcendum plerumque eſſe Iudæo, id eſt Religioſo, (cuius inſtitutum eſt Deo confiteri, & laudem perfectam pangere;) quod deterius afficiatur in negotio quod tantopere Deo cordi eſt, quàm ſæculares multi, ciuiliter compoſiti.

Amor externorum, etiamſi alterius inſtituti, Religioſis commendatus exemplo veterum.

HActenùs de amore vniuerſali Religioſorum erga eiuſdem inſtituti profeſſores. Attingendū ſupereſt eiuſdem amoris ſtudium erga quoscunque alios Religioſos, etiamſi alterius inſtituti. Quæ in parte exemplo egregiè præluxerunt poſterioribus Religioſis, antiqui Monachi. Quod enim iugis eſſet ad eos deſerta inhabitantes, commeatio cuiuſcunq; inſtituti Aſcetarum, ædificationem ab eorū ſanctiſſima vita coram perſpecta captantium, vt apud Caſſianum, & in vitis Patrū, paſſim legimus; idcircò occaſio dabatur exercendi hoſpitalitatem, & exteros Monachos, (Quamuis antehac ignotos, & diuerſi prorſùs inſtituti,) officiis charitatis demerendi, cum conſcij eſſent, hoſtiis beneficentiæ & cōmunionis, id eſt, exceptionis humanæ ſeruorū Chriſti, promereri Deum. Ruffin. Monach. l. 2. vit. Patr. c. 21. in Nitricā, (ſic à copia nitri dictū, Ægypti locum,) peregrinatus, perilluſtre de Monachis ibi degentibus exemplum Charitatis in peregrinos Monachos his verbis recitat. [In hoc loco, quinquaginta ferè, aut non multò minùs cernuntur, vicina ſibi & ſub vno poſita Patre, tabernacula; in quibus aliqui plures ſimul, aliqui pauci, nonnulli etiam ſingulares habitant: Et manſione quidem aliqui diuiſi; animo autem & fide & charitate, coniuncti & inſeparabiles manent. Huic ergo cum appropinquaremus loco, vbi peregrinos fratres aduenire ſenſerunt,

De variis, adiunctis hoſpitalitatis Monaſticæ habet non pauca Laurentius Landtmeter l.2. de vet. cler.& Monacho parte 1.cap.8.

CAPVT VII.

Dicta, & facta Ethnicorum, pro externarum quoque Nationum amore, & vniuerſali Charitate.

VT liquidò perſpiciatur quàm meritò in ſchola Chriſtianæ perfectionis, præſcribatur affectus vniuerſalis ad certam gentem non reſtrictus, aduocandi in hanc cauſam ſunt Ethnici ſapientes, & ab humanitate collaudati. Inde enim manifeſtũ fiet, etiam ſpiculum naturæ lumen radiorum gratiæ expers, honeſtatem amoris vniuerſalis, turpitudinem verò affectus ad vnam nationem circumſcripti, detegere.

Platonis pro externis lex, vnde hauſta.

APud Platonẽ hæc lex ſancitur in gratiam externorum [Ad peregrinos ſanctiſſima eſſe fœdera, quiſque cogitet. Fermè enim omnia peregrinorum & contra peregrinos peccata, præ illis quæ inter ciues committuntur, vltori Deo curæ ſunt. Nã cum peregrinis amicis cognatiſque careat, maiorem & apud Deos & apud homines meretur miſericordiam. Quare qui magis vlciſci poteſt, is ad ferendũ auxilium eſt paratior. Poteſt autem maximè, hoſpitalis cuiuſque dæmon, ac Deus, hoſpitalem ſecuti Iouem. Diligenti igitur cautione cogitandum cuiq; cui nonnihil eſt conſilij, vt innocens ab iniuria in peregrinos ſemper viuat. Non auſim prorsùs aſſerere, Platonem, quem conſtat ſcripturas perelegiſſe, (vt ſæpè apud Clementem Alexandrinum legimus, nec non apud Euſebium, & alios Patres,) ex lectione Geneſeos hauſiſſe ſuam hanc legem. In geneſi ſiquidem, exaratam habemus Lothi beneficentiam in exteros ac peregrinos, tantam, vt etiam honeſti terminos exceſſiſſe quibuſdã ſit viſa; niſi quod Loth præ ardore charitatis in hoſpites, minùs videtur conſideraſſe quid diceret. Itaque abſolutè eius hoſpitalitas à Patribus collaudatur, nominatim ab Ambroſio, 2. offic.c.21. Paulino, Epiſt.33. & Epiſtol.2. Chryſologo ſer.42. extollitque etiam Paulinus tantum eius ſtudiũ in exiſtimatos peregrinos, vt [Prætulerit pietati domeſticæ, iuſtitiam charitatis; hoc eſt, timorem Dei, cuius vtique præcepto & ſpiritu, recipiendis hoſpitibus ſeruiebat, &c. Et ipſam ſuperans ſanctitate pietatem, non dubitauit (quantum in ipſo fuit,) pudicitia filiarum redimere caſtitatem.] Quanquam potuit Plato, ex hoc Lothi exemplo, peregrinorum curam & abſtinentiam ab eorum violatione præſcribere: tamen potuit etiam ſolo naturalis luminis ductu, idem ſancire, vt fecere quos ſubiiciam, de quibus quod ſcripturas perlegerint, non eſt ſuſpicio. Ariſtoteles lib.9. hiſtor. anim.cap.32. ſanè, refert ex Mythologis Aquilam idcircò fame emori, roſtro ſuperiore incuruato, quod olim cum homo eſſet, iniuriam hoſpiti intuliſſet. Neque tamen fabuloſos illos, ſcripturas violatione hoſpitum intercedente, legiſſe par eſt arbitrari.

Variæ gentes erga externos admodùm officioſæ.

SECT. I. CAP. VII. Ethnici pro amore exterorum.

GErmani veteres teſte Cæſare, comm.l.6. erant erga hoſpites officioſiſſimi, & iniuriarum abſtinentiſſimi. Sic enim de eis Cæſar. [Hoſpites violare, nefas putant: qui quaque de cauſa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, ſanctóſque habent; iis omnium domus patent, victuſque communicatur.] Id cuſtodire hodiéque Heluetios, affirmat ad Alexandrum Neap. Tiraq.l.4.c.10. De iiſdem Germanis, ſic Diodorus l.5. [Erga maleficos & hoſtes, ſunt crudeles: erga hoſpites verò, mites atque humani. Peregrinis enim omnibus, hoſpitium vltrò offerunt, hoſpitalitatiſque inter ſe officiis certant. Quos peregrini comitantur, eos laudant, & Diis charos arbitrantur.] Nec diſſimiliter Cornelius Tacitus de morib.Germ. [Conuictibus & hoſpitiis, non alia gens effuſiùs indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur; pro fortuna quiſque, apparatis epulis excipit. Cum defecerit qui modò hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitij & comes. Proximam domũ non inuitati adeunt, nec intereſt: pari humanitate excipiuntur. Notum ignotúmque, quantum ad ius hoſpitij, nemo diſcernit, &c. Victus inter hoſpites comis.]

Senſum Romanorum veterum, de charitate erga externos, perſpicere licet ex iis quæ habet Tullius, 3. offic. referens fuiſſe qui diceret, ciuium rationem eſſe habendam, externorum negarent. Addit enim. [Hi dirimunt communem humani generis ſocietatem, qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, iuſtitia, funditùs tollitur. Quæ qui tollunt, etiam aduersùs Deos immortales, impij iudicandi ſunt. Ab iis enim conſtitutam inter homines ſocietatem, euertunt.] Alia addit in eam ſententiam: Idem Tullius, 2.lib.offic. [Rectè etiam à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Etenim (vt mihi videtur,) valdè decorũ, patere domos hominum illuſtrium hoſpitibus. Idq; etiam Reipublicæ eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in vrbe noſtra non egere.] Aliqui codices, poſt illud *illuſtrium*, addunt *illuſtribus*: quo pacto valdè minuitur decus hoſpitalitatis in omnes æquè beneficæ. Sed quod aliqui codices ea voce careant, poteſt videri irrepſiſſe, niſi eam adderet, & latè refelleret Lactantius l.6. c.12. Itaque prior ex Tullio locus; eſt huic inſtituto congruẽtior.

Cretenſes, qui leges ſuas referebant ad Minoem, cui per nouem annos in alto monte ſitum Iouis antrum ſubeunti, eas Iupiter eſſe dictaſſe iactabatur,) erant erga hoſpites ac peregrinos officioſiſſimi. Itaque teſte Heraclite, in Politiis Cretenſ. conſuetudines eorum ac leges deſcribente, eorum quæ in conuiuiis apponebant partem primam dabant peregrinis, poſt eos autem principi.

Babyloniorum hoſpitalitas, recti ac iuſti fines ſupergreſſa eſt, cum etiam vxores & filias hoſpitibus permitterent, vt ſcribit Curtius l. 5. Id quod etiam Marcus Polus Venetus, l.1.c.37. de gẽtibus prouinciæ Chamulij prodidit, ita referens. [Si quis aduena pergit ad illorum hoſpitia, valdè lætantur; & imperant ſeriò propriis vxoribus, filiabus, ſororibus, & aliis affinibus, vt obtemperent integrè votis omnibus hoſpitum: & ipſi diſcedentes è domo, iura petunt, & inde mittunt omnia neceſſaria ſuis hoſpitibus, nec vnquam domum redeunt, ante diſceſſum hoſpitum, &c. Et iſti populi reputant hoc eſſe ſibi magno honori & ornamento, & admodùm gratum ſuis Idolis, adeò benè tractare viatores recreationis indigos.] Apage inho-

SECT. I. CAP. VII. *Ethnici pro amore Exterorum.*

norum honorem, & propudioſum ornamentum, ac ſceleratam ſuperſtitionem. Spurcitiis verò ſpecie hoſpitalitatis inductis, prorsùs deterſis, ipſa hoſpitalitas intra honeſti fines, collaudanda iure venit.

Lucani, referentibus Æliano lib. 4. var. hiſtor. & Heraclide, in polit. edixere, vt qui poſt ſolis occaſum hoſpitem etiamſi ignotum domo exegiſſet, κακοξενίας accuſatus mulctam ex eo nomine penderet.

Ex vſu quorundam Ethnicorum quos non deſignat ex nomine, Sanctus Baſilius, ſub finem orationis in famem, ſic exclamat. [Audite Chriſtiani populi atque attendite, &c. Vereamur atque imitemur Græcorum humanum viuendi modum. Apud nonnullos illorum, humana conſuetudo vnam menſam, communem alimoniam, domum vnam frequentem propè populum conſtituit.]

Ethnicorum ſcriptorum, pro amore externorum, effata.

PLutarchus lib. de exilio, multus eſt in depellenda ea falſitate, qua aliqui habentur exteri, & eam ob cauſam minùs beneuole habentur, quaſi ille non irrideatur vt ſtultus, qui lunam Athenis meliorem ac nitidiorem eſſe dicat, quàm Corinthi; & quaſi verum non ſit, præcellentes quoſque viros; vbi maximè claruerunt, externos fuiſſe, quod notatis ſigillatim primariis quibuſque Philoſophis demonſtrat; addens, ſuo item tempore, probatiſſimum quemque ac optimum, ibi vitam traduxiſſe, vbi poſſet externus dici.

Lucianus in Toxari refert, Maneſippum Athenienſem, Toxari homini Scythæ exprobraſſe, quod Byladem & Oreſtem peregrinos, haberet pro Diis. Ad quod ſic reſpondentem inducit Toxarim. [Quod hoſpites erant, non Scythæ, id verò nihil obſtat quominùs viri boni iudicentur. Neque enim perpendimus cuiates ſint viri honeſti ac probi: nec inuidemus, ſi cum amici non fuerint, res egregias geſſerunt. Quia magis admirantes ea quæ patrarunt, ab ipſis factis, domeſticos ac noſtrates illos ducimus.]

Apuleius in apolog. 1. obiectanti aduerſario Æmiliano, nationem ſuam eo quod natus eſſet in ipſo Numidiæ ac Getuliæ confinio, reſpondet. [Non video quid mihi ſit in ea re pudendum; haud minus quam Cyro maiori quod genere mixto fuit Semi-Medus, ac Semi-Perſa. Non enim vbi prognatus, ſed vt moratus quiſque ſit, ſpectandum: nec qua regione, ſed qua ratione vitam viuere inierit, conſiderandum eſt. Olitori & cauponi, meritò eſt conceſſum, olus & vinum ex nobilitate ſoli commendare: Vinum Thaſium, olus Philaſium; quippè illa terra alumna, multum ad meliorem ſaporem iuuerit, & regio fæcũda, & cælum pluuium, & ventus clemens, & ſol apricus & ſolum ſuccidum. Enimuerò animo hominis, extrinſecùs in hoſpitiũ corporis immigranti, quid ex iſtis addi, vel minui ad virtutem vel malitiam poteſt? Quando non in omnibus gentibus varia ingenia prouenere? quanquam videantur quædam ſtultitia vel ſolertia inſigniores. Apud ſocordiſſimos Scythas, Anacharſis ſapiens natus eſt; apud Athenienſes Catos Meletides fatuus.] Allatrauit me, ob Apuleium allegatum Gulielmus Camerarius, alia lucubratione repulius. Me tamen non piget, ex eo item cæno gemmas legere, quod feciſſe non ſemel video S. Auguſtinum, nec non Ioannem Sariberienſem, 6. polyc. cap. 28. & qui hiſpidam eius latinitatem ſibi intrepide vindicandam, profitetur Marcus Antonius. 15. var. c. Itaque vel inuito Camerario, innoxia eſt hoc item loco Apuleij allegatio.

Philoſtratus Epiſtol. 46. ſcribens ad vxorem Laconiſantem, hoc eſt, ex inhoſpitali (vt ſuppono,) Lycurgi lege, exteros arcente, aduersùs alterius gentis homines aſperam, ſic habet. [Non Branchus Apollinem fugit vt peregrinum, neque Hylas Herculem, non Lycimnios Radamanthum, neque Patroclus Achillem, neque Chryſippus Laium, &c. Peregrini ſunt etiam, imbres in terra, & fluuij in mari, & Æſculapius apud Athenienſes, & Iupiter apud nos, Nilus apud Ægyptios, & Sol apud omnes. Hoſpes etiam eſt animus in corpore, & luſcinia in aëre, & hirundo in domo, & Alcedo in petra, & Elephas apud Romanos, & ales Phœnix apud Iudos. Hic quidem peregrinus & tardus, Ciconiam verò cum primi conſpexerint, etiam adorant. Et peregrinæ ſunt literæ, venerunt enim ex Phœnicia. Et Syrenum Nymphæ, & Magorum Theologia: quibus omnibus maiore cum delectatione vtimur, quàm domeſticis, &c. Peregrinus, æquus ac bonus eſſe poteſt, & ciuis prauus ac malitioſus, quo etiam à ſapientia propiùs abeſt. Indigena nihil diſcrepat à lapidibus, & omni permanente, quorum ſtabilitas neceſſitate deuincta eſt. Peregrinus verò celerrimus, Diis ſimilis eſt, ſoli, ventis, aſtris, & amori, &c. Intellige piſcem fieri peregrinum non poſſe. Gaudet autem eiuſdem & vnius terræ mutationibus. Quid enim ſunt aliud patriæ, quàm formidoloſæ commenſiones ſordidorum & illiberalium legiſlatorum, terminis ac portis ſua deſcribentium, vt beneuolentiis, & amoribus in anguſtum cogamur, & metu ne vltra tabellam localis amicitiæ fiat progreſſio, prohibeamur.]

Cacozelia Iuliani in Chriſtianos, circa amorem externorum.

IVlianus Imperator in fragmento longo orationis, argumentum pro amore exterorum, ducit ex eo quod Iupiter *hoſpitalis* denominetur; miratúrque qua fronte, homo inhoſpitalis & ab externis animo auerſus, templum eius frequentare, & ibi ſacrificare poſſit. Erat Iouis hoſpitalis ſiue *Xenij* ſumma religio apud veteres, vt notat Seruius 1. Æneid. ad illud.

Iupiter hoſpitibus, nam te dare iura loquuntur.

Dicatas Ioui hoſpitali, ac hoſpitum vindici, (vt eſt apud Plutarchum, in amatorio) ædes ſacras, liquet ex hiſtoria Machabæorum, l. 2. c. 6. in quam narratur, Antiochum Ioui hoſpitali templum dicaſſe in monte Garizin. Videndus de Ioue hoſpitali Gyraldus, Syntag. 2. ac Iacobus Philippus Tomaſinus de teſſera hoſpital. c. 6. qui de aliis præterea Diis hoſpitalibus, multa notauit. Miratur ergò Iulianus, hominem qui religiosè colere ſe putet Iouem hoſpitalem, in cuius tutela ſunt exteri, aduersùs eos inhumaniter agere. Ex ea certè Dei in exteros tutela, inſedit omnibus gentibus ſententia, non peccari impunè in aduenam, & hoſpitij iura eſſe inuiolabilia: id quod increbuiſſe etiam apud barbaros, Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abrah. cap. 6. annotauit. Vt minùs mirum ſit, omnes expolitas nationes, maximam egiſſe curam peregrinorum & hoſpitum; in quo non defecere priſci

Romani,

Romani, nam quamvis *peregrinum* Varrone, ac Tullio teſtibus *hoſtem* dicerent, tamen alia erat apud eos notio nominis *hoſtis*, quam poſtea fuerit tempore Tullij. Dicebatur enim tunc *hoſtis*, ab eo quod eſt *hoſtire*, ſiuè *æquare*, quod ciui æquatum vellent peregrinum.

Quando de Iuliano agimus, non eſt omittendus præclarus eius, qui penè excideret, in hanc ipſam rem locus ex Epiſtola ad Arſacium ſummum in Galatia Ethniciſmi ſacerdotem, deſcriptus à Sozomeno l. 5. cap 16. Nam Iulianus pro munere ſummi Pontificis quod gerebat, inter Ethnicos, varia præſcribens, quibus Ethniciſmus cuius promouendi ſtudio flagrabat, apud improuidos honeſtaretur, vt ea eſſet illecebra ad multos in eius profeſſionem pelliciendos, ſic mandat quoad peregrinos. [Frequentia Xenodochia, per ſingulas ciuitates conſtitue: vt humanitate noſtra peregrini fruantur; non modò qui ex noſtris ſunt, ſed & alij quicunque pecunijs deſtituuntur. Vnde autem neceſſarias ad iſta facultates accipias, prouiſum iam eſt à me. Etiam ſingulis annis, triginta millia modiorum frumenti, per vniuerſam Galatiam dari præcepi, vt ſacerdotibus ſuppeditentur, & in illos inquam inſumantur; reliqua in peregrinos, & eos qui à nobis ſubſidia petunt, diſtribuantur. Turpe quippè eſt, quod nemo ex Iudæis mendicat; & impij Galilæi, non modò ſuos, ſed & noſtros alunt; noſtri verò noſtro ſubſidio deſtituti videntur. Doce Gentiles, vt & ipſi ad huiuſmodi miniſteria conferant, & vt Gentiles viri primitias fructuum Diis offerant: atque ita eos ad huiuſmodi beneficentiam aſſueſcas, docens eos, hoc olim fuiſſe noſtrum opus. Homerus enim Eumæum hoc dicentem inducit, *Hoſpes fas mihi non eſt, etiamſi quiſquam te peior adueniret, hoſpitem quemquam dehoneſtare. Sunt enim a Ioue omnes, tam hoſpites, quam pauperes.* Nos iam, ne bona quidem illa quæ à noſtris exorta ſunt, imitantes, ſed aliis id ſtudij permittentes, neque ſic propter ſocordiam noſtram pudore ſuffundimur: ſed magis ipſam pietatem erga Deos prodimus. Si iſta te curare audiero, plenus ero lætitiæ.] En flagrans ſtudium Apoſtatæ, erga peregrinorum exceptionem. Sed mentitur, quatenus hoc ſtudium, ſuis hoc eſt, Ethnicis inuentoribus arrogat, allegato Homero. Nam longè ante Troiam captam, atque adeò ante Homerum, Moſes hoſpitalitatem indixerat, eamque longè etiam anterius, Abraham, & Loth, & Iob, exercuerant. Quod item neminem Iudæum mendicaſſe ait, valet fortaſſe pro ætate Iuliani. Nam Chriſti ætate, inter Iudæos fuiſſe qui mendicarent, docent Iudæ furta ex iis quæ in mendicos eroganda, concredita habebat. Idem habetur ex claudo ſedente ad ſpecioſam portam templi. Item cæcus notus mendicus erat. Illo pauciores fuerint fortaſsè tunc mendici, quam ſint inter frigidos pleroſque Chriſtianos.

Pauci Ethnici, inhoſpitales.

EX omnibus hactenus diſputatis, concludere licet, Ethnicos pleroſque, humanitatem in peregrinos, beneuolentiæ argumentis teſtatam adamaſſe. Pauci duntaxat aliqui eo nomine ab omnibus proſciſſi ſunt, quod eſſent inhoſpitales. Infamia Maſſagetarum hanc ob cauſam, nemini eſt incomperta, eámque notauit Strabo l. 6. Thracum item in aduenas truculentia, nota eſt ex narrationibus vulgatiſſimis de Polymneſtore, Dìomede, Buſiride, Thracibus. Procuſtes crudelitate in peregrinos, deteſtationem omnium collegit. Deſcribit illam ſub hominis perſona feram, Plutarchus. in Theſeo. Tauri eadem flagrarunt infamia, vt ſcribit Origenes l. 5. contra Celſ. & lib. 2. Peri. Nota Scytharum in peregrinos inhumanitas, ex Strabone, l. 2. ac Herodoto. lib. 4. De intimis Lybiæ oris à peregrinorum conſuetudine abhorrentibus, videndus Plinius. l. 5. c. 8.

SECT. I. CAP. VII. *[illegible] pro amore exterorum.*

Quos Britannos *hoſpitibus feros* dixerit Flaccus, 4. libri 3. me latet, & Gaultero interpreti hæret aqua. Idem tamen tradunt de Britannorum inhoſpitalitate Strabo l. 4. & Solinus in polyh. c. 34. Aliquam fortaſſis in receſſibus Oceani inſulam agreſtem & inhoſpitalem, notare, voluit Poëta; nam in Britannos vulgò dictos, non cadit hoc conuitium. Quanquam in Scotis, nunc admodùm expolitis, longè poſt Flaccum, viguiſſe Barbariem monſtrant illa S. Hieronymi l. 2. in Iouin. eos Britannis annumerantis. [Quid loquar de cæteris nationibus, cum ipſe adoleſcentulus in Gallia, viderim Scotos gentem Britannicam, humanis veſci carnibus? Et cum per Syluas porcorum greges, & armentorum pecudumque reperiantur, paſtorum nates, & fæminarum papillas ſolere abſcindere; & has ſolas ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio vxores proprias non habet, & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos coniux propria eſt, ſed, vt cuique libitum fuerit, pecudum more laſciuiunt.] Hæc ſanè fuit admodum tetra barbaries, annis poſt Flaccum quadringentis notata à S. Hieronymo; qui etiam in Epiſtola ad Cteſiphonem meminit Britanniæ prouinciæ, feracis Tyrannorum, & Scoticarum gentium, omniumque vſque ad Oceanum, per circuitū, barbararum nationum Iuretus ad Iuonis Epiſtolam 215. Britannos abſolutè olim barbaros dictos, annotat. Similiter olim Germanis, feroces & barbari habiti. Nam de eis accipiendum eſt, quod Valentinianus Imperator, *Francos* lingua Attica à *feritate, duritia, atque audacia* vocari voluit, vt ſcribit Iuo Carnotenſis initiò Chronici & autor vitæ S. Rictrudis 12. Maij, *initio*. Hoc accipio dictum de Germanis, cum Hieronymo in Hilarione, vbi diſertè ait, quæ hiſtoricis *Germania*, nunc *Francia* dicitur. Procedente tamen tempore, Germani, & quomodolibet dicti franci, ad eam venerunt expolitionem, qua vix vſpiam maior poſſit reperiri: Fortaſſis ergo eodem modo quo iſti, olim Britanni, dicti fuerint inhoſpitales & barbari.

Pontici olim dicti inhoſpitales, vnde Tertullianus l. 1. c. 1. agens in Marcionem natione Ponticum, ait de ea regione. [Pontus qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur.] Senſus eſt, per antiphraſim dictum εὔξεινον ideſt *hoſpitalem*, cum eſſet maximè inhoſpitalis. Mendacem eius oræ appellationem ſugillat Naſo ibidem exul, ſic ſcribens.

Quem tenet Euxini, mendax cognomine Pontus.

Ammianus, lib. 22. quoque à contrario per cauillationem dictum Euxinum, vt Euethen Græcis ſtultum, & noctem Euphronem, & Furias Eumenides, appellari obſeruauit. Non eſt infrequens ea nominum peruerſio, cum & furiæ Athenienſibus *Deæ venerabiles* dicerentur, & *Philadelphus* ironicè dictus ſit, qui duos ſuos fratres occiderat. Et ad mitigandam lenitate verbi, triſtitiam: *hoſtem* dictum, qui *perduellis* dicendus erat, obſeruauit Tullius l. 1. de offic. Nam hoſtis olim peregrinū ſonabat.

SECT. I. CAP. VIII. *Rationes pro temperando Nationis amore.*

Lycurgum & Lacones, ob excluſos Lacædemone exteros, non nemo inhumanitatis notauit. Plutarchus de Laconum inſtitut. & in Lycurgo ſanè, deſcribens Laconica inſtituta, ſic habet. [Peregrinando Spartanis interdixit, ne mores peregrinos, vitæque malè inſtitutam rationem addiſcerent. Quin & arcuit Sparta peregrinos, ne in vrbem illi ſe inſinuantes, malum aliquid ciues docerent.] Hoc in Lycurgi inuidentiam reiicit Thucidides, volens ſic edixiſſe Licurgum, non odio aliarum gentiũ, ſed ne quis exterorum inſtituta ipſius effingeret, aliòq; transferret. At Philoſtratus l.6. vitæ Apollon. pro Lycurgo ſtat, eumque, ſapienter ſuorum Laconum puritati ac infermentationi conſuluiſſe affirmat, ea ſecretione exterorum. Quæ item cauſa fuit, cur Seres non admitterent externos. Plinius ſic de eis ſcribit. [Seres mites quidem, ſed & ipſi feris perſimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt.] Nec diſſimilia Solinus cap 63. & latè Ammianus lib. 23. Durauit ad hanc diem commutato *Serum* in *Sinas* nomine, vſus ille abhorrendi ab externis. Nec eſt inueriſimile, veteratoriis Satanæ artibus adeò validè obſeratos eſſe externis in vaſtiſſimam illam regionem omnes aditus, vt illhoc non penetraret Euangelica prædicatio, ſine qua non eſt ſalus. Quanquam vt non eſt conſilium & cogitatio contra Dominum, peruicit denique ſatorum fidei, diligentia, vt clauſtra adamantina externos arcentia perrumperentur. Et deinceps Tartarorum agminibus rupto muro ſubingreſſis, cum Regis excidio, alios vſus inuehendos, & multò pleniorem circa exteros laxitatem inducendam ſpes inijcitur.

CAPVT VIII.

Rationes pro temperando in ſeruis Dei Nationis propriæ amore.

POſt prolatum hactenus ſenſum ſapientum, cum noſtrorum, tum externorum, adducendæ ac expendendæ ſunt rationes quibus perſuadeatur, amorem nationis intemperatum, accuratè deuitandum eſſe ſeruo Dei.

Genius charitatis diffuſus, pugnans cum arctatione affectus ad Nationem propriam.

ET primùm quidem, argumentari licet ex impetitione charitatis, quæ per hunc reſtrictum ac vni regioni addictum affectum, immaniter ſauciatur; vt autem hæc ratio manifeſta fiat, recolendus eſt Charitatis veluti genius, de quo fusè in Gloſſario ad Nomenclatorem Marianum v. *lata* verſic. *cui vero* monſtrando, charitatẽ poſcere latitudinem atque diffuſionem, vt concinnè attigit S. Auguſtinus in pſal. 133. ad illud *in atriis domus Dei noſtri*: Ei autem veluti genio charitatis, ſe accommodans Deus, charitatis ſtudioſiſſimus, omnes dilatandæ charitatis vias exquiſitè captauit; quod D. Chryſoſtomus accuratè verſat; non vno loco hom. 20. in ad Epheſ. *initio*; & hom. 34. in 1. Cor. ad illud *maior autem horum eſt charitas.* Demonſtrat Chryſoſtomus, Deum ad altè radicandam charitatem, quo in varias propagines latiſſimè funderetur, omnes nos ex vno primo homine procreari voluiſſe. Id enim ad incendendam charitatem conferre plurimum, (quicquid in contrarium blateret Iulianus Apoſtata, in fragm. longo Epiſtolæ) dubitare non licet: cum per eam productionem vniuerſi generis ex vno principio, omnes homines ſint veluti fratres eodem patre geniti; inter quos non flagrare amorem, poſſet monſtroſum apparere. Et primam, ſiue terrenam generationem omnium noſtrum, & ſecundam regenerationem, item ex vno vrget ad hoc S. Auguſtinus agens de veſte nuptiali. Nam quærenti quis ſit proximus, qui vt nos ipſi eſt diligendus, ſic reſpondet. [Omnis homo, proximus tuus eſt. Nonne duos parentes habemus omnes? Proxima ſunt ſibi cuiuſque generis animalia, columbus columbo, pardus pardo, aſpis aſpidi, pecus pecori; & non eſt proximus homo homini? Recolite inſtitutionem creaturæ. *Et dixit Deus.* protulerunt aquæ natantia, cetos magnos, piſces, alites, ſimiliaque protulerunt. Numquid de vna aue omnes aues. Numquid de vno vulture, omnes vultures; Numquid de vno columbo, omnes columbi? Numquid de vno colubro, omnes colubri? Numquid de vna aurata, omnes auratæ? Numquid de vna oue, omnes oues? Vtique ſimul terra, genera protulit omnia. Ventum eſt ad hominem, & non protulit terra hominem. Factus eſt nobis vnus pater, nec ſaltem duo, pater & mater. Factus eſt inquam nobis vnus pater, nec ſaltem duo pater aut mater, ſed de vno patre vna mater. Vnus de nullo; ſed à Deo factus eſt: & vna de illo. Attendite genus noſtrum: de vno fonte manauimus. Et quia ille vnus in amaritudinem verſus eſt, omnes ex oliua oleaſter facti ſumus. Venit & gratia; Generauit vnus ad peccatum, & ad mortem; tamen vnum genus, tamen proximos ſibi omnes, tamen non ſolùm ſimiles ſed etiam cognatos. Venit vnus contra vnum: contra vnum qui ſparſit, vnus qui colligit; contra vnum qui occidit, vnus qui viuificat. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes iuſtificabuntur. Sed quomodò de illo omnis qui naſcitur, moritur, ſic in Chriſto omnis qui credit, viuificabitur.] Concludit inde S. Auguſtinus, habendam eſſe charitatem, cui binus hic de duplici vno exortus ſeruiuit.

Ne tamen hæc omnium adunatio, in vno totius vtriuſque generis fonte, dilatationi charitatis ſufficere videretur, en quam multiplices nexus diffundendo amori prouidit Deus, iuxta Chryſoſtomum hom. illa 34. placet enim eum potius audire, vt fortior & amænior ſit diſputatio. [Quod ex viro ſit mulier, & liberi ex vtroque, hinc multi naſcuntur affectionis modi: hunc, quia pater eſt, amamus illum; quia auus: hanc, quod ſit mater, illam quod nutrix: hunc, quod filius, illum, quod nepos, & illum item quod pronepos, hanc quia filia, illam, quia neptis: hunc quia frater, illum quia ex fratre nepos: hanc quia ſoror, illam ex ſorore neptem Et quid recenſere vniuerſam cognationis ſeriem attineret? Aliam coniunctionis formam commentus eſt inſuper; Cognatorum connubio interdicto, ad alienos nos eduxit, illos viciſſim ad nos pellexit: Quos naturali neceſſitudine copulari non licet, hos nuptiis conglutinauit. Integras ſæpè familias, vnius Nymphæ gratia conciliando, genus generi totum permiſcet. *Non duces ſororem tuam* (inquit), *neque ſororem patris, nec aliam eiuſmodi ex generis* neceſſitudine coniunctam vt nefas ſit miſceri, ipſis nominibus cognationum formas recenſens. Satis cauſæ ſit, cur illas ames, ex eodẽ eſſe te vtero prognatum;

narum : aliter tibi competent aliæ. Cur tu charitatis amplitudinem redigas in anguſtum? Cur officium charitati non neceſſarium impendis? Quo amicitiam coniuge aliunde ducta, & per hanc longiſſimam affinium ſeriem, parentes, fratres, & illorum neceſſarios omnes, conciliare tibi potes. vide quot nos modis colligauit.]

Coniugia intra eandem familiam ei diffuſioni aduerſa, ſordent.

Fuerunt iſta illos filios ſeculi, præ cupiditate, charitatis dilatationi infeſtos, qui ne hæreditas ad extraneos tranſeat, vſu Iudaico de non miſcendis hæreditatibus ſollicito, vt conſiderat S. Anſelmus l. de nupt. conſang. ſiue Epiſto. 158. nectunt coniugia cum conſanguineis, exagitati ab Auctore Pelagiano libri de Caſtitate, qui tamen oblæſionem charitatis per eas nuptias factam præterit, in ſolam intentus auaritiæ labem, cui addicti Chriſtiani, ne ab iis quidem abſtinerent nuptiis, quas Ethnici ipſi refugiebant, à coniugio parentum *parentes* itemque pro *neceſſariis* abhorrentes vt apud Plutarchum q. 108. videre eſt in problematis Romanis.

Scribens ad Paternum S. Ambroſius, Epiſt. 48. cogitantem filio ſuo deſpondere neptem eius, contra huiuſmodi connubium conclamat, & præter ceteras rationes, adducit oblæſionem charitatis per has nuptias conſecuturam, ſed aliam quam eam de qua nobis erat ſermo, vt ex his eius verbis intelligitur. [Nubat auunculo ſuo neptis, & immaculatorum pignorum charitas, illecebroſo amore mutetur.] Senſus eſt, inito hoc coniugio, amorem purum qui cognatæ nepti impendendus erat, conuertendum fore in ſenſualem, pecudibus quoque commune. Et in eundem ſenſum ſumendum eſt, quod addit inferius, de oſculo [Quid tam ſolemne quam oſculum inter auunculum & neptem, quod iſte quaſi filiæ debet, hæc quaſi parenti? Hoc igitur inoffenſæ pietatis oſculum, ſuſpectum facies, de talibus cogitando nuptiis, & religioſiſſimum ſacramentum charis pignoribus eripies.] oſculum quippe perſonæ neceſſitudine coniunctæ impreſſum, Symbolum eſt amoris pudici, & charitatis nitentiſſimæ, qua puritate deſtituitur oſculum coniugale. Poſtrema ratio S. Ambroſij, quamvis non in omnibus coniunctorum nuptiis vera comprobetur, habet tamen frequenter locum. [Oportet (inquit,) ab ea diſcedas intentione, quæ etiamſi liceret, tamen tuam familiam non propagaret. Debet enim tibi filius noſter nepotes, debet etiam neptis chariſſima, pronepotes.] Auguratur huiuſmodi coniugiorum ſterilitatem quam certum eſt iuſto Dei iudicio pleronque his matrimoniis aduenire. Id quod etiam denunciat S. Gregorius ad q. 6. agens cum Auguſtino Dorouernenſi, de gradibus cognationis connubium intercludentibus.

Alia inſuper nec lenia ſupplicia diuinitùs irrogari, ineuntibus talia coniugia variis exemplis & nuperis & antiquis illuſtrare liceret. Sed vnicum inſigne annotabo ex S. Nicephoro conſtantinopolitano in Breuiario Hiſtorico ad annum 616. vbi agens de Heraclio ſic ſcribit. [Facinus ingens contra ius omne ac Romanorum leges aggreſſus, Mariæ ſororis ſuæ filiam Martinam, ſibi matrimonio coniunxit. &c. Ex hac liberis duobus ſuſceptis, alteri Flauio, alteri Theodoſio nomen impoſuit. Sed tam nefandum ſcelus diuina iuſtitia perſequitur. Horum enim liberûm ſenio i colli miſere diſſolutum eſt, vt alio torqueri non poſſet. Iunior erepto audiendi ſenſu, penitus obſurduit.] Rurſus anno 631. [Theodoro fratri ſuccenſuit, clam à nonnullis delato, quod propter Martinam, in Imperatorem probra coniiceret ac ſæpè illud vſurparet, peccatum eius, coram ipſo eſſe perpetuò.] Hoc quid ſit exponitur infra ad annum 634. vbi ſic habet S. Nicephorus de Heraclio. [Intercutis aquæ morbo correptus, hunc deſperatum ſenſit. Nam vſque adeò inualuit, vt quoties meiere vellet, ventriculo aſſerem imponeret. Etenim diſtortum pudendum, potus excrementa ſurſum in faciem emittebat. Quod in perpetrati ſceleris argumentum atque inceſtus pœnam inflictum eſt, quod conſobrinam ſuam in matrimonium accepiſſet.] Verum eſt, etiam poſt vetita ſeueriſſimis Theodoſij magni legibus conſobrinorum coniugia, beneficio Principis à vicinitate pij ſanguinis, copulationes aliquorum non abhorruiſſe, eoque beneficio interpoſito caſtum matrimonium & glorioſam permixtionem interuenire potuiſſe vt loquitur Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 7. var. formula 46. vbi Fornerius multa in hanc rem addenſat vt & Baronius anno 390. Tamen vel aliud ius erat in Orientali Imperio quam in Occidentali, vbi Eccleſia nondum ad ſe euocauerat impedimentorum coniugij appoſitionem ac diſpenſationem; vel quamvis adhibita Principis diſpenſatione laxato Theodoſianæ legis rigore, valerent aliquando rata ex neceſſitate cum conſobrinis coniugia, ea tamen neceſſitate ſecluſa, vt certè circa Heraclium ſecluſa eſt, tales copulationes malè audiebant; vt propterea à S. Nicephoro idem Sergio Patriarchæ vitium referente, nuptiæ illæ Heraclij cum Martina ſint inter improbatas recenſitæ, & dignæ habitæ quæ iuſto Dei iudicio in patre & in prole mulctarentur.

SECT. I. CAP. VIII.
Rati ur pro tem. erande Nat onis amore.

Sint ſanè hæc à coniugio cum neceſſariis ineundo auocamenta idonea, ſed mihi quod ſubminiſtrat S. Chryſoſtomus, ductum ex arctatione Charitatis, valdè arridet; & video illud probatum eſſe aliis quoque Patribus, vt Anſelmo Epiſto. 158. ac Petro Damiani opuſc. 8. cap. 3. ſed præclarè idem tradit S. Auguſtinus, l. 15. Ciu. c. 16. qui tractans cur poſt multiplicatos homines, vetitum ſit ſororem fieri fratris vxorem, quod initio eſt factum, ait id deſiiſſe fieri religione prohibente. [Habita eſt enim ratio rectiſſima charitatis, vt homines quibus eſſet vtilis atque honeſta concordia, diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur; nec vnus in vno multas haberet neceſſitudines, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos; ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colendam, plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippè & ſocer, duarum ſunt neceſſitudinum nomina. Vt ergo alium quiſque habeat patrem, alium ſocerum, numeroſius ſe charitas porrigit.] Hanc ipſam rationem interdicendi connubiis neceſſariorum, à Romanis probatam eſſe, ait Plutarchus in qq. Roma. c. 108.

In charitatem igitur de charitate peccat, (vt dicit Paulini Epiſto. 2. verbis dicam) quiſquis charitatis affectum ex Dei mente, & ſuaptè natura adeò dilatatum, D. Bernardo ſerm. 27. in Cant. egregiè aſtipulante, & eam charitatis latitudinem perpulchrè declarante, anguſtat; ſiue per amicitias particulares, quæ cum ex aliis capitibus, tum ex eo præſertim, maximè improbantur à S. Baſilio, c. 29. conſtit. & ſer. 4. ac 5. aſcetico & homil. in Laor. & à S. Chryſoſtomo, hom. 2. in 2. ad Theſſalonicenſ. ſiue per hos affectus erga ſuam nationem, qui & ipſi nomine *amicitiæ particularis* impoſſunt

SECT. I. CAP. VIII. *Rationes pro temperando Nationis amore.*

poſſunt deſignari, & omnibus illis probris onerari, quibus amicitiæ particulares grauantur à ſanctis. Sanè qui ita ſe gerit, non videt recta, peccátque in illud Sapientis, *oculi tui recta videant:* quod S. Baſilius homil. in Lacyz. ſic legit; *Videns læuia, miſericordiam reperiet.* Non ſanè videt recta ſeu læuia, qui communi charitate per affectum particularem violata, ductus naturæ corruptæ in temperando affectu, aliud in obiecto amoris ſui ſpectat, quàm quod charitas; quæ ex ſe vniuerſalis eſt, ſpectandum ſuadebat. Hoc monitum religioſos præſertim viget, quibus maximè propoſita eſſe debet perfectio charitatis, iuxta illud Diui Auguſtini lib. de mor. Eccleſ. cap. 33. agentis de religioſis ſui ſui, quos ad tria millia & alicubi etiam vltra tria millia ſub vnico Patre concordiſſimè vixiſſe teſtatur. [Charitas præcipuè cuſtoditur, charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in vnam conſpiratúrque charitatem. Hanc violare tanquam Deum, nefas ducitur. Huic ſi quis reſiſtit, expugnatur atque eiicitur; hanc ſi quis offendit, vno die durare non ſinitur. Sciunt ita commendatam eſſe à Chriſto & Apoſtolis, vt ſi hæc vna abſit, inania; ſi hæc adſit, plena ſint omnia.] Cur eiici vellent, ac ne vno quidem die durare ſinerent in concilio iuſtorum & congregatione, violatorem charitatis, non eſt obſcurum. Nimirùm agnoſcebant eſſe peſtilentem hominem, & meritò ab omni ſancto conſortio ablegandum, cui charitas, quæ omnium virtutum forma & totius honeſti velut anima eſt, cordi non eſſet. Ac talem perſpicuè ſe prodit, quiſquis nationis ſiue affectu ebrius, charitatem in iniuſtitia detinet, nec ſinit pro genio ſuo diffundi, & vniuerſalem eſſe.

Arctatio affectus ad vnam nationem, inodora, imò putens.

PRimæ huic rationi aduersùs charitatem arctatam ad ſuam nationem, ductæ ex genio & intrinſeca propenſione charitatis, poſtulante diffuſionem, contermina eſt ratio alia, ducta ex odore optimo ac præcellenti fragrantia charitatis, cui muſcæ iſtæ morientes inferunt exterminum. Nemo ſanè ſatis explicet, quàm bonus odor inhaletur à concordia & vnanimitate hominum vnius moris, nullis turbidis affectibus obturbata. Balſamum glorioſæ opinionis, in odorem ſuauitatis effuſum, vocat Bleſenſis Epiſtol. 29. & in inuect. contra deprau. De ea quippè Pſaltes pſal 132. pronunciauit, quod fragret ſicut vnguentum pretioſiſſimum quo perfundebatur copioſè caput ſummi ſacerdotis. Non dubitauit S. Baſilius, c. 19. Conſtit. affirmare hanc eſſe expreſſiſſimam quæ in terris haberi poſſit imaginem cæleſtis ſuaueolentiæ: ita vt nihil iucundius, ac odorum magis, nihil aduersùs quoſuis hoſtiles impetus fortius, inueniri poſſit. Nimirùm quemadmodùm putria & fœtida animalia, ſuauem fragrantiam non ferunt, ita neque hoſtes noſtri qui corruptis oliditatibus ac putoribus delectantur, inſiſtere valent iſtis vt D. Auguſtinus vocauit montibus ſuaueolentiæ Dei. Rectè enim monti, non ſtillæ aut guttulæ componitur vberrima illa & abundantiſſima ſuaueolentia, conſequens charitatem cœtus nullis nationes affectibus intemperatis laborantis; quod præcipuum ſolet eſſe vnguenti ſuauiſſimi exterminum, à muſcis morientibus. Etiam filij ſæculi, cum iſta in ſeruis Dei deprehendunt, maximè offenduntur, & tanquam abacta ſpiritualis vitæ anima, putens cadauer reſtringunt. Sicque auari iæ aduersus latitudinem charitatis ſuas anguſtias opponentis, amphora infertur domus ædificatæ in terra Sennaar, quæ exponitur *fætor eorum*, vt exponit Sanctus Gregorius 14. mor. cap. 28. quia putor ſcandali inde exiſtit, conciliandam à charitate, vt à balſamo non mixto ſuauitatem diſperdens.

Eò autem interdum pertingit hic putor, vt non modò fragrantiam charitatis exterminet, ſed etiam putorem hæreſeos inhalet: ita vt ſuſpicio ingeri poſſit, non modò fidem non eſſe viuam; quia abeſt charitas animans, ſed etiam (vt contingit arboribus bis mortuis, de quibus S. Iacobus,) abactam eſſe intellectualem vitam fidei, quæ in veritatis Catholicæ tenacitate conſiſtit. Piget annotare, quam multa hoc tempore peccentur in hac parte: quam multi, inquam, præ affectu nationis v. g. vt inhæreant ſententiis in ſua regione placentibus, connitantur aduersùs dogmata ſana, & ab Eccleſia probata. Quod non ſit hoc loco camarinæ illius putor emittendus, abſtineo pluribus. Tantùm narratione non illepida, ex qua intelligatur, præ affectu ad nationem ſuam, ſcandalum quandoque quaſi de violata Catholica fide ingenerari, obſignabo hoc punctum. Adſcribo eam narrationem ex Prato meo ſpirituali, num. 74. [Homo Faucunas, ex ea ſcilicet Allobrogum prouincia, quæ Geneuæ adiacet, vrgebatur ad profitendam fidem ſuam. (Nam Princeps Carolus Emmanuel I. excelſi vir animi, & religionis tenaciſſimus, omnibus prohabitis humanis & politicis rationibus, libertatem conſcientiæ, qua principum beneficio ſubditi impunè pereunt, nullo modo ferens, omnes non Catholicos atque Romanæ fidei non retinentes iuſſerat exulare.) Is igitur quem dixi Faucunas, cum in ora Geneuæ contermina, ſeriò inquireretur in Hæreticos, rogatus num Catholicus eſſet, annuit: Apoſtolicum item ſe eſſe, vltrò eſt profeſſus. Vt autem ſe *Romanum* diceret, nulla ratione adduci potuit, illud conteſtans ſe non Romanum, ſed Faucunatem eſſe. Quæſtionibus è contrario, omnino vrgentibus vt illum probatæ fidei characteriſmum adiungeret, quid à Sancti Petri & Romanæ Eccleſiæ communione ducitur, ſéque *Romanum* inſuper diceret; (quandoquidem hæretici quoque, non modò antiqui, teſte Diuo Auguſtino in collatione diei tertiæ, vbi Lauanienſes; & apud Saluianum lib. 5. de prouident. *Sub initium*, ſed etiam hodierni, maximè ſe iactent Catholicos & Apoſtolicos; *Romanorum* ſolam appellationem auerſantes;) numquam ſe Romanum dicere ſuſtinuit; ſed obfirmatè hæſit in primo reſponſo, *Ego ſum Catholicus Apoſtolicus Faucunas*; non autem *Romanus*. Exiſtimabat enim fore vt genti ſuæ ſeu nationi renunciaret ſi ſe *Romanum* diceret. Stupidè planè. Neque enim de natione agebatur, ſed de Societate fidei cum Romana Eccleſia, fidelium omnium matre & Magiſtra cui quiſquis adhæret, & ei doctrinæ quam Romani à Sancto Petro hauſerunt fideliter reſiſtit *Romanus* dicitur, vbicunque demùm aërem primum hauſerit, ac vel ſi apud extremos Indos aut Æthiopes, ſit procreatus. Neque id eſt moris noui. Nam antiquis quoque ſolemne erat, quos ſimpliciter Catholicos vocamus, *Romanos* appellare. Ita liquet ex Sancto Ambroſio orat. de obitu Satyri, & ex Gregorio Turonenſi lib. 1. miracul. c. 80. & de glor. Martyr. c. 25. & 30. ac etiam ex Victore Vticenſi l. 1. de perſec. Vandal. cum refert Iocundi Arriani allocutionem

tionem cum Theodorico Regis filio. Itaque haud iniuria, homo ortu Faucunas, nunc Allobrox, vigebatur ſalua natalis ſoli & nationis veritate, ſe *Romanum* profiteri: quod cum obſtinatè renueret, mendacij & iniuriæ in nationem vmbonem obtendens, in carcerem contrulus eſt tanquam Caluini mi compertus. Vbi tametſi vexatione intellectum præbente, dedicit ſuum *χαῖρε*, ſeque tandem *Faucunaiem Romanum* profeſſus eſt, tamen, quod ſatis copioſus eſſet, nummaria pœna non exigua multatus, eoque, vt D. Auguſtinus ſerm. ex 40. nouis appellat ſanguine imminutus, didicitote quoquoque confeſſionem facere ad ſalutem, & eam fidem, cui reipſa inhærebat, verbis receptis profiteri, nec nationis iniuriam obtendere, cum de filiorum Dei natione quæritur.]

Diſpendium Eccleſiæ, ex ea arctatione, & excluſione operariorum externorum.

RAtio tertia aduerſus arctationem affectus ad nationem ſuam, ex eo ducenda eſt, quod magno cum diſpendio, conſecutura ſit inutilitas multarum perſonarum optimè diuinitus inſtructarum; tantum quia ſunt externæ & alterius nationis Multos quippè Deus extra indigenas, variis decoranit ornamentis atque cæleſtibus muneribus, gratis datis: Qui tamen ſi omnia dirigantur ad nationis amuſſim, non adhibebuntur ad illius diuini muneris exercitationem; vnde cogentur talentum diuinitus concreditum, ſudario inuolutum infodere; nonnullo quidem ipſorum incommodo, quia non fænerabunt Domino, & nemine conducente ſtabunt otioſi; ſed tamen longè maiore damno cæterorum, in quibus eorum opera potuiſſet fructuosè collocari. Huius rationis momentum, meliùs perſpicietur, ſi attendamus ſtatum orbis terrarum, cum ei Lux Euangelij affulſit. Incubabat enim toti mundo nox atra, & denſa caligo, quam diſpellere lux ſola Chriſtianæ fidei poterat, prouiſis a Chriſto Lychnuchis, iubar illud inferentibus. Hi non alij fuere quam Apoſtoli & diſcipuli Domini, & conſequentibus ſæculis Apoſtolici viri, ad habitantes in regione vmbræ mortis identidem ſubmiſſi. Ea quippè ex cauſa Calliſtus Papa, ſerm. de vigil. S. Iacobi Apoſtolos vocauit *radios veri ſolis*. Petrus verò Bleſenſis ſerm. 33. dixit, Apoſtolos eſſe duodecim horas diei, diem ac tenebras diſtinguentes; quod hauſit ex S. Auguſtino, tract. 49. in Ioan. ac ex Zenone Veronenſi, ſerm. 1. de Paſch. & ex Chryſologo ſerm. 170. optimè eam comparationem proſecuto. Apoſtoli ergò qui tenebras denſas, & Ægyptiacis palpabiliores ex orbe vniuerſo diſcuſſerunt, cuiates fuerunt? Cuiates item diſcipuli Chriſti, Apoſtolorum ſuppares, quaquauerſum diſperſi, vt lucem inferrent iis qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant? Omnes erant Iudæi, ex vnò orbis angulo: atque adeò reliquo orbi terrarum per quem intulerunt lucem Euangelij externi erant & alienigenæ Repellendi ergò fuiſſent Apoſtoli ac diſcipuli Domini omnes, vt benè in hanc rem argumentatus eſt Nazianzenus, orat. 25. depellens impactum ſibi Conſtantinopoli probrum, quod externus eſſet. Ablegatis autem Apoſtolis ac diſcipulis Domini ex omnibus extra Iudæam prouinciis, quia externi erant, nox denſiſſima æternatura erat, ſi ſtandum eſſet fallaci illi regulæ, de fouendis & admittendis ſolis eiuſdem nationis operariis: externis autem, in meſſem tametſi multam, non immittendis.

Poſt Apoſtolos & Diſcipulos Domini, quia multæ ſupererant gentes luce Euāgelica colluſtrandæ, qui ad eas primum ſubmiſſi ſunt, aut omnes, aut ferè omnes, externi fuerunt. Primorū in variis prouinciis Euangelij præconum poſt Apoſtolos & diſcipulos Domini, Catalogum non inaccuratum exhibui in Hagioduliâ ſpeciali. Et plenior confici poteſt ex Arnoldi Mermannij Theatro conuerſionis omnium gentium, ac etiam ex Maluenda l. 3. de Antichr. ferè toto. ſic S. Petrus aduenis diſperſionis Ponti, Galaciæ, Cappadociæ, & Bithyniæ, id eſt, Gentilibus incolentibus eas regiones adeò diſperſas, (vt Maldonatus in c. 7. Ioan. v. 35. aliis aliter cenſentibus exponit) Euangelium prædicauit; necnon Romanis & plerìſque oris occidentalibus. S. Paulinus multitudinem gentium innumerabilem, Chriſti fide imbuit S. Iacobus & ſeptem viri à D. Petro Roma ſubmiſſi, Hiſpanos docuerunt fidem Chriſti. Gallos, vt latè refert in commentario de primis Galliæ Apoſtoli Epencæus, necnon V. Cl. And. Sauſſayus, S. Dionyſius & S. Saluianus ac Potentianus, aliique à S. Petro ablegati. S. Pothinus & Irenæus. B. Ioannis Euangeliſtæ in Chriſto nepotes, Anteolus, & Andochius indidem ſubmiſſi, Celtas Chriſto genuerunt; Ferreolus & Ferrutio, Sequanos. Britannis Inſulanis Ioſephus ab Arimathia; Germanis S. Bonifacius ex Anglia miſſus, Euangelicam facem prætulit, Hungariæ S. Adalbertus Pragenſis: Et vt innumeros alios aliarum prouinciarum Apoſtolos prætercam, ſuperiore ſæculo S. Franciſcus Xauerius, Iaponiam, & plurimas in Indiis Orientalibus regiones, Matthæus Riccius Sinas, illato Euangelio illuſtrarunt.

Hi omnes, externi erant: ſed zelo ſalutis animarum correpti, ad gentem longinquam, conuulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non erat alius, (vt Iſaias prænunciarat, ad populos profundi ſermonis & ignotæ linguæ (vt eſt apud Ezechielem cap. 3.) profecti ſunt Euangelium diſſeminaturi alienæ genti, in qua aduenæ & hoſpites erant. Arce externos, & orbis ſalutem impediueris, Deique conſilium de ſedentibus in regione mortis per hos aduenas illuminandis diſturbaueris.

Poſt primum illatam fidem, præcipui quique vel Antiſtites vel populorum Magiſtri, fuere externi. S. Martinus dictus *par Apoſtolis*, S. Odo integro Opuſc. non erat Gallus, ſed Pannonius. S. Ambroſius non erat Mediolanenſis, ſed natus Arelatis parentibus Romanis. S. Anſelmus non erat Anglus, ſed Salaſius ex Auguſta Prætoria. Item eius Magiſter Lanfrancus Cantuarienſis Antiſtes, vir doctiſſimus, erat Longobardus. S. Antonius de Padua erat Vlyſſiponenſis. S. Gregorius Turonenſis, non erat illius regionis, ſed Aruernus Alpibus Aruernis veniens mons altior ipſis, vt cecinit Fortunatus, S. Paulinus, non erat Nolanus, ſed Aquitanus, quippè Hebromagi, (vt ipſe teſtatur; Epiſt. 5.) natus, quod eſt oppidulum Garumnæ impoſitum, haud procul Burdigala. S. Sidonius non fuit Aruernus, vbi claruit ac floruit, ſed fuit Lugdunenſis.

Fecit Deus in hac militia ſpirituali, (nam Euangelicos prædicatores, non ſemel Apoſtolus, cum militibus arma potentia Deo tractantibus confert vt latè obſeruat Ludouicus Fidelis, in opere de militia ſpirit. & Zacharias c. 12. duces Iuda, Apoſtolos & Apoſtolicos viros, quaſi faces ignis in fæno ignem orbi immiſſuros, vt duces bellorum, hoſtili terræ faciunt, repræſentauit:) In hac ergo ſpirituali

SECT. I. CAP. VIII. *Rationes pro temperando Nationis amore.*

SECT. I. CAP. VIII.

Rationes pro temperando Nationis amore.

rituali militia, qua Satan, & ignorantia orbem perdens, debellanda erat, fecit, Deus quod inſignes Principes duo, Alexander & Cyrus, faciendum ſibi cenſuerunt, cum militem conſcriberent, aut duces copiis abs ſe in hoſtes collectis præficerét de Alexand. ſic Plutarch. l. 1. de virtute Alexand. [Omnes vndique gentes, in vnum corpus condu-xit; tanquam in amicitiæ cratera, commiſcens vitas, mores, nuptias, victus rationem: mandauitque vniuerſis vt mundum pro patria cognoſcerent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis. Inter Græcum, & Barbarum, non chlamyde, pelta, acinace, candya, diſtinguerent, ; ſed Græcum virtute Barbaricum vitioſitate æſtimarent.] Sic adunatis ex omni natione exercitibus, & eorum Ducibus non ex natione ſua duntaxat, queis ſolis fauendum, autor erat Ariſtoteles, ſed prudentiùs ex omni gente vndecunque idonei ſuppeterent, conſtitutis; eas conſecutus eſt Victorias, quæ ſtuporem inferunt legentibus. Cyrus non diſſimiliter ſe geſſit, referente Xenophonte. [Non eſt (inquit) conſiderandum vobis, quomodò ex ciuibus ordines ſuppleatis: ſed quemadmodum equos quæritis, non qui patrij ſunt, ſed qui optimi; ſic etiam homines quærite. Ex hominibus inquam omnibus, quoſcunque arbitremini & robori vobis & ornamento maximè futuros, hos ſumite.] Laudatus itidem idcircò eſt Nerua, quod præter morem eligendi ſemper ex Italia Imperatorem, Traianum, hominem Hiſpanum, quia maximè ad Imperium idoneus videbatur, neglecto ſuæ gentis ſtudio adoptauerit, & ad gerendam Rempublicam prouexerit. Hoc ipſum dicebam à Deo ſeruatum in ſpirituali militia; neglecta ſiquidem regione ex qua quiſque ortus eſſet delegit in opus miniſterij Euangelici, quos placuit; & per eos (etiam ſi externos), fecit ſalutem magnam in populis, pulſo Tyranno, & iugo omnes deprimente diſrupto.

Optimi quique ſapientiæ humanæ Magiſtri, olim externi.

IN humanæ ſapientiæ profeſſione, indifferentiam gentis è qua quiſque profeſſor ortus obſeruatam, ſola idoneitate ſpectata, monſtraui ſuperiùs c. 6. Ne in opificiis quidé, aut mechanicis quibuſuis, curatur gens ſeu natio Opificis. Ratiocinatio eſt Theodoreti. l. 5. contra Græcos [Videre (inquit), eſt, eos qui ſingularum artium quærunt fructus, perſpicere, minùs eſſe ſollicitos qua elocutione quóve idiomate ſint illorum artifices. Neque enim Atticos eſſe ſutores curant, neque fabros ferrarios; neque architectos, neque pictores, non ipſos denique factores nauium, non gubernatores verùm ſiue Scythæ, ſiue Sauromatæ, ſiue Hiſpani ſint, ſiue Ægyptij, ſumma cum voluptate vtuntur illorum artibus, ſolam ab his fidem diligentiamque poſcentes, minus autem ægre ferunt, gentium locorúmque differentiam. Item qui citharædi fidibus oblectantur, ſolam audire vocum conſonantiam quærunt, neque ſitne is Græcus, Barbarus, ſciſcitari contendunt.] Quemadmodum igitur ſtultè faceret, qui ſolos nationis ſuæ opifices, aut mechanicos operarios vellet adhibere, ſéque magno fructu induſtriæ ac artis externorum fraudaret, volens eos extra regionem ſuam eſſe inutiles, & à nemine ciuium vel Gentilium ſuorum, conduci ad præſtandas operas in quibus præcellant ciuibus; ſic planè contingit circa ſpiritualia munera, quibus aliqui alienigenæ ſint inſtructiores indigenis, vt plerunque contingit.

Imitantur in his omnibus mortales, prouidentiſſimam mundi ab autore Deo conſtitutionem. Vt enim notare memini in ſcalis à viſibili creatura ad Deum; gradu 5. quod non omnis ferat omnia tellus, vt eſſet vnde inopia aliquorum ſuppleretur per alios; viciſſim aliud quo ipſi muneratores ſui egerent; refuſuros; prouiſa eſt terræ & aquæ intermixtio, qua vniuerſus orbis colligatur, per ſuppeditationem mutuam bonorum, vt obſeruat S. Gregorius: hom. 10. in Ezech. efficiturque omnibus tanquam vna menſa, vt ait S. Chryſoſtomus. l. 2. de compun. cordis. Idem præclarè obſeruat Seneca Epiſto. 87. allegato Maronis loco. Id quod etiam ad vitæ politioris, ac ſcientiarum diſſeminationem fuiſſe peropportunum, vel etiam neceſſarium, Plutarchus l. an aqua, an ignis vtilior admonuit. Recenſens enim aquæ commoda ait, [aquam ex ſe produxiſſe elementum quintum, puta mare; quod vtilitate illis inferius non eſt; cum aliis ob res, tum ob hominum commercia. Vitam enim noſtram, agreſtem alioqui & commerciorum expertem, hoc elementum coniunxit ac perfecit; mutuis auxiliis deiectam; ac permutationibus communitatem amicitiaſque concilian-tem. Heracliti effatum eſt, ſi ſole caremus, noctem nobis futuram perpetuam. Licet autem nobis eodem modo dicere, abſque mari fuiſſet homo animalium omnium feriſſimum & impudentiſſimum. Nunc mare ab Indis vitem Græcis aduexit, & tranſmarinis frumenti vſum è Græcia attulit, & è Phœnicia literas, memoriæ aduersùs obliuionem remedium accitas, vinum quoque apportauit. Denique maior hominum pars ne abſque fructu & inſtitutionis exſors eſſet, præſtitit.] Hanc ergò Dei in natura, & orbis compage induſtriam, æmulati mortales, non refugerunt vndecunque petere ſiue vitæ ſiue doctrinæ ſubſidia, non attendentes è qua natione ſuppeditarentur. Idem ergo ſeruis Dei præſtandum eſt, circa idoneos operarios alterius nationis à quibus promoueri poſſit Dei gloria.

Externis etiam ſi non futuris commodo, debitus amor.

QVia verò amicitia pura eóque digna nomine, iuxta S. Ambroſium 3. de offic. c. 21. non eſt vectigalis, (virtus enim eſt, non quæſtus), idcircò addendum eſt, etiam ſi nulla vtilitas ſperaretur ab externis, tamen amandos & fouendos eſſe, eo ipſo quod externi ſunt. Rationem optimam attigit Philo, l. 1. de vita Moſis tractans ſæuitiam Pharaonis in Hebræos, qui externi erant in Ægypto. Sic igitur Philo diſſerit. [Externi generis erant Iudæi, quorum primi conditores, ob famem & inopiam è Babilonis prouinciis in Ægyptum migrauerant, & propemodum ſupplices tanquam ad aſylum in Regis fidem confugerant, & indigenarum miſericordiam. Hoſpitibus enim, quantum ego iudico, iura debentur eadem, quæ ſupplicibus. Erant igitur ſupplices inquilini; ſocij, honore ciuibus iam proximi, vicini, minimum differentes ab indigenis. Hos tales qui relictis priſtinis ſedibus in Ægyptum ſe contulerant, vt eam ſecurè incolerent tanquam alteram patriam; Rex in ſeruitutem vindicabat, quaſi belli iure captiuos aut emptos de lapide, adigebatque ad opera ſeruilia; homines non ſolum ingenuos, verum etiam hoſpites, ſupplices, inquilinos; nihil veritus numé cui exoſæ ſunt id genus iniuriæ.]

inlmiæ.] Hæc Philonis ratio, pro malignitate iniuriæ à Pharaone in Hebræos admiſſæ, æquè vrget pro officiis beneuolentiæ erga externos adhibendis. Nam ſiue ſpectetur conditio ſupplicum, (quales Philo ſtatuit externos,) ſiue Deus externorum tutor atque defenſor, quo nomine ab Ethnicis quoque colebatur, vt monſtrat templum Iouis Hoſpitalis memoratum in hiſtoria Machabæorum, ſiue quid aliud in fauorem hoſpitum Hebræorum à Philone tactum attendatur, æque omnia iſta vrgeri poſſunt in quorumuis externorum fauorem: non modò vt iniuriæ non pateant, ſed etiam vt foueantur, & beneuolè ac amicè habeantur. Et Dei quidem de hac re ſenſum, & quàm his hoſtiis promereatur, iam monſtrauimus tractantes ſcripturarum oracula, quibus Deus diligi abs ſe, ac curari peregrinos & aduenas, eſt conteſtatus. Quod verò eo ipſo quod hoſpites ſunt, ſupplices ſint, & ſe habeant ad modum confugientium ad indigenas, tanquam ad aſylum, debet eſſe incentiuum potens amoris; cum quilibet naturali propenſione feratur ad tegendum ac fouendum hominem ſibi ſupplicem, cui ipſe aliquatenùs per proportionem videri poſſit Deus, iuxta illud, *homo homini Deus*; Non eo impio ſenſu quo Plinius l. 2. hiſtor. & falſis nominibus abrogatis, & vno ſummo, rerum inferiorum prouidentia ſpoliato, & per auctarium impietatis, immortalitate animorum ac poſſibilitate anaſtaſis corporum ſublata, concluſit, *Deus eſt mortali, iuuare mortalem, & hac ad æternam gloriam via*; quam ſuo Veſpaſiano *maximo*, (vt turpis palpo ait,) *omnis æui rectori* gratulatur. Non inquam eo nefando ſenſu Pliniano, homo eſt homini Deus, ſed illo alio ſynceriſſimo, atque Catholiciſſimo ſenſu quo Greg. Nazianzenus, orat. de pauper. amand. hortatus ad miſerandum dixit [Fias ærumnoſo Deus, miſericordiam Dei imitando: Nihil enim æquè diuinum habet homo, ac beneficentiam.] Subſtituo pro *beneficentia*, fontem eius, ſiue *beneuolentiam*, & amorem: & dico eum qui alteri ſibi ſupplici impendit amorem, vicarium quadantenus agere Dei, qui omnes habet ſibi ſupplices, & omnes quantum per nos licet, fouet ac diligit. Quod ſi pius externi amator, ei ſupplici velut Deus eſt, qui externũ eo ipſo ſupplicẽ male habet, Pharao illi eſt, qua appellatione nihil truculẽtius, & ad deuocandam cœleſtẽ iram aptius proferri poteſt. Quã tamen gratitudinem, hæc erga externos beneuolentia, ab ipſis externis depoſcat erga Indigenas, pulchrè attigit Philo l. de charitate.

CAPVT IX.

Quæ cauſa in ſeruis Dei, auerſionem ab aliena natione, aut immoderatum propriæ amorem poſſit ciere.

VT feliciùs curent Medici, in morbi cauſam ſollicitiſſimè inquirunt; certi quod eius deprehenſione, pars magna curationis continetur. Sicut è contrario, Medici qui non niſi perfunctoriè ſcrutantur cauſas ægritudinis, facillimum eſt, vt lethum inferãt iacenti ex morbo, potiùs quàm eum leuent, aut ſanent. Itaque operæ pretium eſt, cauſas morbi, cui hac tractatione medendum ſuſcepimus veſtigare atque exponere.

Auerſio ab alia natione, quomodò ex antipathia.

SECT. I. CAP. IX. *Vnde auerſio ab alia natione.*

ERit eni in primis auerſio ab alienigenis, ad antipathiam propè naturalem, referenda plerunq; videatur. Sunt enim vt in rebus naturalibus variæ antipathiæ ac ſympathiæ, ita & in humanis ingeniis, ac ea conſequentibus affectibus. Multas in rebus naturalibus antipathias, collegere Mizaldus, l. de eo argumento. & Fracaſtorius l. de ſympath. c. 1. v. g. Braſſicæ ac rutæ, tanta eſt diſpathia, vt ſimul conſeri nolint. Leo fortiſſimus beſtiarum, Gallo, tantulo animalculo, (præſertim cantum emittente,) terretur. Inter homines aliqui, naturaliter à caſeo, alij à vino, quidam à roſis abhorrent. Ipſæ plantæ ab aliquo ſolo diſſident, ita vt non poſſint ibi prouenire, quamuis alibi lætiſſimè adoleſcant; & vel iniuſſa vireſcant gramina, vt dixit Poëta l. 1. Geor. hunc locorum habitũ, & quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet, apprimè colono attendendum præſcribens. Quod ergo in naturalibus cõtingit, vt ſcilicet ſit certa antipathia inter duo, vi cuius vnum ab alio ita abhorreat, vt ſint inconciliabilia; idem videri poteſt contingere inter affectus humanos, ita vt quamuis nulla ſe prodat diſſidendi cauſa, tamen reipſa intercedat diſſidium: quod ſignificare fortè voluit qui aiebat, Martial.

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare:
Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.

Videtur enim tantùm innuere, quod naturaliter ab eo abhorreret, nec cauſam perſpiceret. Qui enim illud, *non poſſum dicere*, accipiunt de cauſa probroſa quæ non poſſit honeſtè euulgari, iuſto acutius argutantur, & affingunt Poëtæ ſenſum, de quo eum fortaſſis non cogitaſſe, fateri adiguntur. Exiſtimari ergo poteſt, fuiſſe aliquam antipathiam inter Sabidium, & Poëtam; ſed cæcam & mutam, vt ſic dicam, cuius ſcilicet neque mente perſpici, neque fando explicari cauſa poſſit. Idem itaque videri poterit vſuuenire quandoque, iis qui ab aliqua alia natione abhorrent, non ratione conſpicua ducti, ſed ob naturalem antipathiam occultam.

Verùm hæc philoſophandi ratio, non eſt ſolida. Nam quamuis mixta quædam inanimata, ratione qualitatum occultarum conſequentium temperamenta diſſidentia quibus ſunt prædita, poſſint ab inuicem diſſidere, quo pertinent aliqua ex prætactis exemplis antipathiarum, quamuis item inter bruta, ratione phantaſiæ naturaliter determinatæ ad auerſãdũ aliquid, habere poſſint locum dyſpathiæ; tamen homo qui ratione ducitur, nec naturaliter determinatur ad effectum odij; vt aliquam perſonam oderit, neceſſe eſt vt aliquid odio dignum in illa deprehendat ſiue illud quod ei occurrit vt dignum odio, ſit imperfectio naturalis, aut noxa moralis qua alter ſordeat, ſiue ſit diſſimilitudo ab eo qui odit: Nam hanc poſſe conciliare odium, ſicut ſimilitudo ciet amorem, eſt extra controuerſiam, ſiue ea diſſimilitudo ſit præcellentia mouens inuidiam cum odio nexam, ſiue ſit aliquod nocumentum illatum ei qui odio habet, vel attinentibus ad ipſum. Eſto interdum hæ odij cauſæ, minus apertè ſe prodant, quia homo ad eas non attendit ſufficienter, nec ſuper actus ſuos ſatis reflectitur. Qua ratione in iis quæ ex vſu fiunt, quamuis certum ſit intercedere ſubordinationem potentiarum; & actu ac formaliter voluntatem ab intellectu prælucen-

SECT. I. CAP. IX. *Vi de auerſio ab alia Natione.*

te directam, indicere potentiæ exequenti aliquam operationem; (vbi recitationem alicuius pſalmi, aut progreſſionem localem;) tamen defectu actus reflexi hanc indictionem præcipientis, exiſtimamus operationem elici à potentia exequente, abſque formali & actuali indictione voluntatis, quamuis reuera interueniat talis indictio, malè repugnante Angeſto c.1.mor. *ad finem.* rectè autem id aſſerentibus Scoto in 4.ſent.diſt.49. initio q.14. Vaſquez 1.2 d.18.n.25. Suarez diſp.44.met.ſect.2. n.5. Et ratio inde ducenda eſt, quod facultas matrix progreſſiua, non ſit ſicut vis motrix grauium & leuium; ſed ſequatur apprehenſionem & appetitionem; ac pro earũ mutatione ac variatione mutetur. Vnde vt benè aduertit Ægidius Conin'c 3.p.q.64. n.75. ſi ſemel cognitio prælucẽs turbetur, ob imaginationis turbatæ aut aliò pertractæ interruptionẽ, ceſſat progreſſio. Sed quia eum cognitionis prælucẽtis, & voluntatis motum indicentis interuentum, contingit, non eſſe niſi confuſum, (tametſi eſt actualis atque formalis) deeſtque explicita ad eum reflexio, dicimur agere ex ſolo vſu. Quo pacto accipiendus eſt S.Chryſoſt.hom.2.in 1.ad Timoth.tradens, conſuetudinem eſſe in profunde occupatis veluti animatum Magiſtrum, quo pleraque operamur non admoniti. Iuuit hoc exemplum paulo explicatius proponere, quia eſt planè par ratio eius quod in eo cernitur, ac illius quod occurrit in diſpathia exiſtimata naturali, & odio cæco, ac elicito abſque odij cauſa. Vnde ſicut odij affectus, non minùs pendet à iudicio prælucente, quam motus progreſſiuus à cognitione & appetitione præuia, ita non poteſt abſque eo iudicio elici quantumcunque id reflexè non aduertatur à minùs attentis.

Labes aliqua vnius Nationis, plerunque cauſa auerſionis.

QVærendum ergo reſtat, quæ poſſint eſſe illæ cauſæ, à quibus prodit auerſio ab aliis nationibus. Et poteſt imprimis eſſe defectus aliquis, aut merè naturalis, aut moralis, quo alia natio laboret. Vix enim eſt natio, cui non inhæreſcat aliqua naturalis macula, & propenſio vſuaria ad labem aliquam moralem. Iulius Firmicus lib.1.c.1. id explicatè tradit. Sed diffuſiſſimè, & proſa & metro, Andreas Canócherius in 2. Aphor Hippocr.pag.530. Academiæ Pariſienſis detritum nitorem, cum ad eam venit Fulco Presbyter, & proſcindentes ſe inuicem ſcholares, mutuoque ſibi alterius nationis vitia exprobrantes, ſic deſcribit Iacobus de Vitriaco, in hiſtor. Occident.c.7. [Pariſienſes Scholares, pro diuerſitate regionum mutuò diſſidentes, inuidentes, & detrahentes, multas contra ſe contumelias & opprobria impudenter proferebant, Anglicos, potatores & caudatos, affirmantes Francigenas, ſuperbos & molles, & muliebriter compoſitos, aſſerentes, Theutonicos furibundos, & in conuiuiis ſuis obſcænos dicebant. Normannos autem, inanes & glorioſos: Pictauos, proditores, & fortunæ amicos: hos autem qui de Burgundia erant, brutos & ſtultos, reputabant: Britones autem, leues & vagos indicantes, Arturi mortem frequenter eis obiiciebant. Lombardos, auaros, malitioſos, & imbelles; Romanos, ſeditioſos, violentos, & manus rodentes; Siculos, Tyrannos & crudeles; Brabantios, viros ſanguinum, incendiarios, ruptarios, & raptores. Flandrenſes, ſuperfluos, prodigos, & comeſſationibus deditos, & more butyri molles & remiſſos, appellabant. Et propter huiuſmodi conuitia, de verbis frequenter ad verbera procedebant.] Non facio hæc mea, ſed præciſè refero præcipuas cauſas odiorum nationis alicuius, ex verè aut falsò attributis ei ab alia probris atque defectibus.

Auerſionum incentiuum, cultus diſparitas.

DIſparitas cultus, quæſita eſt in diuerſitate profeſſionis fidei, non reſtringendo *cultum*, vt faciunt DD. Canonum ad Ethniciſmum, & Iudaiſmũ, ſed accipiendo paulò laxiùs pro religione ac fide; eſt magnum ac potens abiunctionis animorum incentiuum. Itaque inter nationes benè animatas erga fidem ſuam, quæ tamen inter eas ſit diſpar ac differens; difficile erit coaleſcere vnitatem atque conſenſionẽ animorum. Sicut enim profeſſio eiuſdem fidei, & eorumdem iuxta illam ſacramentorum frequentationẽ, eſt *coagulum populorum*, vt D. Aug.19. contra Fauſtum c.11.& 12. rectè affirmauit: ita fidei ac cultus diuini diuerſitas, facilè inducit affectuum diuerſitatem: Non enim eſt niſi vna fides, vt propterea iuxta S. Auitum, in opere contra Arria. fragm. 3. nomẽ *fides* careat numero multitudinis, ſciteque S. Ambroſ. riſerit hæreticos quibus fides multæ videntur eſſe pro fidibus. Certum autem eſt, abſque illa vnica vera fide cui ſe quiſque adhærere arbitratur, non dari ſpem ſalutis. Itaque frigida affunditur affectui quo quis erga alium alterius cultus flagraret, cum perſuaſum habet, illum eſſe Dei exoſum, & niſi mentem mutet, ſortem eius fore cum Satana & Angelis eius: erga quam perſonam amor aut difficile cõcipitur, aut facilè remittit & friget. Hac ſanè de cauſa, præter cæteras, vt videre eſt apud Sanchẽ l.7 de matrim.d.71.n.5. diuerſitas religionis, (Chriſtianæ ſcilicet & Paganæ vel Iudaicæ,) quæ paſſim dicitur *diſparitas cultus*, numeratur inter impedimẽta matrimonium dirimentia, quia vix quieta & trãquilla eſſe poteſt cohabitatio, inter perſonas diuerſi cultus; idque ſonant illa Chriſti verba. *Putatis quod veni pacem mittere; Non, dico vobis, non veni pacem mittere, ſed gladium. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur.* Hic enim gladius, & ignis, & ſeparatio à domeſticis, aliud nõ eſt, quam rixarum domeſticarũ excitatio, ob diuerſitatẽ diuini cultus, vt benè ibi Maldonat. & Toler. obſeruarũt, poſt Patres eundẽ locum interpretatos. Hæc fuit inter Almaricum Viſigothum, & Clotildẽ Clodouæi filiã, ſementis iurgiorũ, vt ſcribit Procop. l. de bello Goth. & Paulus Æmilius in Childeberto. Et S. Galaction affirmabat, ſe ferre non poſſe, vxoris religione ſecum diſſentientis ſocietatem; cũ impium ſit mundum cum immunda coniungi. Nimirum vt aiebat Epiſteme fæmina ſanctiſſima, referente Metaphraſte, impoſſibile eſt coniuges vllo pacto vnum eſſe, ſi ſint in parte maxima, (hoc eſt, in religione) diuiſi. Nec coniuges tantùm, ſed & alios diſiungit fidei diuerſitas. Inter Ingundem Sigeberti Regis filiam, & auiam Goiſuintham, graues rixæ & diſcordiæ hac ex cauſa ſint enatæ, teſte Gregor. Turonenſi.l.5.hiſtor.c.38. Leouigildi in filium Hermenegildum truces iræ, ſolo filij ſanguine reſtinctæ, eandem habuere originem. Regna non aliunde faciliùs internis agitari diſſidiis, quàm ex diuerſitate religionis; & hanc eſſe ingem bellorum ſcaturiginem, copioſe illuſtrat Ioſephus Stephanus l. de vnica relig.c.12. Nec videtur adduci poſſe cõmodius exemplum, quàm quod ex Arriana hæreſi dicitur, quæ vt Nazian. in Athanaſio, & ſæpè alibi luget, necnon Epiphanius & Vincent. Lyrinenſis, adeò emouit orbem terrarũ, vt ſurſdeq; omnia miſcuerit, & diſſidiũ innumerabilium, & implicabiliũ

fomentis

ſementis fuerit. Nec ſecus ſtatuere licet , de ſecta Lutherana , ſed maxime ac per modum proprietatis quarto modo , de Caluiniana, cuius characteriſtica eſt, dominationem ſpernere, & anarchiam inducere , & ſpecie furentis Bellonæ omnia bellis ac cædibus implere. Vidit & experta eſt iam à ſuperiore ſæculo, Germania, Polonia, Anglia, Gallia, quam verum ſit, diſſidia in Religione ac fide , eſſe capitaliſſima , neque poſſe ſpem iniici concordiæ ac vnitatis animorum, vbi exulat vnitas fidei. Itaque tametſi cicurata nonnihil ſunt fidelium pectora erga diuerſæ religionis perſonas : ita vt pleriſque locis, vbi publicis diplomatibus liberum ſit, ire in infernum , fideles non horreſcant ad occurſum hæretici , ſicut antiqui Catholici faciebant : tamen ſuapte natura, & per ſe rem ſpectando , certum eſt , nihil eſſe aptius ad creandam abiunctionem animorum, & auerſionem Catholicæ nationis ab alia natione , quàm diuerſitatem religionis & diſſidentis fidei profeſſionem. Quæ enim participatio lucis ad tenebras ? Aut quæ conuentio Chriſti ad Belial ? Hanc ob cauſam, non coütebantur Iudæi Samaritanis. Inter nationes igitur fidei profeſſione diſſidentes, eſſe dyſpathiam , & facilè ſuccreſcere odia , perſpicuum videtur.

Item inſtitutorum & vſuum diſſimilitudo.

SImiliter diſſimilitudo inter vnam & aliam nationem, poteſt ad odij ingenerationem ſufficere. Eſt enim cuique genti ſuus viuendi modus, ſunt omnibus ſua inſtituta, & vſus, tam in victu ac veſtitu, quam in vniuerſâ vitæ conſuetudine: & quod in vna gente arridet ac ſapit, poteſt alteri ob aſſuetudinis defectum deſipere. Quidam ſanè plerunque , illicò abhorrent ab eo , quem audiunt eſſe certæ nationis ; quia ex præiudicata ſententia, & inolita apprehenſione non raro concepta ex falſis rumoribus, vel ex peculiari vnius culpa , ad gentem vniuerſam malè tranſlata , habetur inconditus ac brutius in conuictu, vel temulentiæ, aut alicui turpitudini addictus ; quamvis plerunque ea macula, in ipſa natione vix vnquam ſit audita. Imò quamvis huiuſmodi maculæ nationem exoſam inquinantes , non occurrerent , ſola diſſimilitudo inſtitutorum, ſufficere poſſet ad auerſionem ingenerandam, præſertim in perſona debilis iudicij, & naris non ſatis emunctæ. Quod enim Columella , l. 5. cap. 11. ex antiquorum veluti lege circa ſurculos tradit ; eos ſcilicet non poſſe coaleſcere , qui ſint cortice ac libro & fructu , diſſimiles iis arboribus quibus inſeruntur : idem planè circa diſſimilitudinem inſtitutorum & vſuum , circa perſonas, eſt ſtatuendum. Et hanc ob cauſam, inter homines ſtudiorum diſſimilium , aut non coït amicitia, aut ægrè cohæret. Sic idiota facilè auerſatur literatum, iuuenis ſenem , locuples egenum , balbus expeditè loquentem. Idque inſinuans apologorum faber Æſopus, induxit carbonarium ab albario poſcentem , vt ſimul degerent : ſed albarium renuiſſe , cauſantem , illinendam à fuliginoſo nigredinem. Amphionis & Zethi geminorum fratrum gratiam , ob diuerſa ſtudia , & quod Amphion Lyra , Zethus agrorum cultura delectaretur , penè diſſiluiſſe ; & indubiè diſſuendum fuiſſe fraternum amorem , niſi fratris genio cedens Amphion , Lyram abiecisset, proditum eſt. Inter Caſtorem & Pollucem æquè gemellos , quod alter pugillatu afficeretur , alter equorum tractatione, figuiſſe affectum , narrant Mythologi. Quid ſi verò ſcriptura id inſinuauit , Caini , & Abelis diuerſa ſtudia annotans , & vnum pecuarium , alterum agricolam deſcribens ? Æquè de Eſaü , & Iacob, notauit Moſes, quod vnus venator, alter agricola eſſet. Itaque diſſimilia inſtituta , & vſus modiſque agendi diſcrepantes, quales inter varias nationes ferè deprehenduntur , abalienationi affectuum facilè aditum parant.

SECT. I. CAP. IX. *Vnde auerſio ab alia natione.*

Ex fælicitate vnius nationis, damniſvé ab ea illatis , auerſiones.

HIs accedere quandoque poteſt , eminentia vnius nationis ſupra aliam quæ eminentia, ſuperbiam gignit in eo qui eminet , niſi ſapiat, & præcellentiam ſuam æquis momentis æſtimet : in altero autem qui ſe præ eo agnoſcit depreſſum; facilè parit inuidiam , quæ eſt odij partus , vt monſtratum eſt in morali diſt. 3. n. 160. Hæc itaque auerſionis cauſa , poteſt genti cuipiam cum alia intercedere. Quo pacto videmus , ex quo factus Photij eiurati , Græcam Eccleſiam abiunxit à Romana , cui Græci tot Conciliarium decretorum fulminibus contriti, ſubeſſe adacti ſunt, impatientes ſubiectionis pleroſque Græcos , in Romanam Eccleſiam & gentem Latinam vniuerſam, odiis implacabilibus exarſiſſe : ita vt quamvis aliquandò ad tēpus reſipuiſſe viſi ſint, tamen poſtmodum reuerſi ad vomitum cum erroribus qui antiquati putabantur, virus maleuolentiæ in Latinos reſorbuerint. Affine eſt vetus exemplum à Liuio & aliis annotatum, de Pœnis qui erga Romanos, tantę proſperitatis æmuli eundē olim induerunt affectum. Et quamvis denique à Romanis domiti, iugum ferre & frænos admittere ſint adacti; tamen hoc ipſum, ad fouenda & incendenda odia valuit: ita vt gementes ſub iugo, dolorem in iram verterent, ac ſtrendentes ſubeſſent.

Plerunque gentis in gentem odium, acuunt illata damna: quod genus odij Græci , vt fusè exponit S. Dorotheus doctr. 8. vocant, *μνησικακίαν* ſiuè *memoriam iniuriæ*. Notæ Anglorum & Francorum diuturnæ ſimultates; quod Angli imminutis admodùm & aliquandò penè attritis rebus Francorum, magnis iſtos damnis affeciſſent. Hi verò viciſſim, & ductu puellæ Normannicæ, (vt quidem vocat Gerſo, reipſa autem Lotharingicæ, cui nomen *Ioanna Darſia*, iugum Anglicanum excuſſerunt, & magnis illatis damnis hoſtes in Inſulam retruſerūt. Inde odia gentis in gētem, difficillimè reſtincta, quorum non rarò è cineribus ſcintillæ erumpunt. Recentiora ſimilia exempla, quod in omnium incurrant oculos, nihil attinet annotare. Qui aliquandò, preſſi alieno dominatu fuerunt, ſi eum excutiant, facilè flagrant odiis in anteriorum dominatum , qui vix vnquam fuit abſque iniuria ; Præterquam quod , ſi ſucceſſor ſit indigena , videntur ſibi in vno è gente ſua, dominante , nacti libertatem & facti ſui iuris , excuſſo iugo externo. Quod ſi inter vnum & alterum priuatum hominem , recordatio irrogatæ iniuriæ eam excitat animi abalienationem , cui ſi inualuerit , & veluti occalluerit, nullum par ſit remedium ſed niſi vniuerſo inimici ſanguine hauſto , aboleri non poſſit, vt S. Dorotheus aduertit : mirum non eſt, quod inueterata gentis cum gente odia, ob illatorum damnorum memoriam, omnibus qui ad gentem læſam pertinent, ignem ſubinde ſuccēdentibus, & adipem ſucceſo conſpergentibus, adeò increſcant, vt in belluinum habitum tranſeant, & homines in homines efferent. Cuius mali, non ſunt expertes

SECT. I CAP. IX. *Vnde auerſio ab alia natione.*

gentes Chriſtianæ. Imò quia *optimi corruptio, eſt peſſima*, in Chriſtianis, quorum erat ſanctà ſe dilectione proſequi, acor animorum ex odio ob illatam iniuriam infixo euadit efferatio pluſquam beſtialis: ita vt Iulianus Apoſtata dicere ſolitus prodatur, ab Ammiano l. 22. nullas ſe inueniſſe feras adeò hominibus truces ac rabidas, quam eſſet ipſe expertus, ferales inuicem eſſe pleroſque Chriſtianorum ſuis Chriſtianis, ex quo ſemel ſunt inimicati.

Hæc ferè cauſa eſt, cur inter perſonas nationum contiguarũ, malè conueniat. Nihil enim procliuiùs, quam vt occaſione viciniæ, lites exurgant: dum vna pars fines ſuos promouere tentat, cum alterius damno: aut dum per imprudentiam aut malignitatem, vel temeritatem aliquorum vnius nationis vicinæ hominum, licentiùs bacchatur in aliam vicinam nationem, petulantia ſpe impunitatis per varias tergiuerſationes iniecta. Sic videmus, Anglorum & Scotorum diutina fuiſſe odia, quia cum ob cauſas propoſitas ſæpè inter eos excitata eſſent diſſidia, & inde bella; ac ex bellis damna mutua non modica; facilè ſit vt hic fomes, auerſionum ignem concipiat, data vel leuicula occaſione. Eandem ob cauſam Angli & Galli, quandiu contermini fuerunt, nec dirempti Oceani interiecti veluti dyorice, Anglis Normãniam, Pictauiam, Aquitaniam, per longum temporis ſpatium occupantibus; diuturnæ inter vtramque nationem inferbuere auerſiones. Anglis verò tranſmare relegatis & ſtupendo in puella paſtoritia ſpecimine diuinæ virtutis, intra fines ſuos coactis: transfuſio inimicitiarum, & hoſtilium auerſionum facta videtur, inter Gallos, & iis ex omni parte circumpoſitos Hiſpanos: præſertim ob non parua incommoda, ex Caroli V. inuidioſa fœlicitate; ita per Henrici ſecundi antiperiſtaſim refracta, vt tamen inde non hebetatę, ſed exacutę ſint offenſiones, infauſta ſemina longarum inter vtramque gentem auerſionum, magno cum Eccleſiæ diſpẽdio. Danos inter & Suecos, Lithuanos, & Moſchos, Polonos ac Tartaros, eadem ſunt ex vicinia, auerſionũ mutuarum cauſæ. Mirũ itaq; non eſt inter perſonas quarumvis cõtiguarum nationũ, ſimiles auerſionũ cauſas, præſertim ob damna mutuo, aut vni ab altera illata, deprehendi.

Etiam metus damnorum irrogandorum fomes auerſionum.

NEc damna duntaxat iam irrogata ab alia gente, fomitem odiis præbent; ſed etiã idem præſtant damna, quorum ſit non inueriſimilis timor; ita vt plerunque, præcludendis huiuſmodi damnis, deueniatur ad ea patranda quæ ſint ipſis damnis longè tetriora. Græci ſanè, vt Latinos, à quorum potentia ſibi timebant, impedirent progreſſione in ſubactione Saracenorum; à quibus domitis poſſent arma in Græcanicum imperium retorquere; exitium ſibi, ſin minus æternum, at certè plurium iam ſæculorum, acciuerunt, exacerbato Deo per impia fœdera clancularia cum Saracenis, in religionis Chriſtianæ diſcrimen; & per tentatam omnibus viis Latinorum in Saracenos præliantium interneciotiem: eo malignitatis progreſſi, vt calcem farinæ quam Latinis ex pacto ſuppeditabant, immiſcerent ad exedenda viſcera ſic cibatorum. Alias præterea iniuere vias inſaturatæ virulentiæ ac rabiei, de quibus non vno loco Baronius, anno 1101. & 1147. & plenè Gretſerus, in Apolog. pro expeditionibus Cruciatis cum retundit obiectionem aduersùs expeditiones Cruciatas, petitam ex infauſto earum euentu.

Itaque Græci præ auerſione à Latinis, à quibus ſe iugo premendos metuebant, incenſo ſtudio flagrarunt, ſternendi viam Saracenico ingentem ſuam dominaturi; maliſque ſe immedicabilibus implicandi. Manifeſtè itaque auerſio à Latinis Græcos occupauit, eo quod malè ſibi ab eis metuerunt. Qui recens ad aliquem principatum acceſſerunt, ſuntque eius nationis Neophyti, notati ſunt ob hanc cauſam, metus malorum ſibi alioqui timendorum, efferueſcere præ aliis in amore gentis & abalienatione à cæteris nationibus, præſertim ab ea, à qua ſunt detracti. Timent enim ne ſuſpecti habeantur, quod inhæreant anterioribus affectibus, & minùs benè animentur erga nouum dominatum. Et eadem ex cauſa, par feruor notatur in filiis externorum, qui alicubi extra gentem ſuam, ſedem fixerint. Veriti enim in ſuſpicionem incurrere, quod patrizent, & patris in gentem ſuam affectu cum ſanguine hauſerint, vnde mali aliquid in ſe aduocent ab indigenis; concaleſcunt in exteros, etiam ſupra antiquos ex eadem gente.

Cauſarum auerſionis propoſitarum, virulentia, & quàm Religioſos præſertim dedeceant.

HArum cauſarum abalienati à diuerſæ nationis hominibus animi, tam perſpicua eſt virulentia, vt ſit præcedens ad iudicium, iuxta Apoſtoli phraſim. Nam ſiuè ex alterius gentis miſeria, aut naturali aut morali; ſiuè ex ſuperbia, aut inuidia; ſiuè ex memoria irrogatorum genti ſuæ damnorum, quis feratur auerſo erga exteros animo, non poteſt non eſſe tetra auerſio. Ac ne illa quidem auerſionis cauſa, quæ ex diſſimilitudine inſtitutorum ac vſuum petebatur, labe vacat, aut eſt reuera fundamentum idoneum minùs pleni erga externos amoris; in tanta multiplicitate capitum ſimilitudinis, nobiſcum intercedentis cum alterius nationis hominibus; quandoquidem & homines ſumus ex eadem ſtirpe ſati, & regenerati ex eodem omnium fidelium vtero; quod eſt lauacri ſancti nomen apud Chryſoſtomum; hom. 25. in Ioan. & in eandem Dei ſeruitutem conſcripti, ac eiuſdem æterni regni hæredes cooptati, eadem ſacra menſa paſti, eodem ſacræ doctrinæ pabulo ſatiati, de quo, dulces cibos ſimul acceptos, qui motiuum vrgens mutuæ dilectionis eſſe debuerant, interpretatur Euſebius l. 10. demonſ. in 2. Itaque ſeruũ Dei his actum intemperiis, fatendum eſt, aut ſolo nomine illiſiſſe calces ſæculo, à quo reuera nũquam receſſerit, cum eius graueolentem cacochymiã tam putidè ructet: aut ſi reuera aliquandò receſſerit, mutata miſerè mẽte, in illud regreſſum eſſe: Quæ vtraq; labes, iis qui nomen ſeruorum Dei ementiuntur, eſt admodũ frequens. Quod enim benè notauit Richardus Victorinus, l. de Incar. verbi c. 3. Religioſus carneis hiſce affectibus implicitus, quantuncunque habitũ Religioſum præferat, piloſus eſt, & pertinens, ad Seir, id eſt merus ſęcularis: quod æquè cõteſtatur Richardi amiciſſimus S. Bernar. ſer. 2. in capite ieiunij. Eodéque reuoluitur quod ſub alio ſchemate ait Petrus Cellenſis, l. de panibus cap. 4. affirmans, tales etiam ſi *Azymita* videantur, eſſe reuera *fermentarios*, nec tales vnquam eſſe deſiiſſe, ſi iis ſemper vixerint moribus. Qui verò alios quidem animos induerunt, ſed malè commutarunt, iis ſe annumerant, de quibus ſcriptum eſt à Bleſenſi in Inuectiua aduerſ. deprau. [Legimus in libro quotidianorũ euẽtuũ, quod in iis qui euomuerũt ſęculũ, frequẽ-

tes

ter amor ſęculi recidinat; ſuāq; reędificantes Iericho quā in primitiua conuerſione ſubuerterant, ignes & cineres ſuſcitant iam ſopitos.] At eſt cur terreantur diuino maledicto, intorto in reſorbentes quæ benè vomuerant, & in reædificantes Hiericho.

CAPVT X.

In quibus, à ſeruis Dei, temperandus ſit Nationis amor.

AD plenam negotij, in quo verſamur, tractationem, ſubnectenda eſt conſideratio malagmatum adhibendorum morbo, de quo agitur. Nam neceſſitas temperandi nationis amorem, autoritate & ratione ſatis euicta eſt; & virulentiæ cauſæ contrarij affectus ac intemperiei hactenus ſunt detectæ, vt poſſet morbo admoueri remedium: ſupereſt igitur, vt ad curationem, & remediorum admotionem veniamus, iis conſideratis circa quæ adhibenda eſt hac in parte temperatio, aliquibus circa ea præfixis, aut excinſis. Videntur autem quæcunque ad hoc negotium pertinent, poſſe ad tria capita reuocari; Nimirùm ad corda, voces, & opera. Nam qui in his tribus nitebit, nulla ex parte ſordebit quoad affectum, cuius purgationi inſiſtimus.

§. I.

Corda.

SVmo hic *corda*, in eo ſenſu in quo Theologi, tractantes obiectum cognitionis Angelicæ, negant ſecreta cordium Angelis ſuaptè natura patere; eo nomine deſignantes, & cogitationes internas intellectus, & actus liberos, ac deſideria voluntatis. Sic enim *Secreta cordium* accipiunt S. Thomas 1. p. q. 57. art. 2. atque Gregorius Ariminu. in 2. d. 9. q. vnica, concluſ. 1. Suares, l. 2. de Ang. c. 25. n. 5. fauente Apoſtolo, Hebræor. 4. qui Deum vocat *diſcretorem cogitationum & intentionum cordis*: monſtrans, ad *cor*, & cogitationes & intentiones pertinere; quamuis non me lateat, fuiſſe recens qui ad ſolam voluntatem, nomen *cordis* arctatum voluerit pro huius æui abuſione, qua quiſque ad libitum ſuum, Dictionaria refingit.

Typhus quo vna Natio, aliam indicat Barbaram, diſcuſſus.

COrdibus itaque ſuis, Medicinam hac in parte faciant neceſſe eſt, quos nationis propriæ decora ita dementant, & iudicio corrumpunt, vt in corde ſuo, præ natione ſua, cæteras deſpuant, & nihili æſtiment: Inflati & turgentes, vel ob nationis & finium, quibus dominatus eius coërcetur, amplitudinem; vel ob potentiam eiuſdem vel ob diuturnitatem vigentis in ea dominatus, vel ob ſoli bonitatē, amœnitatem, feracitatem; vel ob ciuium expolitionem, aliamve quampiam prærogatiuam non vulgarem ſuæ nationis. Euaneſcunt penes hæc in cogitationibus ſuis aliquando filij huius ſæculi, & inde adducuntur ad deſpectionem aliarum nationum, quas talia deficiunt. Nominatim verò Sinas, hac dementia ad hanc diem laboraſſe, obſeruauit Nicolaus Trigaultius. l. 1. c. 3. Homines quippè ab aliis omnibus ſegreges, interclusa cum aliis gentibus omnibus conſuetudine, amplitudinem & opulentiam regni multa regna æquantis demirantes, cæteráſque omnes nationis felicis prærogatiuas penes ſe florere agnoſcentes, alia omnia regna ad ſuum collata, formicas elephantis comparatas ducunt, & prę natione ſua omnes alias vix ſibi de nomine notas depreciant: eo fatuitatis prouecti vt oram ſuam in finibus terræ conſtitutam, in centro delineationis Geographicæ ſtatuerint, ferè ad hanc diem. Nam nuper huius erroris ipſoſmet Sinas puduit cum inſpectis tabulis Geographicis ex E[illegible], dedidicerunt falſitatem. Eadem indicij de[illegible], pleroſque olim occupauit, quibus nationes omnes præter propriam habebantur *Barbaræ*.

SECT. I. CAP. X. Circa quæ temperandus Nationis propria amor.

Græci hunc abuſum primi inuexerunt, qui orbem in duo ſegmenta partiti; nimirum in Græcos ſeu Pelaſgos, & barbaros; omnes qui ipſorum linguā non callerent, aut cratsè & asperè duriterque efferrent, *Barbaros* dixere; Græca voce, non Romana, (vt minus aptè cēſuit Caſſiodorus, in pſal. 113. nomē *Barbarus* accipiens, pro *pagano*, & deriuans à *Barba* & *rure*, quod hiſpidi ſint pagani, nec in vrbibus vixerint vnquam. At certum eſt *Barbarus* eſſe vocem Græcam, typho Græcanico, vt Strabo lib. 14. vocis huius notionem enucleans recte tradit, iis aptatam qui, quod externi eſſent, Græcam linguam vel non callerent, vel efferrent minùs expeditè, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 14. *Si neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* Affine & illud Poëtæ.

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor vlli.

Et hac ratione Philo l. 2. de vita Moiſis G[illegible] atque *Barbariam* contraponit Flauius Caper priſcus Grammaticus, *Barbarum* idem ſonare ait, quod *vitioſum*; & *Barbariſmum* idem quod *vitium*, vnde vitiosè loquentes præ aliis benè ac expeditè loquentibus, *barbari dicti*. Ad Romanos poſtea tranſiit faſtuoſi nominis vſurpatio, nam *Barbaricum*, ſiue *barbarum ſolum*, reperitur dictum pro regione extra Romanum imperium, vt multis ioribus ſignatis probat Iuſtellus ad Canones Eccleſiæ Africanæ, n. 138. ad Can. 52. & ad Codicem Canonum Eccleſiæ vniuerſæ ad Canon. 206. Lampridius in Alexandro Seuero, Gellius. lib. 19. c. 12. S. Paulinus Epiſto. 26. & D. Auguſtinus Epiſto. 178. dixere *barbariam*; Orbem verò Romano imperio obnoxium, dixere *Romaniam*, vt ad Lampridij locum allegatum notauit Caſaubonus ex Epiphanio; & ſimiliter loquitur S. Athanaſius ad ſolit. vitam agentes atque Oroſius, l. 7. c. 43. & alij à Iuſtello notati Tertullianus cap. 2. quidem agens de vſu velandarum Virginum eum viguiſſe per Græciam, & quaſdam barbarias eius: ſumens, vt videtur, *barbarias* pro quibuſdam oris impolitioribus Græciæ. Quod ipſum feciſſe varios Græcos, monſtrat Raderus ad 1. Epigr. Martial. de Amphit. allegato Demoſthene, iuxta quem nemo Græcorum extra habitātes in Hellade, ſiuè Attica, dicebatur *Græcus*, ſed numerabatur inter *Barbaros*. Tamen paſſim tota *Græcia* cō-tradiſtinguitur à Barbaria, ita vt omnes aut *Græci*, aut *Barbari* appellarentur. Meritò hæc diuiſio hominū in *Græcos* & *Barbaros*; (& quod eodem reuoluitur, & à Græcis expreſſum eſt, in *Romæos*, & *Barbaros*) Platoni in Ciuili improbata eſt, ac Eratoſthenis, qui homines in malos potius ac bonos, diuidi malebant: quod ea diuiſio omnes & ex Græcis, & ex aliis nationibus complecteretur, vt refert Strabo. lib. 1. Geogr. Et fuit quidem ea inadæquatio, iuſtus titulus improbandi talem diuiſionem. Sed non minùs improbanda fuit ea diuiſio in *Græcos* ſiuè *Romanos*, & *Barbaros*, quod *Græci* per *Barbariem* aliquid ſignarent, quo aliæ omnes gentes præ ipſis deſpice-

SECT. I. CAP. X.

Vtraque illi patriam Nationis ſe ſua amor.

rentur. Et eſſe ſanè vocis illius notionem, ferocitatis, crudelitatis, & terroris refertam dixit Victor.

D. Gregorius Nazianzenus, orat. 25 n.32. cum *Barbarus* diceretur Conſtantinopoli, eo quod è Cappadocia, regione impolita & agreſti ortus eſſet, ſic depellit hoc probrum. [Magnis omnibus & excelſis viris, ô homo, patria vna eſt, ſuperna Hieruſalem, in quam conuerſationem noſtram recondimus. Omnibus genus vnum, ſi inferiora hæc ſpectare velis, puluis: ſi ſuperiora, ſpiraculum illud, cuius participes facti ſumus, quodque conſeruare iubemur, & cum quo mihi ad tribunal ſiſti, neceſſe eſt, vt diuinitus inditæ nobilitatis, imaginiſque rationem reddam. Quiſquis igitur per rectam viuendi rationem, animique ad exemplar ſuum inclinationem, ſpiraculum illud conſeruauerit, huic demùm nobilitas conſtabit. Contra, qui illud per vitium fœdauerit, formamque alteram, hoc eſt ſerpentis, ſibi ipſi induxerit, ille verè ignobilis & obſcurus habendus erit. Terrenæ autem hæ patriæ, atque hæc generum diſcrimina, breuis huius & caducæ vitæ noſtræ ac ſcenæ ludi ſunt. Quam enim quiſque terram, ſiuè per tyrannidem, ſiuè per calamitatem anteoccupauerit, ea patria dicitur, cuius omnes æquè hoſpites & aduenæ ſumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.] Ex immediatè antecedentibus, & ſcopo huius ratiocinationis, conſtat, Theologum *patriam* hic vocare nationem, vſu non infrequenti, vt initio monui. Genus item ignobile ac obſcurum, non attendit penes ſtirpis humilitatem, de qua ignobilitate generis immediatè poſt agit, alio diſputationis ſcopo ſibi præfixo. Sumit ergo in his verbis *genus ignobile* pro barbarie, quæ eſt ignobilitas non vnius ſtirpis, ſed totius nationis. Quod enim homo natus in Cappadocia *Barbarus* Bizantij audiret, hoc, apologetico egit, quo firmiter euincit, neminem probum ac pium, vndecunque ortus ſit, haberi *Barbarum* debere; & eo nomine deſpici à natis in regione excultiore: Cum modi erat ora Byzantina præ Cappadocia. Æquæ aptanda eſt Theologi diſputatio ad aliam quamcunque obſcuram nationem.

Euaniditas iudicij Sinenſium, omnes alias Nationes deſpicientium.

SEd vt huius deſpectationis fundamentum, penes quæcunque propoſitæ nationis alicuius ornamenta conſtitutum, ſubruam funditus, primum vniuersè ac generatim, poſtea vnumquodque propoſitorum capitum expenſurus; propono exemplum Thraſoniſmi Sinarum ſuperbè factum. Fateri cogimur, nullam eſſe in orbe terrarum nationem, quæ cum Sinica poſſit contendere de regni amplitudine, potentia, diuturnitate, regionis feracitate, ac cæteris prærogatiuis quæ nationem aliquam, iuxta ſæculi ſenſum exornant. Locuples teſtis Nicolaus Trigaultius l. 1. de exp. Sinica c. 2. & 3. ſcribens quæ ipſemet per annos complures vſurpauit oculis, eam eſſe regni Sinarum amplitudinem confirmat, vt omnia orbis terrarum regna vnam appellationem ſortita hodie ſuperet, ac per omnia retrò ſæcula ſuperarit. Quindecim namque ampliſſimas prouincias, (veriùs regna iure dicendas;) comprehendit, ſubdiuiſas in certum quinquaginta octo regiones, in quibus vrbes maiores ducentæ ac ſeptem ſupra quadraginta recenſentur; minores verò mille ſupra centum ac quinquaginta: præter villas, pagos, caſtella, & oppida, quorum vix iniri poſſit numerus. In his prouinciis, adultorum capita, à quibus Regi vectigal capitatim penditur, (ſeclu ò muliebri ſexu, & è maſculo, ſeclu ſis pueris, adoleſcentibus, Eunuchis, militibus, Regis propinquis, Magiſtratibus, ac literatis, aliiſque permultis à tributo immunibus,) myriades, & vt vulgò loquimur, milliones octo ſupra quinquaginta inſuperque quingenta quinquaginta millia & vnum eſſe numerata, indices Regij tabularij produnt. Milites ſtipendiarij ſupra decies centena millia, in decrepita licet pace, perpetuò excubant in Regni defenſionem. Regna Sinico imperio vectigalia, numerantur ad ortum tria, ad occaſum tria ſupra quinquaginta, ad Auſtrum ſupra quinquaginta quinque, rurſùs ad Boream tria Cæli clementia, in tanto terrarum ambitu, maxima. Nam maxima ex parte regio Sinica intra Zonam temperatiorem continetur. Soli feracitas tanta eſt, vt prodant qui viderunt, Trigaul l. 1. c. 3. & reliqui orbis terrarum partem longè maximam vere polytropi inſtruunt, nuſquam alibi ſub eiuſdem regni ambitu, tantam progigni rerum ad vitam vtilium varietatem, ita vt omnia quæ ad victum & cultum humanum, imò & ad delicias faciunt, Sinis domi abundè naſcantur, nec aliunde ſint importanda. Artes Mechanicæ apud eos, nullæ deſunt, quæ quidem ad vitæ neceſſitatem, aut commoditatem conferant. Literatorum in quibuſuis liberalibus diſciplinis eruditorum, copia & varietate abundant Sinæ, ita vt naturæ rerum veſtigatores, Mathematicos, Aſtrologos, Medicos, ſed præſertim rerum moralium peritos, variis gradibus ad lauream per ſeueritatem multiplicis examinis perductos, habeant. Vrbanitas Sinenſium planè exquiſita eſt, ac omninò ſingularis. Quid ad hanc vbertatem terrenorum bonorum, nationem aliquam ditantium, deſiderare præterea vel moroſus veri arbiter poſſit? Prodierit ex hac natione, qui oſtentans Europæis nationis ſuæ decora, deſpuat præ ea exteros, *Barbaros*, ac rupices cenſeat, quotquot extra Sinas orti ſunt: turgeat animo, inſiſtatque vix ſummis inſiſtens pedum articulis, præ typho è nationis ſuæ gloria ſupra omnes alias (ſua quidem æſtimatione ac iudicio,) nimium quantum eminentis. Quis hoc ferat Europæorum? Quis non rideat tumorem ex bono communi, priuatam egeſtatem non excludente? Et nunc quidem, omnis illa miſelli Sinæ pro nationis ſuæ eminentia gloriatio euanuit. Nam tantoperè iactata regni potentia amplitudo, felicitas denique plena, & omnibus abſoluta numeris, ſoluta eſt perinde ac ſal aquæ immiſſum; Nam ante hos paucos annos, Tartari (gens ferox ac bellicoſa, in Sinarum collimitio degens,) facta irruptione, & celebratiſſimo muro regnum cingente diſiecto, marcidam apud Sinas pacem profligantes, ſusdéque miſcuere omnia. Rex conſilij inops, in ſumma rerum ſuarum deſperatione, Biothanatus obiit, factus ſibi carnifex. Ad omnia deſiderabilia eius, hoſtis manum miſit: omnis illa nationis gloria & ſuperbia, quæ vſque ad cœlum aſcenderat, ac nubes tetigerat, Iob. 20. velut ſterquilinium in fine perdita eſt. Qui eam viderant, dicunt, vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenitur, tranſiuit ſicut viſio nocturna. Oculus qui eam viderat, non videbit, neque vltra intuebitur eam locus ſuus. En euaniditatem gloriæ, de nationis præcellentia conceptæ

qua vel oſcitanter conſiderata, meritò detumeſcat cuiuis alterius, ob gentis ſuæ prærogatiuas inflatus. Hæc generatim.

Amplitudo dominatus vnius Nationis, ſeue elationis ſupra alias argumentum.

NVnc, vt demittendas eſſe criſtas cuicunque aliós ſpiritus ob nationis ſuæ prætacta ornamenta ſumenti, ſigillatim demonſtrem, auſpicabor ab amplitudine regni, cui quis annumeratur; circa quam typhi materiam, occurrit in primis ſanè ridiculus vnius ſupra alterum ſe efferentis ſenſus, quod ipſe è regno ortus eſſet, cum alius è tituli minus ſplendidi prouincia natales ſuos repeteret. At recolendum fuerat, quàm futilis ſit elatio, in tam vili nunc titulorum ſplendidiſſimorum pretio, vt ambigendum videatur, ne breui reueniamus ad morem antiquum ſæpe in ſcripturis expreſſum, donandi nomine *regni* ciuitatem vnam, aut toparchiam anguſtam. Sic enim Ioſue 12. numerantur vnus ac triginta reges, in parte Palæſtinæ regionis non admodum diffuſæ; quia ſcilicet quæuis toparchia, *regni* nomine donabatur, vt ibidem benè expendit Serarius quæſt. 2. Item Adonibezec Iudi. 1. ſeptuaginta Reges ſubegiſſe dicitur eoſque menſæ ſuæ reliquiis ſuſtentaſſe; quos conſtat non potuiſſe latè dominari. Pro quinque ciuitatibus Pentapolitanæ oræ Geneſ. 14. numerantur quinque Reges, à quatuor aliis vicinis Regibus deuicti, qui tamen adeò tenuibus erant viribus, vt à trecentis octodecim Abrahæ vernaculis, ſint debellati, & prædâ exuti. Iob denominatur *Rex* à 70. id quod plenè illuſtrant, & confirmant Pineda in cap. 1. Iob 9. Serarius in capit. 2. Tobiæ quæſt. 6. Sanches prolego. 4. in Iobum. Amici item eius, Tobiæ 2. *Reges* denominantur; ſinguli ab vno oppido. De Magis Chriſti cunabula veneratis, quod Reges fuerint, communiſſima traditio eſt, de qua Stengelius, & Petrus Simonis, ac Melchior Iacoſer, de Epiphania, & Magis agentes. Fuiſſe tamen admodum arctæ ditionis dominos, fatetur Maldonatus in capit. 2. Matth. & Baronius anno 1. Paſſim alia occurrunt in ſcripturis exempla principatuum perexiguorum, quibus regni nomen obtigit, vt videre eſt apud Genebrardum ad illud pſalmi 134. *percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes.* His addo Herodem, quem Matthæus cap. 14. & Lucas cap. 9. *Tetrarcham* nuncupant, à Marco cap. 6. *Regem* denominari. Romani patroni à dicentibus dicebantur Reges, vt multipliciter confirmat Raderus ad lib. 1. Epigr. 91. & lib. 5. Epigr. 20. Fuit diu in Gallia huius rationis regnum, dictum *de Yuetot*, quod eſt Normanniæ oppidum. Gualterus enim de Yuetot, ex aulico peramato exoſus factus Clotario Regi, cum poſt decennem in expugnandis Saracenis operam, fultus literis Agapeti Papæ rediiſſet in Galliam, eas literas feria ſexta in Paraſceue, inter ſacra, reddidit Regi, qui neque locum, neque tempus, neque Pontificem veneritus, in Gualterum œſtro ſubito irruens, inibi eum gladio confecit. Indictâ autem ab Agapeto tam atrocis ſceleris ſatisfactione, terra *de Yuetot* ſui iuris facta, id eſt Regij tituli nomine donata eſt, & ab omni ſubiectione regia anteriore, immunis reddita, vt ſcribit Baronius anno 533. Et quamuis ibi Spondanus addit, non ita pridem eam terram excidiſſe prærogatiuis illis, tamen & diu iiſdem potita eſt, & erectio perpetuam fore eam ſitus ionem ferebat, vt ipſe Spondanus ibi agnoſcit. Cum ergo pleræque ditiones, quæ olim ſolo *Comitatus* nomine gaudebant, nunc Marchionatus, aut Ducatus, altiore titulo gaudeant, & aliquæ etiam regio titulo potiantur tametſi neque latiores ſint, neque diffuſiores, quam prius; meritò aiebam ambigendum, ne in tanta paſſim omnium titulorum inferiorum rarefactione verius quàm augmento, nomen quoque Regum, paſſim rareſcat, & titulo tenus grandeſcat, pro mera voluntate eorum ad quos attinet corticulos amplificare: quod præſtant pro Imperiali titulo ſummus Pontifex, pro regio Pontifex ſæpè, & Imperator: pro Ducali Reges pro inferioribus titulis, ijdem, ac ſupremi quique Principes. Vaniſſima ergò eſt gloriatio; quod quis è regno ſit ortus; titulo ſola humana voluntate collato, quo carent pleræque longè ampliores ac diffuſiores prouinciæ, vt Lithuania, Moſcouia, & aliæ non paucæ.

Demus autem titulum regni eſſe plenum & amplæ ditionis notam, facile eſt euincere; hoc non tam eſſe fœlicitatis ſignum, de quo efferri animo ac geſtire liceat, quàm demiſſionis ac mœſtitiæ Sanctus Auguſtinus 4. ciu. cap. 3. deprimens faſtum Ethnicorum Romanorum ob tantam imperij ſui amplitudinem elatorum, forti hac diſputatione rem conficit. [Vellem paululum inquirere, quæ ſit ratio, quæ prudentia, cum hominum fœlicitatem non poſſis oſtendere, ſemper in bellicis cladibus, & in ſanguine ciuili, vel hoſtili, tamen humano, cum tenebroſo timore, & cruenta cupiditate verſantium, vt vitreo lætitia eorum comparetur fragiliter ſplendida; cui timeatur horribilius, ne repentè frangatur, de imperij magnitudine ac latitudine velle gloriari. Hoc vt facilius diiudicetur; non vaneſcamus inani ventoſitate iactati, atque obtundamus intentionis aciem altiſonis vocibus rerum, cum audimus populos, regna, prouincias, ſed duos conſtituamus homines. Nam ſingulusquiſque homo, vt in ſermone vna litera, ita quaſi elementum eſt, ciuitatis & regni, quantalibet terrarum occupatione latiſſimi, quorum duorum hominum, pauperem vnum, vel potius mediocrem, alterum prædiuitem cogitemus, ſed diuitem timoribus anxium, mœroribus tabeſcentem, cupiditate flagrantem, nunquam ſecurum, ſemper inquietum, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem; augentem ſanè his miſeriis patrimonium ſuum in immenſum modum, atque illis augmentis curas quoque amariſſimas aggerantem: Mediocrem verò illum, re familiari parua atque ſuccincta ſibi ſufficientem, chariſſimum ſuis cognatis, vicinis, amicis, dulciſſima pace gaudentem, pietate Religioſum, benignum mente, ſanum corpore, vita parcum moribus caſtum, conſcientia ſecurum. Neſcio vtrum quiſquam ita deſipiat, vt audeat dubitare, quem præferat. Vt ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familiis, ita in duobus populis, ita in duobus regnis; regula ſequitur æquitatis; qua vigilanter adhibita, ſi noſtra intentio corrigatur, facillimè videbimus vbi habitet vanitas, & vbi fœlicitas.]

Sect. I. Cap. X. [illegible]

SECT. I. CAP. X.

Circa quæ ſperandum Nationis propriæ amor.

Idem de potentia, monſtratum.

EX eodem principio, pronunciandum eſt de inanitate tumentium, ob nationis ſuæ potentiam: hæc enim fere comes eſt magni ambitus atque latitudinis imperij populoſi, vnde educi copioſius miles poſſit, & neruorum belli firmitas ſuppetat. Non eſt, ſolida hæc gloriatio. Vana eſt, inanis eſt, ſtuporata, & euanida. Nullius vnquam imperij ex vllo capite robur maius, & potentia (vti videbatur,) magis firmata fuit, quam Romani. Vnde illud Romæ elogium à Frontino l. de aquæ ductibus. [Regina & domina orbis, quæ terrarum Dea, gentiumque conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum.] Eadem verbatim Martialis l. 12. Epigr. 8. Vrbem *potentem*, vrbem *dominam*, Græca nominis notione *fortitudinem*, Hebræa *ſublimitatem* ſonare, dixit Sanctus Hieronymus 2. in Iouin. in fine. Et fuerunt qui ad Græcam illam vocis *Roma*, notionem reſpicientes, vocarunt, *Valentiam*. Nec de Conſtantinopolis, alterius ſedis imperij Romani, ſiue nouæ Romæ potentia frigidius egère, qui poſt tranſlatam Byzantium Imperij ſedem, ſcripſere. Videndus nominatim Manuel Palæologus, celebrans Theodorum Deſpotam, & Conſtantinus Manaſſes in Annal. num. 92. & 125. ac Petrus Gyllius in opere de Conſtantinopoli Baſilium Imperatorem, rerum in ea potientem, ſcribit Zonaras p. annal. ducenta millia auri cuſitalenta habuiſſe in ærario, quæ ad noſtrates numeros ſubducta, mille ducentos aureæ monetæ milliones conficiunt: præterea verò ait, habuiſſe alterius pecuniæ immenſam vim omni calculo ſuperiorem, quam ærarij partibus omnibus, ac repoſitoriis & aditibus viiſque, pecunia confertim ſtipata refertis, terræ infoſſam aſſerubat. Et tanto poſt Baſilium, qui ſub annum Chriſtianum octingenteſimum florebat, Beniaminus Tudelenſis, viſa ſibi Conſtantinopoli ante annos circiter quadringentos, enarrans ait. [In ea vrbe vidi res atque opes inenarrabiles. Deferuntur enim in principis palatium quotannis tributa, quibus turres implentur coccinea purpureaque veſte & auro, ita vt nullibi terrarum par congeſtæ pecuniæ exemplum reperiri poſſit. Affirmatur etiam ipſius ſolius vrbis vectigal, ex foris venalium & portu ac mercatorum penſionibus collectum, ad viginti millia aureorum in ſingulos dies accedere.]

Hæc tanta potentia, primùm penes paucos à multicipitis populi intemperiis, aut Tribunorum populo aurigantium ſenſu, pendentes conſtituta, demùm ad vnum plerunque mentis impotem, voluptatibus ſuillum in morem perſæpè merſum, rabidis cupiditatibus agitatum deuoluta, ſanguine miſerorum parta, & paſta eſt. Nam militum ſanguine conſtitit, vt propterea purpuram argumentum ſanguinis, à circumdantibus eam militibus fuſi, delutam in regiæ veſtis vſum, dicat Theophilactus orat. de Cruce. Eadem miſerorum ſanguine fouetur, quos ad principalem potentiam firmandam exſugunt publicani, & tributorum ac vectigalium & portoriorum exactores, ſupra muſcas multiplicati, ac ad foricas vſque demiſſi, quandoquidem vrinæ, ac ſtercoris nomine, pro cuiuſuis ætatis, ſexus, ac conditionis homine, & pro equo, mulo, ac boue, nummus argenteus fiſco inferendus erat, pro aſinis verò & canibus, ex folles pendendi, vt tradunt Cedrenus, & Conſtantinus Manaſſes, deſcribentes Chryſargirum, cuius denique Anaſtaſium puduit, hominem licet efferum, & Tyrannicis moribus infamem. Vt taceam propudioſa ex capitis infamibus vectigalia, è quibus fiſcus tumuit. Sicut etiam ex aëre locorum quæ quiſque poſſideret, vt alibi l. 4. de virtut. num. 121. notaui. Ex his ſcrobibus & cloacis, oppreſſionis pauperum, turpitudinum, & publicorum latrociniorum, extitit quæ iactabatur nationis, & regni potentia, apud rerum dominos, gentémque togatam: Et vtinam nuſpiam hodie extarent tam ærumnoſi ac fœdi modi, firmandi potentiam, & fiſci explendi, cum etiam ſumus tributaria penſitatione granatum, hodiéque & alia exugendi vndecunque paupertinam plebem vilia, & obſcæna media vigere, exemplis prolatis teſtatum faciat Lælius Biſciola ſubſect.

Nec iſta potentia, miſeris ditione preſſis adeò ærumnoſa, virga dominantium leuis eſt; quin potius de ipſis quoque verum habet quod in labore hominum ſint, & in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo, vt Sanctus Auguſtinus de omnibus planè hominibus comprobari, demonſtrat l. 2. de Geneſ. contra Manich. capit. 20. Tot enim curis & angoribus vrgentur qui ſuper capita mortalium ſunt impoſiti, vt meritò purpura veluti ignei flammeique coloris veſtimento amiciantur, eo quod vndique ignibus curarum amburantur, vt Facundus philoſophatur l. 12. cap. 4. Itaque efferri de nationis potentia penes eius aurigam conſtituta, aliud eſſe non videtur, quàm de ærumnis, & miſeriis capitis populi ſui tumere. Comprimens faſtum Michaelis Imperatoris, oſtentantis potentiam ſuam, & minas ob eam intentantis, Nicolaus Epiſtol. 8.] docens quanti ea minax potentia æſtimanda eſſet, & quam inane ſubminiſtraret efferendi ſeſe, & alios floccifaciendi argumentum, ſic illum affatur. [Ergo ne velit minari puluis & vermis, ſicut ſcriptum eſt, *quod ſuperbit terra & cinis*? Ne velit ampulla in aquis inflari, quia poſt pauxillum ecce non eſt. Quid gloriatur in malitia; qui potens eſt in iniquitate? Quid facturus eſt? Occiſurus eſt (vt verbi gratia dicamus,) hominem, quoniam amplius non habet quid faciat. Hoc & fungus facit malus. O Imperator, in hoccine redacta eſt malitia hominis in iniquitate potentis, vt fungo malo comparetur? Heu quam inutilem potentem? heu ſuperuacue gloriantem!] Si ſuperuacuè effertur Imperator, penes quem eſt nationis potentia, quantò ineptiùs dicendus erit efferri animo, qui de ea alieni iuris potentia ſibi abblandiens, in alias nationes contemptionem eo titulo effundit? Imò ex potentia principis, deiectionem animi frequentiùs ſequi in ſubditis, obſeruauit Hippocrates, eo opuſculo, quo tractat quid efficiant cœli ac ſoli varietates. Igitur neque amplitudo, neque potentia dominatus penes aliquam nationem vigentis, idoneum eſt indigenis argumentum, ad humilem ſenſum, de aliis extra eam nationibus, concipiendum.

Nec non de dominatus diuturnitate.

SEd neque diuturnitas eiuſdem dominatus, illi tenui de aliis nationibus exiſtimationi aſſipulatur. Quàm fallax enim ea diuturnitas, & quam rara? Vt prætermittam non pauca quæ de eo argumento à me alibi in Natural. Theol. d. 7. numer. 152. & 153. dicta, tractando diuinum dominium, eiúſque cum humanis comparationem, Romani

Imperij

Imperij quàm potentiſſimi, & quod mundi durationem æquaturum putabatur, quam breuis fuerit periodus, accuratè expendit Stapletonius l. 1. de magnitud. Romana cap. 5. Hallucinatus ergò eſt Plutarchus l. de fatis Roman. ſic ſcribens. [Cum fortuna alata ſit ac vaga, & modo Aſſyrios, Medos, Perſas, Macedonas, Chartaginenſes luſtrauerit, eoſdémque reliquerit, videtur ad Tiberim alas poſuiſſe, volubilem globum reliquiſſe, & vrbem quaſi perpetim inhabitatura, intraſſe.] Falſus Chalcas fuiſti qui hæc ſcripſiſti; niſi ſi adulans & verba vendens, (æquè ac Maro,) æterna regna, & imperium ſine fine datum pronunciaſti, quod temporarium, & periturum non dubitares. Sanctus Auguſtinus ſerm. 29. de verb. Dom. capit. 7. hoc non eſſe metuendum in regno fidelibus promiſſo egregiè docet, notato Marone, in hæc verba alloquens Chriſtianum. [Quid expaueſcis quia pereunt regna terrena? Ideò tibi cœleſte promiſſum eſt, ne cum terrenis perires. Nam iſta, peritura prædicta ſunt, prædicta omnino? Non enim negare poſſumus quod prædictum eſt. Dominus tuus quem expectas, dixit tibi: *Exurget gens contra gentem, & regnum aduerſùs regnum.* Habent mutationes, terrena regna. Veniet ille, de quo dictum eſt, *& regni eius non erit finis.* Qui hoc regnis terrenis promiſerunt, non veritate ducti ſunt, ſed adulatione mentiti ſunt. Poëta illorum quidam lib. 6. Æneid. induxit Iouem loquentem, & ait de Romanis,

His ego non metas rerum, nec tempora pono;
Imperium ſine fine dedi.

Non planè ita, reſpondet veritas. Regnum hoc quod ſine fine dediſti, ô qui nihil dediſti, in terra eſt, an in cœlo; *cælo & terra tranſient.* Tranſient quæ fecit Deus, quantò citiùs quod condidit Romulus? Fortè ſi vellemus hunc exagitare Virgilium, & inſultare quare hoc dixerit, in parte tolleret nos, & diceret nobis; Et ego ſcio. Sed quid facerem, qui Romanis verba vendebam, niſi hac adulatione aliquid promitterem quod falſum erat? Et tamen & in hoc cautus fui, quandò dixi imperium ſine fine dedi, Iouem ipſorum induxi qui hoc diceret. Non ex perſona mea dixi rem falſam, ſed Ioui impoſui falſitatis perſonam. Sicut Deus falſus erat, ita mendax vates erat. Nam vultis noſſe quia iſta noueram? Alio loco, quando non Iouem lapidem induxi loquentem, ſed ex perſona mea locutus ſum, dixi; *Non res Romana, perituráque regna*, Non tacui, *Peritura*, veritate non tacui, *ſemper manſura*, adulatione promiſi, Non ergo deficiamus fratres. Finis erit omnibus terrenis regnis. Nunc ſi finis eſt, Deus videt. Forte enim nondum eſt, & infirmitate quadam, vèl miſericordia; vel miſeria, hoc optamus, vt nondum ſit. Numquid tamen ideo non erit?] Agebat de rebus Imperij Romani tunc per irruptiones Barbarorum, tótque Tyrannorum defectiones admodùm attritis, & ſubuerebatur tanti imperij excidium quoad fortunæ abblandientis lætos euentus, quamuis non dubitaret, quoad nomen, & aliquas ſemper reliquias fore æternum, id eſt ad finem vſque mundi duraturum Romanum Imperium: ſatis id inſinuante Apoſtolo, vt infra attingam cap. 10. §. Sub mundi finem planè excindetur Romanum imperium per Antichriſtum. At non eſt longum, quod habet finem, iuxta effatum D. Auguſtini 12. Ciuit. cap. 12.

SECT. I. CAP. X. *Circa quæ temperandus Nationis propria amor.*

Opimitas regionis friuolum incolis typhi ſupra exteros, incentiuum.

Regionis feracitas, opimitas, amœnitas, vanum eſt deſpiciendis aliarum nationum incolis argumentum. Abundantia panis id eſt, abundantia rerum omnium ad lautitias neceſſariarum, præ terræ opimitate ac feracitate, perdidit Pentapolim. Palæſtinæ opimitatem & feracitatem, ſuperuacuum foret annotare, cùm teſtatiſſima ſit in ſacris literis, vbi paſſim vocatur terra lacte, & melle manans, cornu filius olei Iſaiæ 5. quod aliter dixit Moyſes Deut. 23. *Conſtituit eum, (* Iſraëlem, *) ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra oleumque de ſaxo duriſſimo. Butyrum de armento; & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* En quid fecerit terræ opimitas. Abundabant terræ illius promiſſæ habitatores, frumento lectiſſimo, quod propterea pſalm. 80. dicitur *adeps frumenti*, & de rupibus ac ſaxoſis montibus omnia prædulcia, & mellita legebant: Conſiti enim erant palmis, oleis, ficubus, vitibus, & aliis dulciſſimos fructus ferentibus arboribus, quod erat *ſugere*, id eſt magna cum ſuauitate deguſtare, *mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo.* Quod ſi eadem terra, nunc damnata eſt ſterilitate, vt Pſaltes pſalm. 77. prænunciarat, & præſens experientia confirmat, agnoſcenda eſt cum Villalpando l. 8. diſp. 3. cap. 45. diuina iuſtitia vindex, quæ abutentibus tanta terræ vbertate, & in hæredem Patrisfamilias inſurgentibus, hoc præter cætera iuſtum ſupplicium rependit, vt quorum iniquitas ex terræ adipe prodiit, præter cætera, multentur ſterilitate terræ, vt vel hinc apparere poſſit, quam tenuis ſit materia elationis, & depreciationis cæterorum, terræ opimitas. Ægyptus, & ipſa feraciſſima, & opimiſſima, idolomaniæ, & omnium ſpurcitiarum, ſentina fœtentiſſima fuit, perpetuis rebellionum ac ſeditionum æſtuariis ſemper emota, præ ſoli vbertate, & prodeunte quaſi ex adipe Ægyptiorum iniquitate. Nec verò Deus ſemper terram fructiferam ponit in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea, cui malitiæ originem aut fomentum præbet ſoli opimitas.

Idem de regionis amœnitate, monſtratum.

Iam amœnitas regionis, cuiuſmodi ſit inflationis materia, non eſt difficile perſpicere. Quid enim amœnius regione Pentapolitana vt Sanctus Chryſoſtomus hom. 17. ad popul. notauit? Nec ſcriptura Gen. 13. tacuit, quæ eam regionem *paradiſo Dei* aſſimilauit. Hoc poteſt accipi, vel de horto amœniſſimo, iuxta phraſim Hebræam, qua quiduis præclarum, dicitur eſſe *Dei*, vt *cedri Dei, montes Dei*, & ſimilia, vel certè poteſt accipi de paradiſo terreſtri, eóque locò voluptatis in quo Deus hominem recens formatum poſuerat. Quem eſſe indubitatum ſenſum ſcripturæ loco allegato, ſtatuit Delrio Geneſ. 6. numer. 21. Et quamuis D. Auguſtinus quæſt. 27. in Gen. eam paradiſi de-

nomina

SECT. I. CAP. X.

Circa quæ temperandus nationis propria amor.

nominationem quoad regionem de qua agimus, exponat duntaxat penes rigationem à Iordane, variis alueis ac dyoricibus diducto: Tamen non poteſt excludi reliqua amænitas loci herbidi, & arboribus conneſtiti. Nam rigatio, exprimitur potius verbis ſubiunctis, & *ſicut Ægyptus, venientibus in Segor.* Quæ verba ferunt irriguam vndecunque inducto Iordane regionem, ſicut Ægyptus terreſtri pluuia è cœlo terreno, vt Philo l. 1. & 3. de vita Moſis, loquitur; Nilo, inquam, ſtata ſuperfuſione, rigante, perfunditur. Quicquid ſit, amæniſſimam fuiſſe eam oram, dubitare non licet, ita vt neque Daphne Antiochena, neque Theſſala Tempe, neque alia vlla loca à deliciis, & amænitate celebrata, ad eius amænitatem accederent. Et propterea Loth captus tanta amænitate, cum à patruo ſecedendum eſſet, data optione regionis ad quam inhabitandam progrederetur, hanc elegit. Quæ verò hanc amænitatem oræ illius conſecuta ſint, neminem lateat. Nam ipſi quidem Pentapolitani, ſoluti in omnem mollitiem, facti ſunt peccatores coram Domino nimis. Loth verò tametſi iuſtus, & è Sancto Petro eximiè collaudatus, tamen ſcintillas communis cladis, exturbatus molli illa ſede, vxoris exanimatione, & domeſtico filiarum propudio ſenſit. Itaque regionis, quam quis incolit, amænitas, valdè infidum bonum eſt, nec rarò animæ ſalebroſa, & horrida, vt propterea non modò priſci quidam, referente in Iouiniani impugnatione Sancto Hieronymo l. 2. in Iouin. ſedes inamænas, & inſalubres captauerint, ſed etiam Plato, vt notauit idem S. Hieronymus ibidem. Academiam ſuam conſtituerit loco inamæno, & ad valetudinem incommodo. Accedit [quod amæna omnia, delicata ſunt ad labores, & facilè onus afflictionis ſentiunt, qui vti ſuauibus deliciis conſueuerunt.] Verba ſunt Caſſiodori lib. 11. Epiſt. 14. agentis de agro Comenſi, quem his depingit coloribus; vt ad ſolas delicias factus conſtitutúſque videatur.

At vt appareat, quàm quiſque de locorum amænitate pro affectu ſuo variè ſentiat, è contrario Ennodius lib. 1. Epiſtol. 6. Comenſem agrum adeò horrentem exhibet, vt neque Ithacenſis ora ſit tetrior neque teſqua vlla ſint ſqualidiora; ridetque Fauſtum agri Comenſis laudatorem, qui communi pleriſque oris fœlicitate, exornator factus ſit, de argumenti ieiunitate celebrandus. [Quaſdam (ait ibi præterea Ennodius,) mundi artifex Deus, prouinciis fœlicitates ſtupenda ſecreti ſui largitate conceſſit. Alias vberiùs, meliùs alias vinum iuſſit effundere aliis contulit triticeæ ſegetis eſſe gratulari. Multas pomorum varietate vel vtilitate donauit. Quibus hæc tamen naturæ ipſius repugnantis merita non dederunt, fecit eas relatore ſublimes. Non eſt vnde ieiuna cautibus gleba deſperet, nec vnde non reſpondentia cultori arua ſubiaceant. Linguarum genio, terris merita tribuuntur, & qualiter quis loqui potuerit, taliter rem, de qua fuerit locutus, attollit. Creſcitis prouinciæ cultura ſermonum, oris eſt quicquid vrbis lector ſtupuit. Vber ſolum, & diuitibus quæ te iactas terra palmitibus, quæ per modicos ſulcos ſcalpentem dorſa paſcis agricolam, quæ venas diuites in ipſo proſciſſionis pandis exordio, quæ ſuſcepta germina, multiplicata meſſe reſtituis, nihil tibi commune cum maximis, ſi ad te Domnus Fauſtus, Romani ſtatua eloquij, non acceſſerit.]

Vt autem queat, quàm iure Ennodius pronunciarit, pro ſcriptorum affectu regiones aut laudabiles aut illaudabiles iactari, aduerto, ſic Corſicam ſupra modum horrentem, exhiberi à Seneca ad Helu. cap. 6. pleriſque gratam. Et ibidem negat, vllum eſſe adeò inamænum locum, qui pluribus non placeat, etiamſi aduenis. Præterea recolendum eſt quid de Ponto Euxino varij prodiderint. Tertullianus exagitans Marcionem, qui Ponticus erat, vult nomen *Euxini* attributum eſſe ei oræ, per antiphraſim, eámque tam horridam & ſqualidam exhibet, vt Naſo in ea exulare iuſſus, ſuámque inde triſtitiam aliquot libris executus, tetriorem illi faciem non appoſuerit. [Pontus (inquit l. 1. contr. Marc. cap. 1.) qui *Euxinus* natura negatur, nomine illuditur. Cæterùm hoſpitalem Pontum, nec de ſitu æſtimes: ita ab humanioribus fretis noſtris quaſi quodam barbariæ ſuæ pudore ſeceſſit: gentes ferociſſimæ inhabitant, ſi tamen habitatur in plauſtro, ſedes incerta, vita cruda, libido promiſcua, & plurimùm nuda, etiam cum abſcondunt, ſuſpenſis de iugo pharetris indicibus, ne temerè quis intercedat. Ita nec armis ſuis erubeſcunt. Parentum cadauera cum pecudibus cæſa conuiuio conuorant. Qui non ita deceſſerint, vt eſcatiles fuerint, maledicta mors. Nec fœmineo ſexu mitigantur, ſecundùm pudorem, vbera excludunt, penſum ſecuribus faciunt, malunt militare, quàm nubere. Duritia de cœlo quoque, dies numquam patens, ſol numquam liber, vnus aër, nebula, totus annus hybernum, omne quod flauerit, Aquilo eſt. Liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent: nihil illhic niſi feritas calet, illa ſcilicet quæ fabulas ſcenis dedit, de ſacrificio Taurorum, & amoribus Colchorum, & crucibus Caucaſorum.] Quid hac horriditate tetrius?

A tè contrario, Sanctus Gregorius Nyſſenus, celebrans Sanctum Gregorium Thaumaturgum natione Ponticum, mirificè eam oram extollit. [Solus (inquit) ex omni terra marique, hic Pontus, εὔξενος, id eſt *hoſpitalis*, hoſpitibus & peregrinis commodus, & bonus nominatur, ſiue comitatem, & humanitatem eius erga aduenas, & peregrinos inibi verſantes, atteſtante vocabulo, ſiue idcirco quod locus eiuſmodi eſt, vt non modò incolis, & indigenis, verùm etiam illis qui ex omnibus partibus eò accedunt, & confluunt, ad viuendum ſubſidia atque commeatus abundè ſuppeditet atque ſubminiſtret. Eiuſmodi enim natura regionis eſt, vt & omnium rerum quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, ſummè fertilis, ne peregrinorum quidem bonorum expers ſit, cum mare ei propria faciat ea quæ ex omnibus regionibus illhuc importantur. Cum autem eiuſmodi ſit tota natio, vt quamcunque quis eius partem per ſeſe ſolam conſiderauerit, cæteris præſtare eam exiſtimaturus ſit &c.] Addit inſignem quemdam Imperatorem Romanum, *Cæſarem* nomine, deſiderio, amoréque loci captum, nomine ſuo inſigniuiſſe ciuitatem illhic principem, *Neocæſaream.* Vides comprobatum quod Ennodius dixit, de affectu ſcriptorum, amænitatem regionum attollente, aut deprimente.

Sed vix poſſit huius rei exemplum illuſtrius proferri, quàm quod dixit Goropius Becanus, Medicus Antuerpienſis, qui pro nationis ſuæ amænitate, & decoribus ſatagens, *Eden* paradiſum voluptatis, in quo primus homo collocatus eſt Geneſ. 2. cenſuit eſſe vrbem Arteſiæ *Heſdinium*, vulgò *Hedin*. Scilicet Heſdinio ea iuxta ipſum amænitas eſt, quæ terreſtri olim paradiſo. Et indidem

didem egreditur fluuius, mox diuiſus in quatuor capita, Phiſon, Geon, Tigris, & Euphrates. Eiectus quoque ex eo loco Adam protoplaſtus, habitauit in vicinia; ed & Cain qui ad Orientalem plagam Eden, habuit ſedem. Heſdinienſis fuerit. Videtis in quam in ebriate abducat hominem expetita inſito cupidius gloria nationis. Nec ibi ſtetit Goropij nationem ſuam extollentis nugacitas. Nam linguarum omnium primam, qua Adam ipſe vſus ſit, & quotquot vixerunt, quandiu terra fuit labij vnius, hoc eſt vſque ad tentatum ædificium turris Babel, per annos circiter bis mille, cenſuit fuiſſe linguam Cimbricam, ſiue linguam Germaniæ inferioris, a qua Goropij opinatione non abhorret Iacobus Middendorpius. l. 1. Acad. pag. 12.

Verùm quia nugari diutius non vacat, nec placet vlteriùs diutinere his iudiciorum diuerſitatibus de regionum amænitate, pro affectu cuiuſque in oram ſuam, vel in oram quam laudandam ſuſcipit, idcircò admittendum eſt, hoc extollendæ ſupra alias, nationis ſuæ argumentum, eſſe ſatis imbecillum, præterquam quod Chriſtianus ſermo ad has laudes erubeſcat, iuxta Gregorium Nyſſenum in priore SS. 40 Martyrum encomio. Quid quod hæc laus, plerumque patet recriminationi? Nam Deus vni cuipiam regioni aliquid eximium conferens, æquale ſemper incommodi adiungit, vt fiat ventis pondus, iuxta Iobum c. 28. Lugdunum vrbs ad Ararim & Rhodanum, in regione & percommoda & peramæna ſitum eſt. Illic tamen, vt Candidianus l. 1. Sidonij Epiſtol. 8. Sidonium loco defricans dixit, raro bibitor araricus inſpicit ſolem. Nebulæ enim ibi incubant penè quot diebus, vt poſſit à ſimili incommodo ea quoque regio dici *Cimmeria*. Dies quippè (quod Sinodius non diffitetur) matutina caligine obſtructus, vix meridiano feruore reſeratur. Reponit autem è contrario Sidonius Candidiano, ortu Cæſenati, furnum potius quam oppidum eſſe Cæſenam. Et Rauennam vbi exulabat, id eſt extra patriam degebat, vrbem Cæſarum, & Exarchorum habitatione quondam celeberrimam, proindeque multis à ſolo & cælo prærogatiuis commendabilem, ob ſummam tamen vliginem, vocat paludem, in qua indeſinenter rerum omnium lege peruerſa, muri cadunt, aquæ ſtant, turres fluunt, naues ſedent, quæ facilius territorium potuit habere, quam terram, vbi auribus Padano culice perfoſſis, municipalium ranarum loquax turba circumſilit. Niſi refugerem in argumento inuidioſo diffundi, dicerem, Lutetiam, (quam Iulianus Imperator in Miſo pag. Pariſiorum oppidum, Ammianus l. b. 15. Pariſiorum caſtellum, inſulari ambitu clauſum appellauit, nunc autem excreuit in Megalopolim;) a Iuliano mirifice laudari, & *charam ſuam Lutetiam* denominari, hyeme placidiſſima, aquis iucundiſſimis, & aſpectu puriſſimis potientem; cæterum à luto quod appellatione præfert, eſtque in ea copioſum & fœtidum, cœnoſitatis inſimulari.

Quid Roma *vrbs orbis compendium*, vt apud Athænenm l. 1. c. 15. & Galenum comment. 1. in Hippo. de artic. dixit Palæmon, quamuis tot & tantis gaudeat naturalibus prærogatiuis, (dimiſſis nunc aliis ſuperioris ordinis), vt loca alia vbinis terrarum etiamſi peramæna, ſicut olim relegatis ex ea ciuibus, ita nunc non paucis, eius illecebroſitate captis horreant. Tamen habet ipſa quoque quibus diluatur iactata eius amænitas. Cælum ibi graue, & maximè diſtillationibus obnoxium, vt conceptis verbis affirmat Galenus; l. 2. de temper. & 5. meth. ac ex variis antiquis Medicis Mercurialis. l. 1. var. lect. c. 24. inæqualitas aëris in ea mirabilis, vnde morborum frequentia, ita vt intra annos ducentos nempè à 290. peſtilentia, bis ac vicies eam afflixerit. Alexander Petronius l. 4. de victu Romano inſignis ſuperiore ſæculo Medicus, tria morborum grauium genera tanquam Romæ vernacula, annotauit. Villæ quas in ſuburbano habet, immani ſumptu ad omnes delicias & oblectationem factas, eiuſmodi ſunt, vt præ cæli grauitate, ſi vna fortè illhic nox tranſigatur, vix euitabilis à difficili morbo interitus conſequatur. Ibidem, hyeme cum denſo luto colluctandum eſt, æſtate cum puluere, & irrequietis culicibus in ſumma æſtuoſitate: Sol ſemper inibi virulentus, vno radio idoneus conficere, quos impetit, vt mirari ſæpè ſubiuerit conſilium numinis, quod orbem vniuerſum, ſolo ac cælo adeò externis graui, alligauerit, ſede ſui vicarij illhic conſtituta. Et quanquam Marſilius Cognatus, integro Commentario de Romani aëris Salubritate, omnes has de ſolo ac cælo Romano querelas tentet depellere; tamen Galeno non perſuaſiſſet, qui ſpem ingentium præmiorum & immenſam in vrbe apud Imperatores gratiam, ac famæ diffuſionem toto Imperij corpore ex eo veluti corde faciendam, poſthabuit incolumitati, deprehenſo ſoli illhic, ac cæli vitio, poſt paucos menſes commorationis.

SECT. I. CAP. X. Cur quæ temperandus Nationis propriæ amor.

Exſtratio iudicij in typho vnius Nationis, ob expolitionem incolarum.

POſtremum caput iudiciorum corruptorum circa nationem ſuam, ducebatur ex ciuium expolitione. Sunt enim aliquæ nationes excultiores ac politiores aliis, ita vt in pleriſque populis, tametſi abundent opibus, deſideretur tamen vrbanitas, & nitor quidam externæ conuerſationis; qui ferè vbique deficit ruſticos & agreſtes homines. Sicut ergo in vrbibus deprecianturruſtici, ita ſi tota natio ſit agreſtis, & moribus ſordens ruſticanis, non dubium quin procliue ſit, vt qui ſunt nationis excultæ, deſpiciant in corde ſuo, & pro terræ filiis, rupices illos atque petrones, qui ferè rudes ſunt bonæ literaturæ, nec ad res magnas videntur nati; contra quam accidit educatis inter ciues expolitos, quales præſertim eſſe ſolent qui in vrbibus magnis degunt, & in conſpectu magnatum apparuerunt. Cuiuſmodi verò ſint alij, aut cum plebeiis duntaxat aut verè educati, mõſtrant vocabula nationibus ſapientibus grauida. Dicuntur enim per probrum *villanei*, aut *pagani*: non eo ſenſu quo ſub Imperatoribus Chriſtianis, Ethnicorum reliquiæ ſuperſtitione ſua in vrbibus prohibitæ, ad pagos ablegatæ ſunt, ſi ſacra impura vellent peragere; (quæ eſt probatior de ea Ethnicorum à Chriſtianis nomenclatione ſententia, benè confirmata à Baronio: 31. Ianuar. litera D. ſed alio ſenſu quo Poeta Perſius in procemio Semipaganum ſe profeſſus, excuſat quod ad ſacra vatum, carmen afferret ſuum. Et illo item ſenſu, quo quilibet ſacramento militiæ ſoluti, pro ruſticis habiti, dicebant *pagani*, Inſtit. & ff. de milit. Teſtam. per totum quorum teſtamentum quia iure militari non concedebatur, dicebatur *paganum* contradiſtinctum *militari*. Quæ ergò natio conſtaret, ferè vel maxima ex parte, iſtiuſmodi rupicibus ac petronibus, magnum præberet fundamentum deſpicatus, ei quæ ingeniis benè compoſitis & excultis abundaret.

Non

SECT. I. CAP. X

Cur nequaquam ſuperanda Nationis propria amor.

Non adſcribo ego ſanè ei iudicio, quippè corruptiſſimo, & nulla ratione idonea ſubnixo. Quin potiùs habet locum in hiſce abiectioribus myſtici Reipublicæ corporis membris quod eſt apud Apoſtolum 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus?* & *Non poteſt oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij; ſed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.* Nihil faciliùs, quam hæc accommodare ad præſentem cauſam. Sanè Theodoretus, ſerm. 6. de prou. nullam fore miſerabiliorem regionem, aut vrbem conſiderat, quam eam, in qua omnes præ nobilitate aut opulentia, ruſticanas & humiles operas dedignarentur. In quam etiam rem ſplendidè diſſerit S. Chryſoſtomus. hom. 34. in 1. ad Cor. Et ideircò non mirum, iure humano tot priuilegiis honeſtatos eſſe ruſticos, vt uſto opere proſecutus eſt Renatus Choppinus, & multa quoque Chaſſanæus p. 11. conſ. 37. de Ripa, tract. de peſte, cum de rem. præſerv. à n. 206. & Tiraquellus, de temper. pœn. cauſa 11. ac Menochius, l. 2. de arbit. Iudic. cent. 1. caſu 194. ſed maximum quantum video ruſticanæ conditionis priuilegium eſt, expeditor innocentia vitæ, iuxta vulgatum ſenarium,

οὐδὲν ἀγροῖκος ἄνθρωπος ἀσυνετὸς (?)

Vrbanus aquè nil, bonum è cogitat.

Nam propter multiformem & negotiorum ex hominum quibuſcumque in magnis vrbibus agitur, varietatem, fides in ruſticis plerunque certior eſt & animus ſyncerior, vt experientia monſtrat, & latius tradit Budæus, l. de ſtatu ruſtic. cap. 3. ac in Eclogis de ruſticorum ac ciuium diſceptatione Mantuanus, & paucis ſed optimè S. Chryſoſtomus, ſerm. 19. ad pop. tractans agriculturam Adami, poſiti in Paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum.

Quod verò opponebatur, barditas & ruditas iſtiuſmodi hominum veritate non nititur. Nam ſi agatur de ſcientia ſanctorum, conſtat, plerosque ex hoc hominum (vt volunt,) ſedimento, colluſtrari diuinitus mirum in modum; idque eſt quod S. Gregorius 6. mor. c. 4. annotauit circa illud Prouerb. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Neque, ſi agatur de diſciplinis, verum; & qui in natione non admodum exculta naſcuntur, ad eas non poſſe informari: cum videamus non paucos eiuſmodi, miram vim ingenij, & idoneitatis ad ſacras & humanas literas prodidiſſe. Sic ſanctus Anſelmus inter Salaſſiorum rupes eſt editus; Et in iugis Alpium loco planè abiecto Petrus Faber; Et Hugo Carenſis ortus eſt in tractu Barchinonetæ, ſub extremas Alpes Cottias, & ibidem in vicinia, primum aerem hauſit Franciſcus de Mayronis; Nam qui cum Scotum cenſuit Card. Bellarminus, lib. de ſcrip. & ex eius fide Thomas Dempſterus, lib. de SS. Scotiæ ſi ſciuiſſent vbinam ſint *Mayronæ*, à quo natalis ſui loco, Franciſcus pro vſu antiquo denominatus eſt de *Mayronis*, aliter pronunciaſſent. Omnes hi ab ingenio præcellenti & peritia laudem tulere, quam etiam ferè omnes ſcriptis libris magnam doctrinæ & acuminis ingenij vim præferentibus, prodiderunt. Rex magnorum Grammaticorum Iſaac Caſaubonus, quamvis inhærendo Caluini dogmatibus, quorum falſitas eum non latebat, exiguam, imo nullam prodiderit ſapientiam, & præ Anglicanæ culinæ nidore (vt ei obiecit Andreas Cydonius), nebulas ſuo ingenio volens offuderit; tamen ſpectando ſolum minoris literariæ peritiam, qua multum valuit, huc referendus eſt, quippè natus in ſummis montibus Catturgum Voconttorum, loco humili cui nomen, *Deus Filius*. Nec dubium quin montana huiuſmodi ingenia, ſi excolantur, abiiciant plerùnque rubiginem, ab agreſti ſolo, (vt videbatur,) adnatam, & euadant in viros magnos.

Æque friuolum eſt, & à verò abhorrens, quod dicebat de hiſce, natalibus vix vnquam ad magna aſſurgentibus: quaſi verò ex ruſticana & tenuiſſima ſorte plerique (etiam noſtra memoria,) non extulerint capita, exaberrauerit ſpiritus ſanctus dicens per Siracidem c. 11. Eccleſ. *Iniſpicabilis portauit diadema.* Adriani Florentij, & F. Felicis à Monte alto genus humillimum & ruſticanum, non obſtitere quominus ad verticem honorum pertingerent; & qua eſſent animi vi ad magna negotia obeunda, demonſtrarent. Non eſt cur antiquas narrationes conquiram, & exhibeam hoc loco ligneos ſoccos atque carbatinas Primiſlai Bohemiæ Regis, qui ab aratro abductus ad regnum, quæ illa ruſticanæ ſortis ſuæ monimenta in arce regia ſeruari voluit, vt ſcripſit in Bohemica hiſtoria, Æneas Syluius cap. 6. Æquè Leſcus Polonus Cromero teſte, craſſorum pannorum quos in humili ſorte induerat, & VVillegiſus Moguntinus rotarum quas agitarat, vt Siffridus Præsbyter docet, vigere memoriam voluerunt, tantum valuiſſe ſapientiam, & vſum rerum, alioſque ſpiritus tenuiſſimæ ſorti aduenientes, exemplo ſuo comprobantes. Nam de Heluio pertinace, edito ſiue in Apennino in *villa Martis*, vt Capitolinus cenſuit, ſiue, vt Dio ac Zonaras prodiderunt, contenditque Auguſtinus Nebienſis, in extremis Liguribus, ad Tropæa Auguſti, in herinaceorum refugiis, indeque ad Imperij Romani clauum euecto, protrita eſt narratio, nec abſque faſtidio repetenda: De Maximo Thrace, incompoſitiſſimo homine in Imperium euecto, res eſt peruulgata. Non erat Italus, ſed Afer Seuerus Pertinax. Scitè tamen in Cæſaribus de eo Auſonius.

Punica origo illi; ſed qui virtute probaret

Non obſtare locum, cum valet ingenium.

Nihil eo fortius, nihil erectius animo, nihil ad gloriam parandam inſignibus trophæis, magis factum. Et tamen Punicus erat, Leptinenſis, regione, *Semibarbara, & poſita in ſolitudine* vt de ea dixit S. Hieronymus, l. 2. in Iouin. Non erat ergo cur Alexandrum Seuerum puderet ſuæ ex vili Syriæ prouincia originis, vt eum puduiſſe ſcribit Lampridius; haud dubie quia Iudæum ſe haberi erubeſcebat, vt verba Lampridij inſinuant. [Volebat (inquit,) videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maximè quod quodam tempore feſto, (vt ſolent,) Antiocheniſes, Ægyptij Alexandrini, laceſſiuerant eum conuitiolis: Syrum Archyſinagogum eum vocantes, & archierea.] Scommata hæc erant intorta in hominem affectu erga Iudæos & Chriſtum non modico, cum offenſione Ethnicorum, qui ei vilem regionem, è qua oriundus erat, Iudaiſmi & Chriſtianiſmi fontem, eadem opera obiectabant. Nullum autem horum fuit legitima erubeſcendi materia. Nam. è Syria, quamvis non ita perpolita regione, ſalus mundi orta eſt; & veri populorum principes inde orti. Quare expolitio & elegantia atque vrbanitas nationis in qua quis natus ſit, imbecillum præbet fundamentum corrupto illi iudicio,

quo

quo pacto ij qui alia ſorte ſunt editi, habentur velut verræ, ad magna quæque inutiles, nec vnquam e cœno natiuo emerſuri.

Immoderatio deſideriorum pro gloria Nationis, frænanda ſeruis Dei.

ATtingenda ſuperſunt voluntatis immoderata deſideria, quæ cordis intemperati partus eſſe aſſirmabam, ideóque agendo de temperatione cordis ſeruorum Dei circa nationem ſuam, omitti prorsùs non debent. Quanquam quod hi affectus ferè voce prodantur, recurret de eorum virulentia ſermo inferiùs; & hic parcius attingi poterunt. Aliqui igitur ſerui Dei pro natione ſua ſolliciti ſunt, ingeſti ſunt in deſideriis florulentiæ regni, & nationis, ad quam pertinent, affectum temperaturi aut etiam commutaturi, ſi Diuum Auguſtinum Epiſtol. 202. audiſſent, reſpondentem Nectario Ethnico, qui pro Calamenſi colonia laborans, eamque homo iam grandæuus florentem ac incolumem relinquere cupiens, eo quod eſſet ex ea prouincia oriundus, rogabat vt vir ſanctus apud præfectos Cæſaris interueniret, auerſum imminentem ei populo vaſtitatem à Cæſaris ira ob erratum non leue quod admiſerat. Reſpondet D. Auguſtinus, tunc duntaxat florere regnum, cum in eo Deus regnat, & ſincerè ac in ſpiritu colitur: cæteros flores regni aut prouinciæ, *non planè fructuum, ſed ſpinarum eſſe.* Et ſenſu quidem mundano, filios ſæculi huius tunc demùm cenſere florere regna & ciuitates, cum Deæ floræ humano pudore litabatur: & pietate ac virtute proſcripta, effuſi in omnem licentiam mortales, nullum dedecus refugerent. E contrario ait Diuus Auguſtinus. [Tollantur iam iſta omnia vana & inſana, conuertantur homines ad verum Dei cultum, moréſque caſtos & pios; tunc patriam tuam florentem videbis, non opinione ſtultorum, ſed veritate ſapientium: cum hæc patria carnalis generationis tuæ, portio fuerit illius patriæ, cui non corpore, ſed fide naſcimur; vbi omnes ſancti & fideles Dei, poſt labores velut hyemales vitæ huius, interminata æternitate florebunt.] Hanc nationis ſuæ florentiam, à ſeruis Dei deſiderari nemo reprehenderit, imò vt eam flagrantiſſimè expectant, iuſtum ac dignum eſt.

Abſunt quàm longiſſimè ab hac compoſitione animi erga nationem ſuam, illi (vt audire volunt) filij Dei, reuera filij ſæculi, qui curam florulentiæ propoſitæ in manica quæ à tergo eſt, ſtatuentes, toti ſunt in deſideriis temporalis fœlicitatis ac præcellentiæ nationis ſuæ ſupra alias; quibus, ſi cum ſuas inimicitias gerere contingat, clades, ac ruinas deſiderant: quodque teterius eſt, inermes ipſi corpore, voluntate tamen & affectu loricati, haſtati, clypeati, in clauſtro cum hoſtibus imaginatione præſentibus confligunt, magna hoſtili ſtrage edita. Deſcribit hos affectu belligeros Gulielmus Pariſienſis, lib. de mor. cap. 8. annumerans eos homicidis, iuxta illud Ioannis *qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Eius diſputatio tametſi longiuſcula, quod ſit fortiſſima, & rem planè conficiat, digna adſcriptu eſt; ſic habet. [Quicquid vis, & non potes (vt ait Ambroſius,) factum tibi computat Deus, ſicut eſt; qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, iudicatur bonus ex voluntate, & non ex poteſtate apud Deum. Sic qui vult occidere & non poteſt, iudicatur homicida propter ſolam occidendi voluntatem. Non enim indiget teſtimonio forinſecorum operum, ſcrutans corda & renes Deus. Nequitia fraterni odij, non eſt facilè explicabilis. Omnia enim armorum genera, omnia venena, omnia fraternæ mortis inſtrumenta, qui fratrem ſuum odit, in corde ſuo collidit, configit, propinat, & in ipſum quem odit fratrem immittit, omnia parat & meditatur. Contra ipſum pugnat ſpiritualiter, millesies in die, transfigit ipſum gladio in corde; & hoc eſt, quoties ipſum in aliquo transfigi vult; millesies propinat ei venenum; & hoc eſt, quoties ei propinare vult illud: millesies exurit eum igne in die; millesies ſubmergit in aqua, millesies omni genere tormentorum ipſum excruciat, & occidit; & hoc eſt, quoties talia ei fieri vult. Et quia genera tormentorum aliorúmque malorum infinita ſunt, nequitia fraterni odij inexplicabilis eſt. Inde eſt quod Reges & Principes qui ſibi inuicem inimicantur, in cordibus ſuis die ac nocte acies præparant, ſagittis, gladiis, machinis, cæteriſque inſtrumentis bellicis pugnant, & tot homines hinc inde occidunt, quot occidere volunt. Nec ſolùm ipſi Reges & Principes hoc faciunt, ſed etiam qui fauent eis iniquè: Et proh dolor, ipſi Clerici, & Clauſtrales, acies in cordibus ſuis præparant, prælia committunt, & ſtragem hinc inde innumerabilium hominum faciunt. Qui enim vult exercitum totum alicuius cadere, & morti dari, iniquo amore vel fauore principis ſui, totius exercitus homicida eſt ſpiritualis. Et hoc eſt quod legitur in Pſalterio, iuxta Hebraicam veritatem; vbi non habemus, *diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius*; Hebraica veritas habet, *Vnctionis butyro os eius: pugnabit autem cor eius.* Hoc modo pugnant corda Clericorum atque Clauſtralium, pro Regibus ſuis atque Principibus; quos vel iniquè diligunt, vel quibus iniquè fauent, vel alios iniquè oderunt. Credit ſe ſedere ſtultus Clauſtralis in clauſtro ſuo, & vt ita dicamus, pugnat in campo; in momento occidit centum millia hominum, imò totum vnius regni exercitum proſternit, & hoc ſola voluntate. Quis hoc crederet, cum tam facilè centum millia hominum occidiſſe, & tam breui ſpatio centum millia homicidia perpetraſſe? Hæc ſunt negotia quæ tractant in ſemetipſis ſtultiſſimi Clerici & Clauſtrales; velut depopulationes vrbium, excidia caſtrorum, ſtrages hominum, imò populorum. Hæc ſunt quibus clauſtrales, viri religioſi inuicem compugnant, de quibus diligentiſſimè & in primis interrogant hoſpites aduentantes, de quibus eos auidiſſimè audiunt. Hæc ſunt quæ ſtudioſiſſimè perſcrutantur nec obliuiſcibiliter retinent: nec mirùm, cum ea inceſſanter repetant.] Nihil addo, quia textus perſpicuus eſt, nec gloſſam depoſcit.

* * *

SECT. I. CAP. X. Circa quæ temperandus Nationis propriæ amor.

SECT. I.
CAP. X.
Circa quæ temperandus Nationis propriæ amor.

§. II.

Voces.

DEduxit nos Gulielmus ad alteram temperationis materiam, cum iudiciis & voluntate ferè ſemper nexam. Ægre enim qui mente & voluntatis affectu corrupti ſunt, ſermones habent puros & incorruptos. Sapor enim mentis in ſermone emitur, iuxta Sanctum Paulinum, Epiſtol. 15. quod aliter dixit Sanctus Baſilius Epiſtol. 41. [Animorum imagines, reuera per ſermones exprimuntur.] Itaque rectè aiebat Gulielmus, pleroſque eorum qui ſeruorum Dei nomen ac veſtem præferunt, ſicut mente & voluntate immoderati ſunt circa negotia ſecularia ſuæ nationis, ita ore & lingua, eadem voluere, nec niſi illa crepare, ſiue genti ſuæ epinicia pangere: non raro ob iactata figmenta Victoriarum, aliàs amplificando minutias verorum euentuum: aſſiduè verò, colligendo rumores nouorum de rebus nationis, quos poſtea effundant in communi colloquio, vel etiam agendo cum ſæculi hominibus; qui plerumque demirantur tantam in ſeruis Dei mundo mortuis & Chriſto concrucifixis peritiam, rerum ab ipſorum inſtituto tantoperè alienarum. Sunt ſanè (neque enim diffitendum eſt, quod nimirum quantum deprehenditur verum;) Sunt qui ſermonibus, vbiuis & quacunque data vel arrepta occaſione, ructant nationem ſuam, & tam indefeſſi eius buccinatores fiunt, vt poſſint haud iniuria cognomentum referre ei conſimile quod inditum eſt Philippo de Coetquis, Archiepiſcopo Turonenſi ex Epiſcopo Leonenſi in Britannia Armorica, vnde oriundus erat, & ſub Felice Pſeudopontifice in Cardinalem promoto: Is enim tametſi externus natalibus, tanto tamen ardore flagrabat erga Res Regis Francorum Caroli VII. vt dictus ſit *Gallus Gallorum*, vt ſcribit Bertrandus Argenterius in Britannica hiſtoria. Similis agnominatio ab Hiſpanica, vel Germanica, aut Anglica, aliáve ſimili gente, in pleroſque aſſiduos in ſermone de rebus nationis, perbelle caderet.

Sermones de rebus Nationis, quàm compoſiti in Dei ſeruis antiquis.

NOn erant huiuſmodi, ſermones antiquorum Religioſorum. Sanè de Sancto Gregorio Thaumaturgo, cum primùm ſeceſſit in ſolitudinem, ſic ſcribit Gregorius Nyſſenus. [Cum ſeſe à forenſibus turbis, & ab vrbana vita penitùs ſeiunxiſſet, in ſolitudine quadam ſecum ſolus ac per ſeſe cum Deo verſabatur, vniuerſi mundi, rerúmque mundanarum paruam curam gerens. Non de Regibus curioſè inquirens, non Magiſtratus excutiens; non ex aliquo commemorante audiens, vt res quæque publica adminiſtraretur: ſed vt animus virtute perfectus euaderet, ſollicitus; ad hoc omni ſtudio per totam vitam contendebat atque enitebatur; ſæculóque omni ac rebus ſæcularibus valedicens.] En germanam ideam ſermonum hominis qui verè à ſæculo receſſerit. Sanctus Chryſoſtomus homil. 70. in Matth. agens de mirabili vita Monachorum ſui temporis, & de ſumma quiete, in qua exigebant ætatem, cum venit ad eorum colloquia, ſic ea deſcribit. [Collocutio etiam eorum, ſimili tranquillitate ornatur; Non enim quemadmodùm nos, alium, principem eſſe factum, alium principatu excidiſſe; mortuum eſſe alium, & hæreditatem illius ad alterum deueniſſe, cæteráque huiuſmodi quæ nihil ad nos pertinent, colloquuntur; ſed de futuris ſemper philoſophantur, & quaſi alium quàm orbem habitantes, quaſi in cœlum tranſlati, ac ibi viuentes, ſic, de cæleſtibus ſemper, de ſinu Abrahæ, de coronis ſanctorum, de ſocietate Chriſti diſputant: præſentium autem apud eos nulla commemoratio, nullus ſermo eſt. Sed quemadmodùm, nos nunquam quid formicæ in cauernis ſuis faciant, dicimus; eodem illi modo, quid nos facimus, nolunt cogitare, ſed de ſummo Rege, de bello aduersùs Diabolum, de fugiendis inſidiis eius, de virtutibus & vita ſanctorum, diligenter meditantur, &c. Monachi Angelis æquales, longè à rebus huius ſæculi abſunt; omnibus enim alio quodam modo quàm nos vtuntur, omniáque ſibi à noſtris aliena ſunt, cibus, indumenta, domus, calcei, locutio; ſi quis verò colloquentes illos & nos audiret, cognoſceret continuò dignos cælorum illos, nos verò etiam indignos terrarum ciues eſſe. Nihil eſt Rex apud eos, nihil præfectus; ſed quemadmodùm nos de puerorum ludo ridemus: ſic illi ſuperbiæ flatum contemnunt, quod inde patet, quia ſi toto eis regnum offeratur, nunquam regnare vellent. Vellent autem, niſi hæc regna deſpicerent, niſi caduca & inania ducerent.]

Mirum non eſt, collaudari in Religioſis à Sancto Chryſoſtomo, hos ſermones: cum alibi, hom. in Calend. ab omnibus fidelibus, etiam ſæcularibus & coniugio illigatis, parem in colloquiis circumſpectionem depoſcat. [Quomodò (inquit,) in cætu verſari propter Deum licet? Si cum aliis ſedens, non de rebus externis diſſeras, neque de his quæ nobis planè perparum aut nihil conducunt: ſed de religione noſtra, de gehenna, de regno cælorum; non autem de rebus inanibus & ſupernacaneis, cuius generis hæc ſunt: Quis Magiſtratum gerit? Quis Magiſtratu abiit? Qua de cauſa hic mulctatus eſt? Vnde ille tantus ſit, & locupletiſſimus euaſerit? Quid ille huic reliquerit moriens? Quomodò ille ab hæreditate abſuerit, cum in primis hæredibus ſe adſcribendum putauerit? ac multa alia his ſimilia. De his rebus autem, neque nos communicemus, neque alios communicare permittamus. Sed conſideremus potiùs quibus dictis aut factis Deo placebimus.] Alibi item, hom. 2. de Dauide & Saule, magnificè celebrata Dauidis in Saulem manſuetudine, addit. [Hæc non ſolùm in animo depingamus, verùm etiam in conſeſſibus inter nos aſſiduè loquamur; has apud vxorem, has apud liberos, frequenter renouemus narrationes. Etenim ſiue de Rege loqui voles, ecce Rex: ſiue de militibus, ſiue de re familiari, ſiue de publicis ciuilibuſque negotiis, videbis in ſcriptura horum omnium magnam copiam. Huiuſmodi commemorationes, maximam afferunt vtilitatem. Impoſſibile eſt enim, impoſſibile inquam, eſt, animum in hoc genus hiſtoriis verſantem, à cupiditatibus ſuperari. Ergo, ne tempus inutiliter conſumamus, néve vitam noſtram fruſtra teramus in nugis, ineptiis, ac ſupernacaneis; ſed fortium virorum diſcamus res geſtas: De his aſſiduè diſſeramus. Quod ſi quis voluerit, aut de ſpectaculis, aut de curſu equorum, aut alioqui de rebus nihil ad te pertinentibus verba facere, ab illa materia fac

eum renoces, & in huiuſmodi narrationem inducas, quo ſimul & purgati animis & voluptate quæ periculo careat delectati, denique ipſi mites ac placabiles erga cunctos malè de nobis meritos facti, ex hac vita migremus, & in futuro ſæculo nullum habentes inimicum, bonis æternis perfruamur.] Apparet, quo loco reponeret Sanctus Chryſoſtomus, etiam in ſæcularibus, ſermones de internecione hoſtium, de cauſis diſſidiorum, de motibus inter gentem, qui etiam ſermones de ſpectaculis ex ſuo genere tunc innoxiis, de electione Magiſtratuum, publicis functionibus excluſos velit. Nec diſſimilem ſermonum ſobrietatem à Cathecumeno, ex quo Neophytus euaſerit, depoſcebat Sanctus Cyrillus Hieroſo. in præfatione Catecheſeon admonens. [Ne ſit deinceps curioſus in rebus vanis, ne quærat quid fecerit oppidum, quid Rex, quid Epiſcopus.] Multo minùs ſineret Cyrillus, hominem baptiſmo initiatum, contra Chriſtianam manſuetudinem eſſe in ſermonibus bellicrepum, nec niſi de nationis commodis aut gloria cum aliarum nationum conculcatione, ſerere colloquia.

Ineptiæ ſermonum de Nationis præcellentia.

SErmones de Nationis ſuæ ſupra alias excellentia, déque omnium ad eandem attinentium præeminentia, ſordent labe Iudaica. Iudæi namque de ſua, (vt Sanctus Paulus nominauit,) conciſione turgentes, præputiatos omnes, hoc eſt, fere alias omnes nationes (perpaucæ enim præter Iudaicam circumcidebantur, vt dictum eſt in opere de ſtigmatiſmo, ſect. 1. cap. 2.) habebant pro canibus: ſua verò omnia, quàm magnificè oſtentabant, vt videre nominatim eſt apud Ioſephum, præſertim contra Appionem, & ea quibuſuis ad alios ſpectantibus anteferebant. Idem vitium in Phœnicibus, & Aſſyriis, ac Ægyptiis, in Græcis ac Romanis, notatum eſt.

Græci protritum eſt quanto typho omnes extra Græcos (Latinis non excluſis,) *barbaros* appellarent, & linguam quoque latinam, dicerent *barbaram*; de qua ſuperbia falſiloquio inſigni cumulata, expoſtulat agens fortiſſimè cum Michaele Imperatore Nicolaus I. Epiſtol. 8. de linguæ latinæ præcellentia diſſerens, quod facit etiam fusè Baronius, anno Chriſti 16. & agens pro eo Andreas Cydonius lib. 2. cap. 14. Eamque præcellentiam agnoſcentes, Conſtantinus Magnus in Synodo Nicæna, & Marcianus in Chalcedonenſi, tametſi ambo Græcè periti, latinè dixerunt; Vt taceam, Epiſtolas Romanorum Pontificum, in Synodis Oecumenicis, primùm latinè legi ſolitas: & legatos Apoſtolicos, tametſi Græcos, tamen latinè egiſſe, vt in Annalibus Eccleſiaſticis eſt annotatum anno 325. anno 431. anno 451. E contrario quàm Themiſtocles, qui Græcum interpretem, ad exponenda Barbarorum mandata, vſum Græco idiomate, obtruncari iuſſit: referente Plutarcho, in Themiſtocle ratus factam linguæ Græcæ magnam iniuriam, adhibendo eam inter loquendum de rebus Barbaricis, & exponenda ſenſa Barbarorum; quo nomine hi Græci, omnes qui è Græcia orti non eſſent, deſignatos volebant, excluſis quoque è Græcorum ſerie latinis, & inter Barbaros numeratis. Nec poſteriores Græci mentem mutarunt. Nam quod Romanis ſæpè deferant, hæc intelligunt de ſeipſis, iactantes ſe Romanos ob tranſlatum ad ſe imperium à Conſtantino. Latiſſimè de hoc vſu vocis *Romanus*, Selden ad Origines Alexandrinas Eutychi Patriarchæ. num. 28.

SECT. I. CAP. X. *Circa quæ temperandus Nationis propriæ amor.*

Apud Agellium, lib. 19. cap. 9. Græculi complures latinam linguam, nullas voluptates, nullamque mulcedinem Veneris atque Muſæ habere, iactabant, contendentes nullum latinorum Poëtarum tam fluentes carminum delicias feciſſe, quàm Anacreon, cæterique id genus Græci Poëtæ exhibuiſſent; præter fortè pauca à Catullo, & pauca à Caluo edita. Nam Næuium implicata, & Hortenſium inuenuſta, & Cinnam illepida, & Memmium dura, ac deinceps omnes rudia feciſſe atque abſona. Græci ergo præ Anacreonte molli & voluptario Poëta, latinis ferè omnes deſpuebant: quantò magis idem præſtitiſſent, collatis latinis Poëtis, cum Homero, quem ipſe Ariſtoteles in Poëtica cap. 6. & 22. Nunc oculatiſſimum, nunc præcipua laude dignum, nunc præ cæteris diuinum appellat? Sed quod hi Græculi, mulcedinem linguæ ſuæ, & latinæ aſperitatem iactabant, cumulandum eſt alia oſtentatione, qua ſuam linguam extollere ob vbertatem & copiam, Græcis ſolemne fuit, latina è contrario ieiunitatis ac paupertatis damnata: In quo tametſi latinorum aliqui dant manus, & palmam Græcis concedunt, vt Plinius, lib. 21. cap. 9. Lucretius, lib. 1. ipſéque Tullius, 2. Tuſcul. & pro Archia. tamen Græcos hac in parte copiam ſuam falsò oſtentare, confirmant alij, ac ipſe in primis Tullius l. 1. & 3. de finib. ſibi contrarius.

Iidem Græci, ſapientiam omnem apud ſe natam iactare ſoliti, allegatis, ſi de Philoſophia morali ſermo eſſet, Socrate; ſi de naturali, Ariſtotele, ſi de vtraque, Platone; ſi de Mathematicis & annexis Archimede, Euclide, Pappo, Ptolomæo, Sarabone; ſi de medicina, Hippocrate: ſi de eloquentia, Iſocrate, Ariſtide, Lybia, Demoſthene, Dione Chryſoſtomo, aliiſque; ſi de hiſtoria, Thucidide, Herodoto, Diodoro, Xenophonte. Hæc priſci Græci. Chriſtianam verò ſapientiam apud ſe regnaſſe & gentem ſuam latinis atque adeò omnibus nationibus ea in parte antecelluiſſe, gloriabundi memorarunt non ſemel poſteriores Græci: præſertim ex quo ſciſſi ab vnitate Catholica per Photium, iugi à Chriſto ipſo impoſiti impatientes, docere, non doceri voluerunt: tanquam quia apud ipſos floruiſſent aliquandò SS. Athanaſius, Baſilius, Nyſſenus, Nazianzenus, Cyrillus, Chryſoſtomus, aliique ſupra numerum aucti; rerum diuinarum ſcientiam haberent veluti vernaculam, & hauſtam è fontibus vberrimis, quorum pauca & illæ alias nationes manaſſent. Eorumdem vanitas in oſtentandis ſuis Ducibus, & rei militaris vſu clariſſimis, ſupra latinos & cuiuſuis alterius gentis Duces, nota eſt ex Plutarcho, qui item iactatam ab eis politicæ ſuæ adminiſtrationis formam, quacunque externa potiorem, non tacuit. Denique in omnibus ſuis rebus putidè extollendis, & aliorum rebus deiiciendis, Græci ſemper fuere ſtrenui, & vix vlli alteri nationi ea in parte ſecundi.

Viciſſim Romani, Græcis aliiſue gentibus concedere de ſapienti Reipublicæ adminiſtratione, de fortitudine bellica, de eloquentia, de linguæ nitore & vbertate, ac denique de omnibus aliis quæ in gente ſua oſtentabant Græci, cenſuere indignum maieſtate ſua, quæ gens togata, *rerum Domina*, audiebat. Græcorum totam Rempublicam ſedentis concionis temeritate, peſſimè

SECT. I. CAP. X. *Circa quæ tẽperandus Nationis propriæ amor.*

adminiſtratam concidiſſe, Tullius orat. pro Flacco confirmat; notans Græcos infirmitatis conſilij, ac præ ſuis Romanis, eos valde depretians. Iidem Romani, bellicam ſuam gloriam, quorumuis Græcorum trophæis eminere, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi, iactare ſunt ſoliti Eloquentiam Græcorum, per comparationem ad ſuam, dixere infantiam: linguam Romanam longè locupletiorem eſſe quam Græcam, Tullius lib. 1. de finib. & 3. Tuſc. gloriatur tametſi eum ſecum pugnare, oſtendunt loca alia ſignata ab Andrea Schotto lib. 4. Tullic. qq. cap. 18. Idem Tullius, Romanos melius omnia quam Græcos inueniſſe, aut accepta ab illis feciſſe meliora, confirmat. Ammianus lib. 4. conclamans longa digreſſione in abuſiones Romam deformantes, hunc typhum Romanum in alias quaſuis nationes, cum vitiis obitum, ita deſcribit. [Illud non dubitatur, quod cum eſſet aliquandò virtutum omnium domicilium Roma ingenuos aduenas, plerique nobilium, vt Homericarum baccarum ſuauitate Lotophagi, humanitatis multiformibus officiis retentabant. Nunc verò inanes flatus quorumdam, vile eſſe quicquid extra vrbis pomærium naſcitur, æſtimant.] Quid putidius his pro gente ſua Logomachiis, quæ ſermones & Græcorum & Romanorum, ſiue viuos, ſiue emortuos, id eſt, ſiue ore fuſos, ſiue ſcriptis commiſſos, toties & tam fœde inquinarunt; Et in pleraſque alias nationes, dùm ſuus cuique nidus videtur potior, & ſol illucens nitidior, turpi cacozelia permanarunt?

Dicacitas alteri nationi vitia exprobrans, cuiuſmodi.

Est aliud vitium longè teterrimum, quod ferè conſequi ſolet hanc non à vino ebrietatē. Nimirum quod notantur in perſonis alterius nationis, certa vitia verbi gratia Græca fides & leuitas, prouerbio locum fecit. Tullius orat. pro Flacco. Nonnulla tribuens Græcis quæ ipſos ſibi ſumere ait, ſubdit. [Teſtimoniorum religionem, & fidem, nunquam iſta natio coluit, totiúſque huiuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant. Vnde illud eſt: Da mihi teſtimonium mutuum; Num Gallorum? Num Hiſpanorum putatur? Totum iſtud Græcorum eſt; vt etiam qui Græcè neſciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant. Itaque videte quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis qua religione dicant. Nunquam nobis ad rogatum reſpondent, ſemper accuſatori pluſquàm ad rogatum. Numquam laborant quemadmodùm probent, quod dicunt, ſed quemadmodùm ſe explicent dicendo.] Polybius, libr. 6. item, tametſi natione Græcus tamen habitatione Romanus. [Apud Græcos ſi cui vel vnum duntaxat, talentum creditum ſit, adhibitis decem antigraphis, totidemque ſigillis, duplóque pluribus teſtibus, fidem non ſeruant.] Iuuenalis iiſdem coloribus Græcos depingit. Cato, in originibus, Græcam mendacitatem quod à ſe ortam Italiam prædicaret, fusè reuincit. Nec refert quod Græca fides quandoque legatur pro certa, vt in illis verbis Auſonij Epiſtola 22. de Philone villico. [Mutuatur ad Græcam fidem.] Et in illis ad Paulum. [Nobiſcum inuenies καταπώνια ſi libet vti, non Pœna, ſed Græca fide.] (Sic enim emaculat eum locum Scaliger, lib. 2. Auſ. lect. cap. 6. Cum paſſim correptè legatur καταπώνια, & ſenſus eſt, dandos eſſe Paulo libros ea lege, vt Græca fide accipiat, id eſt, numerata inter accipiendum pecunia, quod eſt ſoluere Græca fide; vnde illud Clerenæ in Plauti Aſinaria, aſſerenti manus ſuas eſſe occultas, ac credentes quod vident; & idcircò poſtulantis, vt ſibi Græca fide, ϗ ἐνώπιον ſoluatur, poſita in conſpectu, & abſque dilatione numerata pecunia. Hinc liquet, cur dixerim Græcam perfidiam quæ parœmiæ locum fecit, non infringi his locis, quibus Græca fides pro certa ſumitur. Nam haud dubiè valdè infida eſſe aſſeritur ea fides, cui fidendum non ſit, niſi præſente pecunia mera tradatur, excluſis verbis aut ſtipulationibus apud Græcos nullius certitudinis. Et eâ de causâ Græci paſſim, *Impoſtores* audierunt, eo quod Romanæ ſimplicitati aliquandò impoſuiſſent, ita vt Chriſtianus quoque cum notaretur duplicitatis ac verſutiæ, audiret, *Græcus impoſtor eſt*; Quamuis enim initio, vulgus tantùm ſpectabat pallium quod Græci, & eos imitati Chriſtiani adhibebant, tunicæ ſuperimponentes, quod nomine *Impoſtoris* ἐπίθετα deſignabant, tamen literati figuratum morſum in voce ἐπιθέτου intelligentes, infigebant Chriſtianis, ad deſignandam eorum deceptionem & ementitam ſanctimoniam. Ita Diuus Hieronymus Epiſtol. 10. ad Furiam verbis illis. [Vbicunque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de triuio, ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης, vocant Impoſtorem, detrahunt.] Et alibi Epiſtol. 23. ad Marcellam de Vleſillæ ægrotat. [Si tunica non canduerit, ſtatim illud è triuio, *Impoſtor & Græcus eſt*.] Ad quem locum Marianus Victorius, caſtigat Eraſmum, qui Græcum illud ſcomma peruertit.

Non minùs ab externis Græciæ infeſtis, notata eſt Græcorum leuitas: Sanctus Hieronymus Epiſtol. 11. in fine Tullium in hanc rem ſic allegat. [Doctiſſimi quique Græcorum, de quibus pro Flacco agens luculenter Tullius ait: Ingenita leuitas, & erudita vanitas.] Senſum, non verba dedit Sanctus Hieronymus, quod parum refert vel inde conſtat, quod ſcriptores ſacri, plerunque ita allegant alias ſcripturas. Disertè autem ait Tullius, dari ſibi ab Aduerſario, *nullam grauitatem, nullam conſtantiam, nullum firmum in Græcis eſſe conſilium*. Alibi Tullius orat. pro Ligario, Græcos ait leuitate excellere, Barbaros immanitate. Ruſúſque alibi, informans fratrem, Aſiæ Prætorem. [Sic fallaces ſunt (Græci,) permulti, leues, & diuturna ſeruitute ad nimiam aſſentationem eruditi.] In ipſis ſacris hiſtoriis, leuitatis ſæpè notantur Græci, eo quod eiuratos toties errores, incredibili inſtabilitate reſumerent, vt canes redeuntes ad vomitum; quod cum aliàs infinities deprehenſum eſt, tum manifeſtiſſimè poſt Concilium Lugdunenſe Oecumenicum ſub Gregorio X. ac poſt Concilium Florentinum; valdè eam gentis ſuæ inconſtantiam deplorantibus, Gennadio, Baſſarione, & aliis. Idem leuitatis probrum, ſæpè legimus antiquis Gallis inuſtum, vt videre eſt apud Cæſarem, lib. 1. & 4. de bell. Gallic. Tullium, orat. pro Fonteio; Liuium, lib. 10. Senecam, in Gallicenis; Trebellium Bellionem, in Saturnino; atque Vopiſcum. Quæ labes à Petrarcha exacerbato illita; per poſteriores Gallos, excipientes aduerſus profeſſi hoſtis teſtimonium, eſt deterſa.

Simili nationum in nationes dicacitate, Cappadoces, vulgò malè paſſim apud externos audierunt; ita vt

Circa quæ temperandus Nationis propria amor.

vt Cappadocem dicere, perinde videretur, atque denominare improbum, inhumanum, modò abreptum de grege venalium, vt Tullius quoque notat. post reditum notionem nominis *Cappadoc* ſubiiciens tradidit, & plene multis omnino locis Sanctus Iſidorus Peluſiota, lib. 1. ab epiſtol. 483. ad 490. Vnicum adduco locum ex Epiſtola ad Didimum lib. 1. Epiſtol. 281. de Gigantio Cappadoce, [Subdola atque improba, magna ex parte hæc natio eſt. Pace offenditur, contentionibus ac diſſidiis alitur, eundémque dulcis & amari fontem habet. In congreſſu blande ac benignè loquitur, in abſentia obiectat. Fallax eſt, impudens, temeraria, meticuloſa, cauillatrix, illiberalis, verſuta, inhumana, ſuperba, & contumax, in ſecundis amicorum rebus mæſta, in aduerſis læta & inſatiabilis, ſub pietatis larua mulierculas in captiuitatem redigit, atque inſano auri amore Babylonium ſuperat: ad mentiendum procliuis eſt, ad peierandum celer, ac denique qualem habes improbiſſimum ac prorſus exoſum Gigantium, tales; omnes Cappadoces eſſe exiſtima, ac pro certo habe.] *Omnes* ait, eodem ſenſu quo à Pſalte dictum eſt, *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, quia maxima pars erat iniquorum; tunc quidem; nam olim fuerant inter Cappadoces viri ſanctiſſimi, præſertim Sanctus Baſilius & Sanctus Gregorius Nazianzenus, vterque cum ſua familia. Ammonem verò qui hos ſanctos fuiſſe Cappadoces inficiandum exiſtimabat, redarguit ipſe S. Iſidorus, alio loco lib. 1. Epiſtol. 352. In eadem naui cum Cappadocibus, erant apud Grecos aliæ duæ nationes æquè initialem nominis literam habentes κ, nempe Cretenſes & Cilices. Vnde præmia *τρία κάππα κάκιστα*. Qui ad mare habitant, ſiue in inſula intra mare collocata, ſiue in maritima degant, ab externis paſſim mordentur, tanquam morum corruptorum. Et eſt eius morſus fundamentum aliquod, tactum à Platone agente de condenda ciuitate in ſolo vndecunque optimo. Improbat enim maris viciniam. [Profectò (inquit,) mare ciuitati proximum, quotidiana quadam iucunditate eam afficit: Veruntamen vicinitas ea, nimirùm reuera ſalſa eſt atque amara. Nam cum mercibus atque pecuniis cauponando ciuitas repleatur, doloſi animi, inſtabiles, & infidos mores parit. Vnde parum & ipſa ad ſeipſam, & ad gentes alias fidem & amicitiam colit.] Ob conſimilem rationem procliuie eſſe, vt caupones, ad quos plurimi vndecunque diuertunt, poſſint infici moribus hoſpitum, quos excipiunt, receptiſſima eſt perſuaſio: vſque adeò vt non pauci, quibus viſum eſt Rahab hoſpitam Iericuntinam, fuiſſe verè ac in protrito vſu nominis, meretricem, argumentum ducant ex eo quod eſſet cauponaria. Ita Raduchius, & Arias, Ioſue 2. nec non Abulenſis. in cap. illud 2. q. 14. Omninoque cauponas grauari infamia meretricij, contendit Petrus Faber, lib. 2. Semeſtr. cap. 27. confirmatque ex Dione & Philoſtrato. Et ratio non poteſt alia eſſe, quàm quod ex ea tot aduenarum colluuie, facilè ſit inquinari mores cauponatricum. Quanquam quoad Rahab, non eſt inuerisimile, eam non fuiſſe propriè cauponatricem, ſiue latè dictam meretricem; ſed tantùm preſsè vſurpata voce, eo quod faceret corporis copiam, etiamſi hoc vitium non hauſiſſet à cauponatione; cuius eo tempore vſus non erat, vt docet Serarius. in cap. 5. Tobiæ q. 3. Eſto iam compuncta, exceperit hoſpitio exploratores Ioſuanos, eo exceptionis genere, quod Abrahamo & Loth fuit quotidianum abſque cauponatione. Fundamentum igitur corruptorum morum ex confluxu multorum è diuerſis oris aduentantium propter commodam per mare commeationem, quamuis non ſit prorſus inane, non eſt tamen vel certum, vel vniuerſale: cum multi fuerint in inſulis viri ſanctiſſimi, vt Lerinæ, & in Inſula Barbara Lugduno vicina, nec non in Cypro & Sicilia. Vt taceam de Monachis Capratiæ Inſulæ, demorſis à Rutilio Numatiano. Et idem eſt de habitatione in terra maritima, ad quam licet facilè commeëtur ab aduenis, & indigenæ facilè ab ea commeënt aliò, & mores poſſint combibere alienos, tamen non eſt ſolida argumentatio ab habitatione ad mare, ad mores inquinatos, vt liquet ex ſanctitate Ioannis Caſſiani, aliorúmque innumerabilium aliis locis degentium ad mare. Sed ſic habet vſus deprauatus mortalium, malè in maritimos aut Inſulanos animatorum.

Barditatis & ſtupiditatis notati ſæpè ſunt alij, certis locis nati, vt in Bæotia, Batauia, ac Indiis occiduis: quanquam non omnes pari iure. Bæotij ſtupidi apud Græcos ſemper audierunt, vt multis docet Interpres Pindari, in Olymp. & Athenæus lib. 10. dypn. qui eam ſtupiditatem refert ad edacitatem ſummam Bæotorum. Ex quo manauit apud Athenienſes prouerbium, *Sus Bæotica*, teſte Plutarcho, lib. de eſu carnium. Flaccus, Epiſtol. ad Auguſtum, ad aëris craſſitiem videtur referre eo verſu, *Bæotorum in craſſo iurares aëre natum*. Vndecunque autem Bæotiis nota ſtupiditatis ferè prouerbio inhæſerit, non eſſe id probrum genti vniuerſæ iure inuſtum, monſtrat Plutarchi hominis ingenio cultiſſimi elegantia & eruditio, qui tamen Bæotius fuit. Bataui inferioris Germaniæ populis, æquè ſtupiditas & barditas à nonnullis eſt impacta: quo aliqui referunt illud Martialis, *Aurem qui modò non habet* Batauam. Nec rarò Eraſmo id tanquam ſumma impingit Marianus Victorinus in notis ad S. Hieron. iure improbante Molano. Nec fuit cur ipſe Eraſmus, Adag. *auris Batana*, herbam propè porrigeret, quoad antiqua tempora. Melius enim de gente ipſius meritus eſt Raderus ad lib. 6. Mart. Epigr. 57. in primis legit, *Seueram aurem*, non autem, *Batauam*. Deinde ſi *Batauam*, retinere placeat, ait eam vocem idem ſonare quod ſeueram, cenſoriam, & obſcœnitatis inimicam, quæ nollet audire iocos nequam ipſiùs Martialis. Homines quippè in armis ac duriore vita educati, quales eos deſcribit Tacitus, non applaudebant obſcœnis facetiis & acuminibus fœdis Spurci Poëtæ. Itaque tantum abeſt, vt Martialis probro ſtupiditatis notauerit Batauos, vt potiùs mirè honeſtarit. Indos occiduos tantæ barditatis damnant aliqui, vt propterea contendant, magno ipſorum bono potuiſſe captiuos fieri, eo quod eſſent incapaces ad ſe regendos: quod hominum genus ſeruituti natum cenſuit Ariſtoteles 1. Politic. cap. 3. & 4. Negent item eos poſſe effici capaces ſacerdotij Chriſtiani. Verùm titulus ille mancipandi tales perſonas ſeruituti, & omninò inidoneus, vt benè attigit Molina. Tract. 2. de Inſt. d. 105. n. 8. Incapacitas verò ad Chriſtianam initiationem in ſacerdotes, æquè friuola eſt, vt rectè ſtatuit diu inter eos verſatus Ioſephus l. 4. de procur. Indiar. Sal. c. 3. à Coſta, latè monſtrans alibi, l. 1. cap. 8. eorum ineptitudinem, non ab ingenij defectu, ſed à culturæ neglectu, & praua conſuetudine proficiſci: quo ferè modo de ſeruorum ſtupore philoſophatur S. Chryſoſt. hom. 4. in Epiſto. ad Titum.

Iuxta Laxarum Baythium, in Tractatione de re veſtiaria,

SECT. I. CAP. X. *Circa quatl. perandus Nationis propria amor.*

veſtiaria, cum de tunica agit, luxus non ferendi, & mollitiei muliebris notati ſunt Maſſilienſes eo adagio, quod Suidas homine molliſſimo memorat, *E Maſſilia veniſti.* Cui affine eſt illud apud Athenæum, lib. 12. *Maſſiliam nauiga.* Sed eſt calumnia, in Maſſilienſes Gallos malè intorta, cum vibrata ſit in Maſſiliam Mauritaniæ vicinam, vt habet Seruius ad 4. Æneid. Eſtque vrbs Lybiæ non longè ab hortis Heſperidum. At Maſſilienſes Galli, à morum grauitate, frugalitate, & omnibus virtutibus valdè laudantur à Tullio, orat. pro Flacco, Strabone lib. 4. Liuio, lib. 37. Tacito in Agricolæ vita, Valerio Maximo lib. 2. cap. de inſtit. antiquis, & ab aliis multis veteribus.

His probris in exteras nationes quomodocunque vibrandis, abſtinendum eſt, non modò ſeruo Dei temperatè gentem ſuam amanti, ſed etiam cuicunque nuda philoſophica honeſtate prædito. In primis, quia hæc probra in externos, plerunque vulgi potiùs peruerſitate, quàm ſolida veritate intorquentur, ad extollendam ea externorum laceratione gentem ſuam tali probro liberam. Deinde quia in gente, cui exprobratur, multi ſunt labis puri; ad quos diffundere illud probrum, malignitate non vacat, iuxta Patres grauiter damnantes extenſionem probri in vnum aliquem è cætu cadentis, ad omnes alios eiuſdem cætus, vt latè refero in tractatione de Iuda, cap. 17. §. 15. Excuſat hac ratione Gregorius Nazianzenus, orat. 21. num. 15. ſuam Cappadociam, cum grauarètur ſceleribus Georgij Cappadocis in Sanctum Athanaſium: confirmans, Patriam Cappadociam omni pietatis laude claram & illuſtrem fuiſſe, ſed in vinea quoque ſpinam naſci, vt inter ſanctiſſimos Chriſti diſcipulos, repertum eſſe Iudam. Non eſt igitur aliquorum improbitas toti nationi affricanda. Cum & optimi inter malos reperiantur, & ſolo ſuo vitio inter bonos peruersè agant, qui renuunt eos imitari: quod Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſtol. 351. confirmat exemplo Cappadocum, inter quos fuerant homines ſanctiſſimi, ita prouidente Deo; ne vitij cauſa adſcriberetur nationi, cum in propriam cuiuſque malignitatem ab æquis æſtimatoribus ſit referenda.

Expenſa Apoſtoli de Cretenſibus conuitia.

VIdeo opponi poſſe, Apoſtolum, qui ſanctificans verbera Gentilis Poetæ Epimenidis, (vt loquitur Origenes, homil. 31. in Luc.) dixit de Cretenſibus. *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta; Cretenſes, ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Ac ne putetur Paulus retuliſſe tantùm quod Epimenides dixerat, addit ex ſuo ſenſu, *Teſtimonium hoc verum eſt.* Quod addens, ſuam fecit trium infamium probrorum intorſionem in Cretenſes; nempè quod mendaces eſſent, quod ferinis moribus, quod veluti ſues de ſola ſagina cogitarent, quaſi aliud non eſſent quàm ventres; iuxta illud Clementis Alexandrini 2. pædag. c. 1. *homo bucca, homo maxilla, homo venter, homo pudendum.* Et illud Liuilij:

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Nec deſunt qui quartum probrum ab Apoſtolo intortum dicant, diſiungentes duo poſtrema verba, ita vt Cretenſes dicti ſint *ventres* ab ingluuie, & *pigri* ab inertia, & otio quo diffluebant. Ita refert Eſtius, addens tamen ſibi magis placere, vt duæ illæ voces coniunguntur, nec niſi vnicum probrum gulæ iners otium conſequentis deſignent. Perſpicuum tamen videtur, eas voces neceſſariò eſſe coniungendas, quia Græcus Epimenidi verſus, quem Apoſtolus allegat, ſic habet:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Vbi epitheton ἀργαὶ quod vulgatus vertit *pigri*, non cadit in Cretenſes, vt deberet cadere, ſi eſſet probrum ſeparatum, ſed cadit in γαστέρες: nec tam ſignificat vulgo dictam inertiam ventris, (quæ potiùs laudanda eſſet, quum in diuturnis ieiuniis celebretur,) quàm velocitatem & auiditatem eius, vt benè obſeruauit Gulielmus Canterus lib. 1. nouar. lect. cap. 15. Sic ἀργοὶ κύνες apud Oppianum & alios dicuntur, qui alacres ſunt. Et λαθάργος ab inducta celeriter obliuione, denominatur. Sic ergò γαστὴρ ἀργὴ edacem & voracem ſonat, ac iuxta Phauorinum, idem eſt quod γαστρίμαργος: quo nomine Caſſianus lib. 5. de inſt. & coll. 5, cap. 20. & paſſim Græci Aſcetæ poſt Clementem Alexandrinum 2. pædag. cap. 1. ventris furorem, aut inſaniam notant: ita vt non ſit qualiſcunque gula, ſed cum immanitate quadam in eo genere; vt propterea veriſimile ſit, Epimenidem neceſſitate carminis adactum, eliſo per Aphæreſim primo elemento ἀργὰς dixiſſe, quas alioqui dixiſſet μάργας. Quanquam vox quoque ἀργὰς quam adhibuit, eâdem quoque notione poſſit grauidari, vt monſtratum eſt. Ac ne videamur vulgatam interpretationem quatere, *pigritia ventris*, rectè cum voracitate helluonis & ingluuie cohæret, quia per iners otium, carnis cura & auiditas ſaginæ fouetur & acuitur. Vel certè per Antiphraſim dicuntur *ventres pigri*, qui ſunt in eo genere operoſiſſimi, ita vt furere in dapes ac inſanire videantur qui ea probroſa appellatione denotantur. En quali conuitio Cretenſes ab Apoſtolo ſint confixi, vt non hæream in expendendo probro perpetuæ mendacitatis, (quæ quanta ſit macula, monſtratum eſt agendo de veritate; lib. de Æquiuoc. c. 2.) nec in ferina & beſtiali vitæ compoſitione, expreſſa per ſecundum probrum iiſdem Cretenſibus inuſtum ab Epimenide, & ab Apoſtolo auctoritate ſua confirmatum. Si ergo Apoſtolus Chriſti, tam atrocia, támque infamia probra intorquet in nationem integram, eo nomine malè audientem; quid vetabit, ſeruos Dei, cum res fert, talibus dicteriis paſſim receptis, & longo vſu comprobatis, configere externos? Quidni verò plauſtrum illud conuitiorum quod Chiliaſtes Eraſmus initio Chiliadum §. *à gentibus*, aceruauit, liceat diſpergere in quamcunque gentium illarum? *Panus perfidus, Scytha aſper, Scytho-taurus inhoſpitalis, Cretes mendax, Parthus vanus, Tarax bibax, Theſſalus perfidus, Cares vilis, Sybarita faſtuoſus, Mileſius effaminatus Arcas ſtolidus.* Tertullianus quoque à locis *multas gentiles*, (vt vocat,) proprietates eruit; [Thebis (inquit,) hebetes & brutos naſci, relatum eſt Comici Phrygas timidos illudunt. Salluſtius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulſat, mendaces Cretas etiam Apoſtolus inurit.]

Perperam tamen ex facto Apoſtoli, vmbo prætenderetur iniquitati quam exagitamus. Eſt enim diuerſiſſima ratio, eius qui aliam nationem vltrò mordet, alia Apoſtoli, qui Titum conſtitutum Cretæ Apoſtolum, monere adigebatur de genio ac moribus Cretenſium vt ſciret vbi admonenda eſſet curatio, & à quibus malis auertere deberet concreditos ipſius curæ Cretenſes. Eo enim collimaſſe Apoſtolum liquet, ex eo quod præmittit

mittit & ſubiicit ei allegationi Epimenidis, ſic alloquens Titum. *Huius rei gratia conſtitui te Cretæ, vt ea; quæ deſunt, corrigas.* Iis verò quæ deërant ad eorum virtutem conſummandam indicatis, & patefacto genio Cretenſium, propenſo ad mendacitatem atque perfidiam, ad mores ferinos, & agreſtes, ad ingluuiem, & ſaginam; ſubiicit Apoſtolus. *Quam ob cauſam* (quia inquam tales ſunt, quales ex populari eorum Poëta retuli,) *increpa illos durè vt ſani ſint in fide.* Hac ipſa ratione, innocuè quis Concionatorem ſermones ieiunij quadrageſimalis auſpicantem, aut Epiſcopum ſe accingentem ad viſitationem commonet de vitiis in ciuitate frequentibus, vt poſſit medelam facere; non autem ad traducendam ciuitatem, vt faciunt qui protrita ſcommata & lædorias in nationem aliquam iactari ſolitas, intorquent ex mera ſugillandi libidine, reſpergentes totam nationem infamia macularum moralium non leuium, fortè iam exoletarum, aut prorſus deterſarum: fortè nonniſi in vnum aliquem ex ea natione cadentium, vt faciunt quos hactenus exagitauimus.

Defectus culpa vacantes, malè nationi externæ, exprobrati.

MAculæ verò aut probroſæ notæ abſque culpa morali ab aliquibus contractæ, ſed vel ex naturæ conditione, & certa temperatione, vel ex vſu quorundam eſculentorum aut poculentorum alicubi familiari aduenientes, vel denique diuinitus inflictæ maioribus, & ad poſteros diuino iudicio tranſmiſſæ, tametſi ad eos nullatenùs attineat crimen maiorum, illudque deteſtentur; hæ inquam maculæ, prorſus indignè in totam nationem per ſcommata intorquentur; cum etiam in ſingulos quos afficiunt, peruerſè iactentur tanquam opprobria. Exempla ſubiicio. Ex certa naturæ conditione aut temperatione, Æthiopes ſimi ſunt, & colore nigri. Ex vſu aquarum lambentium metalla intra terram abdita; aliqui populi in Æquicolis, & ad Alpes ac Pyrenæos, fiunt & dicuntur *gutturones.* Aliqui aliò eam affectionem referunt, Matthiolus enim ad 1. Dioſcor. c. 93. id refert ad nimiam aëris humiditatem Baccius, & Scortia, l. 1. de Nilo c. 6. & Scaliger Exerc. 60. n. 2. cauſam aſſignant multam cruditatem & terreſtreitatem aquæ illius ortæ ex niuibus liquefactis. Cardanus ad aquarum frigiditatem id refert. At vt benè obiicit Scaliger, ſunt alibi abſque hoc incolarum vitio aquæ frigidiſſimæ, vt in montibus Cartuſiæ. Sunt & alibi aquæ niuales plurimæ, & aër humidiſſimus, abſque eo incolarum incommodo. Itaque cauſa quam aſſignaui, videtur aptiſſima præſertim cum, vt Philander ad lib. 8. c. 3. ad Vitruuium notauit, in illis ipſis montibus, non minùs humidis, nec minùs niuoſis, ſint aliæ aquæ vi contraria præditæ; Et conſtet incolas ei paſſioni obnoxios, ſi eas aquas potare deſinant, gutturis tumorem ponere, qualem Philander ait ſe vidiſſe Cameræ in Sabaudia, qui adoleſcens per biennium peregrinatus, gutturis tumorem ſenſim nec opinans amiſit. Id quod etiam ait Vitruuius de Æquicolis gutturonibus, & Scaliger de iis qui ad Pyrenæos, & in Aruernis ſic afficiuntur. Aſſignat porrò cauſam propoſitam, Philander ad illud cap. 3. Vitruuij Agricola, l. 2. de effluent. è terra c. 5. Fernelius de lue Venerea c. 7. Vt vt verò ſit; id eſt vndecumque ea corporis affectio oriatur, certum eſt eam oriri ex naturali cauſa, abſque vlla culpa gutturonū

SECT. I. CAP. X. *Circa quæ temperandus Nationis propria amor.*

Eorum denique qui abſque propria culpa, diuinitus in pœnam peccati à maioribus admiſſi mulctantur aliqua labe, exemplum illuſtre eſt in illis Anglis qui contumelioſè S. Thomam Cantuarienſem tractarunt, abſciſſa præter cæteras indignitates, cauda iumenti cui inſidebat, vt ſcribit Polydorus l. 13. Angl. hiſtor. Iuſto enim Dei iudicio, omnes poſteri eorum, qui ſic dehoneſtarunt hominem Dei, naſcuntur caudati, hallucinaturque Polydorus, ſcribens, eam probroſam notam, cum familia, cui erat gentilitia, pridem eſſe obliteratam; Hoc malè Polydorus: Nam non ita pridem ex illis vnus cooptatus in religioſum ordinem, cum de via feſſus à ſociis, ad quos appulerat, inuitaretur ad ſedendum, faſſus ingenuè eſt obſtare ſeſſioni vitium illud toti progeniei ſuæ adnatum. Viros eiuſdem ſtirpis, certis teſtimoniis comperi, vt equitare poſſint, cogi habere, pertuſa ſubtus ſedentes ephippia, vt per id foramen ſubeat cauda, eximatque equitantes cruciatu. Et hoc eſt quod ſupra ex Iacob de Vitriaco audiuimus, Anglos in rixa cùm aliarum nationum ſcholaſticis, dictos eſſe caudatos.

Alia pleraque exempla caudatorum hominum annotauit Ioannes Rhodius in Mantiſſa anatomica ad Bartholinum, cent. 6. hiſt. 44. Aiebam hæc indignè exprobrari, & ſiuè obnoxios tali paſſioni, ſiuè eorum nationem vniuerſam, his ſannarum iaculis malignè transfigi, etiam agendo de paſſione diuinitus inflicta ob peccatum maiorum: Nam ſi attendantur qui ea labe deformantur, nulla eorum culpa eſt quod ſic afficiantur. Et quamvis Patres manducauerint vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerint; tamen non eſt pars poſteris in peccato maiorū. Sicut noxa parētalis, quâ omnes naſcimur natura filij iræ, quāvis orta ſit ex vero actuali Adami peccato, & in nobis ſit verum peccatum diſtinctum ab actuali peccato Adami & noſtro; non eſt tamen materia reprehenſionis aut ſannarum; quia abſque culpa actuali patientis, incurritur. Itaque ſicut nemo niſi malè ſanus, exprobrarit alicui quod peccato originis ſorduerit; ita hi defectus, qui merè naturales ſunt reſpectu patientis, & nullo eius actuali peccato contrahuntur; non ſunt exprobrabiles: ne videatur Deo exprobrari, iuxta illud *qui deſpicit,* Hebræa ſonant, *ſubſannat*, ſiuè *exprobrat pauperi,* id eſt, manco & oblæſo, *exprobrat factori eius.* Idque eſſe deuocare in ſe iram Dei cuius prouidentia tale miſeri incommodum tulit, admonet Antiochus hom. 58. Si verò attendatur vniuerſa natio, multò tetrior eſt hæc indignitas: cum præſens natio vniuerſa, multò magis extra culpam ſit; Neque vel ipſa, vel parentes eius, deliquerint, vt eo modo multari debuerint. Mera ergò peruerſitas eſt, ex maledicendi prurigine promanans, à vitio vnius aut alterius familiæ pridem quoad maculam peccati deterſo; totam nationem dehoneſtare.

De aliis item defectibus, qui merè naturales ſunt, fruſtra docerem, non eſſe fundamentum ſannarum gentis vniuersè: quippè cum eam non afficiant, ſed paucos duntaxat: nec ea ſit exprobrationis materia, ſed ad ſummum commiſerationis. Certè ſimitas & nigredo faciei, tantùm ab eſt vt in aliquibus oris probro ducatur, vt potius ſit in honore; Quod de ſimitate, notaui tractans de breuitate ſect. 3. n. 7. De nigredine verò; teſtatur narratio de ſimulachris exquiſitè nigrefactis apud Turſellinum in S. Xauerij hiſtoria.

SECT. I. CAP. X. Circa quæ ſit ſperandus Nationis propria amor.

Scripta nationem propriam ſupra iuſtum efferentia, meritò improbata.

DE viua voce & neceſſaria ſermonum ſerui Dei temperatione, ne affectu erga nationem inquinentur, non plura hoc loco. De ſermonibus verò, (vt ita dicam,) mortuis, ſiuè de ſcriptionibus, quibus quis de rebus nationis ſuæ, cum procul poſitis, ac etiam cum futuris loquitur, eadem ratio eſt: cum non ſit dubium, aliquos ea in parte prolabi, nec tam imponere aliis, quam ſe ac gentem ſuam deridendos præbere. Sunt qui Flauio Dextro S. Paciani filio, notam inurant ex hac parte; Nam eius Chronicon, pleriſque ad gentis gloriam confictis narrationibus ſordere, nonnullorum fuit exiſtimatio: qui vt à tanto viro præfectura prætorij claro, mendacitatis notam amolirentur, opus nuper eius nomine editum, inficiantur illud eſſe, quod S. Hieronymus l. de ſcript. in Flauio ſibi à Flauio inſcriptum retulit, ſed à Simio quopiam recens formatum ac Flauio ſuppoſitum aſſerunt. Legi qui Ludouicum à Cerda in ſuſpicionem huius ſuppoſitionis vocaret. Has gerras, Franciſco Biuario pro illius Chronici, quod nunc extat, genuina Flauij fætura certanti, euerrendas dimitto. Olaus Magnus gentis ſuæ res deſcribens, multorum indicio, non eſt illimis: ſed non paucis ſupra verum amplificatis, nonnullis etiam ad conciliandam admirationem excogitatis, vel nimia credulitate ſcripto commiſſis, viſus eſt eorum quæ vera narrat eleuaſſe fidem, & in illud Senecæ l. 7. natur. cap. 16. de Ephoro indicium incurriſſe. [Non magna demolitione detrahenda eſt autoritas Ephoro. Hiſtoricus eſt. Quidam incredibilium relatu, commendationem parant, & lectorem aliud acturum, ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes ſunt; quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet: Illi non euitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione; quæ approbare opus ſuum, & fieri populare non putat poſſe, niſi illud mendacio aſperſit.] At qui non tantùm in deſcribendis rebus naturalibus in regione ſua viſendis exercent ingenium, veras hiſtorias, quales Lucianus edidit obtrudendo; ſed etiam in Actis Sanctorum ſuæ nationis exarandis, admirationi lectorum velificantes, cramata conſultò faciunt, culpa ſe inquinant, digniſſima omni deteſtatione; quam noxam ſuis ſacrarum Hiberniæ hiſtoriarum ſcriptoribus à maleuolis, ob quædam ſupra communem morem in eis tradita, deficiat validè, eiuſdem gentis pius ac Doctus Scriptor, alibi adductus, nec abnuit Bollandus. Ex hac parte, non nemo, (etiam eiuſdem cum autore nationis) continuationem Annalium Eccleſiaſticorum, tribus grandibus voluminibus productam, ob nimiam ſcriptoris propenſionem in gentem ſuam, hiſtoriæ potiùs Nationalis, aut legendæ aureæ titulo inſcribendam, pronunciauit. Et negari vix poteſt, quin autori de primæua indifferentia circa nationes, déque abſtractione à materia, quas in Breuiario prodiderat, aliquid deceſſerit, ex quo, gradu celſior, auctioris indidem ſortis ſpem concepit.

§. III.

Opera.

A Cordium & vocum in ſeruis Dei temperatione circa nationem ſuam, veniendum eſt ad ſubiunctam prædictis temperationem operum. Vbi conſideranda tantum habemus quæ ſpectant ad modum agendi cum eiuſdem inſtituti religioſis externis, per excluſionem externorum, ſiuè a communi cum indigenis habitatione, ſiuè à participatione domeſticorum munerum honorificorum, præſertim rectionis aut per malam eorum tractationem ac vexationem, à Religioſis indigenis. Quæ verò temperanda ſunt Religioſo in operibus circa Principem aut Remp. attingemus proximè ſequentibus capitibus.

Aduenarum regularium ne cum indigenis degant, ſepoſitio cuiuſmodi.

EXcluſio quoad habitationem, obtigit S. Columbano, vt ſupra ex credito Beda, (reuera ex Iona,) retulimus: indicata obiter vera cauſa excluſionis ſancti viri, quæ fuit; quod Chriſtiana libertate, gladium linguæ ſtringeret in Regias ſpurcitias. Brunichildis enim, Regis auia, ne amoueretur à clauo, & vt omnia ſemper ad nutum diſponeret, abigi pellices è Regia vetabat: ne inducta coniuge legitima, mulier negotioſa, & regendi auidiſſima, tecedere ab aula cogeretur. Quod ergò S. Columbanus, intrepide conſiliis nefariis Brunichildis obſiſteret, & Regem argueret, vt non eſt nequitia ſuper nequitiam mulieris, quæſita eſt excludendi ſancti viri non cauſa vt cauſa. Inſimulatus enim eſt, quod contra vſum gentis, renneret, penetralia cœnobij à ſecularibus liberè adiri, & omnia in Domo Dei patere omnibus. Hoc ille, ſanctè & prudenter faciebat, ſatis gnarus res ſacras nimia vulgatione vileſcere: & è contrario, impiis quoque ſacris Ethnicorum venerabilitatem eſſe conciliatam, obductione ſipariorum & ſilentij ſecreto, vt aduertit Tertullianus l. contra Valent. cap. 1. Itaque cum Rex expoſtularet, eam ſecluſionem ſecularium à cœnobij penetralibus, eſſe contra gentis ſuæ vſum, cui vir Dei accommodare ſe nollet, iuſſit eum tanquam externum, regni ſui finibus exturbari, & ad Hyberniam, vnde venerat, remitti: Et quanquam regreſſus in Hiberniam irritus abiit, Deo ſeruum ſuum ad alias oras in magnum gloriæ ſuæ & ſalutis animarum accrementum deſtinante: tamen excluſus regno eſt, & à ſuis qui indigenæ erant, auulſus, temeritate quæ Regi carò ſtetit, vt in Actis ſancti viri diffuſiùs narratur. Et poterat ſanè Rex implacatus, & ex falsò illo prætextu exilium homini Dei infligens, compellari eadem oratione qua S. Auguſtinus hom. de natali S. Cypriani exilium S. Cypriano impoſitum, negat fuiſſe exilium. [Quo enim ipſe mitteretur, vbi ille non eſſet, propter cuius teſtimonium mittebatur? Chriſtus ergò qui ait, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſaculi*, in omni loco membrum ſuum excipiebat, quocunque furor inimici pellebat. O ſtulta infidelitas perſequentis; ſi quæris exilium quo Chriſtianus iubeatur ire, prius, ſi potes, inueni, vnde

Chriſtus

Ch iſtus cogatur exire. De patria tua (*literulam immuto, ſeruiens rei præſenti,*) in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Chriſto nunquam exulem, in carne vbique peregrinum.] Breuiſſimè æque ac optimè S. Chryſoſtomus hom. 7. de pænit. [Neque alienigenam eum quis facere poterit, qui omnem ſub ſe terram habuerit.]

Facta à poteſtate publica, interdum labe vacat.

VSus hic externos Religioſos arcendi habitatione, & eos vel in ſolum genitale ipſorum ablegandi, vt à Theodorico factum circa S. Columbanum; vel aliò quo res feret, dummodò ab indigenis ſecernantur, aut ſæculari autoritate exercetur; aut ipſorum Religioſorum indigenarum machinatione, per capita populorum, cætuſvé Religioſi moderatores curatur. Cum principali mandato, non extorto, aut emendicato res agitur, timendum eſt ne cauſam edicto dederint aliqui negotioſi, iis tractandis ſe ingerentes, quæ eorum potius fuerat refugere. Quia enim regna, ex vſu loquendi ſcripturæ, donantur nomine *Virginum*, vt cum dicitur, *Virgo filia Sion*, *Virgo filia Babylonis*, *Virgo filia Ægypti*, *Virgo filia Sidonis*, atque adeò cuſtodiuntur & curantur vt virgines: mirum videri non debet, ſi religioſi externi, veſte tenus à ſæculo ſegreges, reipſa autem ſupra ipſos ſæculares cæno rerum ſæculi infixi, cum ſe improuidè ingerunt in publica negotia, ſuſpiciones aliquandò moueant, ob quas iubeantur arceri, ne fluſtrum publicæ tranquillitatis quoquomodo perturbetur. Nec qui ea de cauſa excluduntur, habent quod iuſtè expoſtulent; cum cuique ius ſit, ſecuritati & tranquillitati ſuæ conſulere, ad quod conferre poteſt talium externorum excluſio. Imo eandem ob cauſam, quamvis Religioſi externi abſtinerent omni negotiatione politica, & ſibi ſolis in Dei obſequio quietè viuerent; tamen abſque iniuſtitia arceri poſſent, ſi ea acciderent tempora, vt ob opiniones præliorum cum alia natione, ad quam Religioſi illi externi ſpectant, videretur cum eis excludendus omnis metus, ne faſcinati amore gentis ſuæ, aut clanculum ſubneruarent corda eorum inter quos degunt, aut per ſe, vel per occultos hoſtilis partis ſequeſtres, (qui vix vnquam deſunt), renuntiarent quæ expedit latere hoſtes, vnde damnum aliquod Reipublicæ eos fouenti creari poſſet. Nam & Rex Achis, 1. Reg. 27. & 28. Danidem profeſſus haberi à ſe virum bonum, quod tamen Satrapis non placeret eum adeſſe, & in illum ſiniſtris ſuſpicionibus agitarentur, voluit eum ſecedere. Nec falſos eſſe ſuſpicione ſua Satrapas, monſtrarunt ij quos Dauid non abſque graui culpa & perfidia, vt vt eum purgent aliqui apud Pinedam, l. 1. de Salom. cap. 3. num. 18. irruens non viuificabat; manifeſto argumento, etiam à piis & probis viris, timeri poſſe, cum feruent bella aduersùs nationis amor latens ſub cineribus, quin afflatu aliquo redaccendatur, & redaccendendus eſſe, timeri poſſit. Quare ea externorum per externos excluſio, in euentu propoſito, innoxia habetur, nec prætergrediens fines iuſti timoris ſecuritati publicæ conſulentis.

Confirmati iſta poſſunt ex doctrina Luiſij Turriani 22. d. 19. dub. 1. atque Molinæ, tract. 2. de iuſtit. d. 105. qui rectè contra Victoriam 2. p. relect. de Ind. Inſul. initio aſſerunt, nationem aliquam, vt ſibi caueat, poſſe interdicere ſuis, omni commercio cum externis; & vetare extraneis, ne ad ſuos accedant; vel ne portus ſuos ſubeant, præſertim ſi videat eos eſſe potentes. Timere enim iure poteſt, ne ex ſubitione externorum in portus ſuos, patiatur damnum, vel oppreſſa ab illis, vel inquinata ciuiliter, & abducta à ſuis legitimis vſibus. Nec refert quod Victoria opponit, nempè iure gentium fas cuique eſſe peregrè proficiſci, & illhuc degere, vbi ſibi cenſuerit opportunum; nec non exportare ſoluto pretio, quæ alicubi ſunt ſuperflua, & importare quæ deficiunt; portus item & flumina ſubire, tanquam omnium iure gentium communia. Hoc nego referre, quia quamvis ex ſe, omnia illa eſſent quorumcunque communia; tamen ex quo inducta eſt diuiſio prouinciarum, vnaquæque prouincia tam eſt domina terræ & aquæ quæ ipſi poſſidenda obtigit, quam priuatus quiſpiam ſit Dominus rei ſuæ: atque adeò prouincia quælibet, poteſt, & terræ, & vndæ adhærentis continenti, participatione prohibere externos, ſaluis legibus charitatis in extrema aut graui ipſorum indigentia. Potes item licitè nolle habere cum illis commercium, & vetare ne ſua ſuperflua aliò exportentur, vel deficientia importentur; quibus quidem abſque extremo, vel graui incommodo carere poſſit. Hæc omnia rectè ſtatuunt DD. prædicti. Atque adeò, ob ſimilem ſecuritatis ſuæ & morum antiquorum retinendorum cauſam, ſi neceſſe ſit Reipublicæ, externos Religioſos excludere, nihil vetabit quominùs eos item excludat. Neque enim hic eſt ſermo de iis Religioſis qui venirent annuntiaturi Euangelium, alicubi nondum auditum. Hos enim iure collato à Chriſto omnem in terra poteſtatem nacto, poſſe velle ſubire portus ac terras; nec excludi poſſe abſque fidei iniuria; huncque eſſe poſſe ſufficientem titulum inferendi bellum iis qui Euangelij tubicines obfirmatè excluderent, dictum eſt ſuo loco. Sed vt dixi, hic non agimus de tali excluſione, ſed tantum de ea quæ fit abſque iniuria fidei, & poteſtatis ad eam inferendam collatæ à Chriſto, vniuerſali terræ ac maris Domino: atque ita ſi per aliquod nubilum, contingat Rempublicam cenſere excludendos eſſe Religioſos externos, erit hæc illis materia patientiæ.

SECT. I CAP. X.

Circa quæ temperandus Nationis propriæ amor.

Quam tetra & acerba, ſi artibus domeſticorum, curetur.

AT gemendum eſſet, imò omni deteſtatione proſequendum, ſi contingeret; Religioſos externos, tantum quia externi ſunt excludi agentibus eiuſdem cætus religioſis, ad ſplendidas functiones fortè per externos aptius obitas anhelantibus, aut alia reproba de cauſa, ex qua Iacob per profanum Eſau ablegaretur, vel ablegari curaretur. Augeſceret ſanè excluſi dolor & iniuria, illo ipſo ex capite, ex quo Chriſtus de proditione à domeſtico fidei perfidè ſtructa, per Pſaltem expoſtulabat. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.* Hiat oratio, quia non videtur occurriſſe Prophetæ quomodò ſatis ſe expectoraret, & truculentiam ac malignitatem domeſticæ proditionis aperiret. Alibi verò pſal. 40. ſonantibus & grandibus verbis, in eundem ſcelerum

verticem

SECT. I. CAP. X. *Cruciatus exaſperandus Nationis propria amor.*

verticem conclamat, dicens; *homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Hebræa habent, *leuauit contra me calcaneum ſuum*: quæ voces ferunt impactos incogitanti calces, vt muli indociles faciunt; Acriorem doloris ſenſum ex ea per domeſticos vexatione inferri, S. Gregorius ſic confirmat. hom. 35. in Euang. [Minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur. Plus verò in nobis ea tormenta ſæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus, quia cum damno corporis, mala nos cruciant amiſſæ charitatis.] Haud aliter, ex hac agendi ratione grande ſibi creatum cordolium. profitebatur S. Baſilius. hom. 29. [Facti ſumus (aiebat,) vnuſquiſque apud ſeipſum, velut arena non coniuncti inter nos, ſed ſinguli per ſe diuiſi.] Et ſcilicet, vt poſtea ſubdit, alter alteri, frater fratri ſtruentes calumnias. Quantum verò id ſit luctus argumentum his flebilibus modis effert, aurea illa (vt Niſſenus appellabat,) doctrinæ luſcinia. [Impedit orationem meam memoria illa rerum triſtium ad cor decurrens, & lachrymæ procidentes vocem intercipiunt, cum cogito quod charitate & pace nobis à Domino relicta, non quærimus id quod relictum eſt. Inconſpicuum eſt donum quod in nullo reperitur. Charitas relicta eſt, & pugna inter nos verſatur: vnio data eſt, & odium accenſum eſt. Magnum odij rogum inter nos mutuò accendimus. &c. Quis dabit mihi theatrum, vniuerſum orbem terrarum, & vocem tuba validiorem, & lamentationes Hieremiæ, & lachrymas largas ad dirumpendum cor doloribus contritum, vt diffundamus puluerem nunc ex ignominia nobis aſperſum vt deploremus communem calamitatem, quia defecit charitas radix ipſa mandatorum?] Hæc tam tragicè à S. Baſilio deplorata, iudice S. Bernardo ſerm. 29. in Cant. in illas ſponſæ querelas recidunt *filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Miratur Bernardus, ſponſam tantoperè ab exteris paſſam, ſæpè à iuuentute expugnatam ab aliis atque aliis externis hoſtibus, ſolius pugnæ ſibi à matris eiuſdem filiis excitatæ, meminiſſe. Demùm admirationem ita depellit. [Ita ex nomine ac ſola, exprimitur perſecutio à domeſticis, & tacentur tot & tam grauia quæ vbique terrarum nihilominus ex omni natione quæ ſub cælo eſt, ab infidelibus, ab hæreticis, & Schiſmaticis pertuliſſe cognoſcitur. Noui ſponſæ prudentiam, nec putauerim caſu hæc illam, aut quaſi immemorem præteriſſe. Sed profectò id expreſſiùs plangit, quod & ſentit differentiùs, quodque vigilantiùs nobis cauendum exiſtimat. Quidnam hoc? Malum vtique inteſtinum atque domeſticum. Hoc ſibi manifeſtè in Euangelio ore ipſius Saluatoris exprimitur, cum dicit; *Et inimici hominis, domeſtici eius.*]

Dicuntur hæc omnia ab iſtis Patribus, de fratre à fratre circumuento, agendo tantum de fraternitate Chriſtiana; quæ omnibus baptiſmo initiatis, intercedit cum quibuſvis ſimiliter initiatis; ipſo quoque *fraternitatis* nomine teſtata, frendentibus licet Ethnicis, vt Tertullianus, c. 39. Apol. ac Minutius in Octauio referunt. Nec diffitentur ſapientes noſtri, eadem cordolia à domeſticorum & fratrum proditione longè vehementius cruciatura, ſi par malignitas inter Religioſos homines, tametſi diuerſi inſtituti, nec niſi veluti generica religionis copulatione vinculatos, adhibeatur. Nam adhiberi aliquando, vtinam liceret diffiteri, idque ſibi per mirum accidere, conteſtatur Philippus Abbas Epiſto. 10. *ſub finem* S. Bernardi æqualis. Et tunc attrectatur illa admirationis cauſa, qua ſe perculſum fatetur Origenes, hom. 8. in Iudic. quod filij Orientis, filij lucis, & de regione tenebrarum tranſlati, dicantur admiſti Madianitis, & Amalecitis ad impugnandum Iſraelem. [Eſto (inquit Origenes), conuenerint aduerſum Iſraël Madianitæ, qui interpretantur, *extra iudicium.* Eſto iſti conuenerint aduersùm Iſraël, qui extra iudicium Dei ſunt; & qui extra legem peccauerunt, & extra legem peribunt. Eſto conuenerit & Amalec, qui & ipſe interpretatur, *populus ablingens.* Eſto & hæc natio terrena & ventri ac gulæ dedita, impugnare venerit Iſraël. Quid eſt hoc, quod etiam filij Orientis, his admiſcentur, & cum ipſis ad impugnandum Iſraël venire dicuntur?] Iure demiratur, Religioſos tametſi alterius inſtituti, tamen Religioſos; de Religioſis obloqui, eos lacerare ac vexare, & ſi ſe det occaſio, excludere, vel curare excludendos. Quam iſtæ Religioſorum per Religioſos inſectationes, ac in eos à talibus curatæ vel expromptæ violentiæ, ſæcularium offenſionem moueant; qui in Religioſis tametſi inſtituto & habitu variantibus, cor vnum & animam vnam, tanquam in vnius ſummi Patris filiis deprehendendam putabant, notauit egregiè S. Bonauentura, q. 20. ad Regul. S. Franciſci.

Hæc igitur ſi tetra ſunt & horrenda, cum occurrunt inter perſonas vel ſolas Chriſtiana neceſſitudine deuinctas, vel diuerſis ſacris inſtitutis Deo militantes, quantò horribiliora & tetriora haberi meritò debebunt, ſi inter eiuſdem inſtituti Religioſos audiantur, ita vt vnus alteri per calumniam creet periculum, vnus alterum, quia externus eſt, curet extrudi, & alio ablegari? Quid hoc ſit, exponat Richardus l. de gradib. charit. c. 4. [Heu in quos fines, imò fæces ſæculorum homines deuenerunt? Cum, vt de ſæculi hominibus taceamus, quos excæcauit ambitio, ipſa Religionis electio, noſtro miſerabili tempore, tanta diuiſione ſpargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, niſi fortè aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius. Vbique apparent ſciſſuræ ciuitatis Dauid, & in tantum iam hiant, vt vicinam ruinam omnino minentur. Seruatur ſub tunica vna, & veſte ſimili, cor varium & omnino diſſimile: ita vt de religione antiqua, vix ſigna ſeruentur; & venientibus ad ſepulchrum Domini, quod clauſtrum eſt; & Chriſtum quærentibus, ſola linteamina pateant, id eſt, habitus forma.] Optabat medullitùs fratribus ſuis, Richardo coniunctiſſimus S. Bernardus ſerm. 29. in Cant. alium ſpiritum, quo imbuti præcluderent ſibi inuicem occaſionem expoſtulandi atque dicendi; *Amici mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt.* Et addit. [Longè ſemper à vobis quæſo facite hoc tam abominabile & deteſtabile malum, vos qui experti eſtis, & quotidie experimini, quam bonum ſit & quam iucundum, habitare fratres in vnum: ſi tamen in vnum, & non in ſcandalum: alioqui nec iucundum planè, nec bonum, ſed peſſimum ac moleſtiſſimum. Veh autem homini illi, per quem vnitatis vinculum iucundum turbatur. Iudicium profectò portabit, quicunque eſt ille. Ante mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam iuſtè clamitantem: filij matris meæ pugnauerunt, contra me. Nonne præſentis Congregationis tanquam vnius matris, filij, omnes vos eſtis, ſinguli alterutrum fratres; Quid ergò à foris vos conturbare aut contriſtare poſſit, ſi intus benè eſtis, & fraterna pace gaudetis?] Optime & conſentaneè ad ſenſum anteriorum SS. Cypriani, l. de vnit. Eccleſ. initio Nazianzeni, orat. 1.

atque Chryſoſtomi: orat. de S. Ignat. quorum hic, eundem fuiſſe ſanctorum Apoſtolorum ſenium affirmat: Idémque alibi in pſal. 49. quod hæc fratris à ſpirituali fratre diuexatio, acerbior & atrocior ſit, quam ſi inferretur ab externo, ac etiam ſi à fratre ex eadem aluo corporea genito exiſteret, pulchre confirmat tractans illud Pſalmi, *ſedens aduerſus fratrem tuum loquebaris*, quod ſuperiùs plenè eſt illuſtratum.

Quando excluſio externorum à ſede indigenarum, poſſet eſſe fratribus innoxia.

HÆc quæ de excluſione Religioſorum externorum per indigenas eiuſdem inſtituti Religioſos ſunt diſputata; accipienda ſunt de ablegatione externorum à communi habitatione cum indigenis; facta ideircò tantum quia externi ſunt, ex mera indigenarum in nationem ſuam propenſione, & auerſione ab externis. Aliud verò ſtatuendum eſſet, ſi ea occurrerent tempora, vt præ multitudine indigenarum & annonæ difficultate, non ſuppeteret facultas ad externos ſimul & indigenas æquè idoneos ac benè meritos, retinendos. Tunc enim cæteris paribus, anteferri abſque labe poſſent indigenæ. Qua ratione videmus in magna annonæ caritate, & publica penuria, excludi, vel non admitti externos; quod Lorca 22. d. 57. de charit. num. 19. ſolita acritudine damnat abſolutè, nec admittit Laurentius à Villauicentio in Oecon. pauper. c. Sed poſſe fieri abſque peccato, cenſent Becanus, tract. de charit c. 21. Layman, l. 2. tract. 3. c. 6. num. 3. Ioannes Medina, c. de elem. q. 7. & 8. atque Valentia: q. 9. de charit. p. 7. qui rectè admonet, attendendas eſſe diligenter circumſtantias; & cauendam ſcandali ingenerationem, ſeruandamque ſollicitè eſſe curam communis boni, quæ aliud poſceret, ſi indigenæ, (in quorum gratiam excludendi eſſent aduenæ probatiſſimi & Reipub. perutiles), eſſent eiuſmodi, vt etiam ceſſante penuria, excludendi meritò videri deberent. Qua ratione Ammianus, lib. 14. pro magna abſurditate ponit, quod cum peregrini ob formidatam alimentorum inopiam, extruderentur ex vrbe, etiam diſciplinarum liberalium Magiſtri; mimarum tamen examina retinerentur, & tria millia ſaltatricum cum choris, totidemque Magiſtris. Hanc ille meritò cenſet indignitatem, quæ vrbem quondam virtutum omnium domicilium, miſerè dehoneſtaſſet. Id verò eſſe videtur, quod in retentione indigenarum excluſis externis, rationem habendam eſſe communis boni pronunciabat Valentia. Sine dubio enim, commune bonum non patitur excludi externos adeò publicè vtiles, aut etiam neceſſarios, vt ea fæx indigenarum noxiorum, retineatur. Penes propoſita capita aut eorum aliquod, quæ deficere ſupponebat, excluſionem peregrinorum difficilibus temporibus, vt inhumanam, damnat S. Ambroſius; 3. offic. c. 7. non refragaturus, ſi cæteris paribus, indigenæ eſſent obiiciendi tribulationi, vt eſſet externis remiſſio. Simili item de cauſa, videmus, improbante nemine, imò omnibus exquiſite collaudantibus variis locis ſtructa eſſe Xenodochia, & Noſocomia, & Collegia, ad vſum peculiarium nationum, excluſis externis, ad quorum ſuſtentationem domus illæ impares eſſent vnde externi non admitterentur abſque diſpendio indigenarum, pro quibus domus illæ conſtitutæ ſunt. Dictum eſt de huiuſmodi nationalibus locis, ſuperius cap. 1. eaque quoad vrbem Romam vbi abundant, fusè expoſuerunt, Stephanus Fanuccius, & Theodorus Amydenus, vterque in opere de Romana pietate. SECT. I. CAP. X. Si ea quæ temperandus Nationis propriæ amor..

Similiter ergò in Religioſis cœtibus, ſuppoſito quod non eſſet, vnde externi ſimul cum indigenis ſuſtentarentur, & omnia eſſent vtrinque parca, nihil eſſet quod dehoneſtaret ablegationem externorum eiuſdem inſtituti religioſorum, in loca quorum ſunt indigenæ, aut aliò, vbi non grauarent indigenas ad quos appellerent. At excluſio in quam inquirebamus, non erat huiuſmodi. Agebamus enim de excluſione Religioſorum externorum, facta ab indigenis & domeſticis, aliud non cauſantibus, quam quod ſint aduenæ; ſiuè ea excluſio fieret per violentiam domeſticam, nec profectam aliunde, quam ab eiuſdem inſtituti profeſſoribus; ſiuè fieret curata à domeſticis indigenis violentia publica: nempe inducta ad excluſionem indicendam aut approbandam ſæculari autoritate. Quo cum deuenitur, dici ad veritatem poteſt, non omnem qui ſe Religioſum dicit, aut habitu Religioſo induitur eſſe reuera Religioſum. Sicut iuxta Apoſtolum, Roman. 2. non omnis ſtigmate circumciſionis notatus, & ſe Iudæum externa ſpecie prontens, Iudæus reuera erat.

Externorum à publicis domus muneribus excluſio, qualis eſſe debeat.

IAm excluſio Religioſorum externorum à publicis muneribus Religionis, non eſt admetienda vſui Reipublicæ ſæcularis. In hac enim haud abs re præfecturæ ac præſertim ſublimiores, poſſunt addici ſolis indigenis, ſi ita ferat vſus, aut lex alicubi poſita & vigens. Sicque præſtare, Regem eſſe eiuſdem gentis, excluſis externis, affirmant S. Thomas 22. q. 63. art. 2. Abulenſis, in c. 22. Matth. q. 119. Soto, 3. de Iuſt. q. 6. artic. 2. Ledeſma, 2. p. q. 18. artic. 2. dub. 9. & paſſim tractatores Politices. Et ipſe Deus exemplo præiuit, mandans Hebræis, ne alium ſibi deligerent Principem quam gentis ſuæ. Cauſas exquirit Philo, initio libri de creatione principis. Conſiliarios item, cæteris paribus, præſtare aſſumi ex indigenis, probat Ioannes à Cochier l. 3. aphor. pol. c. 6. notatis variis exemplis infortuniorum ex contrario vſu. Et ob non diſſimiles cauſas, pleriſque loci exteri *abſque iniuria*, arcentur à ſacris præfecturis, Eccleſiaſtico ſeculari committi ſolitis, vt notat Gulielmus Benedicti, v. *& vxorem* ad c. *Raynucius* de Teſtamentis, nec non à Beneficiis Eccleſiaſticis, in quam rem videndus Selua de benef. p. 2. q. 23. n. 60. ac fuſiſſimè Ioannes Angelus Boſſius in Moralibus variis tit. 7. §. 2. *à pag.* 782.

Nimirum plerunque, qui ſunt ex eadem natione, opportuniores ſunt & aptiores ad functiones illorum munerum. Quin etiam intra eandem nationem pluribus prouinciis conſtantem, præſtat non alibi aſſumere in præfectos, qui ex aliqua prouincia ſunt: ſed in ſola prouincia vnde ſunt oriundi; vt de Cappadocibus extra Cappadociam non præficiendis, pronuntiat S. Iſidorus Peluſiota. lib. 1. Epiſto. 489. Negabam ergo vſum ſacrorum cœtuum, eſſe admetiendum ad hanc praxim ſæcularem, cum libera eſt per ſæcularem poteſtatem diſtributio Religioſorum munerum. Nam quæ propoſita ſunt, valent in Republica ſæculari, ob varietatem circumſtantiarum, & longè aliam ſubditorum

SECT. I. CAP. X. *Contra quæ operam ut Nationis propriæ amor.*

to um conditionem. Et in ea quoque non rarò peccari hac in parte per aliquos genij canini nolentes alios capere quæ ipſimet non capiunt, ait Chaſſaneus X. parte Catalogi conſider. 32. *pag. mihi* 380. Sed esto valeant talia pro Republica ſeculari. Ceſſant tamen omnia motiua ſic ſe gerendi, in Religioſo cætu conſtitutorum ſuorum liberas habenas nacto. Vnde inhærendum eſt inſtitutis quæ amorem vniuerſalem commendant, eliminato è pectore ad ſolam nationem ſi nulla ei alia ratio ſuffragetur.

Diſpar externorum tractatio, cuiuſmodi.

RElíqua in hoc puncto eſt, inæqualis & diſpar Religioſorum eiuſdem inſtituti tractatio, tantum quia externi ſunt, cum oportuiſſet eiuſdem Patris Religioſæ familiæ autoris, & eiuſdem matris ſobolem, iiſdem ſub ſignis merentem, eodem verbi Dei pabulo fruentem, potiore fortaſſis ſorte quoad ſpiritualia bona quam ſint indigenæ, pari cum iſtis conditione eſſe, quoad tractationem ab humana beneuolentia pendentem. Sed alia ſpectant quos carneus nationis propriæ amor excoculauit; nec ipſos Ethnicos diuinæ legis rudes imitati, quos in ſuperioribus retulimus, aduenis ac externis hominibus, primas detuliſſe, & omni beneuolentiæ genere illorum ſolitudinem eſſe proſecutos. Quod enim extra ſuos degant, atque adeò ſoli ſint, eo magis fouendi ac leuandi per indigenas exiſtimabantur ab hominibus ſpiculo naturæ ſolius lumine doctis. Quod idem hodieque ſeruare dicuntur gentes aliquæ, Chriſto quidem addictæ, ſed non adeo odium expoliæ, & ſæculares. Erubeſce Sidon ait mare; [Quaſi enim per vocem maris ad verecundiam Sion adducitur, quando per comparationem vitæ ſæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui munitus & ſtabilis cernitur, vita reprobatur.] Gloſſa eſt Sancti Gregorij 3. p. paſt. admon. c. 29. Quis ſanè non ſtomachatur, ad illam erga externos, tantùm quia externi erant, in Religioſo ordine ab indigenis inuiſitatem, quæ prouerbio locum dedit, apud Italos, & Germanos prodito. *Non ſunt piſces pro Lombardis.* Nihil affingo. Grauis autor Ferdinandus de Caſtillo 1. p. l. 2. cap. 70. in hiſtoria Ordinis Prædicatorum, ſcribit, Ioannem Vercellenſem, Magiſtrum Generalem, cum ad quoddam Germaniæ cœnobium ignotus vnico fratre comite perueniſſet, cœnobitis omnibus iam ad menſam ſedentibus, à ianitore inductum eſſe in triclinium, præmonito Priore qui iam menſæ accumbebat, adeſſe fratres duos Lombardos admodum de via feſſos. His ad locum in extrema menſa vacuum conſidere iuſſis, olera appoſita ſunt, malè condita, cum piſces fratribus indigenis eſſent appoſiti. Rogante autem Ioanne, vt ſibi quoque ac ſocio, tantillum piſcium cæteris appoſitorum concederetur, monitus per Miniſtrum Prior, alia voce reſpondit, *non ſunt piſces pro Lombardis.* Qua ex cura, mox per Generalem qui perſona poſita agnitus eſt, gradu deiectus, & ad curam hoſpitum graui oratione excitatus, didicit communi charitati conſulere.

Parum fortaſſis videbitur, inæqualem fuiſſe externorum, & indigenarum tractationem, quæ tantùm labes notatur in narratione propoſita. Durius eſt, quod aliquando externi, quia faciliùs patent iniuriæ, vexationes accipiunt; ita vt non tantùm ſ audentur participatione aliqua fauorum indigenis communium ſed etiam quia via tumenda eſt ab eis recruciatio, illatis malis grauentur. At ignauiæ eſt, graſſari in eum à quo minùs timeas, & quia faciliùs patet iniuriæ. Deus ſane Leuit. 19. vetabat ſurdo maledicere, & coram cæco ponere offendiculum, quia vterque ob incommodum quo laborat, excipiendæ iniuriæ faciliùs patet. Nam ſi ſurdo maledicas, poterit interdùm depactam abs te laudem, & applauſu excipiet maledictum. Cæcus verò impinget perfacilè in offendiculum ſibi obiectum, quia neſcit quò vadat, nec lucem huius mundi videt. Atque adeò qui miſerorum hominum calamitate abutitur, & ideircò ab eorum iniuria non abſtinet, quia videt eos magis eſſe violentiæ obnoxios, nec poſſe facilè iniuriam aut arcere aut referre; ignauus eſt, & diuino illo oraculo damnatus. Non diſſimilis eſt cauſa extranei, ſi quia extraneus eſt, & violentiæ faciliùs patet, vexationem iniuſtè ſuſtineat.

Sors antiqua bonorum, vexatio à falſis fratribus.

NOn eſt noua hæc ſors piorum, etiam in Religioſis cætibus: nec eſt propria & peculiaris externorum; cum iam olim in ſacris cætibus, optimi quique ab exlegibus domeſticis vexationem ſint paſſi, quod ad leuamen aliquod afflictorum, iuuat non præterire abiecto vano metu qui aliquando puſilla ingenia occupat, ne hæc videatur ſacrorum corporum infamatio. At hunc metum eſſe iniuſtè conceptum, docebo inferiùs, & grauiter ac frequenter tradunt Patres. Igitur in prima, & primaria Religioſa domo, (quæ Chriſti ipſius fuit, vt alio loco tract. de Iuda cap. 4. numer. 7. cum Nidero dicere memini,) filius perditionis, in optimum ac beneficentiſſimum Magiſtrum inſurrexit, nec duntaxat parricidali illo externo acta quo illum vendidit, ſed calumniis quoque vt probroſis dehoneſtationibus, apud quos licuit, & quibus bibula ad malignitatem combibendam auris fuit, vexauit innocentem, qui pro peregrino & aduena ſe geſturus, atque adeò faciliùs incurſum externæ iniuriæ excepturus; à Dauide, & Eſaia, eſt prænuntiatus. Vnde D. Chryſoſtomus in demonſtratione quod Chriſtus ſit Deus, illud ex perſona Chriſti à Pſalte prolatum, *os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt*, de Iuda accipit, qui ne ſalis quidem, ſibi & Chriſto communis, (quippè Domeſticus,) ratione habita, Chriſtum per ſummum nefas verbis vexauerit, priuſquam ad tragœdiæ cataſtrophen deueniret, & longè tetriores vexationes innocenti acciret. Nec diſſimiliter S. Thomas lect. 1. in c. 12. Ioannis, locum Iſaiæ quo calumniator, iniuria vexans bonum virum graphicè deſcribitur, Iudæ Chriſti Domeſtico, & ab eo in ſacram familiam allecto, mala autem pro bonis, & vexationem pro beneficijs rependenti; accommodat. Vt valde proinde excreſcat ſcelus Religioſi malignè vexantis domeſticum, quod nihil ſit Iudæ ſceleri propius atque germanius, hac ſpiritualis fratris per fratrem; Domeſtici Dei per domeſticum, ſocij in Chriſto, ac ſub Chriſto, vexatione & criminatione per ſocium, quod Sanctus Ambroſius egregiè proſequitur l. 3. de offic. cap. 16. Sancti propè omnes, à ſtrumis eiuſdem corporis, & ab

eiuſdem

eiuſdem domus exteris, ſenſere ſtultitia, & vexationes exceperunt. Ioseph, an non a fratribus venditus? Moyſes & Dauid, domeſticos habuere exagitatores, ille à germana, & alter à cognata, (vt Iſidor. Pelusiota l. 4. epiſt. 152. aſſeruit,) à fratris inquã Aaronis vxore, quibus vnum erat cum Moſe contubernium, hic à filio vtero ſuo, paſſus eſt planè grauia. Ezechiel gemit. c. 2. ſe cum ſubuerſoribus degere, & cum ſcorpionibus habitare. Apoſtolus illata ſibi a falſis fratribus mala, non poſſit ſilentio. Extra ſcripturas, vix vlli extant de Sanctorum Actis commentarij, non multi his tetris notis. Siſſo in ra Religioſos S. Benedictus, quæ & quanta ab impijs Domeſtici per inoliſtam malignitatem ſit paſſus, ſcriptis prodidit S. Gregor. l. 2. dial. c. 3. De S. Romualdo à ſuis è Monaſterio primùm Claſſenſi, tum S. Michaelis exturbato, per calumnio as vexationes, nec abſque plagis, hiſtoriam contexit P. Damiani in vita c. 5. & 18. Qualis in S. Bernardum fuerit Nicolaus, qui viro ſancto domeſticus & amanuenſis, deſcribit ipſe S. Bernard. Epiſt. 298, poſt deprehenſam ſupplantationem. Vt tractarint Polionem Abbatem virum optimum Pſeudomonachi, Apologia Adriani pro eo ad Carolum Magnum; Vt item Gulielmum, ex potentiſſimo Dynaſta Monachum, exleges Monachi eius domeſtici, Theobaldus Epiſcopus c. 21. in ſancti viri actis deſcribit.

Supernacaneum videri poſſet, diligentiam probare in addenſandis alijs pleriſque exemplis quæ nunquam defuerunt, & nunquam deerunt, quandiu per abſentiam Domini, permiſtim cum tritico Zizania adoleſcunt, & piſces boni cum malis degũt. Durabit autem eiuſmodi permiſtio à D. Auguſtino l. de vnit. Eccl. c. 14. & Epiſt. 137. & alijs locis quæ addenſat Hier. Torrenſis l. 1. Confeſſ. Aug. c. 6. § 7. in hanc rem diffuſè propoſita. [Donec Deorum Dominus loquatur, & vocet terram, habenſque ventilabrum in manu ſua veniat vt diſcernat populum ſuum. Interim cũ Hieroſolymitis habitat Iebuſæus. Interim in horto Patrisfamilias ſimul ſunt Saliunca & abies, vrtica & myrtus. In grege Iacob animalia alba & nigra, agni, & hædi. In reti Petri, piſces boni, & mali. In arca Noe, animalia munda, & immunda. In agro Domini, lilia inter ſpinas, & Zizania inter ſpicas. In area Domini, granũ cum palea. In cella Chriſti, vinum cum acinis, oleum cum amurca.] Item Petr. Bleſenſis Epiſt. 45. Breuiùs Nazianzenus orat. 11. n. 16. iam ſupra ad luctus, ſed appoſitiſſime hic denuò ingerendus. [In vinea quoque ſpinam nacti, audiſtis: ac Iudas qui in diſcipulorum numero erat, proditor fuit.] Vrgentiſſimum profectò argumentum, quod alter Greg. 20. mor. c. 29. in hanc rem adhibuit, verſans illud Iobi; *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Vbi etiam præclarè oſtendit, diuino conſilio miſturas illiuſmodi in ſacris cætibus tolerari, ad auctius bonorum meritum: ſicut in fornace ſociatur auro palea, vt quo igne ardet palea, aurum purgetur.

Sit ergò hæc ſicera mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt corde, ſi quandò vexationes excipiunt à domeſticis, vnde minùs expectandæ erant, nec dubitent quin Deus, qui ad modicum patientiam bonorum exercet, ſit retributurus in tempore, vexans vexatores innoxiorum, & excludens excluſores, quod ſuis timebat Petr. Damiani opuſ. c. 30 in fine dicens. [Cum nos in ſacro ordine conſtituti, deberemus eſſe venatores Dei, ſicut per Hieremiam dicitur, *mittam venatores meos, & venabuntur*; Nos relicta præda ſecularium, nudatis dentibus ringimus, & quaſi rabidæ cuniculæ, mutuis nos morſibus laceramus &c. Catulus itaque cuius erat officium extraneos pellere, nequaquam contemptis illis aggrediatur domeſticos lacerare ne qui quietus poterat domi ſub tecto, excluſus foribus, compellatur cubare ſub dio.] Et compelletur haud dubiè, niſi præoccupet faciem Domini, & alienum à ſe faciat æternum illud anathema. Foris Canes.

SECT. I. CAP. X. *Circa quid temperandus Nationis propria amor.*

Nihil ex dictis, de bonorum fama detritum.

NOn debeo videri dehoneſtaſſe Religioſos cætus, iſta referens, & auertenda proponens, Quod enim de quibuſdam æui ſui Clauſtralibus abuſionibus aiebat S. Bernard. in Apol. ad Guliel. Abbatem, ad omnes quoque reiectiones defectuum in ſacros cætus obrepentium, transferri poteſt. Hæc etſi fieri videtur in ordine, abſit tamen, vt ſint de Ordine. Nullus quippè Ordo quippiam recipit inordinatum. Quod verò inordinatum eſt, ordo non eſt. Vnde non aduersùs Ordinem, ſed pro Ordine diſputare dicendus erit, non Ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendens.] Nec tantũ contra Ordines ſacros non agitur, has ſtrumas eis adnaſcentes retegendo, ſed nulla reuera inde exiſtit eorum dehoneſtatio apud æquos æſtimatores. An enim Collegio Apoſtolico detractum eſt, eiúſque fama violata à ſanctis Euangeliſtis, cum vnius ex eo corpore, ſcelerata facta mandarunt literis? An choros ſanctorum Angelorum traduxerunt, qui repertam eſſe inter eos prauitatem, non diſſimularunt? Num Eccleſia dehoneſtatur, cum in ea tametſi glorioſa, & non habente maculam neque rugam, dicuntur eſſe degeneres à profeſſione ſancta, & Satanæ inter filios Dei? Verbum eſt S. Cypriani l. de vnit. eccleſ. n. 68. & liberum, & verum. [Beatus Apoſtolus in epiſtola ſua loquitur, dicens: *Quid enim ſi exciderunt à fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum, fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Stat pars maxima in legis ac diſciplinæ Dominicæ veritate.] Non diſſimiliter quo gloriatur Magiſtro Tertullian. l. de præſcr. c. 3. Itaque nihil ob eiuſmodi næuos decedit gloriæ corporis, in tam multorum conſtanti nitore; & nunquam temera a venuſtate. Sed de hac re pleniùs diſputatum eſt, agendo de Apoſtatis à Religioſo ſtatu.

CAPVT XI.

Quæ ſerui Dei, pro Gente ſua ac Principe, oratio ad Deum poſſit haberi temperata. Diſcuſſa appendix noua, ad orationem Dominicam.

EXpendenda ſequantur ea Religioſi opera, quæ temperatione indigere poſſunt, & præciſè ſpectant non priuatas perſonas, qualia ſunt opera proximè diſcuſſa, ſed Principis perſonam, aut Rempublicam nationis Religioſo propriæ. Expenſionis autẽ initium ducã ab oratione; circa quam efferbuit maximè annis ſuperioribus contentio inter eos quoque qui ſpirituales audiunt, vel audire volunt, aut debẽt. Hanc porrò orationem pro perſona publica vocaui *Dominicã*, nõ in eo ſenſu, in quo formula precandi à Chriſto tradita, paſſim dicitur. *Oratio Dominica*;

SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Principe.*

Tertullian. l. de fuga in perſec. quia Chriſti lege & mandato vſurpatur, vocat *legitimam*, nec non alibi l. de orat. c. 9. *legitimam & ordinariam* orationẽ appellat. Et legitimam quoque nominat S. Aug. ſer. 126. de temp. Paſſim (vt dixi;) *Oratio Dominica*, appellatur, cum S. Cypriano, integro de ea commentario, ac S. Greg. l. 7. epiſt. 63. & alijs Patribus communiter. Non igitur oratio, quam excutiendam hic propono, eſt oratio Dominica ſumpta in hoc peruulgato ſenſu, ſed eſt oratio quæ pro temporali Domino funditur. Quo ſenſu colentes agros Principis, l. 7. C. *vbi cauſ. fiſc.* vocantur *Dominici coloni*: & res ad Principem pertinentes dicuntur *res Dominicæ*. C. *ne domin. rei vel temp.* Quia vero res grauis eſt, & contentionibus præferuidè agitata, vt diſtinctè & ſolidè pertractetur, dearticulanda erit in aliquot propoſitiones.

§. I.

Iure ac meritò, orandum pro Principe, etiam ſuper ſacrum.

Conſentiunt omnes orandum eſſe, & quidem frequenter ac frequenter pro Principe, qualiſcunque demum is ſit, atque adeò etiamſi Ethnicus, vel Tyrannus. Nec enim Chriſtiani & Catholici erant Principes illi pro quibus Patres, calumniantibus Chriſtianos inimicis ipſorum falſóque iactantibus, quod Chriſtiani Regum & Imperatorum hoſtes eſſent, reſpondebant, ſe aſſiduè preces ad Deum fundere pro iiſdem Principibus, & omnia illis bona de cœlo apprecari. Ita nominatim Iuſtin. Apol. 2. Origenes 8. contra Celſ. Tertull. c. 39. Apol. Ambroſ. l. 4. Proſper l. 1. de voc. Gent. c. 12. Athenagoras in calce legationis, & paſſim alij qui pro Chriſtianis aduerſus calumniatores conſcripſere Apologias. Nec rarò in ſanctorum Actis occurrunt conteſtationes beatorum Martyrum, qui onerati falſis de læſa Maieſtate criminationibus, tum & Chriſtianorũ omnium erga Principes ſtudium, fuſaſque pro eis aſſiduè ad Deũ preces, allegarunt, quod inſigniter præſtat Dionyſ. Alexandrin. Æmiliano reſpondens in perſecutione Valeriani, & Galieni. Et ſanè eſſe praxim laudabilem, etiã pro Ethnicis Regibus orandi, aſſerit qui rationem huius vſus Chriſtianis probabilem, ſubminiſtrat S. Optatus 3. contra Parmen. tractans de inſania Donati Carthaginenſis, qui Conſtantis Imperatoris munera, ad Eccleſias tranſmiſſa, & eleëmoſynas in pauperes erogandas, faſtuosè repulerat. [Meditabatur, (inquit S. Optatus,) contra præceptum Apoſtoli Pauli, poteſtatibus & Regibus iniuriã facere: pro quibus ſi Apoſtolũ audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Paulus Apoſtolus, *Rogate pro Regibus & poteſtatibus, vt quietã & tranquillã vitã cũ ipſis agamus.* Non enim Reſpublica eſt in Eccleſia ſed Eccleſia in Republica eſt, id eſt in imperio Romano, quod libanũ appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cum dicit, *veni ſponſa mea, veni à libano*, id eſt de Imperio Romano, vbi & ſacerdotia ſunt, & pudicitia, & virginitas quæ Barbaris Gentibus non ſunt, & ſi eſſent, tuta eſſe non poſſent. Meritò Paulus docet orandũ pro Regibus, & Poteſtatibus, etiamſi talis eſſet Imperator qui Gentiliter viueret: quantò quod Chriſtianus, quantò quod Deum timens, quantò quod religioſus, quanto quod miſericors, vt ipſa res probat? Miſerat enim ornamenta domibus Dei, miſerat pauperibus eleëmoſinam. En igitur frequentatam Chriſtianis, pro Principe, ſiue Ethnico & impio, ſiue Chriſtiano & pio, deprecationem.

Nec tantùm Chriſtianis iam olim ſolemne fuit, priuatim orationes fundere pro iis qui in ſublimitate ſunt conſtituti, ſed etiam quod Suares Tom. 3. 3. p. diſp. 83. ſect. 1. rectè oſtendit, ex viu iam olim fuit, præſtare id publicè & ſuper ſacrum. Iuſtinus enim ante laudatus, & fere alij Patres quos notauimus, referentes Chriſtianorum preces pro Imperatoribus, agũt de precibus quæ in Chriſtiano ſacrificio, & ſuper illud, eã in rem fundebantur. Imò grauiſſimi Patres affirmant, Apoſtolum 1. Tim. 2. indicentem ſupplicationes, obſecrationes, poſtulationes, pro omnibus hominibus qui in ſublimitate ſunt, de liturgia præſertim agere, quæ eſt oratio maxime publica. Ita explicatiſſimè S. Aug. Epiſt. 59. q. 5. credibus Ambroſ. & Chryſoſt. 1. Tim. 2. Praxim huius rei, videre eſt in antiquiſſimis liturgiis, in quibus Princeps Deo cõmendatur. In liturgia perantiqua Clementis Romani l. 8. c. 12. conſt. ſic oratur pro Rege. [Obſecramus te Domine, pro Rege, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, & pro toto exercitu, vt res noſtras in pace contineant, vt totum vitæ noſtræ tempus in quiete, & concordia traducentes, te glorificemus.] In liturgia S. Marci *non multum ab initio* Sacerdos ſic precatur. [Dominator Domine, precamur & obſecramus te, vt Regẽ noſtrum in pace ac fortitudine, iuſtitiaque conſerues: Subiicito ei ô Deus, omnem inimicum, & aduerſarium; Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium eius. Da ei ô Deus victorias, vt animum ad ea intendat quæ nobis pacifica ſunt, & ad nomen ſanctum tuum, vt & nos in tranquillitate dierum eius, quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate.] Rurſus inferiùs. [Rex Regũ & Domine dominantium, regnum ſerui tui Orthodoxi & Chriſtum amantis Regis Noſtri, quem ſuper terram regnare iuſtum cenſuiſti, in pace, & fortitudine, & iuſtitia, & trãquillitate conſeruato. Subiicito ei Deus, omnem hoſtem & aduerſarium, tã noſtratem, quàm externum. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium ei. Effunde frameam, & conclude aduerſùs eos qui perſequuntur eum. Obumbra ſuper caput eius in die belli. Fac vt de fructu lumbi eius, ſedeat ſuper ſedem eius. Loquere ad cor eius bona, pro ſancta tua Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, & omni Chriſtum amante populo, vt & nos in tranquillitate eius, tranquillam & quietam vitam degamus, in omni pietate & ſanctitate.]

In liturgia S. Baſilij, Diaconus, precantes, ex hac formula admonet. [Pro piiſſimo, & à Deo conſeruando Imperatore noſtro, omniq; palatio, & exercitu eius, Dominũ poſtulemus. Pro quo & pugnare Dominum Deum noſtrum, & ſubiicere ſub pedibus eius, omnem hoſtem & bellatorem Dominum poſtulemus.] Idẽ habetur in liturgia S. Cyrilli Alexandrini, quã ex Arabico verſam, edi curauit Marcus Velſerus. Imò Hugo Menardus ad Sacramentarium S. Gregor. pag. mihi 13. ait in omnibus planè antiquis liturgiis idem haberi. Agens Arnobius, in calce libri 4. de immanitate ethnicorũ diruentium conuenticula Chriſtianorum quæ ex Iuſtino Apol. 2. & paſſim ex aliis antiquis conſtat præſertim ad Sinaxim & Miſſæ ſacrificium fuiſſe ordinata, ſic habet de illis conuenticulis. [In quibus oratur Deus pro cũctis, & venia poſtulatur Magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione. In quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, puditos, caſtos, familiares, communicatores rei, & cum omnibus quos ſolidet germanitatis neceſſitudine copulatio.] Id eſt pax cum omnibus hominibus. Om-

nes

nes quippè germani ſumus, & inuicem fratres. Hoc orabant, hoc expreſſe bant ſuper liturgiam Chriſtiani in ſinaxibus ſuis conuenticulis ſuis. In quam rem eſt locus egregius apud Autorem Latinum homiliæ de Adamo & Eua, appoſitæ Chryſoſtomo, itemque apud Adrianum I. Epiſt. ad Conſtant Imperat. & alia ad Tharaſ. Conſtantinopol. in Concilio II. Nicæno Actione 2. Idem præſcribunt varia Concilia; vt Arelatenſe III. cap 3. Cabilonenſe II. cap. 66. Rhenenſe cap. 40. Maguntinum II. cap. 1.

Apud S. Greg. idem habetur in Miſſa communi *pag. mihi* 201. nec non apud Hildebert. in opere Metrico de ſacrificio miſſæ. Vnde probare non poſſum, quod Bletenſis ſer. 46. diſſerens de variis orationibus quas ſacerdos fundit in Canone, ait; *Prima eſt pro Eccleſia ſancta Catholica, vt eam Deus cuſtodire, & regere dignetur in toto orbe terrarum, vnà cum Paſtore ſuo Papa noſtro. Quod verò quidam addunt de Rege, & Antiſtite ſuo, noua eſt traditio.* Non eſt verum nouam eſſe traditionem, vt in ſacro oretur pro Rege; cum antiquiſſimæ (vt dixi,) liturgiæ præſcribant eam orationem. Præter eam verò orationem pro Rege, quæ in Canone Miſſæ continetur, ſæpè ſæpius Patres meminerunt ſacrificij pro Rege, etiamſi Gentilis eſſet, ac Idolis ſeruiens, vt videre eſt apud Clementem Romanum 8. Conſtit. c. 15. & ſeqq. & apud Cœleſtinum I. Epiſt. ad Epiſcopos Gallioc. eſ. c. 11. nec non apud Tertullian. cap. 30. 31. 32. 39. Apolog. & lib. ad Scapul. c. 2. itemque apud Arnobium lib. 4. Athenagoram in legat. pro Chriſtianis & Dionyſ. Alexandrinum ab Euſeb adductum 7. hiſt. ipſum Euſebium l. 1. de demóſtr. c. vlt. Sanè in antiqua lege Baruch. 1. v. 10. pro Nabucodonoſore & Baltaſare filio eius, indicta ſunt ſacrificia, etiamſi Ethnicis: Item pro Heliodoro 2. Mach. 3. pro Spartiatis 1 Mach. 12. pro Demetrio 1. Mach. 7. pro Dario Rege 1. Eſdræ. 6. De Caio, Imperatore monſtroſiſſimo, idem expreſſimè habet Philo l. de legat. exploſuſque eſt Iudas Galilæus, qui referente Anaſtaſio q. 67. in ſcript. id faciendum negabat. Igitur quidni ſacrificium nouæ legis, quod multò efficacius eſt, ethnicis quoque, & infidelibus poſſit prodeſſe quatenùs imperatorium, & eatenùs queat pro illis offerri: Quod enim non poſſit offerri adæquatè pro excommunicatis, manauit ex ſpeciali Eccleſiæ prohibitione quæ quomodò intelligenda ſit, dictũ eſt abundè, in Tractatione de Monitoriis p. 1. c. 2. Quæ Magalianus in Tim. 2. v. 2. annot. 9. in contrarium adducit, negans fas eſſe pro infidelibus ſacrificare ritu Chriſtiano probant duntaxat, noſtrum ſacrificium provt ſatisfactorium, non poſſe applicari infidelibus, quod vltrò damus ſed non probant idem, de ſacrificio noſtro, provt impetratorio.

Cur par ſit, ad modũ prędictũ orare pro Principe, & ſtudioſè & frequenter, obſcurũ non eſt. Impugnabat vt iam attigi, S. Optatus l. 3. cõtra Donatiſtas, furorem Donati, qui miſſos in Africam à Conſtante Imperatore Paulũ & Macarium ad erogandas eleemoſinas, petulanter repulerat: Ait ergò S. Optatus, id fuiſſe repugnare Apoſtolo iubenti orare pro Regibus & poteſtatibus, vt quietem & tranquillã vitã cũ ipſis agamus, ad quod ſupponit, omnes alligi, eo ipſo quod ſunt membra Reipublicæ, quod in Eccleſiaſticos quoque cadit, cuiuſmodi erat Donatus. [Non enim (inquit,) Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt.] Itaque infert, meritò Paulum docere orandum eſſe pro Regibus (quippè Reipublicæ capitibus,) etiam ſi tales eſſent qui Gẽtiliter viuerent. Perſpicua igitur eſt honeſtas, ac etiã neceſſitas orationis pro Principe. Cum bono ſiquidem Principis, nexum eſt totius communitatis bonum. Vnde qui pro eo orat, pro tota communitate orationẽ fundere videtur, qua nulla acceptior, nulla rationi congruẽtior, fundi poſſit oratio. Scitè enim Syneſius l. de prouid. ſect. 1. ſingularem atque diuinã prouidentiã eſſe dixit, vnius interuentu, infinitorum curam ſuſcipere. Itaq; per vnum, omnibus benè fit, quando oratio bonum aliquod apprecans, funditur pro Principe. Et idcircò idẽ Syneſ. initio orationis de regno quã ad informationẽ Arcadij Imperatoris ſcripſit, inde commendat ſuã illam ſcriptionem, & Principis informationem, quam vocat *operum præſtantiſſimum*, quod [Qui vni homini Regi, vt quàm optimus ſit, proſpicit; ad omnes non modò familias, verũ etiã ciuitates & nationes, ſiue paruas ſiue maiores, finitimáſque aut diſſitas, conſtituendas: breuiſſimo viæ compendio progreditur, quæ omnia, quocunq; modo affectum Regis animum, experiri neceſſe eſt.] Pari igitur ratione, qui Regem apud Deũ habet commodatum; eadẽ opera omnes Regni totius prouincias, ciuitates, atque minuta quæque loca. & perſonas vniuerſas, commendat Deo. Ac proinde tanquã ratum apud omnes & fixum ſupponitur, orationem pro Principe, & crebrã & incenſam, non vocari in diſceptationem, ſed eſſe omnium iudicio fructuoſiſſimam, & apprimè laudabilem.

SECT. I. CAP. XI. *De orat. one pro Principe.*

Synodum primam Nicænã, *vnicam* (vt Anaſtaſius Sinaïta ſcitè dixit) *ſpiritus ſancti filiam*, in hanc rẽ allegat Speculator Tract de modo gen. Conc Rubr. 6. qui optaret ad illius Concilij decretũ in Apoſtoli monito fundatũ, ritè obſeruandũ, ſtatas in hũc finẽ preces perpetuo duraturas vbiuis indici. Vt verò eſſet vnde fideles allicerentur ad orationẽ adeo fructuoſã, & adeò neceſſariam libenter frequentandam, Eccleſia interdum, propoſitis præmiis, ad ſic orandum inuitauit. Sic quemlibet pro Rege Franciæ orantem, lucrari decẽ dies indulgentiæ ab Innocent. IV. conceſſos, ſcribit Coſmas Guimier in procemio pragm. ſanct. v. *tueretur*, & Ioannes Selua de benef. p. 1. q. 21. & S. Thom. in 4. d. 20. q. 1. a. 3. ad vlt Auxit eã indulgentiam, & ad centũ dies diffudit, Clemens V. Pontifex, cuius bullã abs ſe viſam, eſſe 33. in libro liliorum, ſcribit Ioannes Ferald. Tract. de priu. Regni Franciæ *iure tertio* n. 13. Leonem verò X. annũ Indulgẽtiæ adiecisse, ſcribit Benedictus ad c. *Raynutius* V. *ſi abſque*, n. 44. & Helias Turonẽſis in defenſione Concordati ratione 4. An huiuſmodi indulgentiæ, per communicationẽ à Pontificibus ſæpè interpoſitã, ad alios Reges ac ſupremos principes pertineant: vel an aliæ aliquæ pro eis conceſſæ ſint indulgentiæ, cõpertum non habeo. Vel ex hoc tamen exẽplo, liquet, Pontificibus commendatã eſſe orationẽ pro Principe, atque adeò honeſtiſſimam eſſe, etiã in particulari factam, contra fatuitatem Vvicleffi, à Suare l. 1. de orat. c. 13. impugnatã, poteſtque ad id reuincendũ ſufficere præclara oratio pro Carolo Magno, in calce Sacroſyllabi. Hæc itaque rata ſunto. In hac meta prætereundũ non eſt, quod Bellarm. l. 2. de Miſſa c. 21. dixit nomen *Regis* rectè exprimi in Canone in iis locis quæ Regibus ſubſunt, reprehẽſioni patuiſſe. Eſt enim qui ſcribat, Andr. Sauſſ. de myſticis Gall. ſcript. ſeculo 1. in Paulo ritu 4. orandũ eſſe vbiuis pro Rege vt ferunt tam multorũ Pontificum ac Conciliorũ ſcita, Patrúmq; deſéta monita quibus docemur orandũ eſſe pro Regibus. Non igitur pro Rege proprio dũtaxat, ſed pro omnibus omnino Regibus eſt orandum. Hæc tamẽ nimia eſt ſubtilitas. Rectè enim Bellarm. ſtatuit, exprimendũ ex obligatione eſſe in Canone ſolũ propriũ Regẽ, intelligẽdo hoc nomine quẽlibet alicubi ſupremũ Principẽ, vel certè optimates vbi regimẽ eſt Ariſtocraticũ, & deniq; quoſcũq; plures aut ſin-

SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Rege.*

gulos penes quos eſt ſumma rerum, cum ſuprema autoritate. Horum mentio ſuper ſacrificio cadit ſub obligationem, vbicunque exercent ſupremam illam autoritatem, vt Regis in Gallia, Senatus in ſtatu Veneto, & ſic de cæteris. Vt autem neceſſe ſit exprimere vbiuis in Canone omnes alios Reges, vel ſupremos alicubi moderatores, non videtur rectè aſſeri. Alioqui cresceret grauiſſimum onus & Sacerdoti & aſtantibus, tam multa nomina percurrere. Cumque oratio non tantum Catholicis ſed etiam infidelibus Regibus poſſit eſſe proficua, ſi intelligeretur obligatio Sacerdotis, omnes non modò Europæos, ſed etiam Aſiaticos & Africanos, & vtriuſque Indiarum Reges exprimendi obligatio ſtaret, quod ſtatim apparet ab vſu alienum. Igitur ſicut pro his admodùm remotis ac ferè ignotis Regibus, non orat Sacerdos niſi implicitè, quatenus orat pro toto orbe terrarum, ita alios Reges præter proprium appellare ex nomine non tenetur quamuis neminem excludere expreſſe debeat ab oratione, ſed toti orbi generatim ſalutem apprecetur, & omnibus optet quæ ad maiorem Dei gloriam, & animarum bonum in ipſis faciunt. Hoc vnum dixit loco allegato Bellarminus. Itaque quanto iure reprehenſioni in hac parte patuerit, non video. Verùm omnia hactenus conſtituta, videntur paſſim rata, diſcrepante nemine.

§. II.

Num probanda additamenta, ad orationem ab Eccleſia propoſitam.

SEd illud in hoc negotio agitatur inter nonnullos, rectène in oratione pro Principe, præſertim publica, rogetur Deus, vt Princeps *virtutum omnium incrementa ſuſcipiens, quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra deuitet, & hoſtes ſuperet.* Ita precatos aliquos ætate Eraſmi, intelligitur ex eius libello de modo orandi, *ſub finem*. Præfatus enim, oportere ab oratione omnem abeſſe laſciuiam, quæſtum, adulationem cæteroſque affectus indignos cultu ſacro, addit. [Cum Chriſtianus adornat bellum in Chriſtianum, indecorè ſacrificus precatur ſuis glorioſam victoriam, hoſtibus exitium, cum vtraque pars nonnunquam Deo diſpliceat. In precibus, quas ex inſtitutione Pauli pro Regibus, & in dignitate conſtitutis fundit ſacrificus, Chriſtianius eſſet, optare Principi bonam ac Deo dignam mentem, ſapientiam, pietatem, quàm triumphos, victorias, & glorias. Parumque decorè, ad ſacram menſam, cum pro Principe ſupplicatur, audiuntur illi glorioſiſſimi tituli, *victorioſiſſimo, Inuictiſſimo, & Triumphantiſſimo.*] Non iſta ex Eraſmo adduco, tanquam illius autoritate præiudicium facturus alterutri parti. Is enim reuera fuit Eraſmus, homo circa Religionem adeò maculoſus, & ſidei ſuſpectæ, vt eius autoritas grauare neminem poſſit. Et in hoc ipſo libello de modo orandi, pleraque effutiuit non atramento obducenda, ſed limo. Quale eſt quod propè continenter ad verba proximè recitata, ſubiicit, non conuenire Chriſtiano poſcere exitium Turcarum, ſed rogandam eis eſſe miſericordiam: Qua in parte Eraſmus adeò excreuit, vt Dauidem, ſus Mineruam, imò quod blaſphemiam redolet, ipſum ſpiritum ſanctū, Dauidis Magiſtrum, incongruentiæ inſimularet. Quandoquidem ſæpè ſæpiùs in Pſalmis, Dauid exitium impiis apprecatur, ita vt non ſint, & deleantur de libro viuentium, & nomen eorum non memoretur amplius. Quomodo igitur non conuenit Chriſtiano, quod homo ſecundum cor Dei, afflante ſpiritu ſancto, toties à Deo poſtulat, & tanta contentione vrget, vt exoret? Mitto reliquas libelli illius Eraſmiani ſtribiligines, quod meminerim me hic non agere cenſorem Eraſmi, quem *cenſorem cœli & terræ* vocabat Ambroſius Catharinus, ſed ex eius loco allegato eruere, ingentem illa ætate vſum orandi pro Principe, in hæc verba. *Quæſumus omnipotens Deus, vt victorioſiſſimus, & triumphantiſſimus Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, vitiorum monſtra deuitare, hoſtes ſuperare* &c. Non credo aſſumentum illud titulorum Principis, quos Eraſmus orationi pro eo adiectos ſua ætate refert, nunc vſpiam vſurpari; Et meritò. Quàm enim ineptum eſt, perſonam cui benignitatem diuinam velis beneuolam præſtare, titulis gloriæ & honoris, vt in ſæculo vane inter vanos ſolet, honeſtare? cum verus habitus, veráque ſpecies, qua apparere apud Deum par eſt, & eum pro quo orat, & eum qui orationem fundit, ſit habitus ſpeciéſque mendici, vt D. Auguſt. piè dixit. Accedit quod vt ait Nauarrus in Enchir. cap. 19. concl. 11. illato 3. hos ipſos titulos expungens, indecorum eſt, coram Principe ſubditum eius compellare titulis gloriæ. Meritò igitur inuſitas illa obſoleuit, & Princeps pro quo oratur, in orationis formula non *Victorioſiſſimus, Inuictiſſimus, Triumphantiſſimus*, plerunque cum mendacio, & ex pura puta adulatione Deo ex ſua nominatur, ſed *famulus Dei*, qui verè eſt glorioſiſſimus ſummorum licet Regum, titulus vt optime proſequitur S. Ambroſ. ſub initium exhortationis ad Virginē, & alij quos adducunt Paez in Iacobum ad titulum Epiſtolæ §. 2. & Iuſtinian. in c. 1. ad Rom. ad illud *ſeruus IESV Chriſti*. Alterum ergo additamentum quod poſtremo loco recitabatur, *hoſtes ſuperare*, iam Eraſmi æuo vſurpatum, rebus eodem quo tunc erant loco, incentore Satana, conſtitutis, reſumptum eſt à partiariis, iure, an iniuria, quæritur. Rem in vtramque partem agitabo, tum per pauca pronunciata, litem dirimam.

§. III.

Additamentum illud (hoſtes ſuperare) *qui legitimum contendant.*

BEnè igitur & citra noxam omnem, imò cum laude, in publica, & quauis alia oratione pro Principe, apponi additamentum illud *hoſtes ſuperare*, quo victoria de hoſtibus, Principi à Deo poſtulatur, multa ſuadent. Et in primis quia ita videtur docuiſſe Apoſtolus 1. Tim. 2. vbi præcipit, orationes fundi pro Regibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate: id eſt in omni honeſtate & virtute, quod in bello contingere vix poteſt. Nam ardente bello, profligatur omnis honeſtas, cædibúſque & rapinis miſcentur omnia, per hoſtium furorem, & militarem licentiam. Itaque petere à Deo vt Regibus, ſubditi, quietam & tranquillam vitam agant, non aliud eſſe videtur, quàm petere vt Reges ſuperent ac debellent hoſtes. Vidit hunc eſſe Apoſtoli ſenſum eruditus Ambroſius, vnde ait. [Hæc regula Eccleſiaſtica eſt, tradita à Magiſtro Gentium, qua vtuntur Sacerdotes noſtri, vt pro omnibus ſupplicent, deprecantes pro Regibus huius ſeculi, vt ſubiectas habeant gentes; vt in pace poſiti, in tranquillita-

te mentis & quiete, Deo Domino ſeruire poſſimus.] Rectè ait *noſtros*, id eſt, Chriſtianos ſacerdotes, præfixam ab Apoſtolo regulam tenere orandi, vt gentes, (vtique aduerſariæ & hoſtiles,) ſubiiciantur Regi, & ab eo ſuperentur; quia praxis antiqua fert, vt oratio pro Principe ad eum modum concipiatur, etiam publicè & ſuper ſacrificium. Id à ditertè habetur in S. Marci Liturgia, nec non in Anaphora S. Baſilij, vbi ſacerdos ita precatur pro Regibus. [Memor eſto Domine, Regum noſtrorum laudabilis memoriæ; ac coronato eos ſpe bonæ voluntatis, & galea ſalutis, conſeruatóque ipſos in fide ſana, atque ſubigito ſub iugum regni tui, & populos Barbaros; Reipublicæque Chriſtianæ maleuolo, ipſis mancipato. Nobis autem Domine, concedito habitationem tranquillam & quietam, atque humilitatem perfectam. Tu enim es adiutor, præſtaſque victoriam omnibus qui nomine tuo magno militant; tuaque cauſa ſumptis armis, ſtipendia merent in bello. Eſto itaque Domine, auxilio iis qui pro populo tuo redempto, bella gerunt, & victoriam ipſis largire. Imò tu ipſe aduersùs eos dimicato, qui illos odio habent. Nos autem Domine, ab omnibus periculis, anguſtiis, neceſſitatibus aſſere.] Hæc in S. Baſilij Anaphora, qua Syri vtuntur, quæ vt ſupra iam memini, paulò contractius in vulgata S. Baſilij Liturgia, proponuntur Litania 2. Similis precandi formula adhibetur à Græcis, in forma exaltandi Crucem, quæ extat apud Gretſerum. Tomo 3. ſono 3. *pag. mihi* 475. Et in Stichæra Proſomæa. pag. 481. In oratione Græcorum quæ à Metropolitano recens ordinato legi ſolet, (extat in Archieratico Haberti, pag 497.) ita habetur. [Auguſtos ſacrosq; pedes tuos, in lato ſpatioſoque collocet; ſubiiciens tibi omnes alienigenas & barbaras nationes, eaſque ceu puluerem à facie venti diſſipet, ac hoſtes tuos internecione deleat; vt in profunda pace ſortem hæreditatis tuæ tibi ſubditam, gentem illam ſanctam, regium ſacerdotum gregem, regia cum dignitate, ac magnificè regas.] In liturgia S. Cyrilli verſa ex Arabico, cum Diaconus orandum pro Rege denunciaſſet additur hæc oratio gemina præcedentis [Conſerua eum in pace & iuſtitia & imperio; vt ſubiiciantur illi omnes barbaræ gentes, quæ bellum volunt inferre nobis & aratis noſtris.]

Latini planè aſtipulantur. Et vt taceam multas antiquas orationes in Codice Pithæi exaratas quibus poſtulatur Regibus victoria de hoſtibus, Tertull. c. 30. Apolog. & hunc vſum Chriſtianorum confirmat, & optima ratione fulcit, depellens calumniam qua Chriſtiani grauabantur, quod non ſtarent pro Imperatore dicens. [Illhuc, (ad cælum,) inſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt] At inter vota Cæſaris, nihil eſt quod magis cordi ſit, quàm hoſtium ſubactio & debellatio: quæ etiam ſatis apertè poſtulatur, cum petitur Imperatori ſecurum imperium, & exercituum fortitudo, nimirùm ad hoſtes repellendos & contundendos. Mox vero c. 31. addit Tertullianus, non modò ſcripturas, generatim & vniuersè vrgere Chriſtianos ad huiuſmodi preces; [Sed etiam nominatim atque manifeſtè, Orate (inquit,) pro Regibus, & pro Principibus, & poteſtatibus, vt omnia tranquilla ſint.

Vobiſcum enim concutitur Imperium. Concuſſis etiam cæteris membris eius, vtique & nos licet extranei à turbis æſtimemur, in aliquo loco caſus inuenimur.] Oſtendit præceptum Apoſtoli, de oratione pro Principibus fundenda, & exoranda eis Victoria de hoſtibus, non tantùm pertinere ad obſeruantiam Principibus debitam, ſed etiam ad propriã orantium charitatem: eo quod ex victoria de hoſtibus incolumitas Regni exiſtat, quo euerſo ipſi quoque peccatores, parte aliqua ruinæ in eos vſque deuoluta, allideréntur & contererentur. SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Principe.*

Poteſt & alia ratio adiungi, ex eo petita quod fas eſt, imò laudabile, orare vt cuique obtingat potiri iure ſuo Hoc eſt, per ſe euidens; cum nihil ſit rationi congruentius, quàm optare, vt vnuſquiſque habeat, quod conſentaneè ad ius ſuum habere debet. Atqui cum Princeps bellum ſuſcipit, ſi cauſa belli non ſit manifeſtè iniuſta; (in quo euentu, Princeps non ageret vt Princeps, ſed vt graſſator atque prædo;) ſed verè ſupponatur, Principem agere vt principem, atque adeò ex cauſa quæ manifeſtè non ſit iniqua, ſubditus poteſt ac debet formare ſibi conſcientiam, de honeſtate belli ex parte Principis. Cum enim nulla ratione expediat, Principem palam, omnibus cauſas quibus ad bellandum mouetur, aperire; neceſſarium eſt ſubditos benè pro Principe præſumere, & exiſtimare illum in re tanti momenti, non agere iniquè, ſed adactum, pro ſuis iuribus tuendis eò deueniſſe. Doctrina eſt longè communiſſima, hauſta ex D. Auguſtino, l. 22. contra Fauſtũ c. 74 & in iure refertur: 23. q. 1. c. *quid culpatur*, Subſcribuntque Victoria, Releƈt. de iure belli n. 30. & 31. Syluester, v. *bellum*. 1. q. 9. concluſ. 4. Corduba, l. 3. q. 8. Vaſquez, 1. 2. diſt. 62. n. 33. & 66. n. 52. Et idem habetur ex eo quod ſubditis, in dubio de iuſtitia negotij ſuo Præpoſito obediendum eſſe, tradunt Sanchez, l. 6. in decalog. c. 3. n. 3. & Suarez, Tract. 10. de relig. l. 4. c. 15. à n. 17. Si igitur ſubditus tenetur adhærere Principi ſuo ſuſcipienti bellum, de cuius iniquitate non conſtet ipſi ſubdito; omnino etiam poteſt apprecari illi victoriam in tali bello; & ad id aſtringitur, pro obſeruantia qua illum proſequi debet, & pro amore quo bonum ſuæ Reipublicæ expetere debet tanquam membrum. Victoria enim belli quod Princeps gerit, cedet in bonum totius cõmunitatis pro qua Princeps certat & ſollicitus eſt, tanquam caput. Itaque fas eſſe victoriam parti ſuæ apprecari, affirmat Ioan. Medina Cod. de orat. q. 6. ad 4.

Quid quod plerique piiſſimi Reges ac Imperatores, quos certum eſt nihil iniquum expetiiſſe, imò quos conſtat, eo nomine ab omnibus collaudatos eſſe, bella geſturi, virorum ſanctorum preces, ad fælicem belli exitum & victoriam exorandam popoſcerunt. Fecit hoc præter cæteros, Magnus Theodoſius interpellatio Ioan. Abbate in Lyco, atq; Senuphio: adeóque ſtudioſè id feciſſe, vt bella nunquam ſuſceperit, quin priùs animaretur Ioannis oraculis atque reſponſis, ſcribit Caſſian. l 4. de inſt. c. 23. & meminerunt etiam SS Hieron. Epiſt. ad Creſiph. & Auguſt. 5. de Ciuit c. 26. De Senuphio autem Abbate referunt Acta SS. Cyri, & Ioannis, quod rogatus à Theodoſio, interpoſita etiam Theophili Alexandrini auctoritate, vt accederet Conſtantinopolim, Imperatori ad bellum tendere paranti benedicturus, fuſiſque precibus victoriam de tam ancipiti bello exoraturus; renuerit quidem ſectam ſuam deſerere, ardenter tamen pro fælici belli exitu orauerit, & ad Imperatorem tranſmiſerit ſuper humerale ſuum, & baculum. Illum vt eſſet principi pro Galea; iſtum verò, vt loco lanceæ ab eo geſtaretur.

SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Principe*

tur, prænuncians fore eum longè terribiliorem hoſtibus, quam ſi quibuſvis armis muniretur;] id quod reipſa eſt conſecutum. Hi ergo ſanctiſſimi viri, victoriam Theodoſio apprecantes; & ipſe Theodoſius eorum preces in illum finem flagitans, nullius hactenus reprehenſioni patuerunt, imò à grauiſſimis ſcriptoribus qui iſta retulerunt, ſummopere celebrantur. Neque igitur vllius culpæ inſimulandi ſunt, qui ſimiliter orant pro ſuis Principibus. Nam quod Principibus fas eſt ab eis petere, vt ſcilicet pro fœlici exitu belli ſuſcepti preces fundant, fas illis eſt exequi ſiue rogentur id facere, ſiue non rogentur. Exemplum porrò ſanctiſſimorum virorum ſcitè, prout mihi videtur, omnia tela quibus huiuſmodi pro Regibus precatio appetitur, declinare, aut etiam conterere. Nam Maximus, & Eugenius quibuſcum bellum Theodoſio erat, Catholicam fidem profitebatur, vt proinde non liceat dicere, additamentum de quo agimus, ideircò improbari, quia ſupponitur bella de quibus ſermo eſt, inter Catholicos exerceri. Qui verò precabantur pro victoria Theodoſio exoranda, non modò erant laici, & ex vulgo fidelium, ſed etiam Monachi à mundo auulſi: Vt proinde non liceat conclamare in Religioſos, ſi & ipſi quoque, ad modum propoſitum precentur. Inde denique intelligitur, victoriam temporalem de hoſtibus, poſſe induere rationem obiecti ſpiritualis, in quod intendentes viri quantumcunquè pij, & ſpirituales, poſſint victoriam humanam orationibus ſuis ac votis præfigere. Victoria enim quam Theodoſius de Maximo & Eugenio hoſtibus ſuis reportauit, inſignes fructus ſpirituales peperit, & eatenùs, ſiue in ratione cauſæ illorum fructuum, ſpiritale obiectum fuit, ac dignum in quod aſſequendum viri ſæculo planè mortui, ſuas preces ac deſideria ſtudioſe dirigerent. Itaque de honeſtate additamenti illius quo victoria Principi bellanti expetitur, non videtur poſſe eſſe dubitatio.

§. IV.

Quæ in contrarium vrgere videantur.

PArs contraria, non deſtituitur validis rationibus, & ſuffragatione ſanctorum. Ac primùm obſeruatu dignum eſt, Sanctum Romanum Martyrem, referente Prudentio hymno 10. Periſteph. ex vſu haud dubiè in ſacris Chriſtianis recepto, modum pro Principe orandi quem hic excutimus, diſertè repudiaſſe. Dixerat enim Aſclepiades Præſes.

Hoc ſanctum ab auo eſt, hoc ab atauis traditum,
Placanda nobis pro triumphis Principis
Delubra, ſanſimus vt ſecundet gloriam
Procinctus, vtque ſubiugatis hoſtibus,
Ductor quietum frænet orbem legibus
Accingere ergo, quiſquis es nequiſſime,
Pro principali, ritè nobiſcum, Deos
Orare vita.

Reponit S. Romanus omnia alia quàm Præſes edixerat Subdit enim Prudentius.

Tu ecce ille, nunquam pro ſalute & maximis
Fortiſſimiſque Principis cohortibus,
Aliter precabor, quàm fideles vt militent;
Chriſtique lymphis vt renaſcantur Patri;
Capiant & ipſum cælitum Paracletum,
Vt idolorum reſpuant caliginem;
Curant & illud lumen æternæ ſpei;
Non ſucculentis influens obtutibus
Nec corporales per feneſtras emicans;
Puris ſed intus quod relucet mentibus.

En quid veteres Chriſtiani, & myſtæ præſertim, orarent pro Principe; tametſi in eos hoſtes bellante, quos fundi & excindi, non vertebatur in damnum Chriſtianorum. Spiritualia & æterna principi popoſcit Romanus, non ſollicitus vt hoſtes ſuperaret.

Abbas Simeon, cognomento *Salus*, inſignem ſapientiam externæ ſtultitiæ tegmine operiens, viſus aliquando eſt orare pro Imperatoris ſui victoria, ſed per æquiuocationem, quam Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus. Sic expreſſit: [Sæpè totam noctem vſque ad manè perſeuerabat in oratione, humum irrigans lachrymis, & manè egrediebatur, ſecabatque vel frondes oleæ, vel herbas, & ſibi faciebat coronam, & eam geſtabat: manu quoque tenebat ramum vnũ, & clamabat, *Victoriam Imperatori, & ciuitati.* Dicebat autem, ciuitatem quidem, animam: Imperatorem autem rationem, quæ dominabatur animi perturbationibus.]

S. Greg. qui eam orationem, cuius nunc in Eccleſia ad benè precandum Principi, vſus eſt, vel compoſuit, vel ſuo Sacramentario inſeruit; *Quæſumus Omnipotens Deus, vt famulus tuus N. Rex Noſter* &c. additamentum illud, *hoſtes ſuperare*, pro quo nunc feruet contentio, omninò prætermiſit. Et tempore S. Gregorij, bella planè multa à Gotthis, & aliis hoſtibus, atteruere Romanum Imperium, vt non poſſit eſſe ſuſpicio, defuiſſe S. Gregorio occaſionem & iuſtam cauſam additamentum illud apponendi, ſi cenſuiſſet apponi debere, nulla cum oblæſione ſanctitatis, quam Eccleſia, in cultu præſertim publico, profitetur maximam, & ab omnibus carnis & ſanguinis fæculentiis, plerunque affectum ſic precantium contaminantibus, planè liberam. Vt quid autem, opus alienum, & tanti præſertim autoris, in quo ſanctitas, eruditio, dignitas, & reliquæ dotes omnes, ſummæ erant, appendice quam ille conſulto prętermiſſam voluit, ſuffarcinabimus? Eadem oratio in Capitularibus Caroli Calui recitata refertur, in eius coronatione pag. mihi 490. ſed pura & abſque admiſtione vllius additamenti, quod maximè opportunum viſum eſſet appingere, niſi religio fuiſſet interpolare orationis formulam ab Eccleſia pręſcriptam, autore primo, (vt veriſimile eſt;) S. Greg. Magno.

In liturgia S. Baſil. verſa ex Arabico cura Marci Velſeri, quæ à vulgata S. Baſil. anaphora in quibuſdam differt, legitur hæc oratio pro Rege, longè alterius ſtyli quã ſit is pro quo recens certatur. [Supplicamus tibi Domine Deus Omnipotens, Pater Domini & Dei noſtri Saluatoris noſtri IESV Chriſti, oramus ac petimus bonitatem tuam amator hominum; Memento Domine tranquillitatis vnius dilectæ tuæ ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſia, quæ eſt à terminis orbis terrarum, vſque ad terminos eius. Omnes populos & greges benedic, & pacem cœleſtem inſere in cordibus eorum, & pacem noſtris concede temporibus. Reges, Proreges, Proceres, Populos, & ſeruos noſtros, ingredientes, & exeuntes à nobis, orna omni pace: O Rex pacis, ſi pacem nobis dederis, omnia dederis. Conquieſcere fac nos in te Deus, vt neminem præter te ſciamus, vt nomen ſanctum tuum inuocemus, vt viuant animę noſtrę per ſpiritum ſanctum tuum, & ne præualeat in nos ſeruos tuos mors peccati, neque in populum tuum vniuerſum.] En quomodò

olim.

SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Principe.*

olim, pro Rege ſolebatur oratio: longè certè alio ſtylo, quam nunc velint qui victoriam de hoſtibus, etiamſi Catholicis, ei rogari volunt.

Liturgia quà vtuntur Æthiopes, (*canonem vniuerſalem* vocant) omnia alia poſtulat in oratione pro Rege, quam ſera addi amen tum, cui exquirendo multimas, ſic enim ibi habetur. [Domine Deus noſter, da nobis pacem. Chriſte Rex noſter, miſerere nobis. Eam pacem da nobis, quæ fuit à principio, & erit vſque in finem ſæculi. Omnes populos, & omnes greges benedic. Pacem de cælo mitte ſuper omnes animas noſtras. Pacem vitæ noſtræ, da nobis per ipſam Eccleſiam. Da Domine pacem Regi noſtro Claudio, & Principibus eius, & ſubditis eius; & circa nos congregatis, tam extra quam intra Eccleſiam. Orna eos omni genere pacis, Rex pacis. Pacem da nobis, quoniam omnia dediſti nobis.] Quam iſta abhorrent à cæde & ſanguine hoſtium, ſine quibus proſtratis non conſtat victoria? O digna quæ Æthiopibus à principe eorum Doctore B. Matthæo præſcripta, & per manus poſteris tradita exiſtimetur oratio, toties pacem poſtulans; de victoria & cladibus ac ſtragibus hoſtium, ne verbulum quidem continens! Nihil ſanè decere magis potuit Angelos pacis, euangelizare pacem iuſſos, præſertim cum hoſtia pacifica litant, illumque oliuæ paciferæ ramum attrectant, quem Angeli aſtantes ſacro, ſtudioſe prehendunt, & prætendunt Deo, pacem nobis cum cælo exoraturi, vt diuinè philoſophatur ſanctus Chryſoſtomus hom. 3. contra Anom. *ſub finem.*

Eſt item hæc petitio, legibus Chriſtianæ charitatis maximè conſentanea. Nihil enim Chriſtus tantoperè commendauit ac pacem: nihil adeò inculcauerunt ſancti Dei homines ſpiritu ſancto afflati, & à Chriſto ipſo edocti, Chriſti item præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati. De hoſtibus diligendis, eiſque benè volendo & faciendo, doctrinam combibimus, quam S. Cyprianus referente Pontio, Chriſtianorum eſſe propriam dixit; quia nulla alia lex amorem inimicorum, & voluntatem vt eis benè ſit, præſcribit ſuis ſectatoribus, præter Chriſtianam. Cum voluntate autem vt benè ſit hoſtibus, optimè cohæret petitio pacis, non autem petitio victoriæ de eis, & contritionis ac cladis qua deleantur & pereant. Itaque peti Chriſtianè poteſt, vt pacem cum ei habeamus, non autem vt victoriam de eis obtineamus, & vt conterantur ac exſcindantur. Argumentum eſt S. Columbani, à Iona c. 30. actorum ſancti viri recitatum. Cum enim bello confligerent, Theodebertus qui S. Columbanum charum habebat, & qui eum extorrem fecerat Theodoricus; Chagnoaldus qui viro Sancto miniſtrabat, rogauit hominem Dei, dicens. [Pater mi, Theodeberto tuis precibus præſta ſuffragium, vt communem debellet hoſtem Theodoricum.] Reſpondit S. Columbanus. [Stultum & à religione alienum præbes conſilium. Non enim ſic Dominus voluit; qui nos pro inimicis noſtris orare iuſſit. In arbitrio iam eſt iuſti Iudicis, quid de eis fieri velit.] Hoc eſt, nouit Deus in cuius manu ſunt omnium iura regnorum, vtram partem vincere magis expediat. Nos, vt eorum concordiam expetere ac expoſcere par eſt, ita alterutrius cladem deſiderare, & pro ea Deo ſupplices fieri, vetant leges Chriſtianæ charitatis, mandantis diligi inimicos: à qua erga illos voluntate abhorret oratio ad Deum fuſa, vt exſcindatur & profligentur à parte altera pro qua ſtamus; vel quæ nos ſibi beneficiis deuinxit, aut naturali aliqua neceſſitudine illigauit.

Statuant alij de hac ratiocinatione, vt videbitur. Mihi vt ingenuè verum fatear, inexpedibile ſemper viſum eſt, quomodo Chriſtiani homines, (ſed maximè Eccleſiaſticæ perſonæ, ac etiam multò magis quæ calcato ſæculo ſub Chriſti conſiliorum vexillo merent,) vim huius argumentationis, vel non attendentes, vel parui æſtimantes, hoſtium Principis ſui, quos Chriſtiano æquè & Catholico nomine inſigniri compertum habent, cladem & vaſtitatem tantoperè in votis habent, & ad quoſcunque nuntios de illato Chriſtianis hoſtibus per ſuum Principem exitio, omnibus lætitiis incedant. Tot enim & tanta ſunt mala quæ cum adeptione victoriæ de hoſtibus nectuntur, ſiue partem vincentem, ſiuè partem deuictam ſpectemus; vt ſatis exponi oratione non poſſint. Videſis Gerſonem ſerm. pro pace ad Regem Franciæ, qui extat Tomo 4. Clyctonæum libro de bello & pace, c. 5. & 6. Eraſmum in querela pacis vndique exulantis, & libello in illud *dulce bellum inexpertis.* Et victores quidem, vix vnquam ſine ſuo ſanguine & ſtrage plurimorum ex iis quos habent chariſſimos aſſequuntur victoriam. Sicut in agentibus naturalibus, tametſi agens fortius quod præualet, ſubigat debilius, & victoriam de eo reportet; tamen agens debilius, reagendo infringit & accidit ex parte aliqua, vires hoſtis, à quo ſuperatur: ita vt quamuis actio & victoria ſit à proportione maioris inæqualitatis, tamen agens quoque infirmius, non pereat inultum. Carò igitur plerunque ſtat victoribus victoria, vt ſi ſic futurum erat, & tam lectus tamque generoſus ſanguis fundendus ad vincendum erat, ambigi poſſit, an expediuerit vincere. Vt certè tanto æſtu expeteretur victoria adeò triſtibus adiunctis lugubris, conſultum non fuit. Ex parte verò eorum qui ſubacti ſunt, eo ipſo quod ſubacti ſupponuntur, multò grauiora & funeſtiora accidiſſe neceſſe eſt: nec tantum oportet fuſum eſſe multum ſanguinem Chriſtianum, ſed etiam ſuperſtitibus qui furorem belli euaſerint, illatas eſſe moles malorum; expilatas, euerſas, incenſas ædes, ſtupratas licentia militari Virgines, fœdatas coniuges, pueros in parentum complexu trucidatos, vel obtritos, ſannas in faciem ingeſtas, direpta, aut malitioſe vaſtata publice ac priuatim concinna quæque, & viſu deſiderabilia. Nam de profanatis & ſacrilegè contaminatis ſacris ædibus, de direptis impiè ſacris Lypſanothecis, de calcata ſacrorum omnium, immunitate, de Chriſtianorum Veſtalium horrifica infandaque inceſtatione, quæ hodiernis militibus, (nec Turcis aut Saracenis vel eorum germanis hæreticis, ſed qui Catholico nomine mendaciter gloriantur;) iocus nunc ac ludus ſunt, ſilere ac lugere præſtat, quam ieiunè pro ſcelerum tantorum immanitate, & nunquam ſatis exaggeranda atrocitate quicquam dicere: niſi quod fatendum eſt, verè dici Clem. 2. de ſepult. *Non niſi tempore pacis, colitur pacis autor.* Tot ergò & tanta mala Chriſtianis; hoſtibus quidem, ſed tamen Chriſtianis, atque adeò fratribus, eodem Chriſto Patre & Eccleſia matre procreatis, eodem Chriſti ſanguine redemptis, ad eandem Chriſti & Dei hæreditatem vocatis; deſiderare, & à Chriſto Patre inferri cupere; ac per orationem rogare, quomodò poſſit cum Chriſtiana charitate conſentire, & quam accepta eſſe Chriſto communi Patri poſſit ea aduersùs alios eius filios oratio, idque quomodò non perſpiciant, qui ſic orant, cum ſit ex Chriſtianæ fidei ſcitis adeò euidens, vel ſi perſpiciunt,

tiò habeat, comparandum; nec ſplendorem iuſto auctiorem, & regno conciliandum, ſed in gradu ac temperatione conuenienti. Extra eas circumſtantias, victoria de Chriſtianis hoſtibus non niſi ſub conditione poteſt appeti, & per orationem præſertim publicam poſtulari.

Reſtrinxi honeſtatem orationis pro victoria de hoſtibus, ad hoſtes Chriſtianos: quo nomine iuxta phraſim Patrum, ſolos hic Catholicos intelligo: quia ſi ageretur de victoria abſolutè petenda, ſuperando Turcas, vel Ethnicos, aut Hæreticos; ſicque amplificando Chriſti regnum & Eccleſiæ præfecturam; non adhiberem conditiones reſtringentes quas appoſui. Victoria enim de talibus hoſtibus, poteſt abſolutè expeti, & per orationem poſtulari, exemplo Eccleſiæ quæ inimicos ſuos humiliari, & potentia diuinæ dexteræ conteri, eorumque aduerſitates, id eſt obſiſtentias & contrarietates, deſtrui rogat, nulla limitatione appoſita: Et meritò, cum hoc bonum ſit ſemper Deo acceptum, & Chriſti gloriæ ſeruiens. Sicque videmus in ipſis ſcripturis ſemper ſeruari, cum apud Moſem attollentem ad Deum manus contra hoſtes populi Dei, & apud Prophetas pro deſtructione impiorum diuinò cultui obſiſtentium rogantes; tum etiam in nouo Teſtamento; nominatim in orationis legitimæ articulo ſecundo, quem varij Patres ac Doctores, allegati à Suare, lib. 3. de orat. cap. 8 à num. 10. itemque aliqui interpretes Matth. 5. accipiunt de regno Chriſti per gratiam; quod non niſi debellatis fidei hoſtibus, (ita ſaltem vt quieto fidei exercitio non obſiſtant, obtinere poteſt. Certum porrò eſt, pleroſq; Patres qui pro honeſtate victoriæ per Principem de hoſtibus poſtulandæ, allegabantur, de huiuſmodi hoſtibus eſſe locutos. Id quod etiam in nonnullis orationibus Eccleſiaſticis, cernere eſt, quibus Imperatori rogatur potentia, ad conterendas gentes Paganorum quæ in ſua feritate confidunt, & contra religionem & fidem veram attollunt cornua. Vnus in præſentia adſcribendus eſt Paulinus Aquileienſis in calce ſacroſyllabi. Sic enim pro Carolo magno orandum præſcribit. [Catholicum atque clementiſſimum ſempérque inclytum dominum Carolum Regem, per interceſſiones Beatæ & glorioſæ Genitricis Dei Mariæ per quam meruimus auctorem ſuſcipere vitæ, & B. Petri, primi paſtoris Eccleſiæ, omniúmque ſanctorum; verùm etiam ſuffragantibus precibus veſtris; omnipotens & ſancta Trinitas, ſua cum gratia circumcingat & defendat, vt faciat ſemper quæ illi ſunt placita: & quatenùs cæleſtibus fretus armis, inimicos nominis Chriſti auxilio fultus de cælo, ad terram proſternat. Barbaras etiam nationes, infinita Deus omnipotens ditioni eius potentia ſubdat; vt ex hac occaſione ad cognitionem perueniat veritatis, & cognoſcant verum & viuum Deum, creatorem ſuum, regenerati vnda baptiſmatis: in gremio aggregentur matris Eccleſiæ, vt impleatur quod bonus paſtor promiſerat dicens. *& alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, vt ſit vnum ouile & vnus paſtor.* Multiplicetur pax in diebus eius, vt ſit ſancta Eccleſia libera, & ab omni ſtrepitu mundi ſecura, qua libertate Chriſtus eam liberauit.] Optimè iſta aduersùs tales hoſtes, petuntur abſolutè.

At agendo de victoria deuictis Chriſtianis hoſtibus reportanda, non poteſt ſimiliter dici, quod abſque vlla conditione, ſaltem ſubintellecta, poſſit poſtulari in oratione, præſertim publica quæ cum audientium, ſcandalo & ſulta; iactatione animi oſtentatione coniungi poteſt. Ad huiuſmodi ergò petitionem victoriæ, vt honeſtè ac Chriſtiane fiat, exigitur in primis, vt victoria non petatur à Deo, prout eſt clades & euerſio hoſtium Chriſtianorum; id enim ferinum eſſet ac diſſentaneum illi præparationi animi adorandum in particulari pro inimicis ſi ita poſtulet neceſſitas qua vrgeantur, de qua præparatione datur præceptum charitatis, quod fuſius enucleat Suarez lib. 1. de orat. cap. 16. num. 2. Quinetiam huiuſmodi euerſio & clades niſi inducat reſpectum aliquem ſpiritualem, inhumane & truculenter peteretur, etiam quoad hoſtes fidei, etiamſi maximè damnoſos, verbi gratia, Turcas, aut Saracenos. Nuda quippè euerſio & ſtrages hominum, ſi ibi præciſe ſiſtatur, non eſt aliquid honeſtè expetibile: quale debet eſſe honeſtæ præcationis obiectum. Multò itaque ſatius eſt, victoriam de hoſtibus Chriſtianis, poſtulari à Deo, non prout nude euerſio eorum eſt, ſed prout ſpectatur ſub alia quapiam conſideratione, ac vt loquuntur, formalitate. Talem conſiderationem victoriæ, eſſe dicebam, quietum ſtatum Reipublicæ propriæ, per ſubneruationem & repulſam hoſtium, eius paci & quieti infeſtorum. Qua ratione bellum, de quo victoria petitur, habet rationem defenſionis, quæ iure naturali honeſta eſt; & ſanctè poſtulantur, cum ſit ſementis multorum & magnorum bonorum, & diminutio ingentium ac plurimorum malorum. Conſtat, pleraſque orationes publicas pro victoria per principem bellantem reportanda, hoc tantùm ſpectaſſe. Et nominatim pſalmus qui olim in hanc rem concini ſolebat, vix aliud continet, quàm petitionem defenſionis ac tutelæ, ne opprimamur ab hoſtibus. Erat pſalmus ordine 53. cuius initium eſt, *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*, vt legere eſt in Epiſtola Adriani primi ad Carolum Magnum, pro Pothone Abbate, à perfidis pſeudomachis malitiose apud Carolum delato, quaſi recuſaſſet orationem fundere pro Imperatore. In Gretſeri Collectaneis epiſtolarum Pontificiarum ea Epiſtola eſt numero 72.

Exigebam denique, vt ſtatus florens ac ſplendor Reipublicæ propriæ qui per victoriam oratione poſtulatam captatur, non ſit multo auctior, qualis eſſet qui reſultaret ex oppreſſione iniqua collimitij, quæſitis coloribus ad vorandos imbecilliores, vt deuorant piſciculis, iuxta querimoniam Abacuc. Aliqui enim Principes immaniter ambitioſi, rictum expandunt, vel vt ſcriptura loquitur, dilatant, animam abſque vllo termino, & deficiente titulo ad iuſte ſubiugandos vicinos comminiſcuntur calumnias quibus onerant quos ſibi eſſe prædæ volunt, vt factum manifeſtè eſt à Nabuchodonoſore qui bello quod gentibus innoxiis inferre deſtinabat, prætexuit defenſionem; iuxta illud Iudith. 1. *iurauit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Quæ ſcilicet noluerant vltrò ſubire iugum eius Tyrannicum, omni titulo deſtitutum. Velificari igitur iniquæ ingluuiei ambitioſi Principis, & ei poſcere à Deo victoriam ad comparandum ſtatum iuſto ſplendidiorem & florentiorem, per iniuſtam eorum, quibuſcum vltrò bella ſæuit ſubactionem, labe non vacaret, fieretque ea oratio peccantis in peccatum; ac fortè etiam iuſto Dei iudicio in cladem & infælicitatem Principis cederet. Sicut enim bonorum temporalium petitio, vltra moderatam

menſu

SECT. I. CAP. XI.
De orat. pro victoria.

SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Principe.*

menſuram, ita vt ſuperflua euadant, inhoneſta eſt, ſi abſolutè & abſque conditione fiat; vt probat Suarez, lib. 1. de orat. cap. 17. num. 11. & 12. Ita de victoria ex hoſtibus de quibus hactenùs egimus, reportata, deque bonis eam conſequentibus, eſt ſtatuendum.

Extra circumſtantias de quibus hactenùs, victoria de hoſtibus Chriſtianis, non poteſt abſolutè & ſimpliciter peti, ſed tantùm ſub aliqua conditione quæ orationem pro ea factam honeſtet. Qualem conditionem, ſi expreſsè non adhibeatur, aut ex aliquibus adiunctis non ſit manifeſta, vel admodum rationabiliter poſſit præſumi; oporteret aliqua tandem ratione notam facere, cum oratio eſt publica; ſiue ratione loci, vt quo Concionator obſignaret homiliam, ſiue ratione miniſterij. Vtrolibet enim modo oratio dicatur publica; niſi conditio prædicta in illis circumſtantiis adhiberetur, non auerteretur ſcandalum aliquorum, qui fortè poſſent ex tali oratione offendi: Ea verò adhibita, omnia inter Chriſtianos decenter & honeſtè fieri, intelligerentur. Id verò neceſſarium nunquam erit, pro oratione publica à ſacris miniſtris fuſa ex præſcripta per Eccleſiam orandi formula. Eccleſia enim ſpiritu Sancto docente, adeò precandi formulas ab omni carnis & ſanguinis fæculentia liberat, vt non ſit opus ſollicitudine tangi, de adhibendis mente aut voce limitationibus & conditionibus, quibus orantis immoderatio coërceatur, & cohibeatur intra recti & honeſti fines. Eos verò ſine dubio tranſgrediuntur, & eorum oratio fit illis in peccatum, qui, ſiue princeps iuſtè aut iniuſtè bellet, indiſcriminatim orant illi victoriam. Quales ſe pleroſque ſuo tempore bellis æſtuoſo, vidiſſe refert & improbat Nauarrus, Enchir. de orat. cap. 5. num. 3. Nec dubitarim, quin iis in oratione nimiis æmulationibus decorum ſui principis, annumerandus ſit Sergius Conſtantinopolitanus, ſi verè eius orationem pro Heraclio Imperatore, retulit Piſidas ſub finem carminis de Coſmopeia: Sic enim eum oraſſe dicit, aſſantem Numen:

Concede vt Imperium obtinet qui à te ſumm
Mundi arbiter, qui ſubegit Perſida;
Vel liberauit potiùs ipſam Perſida,
Orbis fruatur ditione, ſol quam obit.
Oſtende terram imitarier cœli globos.
Sol vnicus dominetur his, vt infimis.
Nam Perſici qui viſus eſt domitor ſoli,
Hunc Imperatorem orbis eſſe conuenit.

At hoc, plus etiam eſt orare, quàm vt princeps hoſtes ſuperet. Non enim orbis vniuerſus Heraclio iure ſuberat, vel ab eo iure belli ſubigi poterat, vt poſſunt ſubigi hoſtes. Itaque ea petitio, carnem & ſanguinem redolebat. Nec mirum ſiè oraſſe Sergium, vel referri ſic oraſſe. Erat enim de illorum Epiſcoporum numero, qui aula ſpiritu aguntur potiùs quàm Dei; vnde conſtantia illum in fide Catholica defecit, dum Principum gratiam iuſtò ſtudioſiùs captat.

PRONVNCIATVM II.

PRudenter Eccleſia in formulis precandi pro Principe bellante contra alios Chriſtianos, abſtinet petitione contritionis hoſtium, ac victoriæ de eis.

Abſtinere Eccleſiam huiuſmodi petitione, perſpicuum eſt ex formulis orationum quæ in eam rem præſcriptæ habentur in Romano Miſſali. Nam quod in oratione ſecreta pro Imperatore quæ habetur inter orationes ad diuerſa, petatur, *Vt ſuperatis pacis inimicis, ſecura tibi ſeruiat Chriſtiana libertas*, Referendum eſt ad inimicos Chriſtianæ libertatis, hoc eſt ad Paganos vel Infideles, quibus repellendis, gladius materialis commiſſus eſt Imperatori. In cæteris orationibus quæ ibidem apponuntur pro Rege vel Imperatore, nec non in orationibus Miſſæ tempore belli, aut pro pace; nulla eſt mentio victoriæ de Chriſtianis hoſtibus; ſed tantùm defenſionis ab incurſu hoſtili, & protectionis contra impugnatores. In orationem pro Rege intruditur à nonnullis petitio victoriæ & debellationis hoſtium. Nam poſt illa verba, *Vitiorum monſtra deuitare*, addunt, *& hoſtes ſuperare.* Sed hoc aſſumentum, Eccleſia non adhibuit. Nam in ſacramentario Sancti Gregorij, è quo hæc oratio deprompta eſt, nihil tale habetur, neque in Miſſali Pij V. vel Clementis VIII. & Vrbani VIII. Neque memini videre Miſſale vllum Romanum in quod ingeſtum ſit huiuſmodi additamentum, etiamſi eadem oratio pro Rege, extra Miſſale variis occaſionibus edita, eam additionem iniuſſu Eccleſiæ appoſitam, contineat. Silentium ergò Eccleſiæ, quoad rem de qua agitur, ratum eſto.

Commendabam verò hoc ſilentium à prudentia, quia tametſi verum eſt, victoriam de Chriſtianis hoſtibus, iis condimentis adhibitis quæ pronunciato. 1. recenſui, peti à Deo poſſe; tamen procliue admodùm eſt, vt vnum ſaltem aliquod ex adiunctis talem orationem honeſtantibus deficiat. Qua ſuppoſitione facta, petitio apud Deum ſorderet, quia malum ex quocunque defectu. Deinde Eccleſia, Chriſti mitiſſimi ac placidiſſimi imitatione, abhorret à ſanguinis Chriſtiani profuſione, qua carere non poteſt victoria de hoſtibus, eorúmve clades per Principem victorem. Itaquè ſpiritum Chriſti quo agitur, optimè prodit Eccleſia, cum orat pro bello inter Chriſtianos, poſcendo tantùm pacem, aut defenſionem aduersùs partem hoſtilem: quæ petitiones, humanæ omninò ſunt, & placidam Chriſti columbam decentes: procul que abſunt à periculo iniuſtitiæ, etiam materialis, in quam plerique victoriam expetentes incurrunt, defectu tituli ſolidi ac fundati, ex quo geratur bellum, cui victoria poſcitur ſubnectenda. Non nego, defenſionem quoque, aliquandò poſſe eſſe iniuſtam; vt cum pars altera iniuſtè ſe ſubduxit legitimæ poteſtati, & ab ea illato bello vrgetur iugum reſumere: in quo euentu certum eſt, Eccleſiam nolle oratione ſua ſuffragari iniuſtæ defenſioni: & talem orationem fore malam, diſertè ait Nauarrus, Enchir. de orat. cap. 5. num. 3. Tamen infrequentius eſt, vt defenſio labem contineat, ſempérque pura erit eius petitio, ſi poſcatur ne vltio excedat culpam, vt facilè accidit per licentiam & efferationem victoris malè violati. Petitio autem ne vltio iuſtos fines tranſgrediatur, eſt petitio defenſionis iuſtæ, cui ſoli ſuffragatur in eo euentu, oratio Eccleſiæ.

Iuuat hic attexere, quæ Nauarrus, vir & doctus & pius, flagrante ante ſæculum bello, Gallos inter & Hiſpanos, & iis ipſis contentionibus circa orationem

tionem pro Principe, quæ nunc recruduerunt iam tunc excitatis; ſapienter & valdè Chriſtianè pronunciauit in Enchir. de orat. c. 19. concluſ. 10. Sunt enim quæ ibi tradit Nauarrus, admodum conſentanea ſenſui Eccleſiæ, & formulæ orandi pro Principe ab ea præſcriptæ, cuius nunc æquitatem & exactam rectitudinem demonſtramus. Ait ergò Nauarrus, non eſſe orandum pro principe eo modo quo vulgus orat; Nimirum vt quoquomodo hoſtes perimat, & eorum ciuitates diripiat, incendatque: ſed potius, vt hoſtes reſipiſcant, male ablata reſtituant, pro iniuriis illatis ſatisfaciant, pacemque piam æquis conditionibus dent & accipiant: vt quos vnum baptiſma, vna fides & vna ſpes, in vna eademque Eccleſia Romana coniungit; vna etiam charitas vinciat, & in gloriam deducat æternam.] Addit orandum eſſe, vt Deus Catholicam Eccleſiam conſeruet, cui per bella inter Chriſtianos, imminet exitij ab infidelibus periculum. Ideoque par eſſe, vt fideles Catholicorum Principum Bellantium ſubditi, orent vt partes bellantes diuina inſpiratione adducantur ad ineundam inter ſe pacem, & vt Deus non permittat Conſiliarios ac Miniſtros Principum certantium, prouocare illos ad cæcos impetus iræ, ſuperbiæ, & ambitionis; quin potiùs vt illis ingerant & ſuadeant rationes & cogitationes pacis, iuſtitiæ, charitatis, quibus agnoſcant & ament quæ iuſta ſunt, & quam parum poſſint ni Deus faueat, adſitque beneuolus. Quod verò ſequitur, verbis eius omninò mellitiſſimis & quouis Seſamo ſapidioribus exprimendum eſt, ne quid noſtrum obtruſiſſe videamur. Eſt enim eiuſmodi Nauarri oratio, vt noſtris temporibus, non poſſit aptior congruentiorque proferri. Ait igitur. [Debere nos item diuinæ maieſtati eius ſupplicare, vt ſua benignitate, ex aliquorum ſubditorum ſuorum animis depelleret furias illas infernales, quæ adeò eos exagitabant, vt nunquam non maledicerent, nunquam non incumberent calumniis, iniuriis, & obtrectationibus, in Reges ſuis Regibus aduerſarios, & eorum ſubditos; quæ vix ſinebant eos cognoſcere, peccatum eſſe detrahere ſuperioribus. Quoties ô bone Deus; nauans operam literis diſcendis & docendis in Academiis regnorum vtrius principum certantium, vt ſatisfacerem Deo & conſcientiæ meæ, reſtiti eis qui ignari rerum, regnorum aduerſariorum, laxato (vt aiunt) omnino fræno, nullo Dei timore frænati, infamabant regna, alienoſque & eorum ſubditos, adiiciendo eis epitheta, quæ vel dicere pudor eſt. Reſtiti, inquam, & ſæpius cum fructu, admonendo eos multa varij generis bona, multaſq; animi & corporis dotes, quibus Deus Optimus Maximus ornauit regna, Reges, ac ſubditos quibus detrahebant: & in his aliqua, quibus detracti detrahentibus præcellebant; referendo ſpeciatim quibus bonis & virtutibus, & gratiis naturalibus & acquiſitis, vt plurimum præſtent regnicolæ vnius regni, regnicolis alterius. Et è contra, quibus vitiis & defectibus vt plurimùm alij ab aliis vincerentur. Quam reſiſtentiam, etſi teſte Deo, bona fide pro iuſta defenſione abſentium facerem; nihilominùs frequenter per iniuriam audiui, non ſolùm in Gallia quod eſſem Hiſpanus, defendendo Hiſpanos; ſed etiam in Caſtella, quod eſſem Gallus, aut Luſitanus, eo quod defenderem Gallos aut Luſitanos, in eo in quo iuſtè defendi debebant. Et in Nauarra, quod eſſem Caſtellanus; eo quod contra falſam aliquorum meorum Nauarrorum opinionem, eos defenderem, & in quibus iuſtum erat, ipſis præferrem.] Tam multa totidem verbis ex Nauarro adſcribere placuit, ſi quomodò medicinam facere poſſem, plagis quæ nunc recruduerunt eodem ſpiritu Satanico qui tunc graſſabatur ac ſæuiebat, iisdem ſagittis ſauciante improuidorum pectora.

SECT. I. CAP. XI. *De oratione pro Principe.*

Ære verò triplici circum pectora muniti, deſpiceremus omnia huiuſmodi tela, ſi in noſtras mentes omninò veniret, quod idem Nauarrus poſtea conſiderat; nempè in omni gente Chriſtiana eſſe bonos & malos, & in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptum eſſe Deo. Attendendum item cuiuis eſſe extare præceptum de dilectione mutua, quod non adimplet quiſquis proximos diligit, tantum quia ſunt eius ciues, aut cognati, vel amicitia politica coniuncti, aut quia ſunt ex eadem terra vel regno. Talis quippè amor non eſt amor charitatis qui præcipitur, ſed is quo amatur proximus prout nobiſcum capax æternæ beatitudinis: quod amoris metrum in omnes æquè Chriſtianos, etiamſi alterius regni, aut gentis, cadit. Ex quo liquidò infertur, (ait idem Nauarrus,) quam ſtultum ſit, habere odio Luſitanum, Caſtellanum, Gallum, Anglum, Germanum, Italum aut alium alterius cuiuſlibet gentis hominem, quia illius alterius gentis eſt à qua abhorremus: cum potiùs perpendendum eſſet, omnes nos, eſſe ſeruos vnius domini, redemptos ab vno redemptore, membra vnius corporis Chriſti, quod eſt Catholica Eccleſia; & quod in cælo tanquam fratres, abactis bellorum tumultibus, tandem conſentiemus & collætabimur, abſque diſtinctione Iudæi ac Græci, Galli, & Hiſpani: Conſentaneum proinde eſſe, vt iam ex hac vita, ſeruiamus Deo humero vno, & formam ſtatus cæleſtis prædelineemus in via, amantes omnes proximos cuiuſcunque demùm ſint regni ac gentis, cum ſint idonea amoris ſynceri & Chriſtiani obiecta, eo ipſo quod ſunt filij eiuſdem Dei, & deſignati cohæredes noſtri in cælo.

Obligationis igitur qua adhunc amorem vrgemur, conſcia Eccleſia, tametſi non ignorat adhibitis limitationibus, quas Pronunciato 1. adhibuimus, poſtulari poſſe, vt princeps, cui quis ſubeſt, victoriam aſſequatur, tamen quia limitationes illæ non adeò facilè interueniunt; conſultius duxit, in formula orandi pro Principe, abſtinere petitione victoriæ, & debellationis hoſtium Chriſtianorum; Conſultiuſque faciemus etiam nos, (vt Nauarrus denique concludit,) ſi ſuper ſacrum, oremus Deum, vt noſtrorum Regum animas efficiat habitatione ſua dignas, & exornatas ſapientia ac cultu diuino, aliiſque virtutibus, magis quam victoriis, triumphis, & gloria. Oremus, inquam, Deum ad altare, vt ambobus principibus certantibus; pacem & concordiam tribuat. Id quod Nauarrus ſuo tempore, cum bellis inter Gallos, & Hiſpanos arderent omnia, à multis ſe vidiſſe ſeruatum admonet, quos œſtrum ſæculi & ſpiritus carnis non impellebat; nec rota Natiuitatis inflammata à gehenna, vrgebat in præcipitium. Et ita neceſſitate adacti faciemus, ſi pro omnibus ſimul quantumuis inter ſe bellantibus, orare placeat; quod valdè pium eſt, & conſentaneum Apoſtoli conſilio, monentis orandum pro Regibus. Qui enim pro omnibus etiamſi bellantibus orat, non poteſt pro omnibus poſtulare victoriam quæ ſine aduerſariæ partis clade obtineri non poteſt. Præſtat ergò poſcere quod propoſitum eſt, & imitari Eccleſiæ prudentiam, quæ vbertatem virtutum omnium, & fortitudinem aduersùs vitia, Principi apprecari docet; de victoriis autem aduerſus Principes

SECT. I. Cap. XI. De oratione pro Principe.

per Chriſtianos, eiúſque eorum debellatione, planè licet.

PRONVNCIATVM III.

QVi Eccleſiaſticam formulam precandi pro Principe, additamento ad Chriſtianos hoſtes debellandos pertinente, ex ſuo cerebro auget, labe non vacat.

Hoc videtur per ſe manifeſtum; quia orationes ab Eccleſia præſcriptæ, ſolius Eccleſiæ auctoritate, augeri vel minui poſſunt. Diſertè autem Bullæ Pij V. & Clementis VIII. ac Vrbani VIII. interdixerunt omni mutatione, atque etiam minutione ſiue augmento, in iis omnibus quæ in Miſſali Romano & Breuiario proponuntur, inter quæ ſunt hæ orationes. Et quoad orationes quæ in Miſſa recitantur, idem habetur ex Concilio Tridentino Seſſ. 22. cap. de obſer. in celebr. Miſſæ. Ex quibus decretis Suarez t. 3. p. d. 83. ſ. 3. concluſ. 2. & Antonius Molina in ſacerd. Inſtit. tract. 3. cap. 11. §. 5. haud leuem ſcrupulum iniiciunt iis qui arrogantes ſibi hac in parte poteſtatem Eccleſiaſticam, addunt quæ Eccleſia non addidit, vt ſuæ deuotioni ſatisfaciant: quod multò magis dicerent de additamentis ex ſpiritu carnis ac ſæculi, cuiuſmodi frequenter eſt hoc de quo agimus. Pleroſque enim immoderatus gentis ſuæ amor, & gloriæ vltra iuſtam menſuram nationi ſuæ conciliandæ deſiderium internum, ſtimulat ad orandum, vt princeps cui ſubſunt, hoſtes ſuperet: non conſiderando, an victoria quam expetunt, iuſta ſit; & an ceſſura ad Dei gloriam maiorem, & ſalutem animarum; cui omnes principatus terreni, eorúmque amplificationes, ſeruire debent. Ex hoc igitur ſpiritu, de ſuo capite facere additamenta ad formulam precandi ab Eccleſia præſcriptam, non poteſt labe ac peccato vacare: & periculum eſt, ne huiuſmodi oratio facta oranti in peccatum, officiat potiùs quàm commodet rationibus principis pro quo interponitur, maledicente Deo benedictionibus contra ordinem debitum adhibitis, ex mundi & carnis ſpiritu.

Faciliùs ferri aut excuſari poſſet, vna & altera in præſcriptis orationibus additio de qua non ita pridem agitatam litem ſcio. Cum enim ex mandato Pontificis, in ſingulis ſacris oratio contra Paganos recitanda eſſet, fuerunt qui illa verba, *vt gentes Paganorum quæ in ſua feritate confidunt*, vt locupletarent; *vt gentes Paganorum & Hæreticorum, quæ in ſua feritate & fraude confidunt*; cauſati in hac ipſa oratione contra Paganos, factam eſſe eam locupletationem iuſſu Pontificis, in præſcripta formula exponendi diuinam Euchariſtiam ad orationem 40. horarum; in qua præter cætera, indicitur recitatio illius orationis ſic locupletatæ: haud dubiè vt vaſtitates regionibus Catholicis & fidei, per hæreticos in Germania ſuperiori & inferiori impendentes, auerterent: Quod precandi ſtudium ſuper ſacrum quoque, non nemo, regionum illarum ſortem miſertus, innoxium ſibi eſſe exiſtimauit, cum ipſa Eccleſia alibi eam orationem cum illo additamento proponat. Alia additio tolerata aut excuſata æquè facilis, eorum eſt, qui in oratione Miſſæ, exprimunt nomen ſancti, neſcitur qua ex cauſa, prætermiſſum vel dilapſum, verbi gratia, in oratione poſt communionem de Sancto Ioanne Euangeliſta, & de Sancta Agnete aliiſque compluribus, habentur tantùm, te ſupplices exoramus, *Vt in cuius hæc commemoratione percepimus*, tacito ſancti nomine; quod illi quos refero, exprimunt, dicentes, *exoramus vt Beati Ioannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ, in cuius hæc*, &c. Similiter in oratione de ſancta quapiam, vbi dicitur, *Satiaſti Domine familiam tuam muneribus ſacris, eius quæſumus ſemper interuentione nos refoue, cuius ſolemnia celebramus*, tacito nomine ſanctæ, ipſi illud exprimunt, ſuſpicantes excidiſſe, dicúntque, *muneribus ſacris, Beatæ Catharinæ virginis tuæ quæſumus*. Cum enim adeò honorificum ſit ſancto, nominari ſuper ſacrum, vt Diuus Chryſoſtomus admonuit homil. 21. in Acta, non putant ſe Eccleſiæ præſcripta incurrere, ſi nomen cœlitis exprimant, negantes id eſſe augere orationem. Hæ ergo vel expreſſiones vel qualeſcunque locupletationes, exemplo ipſiuſmet Eccleſiæ, aut ex incenſo ſtudio honoris Sanctorum profectæ, faciliùs admittunt excuſationem, quam additiones illæ quæ ſenſum continent, aut ſuſpectum aut reprobum; certè nulli ab Eccleſia admiſſum, in tali aut planè conſimili oratione, cuiuſmodi eſt additio quam expendimus; poſcens vt Princeps hoſtes ſuperet, etiamſi Catholicos, & fortè innoxios, quibus non eſt ius ruinam & debellationem apprecari.

Faciunt ad hunc locum, quæ Potho Prumienſis, l. 3. de ſtatu domus Dei, & Radulphus à Riuo in Opere de Canonum obſeruantia, adducunt contra eos, qui in vniuerſo ritu ſacrorum, aliquid ex ſuo ſenſu ſtatuunt, nec præciſè ac ſimpliciter adhærent Eccleſiaſticis inſtitutis. Potho aduerſùs Monachos præſertim agit, monachus ipſe & Monachorũ Preſbyter; grauitérque expoſtulat, de temeritate quorundam regularium Prælatorum hac in parte: vnde ſciſſuras & pacis violationes inter Monachos, enatas teſtatur. Ideóque ſummum Pontificem, de cuius poteſtate in Eccleſiam vniuerſam ſplendidiſſimè diſſerit; & cuius ſolius eſſe profitetur, ritus ſacros præſcribere, aut circa eos nouare quippiam; flagitāti ſtudio interpellat, vt tanquam bonus Medicus, huic in Monaſteriis animorum ægritudini proſpiciat; ſeuerè interdicendo quibuſuis nouitatibus circa ſacros ritus; & licentiam nouandi pruriginoſis quibuſdam ingeniis veluti innatam, coërcendo. Quanquã non quoſcunque cœnobiorum incolas, ſed ſolos moderatores hoc probro onerat Potho; quod noxiam ſingularitatem, humanis fauoribus ſeruientem, cum pacis profligatione, & perturbatione infirmorum, ſectari malint, quàm canæ vetuſtati & inſtitutis communibus auctoritate Eccleſiæ probatis, adhærere. Locus ex Iulij primi, Epiſtola ad Orientales, quem in hanc rem adducit, luculentus eſt, & adſcriptu digniſſimus. [Inſtituta (inquit,) Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum, contemnere nolite. Canones habetis; his fruimini. Satis enim indignum eſt, quemquam Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc regulam refutare, quam B. Petri ſedem videat ſequi, & docere. Multum conuenit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, vbi Dominus Eccleſiæ totius principatum poſuit dicente ſcriptura, *Ordinate in me charitatem*. Et iterùm, *Omnia cum ordine fiant*.] Hæc ex Iulio Potho, quæ à Gelaſio ad omnes Epiſcopos ſcribente, iiſdem ex parte verbis, vſurpata docet. Ordo itaque ab Eccleſia, in ſacris ritibus ac nominatim in orando conſtitutus, tenaciter eſt retinendus, abiectis nouitatibus profectis e ſpiritu carnis, & corruptis ſæculi ſenſibus: vnde exiſtere in cœnobiis deſidia, & pacis excidium. Quod de ſuo

De oratione pro Imperat.

de ſuo tempore aiebat Potho, noſtra quoque ætate eſt comprobatum palpabili experimento, in hac ipſa adiectione ad formulam peccandi de qua agimus; cum ex ſenſu proprio à quibuſdam inducta, ab aliis nouationem illegitimam cauſantibus, ablegaretur.

In eandem ſententiam, & vt nouitates omnes à ritu precandi ablegentur; ſtetur autem conſtitutis per ſummos Pontifices Eccleſiæ Rectores; Radulphus Tungrenſis, integras acies decretorum ſacrorum adducit. Propoſ. 3. Operis de morum obſeru. Addit que alibi, propoſ. 6. & 7. in diuinis officiis eorumque partibus omnibus atque particulis, omnimodo eſſe abſtinendum nouitatibus: ſed inſiſtendum eſſe Romanæ Eccleſiæ ſanctionibus, nihil priuata ſua ſententia, & arrogata perperam auctoritate addendo, vel minuendo. Egregiè verò annotat ex Hugone Victorino, in expoſitione Regulæ Beati Auguſtini tametſi interdum ratio videretur vigere ad nouandum, præſtare nihilominus auctoritati potius inſiſtere, quàm rationi. [Quoniam auctoritas ſemper obedientiæ & humilitatis eſt: ratio nonnunquam præſumptionis.]

Hæc ſi conſiderarent, qui adeò faciles ſunt in mutationibus de ſuo capite circa ſacros ritus & formulas ab Eccleſia præſcriptas; tenaciores haud dubiè eſſent inſtitutorum ſacrorum, quæ Pontificum ſummorum auctoritas, etiam olim receptus vniuerſæ Eccleſiæ vſus, indicit. Nec ſine partium odio, ſiue gentis ſuæ affectu, flecti ſe aut ferri ſinerent, ad nouum vſum, vel in re minima, (quanquam quid in his negotiis cenſeri minimum poteſt?) arrogata ſibi auctoritate atque adeò illigitimè inuehendum. Qua in parte, per ſocordiam, aut politicismum, aut ſæculi ſenſibus fermentatum Præfectorum affectum, à Pothone, (vt vidimus) meritò granatum, gliſcit in dies malum; ita vt non tantùm volente nolente Eccleſia, Principibus ſuis debellationem Catholicorum hoſtium, adiectione facta ad præſcriptam orandi formulam, apprecentur; ſed etiam conculcatis rubricis omnibus indictum orationum omnium numerum & ordinem peruertant. Nec rarò cum aſtantium laicorum offenſione, qui ſpiritum illius, qui precantes eo nouo modo agitat, prorſus expertes; inconditos affectus & profanitatem ad altaria inferri criminantur; & humanæ potiùs gratiæ ac pompæ aulicæ obſequi quàm diuino cultui & ſyncero Principis ſubſidio ſeruire eas nouitates, fortaſſis falsò interpretantur.

Erga nullum tamen, iuſtior piorum offenſio inter varias huius generis nouationes extitiſſe viſa, quàm erga eum, qui ex ſolemni benedictione Cerei Paſchali, Sabatho ſancto indicta, ex certa formula, cui conſertæ ſunt precationes variæ, expunxit ſua auctoritate, Imperatorem Romanum, & in eius locum ſuffecit Principem ſuum; temeritate non ferenda. Nam niſi eum partium ſtudia cæcaſſent, agnouiſſet ſpecialem memoriam Romani Imperatoris in Catholica Eccleſia fieri, ſupra memoriam aliis quibuſuis principibus debitam; quod certum ſit, & a grauiſſimis Patribus, quos Maluenda l. 4. de Antichr. c. 8. diligenter collegit, pridem obſeruatum; Romani Imperij erectionem, prouiſam diuinitùs fuiſſe, ad commodam fidei Chriſtianæ diffuſionem per Orbem vniuerſum. Ita tradit S. Leo ſer. 1. de SS. Petro & Paulo Nec non Proſper, l. 2. de vocat. gent. c. 16. & Eucherius in Paræn. ad Valer. n. 15. & optimè Prudetius. Hymno 2. Periſteph. à v. 415. Aliud Romani Imperij beneficium erga Chriſti Eccleſiam, obſeruauit Euſebius in pſalmum 2. exſcriptus ab Agellio ibi ad verſ. 9. Virgam enim ferream, in qua Chriſtus gentes recturus dicitur, eaſque tanquam vas figuli confracturus; Euſebius interpretatur Romanum Imperium; cuius virga ferrea, id eſt gladius ex vtraque parte acutus; Danielis 2. per ferrum ſignificatur. Virgam autem pro gladio interdum accipi in ſcripturis, accuratè docet Toletus Lucæ 9. annot. 6. ex cap. 39. Ezechielis, vbi habetur, *comburent arma, clypeum, & haſtam, arcum, & ſagittas, baculos manuum & contos.* Græcè 70. *baculos manuum*, id eſt, enſes, vocant ῥάβδους, id eſt, virgas. Et idem videtur fuiſſe baculus quem Dauid ſemper geſtabat 1. Reg. 17. Græcè enim eſt ῥάβδος, ſicut apud Ezechielem. Et cum Dauid iuuenis robuſtus non egeret baculo ad fulciendum ſeſe, videtur geſtaſſe baculum in manibus, qui eſſet genus enſis, quale videmus pleriſque baculis viatoriis inſeri: Ex quo tollitur apparens diſſidium inter Euangeliſtas; interdictum Chriſti de Virgæ geſtatione, referentes; Matthæus enim & Lucas, ne virgam quidem geſtare permiſſos Apoſtolos ad prædicandum dimiſſos, affirmat. Marcus verò, vſum virgæ, permiſſum refert. Nimirum Marcus, de ſimplici baculo viatorio egit; cæteri verò de baculo, cui eſſet intus commiſſus enſis. Hæc igitur iuxta Euſebium eſt virga ferrea, in qua Chriſtus paſtor redi-uiuus, & conſtitutus Rex ſuper Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo; rexit gentes atque contriuit. Neque enim diuerſarum Vrbiū Principes ac populi, coaleſcere intra ſe Chriſti doctrinam, quam exoſam habebant, permiſiſſent; niſi imminens Romani Imperij metus, eos coërcuiſſet; & edicta ſeueriſſima aduersùs eorum furorem edita, compreſſiſſent hoſtes Eccleſiæ, vt Euſebius conſiderat. Quod referendum eſt ad tempora Conſtantini Magni, gregis noſtri Zorobabelis, vt Theodoretus appellauit. Is enim obſtrepentes Chriſto Idololatras, contriuit, & Chriſti regnum omni ſtudio promouit. Hæc ergò beneficia per Imperium Romanum diuinitùs ſibi obtigiſſe agnoſcens Eccleſia; meritò hanc ei vicem rependit, vt ſpecialem eius memoriam in ſacris officiis & precationibus ingerat. Et accedit potentiſſima ac vrgentiſſima ratio id præſtandi, quam Tertull. verbis refero c. 30. Apol. poſtquàm aperuit iniici Chriſtianis neceſſitatem orandi pro Imperatore ob præceptum Apoſtoli, & nexum cum ſalute Imperatoris commune bonum. [Eſt & alia (inquit,) maior neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu Imperij, rebúſque Romanis; quod vim maximam vniuerſo orbi imminentem, ipſamque clauſulam ſæculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij commeatu ſcimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus.] Lanctantius quoque l. 7. c. 25. præfatus multa de cladibus quæ superuenient vniuerſo orbi in mundi meta, ſubdit. [Hac humi vrbe Roma, nihil iſtiuſmodi videtur eſſe metuendum. At verò cū caput illud orbis occidet, & ῥύμη eſſe cœperit, quod Sybillæ fore aiunt, quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbique terrarū. Illa eſt enim ciuitas quæ adhuc ſuſtentat omnia; precandúſque nobis & adorandus eſt Deus cœlo, ſi tamen ſtatuta eius & placita differri poſſunt, ne citiùs quàm putemus, Tyrannus ille abominandus veniat qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt.] Benè in hanc ſententiam diſſerit Franciſcus Balduinus in Notis ad librū tertiū S. Optati Mileuitani videant qui formulā ab Eccleſia præſcriptā, ex affectu gentis & ſtudio

SECT. I. CAP. XII *De temperatione circa negotia politica.*

partium, ſummotarunt; quid orbi vniuerſo commodet audax eorum & inconſulta nouatio.

Minùs improbandum eſſet, ſi per rubricas aut vſum receptum liceret, vt ad orationem pro Imperatore, adderetur oratio pro Principe proprio. Sic enim Franci olim, (ſaltem aliqui,) poſt orationem Feria quarta maioris hebdomadæ pro Imperatore, addebant orationem pro ſuo Rege, vt diſertè habet Ordo feriæ illius quartæ in Cod. Tiliano, qui olim fuit Eccleſiæ Salarienſis. [Poſt Imperatorem dicit pro Rege Francorum.] In ordine autem Romano (non disiunctiuè, ſed explicatiuè) habetur [Dicit orationem pro Rege Francorum, ſiuè pro Imperatore.] Quod ſcriptum videtur & Ordini illi antiquiſſimò additum, quo tempore eadem perſona, & Regis Francorum & Imperatoris titulis gaudebat. Ex qua etiam cauſa in Sacramentario S.Gregorij, oratio pro Rege ea feria quarta his verbis concipitur. [Reſpice ad Romanum atque Francorum benignus Imperium.] In codice tamen Rodradi, & apud Pamelium, tantùm habetur. [Reſpice ad Romanum benignus Imperium.] Hæc varietas monſtrat, non ex vniuerſali Eccleſiæ præſcripto additum eſſe proprij Principis nomen; ſed ex ſtudio aliquorum; quod & priuatim amplectendum eſt, & publicè quoque, ſi vſus receptus, vel facultas maiorum quorum eſt rubricas interpretari, aut mutare ita ferat; benè & piè viurpandum. Vt autem excluſo Imperatore, quem vniuerſalis Eccleſia in ſolemnibus illis orationibus vult nominari, priuatus quiſpiam ſuo affectui indulgeat; hominis eſt non ſapientis ad ſobrietatem, nec timentis exacerbationem diuinam ab improuido illo affectu in gentem ſuam.

PRONVNCIATVM IV.

QVi orationem pro Principe, additamento victoriam de Chriſtianis hoſtibus apprecante, ab aliis cumulatam, vſurpat, vt à ſe incommodum aliquod alioqui inferendum amoliatur, exſors culpæ eſt, labiſque purus.

Deprauatis per ſtudia partium affectibus, eo deuentum eſt, etiam inter eos quos conſiliorum Euangelicorum profeſſio ad omnem ſanctimoniæ accurationem ſtimulare deberet; vt ſi quis deprehendatur non modò à ſtudiis quibus gens aut regnum adhæreſcit, abhorrere; ſed etiam remiſſius circa ea agere, vel ſilere à bonis quæ ij inter quos degit, euulgata, contentiſſimè cupiunt, confeſtim tanquam malè erga eam gentem aut regnum affectus, notetur, non abſque exturbationis & aliorum grauium damnorum periculo. Idque nominatim locum habuiſſe, circa vſurpationem additamenti ſtudio partium per aliquos in orationem pro Principe inuecti, exploratum habeo. In eo igitur rerum ſtatu, qui precationem non purè prout præſcribitur ab Eccleſia, ſed gentilitio illo additamento ſuffarcinatam, publicè recitat, excuſandus videtur. Eſt enim certa doctrina, de qua Sanchez l. 1. in decalog. cap. 18. &. Suares, l. 3. de legibus cap. 30. leges humanas quibus aliquid non intrinſecè malum præcipitur, euigeſcere, ſi ex earum obſeruatione impendeat malum quod interſit auertere. Supponimus autem ita euenturum in præſenti negotio, ſi additamentum, de quo ſermo eſt, prætermitteretur. Quare adhiberi tunc poterit, & quidem eo ſecurius, quo per iuſtam ſubintellectionem conditionis honeſtantis, facilius eſt remouere omne periculum immoderatæ petitionis, & affectus ex diuinis regulis minùs compoſiti.

CAPVT XII.

Quæ negotiorum, per Religioſum pro gente ſua ac Principe geſtio, habenda ſit temperata.

ADhibentur interdum Religioſi, ad gerenda aliqua publica negotia. In qua parte ſitne neceſſaria temperatio, & cuiuſmodi, videndum ſequitur. Seponenda tamen hoc loco eſt, opera in bellis per Religioſos nauata, in gratiam nationis, aut Principis: quia quamvis ea præſertim ſit quæ temperationem depoſcit; tamen quod pleſſa ſcriptione, cui titulus eſt, *Religioſus Loricatus*, ſit à nobis expenſa, non eſt quod hic denuò excutiatur. Erit igitur duntaxat ſermo in præſentia, de negotiis (ſi dicere licet), togæ, non armorum, & laureæ: in quibus pacatis negotiis, propter lubricitatem materiæ & aulæ illecebroſitatem, magna omninò eſt temperatio neceſſaria Religioſo, niſi velit ex *Therapeuta* cæleſti, quod eſt apud antiquos Religioſi probati nomen, euadere *Therapeuta* terrenus. Hoc enim ſonare vocem *Therapeuta*, quod *aulicum*, & aſſiduum Principis eductorem, vulgo *Courtiſan*, oſtendit Petrus Faber l. 1. ſem. c. 20. Itaque Religioſum, ſi Aulicaſtris accenſeatur; & pluſquam debita temperatio ferat, aulas adeat, ſitque in eis negotioſus, eo quod à Principe adhibeatur ad gerenda publica negotia; conſequens erit vt mollibus veſtiatur, ex Chriſti oraculo, & abiecta Religioſæ, humilitatis latere amantis obſcuritate, geſtiat erumpere ad lucem publici alicuius ſacri muneris, quod opulentia & exſcindens quietem tumultus negotiorum; aſſectetur: ſicque euaneſcat in eo Religioſa profeſſio, ſin minùs veſte tenus, & nomine, at reipſa & effectis.

Aulæ frequentatio, & rerum politicarum tractatio; quibuſdam Religioſis impacta.

NOn excuſo, calumniam eſſe quod Religioſi dicantur aulas frequentare, & vltrò ſe in eas ingerere: vel ſpecie tractandi negotia aliqua pia, aut aptandi ſe ad ea ex voto gerenda, per conciliatam Principis gratiam, cum eorum gerendorum occaſio ſe dederit; vel certè animo irrependi in occupationes à Religioſo inſtituto planè diſſentaneas, quibus laxatio ſeueritatis religioſæ diſciplinæ, ſuperioribus obſtrepere non audentibus, ſit impunita. Hæc inquam, ad calumniam pertinere, non excuſo. Negari enim non poteſt, quin Religioſi aliqui, etiam ex iis familiis quæ non ſunt laxatæ diſciplinæ, aulas amare, eaſque ſtudioſè frequentare cum offenſione piorum, ſint deprehenſi. Ioannem à Turrecremata ex Magiſtro ſacri Palatij, Cardinalem, ſcribit Ciaconius, æquo animo id in ſuis non tuliſſe; aſſerentem, [Non Fratris hoc eſſe munus, ſed Curialium, vel litigantium, Et Fratri aliquandò ſibi obuianti dicebat; Mitte Curialibus vel diſceptantibus, Curiam; & ad cœnobium reuertere.] Auterius, alter eximius ex ordine Religioſo

gioſo aſſumptus S. R. E. Cardinalis, Hugo de Folieto l. 2. cap. 14. verus parens operis de Clauſtro animæ, perperam adſcripti Hugoni Victorino, præter alia, Clauſtri abuſiones, & regularis inſtituti deprauationes, quas exagitat, hanc quoque recenſet atque deplorat; falſus reperiri Monachos, & eo Monachorum genere, quos Petrus Damiani lib. 5. Epiſt. 8. vocat *Monachos vniuerſales, forenſes ſolitarios, Vrbicos Eremitas*, qui communem obtendentes vtilitatem, Eccleſiarum quietem, pacem populi, patriæ ſalutem, etiam ad connubia inter Principes iungenda, progrederentur, eaque tractanda ſuſciperent. Et qui vt aſſequerentur, intentum, Alpes transgredi non dubitarent, quod alibi confici negotium poſſe deſperarent. Video etiam in Capitularibus l. 5. c. 179. & in Concilio Pariſienſi 6. l. 3. c. 14. expoſtulari de Monachis, Palatium cum Regis faſtidio & incommodatione frequentantibus. Ac ne obſoleta repetere videar, in diebus noſtris, & in conſpectu ſolis huius, inuenti ſunt Religioſi, qui non ad gubernacula Reipublicæ quoad qualiacunque negotia ſederint, ſed quoad ea quoque, à quibus maximè auerti oportuerat eius conditionis homines, tanto vbiuis fœtore Religioſi nominis, vt non potuerit tetrior odor inhalari, eo quod eiuſmodi eſſent quæ ſuſcipiebant, vt eos planè dedecerent; Nec aliter exclamare licuerit, quàm olim Poëta, cum Ventidium Baſſum munere ab eius perſona adeò alieno applicitum vidit,

Concurrite omnes Augures Aruſpices;
Portentum inuſitatum, conflatum eſt recens.
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.

Non minùs iuſta, conclamandi & omnes Aruſpices Augureſque aduocandi ad portenti inuſitati diiudicationem, ratio videri potuit, ſi licuit dicere.

Homo à reſte abductus, Conſul factus eſt.

Et hoc leue ac modicum; Dux eorum factus eſt qui comprehenderunt IESVM, iuxta Sancti Bernardi gloſſam.

Quæ politica tractare non poſſint, qui huiuſmodi negotia ſuſcipiunt atque conficiunt, equidem ignoro. Itaque fortaſſis non prorſus ad calumniam pertinet, quod apud reprobum ſcriptorem malis artibus nuper refoſſum, Gulielmum à S. Amore, exaratum proſtat de Religioſis, eo libro cui titulum fecit *Collectiones ex ſcriptura ſacra* ſigno 20 & 21. Agit ibi contra Religioſos, quos ait, contra ſtylum ſanctorum contemnentium Aulam Regiam, & peruenientium ad regna cœlorum, coniectatos eſſe aulas Regum, & Principum, augurans eos inde peruenturos ad ignominiam infernalem. Addit verò. [De talibus Regularibus qui ſæculum priùs reliquerunt, poſtea verò ſequendo Curias, ad ſæculum reuertuntur, videtur congrue poſſe dici, quod dicit B. Petrus 2. Epiſtol. capit. 2. de quibuſdam Pſeudofratribus: *Si refugientes coinquinationes mundi, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora, deteriora prioribus.*] Quo animo in Religioſos fuerit Gulielmus, neminem latet. Itaque potuit grauare falſiloquiis, ſui temporis Religioſos. Quominùs tamen hac ex parte, quoad aliquos calumnia vacare credi poſſit, ſuadent quæ audiuimus ipſi, & vidimus in diebus noſtris, ac manus noſtræ contrectauerunt.

Quam id noxium, ex tumultu mentis, conſequente.

SECT. I. CAP. XII. *De temperatione circa negotia Politica.*

SEd dimiſſo homine impio, cuius nomen iure computruit, abuſio quam exagitat, ſiue iure, ſiue falsò, & per calumniam impacta, eſt omninò grauis; Indigniſſimum, inquam eſt, Religioſos, negotiationes politicas obire, cum id à ſtatu ipſorum quieto, & à ſtrepitu turbiſque remoto, adeò ſit alienum, vt nihil poſſit eſſe alienius. Idque demonſtraturus, probabo, non tractationem duntaxat negotiorum Politicorum, præſertim captatam à ſe vltrò ingerentibus, ſed etiam ſolam aulæ frequentationem, niſi adactio interueniat, eſſe Religioſis pernicioſam, & ſpiritui aſcetico exitialem, quia impoſſibile ferè eſt duo illa ſeiungere, ſi ſe det occaſio, vt ſcilicet qui aulam frequentat, ad aliquod addici potiùs proprium non adhibeatur, quod eſt reuolui in ſæculum, ac tranquillitate ſtatui Religioſo conſentanea miſerè excidere. Typus ſanè Religioſorum fuit Abraham, qui exiit de terra ſua, & cognatione. De eo, non iam terræ, aut cœli, ſed Dei homine (totidem enim gradus hominum diſtinguit,) ſic ſtatuit Philo ad finem libri de Gigantibus. [Dei homines, Sacerdotes, & Prophetæ ſunt; quorum maior eſt dignitas, quàm vt ſe miſceant humanæ Reipublicæ, & mundi ciues ſint, ſed ſublimiores omnibus rebus ſenſibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi ſortiti domicilium, adſcripti Reipublicæ idearum incorporearum, & incorruptibilium.]

E contrario, dicendum eſt de Religioſis politica negotiatione implicitis, quod Petrus Damiani opuſc. 12. cap. 11. de Religioſis ſæculo addictis, affirmat verbis illis. [Tantis inſidiarum tendiculis hoc tempore mundus iſte denſatus eſt, vt quiſquis huius ſacri ordinis deſiderat innocenter viuere, ab illius proceſſu cautiſſimè ſe expediat abſtinere, cuius videlicet iter ſi ſæpè terit, procuratos inſidiarum laqueos non euadit, & tanquam arbor munientis ſe corticis defenſione nudata, nec virtutum fructus afferre, nec vitiorum quaſi teredinum ſcaturientium cariem poterit euitare. Cum verò ad propriæ habitationis clauſtra reuertitur, cominus illum quaſi quædam conglobata turba omnium quæ viderat vel audierat, comitatur; vt tumultuantium negotiorum ſtrepitum, quem illic tolerabat in corpore, multò ingruentiùs, multóque importuniùs hîc patiatur in mente. Præcipuè ſi orationi vacare enixiùs cœperit, ecce phantaſmata cogitationum, ecce imagines quas viderat, rerum, ita vt in quolibet angulo conſtitutus, videatur ſibi ludis theatralibus intereſſe, vel inter agitantes forenſe litigium reſidere. Et quidem homo ſenſitur, & quaſi circumuolantes muſcas abigere à ſuæ mentis ore conatur. At illæ mox vt abſcedunt, protinùs redeunt, illicò vt repelluntur, aſſiſtunt, vt quaſi fugitiuum ſuum proſequentes capere, & in propriæ ſeruitutis moliantur exercitia reuocare. Tunc infœlix anima, diſcit, quanti ſibi conſtiterit, quod ſe per latitudinem ſæculi, inaniter relaxauit. Tabeſcit enim ſicca, obſcura, lapidea: in modum enim lapidis indurata, nec in lachrymarum fluenta prorumpere, nec lumen poteſt tenebris vndique circumfuſa videre. Pſalmorũ quidem myſteriis intendere nititur, ſed tanquã lippientibus oculis, intolerabili lumine

SECT. I CAP. XII. *De temperatione circa negotia Politica.*

reuerberatur Anhelat virtute, qua poteſt ad ſumma contendere; ſed quodam ſuo pondere prægrauata, in imis cogitur humiliata iacere. Cui Propheticum illud non inconuenienter aptatur; *In tenebris collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos; circumædificauit aduerſùm me, vt non egrediar; aggrauauit compedem meum; ſed & cum clamauero & rogauero, excludet orationem meam.*] Et mox. [Fit ergò menti miſeræ tam tenebroſa confuſio; vt quocunque ſe verterit, ſe verſari in ſæculo videat; cum ſæculum ſine ſe eſſe, indubitanter agnoſcat. Cum illo itaque eſt; quod cum ipſa non eſt: quia ſcilicet, mundum, quem corporali digreſſione deſeruit, ſecum per phantaſticas imaginationes in mente depingit. Enimuerò iſta in humana mente calamitas, & peccatum eſt, & pœna peccati. Iuſtum quippè eſt; vt quod quiſque volens admiſit, patiatur inuitus. Nimirùm vt qui noluit ſe intra ſecretum ſui ordinis cohibere cum potuit, nequaquam ſæculo carere potuiſſet, cùm reliquit.] Itaque tales Religioſi circa politica negotioſi, non ſunt homines Dei, & à terra ſublimes, qualem Philo Abrahamum, priſcam Religioſorum imaginem, delineabat.

Hoc probè perſpexerant duo Sancti Romualdi ſocij abhorruerunt à negotio politico quod tunc non nemo inter ſpiritualia referret. [Boleſlaüs (verba ſunt Petri Damiani in vita Sancti Romualdi cap. 28. aliàs 32.) volens coronam ſui regni ex Romana auctoritate ſuſcipere, duos ex diſcipulis Sancti Romualdi qui ibi erant prædicationis gratia, obnixa cœpit ſupplicatione depoſcere, vt ipſi plurima eius dona Papæ deferrent, & coronam ſibi à ſede Apoſtolica reportarent. Qui Regiæ petitioni, aſſenſum penitus adnegantes, dixerunt; Nos in ſacro ordine poſiti ſumus, tractare nobis ſæcularia negotia minimè licet. Et ita relinquentes Regem, ad cellam reuerſi ſunt.] *Sacer ordo* ex quo ſe eſſe dicunt, & quo veluti vmbone abs ſe repellunt Regiam petitionem, non eſt Ordo aliquis ex iis qui ſacri denominantur, puta ſacerdotij aut Diaconatus vel Hypodiaconatus, à cuiuſmodi Ordinis ſacri hominibus, minùs abhorreret adhiberi ad tale negotium; ſed eſt ordo Religioſus cui conſerebantur Ioannes & Benedictus (ſic vocabantur) ex ordine Camaldulenſi, probatiſſimi Religioſi, proditoriè poſtmodùm interfecti à Regis familiaribus, arbitratis eos à Rege accepiſſe pretioſa munera ad Pontificem perferenda, quibus muneribus inhiantes; vita priuarunt Sanctos Dei famulos. Si ergo quod poterat videri pium Rege Boleſlao, (Buſlaum alij vocant) enixè rogante, ſuſcipere detrectarunt boni Religioſi, quippè politicum, atque adeò non cohærens cũ Religioſa ſeceſſione, quanto magis refugiſſent, negotium politicum purè ſeculare, conficiendum cum alio quàm cum Pontifice?

In eandem ſententiam, conſentaneè ad Ethnicos ſapientes,

PAſſim apud Græcos Patres, Religioſi denominantur *Philoſophi.* At poſſumus inde argumentum haud leue ducere in rem noſtram, & monſtrare, quàm Religioſos dedeceat tractatio politicorum negotiorum; cum ipſimet Philoſophi Ethnici, non cenſerent liberum ſibi fore Philoſophos agere, ſi politicis implicarentur negotiis, quæ vniuerſum exſorbent animum, nec ſinunt in cœleſtia defigi, quem terreni affigunt. Seneca lib. de vita beata a cap. 30. Tametſi diſſidentes Philoſophorum ſententias adducit de hoc problemate, *Sitne ſapienti, ſiue philoſopho, tractanda Reſpublica;* tamen eiuſmodi conditiones adhibet, vt poſſit ad eam tractationem accedere, quibus planè anocetur à tumultuoſo illo vitæ genere, cum quiete philoſophicæ vitæ inconciliabiliter depugnante. Plutarchus opuſculum λαθεβίωσας huic diſquiſitioni addixit. Epictetus apud Arrianum lib. 3. cap. 22. in deſcriptione Cyniciſmi, quæ eſt Religioſi Ethnici delineatio, omninò inſigniter tradit, abſtinendum eſſe Cynico, ſiue probato Philoſopho, huiuſmodi negotiis. Democritum vt animo ab exterioribus auerſo, tranquillius Philoſophari poſſet, Lucretius ſeipſum elucificaſſe prodit. Eo quippè retulit Lucretius, quod Tertullianus cap. 46. apolog. ad Democriti incontinentiam relatum maluit. De Lucretij ergò ſententia, Democritus, philoſophiæ tractationem, cum viſu rerum externarum non cohærere exiſtimauit: & idcircò ſe excæcauit, vt eſſet ad philoſophandum aptior, quia per cæcitatem tractandis publicis negotiis & vſui rerum externarum, ferè ineptus reddebatur. Tanti vitreum, quanti verum Margaritum? Si ſapientia ſæculi, turbas ac tumultus aulæ, & negotiorum politicorum cænoſam varietatem non admiſit, quantò iuſtiùs eſt, Chriſtianam philoſophiam ab aularum tumultu procul eſſe, & limo, quem torrens ille conuehit, non ſordere.

Religioſi, (vt hoc quoque argumentum ex Ethniciſmi fauiſſa petam,) ſunt quàm ſimillimi Agoniſticis priſcis, atque athletis, vt varij Patres & Doctores, de perfectis quibuſuis Chriſtianis (quales par eſt eſſe Religioſos,) tradidere 1. Cor. 9. Et ex inſtituto Caſſianus, lib. 6. c. 7. & 8. analogiam iſtiuſmodi hominum ab omnibus ſe abſtinentium, & Religioſorum proſequitur, cum quoad caſtitatem, tum quoad paupertatem, & futuri præcluſam ſollicitudinem, ac reſtinctam gloriæ cupiditatem. Inter alia ergò quæ cauenda fuiſſe aptantibus ſe ad agones illos atque certamina, docet Caſſianus, illud ſignantiſſimè notat, [vt præter exercitium diſciplinæ, nihil aliud noſſent, nec vlli mundiali curæ penitùs implicarentur ab omnique ſollicitudine & triſtitia, negotiiſque ſæcularibus alieni efficerentur: ab eo tantùm, qui certamini præſidet, ſperantes quotidiani victus ſubſtantiam, & coronæ gloriam, condignáque præmia victoriæ laude conquirere.] Tales fuiſſe cum oportuerit qui humanis & mundanis certaminibus, vt corruptibilem coronam acciperent; quantò iuſtiùs poſtulatur à Religioſis qui incorruptam & nunquam marcentem coronam captant, vt ſæcularibus politiciſque negotiis abſtineant, intenti in vnum Deum?

Patrum iudicium.

NOn eſt igitur quod mirum videatur, corruptelam, cui exagitandæ hic inſiſtimus à Chriſtianis ſapientibus proſcribi tanquam dedecentiſſimam, & luctu ac auerſatione digniſſimam. Adduco nonnullos,

S. Gregorius 2. p. Paſtoralis cap. 7. excutiens illud Oſee, *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos,* tragicè in hanc abuſionem conclamat, docens, tunc ſacerdotē eſſe ſicut populum; [Quando ea agit is qui ſpiritali officio fungitur, quæ illi nimirùm faciunt, qui adhuc de ſtudiis carnalibus iudicantur. Quod cum magno dolore ſcilicèt charitatis, Hieremias

Propheta

Propheta conſpiciens, quaſi ſub deſtructione templi deplorat, dicens; *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum?* Quid namque auro, quod metallis cæteris præeminet, niſi excellentia ſanctitatis? Quid colore optimo, niſi cunctis amabilis reuerentia religionis, exprimitur? Quid per ſanctuarij lapides, niſi ſacrorum ordinum perſonæ ſignantur? Quid *platearum* nomine, niſi præſentis vitæ latitudo ſignatur? Quia enim Græco eloquio *πλάτος latitudo* dicitur, profectò à latitudine *plateæ* ſunt vocatæ. Per ſemetipſam verò veritas dicit, *lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem.* Aurum igitur obſcuratur, cum terrenis actibus, ſanctitatis via polluitur. Color optimus commutatur, cum quorundam qui degere religioſè credebantur, æſtimatio ante acta minuitur. Nam cum quilibet poſt ſanctitatis habitum, terrenis ſe actibus inſerit, quaſi colore permutato, ante humanos oculos, eius reuerentia deſpecta palleſcit. Sanctuarij quoque lapides in plateas diſperguntur, cum cauſarum peculiarum foris lata itinera expetunt, hi qui ad ornamentum Eccleſiæ, internis myſteriis, quaſi in ſecretis ſanctuarij vacare debuerunt. Ad hoc quippè ſanctuarij lapides fiebant, vt intra ſancta ſanctorum in veſtimento ſummi ſacerdotis apparerent: Cum verò miniſtri religionis à ſubditis honorem Redemptoris ſui ex merito vitæ non exigunt; ſanctuarij lapides in ornamento Pontificis non ſunt. Qui nimirùm ſanctuarij lapides, diſperſi per plateas iacent, cum perſonæ ſacrorum Ordinum, voluptatum ſuarum libidini deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandum, quod non hos diſperſos in plateis, ſed capite platearum dicit: quia & cum terrena agunt, ſummi videri appetunt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum ſint capite, ex honore ſanctitatis. Nihil quoque obſtat, ſi ſanctuarij lapides, eoſdem ipſos quibus conſtructum ſanctuarium exiſtebat, accipimus; qui diſperſi in platearum capite iacent, quandò ſacrorum ordinum Viri, terrenis actibus ex deſiderio inſeruiunt, ex quorum priùs officio ſanctitatis gloria ſtare videbatur. Sæcularia itaque negotia aliquandò ex compaſſione toleranda ſunt, nunquam verò ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggrauant, hanc ſuo victam pondere, ad ima de cæleſtibus immergant.] Expreſſit hunc Sancti Gregorij locum Philippus Abbas, lib. de dignit. Cleric. cap 14.

In eandem ſententiam ſic differit homo abaula auerſiſſimus Petrus Damiani Opuſc. 36. cap. 1. [Errat Pater, errat, qui confidit ſe ſimul & Monachum eſſe, & Curiæ deſeruire. Quàm malè mercatur, qui Monachorum præſumit clauſtra deſerere, vt mundi valeat militiam baiulare. Vndis erutus, ſanus eſt piſcis; non vt ſibi viuat, ſed vt alios paſcat. Vocamur, attrahimur; ſed vt viuamus aliis, moriamur nobis; Amat venator ceruum, ſed vt ſibi faciat cibum: perſequitur capras, lepuſculos inſectatur; ſed vt ipſi benè ſit, illa nihil ſint. Armant & homines nos ſed non nobis. Sibimet diligunt, in ſua nos vertere delicias concupiſcunt. Quos nimirùm dum in exteriora proſequimur, quid aliud quàm Monacho noſtro qui latebat intrinſecùs, repudium damus? Mox enim, ad ſumma tendentis vitæ ſtatus euertitur, rigor eneruatur diſciplinæ, atque ſilentij cenſura diſſoluitur; & ad effluendum quicquid libido ſuggeſſerit, ora laxantur.] Idem Petrus Damiani, adeò abhorruit à Monachis aulas frequentantibus, vt ne per occaſionem quidem conuentuum Synodalium, patiatur eos in aulas irrepere. Sic ergò inter alia ſcribit de Monacho. Opuſ. 12. cap. 30. [nullius hortatu leuiter propriæ quietis lucra poſtponat. Imperialis edicti pagina, veredario diſcurrente defertur; bullatæ nobis apochæ ab auctore ſedis Apoſtolicæ diriguntur: Synodus congregatur: religioſis viris totius Concilij ſumma committitur: Solotenus illicò ſe monachus flectat, honorem ſacris literis reuerenter exhibeat: huius tamen expeditionis munus à ſe alienum, irretractabiliter ducat, reputans intra ſe, quid mihi cum Regibus terræ? quid mihi cum Synodali conuentu? Sufficiat mihi peccatis meis flendis inſiſtere: ſatis mihi ſit, me huic mundo mortuum exhibere. Nolite quæſo Monachi, nolite ſub Eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie, Regum aulas irrumpere, nolite aures Principum, velut ſalutaria ſuggerendo, faſtidioſa importunitate pulſare: Credite experto, credite in huius gratiæ ſtudiis non leuiter fatigato. Imperatoriæ namque maieſtati ſæpè quæ ſuggerenda videbantur, expreſſimus: à ſummis Pontificibus inuitati, Synodalibus Conciliis interfuimus: ſed qui hoc tempore iſta proſequitur, tanquam ſi ſemina crederet arenoſis littoribus videantur.] S. Baſilius Epiſtola ad Chilonem diſcipulum, multus eſt in auertendo Monacho ab acceſſu ad Synodos. Quantò ergò magis, Monachum ab acceſſu ad aulam, auocatum volnit?

SECT. I. CAP. XII. *De temperatione circa negotia Politica.*

Petrus Bleſenſis Epiſto. 107. Monachum aulæ frequentandæ ſtudioſum, his monitis extat ad excuſſdum è Babylone. [Dediſti profeſſioni Apoſtolicæ manum, & te ſpecialiter eius ſeruitio deputaſti cui ſeruire regnare eſt: Nunc autem excuſſo ſeruitutis illius iugo, quæ tot perducebat in libertatem filiorum Dei, te vndis immerſiſti curabilibus; opprobrium ignominioſæ ſeruitutis incurrens ex ipſa libertate peccandi. Teſtimonio quidem Apoſtoli, *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Mores autem à conuictu trahuntur, & ex conuerſatione malorum, vitæ corruptela traducitur. Factus es de numero locuſtarum, quarum poteſtas in linguis tota eſt: & in caudis ſocius eorum, quorum os plenum eſt amaritudine & dolo. Sed & caudæ eorum, caudæ vulpium, quibus Samſon alligauit incendium; quorum finis interitus, quorum pœna ignis & vermis. Qui oſtium Euangelio conſecraueras, nunc illud venenis diſtractionem, & adulationem ſpurcitiis dehoneſtas. Nimirùm præelegiſti habitare cum ranis, quæ ſunt in penetralibus Regum, & inter aulicos ſimulachrum religionis adumbratæ prætendens, magnatum gratiam in magno diſcrimine animæ tuæ, & proprij corpori afflictione, venaris. Quod autem conquereris in te prorsùs aridæ deuotionis lachrymas aruiſſe, non mireris ſi dominus cælum ſuum tibi clauſerit, ſi terram æneam tibi dederit, ſi ſuper montes Gelboë non pluit. Cum enim ſis fauorabilis auræ, & curialis gratiæ appetentior, appetitus hic tanquam ventus vrens vocem cæleſtis miſericordiæ, & gratiæ fluenta ſiccauit.] Quæ idem Bleſenſis ſæpè tradit de aulæ cænoſitate, & vitiis quibus ſordet, potens incentiuum continent, ad Religioſum ſui ſtatus amantem, auertendum ab aulico tumultu, & publicis negotiationibus aulæ propriis.

SECT. I. CAP. XII. *De teſtrandus circa negotia politica.*

Videſis apud eum latè expaſſa aulicæ vitæ probra & damna; Epiſto 6. & 14. & 95. ac 150. nec non in cantilena de lucta carnis & ſpiritus, quæ habetur poſt Epiſtolam 57. Illam defloraui, & aliis additis cumulaui, in opere de Martyrio p. 1. cap. 6.

Hugo de Folieto l. 2. de Clauſtro animæ c. 13. quod eſt de Monacho Curiali [Cum dicitur *Curialis Monachus*, ex adiuncto deſignatur aliquid leuitatis. Qui enim ſæcularium hominum conſortia diligunt, qui ſe conſiliis principum libenter ingerunt, qui ſecretorum conſcij & internuncij, *Curiales* poſſunt appellari. Conſilia principum peruerſa, ſi ea ſcias, & internuncius fias, timeo ne conſentias. Ordo clauſtri, & Ordo Curiæ, diuerſus eſt valdè. Ibi ſedes in inſidiis, cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem. Hic audis, *non ſedi cum concilio vanitatis, & cum impiis non ſedebo.* Ibi dextera tua repleta eſt muneribus: Hic lauas inter innocentes manus tuas. Ibi pauperum res violenter auferuntur: Hic à pauperibus ſponte offeruntur. Ibi laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; Hic autem benedicitur iuſtus. Si vis igitur eſſe Monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet.] Addit alia ibi Hugo, & latè proſequitur affinitatem Religioſi Principum negotiis ſe immiſcentis, & Achitophelis. Et doleo; exitum Religioſorum qui in aulas è cænobiis erepunt, plerumque ad Achitophelis exitum accedere. Refugio Luctuoſum argumentum, ne exempla infortuniorum propè calentium, refricare meditatò videar; & pro commiſeratione exprobrationem reponere.

Contemptio ſuper Religioſos Aulicaſtros, effuſa.

EA lenior, tametſi nec prorſus exigua diuinitus iſtis aulicaſtris rependitur iuſta retributio, iam ex hac vita; vt ſcilicet qui claritatem, aularum frequentatione affectant, nullo reipſa ſint loco. Notatum id video in Capitularibus, l. 5. c. 179. vbi coercenda decernitur abuſio Monachorum & Clericorum; [Qui poſtpoſita Canonica autoritate, paſſim Palatium adibant, & ſacris auribus importuniſſimam moleſtiam inferebant.] Ratio autem cur abſiſtere Palatij frequentatione ſint iuſſi, his verbis redditur. [Quoniam in huiuſmodi facto, & vigor Eccleſiaſticus contemnitur, & religio ſacerdotalis; & profeſſio Monaſtica, vilior efficitur.] Reſponſum eſt, datum libello Concilij Pariſienſis: & vtrobique tacetur, quorſum Monachi & Clerici prædicti, adeò frequenter Palatium adirent, vt Principis aures obtunderent. Fortaſſis enim exquirebant iudicium, non ab Iudicibus Eccleſiaſticis, ſed a ſæculi apicibus: quod inſinuari videtur verbis illis, *poſtpoſita canonica autoritate*. Quanquam poſſunt etiam ea verba accipi, de neglectu tot canonum, quibus Monachi, & ſacri quilibet homines; vacare Deo iubentur, quod ægerrimè in aulis præſtarent. Imò variis Canonibus, explicitè illis interdicitur aularum frequentatione. Addenſat pleraque huiuſmodi iura Ioannes Hieronymus Campanilis, Rubr. 12. de regular. c. 9. n. 4. vt cap. *placuit* 16. q. 1. &. cap. de præſentium ead. & cap. *quanta deuotio*, de offic. Ordinar. Item cap. *ſacerdotibus*. Ne Cler. vel Monachi; rurſuſque cap. *quidam Monach.* 16. q. 1. vbi ſancitur Monachos à Regiis ciuitatibus eiici. Quorum decretorum obſeruantiam, virere peroptat, citatus antiſtes. Potuit igitur ad huiuſmodi aut ſimiles Canones alludere querela illa de poſthabita Canonica autoritate per Monachos Curiales. An, quod Petrus Damiani latè in quibuſdam exagitat, toto Opuſc. 22. tentabant per Principum ſuffragationem & fauorem, aditum ad opima quæpiam ſacerdotia, vel infulas, & conſequentem inde ſolutioris vitæ licentiam? Quacunque tamen ex cauſa frequentarent Monachi illi Palatium, & Principi obſtreperent, certum eſt ipſiuſmet Concilij & Principis aſſertione, profeſſionem Monaſticam inde vilniſſe, & contemptionem ſuper eam fuiſſe effuſam, muſſantibus, vel etiam palam frementibus laicis, indignum prorſus eſſe, remergi in ſæculum qui ſæculo valedixerant, & ad otium ſanctum Deo inuitante aſpirarant.

Non eis ſuffragantur, ſancti quidam aulici.

NEc eſt quod Religioſi aulici, obtendant exemplum multorum ſanctorum qui aulas frequentarunt, & publica negotia obierunt. Eiuſmodi ſunt Ioſeph, Moſes, Daniel, Mardochæus: Et in nouo teſtamento, ſancti de Cæſaris domo, quorum Apoſtolus Philippenſium vltimo, meminit. S. Sebaſtianus, SS. Ioannes, & Paulus, Gorgonius, Dorotheus, Cæſarius Gregorij Theologi frater, & alij, quos ex perſona Religioſorum aulæ addictorum ſibi opponens Gulielmus à S. Amore, lib. ſuperius adducto ſigno 21. reſpondet, (nec malè;) aliam eſſe prædictorum ſanctorum cauſam, aliam Religioſorum. Nam illis, cum eſſent ſæculares, & profeſſione aulici, probro verti non debet, quod aulas frequentarent. Neque enim ſtatus aulicus, eſt intrinſecè malus, & Chriſtiano homini illicitus: alioqui multò magis pugnaret cum Chriſtiana religione, ſtatus Regis, aut Principis, tot diſcriminibus obnoxius. [Sanè (inquit Petrus Bleſenſis Epiſto. 150.) periculoſum eſt in curia mori: nec leuiter aſcendet ad eminentiam perfectorum, qui ſe caſtrenſibus alligauit vinculis, & curialem incidit labyrinthum. Sed nec vitam Curialium damno, qui licet orationi & contemplationi non vacent, rei tamen publicæ vtilitatibus occupantur, & frequenter opera ſalutis exercent: Nec poſſunt omnes viam vitæ arctioris arripere; anguſta enim & ardua eſt via Domini; ſed magnum eſt, ſi hi qui in montis, eminentiam non aſcenderunt, comitentur Loth, & ſaluentur in Segor modica ciuitate. Scio quia hi qui in regiæ familiaritatis ſacrarium admittuntur, multa facere poſſint, & dicere, quibus pauperum neceſſitas ſubleuetur, foueatur religio, fiat æquitas, Eccleſia dilatetur. In his & conſimilibus miſericordiæ operibus, poſſunt ſibi Curiales ædificare ad vitam.] Non ergò pugnat cum Chriſtiana religione, aulæ profeſſio. Pugnat verò cum ſtatu Religioſo, tumultus ille qui aulæ eſt proprius. Itaque exemplum ſanctorum ſæcularium qui aulas frequentarunt, nihil promouet cauſam Religioſorum aulas amantium. Eſt enim patentiſſimum inter vtroſque diſcrimen.

Sed

SECT. I. CAP. X. I. *De temperatione circa negotia politica.*

Sed neque Epiſcopi & Clerici ſeculares, aulam adeuntes.

AC ne Epiſcoporum quidem & Clericorum ſæcularium, par eſt in hoc negotio ratio, ac Religioſorum. Hugo quidem à Folieto l. 2. de Clauſtro animæ c. 13. conteſtatur, quæ ibi in Monachum Curialem diſputat, æquè cadere in Canonicum. Non agit tamen de Canonico, iuxta hodiernam vocis notionem: Sed de Canonico, qui olim *cõuerſus* dicebatur: id eſt de Canonico Regulari non expreſſe ait, eum, quem *Canonicum* vocat, eundem eſſe cum *conuerſo*. At *conuerſi* nomen, cuiuis Religioſo tribuitur, vt liquet ex Saluiano, l. 4. ad Eccleſ. & S. Iſidoro libello de Conuerſis. [Talis autem Canonici, (vt ibidem Hugo ait), licet diuerſus ſit & Monachi habitus idem tamen eſſe debet religionis affectus.] Nego igitur, eandem in hoc negotio cenſeri poſſe rationem, Epiſcoporum & Clericorum ſæcularium, cum Religioſis. Imò vt Bleſenſis Epiſtola 150. ait; [Non ſolum toleranda, ſed & deſideranda eſt plerumque, cum Principibus conuerſatio Clericorum. Legimus quippè, ſacerdotes & Prophetas, frequentiam & familiaritatem cum Regibus habuiſſe. Tunc enim ſalubriter diſponitur vita Regum, cum Religioſorum hortamenta ſectantur, & ducuntur conſilio ſapientum.] Fusè item alibi, Epiſtol. 84. purgans Epiſcopos Anglos qui apud Alexandrum 3. malè audiebant, quod militiæ Curialis fluctibus ſe immergerent. Vbi poſt multa ſic habet [vnum noueritis, quia niſi familiares & conſiliarij Regis eſſent præfati Epiſcopi, ſupra dorſum Eccleſiæ fabricarent hodie peccatores, & immaniter ac intolerabiliter opprimeret Clerum præſumptio laicalis. Nunc autem ſi quid in Eccleſiæ attentatur iniuriam, auctoritate Pontificali, corripitur: aut ſi ad hoc Eccleſiaſtica cenſura non ſufficit, ſpiritualis gladij defectus, ciuili ſuppletur; & ad eorum arbitrium principalis animaduerſio exercetur. Si quandoque (vt fieri ſolet,) aduerſus inſontes, Regis indignatio vehementius excandeſcit, Epiſcoporum precibus temperatur. Iſtis mediantibus, manſueſcit circa ſimplices iudiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Eccleſiarum dignitas erigitur, releuatur pauperum indigentia, firmatur in Clero libertas, pax in populis, in monaſteriis quies, iuſtitia liberè exercetur, ſuperbia deprimitur, augetur Laicorum deuotio, religio fouetur, diriguntur iudicia, leges acceptantur, decreta Romana vim obtinent, & poſſeſſiones Eccleſiaſticæ dilatantur.] Ruſſuſque paulò poſt. [Ab hac quidem curialitate, noſtros quandoque volumus Epiſcopos prohibere: ſed conſilioſis & prudentibus viris, vtilis eſt expediens eorum cohabitatio circa Regem: quos ſi extraheremus à familiaritate illius, ſubtraheremus quietem monaſteriis, oppreſſis ſolatium, Eccleſiis libertatem. Vnde licet propter incommoditates varias, quas ibi ſuſtinent, deſiderio deſiderarent egredi; publicæ tamen vtilitatis obtentu, communi fratrum noſtrorum conſilio, non ſolum in hac vita caſtrenſi tolerari, ſed ad eam trahi debuerant & compelli.]

Hinc liquet, fas eſſe Epiſcopis, & Clericis ſæcularibus, adeſſe Principibus, & aulas frequentare. Eſt verum, Sardicenſem Synodum improbare Epiſcoporum profectionem ad aulam, vt videre eſt c. 8. alias 7. Sed hoc præſertim contra Afros petente Oſio conſtitutum, non ſpectat niſi diſcurſationes iuſto crebriores, nec ob cauſam piam, aut iuſtam ſubuentionem egentium, vel tutelam iniquè oppreſſorum. In quibus omnibus euentibus, Concilium prædictum acceptas habet Epiſcoporum profectiones ad Comitatum, ſiue ad aulam, reiiciens duntaxat friuolas, ambitioni magis placentium quam Deo; quorum imprudentia religioſum ſacerdotale nomen, malè plerumque audierat. Itaque decernit in ſequentibus canonibus, vt Epiſcopi ad comitatum non inuitati, vel euocati ab Auguſto, per Diaconum potius tranſmiſſum ad Metropolitanum vrbis in qua Auguſtus, ſedem haberet, poſtulata ſua perferri curent, quæ à Metropolitano commendentur in aula, ſi in Metropoli eiuſvè finibus tunc hæreat; Poteſtatem vero facit Epiſcopis in canali conſtitutis, (ideſt in via qua itur ad aulam, ea quippè eſt notio vocis *canalis*, vt liquet ex Cod. Theod. vt progredientem Epiſcopum interrogent cur proficiſcatur; ac ſi ſponte proficiſci intelligant, regredi cogant, vel cum renuente non communicent. Quod ſi aula Romæ fuerit, poſtulata ſua prius Pontifici Romano exponant, nec niſi eo probante, Auguſtum adeant. Hæc ſaluberrimè præſertim propter Afros vagari amantes, conſtituta Sardicæ, non officiunt prudenti aditioni aulæ, qualem Epiſcopis concedimus: nec fulciunt inuidioſas illas voces Donatiſtarum apud Optatum l. 1. contra Catholicos Epiſcopos. [Quid Chriſtianis cum Regibus? Quid Epiſcopis cum Palatio?] Poſtea etiam l. 3. refert exclamantem Donatum. [Quid eſt Imperatori cum eccleſia?] Petilianus quoque, ad eandem mentem, referente Auguſtino l. 2. contra eum c. 92. [Quid nobis cum Regibus ſæculi, quos nunquam Chriſtianitas niſi inuidos ſenſit?] De alio Donatiſta ait S. Auguſtinus Tract. 6. in Ioan. dicere ſolitum; [Quid mihi & Imperatori.] Primianus denique Donatiſta, apud eundem Auguſtinum l. poſt collationem, Catholicis inſultat, quod literis principalibus quæ *Sacra* dicebantur, niterentur. [Illi (inquit) portant multorum Imperatorum Sacras; nos ſola portamus euangelia.] Crocitatus hi Donatiſtarum, non fulciebantur Sardicenſibus decretis prædictis, quibus ſola ambitioſa Epiſcoporum ad aulam profectione interdicebatur. Quanquam poterant etiam Donatiſtæ tantùm velle, nihil eſſe Imperatori aut Palatio circa definitiones fidei, aut diſpoſitiones rerum circa religionem, niſi vt adſint capitibus eccleſiæ, & eorum conſtituta ſubſidio ſuo & autoritate tuentur; quod eſt veriſſimum (vt latè tractatum eſt in Epilegomenis ad Coronam auream ſubnotat. 2. veritate v.) ſed huic cauſæ extraneum.

Fas igitur eſto (vt præmiſi,) Epiſcopis ac Clericis ſæcularibus, cum moderamine propoſito, adeſſe Regibus, & aulas adire, dummodo muneribus ſuis non deſint, & (vt Bleſenſis ſupra adductus, ibidem ſubdit) meminerint, vectes, quibus arca Domini geſtabatur licet moueri ac trahi in varias partes poſſent, extrahi tamen & omninò auelli nequiuiſſe: atque adeò oportere, Antiſtites & Clericos, in conſpectu Regum, conditionis ſuæ memores eſſe; nec nauiculam Petri, cui ex parte præſunt, eſſe inter fluctus relinquendam. Nec illud quoque dediſcant oportet, quod à Theophane rectè eſt obſeruatum, B. Petrum primum Epiſcoporum Epiſcopum, antea fortem, cum ad fœminam, & ad ignem curialium acceſſit, euerſum eſſe; atque adeò cum timore ne pereant de via iuſta, adeundas eſſe aulas Dominicis hominibus. Hac cautione adhibita, nihil eſt quod vetet, Antiſtites & Cleri-

SECT. I. CAP. XII. *De Temperantia circa negotia politica.*

cos ſeculares, aulis adeſſe, Principibus aſſiſtere, & procurare rem publicam, quia nihil eſt in eorum ſtatu ac vitæ genere, quod non poſſit cum iis functionibus cohærere. Imò ſunt aliqua ad eos maximè ſpectantia, quæ niſi adita aula, præſtare non poſſent. Et quanquam quoad ipſorum perſonas, valet quod dixit Sanctus Ambroſius orat. de obitu Valentiniani, quodque fert viſio deſcripta à Fodoardo l. 2. hiſtor. Remenſ. cap. 19. Nimirum quod *feliciùs Epiſcopos ſequuntur Imperatores, quàm diligunt*: tamen propter alios quibus præſunt, congruum ſæpe ac neceſſarium eſt, vt amicitias principum excolant, ſi quod præſtandum aulæ frequentatio exigitur.

Viderint tamen etiam atque etiam, ne aulas terendo, ſint ex eorum ſacrorum hominum numero, quos Innocent. III. l. 1. Epiſtol. 104. reprehendit, qui videlicet, ne diſpliceant, vel vt gratiam à diuina diuerſam aucupentur, adulantur Magnatibus, eóſve implanantes fiunt illis in exitium. Viderint item quam ſollicitè, ne ita præſint nocti, vt tenebreſcant. Monitum eſt Aëlredi, qui adducitur in Allegoriis Tilmanni ad capit. 1. Geneſ. circa illud Moyſi, *Fecit Deus duo magna luminaria. Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minùs, vt præeſſet nocti.* [Sunt in S. Eccleſiæ firmamento, à Domino creata duo magna luminaria, ſacerdotium ſcilicet, & regnum; Rex, & Epiſcopus Princeps, & Clericus. Dies ſpiritualia, nox ſæcularia præfigurat. Ita luminare maius ſacerdotium, vt præſit diei, id eſt, ſpiritualibus: luminare minus, regnum, vt præſit noctį, id eſt ſæcularibus. Contra naturam proinde eſt, ſi ſol nocti, ſi præſit luna diei. Si princeps ad ſpiritualia ſe ingerat, ſi ſacerdos, ſæcularium negotiorum tenebris, conſcientiæ ſuæ ſerenum obnubilet. Veh nobis, qui in iſta infælicia tempora incidimus, in quibus ſol in tenebras eſt conuerſus. Eia videant ipſi Pontifices, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur, & iudicent ipſi, ſi non eſt ita vt cernimus. Conſiderent quos ſcientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis ſcintillas, quæ ſpiritualium correptionum fulgura, ſuis emittebant temporibus, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Martinus, & mille alij. Felicia tempora, in quibus tam rarò malus, quàm nunc bonus in Eccleſia inuenitur.] Hæc attendentes Antiſtites & Clerici ſeculares, non delinquent, aulam frequentantes, & publica negotia tractantes. Poſſunt huc accommodari, quæ adducit Plutarchus, Opuſculo quod fas ſit, philoſophum verſari cum Principe. Secùs verò eſt de Religioſis, quos inita vitæ ratio, & profeſſio à ſæculi rebus abiuncta, ab aliis ſtudiis debet auellere ni præuaricatores audire velint. Ab hac quoad Religioſos ſatis vniuerſali regula, Concilium Meldenſe, cap. 64. duo Monachorum genera excipit, vt ex his Canonis verbis intelligitur. [Monachi, quibus Monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim, & ſine autoritate, Palatium non adeant, nec in eo immorentur. Vel vbi, & vbi, diſcurrere ac peruagari acephali præſumant. Sed ſi tales quilibet fuerint, vt vtiles & neceſſarij Eccleſiæ, & Principi reperiantur, cum autoritate Epiſcopi, Canonicè ac religioſè pergant. Sin autem, in Monaſteriis ſuis, ſicut Canonica ac regularis docet inſtitutio, religioſè reſideant. Hæc autem tranſgredientes, ſiue Prælati in fauendo, ſiue ſubditi in obtinendo, excommunicentur.] Excipit Canon, vt vides, Præfectos Monaſteriorum, quod eos & virtus probatior reddat minùs peruios telis hoſtilibus, & neceſſitas cœtuum quos regunt, poſcit interdum exculatos præſtare. Excipit præterea eos priuatos Monachos, quos iudicio Epiſcoporum (quibus tunc nondum paſſim indulta exemptio iure ſuberant Monachi,) Eccleſiæ aut Principi vtiles, vel etiam neceſſarios eſſe conſtaret. Quanquam ea vtilitas aut neceſſitas, non ad quæcunque munia obeunda in aula pertinebat ex mente Concilij, quam habens perſpectam non ita multo poſt, Lupus Ferrarienſis, Lothario Imperatore rogante, vt Monachus deſertor reuocatus ipſius Lotharij monitis ad bonam frugem, reſumpto Monaſtico Schemate perſeueraret ſibi eſſe ab epiſtolis; nullo modo acquieuit; [Quoniam (inquit) propoſitum noſtrum, vix mediocriter intra Monaſterij clauſtra cuſtoditur; nedum inter tumultus mundanos, à quolibet, præſertim ſi non ſatis cauto, valeat adimpleri.] Itaque vtilitas præſtanda à Monacho in aula verſante, non qualiſcúnque eſſe debuit, vt poſſet videri à Concilio probata, ſed debuit ſpectare fidei aut pietatis negotia, abſque mixtura tractationis negotiorum ciuilium. Vnde meritò iudicialis ſententia Synodi Cariſiacæ in Gotbos calcum diſcolum, & exlegem Monachum, verberibus ac ergaſtulo ob ſuas noxas addictum, fert præter cætera. [Inſuper quia *& Eccleſiaſtica & ciuilia negotia*, (ex mixtura quam excludebam,) contra propoſitum & nomen Monachi, perturbare, contemnens iura eccleſiaſtica præſumpſiſti, duriſſimis verberibus te caſtigari, & ſecundùm eccleſiaſticas regulas, ergaſtulo retrudi, autoritate epiſcopali decernimus.] Condigna merces Monachi nomen ipſum ſuum (quod facere admonebat Hieronymus) non interpretantis, & in aulas irrepentis, ſéque negotia ciuilia contra ſtatus ſui exigentiam ingerentis.

Vmbella exorata facultatis, quàm intuta.

HAud verò ſatis ſolidè ſatiſque prudenter ſe geſſerunt, qui vt incommodo propoſito occurrerent, & diſcrimini, quod inter Religioſos, & alios ſacros homines eſſe monſtrauimus, obuiam irent, fecerunt ſibi perizomata, curantes ſibi exemptiones, & emancipationes à ſuperiorum poteſtate, exiſtimantes fore, vt eo tecti ſipario, non videantur peccare in Religioſæ diſciplinæ leges, quibus per huiuſmodi exemptionem ſoluerentur. Erupit hæc emancipationum ratio, tempore Thomæ Cantipratani paulò poſt initia Ordinum SS. Dominici atque Franciſci: In quos Ordines Cantipratanus l. 2. Apum cap. 3. numero 7. teſtatur, *nouum hoc* (vt appellat,) *apoſtaſiæ* genus, ſe inſinuaſſe, magno ipſius Thomæ cordolio, & bonorum omnium deteſtatione. Et quia obtendebatur ſpes fructus in Eccleſiam redundaturi ex eo Religioſorum aulicíſmo, concludit è contrario Cantipratanus, adhibendos eſſe ad negotia Religioſos, qui aulam non cogitent, ſed eò à ſuperioribus protruduntur inuiti: per eos quippè rectè ceſſuram operam. [Volo (inquit,) teſte Chriſto ſponſor eſſe pro talibus, vt ſi per eos debita negotia proſperentur Eccleſiæ, mendax & periurus inueniar in die tremenda, ante faciem iudicantis.] Per illos verò alios qui ſe inferunt in aulas, & licentiùs viuunt per extortas licentias, quæ iudice Sancto Bernardo epiſtol. 87. *Violentiæ*, ſunt; non *licentiæ*, conteſtatur Cantipratanus,

nus,

De temperatione, vel negotiis politicis.

nus, vix ac ne vix quidem, quippiam boni fœnoris Deo aut Eccleſiæ eſſe colligendum; ſed inde extituram meram diſſipationem ſpiritus, & Religioſi inſtituti conuulſionem, quæ eſt illa ſepis diſſipatio, quam qui infert, mordetur à colubro, iuxta ſapientis denunciationem. Regula enim, non ſecùs ac ſepes, Religioſum inſtitutum communit. Sicut in Capitulis Patrum pag. mihi 56. [Maſoreth, ſepes eſt legis; Decimæ ſepes, ſunt diuitiis; vota ſepes ſunt ſanctitatis vitæ; ſilentium, ſepes eſt ſapientiæ.] Et apud Philonem, l. de Agricult. philoſophia rationalis dicitur reliquæ philoſophiæ ſepes ac maceria quia ſcilicet eam tegit atque communit. Non aliter ergò ſe habet ſepes regulæ ad religionem: ac proinde qui legis vim eneruat, & eius obligationi per exemptionem & mancipationem emendicatam ſe ſubducit, ſepem euertit, mordendus indubiè à colubro.

Non tegit denique Religioſos aulam amantes, affulgens cœnobio aut Religioſo Ordini vtilitas, ex collecta per frequentationem aulæ, gratia principum: nec non indemnitas iurium domus, aut Ordinis, quæ malignitate aliquorum perit liturata videantur, niſi vmbo fauoris Regij prætendatur. Quod ipſum depoſcere poteſt repenſio gratiæ, benefactoribus eo ſubſidio egentibus. At eum fauorem, ni frequens palatij aditio veluti riget ac excolat, nullo negotio exareſcet. Eadem ratione occurretur plerunque immanibus innocentem oppreſſionibus, & recti atque honeſti vaſtitatibus, dum homines induſtrij, nec facultate tegendi iuris deſtituti, molas iniquorum apud principem iudicantem confringunt. Bellè iſta & piè in ſpeciem; ſed non niſi in ſpeciem, ita vt planè intuta ſit, hæc Religioſorum aulas amantium vmbella.

Aulæ per Religioſum frequentatio, Principis gratiam potiùs auertit.

AC primum, amor & gratia Principis, tantum abeſt vt frequentatione colligatur, vt potius non rarò, deteratur & pereat. Neque enim quod Ariſtoteles 8. Ethic. c. 3. annotauit, nouum eſt, vt amicitia interpoſita longi temporis frequentatione diſſuatur, quia reteguntur defectus qui prius latebant, vnde faſtidium, & abalienatio. De ſolo quippè Deo, valet, quod dictum eſt, conuerſationem eius non habere amaritudinem, & conuictum carere tædio; quia quo plus frequentatur, eo plus peruaditur eius perfectio & ſumma amabilitas. Homines verò quantumlibet Religioſi, ſcatent ſemper defectibus, iuxta illud, *vbi vber, ibi tuber.* Sunt enim entia potentialia, in quibus perfectiones adiunctis ſemper imperfectionibus, & indiuiduè aſſectantibus malis bona grauantur. Itaque ad fouendam, & augendam alicuius gratiam ac venerationem, præſtat rariùs & infrequentiùs incurrere in eorum oculos, quorum gratia & veneratio captatur. Valet hic profectò, quod ſpurciloquus Eumolpus Petronianus, de cibis dixit. [Quicquid quæritur, optimum videtur.] Nimirum quia eo ipſo quod quæritur, rarum eſt; atque adeò videtur optimum, & dignum amore obiectum. E contrario autem, [ſemper abundantia, contumelioſa in ſemetipſam eſt,] iuxta Tertullianum; l. de Habitu mulieb. c. 7. qui addit, pleraque de ſola raritate & peregrinitate, gratiam poſſidere. Vilioneſcunt namque merces putent, iuxta adagium: Quod S. Hieronymus Epiſto 85. aliter dixit. [Omne quod rarum eſt, plus appetitur.] Maieſtatem & venerationem idoliis, ſola adeundi difficultas, & rariſſima ſubitio conciliabant, vt eſt apud Tertullianum initio libri contra Valentinianos. Priſcos Imperatores, Latinus Pacatus in Theodoſii Panegyrico intra domeſticam vmbram iacentes, ſolitudine prouia, & ſilentiis latè conciliatis vallatos; ita vt prodituri, ſecretum in publico facerent, venerationem ſibi accerſiuiſſe teſtatur.

Hæc dixi, vt appareret non ſemper verum eſſe, colligi alicuius conſuetudine & frequentatione, eius gratiam, & venerationem, quin potius obſoleſcere ea ratione dignitatem, & deteri, aut etiam perire cultus ac venerationis fundamentum. Itaque fruſtra Religioſi ad colligendam Principis gratiam, ac vt apud eum ſint in pretio, veneratione que afficiantur, aulas frequentant. Nemo venerabilior, & gratia plus valens apud Conſtantinum Magnum ac liberos eius fuit, quàm S. Antonius, nemo apud Theodoſium, quam Ioannes ille, cuius vnius auſpiciis, expeditiones de ſumma rerum ſuſcipiebat. Neuter tamen, aulam alterutrius illorum Principum triuit. Imò ægrè à S. Antonio exorari potuit, vt reſponſo dignaretur tantum Imperatorem, vt ſcribit S. Athanaſius; nec fortaſſis adductus eſſet ad reddendam per literas ſalutem, niſi in recens ſuſcepta Chriſtiana religione, & Idolomaniæ odio, per eam occaſionem confirmandus fuiſſe viſus eſſet. Quare non dubium, quin Religioſi, & gratioſiores, & venerabiliores futuri ſint in conſpectu Regum ac Principum, quo minùs aulas adiuerint, & publicorum negotiorum curam ſuſceperint.

Nec confert ad pia opera, & Ordinis ſubſidia à Principe exoranda.

IAm quod cœnobij, vel Ordinis, aut amicorum & benefactorum negotiis, frequentatio aulæ per Religioſos obtendebatur; nullo negotio diſiicitur. Nemo quidem rara aulæ aditione ad huiuſmodi pietatis aut gratitudinis vel charitatis officia prohibeat Religioſum; qui ſciat, Eliſæum noſtrorum Religioſorum imaginem, 4. Reg. 4. Sunamitidi in ipſum beneficæ, detuliſſe ſuam operam, his verbis locutum. *Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis. Quid vis vt faciam tibi? Numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, ſiuè Principi militiæ.* Ad quem locum, Abulenſis q. 22. perpulchrè circa aditionem aulæ per Religioſum, diſſerit. Hoc igitur nemo prohibeat, aut improbet, ſi obiter & perrarò, ac ex cauſa idonea fiat. Quod igitur improbatur, illud eſt; ſi extra huiuſmodi infrequentes cauſas, Religioſus ſit in aula aſſiduus, ac frequens; ità vt illò iubeat pluſquam ex præciſa neceſſitate, per eos pios fines iniecta. Neque cum illas ob cauſas aditur aula, tam innitendum eſt, collectæ (vt fortaſſis ferebat exiſtimatio,) Principis gratiæ, quàm tutelæ numinis, in cuius manu ſunt corda Regum. Quantumcunque enim quis valere ſe apud Regem gratia arbitretur, meminiſſe debet, quam intuta ſit ea ſtatio, vt S. Gregorius l. 7. epiſt. 190. admonuit, & attigit etiam S. Auguſtinus, 8. Confeſſ. c. 6. ac concinnè Syneſius, Epiſtol. 147. vocans Imperatoris amicos; [Sortis caſuſque veluti ſaltationem; & nomina flammarum inſtar, ad ſummum gloriæ excitata faſtigium moxque viciſſim reſtincta.] Itaque malè proſpicitur rebus cœnobij vel amicorum, cum eis non niſi captatione

SECT. I. CAP. XII. *De Temperatione circa negotia politica.*

captatione gratiæ Principis; & aulæ in eum finem frequentatione, consulitur. Præterquam quod vt ipſa Principis amicitia: & fauor non quouis eſſet vitro fragilior, nihil incertius & inſtabilius fiducia quæ in homine, ac maximè in Principe, collocatur, vt inſigniter tradit Sanctus Chryſoſtomus in pſalm. 145. ad illud; *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Monſtrat enim nihil eſſe infirmius ac imbecillius, ſpe quæ homini innititur, ſed præſertim Principi: Et [ſi quid (inquit,) dicendum eſt admirabile, propter hoc ipſum maximè, non eſt fidendum, quod ſit Princeps. Sunt enim ſummopere lubrici, & periculoſi hi Principatus, Etſi nullus ei caſus accedat, eſt ad iram procliuis, & poteſtate in ingrati animi crimine, & beneficiorum obliuione abutitur, vt rationem non redditurus eorum quæ accepit ab initio.] Beatus ergò, (vt ibidem ſubdit Dauid,) cuius eſt Dominus Deus adiutor eius, qui inquam præſertim diuino fauori ac tutelæ innititur, eique cœnobij, & Ordinis, amicorúmque negotia committens, media humana adeò ſobriè ac parcè vſurpat, vt vitæ Religioſæ nitorem, minimè infuſcet, aulæ contra inſtitutum, & ſtatum ſuum aditione ac tritione quæ Dei tutelam, vnde minùs expectabatur, conciliandam, auerteret.

Habet locum circa hanc Aulicaſtrorum friuolam excuſationem, quod D. Hieronymus informans Nepotianum, tradit de Clericis, qui prætextu iuuandi miſeros, ſimiléve, ac in iſta excuſatione obtenditur, opus charitatis exercendi, per virorum Principum fauorem frequentabant menſas potentum, eóſve ipſimet domi ſuæ excipiebant. Hos ſic repellit Sanctus Hieronymus. [Conuiuia tibi vitanda ſæcularium, & maximè eorum qui honoribus tument. Turpe eſt, ante fores Sacerdotis Chriſti, Crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque veſcebatur alieno; lictores Conſulum, & milites excubare: Iudicémque prouinciæ, meliùs apud te prandere quàm in palatio. Quod ſi obtenderis te facere hæc, vt roges pro miſeris atque ſubiectis, Iudex ſæculi plus deferet Clerico continenti, quàm diuiti, & magis ſanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut ſi talis eſt qui non audiat Clericos pro quibuſlibet tribulatis, niſi inter phialas, libenter carebo huiuſcemodi beneficio; & Chriſtum rogabo pro Iudice, qui magis & citiùs ſubuenire poteſt, quàm Iudex. Melius enim eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine: melius eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus.] Mutato *Clerici* nomine in *Religioſum*, (quanquam erant tunc Clerici: ferè omnes, non quidem Monachi, ſed Regulares, atque adeò Religioſi; & vniuerſa Sancti Hieronymi diſputatio, æquè cadet in rem præſentem & æquè excludet prætextum vanum Religioſorum, agendi immodicè cum ſummatibus, & aulas frequentandi, ad miſerorum ſubſidium, aliáve bona opera, collecto ad eum modum Principum fauore, curanda.

Innocentum indemnitas, quàm iure allegata.

DE extrema excuſatione frequentandæ per Religioſos aulæ, ad detegenda Principi indicanti firmamenta cauſæ innocentum, & dentes catulorum Leonum conterendos, (vt Iob loquitur,) pauca dicenda ſunt, quod non ſit obſcurum, quàm ea excuſatio ſit friuola, & malè materiata. Poſſet quidem euentus quippiam, ad id officij aliquandò vrgere Religioſum. Vt tamen idcircò, crebra aulæ aditio, & frequentatio (quæ ſola in Religioſo improbatur,) ſit neceſſaria, continget numquam. Quid verò vetat iſta obtendentibus reponere, quod Cartuſiani apud Petrum Cluniacenſem lib. 7. Epiſtol. 14. ſodalibus ingeſſerunt, cum pro iuribus Gratianopolitanæ Eccleſiæ ſolliciti litigarent. [Quid ad vos iſta? Chartuſienſis ordinis inſtitutio eſt, mala, ſi quæ nouerint, his ad quos ſpectat nota facere; non autem & litigare. Eorum eſt, ſimpliciter quod ſentiunt dicere: non autem palatia ad cauſandum intrare. Non eſt Eremi noſtræ, iudiciis aſtare: non eſt eorum, qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores vel defenſores exiſtere. Nihil ſimplicitati noſtræ, cum aſtutia ſæculari: nec decet, vt qui in ſeculo eremum elegimus, nunc de eremo ad ſæculum redeamus. Quod ſi non decet, vt illuc etiam tracti redeamus; decet vt ſponte, cunctis nolentibus, & reclamantibus iudicum nos tribunalibus ingeramus.]

Idipſum ſibi inculcet, quiſquis Religioſus, palatij limina ad litigandum, extra cauſam propriam indeclinabilem, cogitat. Decent hi prætextus ſubeundi Principum aulas, non Religioſos, quos par eſt à litium tricis eſſe alieniſſimos, ſed forenſes rabulas, quorum id eſt munus proprium. *Seruum autem Domini non oportet litigare*, vt fert Apoſtoli 2. Tim. 2. monitum; Et qui ad ſpirituale litigium Monachos prouocat, Hugo de Folieto lib. 2 de Clauſtro animæ cap. 14. quod eſt de Monacho Cauſidico. Non quod litigare apud Iudicem, aut apud Principem, qui eſt Iudex ſupremus in rebus temporalibus, ſit ex ſe malum, aut Chriſtianis illicitum, vt velle videtur Aſceta ille; cuius diſputationem cum Cauſidico Marcus Eremita deſcripſit, ſed quod non quidquid licet, expediat. Qua etiam ratione accipiendum eſt, quod Sanctus Bernardus in Cluniacenſium criminatione articulo 20. expoſtulat de Cluniacenſibus Cauſidicis, quod ita repellit Petrus Cluniac. Sancto Bernardo per ſingula capita reſpondens, vt quod diximus, planè tradat. Nec repugnaret Petrus Bleſenſis, tametſi in Inuectiua contra Operum ſuorum deprauatorem pag. 548. proſecutionem litium in Monachis exagitat. Atque ita præcluſæ manent omnes in peccato excuſationes, & occluſa omnia perfugia quæ à Religioſis aulæ amantibus captari poſſunt, ad aucupandam negotiationem politicam à ſacro inſtituto alieniſſimam.

Clauſula ex ſapientum quoque ſeculi, ſenſu firmata; ad Principem ſicut ad ignem.

QVare iure optimo, in hac meta conteſtari Religioſos poſſumus, vt quantum per prudentiæ & pietatis leges licet, (quarum Interpretes, par eſt ipſis eſſe, eos quos Dei loco venerantur,) aulas refugiant, nec magnorum qui ſunt in terra familiaritates captent, memores veteris prouunciati quod Plutarchus refert, *vt cum rogo, ſic cum Rege.* Quod paſſim ſic effertur *Ad Principem, ſicut ad ignem.* Scitè id illuſtrat Sidonius l. 3. Epiſt. *in fine*, adhortans Hedicium, ad periculoſam, (ſic enim loquitur,) Regum familiaritatem deuitandam [Aſſiduitatem tuam periculoſæ Regum familiaritati celer exime, quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque

quiſque, flammarum naturæ benè comparat: quæ ſicut paulułum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi, comburunt.] Diogenianus aliud eiuſdem ſententiæ adagium refert in hæc verba *πόῤῥω Διός τε καὶ κεραυνοῦ. Procul a Ioue, pariter atque fulmine.* Senſus eſt, refugiendam eſſe cum præpotentibus familiaritatem, quorum maieſtati non ſecùs ac Iouis, præſto eſt fulmen: id eſt vis & poteſtas, noxa cum libuerit perdendi ac conterendi innoxium. Id quod malo ſuo edoctus Naſo, ſic admonebat:

Viue tibi; tibi quantúmque potes, prælustria vita.
Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

Libr. 1. Veterum Epigrammatum, his aliis verbis idem monitum infigitur:

Viue, & amicitias Regum fuge: Pauca monebas
Maximus hic ſcopulus, non tamen vnus erat.
Viue, & amicitias nimio ſplendore nitentes,
Et quicquid colitur perſpicuum, fugito.

Idipſum breuiùs expreſſum eſt eo apud Suidam hemiſtichio *Ἄλευ ἀπὸ μείζονος ἀνδρός. Maiorem vitato virum.* Cui hemiſtichio, Diogenianus quoque, inter adagia locum dedit. Nec minùs ſcitú illud Lacydis Cyrenæi Philoſophi apophthegma, quod loco adagij vſurpari meritò poteſt. Cum enim hic ſapiens, ab Attalo Rege acceſſeretur in aulam, modeſtè & acutè excuſauit, dicens, *Imagines eminùs eſſe ſpectandas*; ſignificans, par non eſſe vt Regem aſſaretur è propinquo. Scatent ſcriptores qui moralia tractarunt, huiuſmodi monitis, quæ tanquã Sapientiæ refertiſſima, omnes ſuſpiciunt; quamdiu non eſt ab vliginoſo vſu affuſa caligo, ad veritatem dicta profitentur.

Hæc ſi quibuſuis prudenter res ſuas tractantibus ingeſta ſuſcipiuntur vt oracula, tametſi eos initum inſtitutum ab aula non ſemouet: quantò iuſtius eſt, vigere apud Religioſos, quos ſeceſſio vi profeſſionis adamata, a tumultibus aularum vernaculis, à turbis, ac ſtrepitu, ad ſanctam tranquillitatem prouocat? Aulæ porrò frequentatione ſecluſa, vnâ ſecluditur publicarum rerum tractatio, & ſtudium politicæ negotiationis: quæ non minùs abhorret à veris & probatis Religioſis, quàm à mortuis tumulò illatis: quandoquidem Religioſi quoque, ſi hoc ſunt quod profitentur, mortui ſunt, & vita eorum abſcondita eſt cum Chriſto in Deo; vt præclarè Petrus Cluniacenſis epiſtola ad Giſlebertum incluſum, philoſophatur l.4. Epiſtol. 19.

CAPVT XIII.

De amore Nationis partialis, ſiue patriæ preſsè acceptæ, in ſeruis Dei temperando.

NOmen *patria* (vt monui,) polyſimon eſt, nec rarò *patria* pro tota gente ac natione vſurpatur: aliàs autem ſumitur in notione reſtrictiore ac preſſa, nempè pro loco natiuitatis, aut diuturnæ commemorationis; quæ cenſetur eſſe quædam natiuitas; vt propterea Iuriſperiti, commemorationem diuturnam habeant pro natalibus, & vſui eſſe ad pleraque ſtatuant, ſicut ſi eſſet locus originis. In Chriſto ipſo, triplex hæc patria notari poteſt. Nam Bethleëmi natus eſt. Nazarethæ autem diutiſſimè eſt moratus in pueritia, & virili ætate, ideóque *Nazarenus* eſt denominatus. Poſtea autem auſpicatus prædicationem Euangelicam, delegit ſibi Capharnaum ad inhabitandum, eo quod ea eſſet Ciuitas perquàm opportuna ad excurrendum quaquauerſum. Vnde Euangeliſtæ eam vocant *Ciuitatem Chriſti.* Præmiſſa igitur hactenùs diſputatione, de temperando ſeruis Dei amore erga nationem, quæ eſt diffuſior patria; attingenda ſequitur quæ æquè ſeruis Dei neceſſaria eſt, temperatio amoris erga nationem hanc reſtrictam, ſiue patriam preſsè ſumptam; quia nec paucæ nec modicæ, hic quoque cernuntur ineptiæ, & oblæſiones perfectionis ad quam Religioſus ex vocationis ſuæ inſtituto anniti debet.

SECT. I. CAP. XIII. *De temperando patriæ amore.*

Amor patriæ, ex ſuo genere honeſtus.

ILlud porrò ante omnia ſupponendum eſt, tanquam indubitatum, non improbari omnem patriæ amorem, ſed eum in Religioſo quoque, honeſtum eſſe poſſe, atque laudabilem; quippè à natura ipſa conſertum. Quo pertinet egregia ſiue D. Ambroſij, ſiue D. Auguſtini (vtrique enim adſcribitur,) diſſertatio de natalis ſoli dulcedine: vnde eruit quiſquis eſt auctor, quam arduum fuerit, præceptum Abrahamo diuinitùs impoſitum, peregrinandi deſerta patria. Exſcribo quæ huc maximè faciunt. ſerm. 68. de tempore. [Cum ex proprietate genuina, (*id eſt ex loco ſuæ generationis proprio,*) ad incerta atque peregrina iubetur exire, tota deuotione compleuit; cui in re tam dura, nulla dubitatio fuit; ſed ſententiam Dei tanquam qui optare videretur, accepit. *Exi* (inquit Dominus,) *De terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam demonſtrauero tibi.* Nouum probationis genus, habenti propria, exilia induere peregrina; ingerere laborem itineris quieſcenti; imperare penuriam poſſidenti; & tantarum facultatum Domino neceſſitatem imponere peregrinandi. Libenter tamen fides accepit, quicquid arduum videbatur incredulis. Cui non eſt magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina, & voluntaria cara quam digeſta præſtoria? Leue cuiquam non eſt, dimittere propria & ſectari aliena incerta? dimittere quod ſcias? quærere quod ignoras? Quis enim propria ſine dolore deſeruit, aut ſine lachrymis dereliquit? Cui non eſt durum, illos conſcios natalium parietes, dulcia illa limina atque amabilem larem quem, & parentum memoria, & ipſius infantiæ rudimenta commendant: vbi cunabula illa noui & mox orientis hominis famulabantur; vbi ſecura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni ſimplicitate fælices, quos ſibi inter laſciuos atque ipſius ætatis luſus vernaculo genuina ſolo neceſſitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ omni fuerunt difficultate relinquenda, *Exi* (ait,) *de terra tua.* Quis hæc ſine fidei viribus, libenter audiret?] Vtique, quia deſerere tantam dulcedinem ſuam, permoleſtum eſt & admodum durum. Profecit quiſquis huius ſermonis auctor eſt, ex Philone l. de Abrah. Dulcem matrem patriam, quæ genuit, quæ nutriuit nominat S. Ambroſius altera in Ionam enarratione. Matrem quoque, & quidem omnium Ciuium communem, eam vocat Nazianzenus Epiſtol. 108. ſic affatus Sophronium. [Matrem honore afficere, pium ac ſanctum eſt. Mater autem, alia quidem alius eſt, communis autem omnium, patria.] At nihil dulcius matris nomine. Caſſiodorus lib. 1. Epiſtol. 21. Extorqueri à tanta dulcedine amorem, fatetur. [Nemo (inquit,) poteſt non diligere, quod habitatores intelligit amare. Vnicuique patria

ſua

SECT. I. CAP. XIII. *De temperâ. de patriæ amore.*

ſua charior eſt, dum ſupra omnia ſaluum fore quæritur vbi ab ipſis cunabulis commoratur &c. Aues ipſæ per aëra vagantes, proprios nidos amant: errantes feræ ad cubicula dumoſa feſtinant: Voluptuoſi piſces, campos liquidos tranſeuntes, cauernas ſuas ſtudioſa indagatione perquirunt.] Concludendum relinquit, hominem cui ſenſus eſt dulcedinis illius longè acrior, & ex motiuis ſublimioribus, multo conuenientius idipſum præſtare oportere.

Non eſt quod Patrum de re propoſita ſenſum, diligentius exquiramus, quaſi ex diuina doctrina quam illi præ cæteris conſectantur, ſit eruenda hæc veritas, quæ ipſo naturæ lumine eſt manifeſta. Hinc enim eſt, quod referente Tullio l. 2. de leg. poſt Homerum, 1. & 9. Odyſſ. ac ſcitè idem deſcribente Luciano in patriæ Encomio, Vlyſſes vt Ithacam patriam videret, quæ ſpeciem habebat nidi in rupe fixi, immortalitatem dicitur repudiaſſe; tanta eſt dulcedo patriæ, & tam ſuauis eius illecebra. Notiſſima illa Euripidis in Ægæo. [Natale ſolum vt conuenit, gratiſſimum eſt hominibus: Neque verbis, eius dulcedinem exprimere poſſim. Multo enim auro & opibus, antecellit patria ad inhabitandum prudenti viro: Nam quod naturæ cognatum eſt & familiare, neſcio quam ſui dulcedinem mortalibus in vita præſtat. Verumtamen miſerandum eſt tempus, quo patriæ fines relinquuntur. Quid enim patria, eſſet, charius viro, tellure.] Lucianus in patriæ Encomio in hoc argumento fuſus eſt. Initium celebrandæ patriæ ducit ab eo effato. [Iam olim vulgi ſermone detritum eſt, nihil eſſe patria dulcius, proinde neque iucundius quicquam. Eſtné verò hac aliquid venerabilius aut diuinius? &c. Quiſque noſtrum, in patria primum iucundum illud ſolis lumen intuitus eſt, (non ſecus atque Deum), qui tametſi omnibus gentibus communis eſt, vnicuique tamen patrius eſſe exiſtimatur, propterea quod ſub vitæ initium ab illo loco primum auream illam ſolis lampadem conſpexit. Accedit his, quod & vocem quiſque ſuam in patria auſpicatus eſt, primum ſuæ gentis vernacula lingua, amabili balbutie, ſonare perdiſcens, Deoſque cognouit. &c. Maturat etiam reditum in patriam aliquis, qui Inſularis fuerit, tametſi apud alios bellè & fœliciter viuere poſſit, oblatamque immortalitatem reſpuet, patriæ ſepulchrum perpetuitati præferens. Et vel patriæ fumus, alieno igne ipſi luculentior eſſe videbitur. Vſque adeò verò in vniuerſum, res omnes quamlibet pretioſas excellit patria, vt legum quoque conditores, paſſim quiſque videat maximis puniendis ſceleribus exilium pœnam conſtituiſſe, tanquam grauiſſimum & acerbiſſimum ſupplicium. Neque verò ſolum legiſlatorum conſuetudo ſic ſe habet, eorum verò qui cum imperio exercitibus præſunt, aliter. Neque enim maiore ac vehementiore exhortatione, in pugnis, militum perturbati accenduntur & inflammantur animi, quàm ſi pro tuenda patria ſe præliari cognouerint; nec ferè vllus eſt, qui his auditis ignauus eſſe ſuſtineat. Etenim ſtrenuum & audacem ex meticuloſo quoque, facit nomen patriæ.] Affectum eximium ciuium erga patriam, votis pro ſalute ac fœlicitate eius conceptis, & donariis quoque appenſis proditum, exhibet Philippus Tomaſſinus l. de donariis c. 18.

Collatus amor patriæ, cùm parentum, & quorumvis coniunctorum amore.

HIc ſenſus erga patriam, non arte comparatus, nec magiſterio humano inditus, ſed à natura cuique inſitus, non poteſt non eſſe honeſtus: Itaque amor patriæ ex ſuo genere optimus eſt habendus. Imò Nectario Ethnico ſcribenti ad S. Auguſtinum Epiſtol. 202. viſus eſt præferendus amori parentum, quod aliis quoque Ethnicis viſum eſt, vt Lucilio, cuius illa produntur.

Commoda præterea patriai, Prima putare;
Deinde parentum; Tertia iam, poſtremaque noſtra.

Charondas apud Diodorum eodem ſenſu dixit, nullam eſſe propiorem cognationem quam patriæ: Platonis in Critone, illa quoque ſunt, in hanc rem luculenta. [An ſic es ſapiens, vt te latuerit, & patri, & matri, & progenitoribus omnibus, patriam eſſe anteponendam; atque eſſe venerabilius quiddam ſanctiuſque; & in ſuperiori ſorte, cum apud Deos, tum apud homines mentis compotes, eſſe patriam collocandam, colereque eam oportere magis, eique obedire, & rigidius ſe gerenti, mitius aſſentiri, quam patri? &c. Vt autem nefas eſt vti vel contra matrem, vel contra patrem, maximè verò omnium contra patriam.] Hierocles, ſerm. Quales in patriam eſſe debeamus, non minus perſpicuè idem ſic tradit. [Eſt patria per Iouem, velut alter quidam Deus, & primus, maximuſque parens. Quare qui nomen ei impoſuit, à reipſa non temerè *patriam* nominauit, vocabulo quidem à *patre* deducto, pronunciato tamen fœminina terminatione; vt ex vtroque parente, mixtum eſſet. Atque hæc ratio inſinuat, patriam vnam, ex æquo duobus parentibus colendam eſſe. Præferenda igitur omninò eſt patria, vtriuis parentum ſeorſim, & ne ſimul quidem parentes ambos, maioris par eſt fieri; ſed æquali honore dignari. Eſt autem & alia ratio, qua non tantum æquali, ſed maiori etiam quam ſimul ambos parentes honore, patriam afficere monet: neque ſolum ipſis eam præfert, ſed etiam vxori, & liberis, & amicis, & abſoluto ſermone, rebus aliis omnibus poſt Deos.] Eam aliam rationem ex eo ducit, quod totum præferendum ſit partibus intra illud incluſis; cuiuſmodi ſunt parentes, præ patria. Tullius l. 2. de Republ. denique in opere de Republica quod intercidit, deſcriptus à Nonio Marcello, diſertè habet, patriam eſſe antiquiorem parentem, quam eum qui creauit. (Ita rectè hunc locum fœdè corruptum, ex ſuo vetuſto codice perſanauit Adrianus Iunius l. 6. animad. c. 2.) ex quo ſic infert. [Maior ei profectò, quam parenti debetur gratia.] Id eſt plus amanda & colenda eſt, quam parentes, aut quicunque neceſſarij. Hoc à Romanis in ſuos quoque pro patria ſæuientibus, præſtitum; ac ne ſibi ipſis quidem, aut ſuæ vitæ in ea cauſa parcentibus, perpendit egregiè S. Auguſtinus. 5. Ciu. c. 18.

Quod ex Ethnicis retuli, de præferenda patriæ charitate, parentum charitati, agnoſcunt quoque Patres D. Auguſtinus Epiſtol. 203. cum id ex Nectario retuliſſet, non modò non improbauit, ſed etiam ratum habere viſus eſt Sidonius carm. 23. expreſſè id confirmat, ſcribens, ad Conſentium de Narbone patria eius, ſic canens.

Quid primum venerer, colamque pro te?
Ni fallor patriam, patremque iuxta.
Qui quanquam ſibi vindicare ſummum

Poſſit

Poſſit iure ſoloum; tamen neceſſe eſt,
Illam vincere, quæ parit parentes.

Idem, agens cum Fedicio, l. 3. Epiſt. 3. ſummas ſibi in affectu partes, iure vſurpare terram quæ genuit, ipſe confirmat; quod iſtius cæſpitis reptata ſit gleba, &c. Si *Summas partes*, ergo omnium affectuum, anteponendus eſt affectus erga patriam, etiam affectui erga parentes. Hæc tamen quomodo concilianda ſint dico alibi, lib. 4. de virtut. n. 404.

Effatum illud, Omne ſolum forti patria, *amorem patriæ non excludit.*

NOn excludunt aut minuunt flagrantem hunc amorem patriæ debitum, Ethnici illi quorum eſt ea frequens vox. [Patria eſt, vbicunque eſt bene.] Et illa Euripidis, collaudata a Muſonio l. quod exilium non ſit malum. [Omnis quidem aër, aquilæ peruius. Omnis verò terra, viro fœlici patria:] Hæc à Teucro Telemonis filio, iactata in tragœdia, Lyſias Orator agens contra Philonem merito reprehendit. Sunt enim homines de ſe vno & commodis ſuis cogitantis; neque ſolliciti quomodò patria ſe habeat, ſed illius charitatem proprijs opportunitatibus metienti. Aliud verò eſt, de ſimili dicto quorundam aliorum, ex magna animi erectione prolato, ad prodendam generoſam æquanimitatem in irrogatione exilij: vel cum neceſſitas publica, aut maius bonum commune, adigit ad abſentiam à patria. In quo ſenſu Democritus, referente Stobæo ſerm. 38. dixit, *Qualibet terra, homini ſapienti eſt peruia: Animæ namque fortis, vniuerſus mundus patria eſt.*]

Euripides item ibidem adductus. [Vbicunque terrarum quæ nutrit tellus, patria eſt.] Notauit item Muretus 2. var. cap. 3. expreſſiſſe latinè Nafonem 1. Faſto. Græcam ſententiam Euripidis, cum ſolans ſuum exilium, dixit:

Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor;
Vt volucri, vacuo quicquid in orbe patet.

Cui hæc honeſtatem amoris erga patriam de qua hactenùs, non ſatis perſuaſerint, habet quos conſulat pleniùs iſta verſantes, præter antedictos, Baptiſtam Platinam, in opere de optimo ciue. Symphonianum Champerium de charitate erga patriam, & Gentianum Heruetum (vtrumq. hominum induſtriâ elucubratione de hoc argumento) ac Petrum Hædum l. 1. de amorib. cap. 5.

Neque ſenſus ſapientum noſtrorum, & externorum, de temperando patriæ amore.

SVppoſita igitur honeſtate amoris impenſi patriæ, addendum eſt eum amorem eſſe Religione temperandum, ne fiat illi multarum nec leuium imperfectionum fons. Idque ſpectantes pleriique ſanctorum, (vt S. Baſilius Epiſtol. 4. notauit,) ſtatuentes quod circa plantas accidit, adeò ab amore patriæ abduci ſeruos Dei voluerunt vt viſi ſint excludere affectum omnem erga patriam: quod exemplo item ſuo comprobarunt. Sed non excludunt reuera niſi intemperatum amorem patriæ. Hic fuit ſenſus Gregorij Thaumaturgi, cum referentè Niſſeno, in eius vita, moriens vetuit comparari ſibi locum ſepulchri proprium, vt qui viuus a nullo loco denominatus erat, mortuus quoque

Theoph. Rayn. Aſcetica.

in alieno iaceret. Sanctus Iuſtinus, Epiſtol. ad Diognetum. Chriſtianis ait omnem peregrinam regionem, eſſe patriam: & omnem patriam, eſſe peregrinam. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 28. num. 35. Non poſſe eſſe ſibi ingloriam, appellari exulem, ſic confirmat. [Exulem vocabunt: Quam demiſſè de nobis ſentiunt, homines verè contumelioſi, & peregrinorum inimici! Eſtne enim mihi ô viri, circumſcripta patria, cui & omnis terra, & nulla terra, patria eſt? Tu verò an hoſpes es, & aduena? Equidem habitationem tuam haud laudo, ſi ita animo afficeris; verendúmque tibi eſt, ne à vera patria excidas, ad quam omnis vitæ functio, referenda eſt.] Idem orat. 11. Sororem Gorgoniam laudans, ait patriam illi fuiſſe ſupernam Hieruſalem, cuius ciuis Chriſtus eſt; & conciues, frequens ille cœtus & Eccleſia primitiuorum qui in cœlis ſunt conſcripti. Alibi orat. 2. Celebrans Heronem, (quo ſuppoſititio nomine, deſignat Maximum ex Cynico Chriſtianum, ex Sancto Hieronymo, de ſcrip. Eccleſ.) Nondum tunc compertum, ait de eo. [Quod ad ciuitatem attinet, ſiquidem ſapientiæ ratio habeatur, totius orbis terrarum eſt ciuis; nec enim Cynicismus, exiguis finibus circum ſcribi ſuſtinet.] Sanctus Paulinus, Epiſtol 38. Deum ait eſſe communem omnium patriam; deploratque quod eius memoriam nobis, peſtifera voluptatum dulcedo obliteret, vt Syrenes quondam cautibus, & Lothophagi, iuxta fabulas, baccarum ſuauitate, obliuionem patriæ conciliabant. Philo lib. 2. allegor. & lib. de agricul. & lib. de confuſ. ling. Virtute veram bonorum eſſe patriam confirmat; & ideò omnem malum ait exulare, bonos autem exturbari è patria non poſſe. Simeon Eremita, vt eſt in Sanct. Theoctiſtæ Actis, Deum ſibi patriam eſſe profeſſus eſt. Rogatus verò de patria, obſtinatè ſiluit; quia nullam hic ſibi patriam, agnoſcebat De omnibus Martyribus, idem ſtatuit Gregorius Nyſſenus, collaudans S. Theodorum.

Quid mirum ſic ſenſiſſe ac dixiſſe ſanctos Dei, cum non ſecus ſenſerint ac locuti ſint ſapientes Ethnici? Plutarchus, & quotquot exules ſolantur, (quod præſtitere apud Stobæum 38. benè multi,) frequenter talia iterant. Iulianus Imperator, orat. 8. ex perſona Periclis. [Mihi patria eſt mundus vniuerſus: Amici, Dij ac Dæmones, & omnes quotcunque & vbicunque ſunt boni.] Conſtantinus orat. de Themiſtio, Themiſtium mundi ciuem denominauit. Ipſum eſt, quod Diogenes rogatus cuias eſſet, mundi ciuem ſe eſſe dixit Κοσμοπολίτην. Quo alluſit Nazianzenus, quem paulò ante vidimus dicentem de Maximo Cynico, quod Cyniciſmus non ſuſtineat circumſcribi exiguis finibus. Idem reſponſum a Socrate datum, produnt Tullius Tuſcul. 5. ac Epictetus. lib. 1. arr. cap. 9. Moſem item, mundanum ciuem ſiue Coſmopolitam, appellat Philo, lib. 1. de vita Moſis. addens de omni viro probo idem eſſe ſtatuendum. Eſſe hunc omnium ſapientum ſenſum, dixit ſcribens ad Sabinum Sanctus Ambroſius.

Hæc ſiue a Patribus, ſiue ab Ethnicis ſapientibus prolata, ſolum intemperatum amorem patriæ excludere, tantumque præ ſe ferre neceſſarium eſſe. Magnam in eo affectu moderationem, ex eo manifeſtum eſt, quod Patres ſint ingens in commendando affectu erga patriam vt vidimus. Et idem quoque habent Ethnici, ac nominatim Iulianus, Nam iis prolatis quæ ex perſona Periclis ab eo prolata

SECT. I. CAP. XIII. *De temperando patriæ amore.*

 ſtatuli

SECT. I. CAP. XIII. *De temperando patriæ amore.*

retulimus ſubdit, omnem affectum deberi patriæ, idque diuinam legem præcipere. Quare omnia proximè propoſita, ferunt tantùm amorem patriæ debere eſſe protſus illimem, & in Deum referri.

Localis affixio, primus temperati in patriam amoris, næuus.

PVgnant cum hac puritate & temperatione amoris patriæ debiti à Religioſo, nonnulli defectus iam olim notati, ac reciſi à SS. Patribus, & in primis affixio, qua aliquis patriæ non ſecùs ac ſaxo polypus adhæreſcit, & ægerrimè ab eo loco dimouetur. Notauit hunc næuum in Religioſis S. Chryſoſtomus homil. 74. in Geneſ. tractans illud de Abrahamo, *motis tabernaculis venit.* Vide (inquit,) mentem optimis moribus præditam, vide ſpiritus ſui ſanitatem, quomodò facilè inde migrat, nec grauatur de loco in loca tranſire. Inuenies enim eum, nulla familiaritate præuentum, & alligatum: id quod multis euenit, etiam iis qui ſe Philoſophos, & è mediis liberatos tumultibus iactant, & ſi quandò tempus vocet ſpiritualis negotij gratia, vt in alium locum concedant, ſæpenumerò moroſi ſunt, triſtes, & migrationem ægrè ferentes, eo quod conſuetudine præoccupati ſunt. Verùm non ita iuſtus, ſed iam tum, nondum fulgente Euangelij luce, philoſophum agebat, & quaſi peregrinus, & hoſpes, ita nunc hinc illhuc, & nunc illhinc huc tranſmigrabat, & per omnia religioſam ſuam mentem operibus ipſis declarare ſtudebat.]

Actus Abrahamico hoc ſpiritu Sanctus Nylus Calaber, cuius Acta ab eius diſcipulo pridem Græcè exarata, fecit latinè Federicus Metius, & exſcripſit ex parte Baronius anno 986 nunquam ſtabilem ſedem habuit, & ſuos ad eandem vitæ formam compoſuit, vt ferè perpetuò oberrarent, & vbi ad aliquam moram alicubi hæſerat, aliò tranſmigrabat, veritus viſcum affectus inhærescentis facilè iis locis, in quibus homo contraxit familiaritates, & amicitias nexuit. Eiuſdemque genij fuiſſe Abbatem Agathonem, narratur in vitis Patrum l. 5. libell. 6. numero 4. Eſt autem hæc loci tenacitas multò periculoſior, & ægriùs curabilis, cum agitur de patria, ob eius illecebritatem Quare omnes nomine quod præferunt digni Religioſi, nuſquam ſibi ſedem fixam deſtinant, ſed ex Abbatis Olympij monito Moſch. cap. 12. Limon. ſemper ſibi illud occinunt, *peregrinus ſum.* Itaque non affigor huic certo loco, in quo editus aut educatus ſum. Aut illas voces vſurpant quas Philo l. de Agricul. ſuggerit quibuſuis perfectis; [Inquilini vt eſſemus, non inhabitatores perpetui, venimus. Reuera enim omnis ſapientis animi, cœlum habet patriam, in terra peregrinatur, & Sapientiæ domum exiſtimat ſuam; Corporis verò, alienam, cuius inquilinus ſibi videtur.]

Induerunt hunc animum, plerique ſanctorum, quibus dulce fuit, propter Deum, & à patria, & à quovis loco ob initas conſuetudines prædulci, abſtrahi. Apoſtolus 1 Cor. 4. ſe *inſtabilem* nominat, quia vndecumque pellebatur, & agebatur in exilium Et eadem ſorte fuiſſe cæteros Apoſtolos, cum ex Luca in hiſtoria Apoſtolica, tum ex probatis eorum Actis, liquet. Viri Apoſtolici eandem ſubiuere, aleam, Sanctus Athanaſius, Treuerim relegatus, & ſæpè alias à ſuis penatibus dimotus eſt. Sanctus Hilarius à ſuis eſt amotus, & abductus in Phrygiam, vbi per quadriennium exul vixit. Sanctus Chryſoſtomus, ſemel ac iterum relegatus, in exilio obiit. Sancto Baſilio exilium decretum fuit, tametſi diuino prodigio impedita eſt decreti executio. S. Arcadium exulem, Antoninus Conſtantinæ Epiſcopus, per literas fortiſſimas eſt conſolatus, ſicut & Anonymus Tom. 9. Hieron. Virginem exulantem Sanctus Fulgentius, & alij plerique Sancti antiſtites, Africanæ Eccleſiæ columina, pro Chriſto extorres abierunt. Sanctum Anſelmum aliquot annos exulem, deſcribit Edinus. Sanctus Thomas Cantuarienſis, exilio proluſit ad martyrium. Quid paucos appendo, cum tabulæ Eccleſiaſticæ denſis exulum ſanctorum agminibus redundent? Omnes eundem induerunt animum cum ſancto Baſilio, quem omnem terram quaſi commune humanæ naturæ exilium ſpectaſſe, ſcitè dixit Nyſſenus in Monodia. Eidem agenti cum Modeſto Præfecto, immodeſtè ac tyrannicæ multa comminante, ac nominatim exilium, has voces animi indices, ingerit Nazianzenus, orat. 20. [Exilium haud agnoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem in quam proiectus fuero, pro mea duco: imò vt rectiùs loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus.] Ita omnis probus, vbiuis habet patriam, etiamſi è vulgo dicta patria ſit extruſus. Et è contrariò, improbus, ne in ea quidem, quam vocat patriam habendus eſt ciuis, cum ſit exul virtutis, veræ bonorum patriæ, vt optimè Philo pronunciauit l. de nobilit. ac Nyſſenus in eorum monodiis de SS. Baſilio, & Gregorio agens affirmauit.

Obſignet hunc ſenſum ſanctorum, de lubenti ſeceſſione à patria, ſanctus & ipſe vir, Hugo Victorinus l. 3. erudit. Didaſc. cap. 20. [Omnis mundus (inquit,) philoſophantibus exilium eſt. Quia tamen vt ait quidam, neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui, magnum virtutis principium eſt, vt diſcat paulatim exercitatus animus, viſibilia hæc & tranſitoria primùm commutare, vt poſſit etiam derelinquere. Delicatus ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt: fortis autem iam, cui omne ſolum patria eſt: perfectus verò, cui mundus totus exilium eſt. Ille mundo amorem fixit, iſte ſparſit, hic extinxit. Ego à puero exulaui, Et ſcio quo mœrore animus arctum aliquandò pauperis tugurij fundum deſerat, qua libertate poſtea marmoreos lares, & tecta laqueata deſpiciat.] Erat ergò Lutetiæ alienigena, quippe Saxo natione. Impegit enim qui eum fecit Gallum, in S. Victoris oppido natum, cum locus, à quo denominatus eſt à S. Victore, non ſit oppidum, ſed cœnobium Canonicorum Regularium, ad muros Lutetiæ. Ibi floruere Hugo, atque Richardus. Et quamuis fateatur Hugo, ſibi puero à paupere lare abiungi, viſum eſſe durum; tamen vir factus, euacuauit quæ erant paruuli.

Chriſtus ipſe, non tenue incentiuum abſtractionis à patria; cum ita fert maior Dei gloria, exemplo ſuo prælucens, monſtrauit. Nam Nazaretham ob conceptum, & longam inibi cum parentibus illhic degentibus commemorationem, habebat pro patria: (Bethleem quippè, per accidens, & nonniſi per occaſionem profeſſionis, editus erat, quod patriæ titulum non elidit, reſpectu loci ordinariæ commorationis parentum, & primæ natiuitatis, vt iura docent.) Quamuis Nazaretha eſſet Chriſto patria, indéque *Nazaræus* vocaretur, iuxta Propheticum oraculum de quo Matthæus, tamen cum primùm intinctus Ioannis baptiſmo,

anſpicatus

auſpicatus eſt Euangelicam prædicationem digreſſus e Iudæa ob tetrum, & cæſum Ioannem, venit in Galilæam, vbi non adiit Nazaretham, vt ferebat rectum iter abeunti e Cana, ſed locum habitationis delegit ubi Capharnaum, quod inde ad excurrendum quaquauerſum, & ſubleuiendum diuinæ gloriæ commoditas maior pateret. docens nos, anteferre diuinæ gloriæ prouentum vberiorem, oblectationi noſtræ ac propenſioni a natura inſitæ in patriam. Cum autem concionabundus obiter patriam attigiſſet, vrgentibus ciuibus vt quanta fecerat in Capharnaum, in ſua itidem patria faceret, non acquieuit, conteſtatus potentiam ſuam veluti inhiberi à cœlo patrio, vbi nemo Propheta eſt in honore, & carneus affectus miracula quaſi debita expoſcens, flumina cœleſtis operationis ſiccabat.

Religioſorum ſedi patriæ affixorum, puerilitas.

CVm hic fuerit animus ac ſenſus ſanctorum, quæ iſta degeneratio à primæuo Religioſo, ac etiam Chriſtiano ſpiritu, vt aliqui profeſſi ſanctimoniam, elongationem à patria adeò grauem ducant, vt vigendi ſint illis vocibus, quibus ad Martyres deſignatos vtebatur Tertull. l. ad Martyres c. 2. [Nihil intereſt vbi ſitis in ſæculo qui extra ſæculũ eſtis.] Hos Aluarus Pelagius l. 2. de planc. Eccl. a. 64. littera F. damnat vitij quo infamantur proprietarij. Non ſecùs enim ſibi locum patrium vſurpant, quã ſi eum poſſiderent dominio proprietatis: vnde *forenſem* ab eis excludi dicit, *ita vt nolunt eum ſubſiſtere, niſi ſit nimis vtilis*. Ipſi autem [ſemper volunt in locis propriis commorari, vt propriè dicatur eis illud Pſalmi 48. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.*]

Pudeat oppoſiti ſenſus ſapientum Ethnicorum, quibus hæc ad certum locum (ac vel ſi ad patriam,) affixio, indigna planè animo philoſophico eſt viſa. Seneca l. de Tranquill. animi c. 3. præclarè id tradit. [Patriam nobis mundum profeſſi ſumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare.] Et alibi Epiſt. 101. [Magna inquit, & generoſa res eſt humanus animus, nullos ſibi poni, niſi communes & cum Deo, terminos patitur. Primùm humilem non accipit patriam, Epheſum, aut Alexandriam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius incolis, latius tectis ſolum. Illi patria eſt quodcunque ſuperne vniuerſa circuitu ſuo cingit. Hoc omne conuexum, intra quod iacent maria cum terris, intra quod aer humanis diuina ſecernens, etiam coniungit, intra quod diſpoſita tot numina in actus ſuos excubant.] Idem alibi Epiſt. 28. [Nulli loco addicere debemus animum. Cum hac perſuaſione viuendum eſt. Non ſum vni angulo natus. Patria mea, totus hic eſt mundus.] In ſuadenda facili & expedita loci mutatione, multus eſt conſolans Heluiam cap. 6. Plutarchus l. de exilio, quoque, præclarè. [Quaſi formicæ vel apes, ſi ex vna cauerna, aut alueari exciderimus, hoſpites externique nobis eſſe videmur. Quod idcircò fit, quia omnia propria & familiaria, (vt certè ſunt,) facere ignoramus. Atqui ſtultitiam eius irridemus, qui lunam Athenis meliorem nitidioremque eſſe dicat, quàm quæ Corinthi: Et tamen in idem quodammodò vitium mentis incidimus, cum peregrinantes, terram, mare, aerem, cœlum, vt diuerſa aliáque à conſuetis, eſſe contendimus. Liberi quidem, ac ſoluti, à natura in lucem emittimur, ipſimet autem nos ipſos colligamus, locorúmque coarctamus anguſtiis.] Muſonius apud Strab. l. 38. de eo qui bonus, & æquus exiſtimari velit, ita ſtatuit. [Talis regionem quidem nullam vel colit, vel deſpicit, tanquam beatitudinis cauſam, ſed ipſa in ſeſe omnia collocat, & putat ſe ciuem vrbis Iouis, quæ conſtat ex hominibus, & Diis. Conſentientia his & Euripides dicit, vbi ait; Omnis quidem aer, homini penetrabilis, Omnis verò terra, viro forti patria. Quemadmodum autem ſi quis in patria agens, aliam tamen domum inhabitans, quàm eam in qua natus erat, ſeſe maceraret, & ob eam rem lugeret, nihili homo & ridiculus eſſet, pari ratione, is qui inhabitans aliam ciuitatem quàm in qua natus eſt, calamitatem putat, talis meritò ſtultus habetur, & vecors.] Iulianus orat. 8. Imperator, ſcitè in hos polypos, ſic iocatur. [Non vti plantæ cum ex natiuo ſolo transferuntur, ſi tempeſtatum contraria ſit vtrobique ratio, conſeruari nequeunt; ita etiam homines, cum loco migrant, vel corrumpantur penitùs, vel mores immutant, & ab iis quæ rectè à ſe fuerant decreta, dimouentur.] Idem conſiderat terram ſtare, cœlum verò perpetuò circumagi: Corpus item iacere, animam verò ocyſſime & irrequiete agitari. Quare cœleſtes & ſpirituales homines, dedecet affigi vni loco, nec quocunque diuina tulerit prouidentia, ſede priore, etiamſi patriæ, abiecta, commigrationem in alia loca detrectare.

Næuus alius amoris in patriam, affixio ad eam, per cogitationem ac iuges ſermones.

NOn ſunt liberi à defectu, alij qui tametſi corpore à patria abſceſſerint aut auulſi ſint, ſemper tamen eam cogitatione ac verbis circumferunt, ita vt frequentiſſima illis ſit de rebus patriæ, & cogitatio, & oratio. Hinc proditur intemperatus patriæ amor, cui moderatio adhibenda eſt, recogitato eo monito quod ſponſæ datur in Epithalamio, *Obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui.* Verbum, *obliuiſcendi* non qualemcunque obliuionem notat, ſed qua radicitùs extirpetur vniuerſa recordatio. Vox enim Hebræa quæ hoc loco habetur, admodum emphatica eſt, vt aduertit Bellarminus, & obliterationem omnimodam patriæ, ac larium priſtinorum, indicit. Imò notat Lorinus, eſſe verbum ſonans execrationem, qua homo Dei ſtatuat; non eſſe memor nominum eorum per labia ſua, ſed ſi fortè occurrant memoriæ, illicò reiiciantur, non ſecùs ac cogitationes nequam. Hanc immemoriam, depoſcit Chriſtus à ſponſa filia, (ſic enim eam præ teneritudine nominat, & vt ad hoc monitum ſeriò attendat, aurem inclinans, & illud in intimum pectus demittens, adhortatur. Quadrat huc appoſitè fabella, (non enim hiſtoria, quamvis vt hiſtoria venditur à Petro Comeſtore, hiſtoriæ Scholaſticæ Magiſtro,) de annulo pronubili à Moſe dato vxori, filiæ Principis Æthiopum, id eſt Iethro, Sacerdotis ſiuè Principis Madian, cuius filia à ſcriptura denominatur Æthiopiſſa. Ei ergò Æthiopiſſæ in nuptialem thalamum accitæ, Rabbini datum annulum dicunt, cui inſerta erat gemma, patriæ obliuionem ac faſtidium inferens; ita vt cum priùs nollet è patria abſcedere, poſtea accepti annuli efficacitate, lubens ac volens ſecuta ſit. Fabula eſt Rabbinica, vt dicebam. Hic tamen bellè quadrat. Anima enim Chriſti ſponſa, annulo fidei ſubarrata,

SECT. I. CAP. XIII. *De temperando patriæ amore.*

SECT. I. CAP. XIII. *De temperādo patriæ amore.*

margaritam Euangelicam annulo conſertam accipiens; conſiliis inquam Chriſti magna cum fide ſe addicens; obliuiſcitur populum ſuum, & patriam, ita vt non tantùm ſinat ſe ab eis auelli, ſed ſtirpitùs euellat ex animo eorum memoriam, quantum ferunt leges charitatis, & Euangelicæ perfectionis. Faciunt hoc, (animo ſaltem, ac voluntate,) probati quique Religioſi; ita vt non paucis ad tollendam patriæ ac populi ſui recordationem, ex antiquo vſu deponantur nomina, & ſcilicet cognomina priſtina, quod pleniùs exequor tractans Heteroclitam nominum mutationem; vbi expedita eſt difficultas, quæ contra rem præſentem vigeri poſſe videbatur, de praxi quorundam, cognomen aſſumentium à patria. Cuius praxis cum non deſint illis rationes haud incongruæ, ea addi poteſt non contemnenda, quod Spiritus ipſe Sanctus, pleroſque Prophetas à patria cognomen trahere voluerit: vt plenè tradit Ægidius Camartus cap. 1. ſect. 3. agens de Elia Thesbite. Nec illa item ratio eſt veriſimilis, quod è duobus malis, placuerit eligere minus, iuxta probatam multorum Theologorum doctrinam. Cum ergò cognationis memoria priſtino cognomine ingerenda, periculoſior ſit Religioſo, quàm recordatio patriæ; eo quod ob eundem ſanguinem, ac concretionem, & efformationem in eadem figlina, intimior ac coniunctior ſit homini, propinquorum neceſſitudo, quàm patriæ, ſatius viſum eſt, abiecto cognomine, vnaque cognationis recordatione cognomen à patria petere. Non minùs tamen conſultè ac Religioſè alij, ab aliquo myſterio, aut ab aliquo cælitum, cognomen aſciſcunt: eradentes ea ratione ex animo, non cognationis tantùm, ſed etiam patriæ recordationem. Sapienter vtrique ac piè.

Magnitudo ac ſplendor patriæ, vaniſſimum gloriæ argumentum.

LAbes alia intemperatum patriæ amorem in Religioſo homine prodens, ea eſt, qua ſplendor patriæ à magnitudine, aut opulentia, vel dignitate oſtentatur. At hæc eſt ridicula planè oſtentatio, etiā in ſæculari homine, nedum in Religioſo. Nazianzenus orat. de Epiſc. t. 2. Græcol. 308. Scitè hanc ſtoliditatem ſugillat. [Iactat (inquit,) ſuam vrbem ſplendidam. Et quis vnquam obſecro, vrbanus aſinus, maioris fieri voluit, quàm rure degens quiſpiam? Nimirùm, aſinus eſt aſinus, etiamſi in vrbe habitet.] Pleniùs in eandem ſententiam diſſerit, orat. 25. à n. 22. Retundens nugas, quibus Ariani, eum vilem apud plebeculam nitebantur efficere, eo quod non eſſet natus Conſtantinopoli, regia vrbe, quam & ſubſtructiones mirabiles viſendam faciebant, & immenſus vndecunque ſplendor cumulabat. [Parua tibi ciuitas eſt (inquit,) ac ne ciuitas quidem, ſed aridus locus & inamœnus atque infrequens. Atqui hoc, ſi in malis habendum eſt, vir præclarè, patior potiùs quàm facio: Et ſiquidem inuito animo, miſer ſum; (liceat enim ita loqui;) ſi verò æquo ac libenti, philoſophi laudem obtineo. Vtrum horum, criminis rationem habet? Niſi verò quis hoc nomine delphinum accuſandum putes, quod terreſtre animal non ſit; & bouem, quod non in aquis degat, & morænam, quod in vtroque elemento vitam ducat. At nobis (inquis,) mœnia ſunt, & theatra, & Circi, & palatia, & pulchræ atque ingentes porticus, atque hoc incredibile opus, ſubterraneus nimirùm & aëreus fluuius; & illuſtris hæc ac viſenda columna, & forum frequens, & vulgus exundans, & nobilium virorum præclarum Concilium. Quin tu commodiſſimum quoque vrbis ſitum commemoras, & terram, ac mare velut certatim ſibi vrbem vindicantia, ſuiſque bonis Imperatricem vrbem ornantia? Ergo hæc iniuria noſtra eſt, quod vos quidem magni, & admodum ſplendidi eſtis, nos autem parui, atque à paruis venientes? Nimirùm ſi ita eſt, multi quoque alij eandem vobis iniuriam inferunt. Atque adeò omnes ij quibus ſuperiores eſtis, num propterea morte multandi ſumus, quod nec ciuitatem extruximus, nec muris cincti ſumus, nec circis, nec ſtadiis, & venationibus, atque inſanis circa res huiuſmodi ſtudiis; nec balneorū venuſtate ac ſplendore, nec marmorum excellentia, nec picturis & punctionibus auro fulgentibus, varioque opere confectis, naturæ ſolertiā propemodùm imitantibus, gloriamur? Nec verò nobis adhuc mare in orbem effiegimus, nec anni partes temperauimus; (quod tu videlicet, nouus rerum fabricator effeciſti,) vt vitam iucundiſſimè ſimul & tutiſſimè traducamus.] Magnificentiam vrbis Conſtantinopolitanæ patriæ ſuæ oſtentabant hi Arriani: quam fluuius à Valente per ædificia cylindrica inductus, mediam interſecabat, nunc fluens ſub terra, vbi terræ altitudo perſpicuè eductioni impedimento erat; nunc per aërem, vbi concauitas ac depreſſio nimia terræ, deductioni aquarum obfuiſſet, validis partibus conſtitutis curſum continuans. Mare item à cornu magnæ vrbis, vtrinq; veluti ſciſſum in orbem, magnis ſumptibus, & arte alluebat ciuitatem. Columna item ἀρτήλιον, cui Conſtantinī Magni ſtatua equeſtris inſidebat, vrbem exornabat. Picturæ præterea, quarum pleræque opere Muſiuæ è gemmis lapilliſque multiplici punctione diſtinctis confectæ, vrbem exornabant. Immenſa eiuſdē vrbis decora, (de quibus Curopalates, & Petrus Gyllius, paſſimque alij,) Saginandis Turcis aliquandò ceſſura, iactabantur ab iiſdem inſolis ciuibus Conſtantinopolitanis Arrio addictis; opponentibus è contrario, paruitatem oppidi, è quo oriundus erat S. Gregorius eiuſque humilitatem & abiectionem, ac inde deiectionem ei apud populum conciliare tentantibus, digno Arrianis ſpiritu, digno carneis ac mundo immerſis cogitationibus.

Quæ vera patriæ amplitudo ac dignitas.

MAlè illi ac præpoſterè, vrbis ac patriæ ſplendorem & magnitudinem, ad moles in rudera aliquandò deſituras, ad fluxas opes & amœnitates, ex corrupto ſenſu mundano pretioſas, admetiebantur: cum oportuiſſet perpendere, quænam reuera ſint quæ vrbem magnam & ſplendidam efficiunt, de quibus patriæ decoribus ſolidè gloriari liceat. S. Chryſoſt. hom. 17. ad popul. Paſſis eloquentiæ velis, hoc æquor decurrit, expendens illud apud quoſdā luctus argumentum, quod Antiochia, nomine ac dignitate Metropoleos excidiſſet. [Doles (inquit,) quod ciuitatis dignitas ablata eſt? Diſce quid tandē ſit ciuitatis dignitas; & tunc manifeſtè ſcies, quod ſi habitatores ipſam non prodiderint, auferre poterit alius nemo ciuitatis dignitatē. Non quod Metropolis ſit, neque quod habeat ædificiorum magnitudinē & ornatum, neque quod multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes: neque quod ante alias ciuitates prædicetur; ſed inhabitantium virtus & pietas, hæret dignitas, & ornatus, & tutela eſt ciuitatis: ita vt ſi hoc deſit, omnium ſit viliſſima, licet infinitum ab Imperatore conſequatur honorē.] Veram dignitatem vrbis Antiochenę patriæ ſuę exeo in conſequentibus copioſè eruit, quod magna

fide

fide claruerit, ita vt ibi primùm Actor. 11. cognominarentur Diſcipuli *Chriſtiani*, quod ciues neceſſitatibus ſanctorum communicaſſent, ſubmiſſis largè eleëmoſynis, quod aduerſus doctrinæ Chriſti contemptores Hebræos, ſteuſſent immoti Actor. 15. Inde concludit. [Hæc ciuitatis dignitas, hoc ipſam facit Metropolim, non in terra, ſed in cœlo. Ita quæ omnes alij honores, corruptibiles ſunt & caduci, & cum præſenti vita ſoluuntur: frequenter autem & ante præſentem vitam, finem capiunt, ſicut & nunc, vtique ceperunt. Mihi ciuitas non habens pios ciues, omni villa vilior eſt, & quacunque ſpelunca ignobilior.] Hoc paulò poſt, confirmat ex ciuitatibus Pentapolitanis, quas ædificia ſplendida, & omnia genera magnificentiæ exornabant. Et tamen cloacæ erant turpitudinum horrendarum. Infert ex his S. Chryſoſt. [Non ciuitatis magnitudo, ſed animi virtus ornamentum eſt ac munimentum. Si vero ciuitatis quoque dignitatem & de pinaculis, magnitudinem; cogita quot lenones, quot molles, & pediſſi, & innumeris pleni erant, digni alij hoc communicant, & tandem hanc contemne honorem.]

Fortis omninò ratiocinatio, quam roborare inde facit, quod maximæquæque vrbes, ſceleribus vt plurimum redundant. Colligit præcipuas magnitudine vrbes, ſeu denuo in cap. 1. pag. 27. ſcribens in ſonam In Oriente producit vrbem Quinſai, quod nomen ſonat *ciuitatem cœli*, ex Marco l. 2. de reb. Orien. c. 26. Polo teſte oculato, ambitu centum milliarium diffuſam, familiis ſexcentis millibus inhabitatam. Addit Cambalu, Cataiæ ciuitatem, gyro viginti octo milliaria complectentem. Hieroſolymam vrbium Orientis longè clariſſimam ex Plinio l. 5. c. 14. ex Hecatæo autem apud Euſeb. 9. præp. c. 21. quinquaginta ſtadiis per circuitum diffuſam. Item Babylonem, ex Diodoro, 2. bibl. c. 4. ſtadiis trecentis ac ſexaginta amplam. Ad hæc in Africa Alexandriam, Thebas Ægyptias, centum portis illuſtres, Memphim, Carthaginem; Marocham, Feſſam. vrbes ampliſſimas & populoſiſſimas exhibet. Iam in Europa, Venetias, Athenas, Conſtantinopolim, Moſcouiam, Cracouiam, Pragam, Treuerim, Coloniam, Lutetiam, Rothomagum Lugdunum, Toloſam, Hiſpalim, Grannatam, Vlyſſiponem, Mediolanum, Neapolim, Romam. In America, Palymbrotham, & alias magnas, amplas, populoſas vrbes, ſed maximè Temixtitan, in qua Ioannes Zumarraga primus Archiepiſcopus Mexicanus, ſcribens ad Capitulum Generale ſuorum Minoritarum, teſtatur quotannis ad viginti millia cordium pueris puelliſque immolatis exemptorum, offerri ſolita falſis numinibus. Vt videas verum eſſe quod aiebam, magnas vrbes magnis ſceleribus abundare. Id quod facile monſtrari poſſet, de aliis enumeratis ciuitatibus, amplitudine ac populoſitate illuſtribus, ſi res ferret: nec illis, qui eaſdem frequentarunt, eſſet compertiſſimum.

A magnitudine ergò, ab opulentia, à ſede Magiſtratuum collaudare ciuitatem, eſt laudare arborè a foliis, non à fructibus, vt hom. 4. de verbis Eſaiæ initio, tradit S. Chryſoſt. docens ciuitatis Antiochænæ ornamenta non à magnitudine & ſplendore terreno, ſed à micante in ea pietatis ſtudio, petenda. Quis credat hominem Atheum, idq; ſum cenſuiſſe? Lucianum in patriæ Encomio dico, cuius illa ſunt, Chriſtiano, quam Ethnico & pio, quam infami autore digniora. [Quicunque fœlicis & ſplendidæ ciuitatis ſe ciuem eſſe iactat, ignorare mihi videtur, quam gloriam aut honorem patriæ tribuere oportcat.] Itaque iactantia patriæ, iuxta corruptum vulgi ſenſum ſplendidiſſimæ, & maximæ, ſtupo rata eſt, & indigna ciue Chriſtiano, cui recogitandum erat, quã reuera habeat patriam. [Si Chriſtianus es, (ait Chryſoſt. hom. 17 ad pop.) ciuitatem non habes ſuper terram. Ciuitatis noſtræ opifex & architectus, eſt Deus. Licet omnem capiamus orbem, hoſpites & peregrini potiùs ſumus. In cœlum adſcripti ſumus, illinc conuerſemur: non more puerorũ paruorum, pueros magnos ſuſpicientium, parua admiremur.] Splendide in hoc argumento verſatur Greg. Nyſſenus, collaudans germanum ſuum S. Baſil. eam ſolam patriam magni faciendã in vnoquoque præfatus, quæ libera volũtate contingit. Hanc patriam ait eſſe virtutum, qua qui præditus eſt, eámque colit, & quæſtum ſibi ex ea facit; [patriam ſuam prorſus efficit, id in quo viuit. Sobrietas illi pro domicilio, ſapientia loco prædij, iuſtitia autem & virtus, & puritas pro ſplendidis, magnificis, atque viſendis, & conſpicuis ædificiorum ornamentis, in quibus inhabitans, magis his delectatur, ac ſibi placet, quàm qui marmoreis & auratis ædibus gloriantur.] Idem celebrans Gregorium Neocæſarienſem, non à patria terrena magna ac ſplendida, vt fert vſus vel abuſus Rhetorum; ſed à vera eius, & cuiuſuis Chriſtiani patria; [Noſtro iudicio, (inquit,) vna in pretio & in honore patria eſt, paradiſus, prima humani generis ſedes: vna ciuitas illa cœleſtis, quæ per viuentes lapides conſtituitur & coagmentatur, cuius artifex & conditor eſt Deus &c. Patria verò, aliis quidem omnibus fabulæ atque commenta, dæmonumque fraudes ac ludibria, fabuloſis narrationibus ſimul permixta: Noſtra autem patria, expoſitoribus & narratoribus opus non habet. Nã ſi quis cœlum ſuſpexerit, eáque quæ inibi ſunt ornamenta, & omnem creaturam animi oculo conſiderauerit, quæcunque in his miracula comprehendere potuerit, has noſtræ patriæ reperiet narrationes. Imò verò non ipſius patriæ, ſed coloniæ quam à ſublimiore vita reiecti & relegati, mundum præſentem nimirùm aſſecuti ſumus. Quod ſi talis eſt colonia, exiſtimare oportet qualis ſit ea vrbs vnde colonia deducta eſt, quæ ſit in ea pulchritudo, quæ ſit in ea regio, quæ beatitas eorum, quibus illa habitatio obuenit. Nã ſi ea quæ in rebus creatis apparent, eiuſmodi ſunt, vt nulla oratione explicari, nulla ratione comprehendi poſſint, quid de iis exiſtimandum eſt, quæ ſupra hæc ſunt? quæ neque oculo cõprehendi poſſunt, neq; auribus percipi, neque mentis & intelligentiæ coniecturis, qualia ſint iudicari & exiſtimari poteſt.] A ſplendore ac magnitudine vrbis Romanæ, S. Fulgent. vt habent eius Acta, nec non à ſimilibus vrbis Conſtantinopolitanæ ornamentis, cum illhic eſſet tempore ſolemnis baptiſmi Theodoſii Iunioris, S. Porphyrius Gazenſis ad cœleſtis patriæ ac regiæ Dei, magnitudinem ac ſplendorem, vtcunque perſpiciendum adrepſerunt, quod item fecit perpulchrè S. Baſil. hom. 6. initio.

SECT. I. CAP. XIII. *De temperatione patriæ amore.*

Eius ergò duntaxat patriæ magnitudo ac ſplendor oſtentandus ſanctè eſt Chriſtiano, iudice Nyſſeno: qui concludit, quæ ſanctorum patria ſit celebrando. [Per hanc ſpiritualem laudem, ab iis qui commendantur, diuina laudationum lex, internas has nugas atque deliramenta ſecernit & excludit, turpe atque indecorũ eſſe iudicans, eos qui propter eiuſmodi bona noti ſunt, per eas res quæ in terra habentur in pretio, celebrari atque honeſtari. Nã ſi quidem aliquis eſt homo mundanus, qui materialem ſpectat fœlicitatem, is ex eiuſmodi rebus laudem hominibus corroget. Si cui patria, pecorum ferax contigerit, ſi mare vicinum, gulæ dedictis per ſe ſe abundè res aptas ad veſcendum ſuppeditet,

SECT. I. CAP. XIII. *De temperando patriæ amore.*

ſi lapides alij aliis ſuperimpoſiti, ædificia exornent. At qui ſuperam incipit vitam, cui pulchritudo atque ornamentum animi puritas eſt, cui diuitiæ inopia, cui patria virtus, cui ciuitas item, ipſa regia Dei, in rebus terrenis magnificentiam, & oſtentationem, ſibi probro atque dedecori eſſe ducet.] Hæc ſi ad laudes ſanctorum adducere non decet, multò minùs ea putide cuiquam oſtentanda & celebranda per ſemetipſum erunt, ac longè minus, quàm aliis, Religioſo hominum ſeceſſum a mundanis hiſce nugis profitenti.

Probroſum, erubeſcere ob patriæ tenuitatem.

E contrario autem, eſt quod iidem ſuffundatur, ſi quandò erubeſcant de patria modica, vel tenui. Hoc ex antedictis eſt perſpicuum. Monſtratum quippè eſt, modicam patriam non eſſe contemnendam, niſi ob exilem virtutem incolarum. De materiali autem paruitate ac tenuitate patriæ ſuffundi, eius fuerit, qui ignorauit, quam Magni viri nati ſint in oppidulis, aut pagis, vel viculis. Democrito patria fuit, Thraciæ oppidulum Abderæ, ex Mela, eius tamen prudentia monſtrat, Summos poſſe viros, & magna exempla daturos, Vervecum in patria, craſſóque ſub aëre naſci, vt canit Iuuenalis Saty. 10. Vlyſſem laudauit in Philoctera ſuo Attius, referente Apuleio ad finem libri de Deo Socratis. Sic eum compellans; *Inclite, parua prodite patria, nomine celebri.* *Prodite*, id eſt, qui prodiiſti, non *predite*, vt habebant inemendati codices, rectè ſic emaculati a Steuechio. Vopiſcus egregiè in hanc rem ſic diſſerit, agens de patria Aureliani. [Euenit quidem vt de eorum virorum genitali ſolo neſciatur, qui humiliori loco nati, pleriqne ſolum genitale confingunt, vt dent poſteritati de locorum ſplendore fulgorem. Nec tamen magnorum principum virtutibus, ſumma ſciendi eſt, vbi quiſque ſit genitus, ſed æqualis in Republica fuerit. An Platonem magis commendat, quod Athenienſis fuerit, quam quod vnicum Sapientiæ munus illuxerit. An eo minores inueniuntur Ariſtoteles Stagirita, Eleatéſque Zenon, aut Anacharſis Scytha, quod in minimis nati ſunt viculis, cum illos ad cœlum omnis philoſophiæ virtus extulerit.] Addere poterat, Tullium Arpini natum; Virgilium in vico Ande propè Mantuam; Catonem Tuſculi; Liuium Apone, agri Patauini viculo. Hi & alij, viri, omnino iuxta ſæculum clariſſimi, nati ſunt in viculis, quamvis plerunque, à magnis ciuitatibus vicinis, denominentur, iuxta illud Vlpiani l. qui ex vico ff. ad municip. [Qui ex vico ortus eſt, eam patriam intelligitur habere, cui Reipublicæ ille vicus reſpondet.]

Sanctorum pars non modica, ex oppidulo, vel mapali, orta eſt, [Rama Ramatha, magni Samuelis patria, (ait Nazianzenus orat. 25.] dedecori illi aut impedimento non fuit, quominùs Deo, priuſquam in lucem prodiret, donaretur.] Sanctus Bernardus, Fontanis eſt natus, loco perexiguo. Ioannes Charlierius abſque ſancti prænomine ſanctus, Gerſone, Petrus faber in abiecto mapali.

Chriſtus conceptu Nazarethanus, ortu Bethlemites.

OMnes, quantumuis expertes literarum, quæ fuerit terrena Chriſti patria norunt. Eam video ſtrictiùs agendo, duplicem aſſignari poſſe. Nazaretham, in qua eſt conceptus, ac diutiùs cum parentibus commoratus, & Bethleëmum, vbi eſt natus. Nam patriam originis ac domicilij, agnoſcunt quoque Iuriſperiti. Vtramque prædictam patriam, in variis ſcripturis Chriſto adſcribi, benè monſtrat Toletus in c. 2. Luc. annot. 51. vtraque igitur hæc patria, fuit Chriſto tenuis ac modica. Nazareth, ſane exigua vrbs erat, vt inſinuatur verbis illis Nathaelis ad Philippum, qui reperiſſe ſe Meſſiam dixerat, IESVM à Nazareth. Reſpondit enim Nathanael. *A NAZARETH poteſt aliquid boni eſſe?* D. Auguſt. in pſ. 65. & tract. 17. in Ioan. verſans illud Pſaltis, *date gloriam laudi eius*, negat eſſe adhibendam interrogationem ei dicto Nathanaëlis. Et quamuis fateatur aliquos pronunciaſſe adhibita nota interrogandi, tamen negat eam pronunciationem *à prudentioribus eſſe approbatam*: eo quod Nathanaël ſcripturarum peritus, bonum illud eximium ad quod ſuſpirabant, Hebræi, perſpexit à Nazaretho orturum quoad primam originem, cum ſcriptum ſit à Prophetis, *quoniam Nazaræus, ſiue Nazarethanus, vocabitur*, iuxta gloſſam S. Matthæi. Qua ratione, Nathanaël confirmat Philippum in concepto ſenſu de Chriſto Meſſia; eo quod à Nazareth potuerit eſſe bonum, quod in diebus ſuis non eſſe viſum, gemebat Iob, non obſtante loci tenuitate, quæ diuinis conſiliis nequibat officere. Paſſim tamen alij PP. & nominatim Chryſoſt. hom. 19. Cyrill. l. 2. in Ioan. c. 15. adhibent ei dicto Nathanaëlis, notam interrogandi; ita vt Nathanaël audiens dici Meſſiam prodiiſſe ex Nazareth, quem ex Michez 5. vulgatiſſimum erat proditurum eſſe ex Bethleëm exclamarit, non ſecùs ac illi Ioannis 7. *Numquid à Galilæa venit Chriſtus? Nónne ſcriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethleem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* Et hac ratione, vilitas Nazarethæ, inſinuetur à Nathanaële, quam etiam cumulat interpretatio de more acuta, Ioannis Abba: illud poteſt, ſumentis pro *ſolet*, ita vt ſignificare voluerit Nathanaël, Nazaretham vilem, & ignobilem vrbem, non eſſe ſolitam dare viros magnos atque Prophetas, quantò minùs Meſſiam? Vt proinde minùs audiendus videatur Adricomius in tribu Zabulon num. 73. Nazaretham exhibens, pulchram, & florentem ciuitatem: Quod myſticè quidem veriſſimum eſt, ob enatum ibi florem campi, in flore virtutum, vt Sanctus Hieronymus de locis Hebr. loquitur, ad literam tamen minùs congruit ſcommati illi, quo per opprobrium Iulianus Baron. anno Chriſti nono & 43. Apoſtata, & alij fidei hoſtes, vt Iſdegerdes in Actis Sanct. Iobi Intercifi, Chriſtianos, Nazaræos, & Galilæos vocare ſolitus erat, deprimens eos ab obſcuritate loci, in quo Chriſtus editus ferebatur. Et eodem ſpectantes Iudæi, Chriſtianos vocabant *Nazaræos* Actor. 24. idcircò quod inde prodiiſſet IESVS, à quo rebus ſuis tantam ſtragem illatam dolebant; vnde Chriſto & Nazarenis, ter in die inter perficiendum preces ſuas in Synagogis, maledicere ſoliti erant; vt ſcripſit S. Hieron. in c. 49. Eſaiæ. Nam quod eam

maledicto

maledictionem, S.Epiphanius hæreſ. 39. in hæretico dictos *Nazaræos* intortam vult, minùs arridet Baronio, anno 43. nec immeritò: quia quamuis verum ſit, aliquos fuiſſe ante Chriſtum hæreticos Nazaræos, quibus Iudæi potuerint anathema inlidere, tamen ſpecie maledicendi illis hæreticis, ne incurrerent offenſam Imperatorum iam Chriſtianorum; veriſimilis eſt; quod obtexerint ſuam in Chriſtianos malignitatem, optimè S. Hieron. compertam. Nazareth ergò prima Chriſti patria, locus erat vilis & paruus.

De Bethleëm, res eſſet indubitata, niſi Matthæus Euangeliſta rem reddêret controuerſam. Dixerat Michæas, cap. 5. *Et tu Bethleem, Ephrata, paruus in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.* Interroganti Herodi de loco natiuitatis Meſſiæ, reſponderunt DD. Hebræorum, allegato hoc Micheæ loco, naſciturum Chriſtum Bethleemi, quod Matthæus his verbis retulit. *At illi dixerunt, In Bethleem Iuda. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam, & tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim orietur Dux, qui regat populum meum Iſraël.* Aliquot antilogias inter Matthæum, & Michæam, obſeruat poſt Riberam Mich. 5. Cornelius in c. 2. Matth. Sed præcipua eſt, quod Michæas vocet Bethleem *paruulam*: hoc verè diſertè neget Matthæus. Aliqui, vt Eraſmus in 2. & 27. Matth. vſque eò inſaniuerunt, vt dicerent Matthæum memoriæ lapſum, malè allegaſſe Michæam, quæ eſt intolerabilis audacia; non ferenda in homine Catholico; quamuis ſimili audacia S. Stephano talem lapſum impingat Canus 2. de loc. c. 18. Tolerabiliùs Viues, ad lib. 18. Ciu. cap. 30. Notam interrogandi, ex ſuo capite appinxit Matthæo; quaſi ſenſus eſſet, non es tu minima inter ciuitates Iuda? At hoc audaciam addentis redolet, & idcircò à Bellarmino in recog. libri 2. de verbo Dei cap. 12. repudiatur. Præterquàm quod ea interrogationis appoſitio, non cohæret cum ratione quæ ſubiicitur, *non es minima? Ex te enim exiet mihi Meſſias.* Aliqui voluerunt lapſos eſſe ſcribas, allegantes Michæam; Matthæum autem retuliſſe, quæ ſcribæ dixerant; in quo non plus falſus ſit, quàm Ioannes, referens, Hebræos de Chriſto dixiſſe, *Samaritanus es, & dæmonium habes*, quod eſt deteſtabiliter blaſphemum; quamuis verè ſit relatum. Placuit hæc euaſio S. Hieronymo, & Gloſſæ, ac Petro Babyoni, (falsò credito Anſelmo, & vt videtur Cano. 2. de loc. c. 14. Sed eſt incredibile, homines tota vita euoluentes ſcripturas, in hac ferè palmari, eſſe hallucinatos.

Itaque concludendum eſt cum Bellarmino, in recog. cit. Franciſco Luca Matth. 2. Cornelio ad cap. 5. Matth. & qui omnium diligentiſſimè hunc locum excuſſit Ribera; Matthæo, & Micheæ optime conuenire. Quanquam Matthæus ad mentem & inſtitutum Micheæ reſpiciens, potiùs quàm ad extimum verborum corticem, dixit non eſſe Bethleem paruulam, vtique, quatenùs ex ea naſciturus erat Chriſtus, quamuis eſſet paruula ædificiis & incolis, & ſpectato ſplendore humano, qui erat in ea perrennis. Fuerant quidem ciues eius, viri omnino magni, vt Adricomius in Tribu Iuda n. accuratè proſequitur. Tamen obſoleuerat omne illud decus, & quod de pleriſque vrbibus mortuis dictū eſt ab Antonino, & aliis, adductis agendo cauſam Valeriani cap. 1. n. 2. Dici ferè poterat de Bethleem. Erat enim vrbs ſemimortua. *Caſtellum* vocari vidimus Ioannis. à Chriſti æmulis. At *Caſtellum* paruulam domorum adunationem, ſæpè ſignat: quod miror omiſſum ab Aldo Manutio, diſſerente de caſtelli, pagi, vici, oppidi, vrbis, ac villæ notionibus, *Caſtellum* pro arce, & loco munito, ſemper accipi, notante. Quod vt ita fortaſſis verum ſit, inter Latinæ linguæ profeſſores excultiores; tamen in ſacris libris, notio *Caſtelli* quam propoſui, conſtat ex illis verbis Chriſti Matth. 21. *Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt.* Vbi Græcè eſt, κώμην, quæ vox *viculum paruum* ſignat. Erat ergò Bethleem caſtellum, ſiue exiguus locus, mole quidem ac numero ædificiorum ac incolarum: quamuis eſſet ſola magnarum vrbium, maior; quia contigit ei, ducem ſalutis, cælitùs incorporatum gignere, vt cecinit Prudentius. Et hoc reſpiciens Matthæus, dixit, Bethleem nequaquam eſſe paruulam, merito ſcilicet ac dignitate ob Chriſti in ea exortum. Quamuis ob hoc ipſum debuerit eſſe mole parua & ignobilis. Chriſtus enim vel quia dux noſter, venit bellaturus contra ſuperbiam, vt S. Auguſt. ſer. 121. de diuerſ. c. 8. docet; Vel quia Magiſter humilitatis erat, & repreſſor tumoris, vt idem S. Auguſt. ſer. 74. de tempore c. 7. loquitur, par fuit vt ſtatueret cathedram ac ſcholam ſuam primam, in loco ad ſuperbiæ compreſſionem accommodato. Sicut Plato, iuxta Theodoretum, voluit ſcholam ſuæ Philoſophiæ ſtatui in loco parùm opportuno carni laſciuienti, & noxio valetudini: quia eius philoſophia erat mortis meditatio, ſiue ingis agitatio de morte, inordinationi ſenſuum inferenda. Docturus ergò Chriſtus humilitatem, & appreſſurus ſuperbiam, ludum conuenienter aperuit Bethleemi, loco humili ac modico; & idcircò a Iudæis carnalibus & gloriam mundi quærentibus, deſpecto.

Quod aliter expreſſit idem Micheas, cap. 4. cum dixit de Bethleem; *Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion, vſque ad te veniet, & veniet poteſtas prima, regnum filiæ Hieruſalem.* Somniant hic aliqui, agi de turre præalta, quæ ab vrbe Hieroſolymitana ex milliaribus diſtante, non conſpiceretur niſi per nebulam, ob longinquitatem; nec niſi inter nebulas ſitæ nubes, ob altitudinem. Qui ita ſenſerunt, vereor ne turrim Hieroſolymitanam, ab altitudine *nebuloſam* dictam, vt eſt apud Hieronymum in c. 32 Eſaiæ & Adrichomium in deſc Hieroſol. n. 175. transtulerunt in Bethleem, quæ *turris gregis* à Propheta, eſt nuncupata, à Paſtoribus in ea Chriſto recens nato, obſequium delaturis. Miratur ergò Propheta, quod ad hanc vſque turrem gregis, deſpectam filiæ Sion, ſiue ciuitati Hieroſolymitanæ ventura eſſet prima, & ſumma poteſtas Dei Verbi carne veſtiti, veri Regis Hieroſolymæ. Tantò Rege tantulam ſibi natiuitatis patriam diligente. Mirabatur & Dauid, qui quæſitum abs ſe quàm diligentiſſimè locum natiuitatis Domini conteſtatus, eò diuinitùs indicato, admirabundus exclamauit. *Ecce audiuimus*, loquente ad cor Deo, locum eius primum fore in *Ephrata*, ſiue in Bethleem, in loco vili, ac tenui, *in campis ſyluæ*, in loco ſyluoſo & nihili, quales ſunt villæ permodicæ. Ita enim cum Pſaltis locum, egregie expoſuêre, Euſebius l. 7 de demonſt. in 5. & l. 4. c. 11. ac S. Cyrillus tom. 6. cont. Epheſ. cap. 4. Eo tamen ſe deiecit poteſtas prima, & eò vſque venit Rex tam ſublimis, vt ibi ſuperbiam noſtram proſterneret; monſtrans ſeuerè illum Adeodatum polymitarium, filium ſaltus, Bethleemitem 2. Reg. 21 & paral. 20. qui percuſſit Goliath Gethæum, cuius haſtile haſtæ, erat quaſi liciatorium texentium; quod in Chriſtum Bethleemi natum, & Regem ſuper omnes filios ſuperbiæ, ibi humillima natiuitate in tam vili loco accipientem

SECT. I. CAP. XIV. *De Inſitiis, & panno fauentibus.*

prælia Domini pro ſalute noſtra, perbellè cadit. Videndus Petrus Damiani. Opuſc. 37. dub. 4.

Quare vt huic denique puncto clauſulam apponam, Religioſus qui patriæ ſuæ magnitudinem aut opulentiam iactat, vel de puſillitate patriæ erubeſcit, eamque prodere idcircò refugit, monſtrat ſe parum attendere, Chriſtum prælegiſſe Bethleem natiuitati. Hieroſolymam paſſioni. Occini ei poteſt quod Hieraclitus, teſte Ariſtotele, 1. de part. c. 5. ſubeuntibus caſam furnariam, obiecit; Etiam huic loco, tametſi tam deſpicato, Deus adeſt immortalis. Quid enim verò eſt ciuitas magna, plurimis inſtructa grandibus palatiis, niſi congeries nidorum ex feſtucis ac paleis compactorum, quales cui vſui ſunt hirundinibus; vt præclare dixit S. Chryſoſtomus hom. 2. in Epiſtol. ad Coloſſ. Inter has ſedes luteas, hanc ſibi vel illam obtigiſſe, aut gaudere aut erubeſcere, hominis eſt ducti ſenſu vulgi, nec res appendentis ad veritatis trutinam; & nequaquam ſe admetientis ad Chriſti ſenſum.

Cælum, vera patria ſeruorum Dei.

PRo coronide deterſionis macularum, amorem patriæ ex ſe nitentem inquinantium; inculco ſeruis Dei, meminerint duplicem ſibi eſſe patriam, vt fert Tullij 2. de leg. initio, diſtinctio, ſtatuens duas eſſe cuique municipi patrias;] vnam naturæ, alteram ciuitatis. Vt ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani ciuitatem ſuſceptus eſt. Itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.] Nobis, quorum municipatus, (vt apud Apoſtolum Philip. 3. legit Tertullianus, de coro milit.) eſt in cælis; locus naturæ, eſt patria in qua corpore editi ſumus. Hanc amemus, ſed temperatè ac ſobriè; ne ſi abripiamur naturæ corruptæ impetu, locum amemus, è quo ſancti plus incommodi ac mali retulere, quam commodi. Chriſtus ipſe non potuit in tali patria ſua, virtutem vllam facere. Matth. 13. Non quod eſſet imminuta eo loco Chriſti virtus, ſed vt monſtraretur, ſeruis Dei, lucrum animarum captantibus, non eſſe hærendum nimio affectu in patria; cum Chriſtus Nazarethæ inter ſuos ciues, impeditus ſit virtutes alibi editas præſtare ob eorum inuidiam, vt cenſet S. Ambroſius; in c. 4. Lucæ vel ob boni domeſtici non exteri contemptionem vſu receptam. Aliena enim amamus, noſtra contemnimus, vt ait Athenæus l. 3. dipnoſ. In eadem tali patria, nemo Propheta acceptus eſt, iuxta Chriſti Matth 13. oraculum. Quin etiam ſophiſtæ olim conſcij corruptelæ ſenſus humani, detrectabant pro viribus, in patria dicere, ac docere. Vnde rogatus à ſuis Clazomeniis Sophiſta Scopelianus, vt vrbem quoque ſuam declamando exornaret, reſpondit; *in cauea minimè canere philomelam*: ſignificans, non eſſe colligendum plauſum in patria. Huic patriæ maledicunt omnes ſancti, vt philoſophatur S. Baſilius in cap. 8. Eſaiæ exponens illud Eſaiæ, *maledicetis principi, & patriæ vitibus.* Patriam enim accipit pro moribus patriis ac deprauatis, quos in hac naturæ patria, proni ab ortu ad malum, haurimus. Quod ſi quis ei optimè velit, & honorem illi ac tutelam conciliare fixum habeat; faciat ſe ſanctum. Nam honor ac tutela patriæ, in qua quis natus eſt, alumnus eius ſanctus cenſeri debet, vt optime ſtatuit Pſellus apud Surium 27. agens Metaphraſtis Encomiaſtem. Quo pertinent, quæ ex profanis adducſat Lælius Biſciola tom. 1. l. 17. cap. 2 aſſerentibus: non patriam viro; ſed virum patriæ eſſe ornamento: contra Simonidem, qui dixit, vt retulit Ammianus; lib. 14. [Beatè perfecta ratione victuro, ante alia, patriam eſſe conuenit glorioſam.] Cæterùm potior & vera patria noſtra, eſt cæleſtis Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas. Vere patria iuris. Nam in eam iure per Chriſtum collato conſcribimur; facti ciues Sanctorum & Domeſtici Dei. Aſpiremus ad hanc verè magnam, vere ſplendidam & opulentam ciuitatem, verè fundamenta habentem, vbi ſolummodò, (iuxta Eſaiæ pronunciationem,) magnificus eſt Dominus Deus noſter. Eam oſtentemus, & in Domino de ea gloriemur. Deſpiciamus præ ea hæc noſtratia mapalia, & non manentes ciuitates, ac ne ciuitates quidem, iuxta Stoicos à Clemente 4. Strom. *in fine* adductos.

CAPVT XIV.

De Inſitiis, & panno fauentibus.

SAtegimus hactenus pro moderatione affectus in ſeruis Dei erga propriam nationem & patriam. Nunc attingenda eſt eiuſdem affectus moderatio, in iis qui etiamſi non ſint ex natione aliqua, vel patria; tamen adoptati quodammodò ſunt in alterutram, iuxta illud Naſonis. lib. 1. de remed.

Venerit inſitio, fac ramum, vt ramus adoptet.

Benè *adoptet.* Nam adoptio eſt extranei. Et idcircò qui adoptant, vmbratile aliquod propinquitatis, nomen inſcribunt, vt in locum eorum, quæ non ſunt pignorum, affectu generante, imaginariis parentibus ſuccedant: quod Saluianus l. 3. ad Eccleſ. per abuſionem inductum queritur, ad ſubitaneos propinquos comparandos; vt plurimum ex infæliciſſima vanitate, vt idem diſſerit. Adoptatum ergò in nationem, vel in ciuitatem, tanquam in patriam, eum dico, qui quamvis externus ſit, tamen affectu & propenſione, conſeritur ei nationi aut patriæ.

Addicti alteri nationi, cur dicti inſitiij.

HOs vocaui *inſititios*, quia non ſecùs annectuntur externæ genti, aut ciuitati, quam ramus qui arbori per inſitionem adiungitur: & quidem iiſdem ferè nodis, quibus inſitio peragitur, iuxta tradita à Varrone, l. 1. de re ruſtica ac Columella l. 5. cap. 11. & Plinio, lib. 17. cap. 14. ac Clemente Alexandrino, lib. 6. Strom. qui præfatus, quod inſeritur, pro terra vti arbore cui conſeritur, obſeruat quadruplicem eſſe inſitionem, vnam qua inter lignum, & corticem, oportet eum adoptare qui inſerit: alteram, qua ligno fiſſo, ſurculus plantæ immittitur, tertiam cum vtrumque ſurculum falce acuta deradunt, donec medullas ambas nudauerint, eas inter ſe vinciendo: quartam, qua à generoſo trunco circunciditur oculus, ei quoque cortice vnà in orbem circumſcripto, vnius palmi magnitudine, deinde eraditur truncus, oculo æquali circumſcriptione, & ſic immittitur circumligatus, & luto circumlitus integro ſeruato ac illæſo oculo, & minimè inquinato. Hic eſt inſitionis modus qui dicitur

dicitur, *inoculatio*. Totidem proportione modis, peragitur inſitio hæc in aliam nationem, aut ciuitatem, tanquam in arborem alteri vice terræ fungentem. Sunt enim qui cortice tenus, & iuxta aliquam externam apparentiam, hanc conſertionem affectant. Aliis intimè fit coniunctio; ſed non admodum exquiſita, nec abſque adactione. Sunt qui medullitus adhæreſcunt, ſed nexum ſuum & adhæſionem non ita produnt exteriùs. Inoculantur autem, quibus oculi, affectuum in ſcripturis ſymbola, bubalo fimo ac luto conglutinati, iunguntur; eſtque ea affectuum colligatio, luto aliquo humani boni captati nectente, tanta & tam exquiſita, vt non ſecùs ardeat nationem aut ciuitatem qui ſic inoculatus eſt, quàm ſi eſſet ibidem ſatus; nihil aliud cogitans aut optans, vel ſermonibus agitans, quàm, quod arbitratur vtile nationi cui ſe addixit. Hinc apparet, cur hos adſcriptos gentiles aut ciues dixerim *inſititios*.

Cur item dicti, panno fauentes.

EOſdem vocaui *panno fauentes*. Hoc vt intelligatur, recolendum eſt, ex pleniùs diſputatis à Panuinio, lib. 1. de lud. Circ. cap. 10. ac Bullengero, l. de circo cap. 47. & 48. & ſeriè expreſſis à Sidonio carm. 23. in Narbone ad Conſentium Narbonenſem, quatuor olim fuiſſe aurigarum in circo factiones, à quatuor coloribus agitatorum denominatas; duas Principes, Praſinam, & Venetam, quæ vt ex Corippio habetur, alias ad ſe tanquam appendices trahebant, Praſina album, Veneta rubeum. Praſina album præferebat colorem. Veneta cæruleum. Ruſſa & alba à ſuis coloribus dicebantur, annumerato colori ruſſo, luteo, croceo, purpureo, roſeo. Praſina veri & terræ, Veneta aquæ & cælo, ac nubilo autumno; ruſſa flagranti æſtati; & igni; alba hyemi ſacra erat. Tertullianus hæc refert, & ſtyli ferrei ſæcularibus excidit. Domitianus duas poſtea addidit partes; argenteam & auream: ſed quæ mox in eius odium exoleuerunt. Populus ergo nunc vni principum harum factionum ſemper inuicem inimicantium, nunc alteri fauebat; ideóque dicebatur *panno fauere*. Idque eſt, quod Nazianzenus orat. 31. aiebat. [Videtis hos qui in curribus equeſtribus ſtudium atque operam poſuerunt; qui à coloribus nominantur, atque ab iis partibus, cum quibus ſteterunt. Vos nomina ipſa tenetis, etiamſi non dixero.] Meminit etiam eiuſdem moris, S. Auguſtinus l. 9. de ciuit. c. 7. impugnans falſiloquium illud Ethnicum, quo Deorum aliquis, Græcis, alius Troianis, fauens fingebatur. [De his ita dixerunt Poëtæ (ait D. Auguſtinus,) quos hominibus ſimili motu cordis, & ſalo mentis, per omnes cogitationum æſtus fluctuare teſtantur; vt poſſent amores, & odia, non pro iuſtitia, ſed ſicut populus ſimilis eorum, in venatoribus & aurigis, ſecundùm ſuarum ſtudia partium, pro aliis aduersùs alios exercere.]

Quanto autem æſtu, & vt benè dixit D. Auguſtinus, *ſalo mentis*, populus nunc iſti, nunc illi primariæ factioni fauorem ſuum accommodaret, Plinius l. 9. Epiſtol. 6. iunior docet, qui Caluiſio ſuum de Circenſibus ſenſum aperiens; [Nihil (inquit,) nouũ, nihil variũ, nihil quod nõ ſemel ſpectaſſe ſufficiat. Quo magis miror, tot millia virorum, tam pueriliter identidem, currentes equos, inſiſtentes curribus homines, videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, eſſet ratio nonnulla. Nunc fauent panno, pannum amant, & ſi in ipſo curſu medioque certamine, hic color illhuc ille huc transferatur, ſtudium fauorque tranſibit; & repentè agitatores illos, equos illos, quos procul nõ citant quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in vna viliſſima tunica. Mitto apud vulgus, quod vilius tunica eſt, ſed apud quoſdam graues homines.] Erat tamen hæc *grauitas*, planè *inconſulta* vt benè de ea cenſuit Caſſiodorus, lib. 3. Epiſt. 51. ex perſona Theodorici. [Omnimodis ſtupendum (inquit,) quod illhic ſupra cætera ſpectacula, feruor animorum inconſulta grauitate rapitur. Tranſit Praſinus, pars populi mæret: præcedit Venetus, potior turba ciuitatis affligitur; nihil proficientes feruenter inſultant, nihil patientes grauiter vulnerantur, & ad inanes contentiones ſic deſcendunt, tanquam de ſtatu periclitantis patriæ laboretur.] Hinc maxima Circi deteſtatio, apud Patres in ſpectacula conclamantes, Tertullianum, Chryſoſtomum, Saluianum, & paſſim alios Caſſiodorum lib. 3. Epiſto 51. rurſus aduoco. [Spectaculum, expellens grauiſſimos mores, inuitans leuiſſimas contentiones; euacuator honeſtatis, fons irriguus iurgiorum, quod vetuſtas quidem habuit ſacrum; ſed contentioſa poſteritas fecit eſſe ludibrium.] Nempè ob ſeditiones ingentes quibus Theodoricus alibi, lib. 1. Epiſt. 32. & 33. magna cura proſpicit, Cõſtat enim inde plerunque mortes ac ſtrages ac etiam motus aduersùs Principem extitiſſe. Eaque ex cauſa Conſtantinopoli, (vt ſcribit Manaſſes, in annalibus,) immiſſus in populum miles, in Circenſi ſpectaculo, triginta quinque hominum millia, trucidauit. Et ciuile bellum in Oriente, per Praſinos, & Venetos fuiſſe excitatum, ſcribit Paulus Diaconus lib. 4. hiſtor. Longob.

SECT. I. CAP. XIV. *De inſititiis & panno fauentibus.*

Quadruplicis inſititiorum affectus, illuuies.

EX præmiſſis intelligitur, cur eos qui tametſi externi ſint, pro aliqua tamen natione iuſto ſtudioſiùs flagrant, innocauerim *inſititios*, & panno fauentes. *Inſititios* quidem, quia ferè qui eiuſmodi ſunt, hoc ipſum captant quod ſurculus inſitus. Qui enim inſeritur ſurculus, ſuccum captat: & vt arbor, cui inſeritur, ſit illi inſtar terræ in qua foueatur, & adoleſcat; illique ſi opus ſit, miteſcat, & feracitatem adipiſcatur. Et idcircò Sanctus Baſilius homil. 5. exam. & Sanctus Ambroſius 3. hexa. cap 13. Colligunt de nullo planè homine eſſe deſperandum, quin poſſit ingenitas propenſiones abiicere, & alias comparare; cum ſurculus inſertus, ex inſertione mutetur. Ferè igitur externi, qui ſtudio partium ad ſe nihil attinentium, id eſt, exterarum, adeò feruntur; aut aliquod emolumentum ab ea parte captant, aut iam ceperunt. Puta quia opimo aliquo cenſu Eccleſiaſtico, vel laico, ſunt donati: aut ſe donandos, ſpem concipiunt. Sic Philippus ille Armoricus, (quæ prouincia tunc non erat iuris Gallici,) dictus tamen eſt *Gallus Gallorum*, quod donatus in Gallia Archiepiſcopatu Turonenſi, æſtuaret pro Gallis, ſupra Gallos ipſos. Hic non eſt reuera amor illius nationis, ſed ſui ipſius, quantumuis vocabulis amor nationis præferatur. Sicut amor vini, (quæ eſt Ariſtotelis 8. Ethic c. 2. comparatio,) eſt amor ipſius potantis, non vini. Et guloſus qui dicit, *amo turdos*, vt eſt apud D. Auguſtinum, tract. 8. in Epiſto. Ioann. non turdos, ſed ſeipſum amore proſequitur. Perinde verò eſt, ad rem præſentem,

ſiue

SECT. I. CAP. XIV. *De inſititiis & panno fauentibus.*

ſiue eſca boni nunc obiiciatur, aut aſſequenda proponatur; ſiue iam ab aliquo ad talem amorem attinente, ſit comparata; Nimirum quia aliquis aut maiorum, aut cognatorum eius, ſortitus eſt in tali natione honores, vel inſignia munera. Quod enim neceſſitudine coniunctis obtigit, aliquatenus afficit alios eiuſdem familiæ; quos proinde mirum non eſt, in nationem ſanguini ſuo beneficam, propendere. Et quia fundamentum omnium bonorum eſt eductio in hanc lucem, per traducem ſeminis & generationis ex parentibus, inde fit, vt qui in alia ora ex iis orti ſunt qui ad aliquam nationem pertinebant, afficiantur ipſi quoque, ad illam nationem, tanquam participes boni quod parentibus obtigit, naſcendo intra eam nationem; etiamſi poſtea parentes in exteras oras digreſſi, ſedem ibi fixerint, ac liberos ſuſceperint. Amor ex his cauſis conceptus, non eſt admodum purus. Inhalat enim carnem & ſanguinem.

Multò tamen impurior alius, qui reſpondet inſitioni ex fiſſo per vulnus trunco, & deraſo ac reciſo per gladium, ſurculo. Sunt enim quos ad vnius nationis odium, atque adeò in affectum ad aliam ei inimicantem, impellit plaga aliqua, ſibi aut cognationi vel genti ſuæ illata, publicè aut priuatim ab illa natione ipſi exoſa. At hic extimeſcenda eſt labes vindictæ à qua facillimum eſt, inquinari amorem illum nationis aduerſantis ei erga quam quis flagrat odio. Nam quamvis non omnis vindicta ſit illicita, neque omnia quæ ex eius ſtudio progerminant, vitioſa ſemper ſint cenſenda, tamen non exigua eſt difficultas in eius ſtudij expurgatione: ac proinde timendum ſemper eſt, ne aliquid fuliginis illius qua vindicta eiuſque ſtudium ſordere poteſt, in eius frutices tranſfundatur.

Manifeſta denique eſt, impuritas illius amoris erga aliam nationem, qui habet proportionem cum inoculatione, per lutum & fimum peracta. Conſeruntur enim luto & fimo copulantibus; qui intentiones lutulentas ac cænoſas, quæ *oculi iniquitatis ſunt in vniuerſa terra*, iuxta Zachariam, c. 5. collato ad ſcelus aliquod ſtudio fæderant, & inde amicitiam contrahunt; quæ eſt pax peccatorum à Dauide notata, interprete Nazianzeno orat. 14. Amorem inter ſe latronum, vocat Caſſianus, collat. 16. c. 2. Quamvis enim latrones ſint viatoribus hoſtes; inter ſe tamen pacati degunt & amici, ſed amicitia cum per ſe deteſtanda, quia in aliorum perniciem coaluit, tum facilè mutabili: quod item omnibus propoſitis, affectus erga externam gentem concepti modis, commune eſt. Nam quia non nituntur virtute, quæ ſola eſt ſtabilis, ac firmi amoris fundamentum, vt idem Caſſianus ibidem c. 2. & 3. rectè proſequitur, mirum non eſt, eum affectum mutari pro circunſtantiarum varietate, facilè variis de cauſis inducibili. Ex his, quantumvis minùs explicatè de induſtria propoſitis, (quod argumentum inuidioſum, liquidiorem affundi lucem non ferat;) intelligi tamen ſufficienter poteſt, attenta priore, illa comparatione ducta ab inſititiis, quanta imperfectione ſordeat affectus iſte immoderatus nationis externæ in ſeruo Dei: quamque neceſſarium ſit, eum ab alnatis fæculentiis expurgare, vt non ſit auerſatione dignus, ſed admitti poſſit.

Eorundem inſania per analogiam ad panno fauentes.

NOn minus perſpicuè deprehendi poteſt, eiuſdem affectus vitioſitas, ſi ad alteram comparationem attendamus, quæ à panno fauentibus petebatur. Hi tam multa peccabant, vt non dubitauerit Saluianus l. 6. de prouid. Apoſtaſiam quandam fidei, & a Symbolis ipſius, ac cæleſtibus Sacramentis lethalem præuaricationem, in ludis Circenſibus agnoſcere. Nam quamvis videtur generatim impetere ſpectacula, tamen nominatim incurrit in ludos circenſes, qui propriè continebant pompam Diaboli, à Chriſtianis in baptiſmo repudiatam quod ibidem vrget Saluianus. Ea autem lethali præuaricatio, ſita nominatim erat in ea quæ paſſim a Patribus in hoc argumentum incurrentibus, vocatur *Circi inſania & furor.* Hic vt diſſerit Tertullianus l. de ſpectat. cap. 15. ſtudij partus erat. Nam [vbi ſtudium, ibi & æmulatio, per quam ſtudium ſapit. Porrò & vbi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor, & cætera ex his quæ cum his non competunt diſciplinæ &c. Cum ergò furor indicitur nobis, ab omni ſpectaculo, auferimur, etiam à circo, cui propriè furor præſidet. Accipe populum ad id ſpectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuoſum iam cæcum, iam de ſponſionibus concitatum &c. Vnus dementiæ, vna vox eſt: Cognoſce dementiam de vanitate. *Miſit.* dicunt, & enunciant inuicem, quod ſimul ab omnibus viſum eſt &c. Ex eo itaque itur in furias, & animos, & diſcordias, & quicquid non licet ſacerdotibus pacis. Inde maledicta, conuicia ſine iuſtitia, odij etiam ſuffragia ſine meritò amoris. Quid enim conſecuturi ſuum illhic agunt, qui ſui non ſunt. Niſi fortè hoc ſolum per quod ſui non ſunt; de aliena infælicitate contriſtantur, de aliena fælicitate lætantur. Quicquid optant, quicquid abominantur, extraneum ab illis eſt. Ita & amor apud illos otioſus, & odium iniuſtum. Et forſitan tam ſine cauſa amare liceat, quam ſine cauſa odiſſe.]

In iis quos ad hanc comparationem admetimur, & inſania & furor quibus hæc pannis fauentium æmulatio à Patribus dehoneſtatur, deprehendi nullo negotio poteſt. *Inſaniam* dico, eorum qui ob alienæ nationis negotia, in quibus nihil ſibi, nihil ſuis ſeritur, aut metitur, circumferuntur omni vento; ac tanquam in ſalo agitati fluctuant. Nam in iis quidem qui eiuſdem nationis ſunt, hæc pro gente ſua ſollicitudo paulo ſupra iuſtum immoderatior, excuſationem vtcunque accipit, ab innata cuique propenſione in gentem ſuam: vt quamvis non prorſus libera ſit à noxa, neque vacet exerratione indicij; non omninò videri poſſit ad inſaniam pertingere. At externo, cui ea neceſſitudo deeſt, non poteſt penes eam à natura inditam propenſionem, obtendi excuſatio. Angitur homo, vel gaudet ob alienam cauſam: triſtatur, lætatur, omnes variantium affectuum vndas excipit, pro negotiis perſonarum, quæ eum ignorant, & à quibus plerumque nihil expectat, & nihil accipiet. Propter eas excandeſcit, propter eas iurgia ſerit, propter eas ſe mœrore conficit, ſi quandò triſtia, circumferantur nuncia; propter eas in homines alterius gentis, à quibus nunquam læſus ſit concitatur; & lædoriis ac omnibus probris eos onerat, vt ſuum in aduerſam partem ſtudium, opportunè importunè teſtetur. Hoc non ſani eſſe hominis, non ſanus inter

Oreſtes,

Oreſtes. Hanc ego dixi eſſe inſaniam, illi qui in Circenſibus agebat panno fauentes, haud abſimilem. Sic enim Tertullianus, (vt retuli,) ſtatuit de iis qui in circo fauebant panno. Et quamuis nihil ipſorum inte eſt, vane pluſquàm ipſi equi Circenſe agi abantur. Nec æſtro vacabat ea concitatio, & nonnulla furo is participatione: cum conſtet, plerunque ea ex cauſa, ſtrages editas, & fuſum copioſè humanum ſanguinem. Quæ labes eatenùs hic cernitur, quatenùs efferatio fauentium alterutri parti deſiderio ac voluntate, (vt ex Gulielmo Pariſienſi l. de mor. cap. 8. Supra vidimus,) ſtragem maximam edit, eorum à quibus hoc affecta auertitur. Et cum aliis qui diuerſo ducuntur animi motu colliditur, non abſque ſtrage charitatis, effundens ſanguinem belli in pace. Quo vtroque modo comprobari verum puto, quod Petrus Ille ẽnſis Epiſtol. 27. ad abuſionem Monachorum ſui ſui reſpiciens, dixit, *clauſtra verſa eſſe in caſtra.* Non illa caſtra quæ cerni in vita Religioſa, pulchrè cenſuit Odo Tuſculanus, in Allegor. Tilmanni ad c 32. Geneſ. verſans illud Iacobi, *caſtra Dei ſunt hæc*: non, inquam, illa caſtra, in quibus milites Chriſti certant aduersùs ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, & aduersùs affectus ſuos deprauatos: Ex quo capite, militiam Religioſam ſcitè deſcribit S. Chryſoſtomus hom. 57. ad popul. ſed caſtra diſſidiis domeſticis referta, & odiorum feracia: quæ quod ex genere ſuo rudimenta ſint cædium, & ad ea viam ſternerent, niſi temperarentur, homicidiis æquiparantur ab Apoſtolo, aſſerente, *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Hæc igitur eſt quam dixi inſaniam, nonnullis furoris admiſſione acidam atque fellitam.

Flos inſaniæ partiariorum externorum, furere in ipſam gentem ſuam.

AT non inſania, & qualiſcunque furor, cenſendus eſt eos alios panno fauentes occupaſſe, (ſunt enim hic quoque variorum colorum panni, partium diſſidentium teſſeræ, (qui cum alterius ſint nationis, non modò alienæ ſibi genti fauentes ſtudent, eiuſque ſe partiarios ſenſu, vocibus, ac quantum licet factis oſtentant: ſed etiam nationem ipſam ſuam eiurantes, ſi contingat ei cui ſe addixerunt, non ſatis cum illa conuenire, vel etiam prælia inter vtramque feruere, arma offenſionum, & tela linguarum, vertunt in gentem ſuam, facti hoſtes eius in capite. Quo ex capite, Petrus Matthæus qui natalibus, Hiſpaniæ regibus obnoxius erat, nundinatitium tamen calamum in Philippum II. & gentem Hiſpanam, adeò inuerecunter ſtrinxit, (ne dicam petulanter ac iniurioſè,) vt ipſis quoque Hiſpanorum aduerſariis non ſit probatus. Hanc noxam, priſci Romani *perduellioris* notaſſent; & infamia proditionis reſperſiſſent. Eſt enim perduellionis crimen, quia contra propriam Rempublicam admittitur: quod qui faciunt perduellionis iudicio tenentur, iuxta Vlpianum l. vltima ff. ad l. Iuliam Maieſtatis. Infame item proditionis probrum, iure inuritur huic tranſitui in alienam gentem, vt habet doctrina Baldi, cap. 1. §. 1. agentis de modis excidendi feudo. Poſſit verò externus homo erga nationem à ſua auerſam benè affici; & benè de ea ſentire ac loqui. Hoc nemo reprehenderit cum & Chriſtianum maximè deceat, & ſecluſis ſupernaturalibus dictaminibus, homini congruat ex philoſophica honeſtate. Vt autem quis veliſicans alicui commodo ſuo, gratificaturus genti alienæ, in ſuam concitetur & lingua ferociat, præſertim ſupra illos ipſos qui illius alienæ gentis ſunt; vt fidem faciat, ſe ex animo, natione ſua abiecta, ad alteram tranſiſſe; hoc eſt quod omnia iura diuina & humana proſcribunt.

SECT. I. CAP. X. V. De Inſitiis, & panno fauentibus.

Quantumcunque tamen conniteantur, & perſonam egregiè ſuſtineant, nunquam tamen apud gentem, cui aduersùs ſuam ſeruiliter ſeruiunt, aſſequentur, (ſi ea prudenter agat,) quin ſubuereatur, poſſe quod ſuſpicionem meritò moueat, & plenè fidendum hi ce tranſfugis non eſſe, animaduertat. Non refrico Sinonis, ac Zopyri exempla; nec Dauidis apud Regem Achis, & Iudithæ apud Holofernem exitialia nimiùm fidentibus facta. Vnde excidium Munio Luperco, legato in Germanos rebelles auxiliares copias, duce Claudio Labeone aduocanti? Narrat Tacitus 4. hiſtor. ab iis ortum malum, quibus Legatus, externis quidem, ſed tamen (vt arbitrabatur,) valde amicis plurimùm confidebat. Eadem ruinæ cauſa fuit Carolo Burgundiæ Duci, à Campobachio perfido Neapolitano, cui Dux tanquam intimo Conſiliario, quem variis demeruerat honoribus ac præmiis, fidebat quam maximè. Sed infamis proditor, monſtrauit truculentis factis, quibus exitium energeti erga ſe Principis importauit, illud veriſſimè ſcriptum eſſe à Xenophonte in Hieron. [A nullis plus inſidiarum Regibus tenditur, quàm ab his qui ſe ſimulant mare maximè.] Notus mihi ante annos non ita multos, ex hoc inſititiorum genere vnus, veſte tenus Religioſus, qui ab vna compugnantium nationum, adhibitus in exercitu ad curam ſauciorum militum, & Noſodochij Caſtrenſis præfecturam; frequens erat in ſugillatione ſuæ nationis; ita vt quacunque data occaſione, imò etiam vltrò accepta, omni verborum acerbitate ſuos proſcinderet: qua agendi ratione, quod putaretur à ſuis auerſiſſimus, facilè ei credebantur varia, quæ hoſtes celata expediret. Et ille in dies videbatur æſtuoſior pro parte, cui ſe addixerat. Sed denique per veritatem temporis filiam, deprehenſus eſt clancularijs litteris ſuos docere, quid aduerſarij eorum ſuſciperent, & qua ratione hoſtiles conatus eludere, & frangere impetus poſſent. Hoc verò fuit, fide Punica, vel Græca agere; & factis demonſtrare cuiuſmodi eſſet æſtus, ille affectus, pro aliena natione. Conſultò premo affinia exempla quæ proferre poſſem, niſi præſtaret occulere. Itaque vt præmittebam, ne ſerò ſapiant Phryges, nunquam natio, cui hæc gens inſititia videri vult addictiſſima, deponet prorſus ſuſpicionem, mali ab externo transfuga, meritò timendi, quantumcunque perſonam præferat partiarij iuratiſſimi. Tametſi autem hæc agendi ratio, ingenuum quemque ac benè moratum dedecet, tamen quod multò magis à Religioſo abhorreat, dubitare non licet. Nam ratione ſtatus, debet ſynceerus vbiuis & azimus eſſe, ac mundo. omnibuſque ad mundum attinentibus mortuus; Itaque verendum ei eſt, ne dicatur arbor *bis mortua.* Nimirùm & mortuus ratione ſtatus, & mortuus, quia reuera deficit cum vita religioſi ſpiritus, per hunc regreſſum ad vitam ſæcularem; de quo alibi l. de Apoſtat. c. 11. accipere memini, illud S. Petri ephis ſimilitudinariis Apoſtatis meritò occinendum cum Aluaro pelagio l. 2. de plan. Eccleſ. art. 53. littera X. hos (vt vocat,) Religioſos *retrogrados*, exagitante. *Si refugientes coinquinationem mundi, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora, deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt agnitionem,*

SECT. II. CAP. I. *Honeſtas amoris erga cognatos.*

agnitionem, retrorſum conuerti, ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contingit enim illis, illud veri prouerbij; Canis reuerſus ad ſuum vomitum. Et ſus lota in volutabro luti. legenda apud Aluarum reliqua, quæ ſcribit in hanc retroceſſionem à religioſo ſcopo, planè appoſitè.

SECTIO II.

De Amore Cognationis, in ſeruis Dei temperando.

COgnationem hic non ſumo tantum preſsè ac propriè pro neceſſitudine quæ eſt inter ſanguine iunctos, quæ ab Alexandro Imperatore dicta eſt *perſonarum coniunctio* à Gordiano autem *ſanguinis neceſſitudo*; cuius preſse dictæ cognationis varietas, habetur ex l. *cognationis* ff. de ver. & extr. cogn. Non igitur iſto tantum preſſo modo ſumitur hoc loco cognatio; ſed etiam in latiore eiuſdem vocis notione, prout affines quoque comprehendit Quanquam neque omnes quomodocunque ſanguine iunctos, cognatis hic annumero; ſed eos tantum qui proximè iunguntur. Itaque longe abſum à conſilio Hieroclis, qui eo opere quod in ſcipſit, *quomodò vtendum ſit cognatis*, ita inſtituit varietatem cognatorum, vt omnes planè homines per varios circulos centro propiores, aut ab eo remotiores, inter cognatos numerentur. Et verum ſane eſt, omnem hominem venientem in hunc mundum, fieri ex Adamo contra errorem nuperum quem retuli in Diptychis Marianis ſect. 3. p. 8. n. 25. Voluit autem Deus omnes nos ex vno prodire, vt eſſet mutui amoris incentiuum; quod notarunt S. Chryſoſtomus ſupra adductus, ſect. 1. cap. 8. & S. Auguſtinus, 12. Ciu. c. 21. qui ait creatum eſſe hominem ſolum, ex quo cæteri propagarentur, [vt eo modo vehementius commendaretur ipſius Societatis vnitas, vinculumque concordiæ, ſi non tantum inter ſe naturæ ſimilitudine verum etiam cognationis affectu homines necterentur, quandò nec ipſam quidem fæminam copulandam viro, ſicut ipſum illi creare placuit ſed ex ipſo, vt omne ex homine vno diffunderetur genus humanum.] Aliter omnium inter ſe hominum cognationem, ſtabilit Iulianus Apoſtata, adducto Ethnico fabulamento; & impugnata hac omnium noſtrum origine ex vno homine. Sed eſt impugnatio adeò inefficax, vt confutatione non egeat. Rata igitur maneat ea omnium inter ſe mortalium cognatio; quamvis quod nimis remota ſit hic non ſit attendenda. vt neque illa paulo proximior quæ duci poteſt ex Noëmo, qui quod omnibus ſibi ſuperfuturis principium fuiſſet, dictus eſt ab Origene hom. 4. in Ezech. *ſecundi rurſus orbis creator*, à Theodoreto ſerm. 10. de prouid. autem, *ſemen naturæ & ſcintilla conſeruata generi.* Sed hæc quoque hominum in eo cognatio, nimium remota eſt. Itaque hærebo in proximiore & populariter dicta cognatione, in qua reuerentia debita, excludit coniugia. Circa huiuſmodi namque cognatos, feruet multò magis amor, qui vnicuique erga carnem, & ſanguinem ſuum eſt conſecratus à natura: ac propterea, in ſeruis Dei, quorum perfectio eſt huic tractationi propoſita, poſtulat temperationem, cui exponendæ accingor.

CAPVT I.

Amorem cognationis ex ſe honeſtum eſſe. & Religioſos quoque decere.

EXtra dubium eſſe debet, amorem cognatorum Religioſo neceſſitudine iunctorum, ex genere ſuo, eſſe honeſtum, & ex obligatione impendendum. Nam ita poſtulat naturalis propenſio, quam gratia non tollit, ſed perficit. Vnde D. Auguſtinus ſerm. 52. de temp. cap. 2. de charitate erga cognatos diſſerens, ait; [Non ſolum ita licita eſt, vt concedatur; ſed ita licita, vt ſi defuerit, reprehendatur. Itaque non tantum vxorem ac liberos amari vult, ſed alios quoſvis neceſſitudine multiplici coniunctos homini. Omnia enim iſta nomina, habent neceſſitudinis vinculum, & gluten quodammodo charitatis &c. Si ergo tali quiſquam crudelitate efferetur, vt perdat etiam humanum dilectionis affectum, nec inter homines numerandus eſt.] Quin etiam ne inter feras quidem numerandus erit cum feræ quoque quantumvis truces, vt aſpides, tigrides, Leones amore proſequantur ſuos; vt S. Auguſtinus ibidem proſequitur, & his verbis Abbas Ioſeph coll. 16. c. 2. apud Caſſianum. [Eſt etiam aliud dilectionis genus, quod inſtinctu naturæ ipſius, & conſanguinitatis lege connectitur: quo vel contribules, vel coniuges, vel parentes, ſeu fratres ac filij, naturaliter cæteris præferuntur; quod non ſolum humano generi, verum etiam omnibus alitibus atque animantibus, ineſſe deprehenditur. Nam pullos, vel catulos ſuos, naturali affectu, inſtigante, ſic protegunt ac defendunt, vt frequenter pro ipſis, etiam obiiceri ſe periculis mortique non metuant. Denique etiam illa beſtiarum, vel ſerpentium, vel alitum genera quæ intolerabilis feritas, ac lethale virus ad omnibus ſeparat ac ſecernit, vt ſunt baſiliſci; vel monocerotes, vel gryphes, cum etiam viſu ipſo cunctis perniciosa eſſe dicantur; inter ſe tamen pro originis ipſius affectioniſquè conſortio, pacata & innoxia perſeuerant.]

Scripturæ pro honeſtate amoris cognatorum.

ESt igitur amor cognatorum, non honeſtus modo, ſed etiam neceſſarius, ac ex naturæ inclinatione adeò flagrans, vt ſcriptura exprimendo incenſo amori, illum adhibuerit in exemplum. Sic enim Pſaltes, pſal. 34. vt monſtraret affectum tenerrimum, quo tactus fuerat erga malè in ipſum affectos, ait; *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam.* Id eſt, vt S. Cyrillus in catena interpretatur, non ſecùs erga illos me habueram, quam circa affines & neceſſarios, quos quiſque ex naturæ propenſione tenerè diligit. Et pſalmo 121. cauſam cur bona omnia apprecetur vrbi Hieroſolymitanæ, ait eſſe, propter fratres ſuos & proximos ſuos, quos in ea ciuitate degentes habebat. Vox enim *proximi*, his in locis non ſumitur in ea ampliſſima notione, in qua alius quilibet homo vocatur *proximus*, cum dicitur, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, iuxta D. Auguſtini in pſal. 118. conc. 8. interpretationem [omnis, (inquit) homo eſt omni homini proximus, nec vlla cogitanda

da eſt longinquitas generis, vbi eſt natura communis.] Idem optimè circa illud Apoſtoli, *Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Serm. 121. de temp. [Proximus eſt omnis homo. Proximus tuus ille eſt, qui tecum natus eſt ex Adam & Eua. Omnes proximi ſumus, ratione natiuitatis, & alter alteri frater.] Addit, de omni homine, etiamſi Pagano, aut auerſo à fide vera, idem eſſe ſtatuendum; eo quod capax ſit vt conuertatur, & nobiſcum cæleſti potiatur hæreditate, tanquam frater noſter. Sed hanc propinquitatem, tanquam nimis remotam iam ablegauimus. Itaque Dauid locis illis quibus ſuum erga proximos ac fratres affectum teſtatur, cognatos ſignificat, aut amorem abs ſe aliquibus tanquam cognatis impenſum notat, quo ipſo & amorem incenſum deſignat; honeſtatem amoris cognatorum ſatis inſinuat.

Suffragatur Apoſtolus, 1. Tim. 5. qui fidem negaſſe ait, & eſſe infideli deteriorem, illum qui ſuorum curam non habet. Verum eſt, relatiuum Græcum τῶν eſſe generis communis: atque adeò poſſe referri ad viduam de qua & proxime egerat, & conſequenter quoque agit. Et ita plerique Græcorum, ac Hilarius Ambroſianus, nec non Eraſmus. Quanquam vulgatus, intelligens Apoſtolum generalem ſententiam ſermoni de viduis inſeruiſſe, ad confirmandam rem particularem de viduis ſuos propinquos, & maximè domeſticos hoc eſt liberos aut nepotes negligentibus, conſultò vertit, *Si quis*, aſtipulante Chryſoſtom. hom. 14. Qui Paulo adiungit Iſaiam cap. 58. Dicentem, *Domeſticos ſeminis tui, ne deſpicias.* [Nam ſi quis propinquos genere atque affinitate coniunctos aſpernatur; quo pacto erit in alienos clemens? Nonne vanitati, iudicio omnium erit obnoxius, ſi alienos beneficiis fouens, propinquos ſumma immanitate deſpiciat? Quid item ſi illos de fide inſtruat, hos in errore iacere permittat, quibus benefacere iure ſuo faciliùs & commodiùs poſſit, quantæ iſtud immanitatis erit? Quàm latè patet detractionis locus, dicentibus Gentibus, Chriſtianos ſine affectione eſſe qui deſpiciant ſuos? *Et eſt* (inquit) *infideli deterior.* Cur id? Quia ille etſi alienos deſpicit, propinquos tamen nequaquam aſpernatur. Diuinas plane leges violat, & iura naturæ qui negligit ſuos, &c. Deus ideircò vincula propinquitatis inſtituit, vt multiplex ſubeſſet occaſio nos mutuò diligendi, beneficiiſque confouendi. Quandò igitur quod infidelis facit, tu facere negligis, nonne fidem abnegaſti?] Quiſque igitur de Apoſtoli ſententia, tenetur cognatos curare. Ea autem cura, manifeſte eſt partus amoris.

Exempla Sanctorum.

Tangi ſe ea cura monſtrarunt, & eo ipſo ſuum erga cognatos affectum illimem ac purum exhibuerunt, ſancti viri non pauci; quos inter celebratur à Caſſiano lib. 5. de inſt. c. 38. Archebius. Is cum ſæculo abiecto, nunquam de ſuis proſperè agentibus fuiſſet ſollicitus; audita tamen vexatione quam mater poſt Patris obitum a credi oribus ſuſtinebat, leuandam debitis matrem ſuſcepit, ſed abſque ſpiritus diſpendio. [Intra monaſterij namque clauſtra perdurans, ſoliti operis penſum ſibimet triplicari popoſcit; & ibi per totum anni ſpatium, diebus pariter noctibuſque deſudans, debiti modum operis ſudore partum creditoribus ſoluens, matrem omni inquietudinis iniuria liberauit: ita eruens eam debiti ſarcina, vt nihil de propoſito rigore piæ neceſſitatis obtentu, pateretur imminui. Ita diſtrictionem ſolitam cuſtodiuit, vt nequaquam pietatis opus maternis viſceribus denegaret. Quam pro Chriſti charitate prius deſpexerat, pro eius rurſùs pietate cognoſcens.] Nimirum gratia non elidit obligationes naturales, quarum vna eſt, ſubueniendi cognatis; & nominatim parentibus: ac proinde, etiam à profeſſore Conſiliorum Euangelicorum ex debito charitatis & amoris diuinitùs indicti, eſt adhibenda. Quin etiam ea poſſet eſſe parentum neceſſitas, vt ad intercludendum filio ſtatum Religioſum ſufficeret, iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 189 artic. 6. Late expenſam a Suare, Tract. 7. de relig. lib. 5. cap. 5. Qui alibi cap. 6. num. 4. Cum Leſſio lib. de Iuſt. cap. 41. num. 7. Sanche 4. in Decal. cap. 20. num. 30. Azorio cap 40. quæſt. 8. & aliis, addit, etiamſi ea obligatio non vigeat niſi quoad parentes immediatos, adeo nequaquam comprehenſo; nec extendenda ſit ad fratres, aut ſorores, ſpectatos ſeorſim a parentibus, quorum curæ vltra non ſubſint: Tamen poſſe eſſe rationabilem cauſam differendi, vel omittendi Religionis ingreſſum, ſi ſubuentio talium propinquorum graui neceſſitate laborantium; id depoſcat. Ea quippè ſubuentio, poteſt eſſe actus eximiæ charitatis atque decentiæ, meritò anteferendæ ingreſſui Religionis. Nec tantum ob grauem ſuorum neceſſitatem, poſſet qui Religionem cogitabat, abſtinere ingreſſu Religionis; ſed etiam Religione iam per tyrocinium inita, poſſet quis à profeſſione emittenda retardari, aut etiam auerti, & ad ſæculum regredi, ob impendendam ſuis eam ſubuentionem. Imò ſi de parentibus immediatis ſit ſermo, regreſſus ille, aut non ſuſceptus ingreſſus, eſſet ex præcepti obligatione. Vt proinde oportuerit, neceſſitatem parentum Ioannis Dominici, poſtea Cardinalis, cum piæ textu illius neceſſitatis auerteretur ab ineundo ordine Prædicatorum, non fuiſſe tantam, quanta ei allegabatur. Reſpondit enim, ſe plus animæ quàm corpori, & Deo quàm parentibus debere; & non eſſe Deo dignum, qui patrem aut matrem ſupra Deum diligit. Laudant eum effuſè Sanctus Antoninus; illius poſtea diſcipulus, & Sixtus Senenſis, aliique annotati à Victorello, in Appendice ad Ciacon. t. 2. pag. 1067. At non fuiſſet laudandus, ſed ad ſummum per ignorantiam inuincibilem excuſandus, ſi neceſſitas parentum fuiſſet ſumma, vt illi proponebatur. Nec tantùm ob parentum immediatorum neceſſariam ſubuentionem, deſerenda eſſet Religio per ſolum tyrocinium inita; ſed etiam emiſſa iam profeſſione, poſſet ac deberet Religioſus retrocedere, vt ſummam parentum immediatorum neceſſitatem leuaret, vt multi DD. affirmant. Et quanquam hæc ſententia multipliciter condienda eſt, vt ſapiat; tamen in aliquo ſaltem euentu, eſt admittenda, vt Suarez, Tract. 3. de relig. lib. 6. cap. 9. num. 12. ac Nauarrus, cap. 14. Manu. num. 14. demonſtrant.

Non ſtat amoris erga cognatos. SECT. II. CAP. I.

Perſtrinxi iſta obiter, occaſione Archebij matrem in Religione ipſa iuuantis; vt ex his appareat, quàm arcto vinculo Religioſus cognatis ſuis obſtringatur; quamque ſit indubitatum, amorem cognatorum, poſſe cum Chriſtiana perfectione cohærere, nec dedecere Religioſam perſonam. Aliorum exemplorum in hanc rem abundè eſt. Nam optimi quique Religioſi, neceſſitatibus cognatorum opitulari ſi poſſent, iuſtum duxerunt, & ſiue corrogatis in eam rem eleemoſynis, ſiue partis

SECT. II. CAP. I. *Honeſtas amoris erga cognatos.*

patris labore ſuo ſubſidiis, illos leuare ſtuduerunt. Nec rarò ipſimet ſeruorum Dei moderatores, non ignari quàm honeſta vel etiam neceſſaria ſit cognatorum per cognatos ſubleuatio, ſuis ſubſidiis ſuppeditarunt de cenſu Cœnobij, vnde ſuis neceſſitate preſſis opitularentur. Qua in parte, commendatur Lanfranci charitas dum Cœnobiarcham ageret, vt eſt in eius vita, cap. 15. & apud Edmerum in vita Sanct. Anſelmi, referentem ſingulare quoddam Lanfranci factum in hoc genere. Reddi ei hinc poteſt quod in vita Ludouici Granatenſis refertur, et indultum eſſe a Moderatoribus, vt matrem ſubleuaret. Exempla recentioris memoriæ Præpoſitorum, qui in gratiam alicuius ſubditi cognatos eius egentes larga ſtipe annua dum vita eorum ſuperfuit, magna cum charitate ſubleuarunt, perſpecta habeo complura. Cenſuerunt enim ſe ea ratione ſubditorum erga cognatos nomina diſſoluere, honeſtatem, imo etiam obligationem ſubſidij per ſubditos (ſi poſſent) impendendi, eo facto compenſantes. Suffragium ergo piorum, pro honeſtate amoris cognatorum eſt ex dictis perſpicuum. Et adduci quoque poteſt ſuffragium ſanctorum cælitum. Nam ſancti in cælo, ſuperſtites hic cognatos diligunt, eiſque exorant ſpeciales fauores. Illuſtre eſt exemplum cognatorum Sanct. Huberti quibus ipſe iam cælo illatus exorauit gratiam certam curationum, vt ſcribit in notis ad eius vitam Ioannes Robert. cap. 9. num. 6.

Chriſtus verbo & opere, aſtipulatus.

CHriſtus ipſe, qui viator ſimul ac comprehenſor fuit, & in omnis ſanctimoniæ exemplar nobis datus eſt, eximie ſe prebuit in hac parte. Nam & cognatorum debitam curam ex amore deſiderandam commendauit verbo, & factis comprobauit. Doctrinæ huius verbo traditæ exemplum luculentum habemus Matthæi 15. vbi Chriſtus reprehendit ſcribas, & legis Magiſtros, quod ſuis traditionibus mandatum legis peruerterent, ſuadentes ne filij honorificarent, id eſt, vt S. Ambroſius in caput 18. Lucæ benè exponit, ſubuentione ſua leuarent coniunctos quoſque egentes, ac ne patrem quidem, & matrem; alligato ſuo iuramento per ſacrum donum, vt volunt Auctores Matth. 15. & Maſius, in c. 6. Ioſue v. 19. De re ſua non diſtrahenda in gratiam cuiuſpiam, et amici coniunctiſsimi, ſiue voto & oblatione rei ſuæ quam proinde impium eſſet auertere, ad opem ferendam coniuncto egenti. Verba Chriſti hanc prauitatem reprehendentis, ſunt. *Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem aut matrem ſuam.* Quorum verborum ſenſum multiplicem, adducunt Eraſmus, & Maldonatus Matth. 15. Collato autem hoc loco, cum Græco contextu, & cum hac ipſa ſententia relata à Marco, cap. 7. Serarius lib. 2. Trihær. cap. 3. num. 14. Hunc ei ſubeſſe ſenſum affirmat: Munus eſt, quodcunque ex me tibi profuerit. Marcus habet, *donum Corban, quodcunque ex me tibi profuerit.* Id eſt, quicquid ex iis quæ penes me ſunt, iuuare te poſſet, iam eſt Deo conſecratum: itaque impiè ad te auerterit. Clare hæc interpunctio innuit in Græco. Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Itaque ob eiuſmodi ſententiam apud Latinum Matthæi interpretem, collocatio Verbi *eſt*, poſt vocem *quodcunque*; cum collocandum fuiſſet poſt vocem *munus*, vt ſignificaretur; *munus*, id eſt ſacrum, & deuotum Deo eſſe, quicquid poſſet coniunctis commodare. Et verò illud *eſt*, abeſſe à Græco & Syriaco contextu, & a Latino apud Marcum, Franciſcus Lucas Matth. 15. notauit, addens, a D. Chryſoſtomo, & ſuis, ſuppletum eſſe illud *eſt*, ſed poſt vocem *munus*, vt ſit ſenſus; nihil à me expecta. Omne quo iuuare te poſſem, ſacrum eſt, & Deo ſepoſitum. Eraſmus putat eſſe verba filij, ſuccenſentis quod quicquid ipſe in Dei honorem ſepoſuiſſet, in parentum commodum eſſet auertendũ. Hanc ergò profanitatem, cum lege Dei aperte pugnanté, Chriſtus damnauit, & curam, atque adeò amorem coniunctorum, reſciſſa ea inhumana traditione, quæ conſignata legitur in Thalmud, tract. de iureiurando, commendatiſſimam cuique eſſe debere, demonſtrauit.

Non minus efficaciter, extrema vita, de cathedra crucis, vt S. Auguſtinus loquitur, factis hanc veritatem docuit Magiſter optimus, commendans matrem electo diſcipulo. [Moralis inſinuatur locus (inquit D. Auguſtinus tract. 119. in Ioanne) facit quod faciendum admonet; & exemplo ſuo, ſuos Miniſtros inſtruxit præceptor bonus, vt à filiis piis, impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud vbi erant fixa membra morientis etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.] Idem habent Sanctus Chryſoſtomus, homil. 84. in Ioann. Theophilactus, & Euthymius, Ioan. 19. Et concinnè creditus Cyprianus, verbis illis. [Conſidero te in cruce de matre ſollicitum; cui volenti loqui tecum, cum euangelizares, negaueras retroactis diebus alloquium. Nunc materno moueris affectu, & thalamum humilitatis tuæ, cubiculario dilecto commendas; & prouides ſedulò benedictæ inter mulieres, Apoſtolicam clientelam, & obſequium Virginis, Virgini diſcipulo tradis.] Notanda ſunt illa, *materno moueris affectu*: quibus apertè traditur, Chriſtum habuiſſe rationem naturalis ſuæ coniunctionis cum matre. Hoc videtur reprehendiſſe ſanctus Cyrillus, lib. 12. in Ioan. cap. 34. ſed reuera tantùm voluit, Chriſtum ad hunc amorem matri in extrema vita teſtandum, non fuiſſe inductum carneo affectu, ad rationis ſupernaturalis amuſſim nequaquam directo: quamuis reuera quod matri debebat ob carnalem cum ea nexum, hoc eſt ob carnem ab ea acceptam, reddere voluerit. Idque ſpectaſſe Chriſtum, optimè præter cæteros allegatos; tradunt S. Ambroſius ſcribens ad Vercellenſem Eccleſiam, S. Paulinus, Epiſtol. 43. Arnoldus, bonæ vallis in laudatione Deiparæ & alij ſignati in Dyptichis parte 1. puncto 9. n. 10. Optimi plerique Religioſi, imitantes Chriſtum, neceſſitatibus ſuorum, ſi quando iis premebantur, opitulari, ſanctum ac iuſtum duxerunt, corrogatis in eam rem eleëmoſinis; aut ex labore ſuo, ſuppeditantes vnde neceſſitates illæ ſubleuarentur. Nec rarò ipſimet ſeruorum Dei Superiores, non ignari quàm honeſtum vel etiam neceſſarium ſit Religioſos, ſuis neceſſitate preſſis opitulari, ſuppeditarunt de cenſu Cœnobij quod ad eam ſubuentionem videbatur neceſſarium. Narrat Edmerus in Anſelmo, ita ſe geſſiſſe Lanfrancum cuiuſdam ſui Cantuarienſis Monachi occaſione. Eòque etiam pertinere poteſt, quod in ipſius Lanfranci Actis c. 15. narratur, illis verbis. [Conſanguineis Monachorum ſuorum indigentibus, quam benignè quam ſufficienter beneficia impendebat.] Noui Superiores Regulares, qui imitatione expreſſerunt factum Lanfranci, & neceſſitatibus ſecularium ad ſuos attinen-

attinentium, magna cum charitate proſpexerunt; non ad vnam duntaxat occaſionem, ſed etiam ad annos complures, quamdiu perſeuerabat neceſſitas.

Difficultas ex quibuſdam Chriſti verbis, enodata.

CONtra hactenus conſtitutam honeſtatem amoris Religioſorum erga parentes, videntur vrgeri poſſe verba Chriſti apud Matthæum. cap. 10. Sic enim loquitur. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam; & inimici hominis, domeſtici eius.* Quod ipſum legitur verbis illis apud Lucam cap. 12. *Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis; ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc, quinque in domo, & duo in tres. Diuidentur pater in filium, & filius in patrem ſuum, mater in filiam, & filia in matrem; ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.* Qui locus, diſſidia cognatorum cum cognatis, & mutuam ab eis abiunctionem a Chriſto inferendam, explicatiſſimè præfert. Hic eſt ignis diuidij ac diuiſionis, quem Chriſtus venit in terram mittere, vt rectè expoſuit Maldonatus ad prædictum Lucæ caput, poſt Tertullianum 4. contra Marcion. capit. 29. Denique apud eundem Lucam alibi capit. 14. Sic legimus, *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quid plura quærimus, cum disertè Chriſtus cogentibus ad ipſum venire, id eſt, eius ſe famulatui mancipare, indicat quorumvis cognatorum odium? quod ſane cum amore, pro quo hic ſatagimus, non cohæret.

Hæc tamen non pugnare aduersùs debitum cognatis amorem, eſt extra dubium. Sanctus quidem Ambroſius in cap. 12. Lucæ. Poſtquam multis difficultatem propoſitam exaggerauit, concludit non fuiſſe Chriſti mentem, abolere neceſſitudinum nomina, collidere pietatis affectum, chariſſimorum pignorum diſſidia mandare: [Sed ſi aduertamus; quia prima cauſa religionis, ſecunda pietatis eſt, enodatam etiam hanc putabimus quæſtionem. Oportet enim vt diuinis humana poſthabeas. Nam ſi officium parentibus exhibendum eſt, quantò magis auctori parentum, cui gratiam, etiam pro parentibus tuis debes? At ſi illi omninò non recognoſcunt parentem, quemadmodùm tu recognoſcas? Non igitur dicit renuntiandum eſſe pignoribus; ſed Deum omnibus præferendum. Denique habes in alio libro, *Qui diligit patrem, aut matrem pluſquam me non eſt me dignus.* Non diligere parentes, ſed Deo præferre prohiberis: Etenim naturæ pignora, Domini beneficia ſunt. Nec quiſquam debet plus amare beneficium quod accepit, quàm Deum à quo beneficium ſeruatur acceptum.] Diſſerit alibi in pſal. 118. ſ. 15. ad verſ. 6. quoque in eandem ſententiam, diffusè & luculenter, tractans illud Pſaltis, *Iniquos odio habui.* Conſentiunt in eandem dubij propoſiti enodationem, Sanctus Hieronymus, Matth. 9 Sanctus Gregorius hom. 37. in Euang. Saluianus, lib. 1. ad Eccleſ. & Theophanes Ceramæus homil. 41. Qui nominatim aduertit, neceſſarium fuiſſe hoc Chriſti mandatum quod expendimus. [Quoniam natura, tyrannicum quiddam, & violentum habet: nec charitatem Deo debitam, præ affectu parentum negligeremus.] Obiectat item, Chriſtum amorem parentum non vocaſſe *charitatem*; ſed ſimpliciter *amorem* φιλίας non ἀγάπης: eo quod charitas ſonet amorem perfectum, & difficile exerceatur. Hoc interpres accipit de amore graui, & radicato, cuiuſmodi eſt amor habitualis; cum amor ſimpliciter, ſit quilibet amor, etiam ſi rudis & imperfectus. Non videtur tamen hæc interpretatio quadrare. Nam & φιλία & ἀγάπη, poteſt eſſe habitualis: & tamen de ſola ἀγάπη, affirmat Theophanes, quod difficulter exerceatur: & negat præceptum Chriſti eſſe de temperatione ἀγάπης, ſed ait eſſe de temperatione φιλίας, in quam natura propendet: & ideò facilè exercetur. Itaque vt ex ibi dictis, ac ex alibi homil. 25. Item à Theophane traditis; eruitur, per *charitatem*, quæ eſt amor perfectus, intelligi amorem nixum regula ſupernaturali, qui difficulter exercetur; quia non fit ex propenſione naturæ. Amor autem ſimpliciter dictus profunditur naturali impetu, atque adeò facilè exercetur, poteſtque hominem (ni caueat,) abripere vt parentum affectum diuino cultui præponat. Quare meritò indicenda fuit talis amoris temperatio, ſignificata nomine *odij parentum.* Excurrit ibidem Theophanes, in aliam dicti propoſiti interpretationem moralem, de mundo & ſenſu carnali; quorum ille *Patris*, hic *Matris* nomine veniat; qualem cognationem meritò præcipi auerſandam, docet. Similitérque Sanctus Ambroſius, Luc. 12. præter expoſitionem quam retulimus, adhibet aliam tropologicam, quam altiorem appellat. Sed nihil eſt neceſſe, genuinum verborum Chriſti ſenſum aliò auertere; cum commodiſſima ſit difficultatis enodatio, etiamſi ſupponatur Chriſtum egiſſe de ſimpliciter dicta cognatione, deque vulgo vocatis *parentibus.*

SECT. II. CAP. I. *Hon. ſtas amoris erga cognatos.*

Honeſtas amoris cognatorum, concluditur.

ITaque ratum maneat, amorem cognationis, per ſe eſſe honeſtum ac purum; nec à Chriſto fuiſſe vetitum, etiam ſeruis Dei conſilia Euangelica profitentibus; quinimò plerumque eſſe neceſſarium; quamuis omninò oporteat eum temperari: ita vt non ſinat quis amore cognationis, minui in ſe, vel tolli funditus Dei amorem; ſed ſemper Dei amor emineat, vt ordinata charitas poſtulat. In quam rem præclarè diſſerit S. Auguſt. ſer. 31. ex 40. nouis. Nec plus voluit l. de vera religione, c. 46. cum negat, hominem amandum eſſe ſicut amantur cognati, vel affines; quales neceſſitudines negat habiturum fuiſſe hominem, ſi in Dei manſiſſet imagine. Quæ doctrina ſupponit, in ſtatu innocentiæ non fuiſſe futuram humani generis propagationem per coniugale commercium, quod aliis quoque pleriſque Patribus à Molina annotatis, eſt viſum. Sed retractauit hunc locum Diuus Auguſtinus 1. retract. cap. 13. & 19. Itaque non eſt quod de eo exponendo ſim ſollicitus. Quanquam ſi ea contraria ſententia de modo propagandi naturã humanam innocentem placeret; (nec ſanè eſt planè conclamata;) dicendum eſſet, mentem Diui Auguſtini duntaxat ferre, hominem non eſſe amandum nudè ratione naturæ corporeæ, ſiquidem perfecto & vſquequaque probato amore ſit proſequendus. Eſſe igitur amandum in

SECT. II. CAP. II. *Imp. amor Cognatorum ...*

Deo, ac propter Deum, vt ſit ex amore ſupernaturali per charitatem. Qua ratione etiam nunc, poſiti necelitudinibus per propagationem ex coniugio, amor neceſſariorum perfectus eſt & planè nitens. Eſtque veriſſimum, illud priùs deberi opitulationem, quàm cæteris, iuxta illud Alexandri II. in diplomate de Eccleſia Caſinenſi apud Leonem Oſtienſem lib. 3 chron. cap. 30. [Sollicitudo noſtra, ſi debet pro picere & proficere omnibus, etiam extraneis & longinquis, multò magis domeſticis & propinquis. Ipſis quippe ſecundo gradu poſt Deum, admouenda eſt inuiſibilis charitas, vt per eos velut quædam viſibilis flamma, gradatim ad remotiones quoque diſcurrat.]

CAPVT II.

Amorem cognatorum, niſi à ſeruo Dei temperetur; grauium malorum etiam cauſam eſſe; & à perfectione, cui ſe addixit, auertere.

MOnſtratum eſt, amorem cognatorum ex ſe honeſtum eſſe, & neceſſarium. Nunc addendum ſequitur, eundem amorem, niſi temperatio debita accedat, facilè exitialem fieri. Non enim ſecùs hic contingit, quam in amore quo parentes proſe quuntur liberos; quem quis dubitet ex ſe eſſe honeſtiſſimum? Idem tamen niſi temperetur, parentibus æquè ac liberis, creabit ruinam, vt exemplo luctuoſiſſimo cuiuſdam Cyrilli, demonſtrat agens cum Eremitis Pſeudo-Auguſtinus ſerm. 33. ad Fratres in Eremo. Idem de mutuo coniugum amore pronunciare licet. Similiter igitur, ſi amor Religioſi erga cognatos debita temperatione careat, facillimè inquinabitur, nitore quo ex ſe commendaretur, abiecto. Nihil enim eſt accommodatius ad inficiendam quamcunque piam animam, amore intemperato cognatorum.

Locus Pſaltis, contra intemperatum cognatorum amorem, an rectè aptatus.

VIſus eſt nonnullis, id inſinuaſſe Pſaltes, pſal. 18. cum dixit. *Si mei, non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & mundabor à delicto maximo, & erunt vt complaceant eloquia oris mei.* Illud, *Si mei*, Sunt qui accipiunt in caſu nominandi numeri multitudinis, ita vt ſenſus ſit; ſi mei propinqui & cognati non habuerint ſuper me poteſtatem, ita vt illis ad nutum paream & per omnia indulgeam, tunc immaculatus ero, neque enim inquinabor tetris peccatorum grauium maculis, & liber etiam ero ab incurſu in grauiſſimum delictum, ſiue ſuperbiæ, ſiue alterius cuiuſcunque criminis, in quod amor cognatorum abripit improuidos. Hæc enim peccata non incurram, & ſic mundus ero ab illis: ſumendo *mundum*, non pro exterſione labis iam contractæ, vt ſic in illa prophetica ſententia, *mundans non faciet innocentem*; ſed in ea notione vocaboli, quam adhibuit creditus Ambroſius, in cap. 8. ad Rom. cum dixit, carnem Chriſti fuiſſe mundatam, ſiue exptertam. Et eodem modo nonnullos Patres dixiſſe B. Virginem fuiſſe ab omnis peccato mundatam, quamuis illud nonquam contraxerit, obſeruat Salazarius de Conc. cap. 41. can. 4 Mundabor ergò à delicto maximo, id eſt nitebo planè quoad illud, quia non incurram in illud: Et tunc iucundum erit Deo eloquium meum, quia tanquam iuſtus exaudiar in omnibus orationibus, non habens ſcaturiginem omnis iniquitatis, nimium amorem propinquorum. Admittit (tametſi non ſolum, hunc Pſaltis ſenſum Sanctus Antoninus 1 p. Theol. tit. 5. cap. 2. §. 4. Et videtur etiam eum inſinuaſſe Benedictus XII. Pontifex ſanctiſſimus, nec non Pius IV. adhibentes ſibi hanc ſymbolicam teſſeram; *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Sanè Ciaconius in Pij IV. Pontificis vitæ breuiculo, hunc ei teſſeræ ſubiectum fuiſſe ſenſum, ex mente Pontificis, agnoſcit. Quanquam qui ad eum proximè attinuit, & omnia ſub Pio patruo tractauit S. Carolus, is fuit, vt quamuis admitteretur dominatus patruo, id eſt, eius voluntates ad omnes ſuos nutus inflexiſſe, non eſſet timendum à patrui inquinatione. Sed ad rē hunc Pſaltis ſenſum fateor non eſſe genuinum. Hebræa enim, & Græca, apertè ferunt, illud *mei* ſumendum eſſe in caſu gignendi; ita vt ſenſus ſit, ero immaculatus, ſi alieni à te, non fuerint mihi dominati, nec turpiſſima, (quæque voluntaria,) ſeruitute eis addicar.

Coniugium ne ſtirps deficiat, fœtus amoris immoderati ſuorum, Deo plerumque aduerſans.

QVamuis autem ibi Dauid, non niſi in ſenſu accommodatitio acceptus faueat ei aſſertioni, qua amor cognatorum maculas affricare intemperatè amantibus dicitur, tamen non licebit dubitare de illius aſſertionis veritate; attendenti, eum intemperatum amorem deduxiſſe aliquos in varia nec leuia incommoda. Cuiuſmodi in primis eſt, quod nonnulli præ amore cognationis, ac ne nomen familiæ extinguatur, conſilia Euangelica, quæ alioqui amplecterentur, abiiciunt, & coniugio ſe alligant, quod Sanctus Hieronymus lib. 1. in Iouin. *ſub finem*. Deflorato Theophraſti libro de nuptiis, ait eſſe *ſtolidiſſimum*. [Quid enim ad nos pertinet, recedentes è mundo, ſi nomine noſtro alius nominetur? Cum & filius non ſtatim patris vocabulum referat, & innumerabiles ſint qui eodem appellentur nomine.] Hæc eſt illa ſollicitudo poſteritatis, & liberorum amariſſimæ voluptatis, de qua ſibi homines cauſas nubendi obducere penes nos Chriſtianos odioſas, ait Tertullianus, lib. 1. ad vxor. cap. 5. qui alibi exhortans ad caſtitatem, cap. 12. Ait hoc eſſe de poſteriori tempore cogitare, quod Chriſtiano, cui craſtinum non eſt, indignum eſſe pronunciauit. Sed & creditus Sixtus Pontifex, ſub finem libri de Caſtitate. Sic conclamat in hanc coniugij cauſam. [Veteris numquid, ne tui ſeminis origo deficiat? Memento non nobis iam terrenam, ſed Cæleſtem progeniem deſiderandam. Grande reuera damnum eſt, ſi deſinat generatio quandoque ceſſatura. Quid vis eſſe per te, per quos ipſe forſitan eſſe vix poteris? Illam magis ſuadeo progeniem diligas, quæ abſque ambiguitate, tecum ſemper in cæleſtibus ſedibus perſeueret. Multa enim ſunt, quæ ſapientem virum ab his vanis cogitationibus retrahant; ſi cogitet, primò ſe non potuiſſe naſci; ſecundò natum

maturius

[illegible]

maturius interire; tertiò quod quamdiu iuuat, neſciat; & an procreare filios poſſit, incertum eſt. Cui ergo non voluntate aliquis ſpernat, quo ei cætere neceſſitate poſſibile eſt?] Fraudare te homo hac ratione, eo nomine meliore à filiis, & filiabus, quod Eunuchis propter regnum cæleſte voluntate ſua factis, ſpondetur apud Iſaiam cap. 56.

Affinis deſpectui propoſito, is eſt, quo aliqui cognationis peramantes, ne hæreditas ad extraneos deuoluatur, coniugia contrahunt in gradibus prohibitis, exorata facultate. Hæc eſt arctitudo Iudaica, qua coniugia intra eandem cognationem celebranda erant, ne opes hæreditariæ, tranſcriberentur in aliam familiam. Hoc Tertull. l. de exhort. ad caſtit. c. 12 contra Chriſtiani profeſſionem eſſe conteſtatur. [Hæredes (inquit,) Dei ſeruus deſiderabit, qui ſemetipſum de ſæculo exhæredauit?] Quæ ſuperiùs diſputata ſunt de diffuſione charitatis his nuptiis cum conſanguineis violata, planè huc faciunt: & meritò rependi his coniugiis frequentes ſterilitates monſtrant.

Nimius ſuorum amor, eiurandi numinis auctor in perſecutione.

VErùm hæc omnia intemperati amoris erga cognationem incommoda leuicula meritò videri poſſunt præ aliis tentationibus, quibus aliqui ex eodem amore intemperato pertrahuntur vſque ad eiurationem Dei, ac idololatriam, & grauium Dei mandatorum conculcationem. Quod dico de idololatria, ortum eſt ex origine prima idololatriæ, è Sapientiæ relata in patrem filij amore ebrium. Idem eſt de eiuratione Dei, perſpicuum eſt ex ruina multorum, qui in ipſo æternitatis aditu candidati martyrij, inflexi ſunt à propinquis, & retroceſſerunt: vt propterea aliqui, referente Saluiano, in præfat. Timoth. ad Salom. cenſuerint verba illa Chriſti de odio proſequendis parentibus ac cognatis, ad tempus perſecutionis illatæ cauſa fidei, eſſe referenda. Et S. Cyprianus, lib. de laude Martyr. ad illud ſanctum ſuorum odium ex illis Chriſti verbis adhortatur, cum ait. [Ne quid eſſet dulce vel charum, vel quod ſalutis æternæ præferri cupiditatibus poſſit; Dominicis amputata præceptis, iure proprio ac lege priuata ſunt. Ne in tormentis ſcilicet patrem filius frangeret; néve obſtrictum durati roboris pectus, in aliam voluntatem affectus fortè mutaret. Solam veritatem, ſalutemque ſolam inter magnos complectendam eſſe cruciatus, ſuo Chriſtus iure conſtituit: in quo coniux & liberi & nepotes, in quo omni viſcerum ſobole relicta, vſurpanda victoria eſt. Nam & Abraham ſic Deo placuit, qui tentatus à Deo, & filio non pepercit, pro quo ignoſci fortaſſe poſſet, ſi illum dubitaſſet occidere. Armauit manus, religioſa deuotio; & omnes pietatis affectus, Domini iubentis imperio pietatis paterna neglexit.]

Æquè S. Hilarius in pſal. 118. ad literam Samech. Odium ſuorum cuique à Chriſto indictum, retulit ad neceſſitatem declinandæ eiurationis fidei, in tempore perſecutionis. Obiicienti enim, durum eſſe impietatis neceſſitatem imponi eo præcepto odij propinquorum, reſpondit. [Verùm nihil à Deo durum, nihil impium, nihil contrarium anterioribus præceptis iubetur. Iraſci autem chariſſima hæc nobis nomina, pater ſcilicet, aut mater, & vxor, & filij non poſſunt, quod eos præcipimur odiſſe, cum animam ipſam noſtram odiſſe iubeamur. Sciebat Dominus, plures tam inconſulti amoris, vt eos ipſe ſiſtere in martyrij gloria filios ſuos videant, vt tempori cedant, rogent; vt ſententiam mutent, precentur, & pietatis impiæ erga eos vtantur affectu; cum anus mater, & pater ſenex, miſerabiles cano filiis in ipſo martyrij certamine, cum inuidia præduræ voluntatis eorum oſtendant. Hinc & vxor adiit filiorum ambitioſa comitatu; oret vt potius ſibi illiſque viuat. Hinc fratres & ſorores, blandis ſuorum nominum familiaritatibus deprecentur: Ipſa quoque anima, illecebris iampridem capta viuendi tacitis quibuſdam conſiliis, ad conniuentiam deflectendæ voluntatis irrepat. Hoc igitur in tempore, odiſſe nos patrem, matrem, vxorem, filios, fratres, ſorores, & ipſam quoque animam, Dominus præcepit. Nam hunc eundem ſermonem ita clauſit, poſt odium vniuerſorum, dicens; *Et ſiquis non portat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ergò tunc odio habendi ſunt, cum portare nos martyrij crucem nolint; cum ſequi Deum exemplo paſſionis dehortentur. Honeſtum hoc odium & vtile eſt, eos qui ab amore Chriſti abducere conantur odiſſe.] Nec honeſtum modò & vtile eſt ſic odiſſe in eo articulo cognatos, quod eſt ſuum erga eos amorem temperare; ſed etiam neceſſarium; alioqui certiſſimè homo euerteretur, & rueret, vt pleriſque per amoris illius intemperantiam contigit.

S. Ambroſius ſerm. 15. in pſal. 118. v. 1. B. Hilarij veſtigiis inſiſtit, & æquè ad tempus martyrij ſubeundi, retulit oraculum Chriſti de odio habendis propinquis, ne amor ipſorum, pectora molliret, & effœminaret maſculos martyrum animos. Itaque expoſtulanti, quod Chriſtus coniugij & germanitatis iura violaſſe videretur, indicto coniugum, & cognatorum odio; inducit reſpondentem Chriſtum. [Egone condemno pietatem, qui odi iniquitatem? parentes præcipio non amandos, qui inimicos ſuadeo diligendos? &c. Non ego parentum infudi odia pectoribus filiorum, nec coniugum ſuaſi faſtidia mentibus maritorum. Naturam interroga quid exegerim, quæ vtique auctoris arbitrium genitali ſingularum neceſſitudinum teſtatur affectu. Amare parentes filios, lex naturæ eſt; maritos coniuges, lex diuina eſt, quæ coniugij charitatem in naturam vertit, vt fiat vna caro, & vnus ſpiritus: diligere fratres, naturæ prærogatiua eſt, quæ eodem domicilio duos fotos, aſſuefecit ad gratiam charitatis. Non ergò neceſſitudinum inteſtina bella mandaui, ſed illecebram ſuſpectam habui. An non iure ſuſpectam, cum ſerpens ille callidus, & aſtutus, ad conſtruendas nequitiæ ſuæ artes, quo incorruptæ ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adam labefactaret affectum, fœmineis magis illecebris, quàm ſuis commiſit venenis? Itaque fœmina virum, quem ſerpens tentare auſus non eſt, cibo oris, & vi amoris inflexum, molli quadam conciliatricula vxoriæ ſedulitatis affectione traduxit. Et ad hoc Eua liberos non habebat, quorum gratia, vti dulcis ad amorem, ita eſſet facilis ad lapſum. Vt plurimos à Martyrij conſummatione ſæpè reuocarit? Denique ſæpè cognouimus, quoniam quem formidoloſa carnificum pompa non terruit, nec diuiſi lateris ſulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt, eum inter ſacra iam præmia conſtitutum, vxor teneræ ſobolis oblatione, miſerabilis, vnius lachrymæ miſeratione decerpit.] Addit, idem Samſoni, idem Salomoni contigiſſe: & vtrumque implanatum eſſe, quia nimiùm amauit vxorem. Itaque tempus eſſe odio habendi

SECT. II. CAP. II. *Imperatus Cognatorum amor, exitiatio.*

bendi iuxta Eccleſiaſten. [hoc eſt tempus ma tyrij quandò ea q æ diuina ſunt, omni charitati neceſſitudinum præferenda ſunt. Tempu belli, quo etiam bellum pro Chriſti nomine perndis pignoribus inferamus.] En igi ur quo præcip.tes egerit improuidos, intemperatus ſuorum amor, perducens illos vſque ad negationem Dei.

Alia indidem numinis eiuratio, in pace Eccleſiæ.

NOn obſcurè Palladius, eiuſdem noxæ inſimulat Religioſo amori cognatorum intempeſtiuè addictos. Inde enim & auaritiam quæ eſt idolorum ſeruitus, & omnium virtutum cladem, ac pietatis in Deum euerſionem, con eqni docet in ſeruis quondam Dei. perinde ac ſi inducerentur in errorem de animæ humanæ mortalitate, quod eſt atheiſmi veſtibulum. Illuſtrat iſta Palladius exemplo virginis Alexandrinæ ſolo nomine Aſcetriæ, cui fruſtra S. Macarius per aliquod tempus, fruſtra alij illuſtres eo tempore animarum curatores, facere medicinam tentarunt. Mali totius radicem hanc prodit Palladius. [Erat ei genus ex quo ſororis ſuæ filiam, in filiam adoptauerat, cui noctu & diu ſua pollicebatur, cum ipſa excidiſſet ab opibus cæleſtibus. Nam hæc quoque, eſt vna ſpecies fraudis Diaboli, qui prætextu amoris in cognatos, efficit vt naſcatur auaritia. Nam quod ei nulla ſit cura generis, hinc patet. Ipſe enim docuit & fratrem, & matrem, & patrem occidere. Idque, eſt ex ſcripturis extra controuerſiam. Sed etſi videatur nonnullis curam cognatorum inſerere, non hoc facit quod illis benè velit; ſed vt eorum qui parent, animam apertè exerceat ad iniuſtitiam, cum ipſe ſciat, latam ſententiam quæ dicit. *Iniuſti regnum Dei non poſſidebunt.* Poteſt autem aliquis & ſpirituali motus intelligentia, & diuino deſiderio, neque ſuam negligere animam, & cognatis opem ferre, ſi quid defuerit. Quandò autem quis ita totam ſuam inſtituit animam, vt ea deſpiciatur & obruatur præ cura cognatorum, is incidit in legem, vt qui ſuā pro vano æſtimet animam. Canit autem Dauid quoque Pſalmographus de iis qui animæ curam gerunt, dicens, in timore Domini: *Qui aſcendet in montem Domini?* Pro eo quod eſt *rarò.* Aut, *quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam.* Illi enim animam ſuā in vano accipiunt, qui exiſtimant eam diſſolui vnà cum hac caruncula, qui virtutes ſpirituales negligunt.] Clarū eſt, qui ita ſentiunt eſſe in atheiſmi veſtibulo. Itaque iudice Palladio, amor cognatorū adeò aliquos (etiam ex Dei ſeruis,) exoculat, vt in vano animā accepiſſe videantur, cēſentes illā mortalē.

Indidem neglectus præceptorum; vt eleëmoſinæ.

HAnc obcæcationem ex cognatorum amore deriuatam, deprehendere eſt in pleriſque parentibus; qui præ amore liberorum, ne eos de gradu deiici, & minus apud ſæculum ſplendere cōtingat; vel præcepta Dei de erogatione eleëmoſinæ in pauperes, calcant; vel reſtituere malè parta renuunt, vt hæreditas liberis obueniens, fit pinguis. Alios videmus vt liberorum carni benè ſit, & eorum amicitia firma ſit, liberos in omnem licentiam ſolui ſinere, contra iuſſa diuina de eorum correptione, & cura ſpirituali. Item vt ad diuina conſilia vocati obſureſcant, omni ope anniti. Nec minus liberorum erga parentes amor, ſæpè ob intemperationem inquinatur. Horum omnium exortus, ex nimio, nec temperato cognationis amore, eſt per ſe manifeſtus: Et tamen, ſordent grauibus culpis, & inquinantur diuinæ legis abiectione: proptereaque fortiſſimè ſæpè & in ſcripturis, & apud Patres contunduntur qui talia peccant. Non eſt huius inſtituti plenè in iſta excurrere. Operæ pretium tamen eſt, ea obiter attingere, vt virulentia fontis, ex riui corruptione deprehendatur, conſtetque quā exitialis ſit cognationis amor, niſi debita caſtigatione temperetur; Et quia iuxta parœmiam, amoris ignis, potius deſcendit, quam aſcendat, conſiderabo præſertim mala amoris intemperati cognatorum; in aſcendentibus, (vt vocant,) comparatis ad deſcendentes, cuiuſmodi eſt pater erga liberos.

Eleemoſinæ egenis erogandæ præceptum diuinum, conſignatur in ſcripturis omninò multis, quas addendat Innocentius 3. l. de Eleëm. Et quamvis ſcripturæ de eo præcepto ſiluiſſent, tamen naturali lumine doceremur, hominem teneri pro viribus alienam miſeriam ſubleuare: vt planè neceſſe ſit rabie efferatos fuiſſe Manichæos, teſtibus S. Athanaſio, Epiſt. ad ſolit. S. Auguſtino, 20. contra Fauſtum c. 16. & l contra Adim. c. 17. ac Theodoreto, l. 1 hæret. fabul. execrantes eos qui eleëmoſinam exhibebant egenis. Siuè autem hoc eleëmoſinæ erogandæ præceptum obliget ex iuſtitia, ſaltem aliquando, vt viſum eſt Caietano, 2. 2. q. 118. artic. 3. & 4. & in ſumma v. reſtitutio c. 1. & Couarruuiæ 3. var. c. 14. n. 5. ſiue nunquam obliget niſi ex charitate, quæ eſt receptior & probatior ſententia, ſtabilita à Bellarmino l. de bon. oper. in part. c. 6. & Vaſquez, l. de Eleëm. c. 1. dub. 5. aliiſque quos hi proferunt; tamen certum eſt, obligationem eſſe grauem, etiam extra neceſſitatem extremam proximi: ita vt graues Theologi, & nominatim Soto, in delib. de pauper. c. 8. Suares, d. 7. de charit. ſ. 3. n. 6. & Lorca, d. 39. de charit. n. 23. pronunciarent planè improbabilem eſſe ſententiam Ioannis Medinæ, Cod de eleëmoſ. q. 3. obligantis diuites ad erogationem ſuperfluorum, in ſola extrema neceſſitate.

Hoc tamen adeò arctum præceptum, à pleriſque parentibus amore filiorum ebriis, paſſim calcari, & notius eſt, quam vt probari debeat, & Patres frequentiſſimè expoſtulant. Ipſi quoque tenaces facultatum ſuarum diuites, id agnoſcunt & excuſant apud Saluianum l. 2. ad Eccleſ. qui ait. [Habere aliquam excuſationis ſpeciem videntur, dicentes; pietas vicit, vis ſanguinis compulit, natura ipſa quaſi amoris manu ius ſuum traxit; ſciuimus quid iuſtitia Dei poſceret, quid ſacra veritas poſtularet: ſed ſubacti (fatemur,) ſumus, iugo incarnatæ neceſſitudinis, & dedimus captiuas manus vinculis charitatis: Ceſſit ſanguini fides, & vicerunt deuotionem religionis, iura pietatis.] Reponit ad iſta continenter Saluianus. [Dici aliquid poteſt, tametſi ſalubriter dici non poteſt. Eſt vmbra excuſatiunculæ, non excuſans; dans reo deprecatiunculæ ſpeciem, non reatus ſecuritatem. Nequaquam enim id vlli ſpondeo, quod poſſit cuiuſlibet rei firmū habere ſubſidiū, qui aliquid plus amauerit, quam Deum.] At man feſtè plus liberos amat, quam Deum, quid iteratis toties iuſſis mandante Deo, vt egeno ſubueniatur ab eo qui poteſt, negligit tamen Deo iubenti ſatisfacere, ne periculum quod liberis vult aſſeruatum, decreſcat. Paſſis velis exſpatiatur in hoc mari S. Chryſoſtomus. hom. 10. in 1. ad Theſſal. & homil. 9 de pænit. non vno loco. Breuius, nec tamen minus efficaciter S. Baſilius, orat. in diuit auar. qui ex laniam contra tenacitatē pecuniæ in pauperes nō erogatæ, & obiiciēs

ſibi

ſibi ex perſona diuitis, quod eius aſſeruatio ſit ob filios neceſſaria, reſpódet. [Plauſibilis eſt iſta auaritiæ excuſatio. Liberos prætextis, ac interea cordibus veſtris ſatisfacitis. Non ego in ontem accuſo filium propriam habet domum, propriumque Rectorem. Ex alio vitam accepit, non ex teipſo vitæ ſubſidia expectat. An non & iis qui ſunt in connubio id Euangelicum ſcribitur, *ſi vis perfectus eſſe, vende omnia, & da pauperibus?* Dic quæſo, cum Deum oraſti, & pro fœcunditate eum precatus es, vt fieres liberorum pater, addidiſtine illud? Da liberos, vt cauſa ſint, vt veniam in regnum cœlorum. Præterea quis tibi ſponſor de ipſorum fuerit voluntate; ac ingenio, vt rectè datis relictiſque vtantur? Nam multis diuitiæ luxuriæ ſunt cauſa &c. Nónne cunctis liberis coniunctior tibi eſt anima tua? Nónne omnium familiariſſima? Huic tu primas da partes diuiti hæreditatis, vitæ videlicet æternæ diuitem materiam; deinde filiis victum diſtribue. Filij namque quandoque domui paternæ minimè ſuccedentes, aliam ſibi conſtituunt: at anima abs te relicta, neglectáque, apud quem miſericordiam inueniet?] Alium inſignem ex Baſilio in hanc rem locum, quem tamen apud eum non inuenio, repræſentat Sanctus Damaſcenus l. 2. parall. cap. 17. ſingulare eſt quod Sanctus Cyprianus l. de opere, & Eleëmoſ. quo plures alicui ſunt filij eo arctiorem eſſe obligationem largioris eleëmoſynæ, vt eos Deus foueat ac promoueat, conteſtatur.

Item incuria pauperum ac Chriſti, etiam in morte.

ALios parentes, (vt præmittebam,) ita excæcat cognationis amor, vt ne morientes quidem, aliquid ſuperfluorum ſuorum decerpant, ad ſatisfaciendum diuinis legibus de cura egenorum. In quod paſſim conclamant Patres, querentes à talibus Chriſtum excludi Teſtamento quod conficiunt. Multos allegaui in eam ſententiam, tractans Heteroclita Teſtamentorum 1. p Heterocl. ſect. 2. p. 4. num. 9. Et omninò multa collegere, Molanus in Opere de piis Teſtamentis, ac Ioannes Macherentinus & Riterhuſius ad Saluiani Timotheum. Tales in ſcripturis, dici ædificare in carne & ſanguine, declarat Molanus l. de piis Teſt. cap. 2. Nam cum ædificare domum in ſacris literis, idem ſit quod domum ſtabilire, perſpicuum eſt illos qui hæreditariam ſibi ſucceſſionem ſtabiliunt carnali affectu, (qualis eſt eorum qui hæreditatem ſuam diſtribuunt iuxta corruptum ſæculi ſenſum;) nullo in Chriſti conſilia intuitu duci, nulla præcepti charitatis ad egentium memoriam vrgentis, conſideratione.

Paſſim Patres hanc illiberalitatem eo probro grauant, quod teſtator, nolit Chriſtum habere cum liberis ſuis cohæredem. Quia enim Chriſtus, qua eſt in nos beneuolentia, omnes miſerias noſtras cenſet ſuas mendicans cum mendicantibus, faciens ſe hac ratione omnium egentiſſimum, vt Saluianus l. 4. ad Eccleſ. ac Chryſoſtomus hom 15. ad Romanos egregiè librans: idcircò qui pauperem recipit ac ſubleuat, Chriſtum ipſum recipere, ac ſubleuare dicitur, & qui ob eius amorem pauperes ſtatuit filiorum cohæredes, Chriſtum ipſum hæredem cum filiis inſtituiſſe cenſetur. Et qui è contrario, teſtamentum conficiendo, nihil Chriſto in pauperibus adſcribit, Chriſtum ipſum tanquam extraneum præteriiſſe cenſetur, quo ipſo cenſeri debet, *ingratum* (vt vocant,) Teſtamentum conſcribere, quia omittitur perſona benemerita. Aliàs iuxta Aſconium, tale teſtamentum vocatur *inofficioſum*, quia eſt contra officium ratione beneficiorum debitum. Vocatur item *improbum*, quia contra legem, & *inhumanum*, quia contra pietatem. Omnibus his maculis ſordet Teſtamentum, quo Chriſtus præ intemperato cognationis amore, à fideli excluditur, nec habetur vt ſaltem vnus è filiis; quod D Auguſtinus ad illud Pſalmi 48. *& relinquent alienis diuitias ſuas*, & alibi ſæpè Tract. de decem chor. cap. 12. & l. de domo diſcipl & ſerm. 49. ac 128. de diuerſ. & ſerm. 237. de temp. ac 205. & 76. exagitat, tanquam valde indignum. Nec diſſimiliter Sanctus Hieronymus ad quæſt. 1. reſpondens Hedibiæ, & Sanctus Chryſoſtomus hom. 18. in ad Rom. & hom. 84. in Ioan.

SECT. II. CAP. II. *Imperatus Cognationis amor, exitialis.*

Ac etiam delectus æterni exitij, ne res decreſcat hæredibus.

MInùs tetrum videri poterit, quod ex amore ſuorum intemperato, qui ſua erogare faſtidiat. Sunt qui indigniùs labuntur, ne malè quidem parta reſtituere vel in morte volentes, ne liberis minùs benè ſit poſt ſuum obitum. Rem fœdam atque luctuoſam recitat Card. Bellarminus, de procuratore cauſarum, qui per fas & nefas aliena corraſerat, & ab ipſo Bellarmino admonitus de inſtanti morte, & præparatione ad exitum Chriſtianum, reſpondit tranquillè ac ſedatè, perinde ac ſi de itinere ad villam ageret; *Ego propero ad inferos; neque eſt quod aliquid pro me agas. Filios tantùm ac vxorem, commendatos habeas, velim.* Nec valuit homo ille Dei, quantumuis potens opere ac ſermone, cor durum mollire; ſed in peccatis ſuis mortuus eſt, intemperatus familiæ amator poſthabita anima ſua. Habet hîc locum iuſta concitatio Saluiani l. 3. ad Eccleſ. ob eruantis, in hoc procurſu voluntario ad interitum, eſſe errorem infœliciſſimum, impietati commiſtum: illum dolore, hanc execratione dignam eſſe: ab illa fletum, ab hac indignationem cieri. [In vna re eſt, quo pro hominum inſipientia lugeamus, in alia quo pro Dei amore moueamur. Vllum omninò hominum, inueniri, aut eſſe poſſe, qui decurſo infœlicis vitæ iſtius breui ſpatio, in ipſa extremitate iam pendens, iturus illicò ad tribunal Dei, quicquam aliud cogitet præter finem ſuum, quicquam aliud præter exitum ſuum, quicquam aliud præter periculum ſuum: & neglecta ſpe ſua atque anima, cui opitulari aliquatenùs, vel in vltimis ſuis, omni ſtudio, omni niſu, omni re, ac ſubſtantia ſua debeat, hoc ſolùm cogitet, hoc ſolum animo ſuo voluat, quàm lautè hæres ſuus res ſuas comedat? &c. Infœliciſſimè omnium; cogitas quàm benè alii poſt te viuant, non cogitas quàm malè ipſe moriaris.] Habet alia in eandem ſententiam permulta, pari dicendi lepore ac fortitudine.

Nec non Congeſtatio cenſus ſacri, in ſuos, vtrimque exitialis.

CEnſus beneficiorum Eccleſiaſticorum, reſpergitur Chriſti ſanguine. Imò huiuſmodi fructus, ipſum Chriſti ſanguinem, & Crucifixi patrimonium, nominat Gulielmus Pariſienſis l. de virtut. cap. 11. Quanta verò in horum bonorum

SECT. II. CAP. II. *Intemperatus Cognatorum amor exitialis.*

erogatione peccentur, instigante carne, & ſanguine, & quanta cum culpa ſacræ opes ſic profanentur, dictum eſt abunde eo Opere, cui titulum fecimus, *Malabonorum Eccleſiæ*, in quo item Opere, fusè actum eſt de alio peccato; in quod amor intemperatus cognatorum præcipitat multos, ad Eccleſiaſtica beneficia vocantes cognatos ſuos, cæteroquin immeritos.

Item nimia erga liberos indulgentia, & in eis frenandis remiſſio.

AMor neceſſariorum exoculans circa opes in eorum gratiam aſſervatas, aut malè impenſas, non minùs damnoſo vulnere vtroſque transfigit, cum ætati minus cultæ, & adoleſcentiæ, vel laxat habenas ad omnem vitæ ſolutæ rationem, (quæ magna ſolet eſſe ipſiſmet parentibus tormentis angorum: vel obſtat, ne conſilii Euangelicis a Deo vocati, animum accommodent. Prioris mali exemplum luculentum ſuppeditat indulgentia Heli in filios multipliciter ſacrilegos: ad quorum infamia facta, eneruis pater nolens eos contriſtare, & (quod Deus ipſe expoſtulauit,) liberos ſuos anteferens Deo, verba molliſſima adhibuiſſe contentus, oram cœleſtem, & in ſe, & in filios deuocauit, ſuas faciens eo neglectu, culpas filiorum. Et idem facit quiſquis in liberorum correptione incuriis, ſinit in eis adoleſcere vitium. Quò reſpexiſſe Apoſtolum, volentem eius, qui in Epiſcopum eligendus eſſet, filios eſſe benè moratos, notauit Sanctus Hieronymus in capit. 6. ad Epheſ. *oportet enim*, inquit, *Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Particula cauſalis *enim*, vt D. Hieronymus benè perpendit, monſtrat non ſine patrem ſine crimine, ſi filios habeat per mollitudinem ſuam criminoſos, quorum denique exitus plerumque eſt calamitatis plenus, iuxta illud Siracidæ c. 30. *Equus indomitus, euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps.* Filium *remiſſum* vocat, quem pater malè blandus non corripit, & vel nullo modo, vel remiſsè frænat laſciuientem, ſenſim enim ad tetriora fertur, & denique ruit in barathrum, iam ex hac vita, exturbatus fortunis viuendo luxurioſè, vt ille prodigus; indéque redactus ad mendicitatem.

Ex quo liquet, indulgentiam patris erga filium diſcolum, prætextu amoris obductam, eſſe verè odium, & eum verè amare, qui temperatè filium amat, iuxta oraculum ſpiritus ſancti, & in veteri & in nouo Teſtamento expreſſum Prou. 13. *qui parcit virgæ odit filium ſuum, qui autem diligit illum inſtanter erudit.* Quod eodem ſenſu, tantiſper variantibus vocibus, repetitur prou. 23 inferiùs à Salomone, nec non à Siracide cap. 30. conteſtante. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia.* Inſignia ſunt quæ reliquo capite addit in hanc ſententiam, ſuffragante Paulo Hebr. 12. qui hortatur Hebræos, ne correpti faſtidirent; *Quem enim diligit Deus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis; cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filii eſtis.* Hoc loco erudiri, & *in diſciplina conſtitui*, eſt caſtigari, cum res fert, & iuſta frœnatio depoſcit. Idque filio adhibere, eſt complacere ſibi in eo: Qua ratione, diſſidentia in ſpeciem ſapientis, & Apoſtoli loca, conciliat Salazarius in cap. prou. De hoc argumento luculenter egit Sanctus Chryſoſtomus l. 3. contra vitup. vitæ monaſticæ, *initio*, agens cum patre fideli, & non ſemel alibi hom. 21. in Epiſtol. ad Epheſ. & hom. 9. in 1. ad Timo. Bene item Iſido. Peluſiota l. 1. Epiſtol. 316. atque Euchrius Gallicanus ſerm. 4. de Epiph. & Clemens Alexandrinus 2. pædag. capit. 10. Ex externis verò Plutarchus iuſto Opuſculo, & Iuuenalis Satyr. 14.

Inſuper auocatio à Chriſti conſiliis.

MAlum alterum ex liberorum amore progerminans, aiebam eſſe eorum auocationem à capeſſendis conſiliis Euangelicis. Nam eorum culpa qui iam Deo mancipatos, & vinculis religioſis aſtrictos, ad eiurandam fidem Deo datam inſtigant, præcedens eſt ad iudicium, vixque eget illuſtratione, adeò eſt per ſe perſpicua eius grauitas. Neque tamen alibi dimiſſa eſt ea illuſtratio, tractando de cooperatione ad apoſtaſiam à religioſo ſtatu. Et videri etiam poteſt, Epiſtola Salniani ad Ypatium, & Quietem parentes, nomine Palladiæ, & Apoſtolicæ, quibus pater ex pagano Chriſtianus, ſuccenſebat ob ſuſceptam perfectionis Euangelicæ profeſſionem. Nec remiſsè quoque, in ſimili cauſa verſatur Sanctus Hieronymus ſcribens ad Lætum, & Sanctus Bernardus Epiſtol. 111. in literis datis ex perſona Eliæ Monachi, à parentibus ad regreſſum vrgentibus moleſtiam ſuſtinentis. Ac etiam Sanctus Auguſtinus Epiſtol. 38. agens cum Læto, cui religioſum ſtatum profeſſo, mater (vt ait) fiebat Eua nouerca.

Frequentius eſt, vt hic ipſe cæcus amor, filios tentet auocare à voluntate ineundi religioſum ſtatum priuſquàm pedem intulerint in domum Dei. Quam *proditoriam, & ſeductricem affectionem parentela*, (ſic enim eam nominat Petrus Bleſenſis Epiſtol. 11.) ſæpè, iam ex hac vita repenſis non tenuibus pœnis, coërceri à Deo, monſtrant quotidiana exempla, præter antiqua pleraque annotata in prædicta, cooperatorum ad apoſtaſiam, inſectatione. Diligentiſſimè autem in hoc argumento verſatur Sanctus Chryſoſtomus Epimetro. 2. in calce Operis ſecundo & tertio libro Operis aduerſùs vitæ Monaſticæ vituperatores. Nam priore quidem, agens cum patre Ethnico, argumentis non ex ſcriptura petitis, quæ ille contemneret, (vt Sancto Cypriano Demetrianum ex ſcripturis vrgenti, obiecit Lactantius l. 5. inſt. c. 4) ſed ductis ex ratione naturali, expenſis immenſis commodis illius ſtatus, & bonis quæ conciliat, ac malis quæ auertit, autor eſt, vt filio tantum bonum non inuideat. Quod non minùs potenter vrget, libro poſteriore, agens cum patre Chriſtiano, & monſtrans quàm non ſit amare filium, & quam graui pœnæ obnoxium ſit, auocare illum à capeſſendis Euangelicis conſiliis. Video iſta pro materię vbertate, non tam à me ieiunè tractari, quàm obiter attingi. Sed ad hanc parcitatem adigor, ne parergon excedat ergon. Hæc tamen pauca ſat eſſe videntur vt intelligatur quod hoc loco propoſitum habeo, nempe amorem neceſſariorum fieri exitialem improuidis, qui eum non temperant, & ad auream mediocritatem componunt.

Nec

Nec non infixio in Limo profundi, & excluſio à Sacramentis ſub mortem.

VErùm hæc ſpectant abductionem à religioſa militia per amorem cognatorum. Quàm deteſtabilior eſt abductio à fide Catholica, & Eccleſia, per eumdem intemperatum amorem? Horreſco referre omninò multa exempla, gemina eius quod ſuppeditat hiſtoria Bernardini Ochini, tacta à Caſtelo ſerm. in Dominic. ſexag. eius æquali, referente miſerum illum à piis Catholicis de regreſſu admonitum, non habuiſſe quod opponeret, niſi vxoris, (imò potiùs concubinæ,) & liberorum amorem; quibus vinculis irretitus, non poſſet ſe exoluere. Daniel Petolus einſdem furfuris hæreticus, (niſi quod non erat à Religioſo ſtatu Apoſtata,) iiſdem funibus, cum à Duce Montmorantio ſtrahere tur extra ſalum, infœliciſſimè retractus eſt, ibique abſorptus. Retraho pudentem, & horrentem calamum, a ſimilibus, imò ferè quotidianis exemplis tran ſfugarum ab Eccleſia, aut ſimul a religioſo ſtatu, qui deſcendunt viuentes in infernum & in Synagoga Satanæ ſpecie externa hærent, victi amore liberorum. Ex quo enim per œſtrum carnis, cui inter Catholicos per vota, & leges Eccleſiæ indulgere fas non erat, effregerunt repagula, primum ſtudium eſt, deſpumare libidinem, & conuolui in cœno, cuius eos poſtmodum tædet, ex quo, (vt notat Sanctus Hieronymus Epiſtol. 47.) experti agnouerunt, commercium illud fœdum lancinante conſcientia contra iura omnia initum, minùs dulceſcere, quàm animo conceperant. Itaque Saturi turpitudinum, libenter emergerent, niſi Dalila peruersè ac exitialiter adamata, & ſpuria vitulamina, regreſſum ad pœnitentiam intercluderent. Poſſum lugubribus huiuſmodi exemplis, iuſtum volumen implere. Sed præſtat, argumento lachrymis potius quam chartis digno, vlteriùs non inſiſtere.

Exemplum tamen Apoſtatarum omnium teterrimi, & bipedum ſceleratiſſimi, Iudę Iſcarioth, non eſt omnino prætereundum. Infœlix, inquam ſcelerum voraginem deciderit, neminem latet, & Patres ſæpè ac grauiter docent, vt referre memini in Tractatione de Iuda. Quanquam non eſt opus illuſtratione ex dictis noſtris, aut cuiuſvis mortalium, in re tam perſpicua. Quod enim ſcelus poſſit accedere, ad feralem pactionem de ſanguine Chriſti; qui ſupra omnem æſtimationem erat, cum eſſet ſanguis ipſius Dei: At vnde hęc ſceleris immanitas traxit originem? Paſſim ad auaritiam refertur, vt ſuo loco eſt annotatum. Et verè eo refertur, ſi agatur de immediata & proxima tantæ nequitiæ cauſa. Ipſa tamen Iudæ auaritia, pro radice habuit immoderatum cognationis amorem. Nam Iudam ante Apoſtolatum, fuiſſe vxorem ac liberos, conſtans veterum multorum ſententia eſt, Chryſoſtomi tract. quod Chriſtus ſit Deus, Auguſtini, Caſſiodori, Lyrani, Ayguani, Turrecrematæ, & aliorum ad illud pſalmi 108. *fiant filii eius orphani, & vxor eius vidua.* Reuiuiſcente ergo in Iudæ pectore cognationis amore quem Chriſto ſe addicens depoſuerat, concreditos loculos expilare cœpit, & addicta vſui pauperum ac Collegij Apoſtolici cuius procuratorem agebat, transferre in domeſticos non extimuit. Hæc illi prima mali labes, ita vt cum antea eſſet in Chriſti ſchola probatus diſcipulus, & miracula præſtaret, omnibúſque muniis Apoſtolicis cum cæteris collegis ſtrenuam nauaret operam, (vt ſuo loco tractatum eſt,) reſumens priſtinos erga carnem & ſanguinem affectus, locum in ſe Diabolo dederit, transformatus ex Apoſtolo in latronem, imo etiam latronum anteſignanum, quod ei pro ſummo probro Apoſtolorum princeps inuſſit, dicens; Iudam prævaricatum; vt abiret in locum ſuum, factum eſſe ducem eorum qui comprehenderunt Ieſum. En igitur cuius flagitij non poſſit eſſe ſeminarium intemperatus amor cognatorum; quandoquidem perfectiſſimi Regularis Collegij quod vnquam fuit, alumnum perdidit, & in dæmoniacæ iniquitatis barathrum infœliciſſimè deiecit.

SECT. II. CAP. II.

Extremum ab hoc virulento amore ſuorum, & patri erga liberos, & his erga patrem, cum aperto exitij vtrorumque periculo, communem effectum, refero eorum qui liberis de vita periclitantibus, nolunt ingeri memoriam muniendi e Sacramentis, ne forte eo triſti nuncio perculſis, peius fiat ingraueſcente ad eum amarum nuncium ægritudine. Memini me ante hoc circiter quinquennium, ad ægri periculose iacentis viſitationem euocatum, deprehendere nondum fuiſſe Sacramentis expiatum. Iuuenis erat in ætatis flore, dotibus omnibus quibus ad ſe affectus omnium allicere poſſet, inſtructus. Sponſa eum, & nobilis & opulenta, manebat. Pinguis hæreditas, & à patre, & à patruo locuplete beneficiario, ad eum deuentura erat. Patri autem viro graui, ſed huius ſui corculi amore non ſupra merita flagranti, adeò charus erat, vt veritus aliquam ægri conſternationem ex ingeſta mentione Confeſſionis, nec aduocari Sacerdotes, nec vltrò adeuntes ad ægrum penetrare permitteret. Verùm mater pia matrona, de dilectiſſimi filij periculo graviore ſollicita, ſeuocatum me, vt ad ægrotum irreperem, & de peccatis confitentem audirem, interpellauit. Ægerrimè, nec niſi poſt aliquam luctam, impetratum à Patre eſt, vt admitterer, propoſito periculo ſpiritualis diſpendij, ſi filius inexpiatus decederet: nec tacita, quam daturus eſſet materia ſermonum, ſi in tam incondito filii amore, obfirmaretur. Et quanquam aliquo apud eum loco eram, tamen veritus nonnullorum impeditæ conſcientiæ Confeſſariorum tricas, quibus pœnitentes miſerè angunt, indéque filio Confeſſarii imprudentia, & moroſitate fatigando, malè metuens, aliquandiu refragatus eſt, ſed denique vrgenti per omnes diuinas, & humanas rationes, imò ſupplici, ceſſit. Breuiſſimè expedita Sacramenti adminiſtratione, regreſſus ſum, Pater lætus de tam propera, atque adeò ægroto non graui, auditione Confeſſionis, quam metuebat longam, & moroſa accuratione implexam fore, exiliens in amplexum meum irruit, gaudens ac geſtiens de ſoluto fœliciter errore ſuo. Vix domo exceſſeram, cum audio, ægrum mox à peracta Confeſſione, extra ſe factum, ac mentis impotem, in tempore opportuno, dum mentis ſanitas perſtaret, auditum eſſe de peccatis, vt doceretur pater, Euam hac in parte, præ Adamo ſapuiſſe, & cui pater improuido metu ex nimio amore malè omninò conſulebat, ei matrem proſpexiſſe ſapientiùs, curando ne filius dimiſſa ſuſceptione Sacramenti, inexpiatus excederet, vt ex hac ærumnoſa vita, in qua PEREGRINVS fuerat, ciuis ſanctorum, & domeſticus Dei effectus, in æterna tabernacula diuerteret, quod (vt ſpes eſt,) non ita multò poſt placidè obiens, eſt conſecutus.

Hunc

SECT. II. CAP. III. *Loca veteris Teſtamenti in rem propoſitum*

Hunc fatuum amorem cau'am differendi Sacramenta periclitantibus ex morbo, ne concidant animis cum exacerbatione ægritudinis, audiam filiis quoque erga parentes ex morbo graui decumbentes, & præ ertim vxoribus erga maritos, eſſe communem; abuſione inter Chriſtianos in olerabili: ex qua fit vt plerumque, falſi huius amoris prætextu; ægri vel abſque Sacramentis obeant, vel ea ſuſcipiant adeò attritis corporis, & animi viribus, vt vix benè percipiant quid circa ipſo geratur. Aio, hanc abuſionem eſſe intolerabilem inter Chriſtianos; inter quos filius, (vt ſæpè notat S. Auguſtinus,) ſi pater fiat lethargicus, piè moleſtus, etiam renuentem, & perire corpore volentem vellicat, & infenſo ſopore vitam interclusuro' anxiè prohibet. Si autem agatur de animæ periculo, negotium; vnde pendet æternitas, committitur diſcrimini manifeſto; dum timetur vbi non debuerat eſſe timor. Et hoc, malè ſana capita vocant *amare* quo nomine, abſit vt donetur, affectus adeò præpoſteri intemperantia, auerſa a vero bono eius quem quis amare videri velit. Actum de hoc argumento, tractando heteroclita circa extremam-vnctionem. Concludo, amoris adeò morboſi, & cuius intemperantia tam multis deprehendi ur exitialis, (vt hactenus eſt declaratum,) moderationem omni ſtudio eſſe captandam ſermo Dei, qui nolit à cognatis & parentibus digreſſus profeſſione ac ſtatu inito, ad eos ſemper regredi per apoſtaſiam ſimilitudinariam & clanculariam, (ſin minùs verbo, at factis,) ſeruitutis Dei eiurationem, cui admittendæ, flagrantior erga carnem & ſanguinem affectus, eſt opportuniſſimus.

CAPVT III.

Dicta & facta veteris Teſtamenti ad commendandam amoris erga cognatos temperationem accommodata.

SEnſum ſpiritus ſancti, de temperando hominibus Dei, amore erga cognatos eruere licet ex diuinis ſcripturis, cum veteris, tum noui teſtamenti, quibus diuina in hanc rem oracula, publicè aut priuatim edita, & quæ ſancti Dei afflante cæleſti ſpiritu in hac parte ediderunt, conſignata habentur. Ordiamur ab antiquo Teſtamento.

Abraham Religioſorum typus, auulſus à cognatione.

FVïſſe Abrahamum, religioſæ vitæ, quantum ea ferebant tempora, rudem imaginem, in confeſſo eſt, nec tardè à Patribus inſinuatur. Paupertate in primis fuit admirabili; quia in magnis opibus, pauper affectu fuit, quatenus, vt philoſophatur Chryſologus, ſerm. 121. agnouit, ſe diſpenſatorem non incubatorem diuinæ poſitum largitatis. Vnde non ſibi, ſed pauperibus diues erat: & erga quos bona ſua propter Deum effunderet, anxiè quærebat, non ſecus ac venator intentus in prædæ captationem, quæ eſt D. Chryſoſtomi hom. 41. in Geneſ. comparatio, de Abrahami in quærendis hoſpitiorum ſtudio. Caſtitatem, quantum ſtatus eius tulit, impensè adamauit: nec pugnaſſe cum religioſæ vitæ adumbratione, connubium eius ſanctum, & thorum immaculatum, monſtrant Equites nonnulli Religioſi vt S. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ, quos connubium certis conditionibus temperatum, non excludit è numero Religioſorum; & quidem non impropriè dictorum, vt graues Theologi confirmant, quos Sarches l. 4. in Decalo. c. 16. n. 11. adducit, & nominatim Mota id accuratè ac eruditè illuſtrans, in opere de confirmatione Ordinis Militaris l. 2. c. 1. a 6. 12. Itaque Abraham tametſi coniugatus, ſtatui poteſt etiam ex hac parte religioſæ vitæ typus. Obedientia denique in Abrahamo fuit eximia, & cæcæ obedientiæ omnium excellentiſſimæ, veluti idea: non modò in voluntate mactandi dilectiſſimi filij, ſed etiam in alijs à Deo demandatis, vt mox attingam. Quare prædelineatum in eo fuiſſe ſtatum Religioſorum Chriſtianorum, iure admiſi, poſt ſanctum Antonium ſcribentem ad ſuos Arſenoitas. Epiſtol. 1.

Itaque haud abſurdè dicere licet, temperationem amoris cognatorum, & indictam ab eis receſſionem quoad immoderatum affectum, fuiſſe adumbratam in abiunctione ac receſſione indicta Abrahamo Geneſ. 12. verbis illis; *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Expendens hoc iuſſum S. Ambroſius, l. 1. de Abrah c. 2. & l. 2. c. 2 monſtrat, hoc verè fuiſſe ſequi Deum, præeuntem factis Abrahamo, dicta ſapientum; & illud exequendo, quod pro magno inter ſeptem ſapientum dicta celebratur, ἕπου θεῷ *Deum ſequere* ſequens Deum, & eius afflatibus obaudiens Abraham iniuit viam lucernæ, perfectioni Euangelicæ prælucentis, de quo alibi in pſal. 41. concinnè idem S. Ambroſius. Initium autem viæ perfectionis ineundæ, fuit illi auelli à cognatis, & deſerere paternam domum, actu ſane heroico, & perquam arduo, vt D. Auguſtinus, ſerm. 68. de temp. & D. Chryſoſtomus, hom. 34. in Geneſ. ac S. Hieronymus Epiſtol. 18. cum Lucinio Bætico agens expendunt; ed ad ineundam grandis perfectionis emitam pernecesſario, vt reſtincto per receſſionem nimio erga cognatos affectu, poſſet plenitudinem virium animæ, circa alia non exhauſtam, transferre in Deum. Solet quippè per receſſionem, remittere ardor affectus, iuxta alibi diſputata de cauſis flagrationis, aut remiſſionis amoris: quibus addenda, quæ ad Sydonium addenit Sauaro ad l. 6. Epiſtol. 6.

Quod verò magis hanc Abrahæ à ſuis auulſionem commendat, exiuit Abraham ad Dei iuſſum, neſciens quo iret, vt Apoſtolus dixit Heb. 11. præſertim ſi hæc verba ita accipiantur cum Pererio, in c. 12. Geneſ. v. 5. & Salmerone, to. 12. tract. 24. vt ſenſus ſit, nihil ei diſcedenti ſignificatum eſſe de Chanaan quo proficiſcendum erat ex Dei deſtinatione. Vel ſi inſinuatum quidem illi generatim eſt, vt iret in Chanaan, vt habet probabilior ſententia, ſatis diſtinctè inſinuata Geneſis 11. & 12. & rectè ſtabilita à Ribera & Cornelio Heb. 11. ne ſic quidem abſoleſcit decus heroicæ receſſionis Abrahami; qui euocante Deo iter ſuſcepit in terram ſibi ignotam, & nulla eius parte ſignata ineundam, omnibus ibi incolis ignotus futurus. Neque placet quod aliqui dicunt, Abrahamum à Deo ſemel vocatum, & in Haram è Chaldæa egreſſum, ibi hæſiſſe diutius; & ſecunda vocatione pulſandum à Deo fuiſſe, vt in Chanaan proficiſceretur. Fuiſſe enim vnicam vocationem Dei, benè proſequuntur, fuſè libratis aduerſantium ſententiis Ludouicus à

Terra

Terra in c. 11. ad Hebr. diffic. 7. ſ. 4. & 5. atque Lorinus Act. 7. v. 1. conciliatis Moyſe ac Stephano, qui minùs attentis diſſidere ea in parte videntur. Sanè ea ſecunda pulſatio, cùm Abraham genio ad diuina iuſſa præmolli, minime cohæret, quàvis Achior Iudith. 5. attendens ſuauem modum quo Deus præcepta ſua executioni mandari intendit, Abrahamum per aliquod temporis ſpatium, in via ad terram Chanáam moratum eſſe in Haram, ſiue Charam, dixerit, eóque deiectum eſſe à Deo, cum ex Chaldæa exire iuſſus eſt, pronunciarit.

Eiuſdem filium mactare parentis, abiunctio à carne ſua.

SEd multo luculentius prodidit Abraham, abiunctionem ſuam à carne & ſanguine, in illo arduo certamine aduersùs naturam ipſam, quod iniuit, accingens ſe ex diuino mandato, ad immolandum ſenectutis ſuæ filium, dilectiſſimum Iſaac. Erat is adoleſcens omnibus naturæ, & gratiæ dotibus excultiſſimus, ex diuina repromiſſione de Saræ iam frigido vtero, acceptus in ſignum filiorum adoptionis ex aqua frigida procreandorum, vt ratiocinatur S. Chryſoſtomus t. 5. Græcol. ſer. 64. In hoc ſemine benedicendas eſſe omnes gentes, & genus ſuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris, multiplicandum, ipſo Deo reuelante acceperat. Et tamen in ſpem contra ſpem credens, filium amantiſſimum accipiens in parabolam, de eo ſuamet manu mactando, vt Deo pareat, init fixum conſilium. Non ſatiantur Patres tam heroici actus exornatione, præſertim Philo l. de Abrah. Euſebius l. 1. de reſurr. S. Ephrem in Abrahæ encomio, Baſilius Seleuciæ orat. 7. Chryſoſtomus orat. de Abrah. & hom. 3. in 2. ad Cor. & l. ad Scandal. paſſ. cap. 10. Auguſtinus ſer. 13. de temp. Cyrillus l. 1. Glaphyr. in Pentat. Zeno Veronenſis ſerm. de patientia. Et triplici ſerm. de Abraham, Theodoretus q. 72. in Geneſ. Cyprianus laudans Martyrium, Nyſſenus ea oratione de Abraham, quæ ſæpè allegatur in 2. Concilio Nicæno, nec non ea oratione quam de Filij & ſpiritus ſancti Deitate habui; & exquiſitè, ac omnibus adiunctis ritè libratis Sanctus Ambroſius l. 1. de Abrah. cap. 8. ac quem ob breuitatem adſcribo. Iſidorus Peluſiota l. 4. Epiſtol. 178. [Nullum hoc quod dico illuſtrius, ac ne quidem huic ſimile, proferre potes trophæum, quod ſtatuit Patriarcha Abrahamus. Non enim id contra Tyrannos, ſed contra ipſam, quæ maximè Tyrannicam vim habet, naturam erexit. Nam cum omnes ratiocinationes cogitationéſque aduersùs ipſum, inſito paternæ ſympathiæ affectu armatæ eſſent, & ipſum conuulnerare niterentur, tamen ipſe manſit inuulnerabilis. Et erat cernere, naturam quidem ipſam cum ſuis armis atque copiis omnibus, humi proſtratam: ipſum verò ſtantem, & manum extendentem, non corona præditam, ſed gladio quauis corona illuſtriùs fulgente armatam. Vnde factum eſt, vt omnes quidem ratiocinationes humanæ obſtupefactæ, ad conſpectum, congreſſiumque viri, ſtarent ab ipſo ſubactæ, & magis etiam contremiſcentes, quam ad conſpectum Regis ſolent eius ſtipatores. Terribili namque vultu, omnes perculit. At deſuper Angelorum populus applanſit, & Deus præconium fecit victoriæ.] Fuit ea victoria de ſeipſo, per auulſionem ſui à re maximè conuiſcerata. Hic tanti viri de cognatione triumphus, ex intentione Dei omnibus cumulatæ perfectionis ſtudioſis, proponitur ad imitandum, vt ait Sanctus Ambroſius l. 1. de Abrah. cap. 4. quo ſe à neceſſitudinum vinculo expedientes, liberi in Deum toto affectu euolent. Impleſſe in hoc facto Abrahamum, æquè ac leuitas, manus ſuas Domino, ait auctor Epiſtolæ ad Gerontij filias, apud Hieronymum. Quod ſi parentes (vt alibi obſeruat idem Sanctus Ambroſius ibidem cap. 8.) vltro offerentes Deo ad ſtatum perfectionis Euangelicæ capeſſendum, filios ſuos, tam illuſtre Abrahami factum exprimunt, quo ab ipſa carne ſua, abiunctus ac præciſus voluntate eſt propter Deum; multò magis dicendi ſunt id præſtare filii; qui exemplo Iſaaci *viui martyris*, provt eum vocat Sanctus Chryſoſtomus t. 5. Græcol. ſect. 29. & ipſi quoque iuxta Caſſianum collat. 18. cap. 7. *viui martyres*, affectu & voluntate immolatur Domino, vltrò à ſuis per myſticam mortem ſeparati, & ſanguini ſuo ac carni, propter Chriſtum mortui.

SECT. II. CAP. III. *Leges Veteris Testamenti in rem propoſitam.*

Leuitæ, Religioſorum imago, abiuncti à cognatione.

BEnedictio impenſa Leuitis à Moſe, eſt huic loco peropportuna. Nam Leuitas illos, quibus Moyſes benedixit, typum fuiſſe Religioſorum Chriſtianorum, agnoſcunt SS. Ambroſius, l. de fuga. ſect. capit. 1. & Gregorius lib. 7. cap. 17. & Theodorus diſcipulus Sancti Pachomii, vt in eius Actis cap. 53. refertur. Moſes ergò in perſona Leui patris Leuitarum, benedixit eis in hæc verba Deuter. 33. *Perfectio tua, & doctrina tua, viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & indicaſti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Iacob. Ponent thymiama in furore tuo, & holocauſta ſuper altare tuum. Benedic domine fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius, & qui oderunt eum, non conſurgant.* Ad literam, Moyſes benedictionem Leuitis repenſam docet, ob inſigne eorum factum aduersùs cognatos, quod deſcribitur Exodi 32. Cum enim populus Hebræorum idololatria ſe inquinaſſet, memores Leuitæ quantum deberent Deo, qui ipſos in vno è tribu ſuâ ſacerdotium ſortito, typis ſanctitatis ac doctrinæ honeſtauerat, indito Sacerdotis rationali Vrim, & Thummim; ſanctitatem, & ſcientiam in Dei cauſa generosè exprompſerunt. Armati namque Sancto Zelo, incentore Moſe, in quoſuis è populo Iſraël idololatria polluto, ſtrinxerunt gladium, obuios quoſque indiſcriminatim, cædentes, ne patre quidem ac matre, ac propriis filiis exceptis, ſi & ipſi in via, ferro metentibus obuios, occurrerent: quod quamvis videatur duriſſimum, tamen mandante Deo, non potuit haberi inhoneſtum, vt notat Caietanus Exodi 32. Non exprimebantur quidem diſtinctè in eo Dei mandato, pater, & mater, ſed tantùm fratres, & proximi, ac amici, & idcircò Migalianus lib. quart. de benedict. Patri. ſect. ſecund. numero 122. illud *neſcio vos*, quoad patrem, & matrem in formula benedictionis memoratos, ait eſſe prolatum per exaggerationem. Qua interpretandi licentia, facilè eſſet, quantumuis expreſſa ſcripturæ pronunciata eludere. Itaque rectè alii communiter, & nominatim Lorinus in capit. 33. Deuter. verſ. 9. ac

Cornelius

SECT. II. CAP. III. *Loca veteris Teſtamenti in rem propoſitam.*

Cornelius admittunt, Leuitas ne patri quidem ac matri pepercisse; & omnes cognatos ſuos, qui ſibi ignominiam ſordis illinerant, indiſcriminatim trucidaſſe. Eamque cædem coniunctorum quorumcunque, ſi forte Leuitis à porta ad portam tranſeuntibus occurrerent, magna cum laude ab eis fuiſſe patratam; monſtrat elogium quod illis ideircò pangit Moyſes; cum Exodi 32. vbi ait, ipſos conſecraſſe Domino manus ſuas; tum in formula benedictionis collatæ Deut. 33. vbi præmia ijsdem ob eam cædem ſuorum, ſpeciatim, commemorat. Recordati enim, ſe magni illius ſacerdotis in tentatione probati cui Vrim, & Thummim ſapientiæ & ſanctitatis Symbola, concredita erant, non indignam eſſe ſobolem oportere; ſuccenſi zelo ad tuendum Dei honorem, abiuncti ſunt à peccatoribus: vnde incenſum dignum Deo offerre digni habiti ſunt, & diuinæ iracundiæ tempore, reconciliatores pacis fieri, cæleſti aſſiduo per omnia fauore protecti, ac in omnibus operibus ſuis benedicti, contritis hoſtibus, quotquot in eos inſurgere, & machinari aduerſus eos maleficium auderent. Benedicta fuit hæc leuitarum fortitudo; quia ea ratione, ſeruauerunt pactum cum Deo initum, & docuerunt poſteros, omnemque domum Iacob, quanto ſtudio agendum ſit pro Domino, nullius quantumvis coniuncti, ratione habita.

Nihil facilius, quam iſta omnia, ad generoſitatem Religioſorum ſe à cognatis pro Deo abiungentium; accommodare. Ac imprimis, gladius ſpiritus in cognatorum quorumcunque viſcera adactus, in Religioſorum facto Leuitas cædentes exhibente, optimè elucet: iuxta S. Ambroſium, cuius illa ſunt ad Romulum. [Quod occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres; præceptum eſt eruđiens quia præferenda eſt religio neceſſitudini, pietas propinquitati. Ea eſt enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus. Vnde & ipſe Moyſes dixit. *Si quis à Domino eſt, veniat ad me. Et congregati ſunt omnes filij Leui, & dixit illis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Imponite vnuſquiſque gladium ſuum in femore ſuo; & pertranſite, & redite à porta ad portam per caſtra, & occidite vnuſquiſque fratrē ſuum, & vnuſquiſque proximum ſuum*: vt contemplatione, atque amore reuerentiæ diuinæ, perimeretur omnis affectus neceſſitudinis.] Hoc faciunt, quorum portio Deus eſt, vt mox ibidem ſubdit S. Ambroſius. At nemo verius ait, *portio mea Dominus*, quàm qui obiicit creata omnia, vt ſit Domini cuiuſmodi typicè erant Leuitæ, reapſe autem tales ſunt Chriſtiani Religioſi, quorum ardor animi ac zelus pro Deo, ad ſanguinis vſque ſui effuſionem prorumpit. Audiuerunt enim diuinum illud iuſſum per Hieremiam cap 48. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*; & conſcij quod caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, carnalem quemcunque affectum, hunc præſertim homini intimè concarnatum, reſecant & abſcindunt, vt agnoſcit S. Gregorius, 7. moral. c. 18. hunc typum cædis per Leuitas patratæ, myſticè exponens referendus infra cum Patres adducemus. Et hoc præſertim modo, fit indicta ſanguinis noxij effuſio, ſine qua non fit remiſſio, iuxta interpretationem Caſſiani coll. 20. cap. 8. Neque enim viri ſpirituales ſecedentes à ſæculo, iubentur materialem gladium in ſuorum pectora infigere, velut æmulatores facti barbaræ immanitatis, qua veteres plerique truculenti & immanes, vt rationibus ſuis ſeruirent, ſuorum ſanguini non pepercerunt, vt latè memorat Thomas Boſius, l. 10. de ſignis c. 2. Sed ſanguinis effuſio piis demandata, conſiſtit in iugulatione carneorum affectuum, quos inter, eminet affectus erga cognationem: ac proinde ſtrenue eſt reſecandus gladio ſpiritus.

Autor Epiſtolæ ad Gerontij filias, inſcriptæ Hieronymo, præclare de hoc Religioſorum in Leuitis typo philoſophatur. Abdicarat Gerontius filias, eo quod contra eius voluntatem, addixiſſent ſe Religioſæ vitæ: Eas ergo ait ille autor, vocatas ad Dominum, in imagine Leuitarum, ſpiritualibus gladiis corporeos occidiſſe affectus, & dixiſſe Patri, non nouimus te, vt teſtamentum Domini ſeruarent. Subdit verò. [Hic eſt ille gladius, qui à Domino, per terras, patrem à filio ſeparaturus, immiſſus eſt. Hoc eſt verè circumcidere naturam, quod Iudæi forma, & non veritate cuſtodiunt, & circumcidere cultro petrino: petra autem erat Chriſtus. Is vtique qui dixit, *ſi quis amauerit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus*. Hoc vos gladio vtentes, illos imitamini Leuitas, ab interiori homine per exterioris veſtri caſtra currentes, obuios affectus pro Domini amore iugulate iuxta legiſlatoris imperium, pertranſeuntes primum virtutum exercitum cum reditu: videlicet vt præterita tranſeuntes, nec ſæculi mutabilibus inhærentes, vbi primum ad eum qui nos miſit in mundum, cum ſermonis gladio videamus reſiſtentes nobis, remorantesque nos, propinquum, proximum fratremque, ne per hos elongetur noſtra peregrinatio, perimamus, & hæc à porta faciamus ad portam; ideſt ne cum in porta oculi fratrem fuero proſecutus, portam forſitan auris obtideat, & per aliam portam prætermiſſus, occurrat. Hæ ſiquidem ſunt portæ animæ noſtræ, per quas ad illa ſæculi blandimenta deſcendunt: & per quas ſenſus carnis introeunt. Per quas niſi latè ſtrage facta viam virtutibus quadam impietate fecerimus, nunquam ad Regem veræ pietatis peruenire poterimus. Quod vbi pro veſtra deuotione fueritis executæ, ſtatim vobis ab ipſo Moyſetalis facti laudatore, dicetur, *Impleſtis hodie manus Domino*: hoc eſt, ſæculum qui vobis conditione carnis ſubſtantiæ propinquus eſt & proximus, occidentes; actus veſtros qui manus ſunt, impleſtis Domino, cum nulli præterquam Domino imperanti, ſeruire annuiſtis.]

Ex Pſalte, & Michæa, ad idem nonnulla.

PEr Satyram attingo alia quædam in hanc rem, ex veteri inſtrumento: vt mandatum illud Pontifici Aaronico impoſitum, Leuit. 21. ne pollueretur ſuper patre ſuo, & matre: quod S. Hieronymus infra, inter Patres referendus, accommodat ad neceſſariam ſeruorum Dei abiunctionem à cognatis. Nec dimitto illud ſponſi ad ſponſam in Epithalamico, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Tametſi enim cortex extimus literæ, iuxta aliquos, ſpectat Pharaonidem à ſuperſtitionibus Ægyptiacis & auitis erroribus traductum, cui per Salomonē ſponſum, & patrem, ac ducem Virginitati, Ierem. 3. iuxta phraſim ſcripturę, ipſa futura erat quaſi filia; vt habet parabola Nathanis de vxore Vriæ, & Ethnicis quoque fuiſſe vſurpatam locutionem ex Seruio in l. 4 Æneid. formulas verborū connubialium deſcribente, liquet; ac etiam ex Boëtio; l. 2. in Topic. Cic. Tamen primaria mēs ſpiritus ſancti, alio ferebatur; & præter cætera animās ſanctas ſpectabat, quæ à ſæculi rebus & concretione terrenarum neceſſitudinum abductę,

per

per ſeceſſionem Religioſam, monentur omnem deinceps intemperatum affectum erga carne ſibi coniunctos exuere, eorumque eatenus obliuiſci. In quam rem, Apoſtoli vt.i Ioannis Auilæ Commentarius, ſubministrabit non pauca. Non eſt item præ ereundus locus Micheæ c.7. quo ſeiunctio ab omnibus neceſſariis quantumcunque propinquis indicitur, adhibita obſignatione per eam clauſulam; *Et inimici hominis, domeſtici eius.* Quæ verba Christus ipſe apud Matthæum c. 10. aptat ad ſeiunctionem à cognatis & propinquis, per eos qui conſilia Euangelica capeſſunt, aut doctrinam Euangelicam amplectuntur. Et meritò. Verè enim, *domeſtici*, id eſt ſanguine iuncti, ac cognati, iuxta illud; *ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet: fidem negauit.* Sunt præcipui hominis inimici, cum agitur de ineunda via perfectæ ſanctitatis; Et tales fuerunt initio, iis qui ſtudebant adhærere doctrinæ Euangelij abiecto Ethnicismo. Acti quippe effectu male compoſito, nihilque niſi carneum ſpirantes, hoſtiliter connitebantur aduerſus alios ſuo ſanguine cretos, qui diuerſis ſtudiis diſtinebantur.

Heroina Machabæorum matris, auulſio à ſuis.

PRo coronide, ex poſtremo inſtrumenti veteris libro, factum mulieris pluſquam maſculinum exhibeo, vt ſicut hanc ſeriem locorum veteris Teſtamenti, orſus ſum à viro, ita in fœmina virilis animi, concludam. Ipſa eſt mater illa bonorum memoria digna. [Fœlix orbitatibus ſuis mater, (vt dixerit Euſebius Gallicanus hom. 4. de Epiph.) ſollicitior de perimendis, ſecurior de peremptis, reſpiciens quot funera, tot trophæa, & filiorum merita, exultando ſua faciens, nouo genere gaudia doloris metit, ac ſeptem Martyria, vnius pectoris virtute conſummat, & numeroſam prolem cœlo læta parturiens, ad regnum Dei ſecura, quia ſecutura, præmittit &c. Aliæ matres reuocare à Martyrio ſolent filios, non vocare. At iſta maternum in hoc ponebat affectum, ſi filiis vitam magis perpetuam, quam temporalem ſuaderet. Spectabat itaque pia mater filiorum certamina, & quamuis maternorum viſcerum compaſſione quateretur; tamen pietatis ſtudio premebat dolorem, *&c.* conſona cernens filiorum agmina, tanquam pia anima, ſui membra corporis in filiis offerebat, & per artus proprios videbatur ſibi ſubire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui ſuper mortuos aduoluebantur, capita ſuper capita exſecabantur, refertus erat locus cadaueribus filiorum. Non fleuit mater, non lamentata eſt, non oculos cuiuſquam preſſit, aut ora morientis clauſit, non lauit vulnera; ſciens glorioſiores eſſe, ſi euiſcerati, & concreti pariter puluere, & ſanguine, viderentur: quales ſolent de bello redire victores, *&c.* O verò mater adamante fortior, melle dulcior, flore flagrantior! O indiſſolubile pietatis vinculum. O verè valida charitas ſicut mors, durus ſicut inferi, zelus deuotionis ac fidei. Nulla tantarum diluuia paſſionum, tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluuio, totius orbis ſpatiis innocua ferebatur, ita & tu aduerſus fluctus tam grauium paſſionum, pietate immobilis reſtitiſti, & cum poſſes ſalutem filiorum eligere, noluiſti.] Celebrauit hanc ſanctam Heroinam magnificè, ſpiritus ſanctus in hiſtoria Machabæorum, & multi Patres quos annotaui in Heteroclitis ſpiritualibus ſect. 3. p. 3. numer. 12. agens de feſtis veteris Teſtamenti. Vix autem poteſt occurrere illuſtrius exemplum, abiunctionis à cognatione, & carne ſua; Et quod mirum eſt ante Euangelium, cum tota temporalis beatitudo, liberorum copia & optimo ſtatu, definiebatur.

SECT. II. CAP. IV. *Ad idem, dicta & facta Christi.*

CAPVT IV.

Dicta & facta Chriſti, in temperando erga propinquos affectu, ſuis Domeſticis prælucentis.

NOuum Teſtamentum, quia expreſſam exhibet perfectionis Euangelicæ formam, diſtinctè, & abſque inuolucris typorum, neceſſariam ſeruis Dei à propinquis abiunctionem proponit, præſertim ex ipſius Christi dictis, & factis, quæ propterea primo loco exponenda ſunt, quia *oculi ſapientis in capite eius*, hoc eſt iuxta Nyſſenum hom. 5. in Eccleſ. defiguntur in Christo corporis Eccleſiæ capite, quod alter Gregorius 20. mor. cap. 3. inſinuatum vult illis Iobi verbis de ſeipſo, *lux vultus mei non cadebat in terram.* Nam lux vultus, ſunt oculi; quos perfectus quiſque declinat in terram, ſed ſuſtollit in cœlum, vbi Christus eſt, qui datus eſt orbi in exemplum omnis perfectionis, vt S. Aug. 7. Trin. c. 3. & l. 1. de conſ. Euang. c. 35. egregiè demonſtrat. Aduertendum ergò accuratè eſt, quomodò Christus totius puræ religionis idæa prima, amorem erga propinquos, temperari à ſeruis ſuis voluerit, ſiue doctrina, ſiue factis ac exemplis ſuis informans illos hac in parte.

Christus, turbandam, à ſe pacem cum cognatis, profeſſus.

DOctrina Christi, perſpicuè in hanc rem proponitur, & à Matthæo, & à Luca. Apud Matthæum enim, cap. 10. Christus perfectionem, quam docere venerat, quámque reipſa amplexantur Religioſi, non cohærere cum intemperato erga cognatos amore, his verbis tradit. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Qui amat patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Nemo exquiſitiùs perdit animam ſuam propter Deum, quàm Religioſi. Nam etſi id de Martyribus iure præcipuo dicitur, tamen Religioſi quoque, inter Martyres ſuum locum habent, & quidem non in gradu ignobili, quia etiamſi mitiore, tamen diuturniore martyrio perfunguntur, vt multis dictum eſt in Tractatione de Martyrio p. 1. cap. 3. Hi igitur propter Deum perdentes animam, Christum propriè ſequuntur, portantes crucem ſuam, non humeris lignum geſtantes, (vt faciebant ſimplices illi Monachi, eo profectiores ſe rati,

SECT. II. CAP. IV. *Ad idem, dicta & facta Christi.*

quo grandiorem geſtarent Crucem, iure deriſi à Caſſiano coll. 8. cap. 3.) ſed crucem, in qua ex leges concupiſcentias, & affectus immoderatos cruci figant. Id verò vt aſſequantur, gladio per Chriſtum immiſſo, abiunguntur à ſuis: nec cum patre nec cum matre, atque adeò neque cum vllo cognatorum habentes pacem, quatenùs Chriſtianæ perfectioni officeret. Et ea quidem ferri adactio ad faciendam præciſionem, graui & acerbo dolore parentes ſauciat, quia in illis caro viuit, & carnali adhæſione ſuis adiunguntur, vnde ab eis ſine diſruptione, & ſolutione continui, quæ doloris cauſa eſt, non auelluntur ſequentes auulſum, non è contrario, iuxta illud Tertulliani l. de carne Chriſti cap. 20. [Cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, & conuiſceratur cum eo cui agglutinatur; vt cum auellitur, rapiat ſecum ex corpore aliquid à quo auellitur, quaſi ſequelam quandam abruptæ vnitatis, & traducis mutui coitus.] Ita quidem ex parte coniunctorum accidit, quia non ſunt præciſi gladio Chriſti, & carne viuunt. At in Religioſis, caro eſt emortua, vndè ferè abſque ſenſu, fit præciſio, & auulſio. Non ſecùs ac olim accidebat Martyribus, qui ſuorum lachrymis ac eiulatibus non emouebantur, & perinde ac ſi fuiſſent ſenſu vacui excipiebant ſeparationem; plerunque cognatis acerbiſſimam, quia carnei erant, & affixi carni ſuorum.

Gemina ſententia Chriſti quam ex Matthæo expreſſimus, habetur apud Lucam capit. 12. ſed cum nonnullis adiunctis, quæ intereſt non prætetire. *Putatis* (inquit,) *quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres diuidentur: pater in filium, & filius in patrem ſuum: mater in filiam, & filia in matrem; ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.* Ad complendam autem ſententiam ex Matthęo adductam, adiungenda ſunt illa ex cap. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hæc omnia, apertiſſimè ferunt hominis Chriſtum ſequi profitentis, abiunctionem à ſuis per ſanctum odium, quod reuera aliud non eſt, quàm amor temperatus, probè cohærens cum naturali propenſione erga cognatos, ad regulas Chriſtianæ perfectionis exacta. Qua autem ratione, in domo vna, per hoc odium, & abiunctionem, tres in duos, & duo in tres diuidantur; intelligitur ex ea diſcipulorum Chriſtum ſequentium auulſione à ſuis, de qua Sanctus Ambroſius ibidem præter alias concinnas, ſed myſticas interpretationes, verba Chriſti accipi poſſe docet. [Non incongruum quoque eſt, (inquit,) ſi putemus, quod & iſti, (Chriſtum ſequentes,) ideò ſe diuidant vt meliores fiant parentibus: maximè cum in poſterioribus dixerit, *ſi quis venit ad me, & non odit patrem, aut matrem, & filios, & fratres, & ſorores, etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et ideò ſecundùm ſimplicem intelligendi formam, Gentilibus parentibus, qui Chriſtum ſequitur filius antefertur. Religio enim præſtat pietatis officiis.] Quinque igitur in domo vna ſunt pater, mater, filius, nurus, & ſocrus quæ eadem eſt filij mater, ſed reſpectu vxoris filij; *ſocrus* appellatur. His intimarum cognationum nominibus, vt Toletus hoc loco benè obſeruat, omnis cum quibuſuis propinquis neceſſitudo denotatur. Et ſenſus eſt, nullum fore adeò validum naturæ nexum, qui Euangelicæ perfectionis ſtudio, in iis quos Chriſtus ad ſe ſectandum afflauerit, non ſit abrumpendus, amore eorum ad debitam moderationem redacto. Qui id facere abnuerit, eum Chriſtus negabat ſe dignum, ac proinde ſtatuebat extorrem fieri debere a Chriſtianæ perfectionis profeſſione. Nam ad eius quoque profitendæ candidatos, pertinere eam indignitatem, ſi à ſuis non abiungantur, Saluianus in præfatione Timothei ad Salonium grauiter confirmat, explodens aliquos, *tepidiſſimos*, (vt vocat,) *ac negligentiſſimos*, à quibus illud Chriſti oraculum, referebatur ad ſolos prò fidè Martyres, in perſecutione Tyrannorum diuexatos.

Poſcens inducias ad Patris ſepulturam, & tantulam ſuorum allocutionem, repulſus.

EST & aliud apud Lucam capit. 9. oraculum Chriſti, editum ad quemdam diuinæ vocationi poſcentem inducias, tantùm vt priùs iret ac ſepeliret patrem ſuum. Repulit eum Chriſtus, dicens, *ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*. Alium ibidem refert Sanct. Lucas, Societatem Ieſu expetiiſſe, illud vnum concedi ſibi ſpatij poſtulantem, quo poſſet renunciare domeſticis, ſiue ea renunciatio idem eſſet, quod valedictio, aut ſignificatio ſuſcepti conſilii, ne domeſtici eſſent pro eo ancipites, vt Titus Boſtrenus ibidem, & Sanctus Auguſtinus ſerm. 7. de verb. dom. ſunt arbitrati, ſiue quod ait Sanctus Baſilius c. 21. conſtit. eſſet compoſitio de rebus ſuis cum propinquis, ante receſſum, Et has quoque inducias repulit Chriſtus, docens declinandum *telum Diabolum* perfectionis candidato imminens, à conſuetudine cum propinquis, vt ait S. Baſilius, hoc Chriſti conſilium in negandis hiſce induciis valdè demirans. [Ex diſcipulis ſuis (inquit, cuidam ne id quidem vnum permiſit, vt res ſuas propinquis ſuis componeret. Alteri vt ne cadauer quidem mortui patris, humo ſuperiecta contegeret. Ei enim qui res ſuas cum propinquis ſuis componere volebat, ſic ait. *Nemo qui miſit manum ad aratrum, reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.* Ei verò qui ipſum rogabat, vt fineret ſe patrem ſepelire, *ſequere me* (inquit;) *& ſine mortuos ſepelire mortuos.* Atqui quæ vterque rogabat, rationi maximè conſentanea eſſe videbantur ac iuſtiſſima, ſed enim neutiquam ea Saluator probauit, neque vel ad punctum quidem temporis, ſeiungi ab ipſo cœleſtis regni alumnos permiſit, ne ſublimi illa, & cœleſti animi elatione, humilius aliquid vel facerent, vel cogitarent, mente in rerum terrenarum fragiliumque cogitatione depreſſa, & acclini, tanquam qui ad res cœleſtes animum adiunxerunt, iis neutiquam liceat, eorum quæ in terra ſunt, rationem vllam habere, vt qui iam ex ea, ex animo emigrauerint, & mentis contemplatione altiores mundo ſint effecti.] Qui ſecùs fecerint, & ſequi Chriſtum profeſſi, ad terrena in gratiam propinquorum adiecerint oculum, dicuntur à Chriſto reſpicere retrò. Quod quid ſit, varii, vt Tolet. ibid. annot. 112. refert, variè explicant. Sed maximè genuinus ſenſus is eſt, quē Suares l. 1. de voto c. 2. a. n. 18. latè proſequitur. Nimirum agi eo loco de Religioſæ vitæ profeſſione ſignificata per *aratrum*. Nam Crux, quę

eſt

eſt vitæ ex conſiliis Euangelicis inſtitutæ, ſymbolum; eſt aratrum Euangelicum ad fodiendam humani cordis tellurem, vt loquitur poſt Sanctum Ambroſium lib. de fide contra Arian. capi. 6. Caſſianus collat. 8. cap. 28. Qui ergò manum ad Crucem admouit; id eſt, qui conſilia Euangelica eſt amplexatus, is ſi cognatis inhæreſcens, in eorum gratiam ad res terrenas deſcendat; non perſtat in Scopi, quem ſibi præfixerat proſecutione; atque adeò reſpicit retrò. Sicut vxor Loth, cum deſiit progredi, obuertens faciem ad Pentapolim. Et eo ipſo non eſt aptus regno Dei. Neque enim ſe gerit conuenienter ad regnum cælorum, cum magno meritorum cumulo ineundum, qui ita partiri vult affectum: Et retrocedit à ſuſcepto Euangelicæ perfectionis itinere, quatenùs auertitur ad alia, quibus diſtentus non progreditur in via Dei. Iuxta quam interpretationem, quæ admodùm genuina & ſimplex videtur, locus ille notat cauſam retroceſſionis ab inſtituto ſemel inito, eſſe amorem inordinatum, quo ſeruus Dei propinquis inhærens, ſinit ſe reuolui in cænum rerum temporalium, è quo fæliciter emerſus videbatur, educente Deo.

Chriſtus inter cognatos non inuentus, ad inſtructionem noſtram.

IAm inter Chriſti geſta, quibus in actu exercito docuit ſectatores conſiliorum ſuorum, auelli à cognatis, illud in primis cum Origene homil. 18. in Luc. notari poteſt, Chriſtum duodennem cum in regreſſu à Hieroſolymis ad tempus ſe ſubduxiſſet, noluiſſe à matre anxia reperiri inter cognatos & notos [IESVS (inquit,) non ſtatim vt quæritur, inuenitur, Non enim inter cognatos, & carnis propinquos inuenitur IESVS; non cum his qui corporaliter ei iuncti ſunt.] Idem obſeruauit Sanctus Nilus, in libello Aſcetico, qui allegoricè tractans aberrationem Ioſephi, quia dixerat ſe fratres ſuos quærere, addit; cum monitum eſſe, vt iret in Dothaim; quod interpretatur *perfecta derelictio*. [Indicat enim, eum qui circa corpus adhuc eſt occupatus, aſſequi perfectionem non poſſe, niſi planè derelinquat carnis affectionem. Etenim ſi quis, Charam, id eſt ſenſus qui foramina quædam ſunt, relinquit; & ex valle Hebron, hoc eſt, à ſeruilibus operibus diſcedit, tamen errat in ſolitudine Cathina, dum quærit perfectionem: quod niſi errorem in derelictionem commutauerit, nihil ei proderit ſuſceptus labor; cum propter propinquorum amorem aberrauit à perfectione. Et Dominus Mariæ reſpondens quod ſe inter cognatos quæſiuiſſet, eumque qui patrem, aut matrem pluſquàm ſe diligeret, indignum ſe iudicans; monet propinquorum vincula prorsùs eſſe relinquenda.]

Repulſa matris poſcentis miraculum, eodem collimans.

NOn minus facit ad rem præſentem illud aliud Chriſti ad matrem reſponſum, quod vrget Guerricus Abbas ſerm. ſed meliùs ex quo is profecit S. Bernardus ſerm. 2. in Dom. 1. poſt Epiph. repulſam Deiparæ, cum poſceret miraculo ſubueniri cognatis in Cana vino ad nuptias deſtitutis, ſic expendens. [Sed quem non moueat, quod in nuptiis illis reſpondit Dominus benigniſſimæ matri ſuæ dicens, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Quid tibi & illi, Domine? Nonne quod filio, & matri? Quid ad illam pertines, quæris; cum tu ſis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipſa eſt, quæ ſaluo pudore, concepit, & ſine corruptione te peperit? Nonne ipſa eſt, in cuius vtero nouem menſibus moratus es; cuius Virgineis vberibus lactatus es; cum qua iam duodecim annorum factus, de Hieruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illi? Nunc ergò Domine, quid moleſtus es illi dicens, *Quid mihi & tibi?* Multùm per omnem modum. Sed manifeſtè iam video quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis matris teneram verecundiam, dixeris, *Quid mihi & tibi?* cum venientibus ad te, (iuxta matris præceptum,) miniſtris, nihil cunctatus facias quod illa ſuggeſſit. Vt quid ergò fratres, vt quid ſic reſponderat prius? Vtique propter nos; vt conuerſos ad Dominum, iam non ſollicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Quandiu enim de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus. At poſtquam reliquimus noſmetipſos, multò magis ab eorum ſollicitudine liberi ſumus. Vnde & legimus, fratrem quendam in Eremo conuerſantem, cum ad eum carnalis frater auxilij gratia aduenîſſet; reſpondiſſe, vt adiret alterum fratrem eorum, cum ille vtique iam obiiſſet. Cúmque admiratus qui venerat, reſponderet, quia ille obiit; Eremita, ſe quoque ſimiliter obiiſſe reſpondit. Optimè ergo nos docuit Dominus, ne ſimus ſuper propinquis carnis noſtræ, pluſquàm religio poſtulet, quandò ipſe matri, & tali matri reſpondit; *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Sic & in alio loco, cum ſuggereret ei quidam, quoniam foris ſtaret cum fratribus Domini, quærens ei loqui; reſpondit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Vbi modò ſunt, qui tam carnaliter & inaniter ſuper carnalibus propinquis ſuis ſolent eſſe ſolliciti, ac ſi adhuc viuerent & ipſi cum eis?]

An idem, illa & ſuſta Chriſti.

Inſinuat S. Bernardus, reſponſum Chriſti ad matrem, fuiſſe duriuſculum, tum quia vocat *mulierem*, non *matrem*; tum quia nihil ſibi cum ea commune eſſe affirmat. Minùs idonea ſiquidem aſperitatis lenimenta eſſe videntur quæ aliqui proferunt, dicentes vocatam eſſe *mulierem* antonomaſticè, vt ſignificaretur ipſam eſſe alteram Euam, mulierem caput ſerpentis conterentem, & adiutorium ſimile ſibi, prouiſum Adamo ſecundo. Illud verò, *Quid mihi & tibi.* Significare volunt, *nec mea nec tua cura eſt, vinum curare.* Sic Caietanus adhuc locum, & ex Iuſtino ac Epiphanio Toletus in cap. 2. Ioan. annot. 6. Sed contrarium videtur verius, quoad vtramque partem. Nam quod B. Virgo ſit dicta *mulier* in eo ſenſu myſtico, videtur nimis longè petitum. Nec vllus Patrum eam interpretationem aſſignauit; ſiue circa hoc Chriſti dictum, ſiue circa allocutionem matris de Cruce cum æquè eam vocauit mulierem? Quod autem dixit ei Chriſtus? *Quid mihi, & tibi?* Hebraiſmus eſt, ſonans, nihil, rei eſſe loquenti, & alteri quem alloquitur, vt benè monſtrat Ribera ad illud Ioelis, c. 6. *Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon?* Itaque eſt vox ſonans abiunctionem, quæ ſignificatur, loquentem nolle habere negotium cum eo ad quem verba diriguntur Idque voluit vxor Pilati, cum marito renunciari curauit, vt nihil ipſi & Chriſto eſſet. Et Dæmon Chriſto dicens, Matth. & Lucæ 8. *Quid mihi & tibi*, nihil ſibi cum eo rei eſſe aiebat. Itaque ſimilem à matre ſeiunctionem ſignificaſſe Chriſtum eo reſponſo, *quid mihi, & tibi*, rectè agnoſcunt Ianſenius, & Ribera ad hunc locum &

SE.T. II. CAP. IV. *Ad idem, dicta & facta Cognati.*

& communiter Patres, à Toleto annot. 5. & 6. latè expenſi, quamuis certum ſit, repulſam non eſſe matrem ob vllum peccatum in petitione vini admiſſum, vt aliqui perperam dixerunt, nec ob petitionis intempeſtiuitatem. Nam ea petitionis intempeſtiuitas, non erat Deiparæ nota, & cæteroqui erat petitio de re honeſtiſſima: ac proinde deerat quoduis fundamentum increpationis eam ob cauſam, vt rectè ſtatuunt Suares t. 2. 3. d. 4. ſect. 4. Toletus loco citato Cantius l. Mar.

Abſuit ergò a Chriſti verbis propoſitis, obiurgatio matris, vt diſertè profitetur Iuſtinus quæſt. 136. Continent tamen ea verba, inſtructionem adſtantium, & futurorum omnium, quod patratio miraculi non eſſet aliquid titulo conſanguinitatis expectandum, & quod ſicut miraculum non editur ex poteſtate naturæ humanæ à matre collatæ, ita non eſſet edendum ex affectu naturali: ſed tantùm cum hora diuinitùs præſtituta aduenisſet, quæ hora reſpectu mutationis aquæ in vinum, iuxta B. Auguſtinum ſerm. 41. de temp. erat illa in qua manifeſtatum eſſet, nihil planè vini ſupereſſe. Vnde quia ſtatim poſt, ea ſumma neceſſitas eſt patefacta, annuit Chriſtus votis matris, & eam honorans, aquam vino mutauit, vt benè aduertunt Sanctus Cyrillus l. 2. in Ioan. cap. 23. ac Sanctus Ambroſius ſerm. 16. in pſal. 118. *ſub finem.*

Eadem ex cauſa, obiurgatus interpellator, nuncians adeſſe cognationem Chriſti.

Æquè nonnullam cognationis eiurationem continere videntur verba illa Chriſti Matthæi 12. cum inter agendum de Deo ad plebem, interpellatus à nunciantibus adeſſe matrem, & fratres, ſiuè cognatos eius, reſpondit nuncianti ſub offenſus, ſi Chryſoſtomo hom. 45. in Matth. credimus, *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Et manu in diſcipulos extenſa ſubiunxit: *Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Quæ verba aliqui referente D. Auguſtino in pſalm. 127. & Epiſt. 38. ſtultè detorſerunt ad negandum Chriſto fuiſſe matrem. Cæterùm ea Chriſti verba, etiamſi poſſent videri increpatoria reſpectu nuntij, indiſcrete ex ſuo capite interturbantis Chriſtum docentem, & Sanctus Auguſtinus duci poſſe admittit: Tamen abſolutè loquendo, ſunt tantùm verba docentis circunſtantes ac poſteros omnes, opus Dei non eſſe propter cognatos intermittendum, vt notauit Sanctus Auguſtinus tract. 28. in Ioann. [Hoc eſt, (inquit Ambroſius l. de fide contra Manich.) non agnoſco matrem, non recognoſco fratres, ignoro proximos. Mater mea, & non fratres mei, ſunt qui audiunt verbum Dei & faciunt. Solùm ergò verbum Dei nouit miniſter, cum eos nouit, in quibus operatur Dei verbum. Et ideò exul eſt mundi.] Nec minus ad inſtitutum noſtrum facit quod Sanctus Hilarius can. 12. in Matth. ait, docere Chriſtum voluiſſe, ius & nomen propinqui ſiuè cognati, non ex origine ſecundum carnem; ſed ex fidei & diuini obſequij ſocietate, eſſe repetendum. Quod aliis verbis, ſed eodem ſenſu confirmant Tertull. de carne Chriſti c. 7. S. Auguſt. de Virgin. c. 3. S. Greg hom. 3. in Euang. & inſigniter S. Ambroſ. l. 6. in Lucam.

Sicut ergò Chriſtus iuxta D. Auguſtini alio loco in pſalm. 127. & Epiſt. 78. ratiocinationem, dixit Apoſtolis, ne patrem ſibi vocarent ſuper terram, vt ſcilicet præ patre Deo, patrem terrenum non æſtimarent, ita hoc ipſe in matre & conſanguineis ſuis ex matre, demonſtrauit. [Vult enim Dominus, vt conſanguinitatibus terrenis, præponamus Deum. Defert patri, quia pater eſt: Defert Deo, quia Deus eſt. Generauit te pater, recommodando carnem ſuam: creauit te Deus, adhibendo potentiam ſuam. Ne iraſcatur pater, cum Deus illi præponitur; imò gaudeat ſibi tantum deferri, vt ille inuentus eſſet qui ei deberet præponi. Ergò quid dicam? Dominus quid ait. Quæ mihi mater, aut qui fratres? *Et extendit* (inquit Euangeliſta) *manum ſuper diſcipulos ſuos, & ait; Ecce mater mea & fratres mei.*] Quaſi diceret, conſanguineos in Deo, & ob Deum diligo: atque adeò pro conſanguineis habeo, quotquot faciunt voluntatem cœleſtis patris. Ij mihi ſunt pro matre, fratre, atque conſanguineis: nec ipſi carnales conſanguinei mihi chari præcipuè ſunt, niſi quia ipſi quoque inter ſpiritualiter conſanguineos, numerantur. Atque adeò, vt D. Aug. Epiſt. 38. notauit, voluit Chriſtus terrena ſua cognatione contempta, diſcipulis contemnendarum talium neceſſitudinum præbere exemplum. Itaque Chriſtus nihil moratus aduentum matris & cognatorum; vt omnes intelligerent quid ſibi maximè cordi eſſet, etiam ſupra matrem atque cognatos; & vt conſtaret, nudam cognationem carnis, eſſe deſpicatiorem ea quæ eſt ſecundum ſpiritum, reſpondit ad modum prædictum. Quibus omnibus magiſter optimus, non ſibi à matre, aut cognatis timens, ſed ſectatoribus perfectionis Chriſtianæ ſtudioſis conſulens, docuit nos; quàm dedeceat Euangelicæ ſanctitatis ſtudioſum, cognationi inhæreſcere intemperatè, & præter debitum modum, vt S. Baſil. ad q. 188. optimè aduertit, & Autor Epiſtolæ de vera Circumciſione, perperam inſcriptæ Hieronymo, ac optimè Climacus gradu 3.

CAPVT V.

Dicta Sanctorum noui Teſtamenti, de neceſſaria Euangelicæ perfectionis profeſſoribus, amoris erga cognatos temperatione.

Dicta ſiue ſententias, hìc ſeiungam à factis; quibus dictorum veritas in actu ſignato confirmatur. Vbertas enim monitorum, quæ Patres ac Magiſtri ſpiritus in hoc negotio accumulant, non patitur, vt circa vetus Teſtamentum fecimus, dicta cum factis coniungi. Et quia hæc tractatio maximè ſpectat Religioſos, ordiar ab iis Patribus qui ſacræ ſuæ familiæ informatione inſigniter claruerunt, quibus ſubiungam alios præclarè illis aſtipulatos, & veritati, pro qua ſatagimus, egregiè ſuffragatos.

S. Baſil. in Conſt. c. 21. Religioſæ vitæ Magiſter in paucis eximius, diuinè de hac à ſuis abiunctione per Religioſum, præſcribit. [Diabolus (inquit,) cum omnes nos de rebus vitæ huius curas exuiſſe animaduerterit, & expeditiſſimo curſu ad cœlum contendere, in hoc elaborabat, vt cum animum noſtrū in propinquorum recordationem reduxerit,

eo

eo ſenſim addicat, vt rationibus illorum curandis, mentem noſtram ad ſuſcipiendas rerum vitæ huius ſollicitudines impellat: vt videlicet illa ſecum vertat, quæ res propinquorum ſit; eiuſmodive, qua ſe poſſint tutari, an non? ex contractibus præterea lucra quæ veniant, & illorum fortuna, quantopere exaugeant: Ad hæc ex variis ac fortuitis vitæ caſibus, quæ iacturæ contingant, eaque illorum rem quantoperè minuant: Facitque vt & rebus illorum ad vitæ commoditates, proſperis, vnâ cum ipſis lætemur: itemque ex aduerſis doleamus; ſimiliterque vt cum eorum inimicis pariter inimicitias geramus; (& quod grauius eſt, qui iuſſi ſumus, vt inimicum neminem habeamus;) & amicis contra faueamus, indignis ſæpe ſpirituali coniunctione. Præterea vt de iniquis ac per illorum fraudes quæſitis lucris gaudeamus: prauas denique omnes de rebus vitæ huius affectiones, quibus exutis, earum loco ſpirituales cogitationes induxeramus; denuò in animum nobis reducit, quo iterùm ad rerum humilium atque ſæcularium cogitationem depreſſo, internum Monachum perimit. Fit hinc, vt veluti ſtatua ſit Monachus, quæ ſolam Monachi figuram circumferat; nimirùm quæ nuſquam virtutibus ſit animata.] Idem Sanctus Baſilius informans Chilonem, ita in hanc rem ſcribit. [Ad hæc domeſticè & familiariter ibi notos, ne quam ipſum Dominum, complectare amantiùs. Ait enim; *Qui diligit patrem aut matrem, aut ſorores, pluſquàm me: non eſt me dignus.* Quid porrò ſibi vult illud Domini mandatum? *Si quis non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus?* Nimirùm quia ſi cum Chriſto vnâ mortuus es, iſtis tuis ſecundum carnem cognatis, quid tantoperè illorum familiarem affectas congreſſum? Si quæ in Chriſti gratiam demolitus es, eadem in priſtinum gradum reſtituis ac reædificas, dubio procul ipſe te voti tranſgreſſorem conſtitui. Ne igitur ob quantamlibet affinium neceſſitatem, quoquam è loco deſcueris. Loci enim tui ſemel deſertor factus, idem & ab arrepto vitæ inſtituto forſan ſecedes transfuga.] Alia habet ad interrogationem Octauam fuſiorem. Optimè præterea in admonitione ad filium ſpiritualem.

Sanctus Caſſianus, collat. 24. non pauca in hanc rem habet ex perſona Abbatis Abrahæ. Sed illud præclarum quod ibi cap. 11. de Magni Antonij ſententia tradit, occaſione cuiuſdam Monachi, qui inter cognatos verſabatur vt ab eis acciperet neceſſaria vacans ſoli Deo. Eum enim (referente Caſſiano,) ſic affatus Sanctus Antoninus. [Dic fili; vtrum in eorũ damnis vel aduerſis caſibus contriſteris, parique etiam modo ſuper eorum proſperitate congaudeas? Ille vtriuſque rei ſe participem eſſe confeſſus eſt. Cui ſenex: Noueris te (inquit,) etiam in futuro ſæculo eorum ſorte cenſendum, cum quibus in hac vita, in lucri detrimentiue conſortio; vel gaudio, vel mærore concuteris. Nec hac contentus ſententia Beatus Antonius, maiorem inſuper campum diſputationis ingreſſus eſt: hæc (inquiens,) conuerſatio, atque hic tepidiſſimus ſtatus, non hoc ſolo quo dixi, te feriunt detrimento; (licet id tu ipſe non ſentias, dicens quodammodò ſecundùm illam Prouerbiorum parabolam, *Ferierunt me, ſed non dolui; & deluſerunt me, ego autem neſciui:* Vel illud quod dicitur in Propheta, *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit;*) quod ſcilicet diebus ſingulis men-

tem tuam pro caſuum varietate mutantes, indeſinenter ad terrena demergunt.]

SECT. II. CAP. V. *Dicta SS. no-ni [illegible] in eandem rem.*

Sanctus Nilus, in libello Aſcetico, *renunciantibus*, id eſt Religionem capeſſentibus, indicit primo loco declinationem auaritiæ; Tum ſubdit. [Secundo loco ſanguine coniunctos ſic obliuiſcantur, vt nulla vnquam eorum memoria interpellentur. Si enim vaccæ, curui, quo arca vehebatur, iunctæ; naturam, & vitulos, qui domi tenebantur incluſi, ſic oblitæ ſunt, ipſius arcæ vectæ maieſtate, vt neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, ſine errore iter conficerent; neque ceruicis inflexione vllum amoris erga filios ſignum oſtenderent; neque gemitu dolorem, quod ab illis ſeiunctæ eſſent, teſtarentur; ſed quamuis eas & arcæ pondus premeret, & amoris ſtimulus ſtimularet, tamen nonaliter quàm ſi præſcripta lege inceſſiſſent, ne latum quidem vnguem à recto tramite deflexerunt, cur non ij, quibus ſpiritualis arca geſtanda eſt, idem efficiant? ac multò magis, ne qui ſunt rationis participes, ab animalibus rationis expertibus, in operibus neceſſariis ſuperentur, niſi videantur id ſponte & ratione facere, quod faciunt illa, cogente vi ac neceſſitate.] Alia addit, quæ ſuperiore capite retuli.

Sanctus Hieronymus exponens Fabiolæ myſteria veſtis ſacerdotalis, tractans illud Dei præceptum de Pontifice, Leuit. 21. *Super patre ſuo, & matre, non inquinabitur*, ſic diſſerit. [Multa nos facere cogit affectus; & dum propinquitatem reſpicimus corporum, & corporis & animæ offendimus creatorem. Qui amat patrem aut matrem ſuper Chriſtum, non eſt eo dignus. Diſcipulus ad ſepulturam patris ire deſiderans, Saluatoris prohibetur imperio. Quanti Monachorum, dum patris matriſque miſerentur, ſuas animas perdiderunt. Super patre & matre pollui nobis non licet; quantò magis ſuper fratribus, ſororibus, conſobrinis, familia, ſeruulis? Genus regale & ſacerdotale ſumus. Illum attendamus patrem, qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur; & qui ideò viuens mortuus eſt, vt nos mortuos viuificaret, &c. Reddamus parentibus quæ parentum ſunt, ſi tamen viuunt, ſi ſeruientes Domino filios ſuos præferri ſibi gloriantur.]

Sanctus Auguſtinus agens cum Læto Epiſtol. 38. quem mater irretitum inuoluere, & ab inſtituto nouæ vitæ curſu retardatum, reflectere & curuare nitebatur, profeſſus quod de matre diceret, hoc de tali cætera propinquitate hoc eſt de conſanguineis omnibus eſſe intelligendum, ait curandum eſſe, vt interficeretur in Læti matre priuatus ille affectus per odium ſanctum à Chriſti liberis demandatum. [Nec ſuccenſeant parentes, hoc præcipere Dominum, vt eos oderimus; quando nobis hoc de anima iubetur, vt eam propter Chriſtum cum parentibus oderimus, ita quod alio loco de anima idem Dominus dicit, in parentes quoque poteſt congruentiſſimè conuenire. *Qui amat* (inquit) *animam ſuam, perdet eam.* Dicam etiam fidenter, qui amat parentes ſuos, perdet eos. De anima quippè hoc ibi dixit *oderit*, quod hic *perdet*. Sicut autem hoc præceptum quo perdere iubemur animam noſtram, non ad id valet vt ſe quiſque interimat, quod inexpiabile nefas eſt; & tamen valet vt interimat in ſe carnales animæ affectus quo cum impedimento futuræ vitæ, præſens vita delectat. Hoc eſt enim quod dictum eſt, *oderit animam ſuam*; Et *perdet eam*: quod tamen diligendo fit; quandoquidē apertiſſimè fructum eiuſdem animę acquirendę, in eodem præcepto commemorat, dicens, *qui perdi-*

SECT. II. CAP. V. Dicta SS. noui Testamenti in eandem rem.

derit in iſto ſæculo, in vita æterna inueniet eam. Ita de parentibus rectiſſimè dicitur, vt qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, ſed ſpiritali gladio, verbo Dei, carnalem affectum eorum qui, & ſeipſos, & eos quos genuerunt irritamentis huius ſæculi obligare conantur, piè fidentérque percutiens, & occidens; illud in eis viuere faciat, quo fratres ſunt, quo cum filiis ſuis temporalibus parentes æternos Deum Eccleſiámque cognoſcunt.] Reliqua Epiſtola vniuerſa, in hoc argumento conſumitur. Quomodò autem ipſe Auguſtinus erga cognatos ſuos ſe habuerit, Poſſidius capit. 31. vitæ annotauit.

S. Ioannes Climacus gradu 3. accuratus eſt, in hoc à cognatis receſſu ſerui Dei commendando, ſub nomine *peregrinationis*, quam exponit eſſe elongationem à patria, & à ſuis: eámque ait eſſe rem magnam, & omni laude dignam, dummodò rectè obeatur, & mirabili illi peregrinationi Abrahami de cognatione ſua exeuntis, conformetur. Concludit verò longam diſputationem, his verbis. [Grauis eſt, & omninò vitabilis ad propinquorum, vel etiam extraneorum aliquem immoderata affectio; cum ea nos ad ſæculum ſenſim poſſit attrahere, ignémque compunctionis noſtræ penitùs extinguere. Sicut impoſſibile eſt, vno oculo in cœlum, altero in terram aſpicere, ita fieri non poteſt, vt in his anima non periclitetur qui corpore, & cogitatione, ab omnibus, & propinquis & extraneis, non ſe peregrinum fecerit.]

Caſſiodorus in Opere de Amicitia cap. de modo naturalis affectus, quod in quibuſdam Codicibus, notatur cap. 45. ita pronunciat. [Sicut hunc affectum non admittere, impoſſibile eſt, ſic eum non ſequi, ſummæ virtutis eſt. Domeſtica ſiquidem erga parentes affectio refrænatur, dum electus diſcipulus à parentis ſepultura retractus, accipit à Domino, *Dimitte mortuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Naturalis affectus quædam portio eſt amoris ſui. Et quidem nemo ſeipſum odio habuit, & tamen, *Qui venit ad me* (ait veritas,) *& non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*]

Sanctus Gregorius 7. mor. cap. 17. [Sunt plerique, qui iam aliena non appetunt, atque ab huius mundi iurgiis, inchoatæ quietis amore diuiduntur; erudiri ſacris eloquiis ſitiunt, vacare ſupernis contemplationibus concupiſcunt; nec tamen perfecta animi libertate curam rerum familiarium deſerunt, cui ſæpè dum licitè ſeruiunt, etiam illicitis huius mundi iurgiis implicantur, cúmque terrenas res ſtudioſè tueri deſiderant, cordis requiem deſerunt quam quærebant: Et cum ſubſtantia fugiens continua prouiſione protegitur, conceptus in animo diuinæ ſcientiæ ſermo diſſipatur, quia iuxta veritatis ſententiam, obortum ſemen Spinæ opprimunt, cum verbum Dei à memoria, importunæ terrenarum rerum ſollicitudines expellunt. Diſſolutis itaque greſſibus in rete ambulant, qui dum mundum perfectè non deſerunt, ſemetipſos gradiendo obligant, ne gradiantur. Et ſunt plerique qui non ſolùm aliena non appetunt, verùmetiam cuncta quæ poſſederant in mundo, derelinquunt, ſemetipſos deſpiciunt, nullam præſentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi ſe actibus ſeparant, & penè quicquid proſperitatis arriſerit, calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiſcretè deſeruiunt, ad ea ſæpe per affectum cognationis redeunt, quæ iam, & cum proprio deſpectu ſubegerunt. Cúmque pluſquàm neceſſe eſt, carnis propinquos diligunt, retracti exteriùs, à cordis parente diuiduntur. Nam ſæpè quoſdam videmus, (quantum ad proprium ſtudium ſpectat,) iam præſentis vitæ deſideria non habere, mundum & opere & profeſſione reliquiſſe: ſed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum, prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi ſtudia in ſe iamdudum deſtructa, reparare. Quo itaque iſti, niſi in rete ambulant, quos à præſenti ſæculo, inchoata iam vitæ perfectio ſoluerat; ſed inordinatus amor terrenæ cognationis, ligat? Qui enim diſtricto ſtudio, & non diſſolutis gradibus æternæ ſponſionis præmium ſequuntur, ſicut ſemetipſos pro diuino amore deſpiciunt, ſi cuncta, quibus ſe ſentiunt præpediri, poſtponunt, & cum pro Deo neceſſe eſt, vt quibus valent cunctis inſeruiant, pro Deo priuata obſequia, etiam propinquis negant.]

Et rurſus cap. 18. tractans dictum Chriſti Lucæ 14. de odio habendis cognatis. [Quo in loco (inquit,) dum propinquorum odio, animæ quoque noſtræ odium ſubinfertur, patenter oſtenditur, quia ſic propinquos, ſicut noſmetipſos odio habere præcipimus, vt hos ad æterna rapientes, eorúmque carnalem gratiam cum præpedit, poſtponentes; diſcamus temperata eos diſcretionis arte, & conuenienter diligere & ſalubriter odio habere, quatenùs ſic ſciat per amorem odium ſurgere, vt valeamus eos veriùs per odium amare. Hinc rurſum per Moyſem dicitur; *Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, & ſeruauerunt iudicia tua.* Ille enim ſcire dominum familiariùs appetit, qui præ amore pietatis, neſcire deſiderat, quos carnaliter ſciuit. Graui etenim damno, ſcientia diuina minuitur, ſi cum carnis noticia partitur. Extra cognatos ergò, quiſque ac proximos debet fieri, ſi vult parenti omnium veriùs iungi, quatenùs eoſdem quos propter Deum viriliter negligit, tantò ſolidiùs diligat, quantò in eis affectum ſalubrem copulæ carnalis ignorat. Debemus quidem & temporaliter his quibus viciniùs iungimur, plus cæteris prodeſſe; quia & flamma admotis rebus incendium porrigit; ſed hoc ipſum priùs vbi naſcitur, incendit. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoſcere, ſed tamen hanc cum curſum mentis præpedit, ignorare: quatenùs fidelis animus diuino ſtudio accenſus, nec ea quæ ſibi ſunt in intimis coniuncta, deſpiciat, & hæc apud ſemetipſum rectè ordinans, ſummorum amore tranſcendat. Solerti ergò cura prouidendum eſt, ne carnis gratia ſurrepat, atque à recto itinere, cordis greſſum deflectat, ne vim ſuperni amoris impediat, & ſurgentem mentem ſuperimpoſito onere deorſum premat. Sic etenim quiſque, propinquorum neceſſitatibus debet compati, vt tamen per compaſſionem non ſinat vim ſuæ intentionis impediri: vt affectus quidem, mentis viſcera repleat, ſed tamen à ſpiritali propoſito non auertat. Neque enim ſancti viri, ad impendenda neceſſaria propinquos carnis non diligunt, ſed amore ſpiritualium, ipſam in ſe dilectionem vincunt, quatenùs ſic eum diſcretionis moderamine temperent, vt per hanc in paruo ſaltem ac minimo, à recto itinere non declinent. Quos benè nobis per

ſigni

ſignificationem, vaccæ innuunt, quæ ſub arca domini ad montana tendentes, affectu ſimul & rigido ſenſu gradiuntur, ſicut ſcriptum eſt; *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum; vituloſque earum clauſerunt domi.* Et paulò poſt: *Ibant in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethſamis, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes, & declinantes, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Ecce enim recluſis domi vitulis, vaccæ quæ ſub arca domini, plauſtro religabantur, gemunt, & pergunt: Dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non demutant greſſus. Amorem quidem per compaſſionem ſentiunt, ſed colla poſteriùs non deflectunt. Sic neceſſe eſt, vt incedere debeant, qui ſacræ legis iugo ſuppoſiti, iam per internam ſcientiam Dei arcam portant: quatenùs per hoc quod propinquorum neceſſitatibus condolent, à cæpto rectitudinis itinere non declinent. Bethſamos quippè, *domus ſolis* dicitur. Arca ergò Domini, ſuperpoſita, Bethſamos pergere, eſt cum ſuperna ſcientia, ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethſamos tendimus, cùm viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinemus. Quorum nimirùm gratia, mentem noſtram tenere debet; ſed reflectere non debet: ne hæc eadem mens, aut ſi affectu non tangitur, dura ſit; aut plus tacta, ſi inflectitur, remiſſa.]

Abbas Rhadingenſis apud Bleſenſem Epiſtol. 101. [Terret me B. Hieronymus dicens, quod cum propinquitates corporum reſpicimus, corporis, & animæ Creatorem offendimus. Et adiungit. Multi dum parentibus miſerentur, animas perdunt. Hi ſunt qui iudicio meo, animas ſuas pro amicis crudeliter & damnabiliter ponunt. Legi epiſtolam Hieronymi ad Heliodorum; & inueni, quam graui & auſtero rigore, abſcindenda ſit in his qui conuertuntur ad cor, omnis affectio parentelæ. Vaccæ fœtæ, quæ deferebant arcam Domini in Bethſamos, ad vitulos ſuos colla minimè reflectebant: nec in domo Domini ſacerdos aut Leuita eligitur, niſi dixerit patri & matri, neſcio vos. Mortuus eram mundo; & mundus mihi. Amor autem ſæculi, qui in corde meo arſerat, ſub quodam falſæ pietatis obtentu, per affectiones ſanguinis reuireſcit.]

Auctor Operis de modo ſerm. 7. benè viuendi ad ſororem, adſcripti perperam Sanct. Bernardo. [Serui Dei qui parentum ſuorum vtilitatem procurant, à Dei amore ſe ſeparant. Vnde ſpiritualis ita prodeſſe debet ſuis parentibus, vt dum illis gratiam carnis præſtare ſtudet, ipſe ab ſpirituali opere, vel propoſito, non declinet. Soror in Chriſto dilecta mihi, audi ſententiam B. Iſidori; Multi Canonicorum, Monachorum, ſanctimonialium fœminarum, pro amore ſuorum parentum, inuoluuntur terrenis curis, & phreneſibus, & iurgiis, ac negotiis: & pro temporali ſalute ſuorum parentum perdunt animas ſuas: Tamen ordinata diſcretio eſt, vt quod extraneis miſericorditer impenditur, parentibus non negetur. Dignum eſt, vt demus parentibus noſtris, quod miſericorditer damus extraneis. Parentibus enim carnaliter præſtatur, quod extraneis piè impenditur. Honeſta ſoror, non debemus odio habere parentes noſtros; ſed impedimenta eorum qui nos à recto itinere deuiant. Per vaccas Philiſtæorum quæ ducebant arcam Domini ad terram Iſrael, intelligimus figuram eorum qui propter Deum dereliquerunt ſæculum. Nam Philiſtæi, ſicut iunxerunt vaccas plauſtro; vituloſque eorum recluſerunt domi, & ſuper plauſtrum impoſuerunt arcam Teſtamenti Domini ita iugum Chriſti leue & ſuaue, impoſitum eſt ſuper ceruices ſeruorum Dei. Et ſicut vaccæ amore vitulorum ſuorum mugiebant, & tamen non declinabant ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ita ſerui Dei recto tramite incedere debent; & pro amore parentum ſuorum non debent ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare a bono opere vel propoſito, ſed recto itinere vſque ad Bethſamos, id eſt, vſque ad introitum cæleſtis regni peruenire. Et ſicut vaccæ pro filiis ſuis mugiendo pergebant; ita conuenit ſeruis Dei, pro parentibus ſuis mugire; id eſt pro eis debent orare, vt benè ſit eis, & vt à malo liberentur, atque in bono confirmentur.]

SECT. II. CAP. V. [illegible] 55. *noui Teſtamenti in eandem rem.*

Radulphus in cap. 6. Leuit. tractans præceptum de non comedenda ſimila conſecrata extra ſanctuarium. [Illicitum eſt, (nempè contra religionem, atque adeò ſacrilegum,) niſi in loco ſancto, ſimilam conſecratam comedi: quia ſtudium animæ religioſæ, quæ ſe à mundi actibus ſequeſtrauit, non in ſæcularibus, ſed in iis ſolùm quæ ad Deum pertinent, debet proximis exhiberi.]

F. Ægidius è S. Franciſci alumnis vnus, viro ſancto ob inſignem vitæ accurationem probatiſſimus, adoleſcenti proponenti deſiderium ſuum de ineundo religioſo ordine, reſpondit, *Si vis hoc facere, abi & quàm primùm iugula parentes tuos.* Exterritus adoleſcens, & ad tam tetri ſceleris ingeſtionem cohorreſcens, reſponſum tulit à F. Ægidio. *Non ego te iubeo illos ferro necare, ſed gladio ſpirituali. Qui enim non odit patrem ſuum, & matrem, non poteſt effici Chriſti diſcipulus.*

Dicat itaque Religioſus quiſque, quod de ſe Petrus Bleſenſis, tametſi ſtatu ſæcularis, tamen virtutibus religioſus. Ita igitur de ſe Bleſenſis Epiſt. 10. [Abrahæ dictum eſt; *Egredere de terra, & de cognatione tua.* Et ego, quare non egrediar, aut quare ad parentes meos regrediar, apud quos non inueni niſi manus harpyarum, conſilia Achitophel, vulpium dolos, aculeos ſcorpionum? Licet parentibus debeam affectionem naturalem; illud tamen non debeo, vt pro eis me perdam, aut pro eis ab honeſtatis propoſito me reflectam. Vaccæ ſiquidem quæ in Bethſamos deferebant arcam Domini, licet eas traheret naturalis quædam affectio vitulorum, ad eos tamen colla ſua minimè reflectebant. Multi pro parentibus ſuis animas perdiderunt, dum in eis plus amantes carnem, quàm ſpiritum, animas ſuas pro amicis temerè & crudeliter poſuerunt. Leuita imò Archileuita, ego ſum: ſcriptum eſt autem in lege Domini, vt nemo in ſacerdotalem ordinem aut Leuiticum aſſumatur, niſi priùs dicat patri & matri, *Vale*, id eſt, niſi in eo penitus extinguatur affectio parentelæ.]

Videtur profeciſſe ex Sanct. Ambroſio, lib. de ſæcul. cap. 2. cuius illa eſt inſignis diſputatio cum quærit quorsùm homicida, in ciuitates refugij, Leuiticæ tribui aſſignatas confugere debet, vt ſaluus eſſet, & ſubduceretur iræ cognatorum interfecti. Ita enim ait eſſe congruè prouiſum, quia Leuitæ, fugitantes ſunt mundi huius, vt placeant Deo: relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant Deo. Vnde & Abraham qui in lumbis ſuis habebat Leui, dictum eſt, *egredere de cognatione tua, & de domo patris tui.* Et nouis Leuitis, hoc eſt Apoſtolis, dicit Chriſtus. *Si quis non odit patrem, & matrem, & fratres, ac ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* [Ergò cui Deus portio

SECT. II. CAP. VI. *Exempla cal-cata in martyrio cognationis.*

tio eſt, nihil debet curare, niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atque huic noſtro officio decerpitur. Hæc enim vera eſt ſacerdotis fuga, abdicatio domeſticorum; & quædam aliena io chariſſimorum, vt ſuis etiam ſe abneget, qui ſeruire Deo geſtit.]

CAPVT VI.

Facta ſanctorum noui Teſtamenti, coniunctorum Martyribus, ipſorumque Martyrum; monſtrantia quam auerſi ab intemperato affectu erga cognatos eſſe debeant, qui perfectioni Euangelicæ dant operam.

EXempla, è quibus fortiora quàm ex verbis ducuntur argumenta, vrgeri in primis in rem præſentem poſſunt, ſanctorum, qui abiunctì à ſuorum carnali affectu, eos animarunt ad martyrium nec non ipſorum martyrum, qui propter Deum, nihil morati ſuorum lachrymas, alacriter poſuere vitam in Dei cauſa. Sunt autem hæc exempla, huic negotio peropportuna. Eſſe enim Martyres ſuppares, qui diuturniore martyrio in religione perfunguntur, demonſtrauit Hieronymus Platus, l. 7. de bono ſtatus religioſi c. 72. & nos alibi 1. p. de marty. c. 3. Tum ſubiicientur facta aliorum, qui in pace Eccleſiæ non diſſimiliter ſe geſſerunt, in ſtatu religioſo; auulſi à ſuis. Vtrobique ſelectiora quædam exempla proferre, ſatis erit.

Qui cognationis amore ritè compoſito, ſuos ad martyrium animarunt.

VT ergò à prioribus auſpicer, plerique magnos animos à carne & ſanguine ſeiunctos prodiderunt, animando ſuos ad martyriũ. Verum eſt, multos aliter ſe geſſiſſe, vt ſuperius attigimus, & inferius aliquoties recurret mentio. Non omnes tamen tam perfido erga ſuos fuere animo, ac ne fœminæ quidem; etiam matres erga filios, quarum eſt affectus tenerrimus, etiam vxores erga coniuges, quarum eſt amor flagrantiſſimus. Exempla quædam attexo.

Mater S. Melitonis, vnius è SS. 40. Martyribus Sebaſtenis, hoc agmen meũ ductabit. De ea matre, digna quæ martyrem proderet, ſic Gregorius Niſſenus; orat. in 40. Martyr. præfatus relictum paruulum Melitonem à carnifice, ſpe eius ſeducendi. [Non tulit carnificis contumeliam erga virum fortem; ſed illum quidem increpabat, quod à commilitonibus & collegis athletam ſegregaſſet: ipſa verò martyri aſſiſtens torpenti iam, & præ congelatione immobili, & conſpicata eum frigido, atque infirmo anhelitu coarctari; tantum duntaxat viuentem, vt cruciatus ſentiret; obſcuro, & languido obtutu, matrem ſuam aſpicientem, emortua ac languida manu innuentem & conſolantem, & vt fortiter ferret hortantem: Vt hæc mater vidit, numquid eiuſmodi aliquid, quale matribus accidere ſolet, admiſit? Nunquid viſcera eius commota ſunt, aut tunicam circumſcidit? Aut filio circumfuſa eſt, calidis vlnis torporem ac defectionem refouens & refocillan? Remoue iſthæc. Etiam dicere aliquid eiuſmodi, abſurdum eſt. Ex fructu reuera, arborem cognoſcimus. Non poteſt a bor putris & vitioſa bonos fructus producere. Quoniã igitur fructus martyrij bonus eſt, laudo optimæ prolis matrem, quæ per filij procreationem ſeruatur, vt inquit Apoſtolus. Quoniam enim talem Deo fructum produxit, communem fœminei ſexus cauſam defendit. Non meus (inquit,) filius es tu non mei partus germen; quoniam Deum recepiſti: ſecundum Deum natus es. Accepiſti poteſtatẽ vt filius Dei fias, curre ad patrem tuum: ne relinquaris à tuis coæuis: ne ſecundus ad coronam venias, ne irritum facias votum maternum. Non offendes, non moleſtia afficies matrem, ſi victor coronatus, ſi ſignifer & trophæus euaſeris. Hæc dicens, & vltra naturam ſeſe obfirmans, imo verò roborata à ſpiritu, ipſa ex ſe natum, ad reliquos in vehiculum imponit, alacri vultu proſequens ac deducens athletam.] Eadem legere eſt apud S. Baſilium, & Ephræmum, orat. in SS. 40. Marty. qui ſuperſtitem adhuc Melitonem, à pia matre, currui quo cæteri iam mortui vehebantur impoſitum, aſſerunt: contra quam Ado, in Martyrol. 9. Martij iam mortuum in pyram, qua cæterorum oſſa cremabantur, coniectum à matre dicit.

Vtcumlibet autem modo res acciderit, inſigne ſpecimen abiunctionis ſuæ à carne & ſanguine, & temperati in Chriſto amoris, pia hæc mater in tali facto exhibuit, Diabolum pudore ſuffundens, iuxta S. Baſilium. in calce Encomij 40. Marty. vt liceat ſane cum ſancto Ephrem, qui omnium diſfuſiſſime de huius heroinæ facto diſſerit, concludere dicendo de hac (vt vocat) vocali hirundine, & ape. [En quomodo effinxit, (vt dixit), alueatis fiſtula ad mel conſeruandum, apis iſta ſapientiſſima. En quantam ſcripturarum materiam, florum inſtar collegit, & vndique melle circumdedit. Idcirco veſpæ, ſtimulo malitiæ non perturbarunt atque infecerunt fidei ipſius dulcedinem; neque rurſus locum inuenerunt, vbi ſpiritalis mellis pulchritudinem reuelent, ac comedant. Ideoque pia mater tanquam prudens regina, fœtum ad ramum vitæ proferre cupiens, ipſum cerioma cum mellificio integrum ſeruans, orationum alimentis munita, opus non fictum ſuperis exhibuit, in myſticam illam cœnam donum remittens, quod ſuauitate ac dulcedine guſtus, etiam lætificat Angelos.]

Auia ſancti puſionis Africani, in perſecutione Vandalica, ſimilem erga eum prodidit affectum, vt ex his verbis Victoris Vticenſis lib. 2. intelligitur. [Ibi & infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu: aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant ſe Martyres peperiſſe, aliæ morituros diluuio rebaptizationis nitebantur à confeſſione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. Nam quædã quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat: Dum iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & fortè magis noctibus promoueremur, propter ſolis ardorem; conſpicimus muliereulam ſacculum & alia veſtimenta portantem manu, infantulum vnà tenentem, atque in his ſermonibus conſolantem: Curre Domine meus, vides vniuerſos ſanctos quomodo pergunt & feſtinant hilares ad coronas? Quam nos cum increparemus, quod importuna videretur aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari, reſpondit; Benedicite, & orate pro me, & pro iſto nepote paruulo meo: quia etſi peccatrix, filia ſum, quondam Zuritanæ ciuitatis Epiſ-

copi,

Exempla calcata in martyrio cognationis.

copi. Cui nos: Et quare ita abiectè ambulas, & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonſtraris? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo, ad exilium pergo, ne inueniat eum ſolum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti lachrymis, nihil dicere valuimus, niſi vt voluntas fieret Dei.]

Maria S. Mariniani martyris mater, haud abſimilis a S. Auguſtino ſerm. 1. ex 11. additis Pariſiis deſcribitur. Cum enim retuliſſet S. Doctor carnales aliquos Martyrum cognatos, & vino erroris ebrios, malè amantes, & ſuadendo à vita reuocantes, addit. [Non erat ex illis S. Mariniani mater, non ex illis erat malè ſuadentibus, carnaliter blandientibus, amando decipientibus. Non erat ex illis S. Mariniani mater: Nomen non inane portabat: non fruſtra *Maria* vocabatur. Mulier quidem illa, non virgo, non intacta, de ſpiritu ſancto; ſed tamen pudica de marito, tale pignus pepererat, quod ad glorioſiſſimam paſſionem, ſuis potius exhortationibus deducebat, quam inde ſuis malis blanditiis reuocabat. O Sancta & tu Maria; impar quidem merito, ſed par voto. Fælix & tu. Peperit illa Martyrum principem, peperiſti tu principem martyrem: peperit iſta teſtium iudicem: peperiſti tu Iudicis teſtem. Felix partus, fælicior affectus: quando peperiſti gemuiſti, quando amiſiſti exultaſti. Quid eſt hoc? quandò peperiſti, gemuiſti; exultaſti, quando amiſiſti? Non fruſtra; niſi quia non amiſiſti. Vbi dolor non erat, fides erat. Carnalem dolorem de corde fides ſpiritalis excluſerat. Videbas te filium non amittere, ſed præmittere. Totum quod gaudebas, ſequi volebas. Miramur iſta, laudamus iſta, amamus iſta.] Concludit, fuiſſe hos potentes effectus gratiæ à carne & ſanguine auellentis.

S. Dyoniſia Africana, mater S. Maiorici, & ſuam fortitudinem, & excarnationem prodidit inſigniter. Do verba Victoris Vticenſis. l. 3. [Cum viderent eam (Arriani,) non ſolum audacem, ſed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipſam primò niſi ſunt fuſtibus expoliatam aptare. Quæ cum peteret, diceretque de Domino ſuo ſecura, qualiter libet cruciate; verecunda tamen membra nolite nudare: Amplius illi magis furentes, celſiori loco, veſtimentis exutam conſiſtunt, ſpectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli ſanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat. Miniſtri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipſa eſt laus mea. Et quia erat ſcripturarum diuinarum. S. ientia plena, arctata pœnis, & ipſa iam Martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ ſuo ſancto exemplo, vniuerſam ſuam patriam liberauit. Quæ cum ſuum vnicum filium, admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pænarum formidoloſum conſpiceret; verberans eum nutibus oculorum, & increpans autoritate materna, ita confortauit, vt matre multò fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera conſtituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis, in matre Catholica Baptizati ſumus: non perdamus indumentum noſtræ ſalutis, nè veniens inuitator, veſtem non inueniat nuptialem, & dicat Miniſtris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium. Illa pœna timenda eſt, quæ, nunquam finitur. Illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis, velociter Martyrem fecit. Venerabilis verò adoleſcens, Maioricus nomine, in certamine confeſſionis ſpiritum reddens, curſum palmiferum conſummauit. Amplexanſque illam hoſtiam ſuam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium ſpei futuræ, in ſua domo maluit ſepelire: vt quotiens ſuper ſepulchrũ eius Trinitati preces effundit, alienam ſe à filio nunquam eſſe confidat.

Mater & coniux S. Iacobi Perſæ, cognomento *Interciſi*, cum accepiſſent, illum à Chriſtiana profeſſione, cui addictus à principio fuerat, ad idolorum cultum eiurato Chriſto deflexiſſe, in gratiam Iſdegerdis Regis, cui erat chariſſimus, hanc ad eum dedere epiſtolam, qua ſuam à ſanguine & carne ſeiunctionem ſunt teſtatæ. [Obediendo mortali, deſeruiſti eum qui vita eſt. Placendo futuræ citò putredini, deſeruiſti ſempiternum odorem. Veritatem in mendacium commutaſti, & mortali obtemperans, viuorum ac mortuorum Iudicem reliquiſti. Noueris igitur, nos amodo à te futuras extraneas, nec tecum de cætero aliquatenus moraturas.] Hoc verè erat temperato amore proſequi filium, & maritum. Et benedixit Deus ſancto affectui earũ: nam perculſus ea Epiſtola Iacobus, vt ſe matri & vxori extraneum vidit, æſtimans ex illius ſeparationis acerbitate, ſeiunctionem à Deo per apoſtaſiam; reſipuit, & mutatus in virum alterum, deteſtanſque ignauiam ſuam priorem, fortior ex alliſu ſurrexit, factus fortitudinis in perpeſſionibus pro Chriſto, ſpecimen planè ſingulare.

Non alium affectum erga coniugem S. Adrianum nobiliſſimum ac elegantiſſimum iuuenem, prodidit ſancta Natalia, & ipſa nobiliſſima, & eo viro per omnia, digna coniux, cum per errorem arbitrata ipſum eiurata fide domum regredi, ad primum eius conſpectum, poſt amariſſimas lachrymas, abiectis quæ manu tenebat, accurrens ad occludendum domus oſtium, erupit in voces, quas ei Acta S. Adriani, & Ado in Martyr. 8. Sep. ingerunt. [Longè efficiatur à me hic qui corruit, & mentitus eſt Domino Deo ſuo. Non loquatur mihi, nec audiam linguam, quæ doloſè egit in conſpectu factoris ſui, O ſine Deo, præ omnibus hominibus: quis te coëgit apprehendere opus, quod non potuiſti perficere? Quis te ſeparauit à ſanctis, aut quis te ſeduxit vt recederes à conuentu pacis, vel repauſationis? Dic mihi, quare in fugam conuerſus es, antequàm fieret pugna? Quare proieciſti arma, antequam videres hoſtem tibi repugnantem? Quomodo vulneratus es, necdum emiſſa ſagitta? Non eſt mihi conceſſum, vt vocarer vxor Martyris, ſed vt dicerer coniux tranſgreſſoris. Quid faciam infæliciſſima, quæ coniuncta ſum impio? Ad horam fuit exultatio mea, & ecce per ſæculum erit opprobrium meum.] Affirmantem verò ſanctum virum, ſe non eſſe de conſtantia deiectum; Vide (inclamauit Natalia,) quomodò me ſeducit tranſgreſſor? Ecce quomodò mentitur alter Iudas. Recede à me homo; nam ante meipſam interficiam, quam tibi ſocier.] Non amabat iſta virum intemperatè, & ſupra Deum, quæ ſic auerſabatur auerſum à Deo, vt per errorem exiſtimabat. Quo errore fæliciter ſoluto, accidens ad viri pedes, eique ad certamen ſacrum comes facta, excluſis poſt aliquot dies à martyrum miniſterio piis mulieribus decreto Maximiani, tonſis capillis, & virili habitu aſſumpto, ſexum alterum ementita, continuauit pium ſtudium erga virum: & ignitis alloquiis incendens illum, & ad forte certamen aptans: Quinetiam imponens pedes incudi, in qua vecte ferreo illiſo, confringendi erant, & manum quæ amputanda ad plenam cum ſociis in martyrio ſimilitudinem, ſupererat, exerto viri brachio carnificibus truncandam exhibens. Sunt hæc in muliere, & iuuene, & opibus affluente;

tione Draconis: Miſerere mei dulciſſime, ſimul & tui Miſerere communibus liberis, quos conſpicis ipſe. Non ſubiaceant conditioni ſeruili, quos claros proſapia reddidit generis noſtri. Non ſubiicias ego indigno & turpi coniugio, viuente marito; quæ nuper inter coæuas plaudebant de Saturo meo. Cognoſcit Deus, quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntarie aliquanti fecerunt. Cui ille, Iob ſancti, voce reſpondit. *Tanquam vna ex inſipientibus mulieribus loqueris.* Formidarem mulier, ſi ſola eſſet huius vitæ amara dulcedo, artificio coniux, diaboli miniſtraris. Si diligeres maritum, nunquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum. Diſtrahant filios, ſeparent vxorem, auferant ſubſtantiam, mei domini ego ſeruus de promiſſis, verba tenebo: Si quis non dimiſerit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus. Quid vltra? Diſcedente muliere cum filiis refutata, confortatur ſaturus ad coronam.]

In eadem Africa, frater fratri quem audiuit & firmauit titubantem, factus eſt veluti Saluator; & exemplo ſuo, & vocibus quibus ſe, fratrem tantùm in Chriſto amare, teſtatus eſt, ſubduxit exitio. Sic enim ſcribit Victor agens lib. 3. de geſtis in cauſa Dei apud Tamburienſem ciuitatem. [Vbi duo germani Aquiſregienſis ciuitatis, ſibi ſecuri de Domino inuicem iurauerunt, & rogauerunt tortores; vt vna pæna, parique ſupplicio torquerentur. Et dū primo in pendio, molibus lapidum pedibus alligatis, tota die penderent, vnus illorum petiuit ſeſe deponi, & ſibi inducias dari. Cui frater alius, metuens ne fidem negaret, de ſuſpendio clamabat: Noli noli frater; Non ita iurauimus Chriſto. Accuſabo te, cum ante thronum eius terribilem venerimus: quia ſuper corpus eius & ſanguinem iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur. Iſta dicens, & alia multa, confortauit germanum ad prælium paſſionis. Qui clamans ingenti voce dicebat: Adigite ſuppliciis quibus vultis, & pænis Chriſtianos arctate crudelibus. Quod frater meus facturus eſt, hoc etiam ego. Quantis iam laminis ignitis adusti ſunt, qualibus vngulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipſa res docet, & quos eos ipſi tortores à ſua facie proiecerunt dicentes: Iſtos imitatur vniuerſus populus, vt nullus ad noſtram religionem penitùs conuertatur; & præcipuè quia nulli liuores, nulla pænarum veſtigia, in eis penitùs videbantur.]

Euertere cogitans SS. Martyrum conſtantiam Satan, hunc ſæpè arietem pietatis admouit; ſed quàm caſſo euentu, doceo verbis Sancti Auguſtini ſerm. 185. temp. Agens enim *de mero Dominicæ Charitatis*, & nouo vino miſſo in vtres nouos, ſubdit. [Hoc ſpiritali mero calebant martyres, quandò abiicientes & poſt ſe iactantes omnia ſæculi blandimenta, ibant ad paſſiones, obliuiſcentes facultates, & affectiones, patrimonia, ac matrimonia ſua, & vincentes armatam contra ſe paruulorum pignorum fletibus pietatem; vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita ſua, & matres facies ſuas auulſis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrij non videbant, nec cognoſcebant ſuos; quia infuſo præcordiis ſuis ſpiritu ſancto, ad dolores, ad ſupplicia, tanquam ad conſolationes & ad præmia, feſtinabant.] Haud aliter ſermone de Natali SS Martyrum, in append. Pariſ. ſ. 10. ex 11. ac nominatim S. Marinianum collaudans, deſcribit fontem vitæ; è quo non ſecùs ac è variis fontibus apud Plinium lib. 2. cap. 103. bibentes inebriantur. [Hinc ergò Martyres noſtri, hinc bibetunt, hinc ebriati non agnouerunt ſuos. Quam multos enim Martyres ſanctos putamus, propinquante paſſione, blanditiis ſuorum fuiſſe tentatos, conantium eos ad huius vitæ tempus, ad talem, & vanam & fugitiuam dulcedinem reuocare? ſed illi qui de fonte qui eſt apud Deum ſitiebant, & biberant, & inebriati erant, Chriſto confitendo mactabant ſuos carnales, & vino erroris ebrios, malè amantes, & ſuadendo à vita reuocantes, non attendebant, non cognoſcebant.] Ordinarunt hac ratione SS. Martyres charitatem ſuam, de quo luculenter agit ſerm. 31. ex 40. nouis. Alibi idem D. Auguſtinus, monſtrans ex ea ordinatione factum, vt patre, vxore, filio blandientibus, ne morerentur; & blandiendo facientibus vt morerentur, impeditam eſſe labi humanam mollitiem, reſtricto carnali affectu, quaſi ſinu fluentis veſtis, virtute Spiritus ſancti; ne ſcilicet veſtimentum, quod corpus eſt, terram verrens & carni ſe dedens, ſordes contraheret, ac inquinaretur. Reſtrinxit nominatim veſtem ſuam, & nitentem ſeruauit, S. Thomas Cantuarienſis, cum Henrico ſecundo Anglorum Rege in eum furente, exularet Pontiniaci. Gnarus enim malignitatis in ſanctum virum primarius artifex Satanas, quanta ſit ad emolliendum hominis animum, in carne & ſanguine efficacia, ſuggeſſit impio Regi. Si vellet ſanctum Antiſtitem infl ctere, vt ſpoliatos bonis omnibus cognatos eius vniuerſos, nulla ætatis, aut ſexus ratione habita, tranſmitteret ad illum, proſcriptos Angliæ regno vniuerſo. Sed quanquam ea ſpecies calamitoſiſſima, ſancto viro ingens cordolium creauit; tamen robore, & plusquàm ære triplici de cælo munitus, non reſpexit carnem & ſanguinem; ſed fortis perſtitit in Dei cauſa. Et Deus, Francorum Regem, ac Franciæ proceres, deteſtatos maligniſſimum conſilium, excitauit vt liberaliter ad eum tranſmitterent, quibus & ſe, & ſuos in ſubita ex magnis opibus ad ſummam egeſtatem deiectione leuaret. Tanti apud Deum & homines fuit, ſancti Antiſtitis, à ſuis propter Deum abiunctio.

SECT. II. CAP. VI. *Exempla collata in martyrio coniunctionis.*

Eodem diabolico ſpiritu quo Henricus ſecundus in Thomam, actus poſtea in Thomam Morum glorioſum Chriſti pugilem, Henricus VIII. Vt pectus illud emaſcularet, vxorem ei adhibuit pellectricem; id quod æque circa Iobum pro extrema machina aduersùs eum, admota vxore, factum à Satana, obſeruarunt, creditus Origenes, lib. 1. in Iobum, Nazianzenus in Athanaſij laudat. Chryſoſtomus hom. 3. in Iobum, Gregorius 3. moral. cap. 6. & alij.

CAPVT VII.

Facta viuorum in Chriſtiana pace Martyrum, temperatum ſuorum amorem, & ſanctam ab eis abiunctionem teſtantia.

ADhibeo Caſſiani coll. 18. cap. 7. de Religioſis loquendi modum: Nec immeritò. Nam contermini ac ſuppares ſunt, (ſæpè in hoc opere monui, & latè confirmo alibi, 1. p. de Martyr. cap. 3.) Martyribus ferro cæſis, & morte corporea conſummatis, Religioſi tanquam Martyres viui, diuturno perfungentes martyrio. Itaque ſeriem ſanctorum Confeſſorum, qui in lege Euangelica, factus egregiè teſtati ſunt ſuam à cognatis pro Deo ſeiunctionem,

SECT II CAP VII. *Abiunctio à cognatione, in pace Eccleſiæ.*

ſeiunctionem, conficiam opportunè hoc loco; poſt eundem ſpiritum fidei, in SS. martyribus exhibitum.

Religioſi, in auulſione à ſuis, Martyrum ſuppares.

SAnè S. Auguſtinus ſ. 188. de temp. cum deſcripſiſſet reple os & inebriatos nouo vino Dominicæ charitatis in Pentecoſte SS. Apoſtolos, in pœnas & ſupplicia vltrò irruentes, ſubdit. [Iſtud verò vinum, non putemus, ſolos tunc Apoſtolos ſuſcepiſſe. Hoc multo inflammantur, & hoc præclare poculo quotidie inebriantur, etiam corda fidelium, & animæ conuertentium. Quod frequenter fieri videmus, quandò pro deſiderio ſalutis ſuæ, parentes & patriam ſuam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terra, & de cognatione ſua: & mortui huic mundo, alios ſpiritualiter animarum inquirunt parentes; & liberi ſub iugo veniunt, & paulo ante elati atque ſublimes humilia affectant: ſuperba faſtidiunt, & cupiunt eſſe quod ante deſpexerant, & odiſſe incipiunt quod fuerant: præſentium hoſpites, futurorum appetitores, æternam illam patriam, contempta temporalium falſitate ſuſpirant. Hoc itaque muſto ſpirituales animæ inebriatæ, & penitus commutatæ abſtinentiam delitiis, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem diuitiis anteponunt. Arduum contra vitia laborem, iucundiſſimam computant voluptatem. Dulceſcunt eis vilia, & quæ prius fuerant pretioſa vileſcunt; diligunt inimicos ſuos; & benefaciunt iis qui ſe oderunt; non conuiciantur indignantibus, non irritantur in opprobriis; non frangantur in iniuriis. Prorſus hominum nihil ſentiunt, propter feruorem ſpiritus ſancti, & propter æternam retributionem.] Hæc de *conuertentibus*, hoc eſt de ineuntibus Religionem dicuntur. Nam ita patet ex S. Iſidoro, l. de conuerſis & ex Saluiano l. 4 in opere ad Eccleſiam, vbi alloquens eum qui religioſus factus erat, nec viuebat digne ea profeſſione, ait. [Licet de conuerſorum venerabili choro eſſe videaris, licet religionem veſtibus ſimules, licet fidem cingulo adieras, licet ſanctitatem pallio mentiaris, non credis omnino, non credis.] *Conuerſus* ergò dicebatur qui Religioni adſcriptus iam erat; *conuertens* verò, ab Auguſtino dicitur, qui ſecedens à ſeculo, exit de terra, & cognatione ſua; & relictis ſuis ad Deum ſe vertit, ſanctè abiunctus à carne & ſanguine.

Sylua veterum exemplorum, ad rem propoſitam.

ADdenſantur piæ huius abiunctionis exempla antiqua, à Ruffino l. 3. vitæ Patrum n. 31. Et præter cætera adducit Piorem quondam B. Antonij diſcipulum, hominem abſtinentiſſimum; quippe qui per annos triginta, falſa tantum & amara vſus erat aqua, nec niſi pertenui cibo vtebantur. Is per triginta & amplius annos ex quo lares paternos deſeruit, nunquam adduci potuit ad viſendos propinquos. Et cum nepotes eius ex ſorore, ad illum veniſſent, miſſi à matre expetente eius colloquium, planè abnuit. Vnde nepotes adito B. Antonio, conati ſunt exorare quod poſtulabant. Pior, tametſi iubente B. Antonio, perrexit cum ſocio ad locum & domum ſororis: tamen ad fores, propè atrij ianuam ſtans, clauſis oculis ſorori ſe videndum obiecit, & iuſſam exſatiare ſe viſu, illicò deſeruit remigrans in cellam ſuam: Statuens Monachis exemplum, (vt Ruffinus ait,) ægrè adeundi propinquos. Et ex eadem cauſa (vt idem Ruffinus addit, ibidem num. 32.) Abbas Ioannes, ſorori Sanctimoniali à qua eruditus fuerat in via Dei, poſt annos quatuor ſupra viginti quibus frater in monaſterio hæſerat, vrgentiſſimè per multiplices literas poſtulanti, vt eum videret; idque ſi negaret, venturam ſe ad eum in eremum confirmanti; intercludendo cognatorum in eremum aduentui, ad ſororem cum duobus aliis Monachis profectus, ſorori ſe ſtitit incognitum; & per ſocios ſilente ipſo, ne ex voce dignoſceretur, obiter ſalutatam, dimiſit, obfirmate deinceps renuens, interpellantem pro viſitatione audire. Perfectiùs alia ſanctimonialis, num. 33. fratrem Monachum viſitationis cauſa ad ipſam profectum, repulit; dicens ſat eſſe quod mutuo aſpectu fruituri eſſent in futuro ſæculo. Abbas verò Theodorus, num. 34. magni Pachomij diſcipulus, ſororem ad ſe venientem, videre noluit renuncians illi per duos Monachos ianuæ cœnobij excubitores, ſe quidem viuere; & id ſcire, ſatis eſſe ſorori poſſe. Satius autem facturam, ſi vanitates ſæculi faſtidiens, diuino ſe obſequio addiceret: quod illa in lachrymas ſoluta, mox eſt executa, ſubiens Parthenonem, qui in eodem vico erat. In quem item Parthenonem, paulò poſt, admitti voluit Theodori mater, cum munita Epiſcoporum literis, fruſtra tentaſſet videre filium, etiam interpoſita ſancti Pachomij adhortatione renuentem, hoc (vt aiebat), eneruati vigoris exemplum, aliis monachis præbere, ſi matrem videre & affari acquieſceret, poſt tot annos religioſæ militiæ. De Marco Abbatis Syluani diſcipulo, tantæ obedientiæ viro, vt vocatus, literam O inchoatam non perficeret, proditum eſt lib. 5 vitæ PP. numer. 6. cum ad matrem enixè id poſtulantem, è coquina cui inſeruiebat, iuſſu Abbatis veniſſet, ſacco detrito amictus & fuliginoſus, clauſis oculis ſalutem matri precatum, moxque digreſſum, matri quæ illum eſſe filium ſuum non aduerterat, ſatis à ſe factum dixiſſe, ac ne denuò ad eam venire adigeretur, magnis precibus à Siluano exoraſſe. Marciani viri ſanctiſſimi ſublimiſſimam hac in parte perfectionem, demiratur Theodoretus cap. 3. quod ſororem fæminam vrbis Cyri facilè principem, ad eum viſendum cum filio progreſſam, videre noluerit; nepotem autem admiſſum ad colloquium, & piis monitis inſtructum, remiſerit intactis prorſus quæ ad eum ſoror, & nepos attulerant. [Ita erat extra naturam, & in cæleſtem migrarat viuendi rationem,] inquit Theodoretus; Deo digniſſimum fuiſſe concludens, qui tam accurata exactaque vitæ ratione vtens, cognatos pro Deo ſic abieciſſet.

Recentiora temperati amoris cognatorum, exempla, pauca de multis.

ALia ſimilia priſca exempla, dimitto. Poſterioribus temporibus micuit inſigniter hæc à cognatis abiunctio in S. Adelhardo Abbate Corbeienſi e Regio Francorũ ſanguine. Paſchaſius Rathbertus ſcriptor grauis & illuſtris, accuratè deſcribit ardens ſtudium, quo vir Dei tenebatur ſecedere à cognatis, & triſtitiam ingentem quæ illum occupauit, cum Regiis nunciis adactus eſt ad ſuos reuenire. Exclamat his narratis Paſchaſius. [Audiant huiuſmodi virum, noſtri conciues Monachis

nachi, qui poſt ſe ſæcularium greges trahunt. Audiant inquam, quod non ſatis totum ſit, ſuorum ſe detineri parentum affectibus. Chriſtus ergò matrem neſcit, & ignorat fratres, vt veram nobis mentis oſtendat fraternitatem. *Si quis,* (inquit,) *fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Deinde reuocat diſcipulum ab officio funeris, ne panem liceat ſepelire, debito carnis iure. *Sine,* (inquit,) *mortuos ſepelire mortuos ſuos; Tu autem ſequere me.* Hoc igitur totum nouerat prius ſenex noſter: & ideò fugere ſuſtinebat è medio ciuium ſuorum. Recordabatur namque, quod IESVS non ſit ſigna operatus in patria ſua, neque Propheta ſit ſine honore niſi in proprio ſolo. Hic autem honore mundi expoliatus, idcircò feſtinabat exire charorum vinculis, vt verè poſſet ſibi mentis honorem adſciſcere; atque vt altiùs dicam, Angelicam in terris degerere vitam.] Angeli verò ſicut non nubunt, neque nubuntur, ita cognationum nomina ignorant, nec vllos habent, quorum ſtudiis à ſpirituali vita auocentur, & temporalibus diſtineantur: quod ipſum egregie erga ſibi ſanguine iunctos præſtabat, & alios præſtandum docebat, Sanct. Adelhardus.

Sanct. Thomas Aquinas, adeò ab affectu immodico cognatorum abhorruit, vt cum proficiſcens ad Lugdunenſe Concilium incidiſſet in morbum, ex quo obiit, non diuerterit ad potentem Nepotem, in cuius magnifico hoſpitio exciperetur lautiſſimè, & beneuolentiſſimè: ſed ſeceſſerit in monaſterium vallæ nouæ Ordinis Ciſtercienſis, vbi ad Deum migrauit. Notauit hanc ſancti Viri in ipſo obitu à cognatis auulſionem, Ptolomæus Lucenſis in Annalibus. Quo ſuppoſito, valde hallucinatum eſſe oportuit, impium illum qui viro ſancto propinaſſe venenum fertur; gratificaturus (vt putabat,) Carolo I. Regi Siciliæ, cui Sanct. Thomas è gente Comitum Aquinatium alias quam Regis partes fouentium, erat ſuſpectus; ac etiam timori erat tanquam proximè prouehendus in Cardinalem, æquè ac promotus fuit Sanct. Bonauentura. Scribit iſta Ioannes Villani in Florentinorum hiſtoria lib. 9. c. 218. Nihil ſanè timendum erat, ab homine tantoperè auulſo à carne & ſanguine.

Sanctus Ignatius de Loyola, de neptis ſuæ coniugio cum certa perſona interpellatus, ab iis quibus non parum erat obſtrictus, alieniſſimum ſe ab eo ſtudio præſtitit, vt monſtrant literæ in eam ab illo datæ ad Ducem Naiaræ, quas exſcripſit Ribadeneira lib. 5. vitæ cap. 5. quo loco eundem Sanct. Ignatium, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, veluti alterum Melchiſedecum, dum ſuperſtes fuit, ſe geſſiſſe demonſtrant; & literas infrequentes à cognatis tranſmiſſas, igni ab eo traditas, docet. Auctor ſermonum ad Fratres in Eremo, ſerm. 40. *ad finem.* Adhibet ſimile exemplum Sanct. Antonij, quod tametſi non vſquequaque certum, cum antiquos rerum Sanct. Antonij ſcriptores latuerit: iuuat adſcribere, & factum Sanct. Ignatij cum Sanct. Antonij facto componere. Auctor ergò ſermonis, præmiſerat ſe monachos ſuos paupertati & orationi commendaſſe. [Quibus (inquit,) mediantibus, quinque ſenſus corporis extinguere potentis. Nam per hæc, præterita mala obliuiſcemini: cogitationes malæ non aſcendent in corda veſtra: affectio cognatorum, non regnabit in vobis Hæc enim ſunt, quæ quotidie Monachos cribrant, ſicut triticum. Iſtæ ſunt mordaces curæ, quæ ſanctum viri propoſitum eneruauerunt. Inter has vir ſanctus coquitur & cruciatur. Hæc ſunt Monachorum muſcæ mordaces & morientes, quæ perdunt ſuauitatem vnguenti. Hæc ſunt volatilia, quæ comedunt frumentum in anima ſeminatum. Vos autem fratres, dum hæc in corda veſtra aſcendunt, recurrite ad orationem, vel ad operis occupationes, ne vos ſerpentinæ muſcæ deglutiant. Numquid non ſic fecit ſanctus Pater Antonius? qui cum Epiſtolas à charis ſuis in ſæculo morantibus recepiſſet, nullam legere voluit, ſed receptas in ignem proiecit, dicens, Chartæ fallaces eſtis, & plenæ mendaciis, comburo vos, ne comburar à vobis.]

B. Franciſci Borgiæ ex Duce Gandiæ Societatis IESV Præpoſito Generali, eximia perfectio in abiunctione à ſuis, accuratè à Petro Ribedeneira in eius Actis annotatur. Et multa quoque particularia Victoriæ de neceſſariis, à B. Franciſco reportatæ ſpecimina, ſignat Sachinus in Societatis IESV hiſtoria tom. 3. l. 8. n. 124.

Nec ſexui infirmiori, defuit hac in parte robur & animus. Exemplum S. Paulæ, à D. Hieronymo in eius Epitaphio, his verbis proponitur, cum deſcribit eius ſeceſſionem à ſuis, & à patria, vt mundo calces illideret. [Deſcendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius eſt, liberis proſequentibus, & dementiſſimam matrem vincere cupientibus. Iam carbaſa tendebantur, & remorum ductu, nauis in altum protrahebatur. Paruus Toxotius ſupplices manus tendebat in littore, Ruffina iam nubilis, vt ſuas expectaret nuptias, tacens fletibus obſecrabat; & tamen illa, ſuos ad cælum tendebat oculos; pietatem in filios, pietate in Deum ſuperans. Neſciebat ſe matrem, vt Chriſti probaret ancillam. Torquebantur viſcera, & quaſi à ſuis membris diſtraheretur, cum dolore pugnabat; in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret charitatem. Inter hoſtium manus, & captiuitatis duram neceſſitatem, nihil crudelius eſt, quàm parentes à liberis, ſeparari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur; imò gaudens animus appetebat, amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens.]

CAPVT VIII.

Senſus externorum, quâ dictis, quâ factis expreſſus de neceſſariâ ad virtutem perfectam, temperatione affectus erga cognatos, & propinquos.

VOlo quoque aduocare in rem præſentem, iudicia externorum. Nam etſi non eſt obſcurum, quàm oblæſa fuerit eorum perfectio; ſitque extra dubium perfectam iuxta eos virtutem multipliciter ſorduiſſe; tamen vel illud ipſum parcum lumen, quod in tam denſis tenebris emicabat, demonſtrat, quàm naturali rationi congruat veritas pro qua ſatago; nimirùm quod temperandus ſit cognatorum amor; ita vt eo fractus, aut mollitus animus, nunquam à recto & honeſto deflectat.

SECT. II. CAP. VIII. Suffragium ſapientum Ethnicorum

Effata Ethnicorum de neceſſaria à cognatis abiunctione.

IAciebat hoc rectæ legiſlationis, ſiue rem publicam & politicam, ſiue rem militarem, ſiue iudicia ſpectantis, veluti fundamentarium principium Iulianus Imperator; orat. 2. confirmans eum demum haberi debere verum & æquum legum conditorem, qui nihil honeſto potius habeat. [Quare nihil ei iuris & æquitatis cura, eſt antiquius: nec ei parentes, aut propinqui, aut amici perſuadere poſſunt, vt ipſis gratificari velit, ac iura prodere. Etenim hoc informatione quadam animi præſumit, communem quandam omnium domum eſſe patriam ac parentem: quæ & amicis ac genitoribus antiquior atque ſanctior ſit, & fratribus, atque hoſpitibus, & amicis charior: cui legem eripere ac violare, atrocius eſſe crimen exiſtimat, quàm in ſacris pecuniis ſacrilegum videri. Eſt enim fœtus quidam iuſtitiæ ſummique illius Dei ſacrum quoddam ac verè diuinum donarium, quam nemo ſui compos parui faciet, ac contemnet.] Nimirùm lex eſt radius fontalis illius lucis à Patre luminum per omnia creata manantis; cui ſe conformare, eſt ipſi Deo inhærere, ſignanti in nobis illud lumen vultus ſui. Ab ea verò diſſentire, perinde eſt, ac in auctorem eius & ſatorem Deum incurrere. Atque adeò decretum mandans legem ſuper quoſuis propinquos charam habendam, affine eſt & proportionale ei Chriſti oraculo, de propinquis & neceſſariis ſupra Deum non amandis; & omni iure ac nexu cognationis, poſthabendo nexibus quibus Deo aſtringimur, & iuribus omnium neceſſitudinum iure præſtabilioribus, ipſummet eſſe noſtram conſequentibus; quibus vinculamur naturæ auctori.

Conſentiunt in hoc fundamentario humanæ ſapientiæ principio, quotquot inter Ethnicos probi ac ſapientes audiuere; tametſi interdum ſubob{ſ}curiùs ac indiſtinctiùs loquentes, videntur ſiſtere in bono publico legibus præfixo, ad quod omnia dirigere, & vniuerſam honeſtatem admetiri; ſolet profana ſapientia. Sed non idcircò cenſenda eſt excludere relationem boni publici ad vltimum finem, à quo quicquid aberrat, vanum eſt & inane. Itaque meritò ſtatuo eam inſediſſe omnibus retrò Ethnicis ſapientibus ac probis ſententiam; nullius quantumcunque propinquæ neceſſitudinis vinculum, eò pertrahere hominem debere, vt contra inſculptam nobis Dei manu legem, aliquid faciat, aut prætermittat; quod eſt habere eum temperatum ſuorum amorem, cui confirmando nunc inſiſto.

Diuine hoc tradit Hierocles, aduerſ. 4. Pyth. his præter cætera. [Maioribus bonis propoſitis, maiora minoribus præferri oportet, quando vtrumque ſeruare non licet. Vt, honeſtum quidem eſt obedire Deo, obedire & parentibus; ſi vtrorumque præceptum & ſuadela ad hoc tendit, firmum erit, & lucro adſcribemus. Sed ſi ad aliud nos ducat diuina lex, ad aliud nos ferant præcepta parentum, in hac voluntatum diuerſitate, Deum præferri ſemper oportebit: in iis ſolùm parentibus non obtemperantes, in quibus ipſi diuinis legibus non obediernnt. Fieri non poteſt, vt qui virtutis normam ſeruare ſtudent, cum illis conueniant, qui à virtute aberrarunt. In cæteris verò omnibus, maximè parentes colemus, &c. Iuſtum enim eſt ac rectum, vt ab illis commoditatem capiant quos genuerunt & nutriuerunt. Id verò quod ab illorum acceſſione non dependet, ab eorum dominatione liberum lex relinquit, quæ verum patrem quærere iubet, illumque amplecti, & vt ſimilis illi fias, maximam diligentiam habere.] Subiungit, vel ſi mors ingruat, refugiendam non eſſe corporis cladem; quod ſolum à parentibus habemus, vt animus qui ex Deo eſt, diuinis legibus non violatis. Deo cui ſoli eſt obnoxius, fidem ſeruet. Concludit denique his aureis verbis. [Parentum igitur horror erit, quem intentio ad virtutem tradit.] Id verò multò magis vrget circa alios cognatos ac barbarè & largè vocatos *parentes*: quibus certum eſt minus deberi, quàm ſtrictè dictis *parentibus*. Atque adeò ad hos quoque expreſsè doctrinam illam ſuam accommodat Hierocles. Et planè ſimilia petere licet ex Simplicio, ad cap. 37. Enchir. Epict. Patrem animorum patri corporum per omnia anteferendum ſtatuente: ita vt quoties pater carnis contra legem, id eſt, contra Dei legum auctoris iuſſa, aliquid à filio expetierit: (multò magis cognati reliqui, non adeò cuique intimi;) repellatur, & pro extraneo habeatur, atque tractetur.

Multi, in ſuos quoque ſæui, cum res tulit.

INhærentes huic principio pleriqne, quorum magna fuit inter Ethnicos gloria, apud Valerium lib. 5. cap. 8. etiam in liberos, cum ita tulit publicum bonum, ſæuire non dubitarunt, cognationem poſthabentes communi ſaluti & bono. Fecit hoc Iunius Brutus, qui & filios occidit, & Tarquinium conſanguineum ſuperbi Tarquinij filium cæcidit, quod libertatem patriæ ab eis depugnatam, vellet incolumem. Poëta tamen, referente & ſuffragante non ſemel D. Auguſtino 3. Ciu. cap. 16. & l. 5. cap. 18. infælicitatis damnans eam Bruti in ſuo, ſæuitiam, quomodolibet eum celebraturi eſſent poſteri, amorem patriæ, laudum immenſæ cupidini à Bruto prætentum, ſignificauit 6. Æneid. Nec minùs aptè idem diceretur de Manlio Torquato, cuius item meminit Maro, & D. Auguſtinus ex cap. 11. à quo filius Victor interfectus eſt, quod iniuſtus pugnaſſet cum hoſte prouocatore. Quamvis enim prætexuit publicum bonum, ex ſeueritate in accurata obſeruatione militaris diſciplinæ: tamen in illis adiunctis, inſana & immenſa (quia præter menſuram debitam,) cupido laudis, videri potuit trucem hominem eo potiùs perpuliſſe, quàm deſiderium communis boni. Geminum planè eſt exemplum Steſibroti, ab Epaminoda patre ex eadem cauſa cæſi. Apud Plutarchum Caſſius ſignifer, extremo ſupplicio in filium animaduertit, ob pactam cum Latinis, quibuſcum bellum gerebatur, proditionem. Similiter Ageſilaus Lacedæmonius, filium Pauſaniam à Xerxe quinquaginta auri talentis corruptum, fame conſumpſit in templo Palladis. Æquè Darius Ariobarzanem filium cum Alexandro de prodenda patria pactum, letho dedit. Temedius Rex (Heraclides in Politiis & Stephanus de vrbibus, Tennem vocant,) legem tulerat in adulteros vt vtriuſque corpus ſecuri concideretur: ideóque in numiſmatis parte, binos vultus ex eadem ceruice prominentes: in altera ſecurim inſculpi curauit. Eius pœnæ ſpecimen in filio edidit: Vt

Vt & Zaleucus Locrenſis decretam eidem ſceleri vtriuſque oculi effoſſionem, fatigatus precibus populi, non temperauit, niſi vno ſibi, altero filio auulſo oculo. Omnes hi, aliique plane multi, anteferendum eſſe cognationi bonum publicum, factis docuerunt.

Simiæ Religioſorum in Ethniciſmo, abiunctæ à ſuis.

PRopiùs ad cauſam abiunctionis Religioſorum à ſuis in qua verſamur, accedit exẽplum ſacrorum inter Ægyptios hominum de quibus ex Chæremone Stoico Porphyrius lib. 4. de abſt. Eos quippe inter Ægyptios, Philoſophorum titulo claros, ait in ſola diuina intentos, & quieti philoſophiæ deditos frequentiam extra celebritates deuitaſſe; nec cum vllo ferè verſari ſolitos, qui ex eorum cætu non eſſet, cum degerent ipſi in templis ad quæ nulli patebat aditus niſi puro, & præmiſſa abſtinentia multiplici; quod extra celebritates vix vlli cæterorum obtingebat. In illa quiete & receſſione, omnibus humanis opificiis laboribúſque repudiatis, ſoli Deo & contemplationi nauabant operam, exortes auaritiæ, & inconditi cuiuſuis affectus; parſimoniæ autem & continentiæ per omnia addicti. In ipſo autem caſtimoniæ & purificationis tempore, tanta erat illorum receſſio, vt ne cum maximè quidem ſibi cognatis conſueſcerent; ægrè ſe vlli dantes in conſpectum. Omni porrò tempore venerabiles & habitu, & inceſſu, & modeſtiſſima compoſitione externa erant. Subdit Porphyrius ex eodem Chæremone, longam recenſionem imbonitatum & aſperitatum, quibus macerabant corpora, in cibo pertenui, & multipliciter reſtricto, in lecto, & ſomno, aliiſque omnibus exigendæ vitæ adiunctis. Diceres, cum Therapeutas noſtros qui aſperitate vitæ maximè celebrantur, exprimere voluiſſe; non Ethnicos ſuperſtitionibus implicitos; & ad animalium tanquam Deorum cultum ſupremum, fœdè adductos, quod ibidem minutè refertur. In præſentia ſufficit, notaſſe tantùm abiunctionem harum religioſæ vitæ ſimiarum, à cognatione ſua, præſertim cum maximè pij videri volebant.

In alio verò confictæ religionis exemplo, quod eodem opere Porphyrius ex Bardeſane oculato teſte adducit, adeò expreſsè reſpondent omnia inſtitutis ſacris Aſcetarum Chriſtianorum, vt vix poſſit eſſe dubium, quin Satan verorum Dei colendi rituum mimus, ad eorum depreciationem (vt Iuſtinus dialo. cum Tryphone, ſimili cauſa admonuit,) antiſtropham illam viuendi rationem effinxerit. Secernit Bardeſanes, Brachmanes à Samanæis, quamuis vtrique eſſent apud Indos Philoſophi, & Aſcetæ à ſæculo ſegreges. Nam Brachmanes, erant omnes vnius generis; ac vniuerſi ex vnius patris, & vnius matris Origine deducebantur: & alij apud Gangem fluuium degebant, in multa omnes victus parcitate & abſtinentia, maiorem diei ac noctis partem hymnis numini pangendis, ac fundendis precibus exigentes, ſinguli in propriis tuguriis manebant, & quàm maximè fieri poterat, ſoli morabantur. Simul enim verſari, & multum colloqui, pro noxa habebant; vel ſi quando adacti neceſſitate aliqua cum aliis eſſent verſati, & ſilentium ſoluiſſent, receſſione inde facta, per multos dies ſoli ac ſilentes degebant. Itaque conuerſatio eorum cum ſanguine iunctis, extra eos qui ad eundem ſacrum cætum pertinebant, vel nulla vnquam erat, vel perrara. Late de Brachmanibus, creditus Ambroſius, longa Epiſtola de moribus Brachmanorum, & Philoſtratus in Apollonio.

Samanæos, addit Bardeſanes, ex omni Indorum gente eligi ſolitos; non vt Brachmanes ex vnica familia. Allectio verò Samanæorum in ſacrum ſuum Collegium, præuium habebat acceſſum ad principem aliquem Ciuitatis, aut vici: apud quem bonis ſuis ac facultatibus repudiatis, ac ſuperuacua omni corporis parte detonſa, qui electus erat, ſtolam accipiebat, atque ita nulla neque vxoris, neque liberorum (ſi fortè adeſſent,) ratione habita, quaſi ad ſe nihil omninò amplius attinerent, Samanæis adiungebatur. Regi liberorum eius educandorum, cognatis cura vxoris relinquebatur. Extra vrbem porrò commorantes, totos dies ac noctes in diuinis colloquiis traducebant; ad tintinnabuli ſignum precantes, & ad menſam conuenientes ſingulis lance oblata; nam duo ex eodem vaſe non comedebant. Viuebant omnes in ſumma apud populos, ipſumque Regem veneratione: Et ita tædebat illos humanarum rerum, vt vitam quoque ipſam faſtidirent, aſpirantes ad æternam & fælicem vitam, cuius perſuaſione imbuti erant. Mortui autem celebrabantur ab omnibus; nec ſecus dimittebantur è vita hac caduca & ærumnoſa; quàm alij homines, ſuos quiſque ciues in non admodum longinquas peregrinationes dimittunt: Quin potiùs deplorabant ſuperſtites ſortem ſuam, quod illis in beatam ſortem receptis, ipſi in terreſtribus hiſce vliginibus retinerentur. Hæc ſummatim ex Bardeſane, de Indorum veluti Religioſis perſtricta; apertè docent, abiunctionem à cognatis, vmbraticæ illi religioni adeò commendatam, verorum inſtitutorum Religioſorum profeſſoribus, cordi eſſe oportere, ſi velint eſſe quod dicuntur; hoc eſt non tenus, aut ſolo nomine, ſed reipſa à ſæculo ſegreges; & frui iam ex hac vita pignore illius beatitatis, quæ pro Deo terrenam cognationem neſcientibus, & eius amorem debitè temperantibus, eſt repoſita: fruituris Deo, pleno ac puro bono, & habituris fructum in reſpectione ſanctarum animarum, vt ſapiens cap. 3. dixit. Quæ longè alia ſors eſt, quàm ea de qua ſibi applaudebat Socrates apud Tullium 1. Tuſc. geſtiens quod viſurus eſſet Orpheum, Heſiodum, aliosque, (vt putabat,) viros magnos atque beatos; reuera magnos vitiis, & infælices Tartari hoſtias.

CAPVT IX.

Neceſſitas temperandi affectum ſeruorum Dei erga cognatos, ratione aſtruitur.

NVc poſt tam multiplicem & diuinam, & humanam, & ſacram, & profanam auctoritatem ratione agendum eſt, iuxta ordinem tractand. à D. Auguſtino l. de ordine, præſcriptum, vt ratio aperiat auctoritas ianuam.

tu defuncti, à viuis videmus diſtare. Qui enim verè ſe iis quæ ex virtute ſunt certamina exercet, mundoque ac rebus mundanis omnibus nuncium remiſerit, quique, (vt plus aliquid dicam;) mundo ſeipſum crucifixerit; is mundo, & omnibus qui in mundo ſunt, mortuus eſt; ſiue illi parentes ſint, ſiue fratres, ſiue tertium, quartúmue, aut quemuis deinceps cognationis gradum obtineant. Siquidem, qui communis omnium eſt pater: Secundùm illum verò deinceps, is penes quem ſpiritualis viuendi ritus, moderatio eſt. Si verò in priſtina vitæ conſuetudine propinqui noſtri permaneant, ij pars mundi ſunt, à quo disiuncti nos ſumus neque vlla nobis cum illis neceſſitudo intercedit, qui externum hominem depoſuerimus, & propinquitate quam cum ipſis habebamus, exuerimus.] Et inferius. Argumentanti ex Apoſtolo, mandante curam ſuorum, & maximè domeſticorum; nec non ex Moſe, vetante auertere vultum à propinquis ſeminis ſui, reſpondet [Viuis dicta ſunt illa, non mortuis. Nam hi quidem, ab omni prorsùs huiuſcemodi debito, liberi ſunt. Tu autem mortuus es & toti mundo crucifixus. Reiectis enim vitæ huius diuitiis; ſummam paupertatem complexus es: cum teipſum Deo dedicaueris, in peculiarem Deo theſaurum, adſcitus es. Vt mortuus, liberes ab omni in propinquos tributi collatione: vt nudus omni rerum poſſeſſione, nihil iam habes quod largiaris.]

Inſiſtit iiſdem veſtigiis Petrus Bleſenſis Epiſtol. 134. agens cum Gulielmo Abbate Sanct. Mariæ. [Sine (inquit,) mortuos ſepelire mortuos ſuos: fallax & proditoria eſt affectio parentelæ. Carnalis amor, extra Dei amorem, citò te rapiet: & affectio mundi, quæ iam in te aruerat, in perniciem animi reuireſcet. Mortuus es mundo, & parentibus tuis, atque complantatus es ſimilitudini mortis Chriſti, & vita tua abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Noli iterùm in ſæculo viuere, & arma victoriæ reddere inimico. Verbum Hieronymi eſt; Tenet hoſtis gladium, vt me perimat, & ego de parentum lachrymis cogitabo? Ero de parentum ſepultura ſolicitus, quem ſolicitari oportet, ne ſepeliar in inferno?]

Religioſi intemperantè ſuos amantis, Satanica reſurrectio, & regreſſus ad ſæculum.

ITaque Religioſus quiſque, recogitàns ſtatum ſuum, & vi illius mortuum ſe mundo, & omnibus quæ extra Deum ſunt recordatus, propinquos ſuos atque cognatos, non niſi quatenùs reperiri intra Deum poſſunt, amore proſequetur; nec patietur ſe ob fratris, ac ſororis, & ſimilia, (vt cum Nazianzeno orat. 3. dicam,) *paruarum neceſſitudinum nomina*, de ſtatu ſuo exturbari, & iam mortuum, iam ſepultum, ſatanico miraculo ad vitam ſæculi reuocari; ea curaturum quæ curant qui mundo viuunt ac ſibimet ipſis. Sic enim remiſſa quiete, & aſylo ſepulturæ moralis ac myſticæ quam ſubierat, reuolueretur in vitam tumultuoſam, cum quà impoſſibile eſt vacare perfectè Deo; quæ tamen eſt Religioſi characteriſtica, & veluti differentia conſtitutiua. Impoſſibile inquam eſſe, hominem ſæculi curis diſtentum & circa cognatos negotioſum, vacare Deo, Sanctus Baſilius expendens illud Pſaltis, *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus*, egregiè monſtrat. Et bene quoque Petrus Cellenſis, Epiſt. 21. qui vigente Theobaldo Pariſienſi Epiſcopo, vt nonnulla contemplationis argumenta ederet, excuſans fluuium occupantium cauſarum, qui tranſuadari non poterat, ait; Nouit prudentia veſtra, non concurrere quietè contemplationis, & diſtenſionem mentis per occupationes ſæculi. Coangustatũ eſt pallium; vtrumque operire, immò vtrumque operari non valet. Quamuis enim in fronte duos quis habeat oculos, tamen ab vno eos officio diſiungere non valet, vt altero cælum, altero contueatur terram: quantò minùs vnam rationis & ingenij aciem, ſimul ad tam diuerſa porrigere poterit, vt eadem mente, cæleſtium myſteria & terrenorum cauſas diſcutiat? Sic Domine, ſic pater cariſſime, ſaltem niſi clauſero, ne dicam ſi eruero, oculum qui me ſcandalizat (ſcandalum enim eſt mundus quærentibus Dominum,) reuelata facie gloriam Domini, ſiue faciem Moyſi ſplendidam, non contemplabor.] Scitè idem Cellenſis Epiſt. 65. Ob hanc cauſam, vocat vrbem Pariſienſem *exilium animarum*; quia in tanta vrbis populoſiſſimæ frequentia, vndique ac fluctibus incolas exagitantibus, impoſſibile erat euagari, & hærere contemplationi affixum.

Perſpicuum ergò eſt, Religioſum amore cognatorum curis ſæculi implicitum ac negotioſum, amiſſa ea ſublimitate, quam Religioſus ſtatus ritè initus confert, deiici ad ſæcularem ſtatum ſeruilem, vt optimè attigit S. Pachomius agens cum Theodoro Monacho, quem mater munita Epiſcoporum literis, videre expoſcebat, admodùm renuente Theodoro, & flagitante interponi à S. Pachomio ad actionem. Sed renuit iuuenem adigere S. Pachomius, ſic eum affatus, vt habent illius acta cap. 33. [Si probas id tibi non expedire, fili mi, non te cogo. Hoc autem eorum eſt, qui perfectè renunciant huic mundo, & ſeipſos ſibi penitus abnegant. Oportet enim Monachos, inutiles & ſæculares ſalutationes, & colloquia vana diffugere: & his qui membra Chriſti ſunt, pia mente ſociari. Si quis autem paſſione quadam ſæculi captus, dicit; parentes, caro mea ſunt; eos diligere debeo: audiat B. Petrum Apoſtolum prædicantem; *A quo quis ſuperatur, huic & ſeruus efficitur.* Qui ergò vincitur amore carnis, ſeruus ſine dubio eſt carnis.]

Vix ſanè eſt in Chriſtiana religione aliquid ſublimius, ea excelſitate animi, qua Religioſi à parentibus, & (vt cum Saluiano dicam) ab incarnatis neceſſitudinibus euelluntur: id quod Hieron. Platus, piè ſimul ac pereruditè, de more, proſequitur l. 2. de bono relig. ſtatus c. 7. Nec dubium, quin ea animi erectio, gemina ſit generoſitatis quam prodebant Candidati Martyrij, cum auellebantur à ſuis; non reſpicientes præ Chriſto carnem & ſanguinem. Egregiè de ea generoſitate Simeon Iunior. in ſacris Commentationibus cap. 28. At idem gladius ſpiritus, Religioſos à cognatis & parentibus abſcindit, cum ad longum & quotidianum martyrium currunt. Eſt enim Religioſa vita, martyrium; vt dico in opere de Martyrio p. 1. c. 3. Non diſſimili igitur ſpiritus ebrietate aguntur Religioſi, cum Religioſum ſtatum ineunt vt ſuperiùs iam attigi c. 7. initio conteſtantes inſignem in Deum pietatem, ea in cognatos duritie, quam S. Auguſtinus ſer. 185. de tempo. *ſub finem.* valdè extollit componens eam fortitudinem, & erectionem animi cum fortitudine ac generoſitate martyrum à patrimoniis, & matrimoniis, ac charis pignoribus abſtractorum, ſpretis fletibus paruulorum & eiulatibus ac complorationibus matrum, ac coniugum. At

SECT. II. CAP. IX. *Firmamentum ex ratione.*

molleſci planè hic ſanctorum rigor, & eneruatur hæc generoſitas, deiiciturque animi erectio, in iis qui carneo, affectus erga ſuos improuidè reſumunt, deſcendentes de cruce, & deiecti in terram ex ea ſublimitate, quam Crux inita conferebat ſupra quoſcunque humi iacentes. In quam rem egregiè Philoſophatur S. Baſilius lib. 1. de baptiſmo cap 2. *ſub medium.* Reſorbent iſti ſæculum quod euomuerant; & reædificant Iericho, quam euerterant; quod Petrus Bleſenſis in inuectiua aduerſus Monachum operum ſuorum depratatorem, ex libro (vt ait.) quotidianorum euentuum, docet eſſe iuſto frequentius.

Siccatio roris cæleſtis, ab eodem intemperato ſuorum amore.

OMninò verò recidit in Bleſenſis Opuſc. 12. cap. 12. ſententiam, de eiurat one ſtatus Religioſi per hanc erga ſuos intemperantiam amoris, quod egregiè proſequitur Petrus Damiani: nimirùm per hunc erga cognatos affectum indebitum, Religioſi ſacrificium reddi merè apparens ac Deo exoſum; & deuirginari ſponſam Chriſti: Ex quo ſequitur, mirum non eſſe, quod Religioſus ſic affectus, non experiatur ſe accipere iam ex hac vita centuplum, iuxta Chriſti oraculum. Tangit hanc originem ſterilitatis animæ in Religioſo, idem Petrus Damiani ſerm. de Sanct. Benedicto., *ad finem.* Monet itaque qui centuplum à ſe acceptum non percipit, ſcrutetur cor ſuum, & relinquat omnia, non quærens quæ ſua ſunt, nihil ſibi retinens, nihil aliis. [Sunt enim plerique, qui licet propriam exaltationem, voluptatémque ſatis deſpiciat, propinquis tamen ſuis, quodammodo retinent, quod debuerant reliquiſſe incongrua ſollicitudine, & religioni contraria, pro eis vtique laborantes. Quanti Monachorum, dum parentibus ſuis, plus iuſto conſulunt, ſuas animas perdiderunt? Ergò relinquant omnia, ſolum ſequantur Chriſtum, ſoli Chriſto placere contendant, & beneplacito voluntatis eius, peruigili adhæreant ſollicitudine: haud dubium quin experiantur illicò, quod relinquentibus omnia, & ſequentibus ſe, veritas pollicetur, *Centuplum* (inquit,) *accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Illud enim in via accipitur ad ſolatium; illa verò ad beatitudinem in patria poſſidebitur in æternum]

Quid quod fons hic patens perſæpè eſt auaritiæ, qua vix quicquam eſt Religioſo exitialius, aut Religioſa profeſſione alienius? Inde enim totius pietatis euerſio, & omnium virtutum clades nullo negotio conſequitur. Monſtrat eorum malorum deriuationem ex reſumpta à ſacris perſonis cura cognatorum, Palladius ſupra adductus. proferens exemplum virginis Alexandrinæ: quæ (vt ait,) ſolo nomine ſibi parauerat Aſceticæ, ſeu Monachæ appellationem, moribus autem procul aberat ab exercitatione.

Per cognatos, negotium Dei præpeditum, exemplo Chriſti.

IVre itaque pronunciaſſe videor, hanc eſſe ſtatus Religioſi eiurationem; nec qui in charorum aut cognatorum gratiã ceno negotium immergitur, poſſe Religioſi titulum, nomenque præferre. Idque puto voluiſſe S. Antonium, qui referente Caſſiano, collat. 14. cap. 11. Religioſum ſuorum caſibus, aut ſecundis rebus tactum, conſtem ſorte cenendum, ſtatuit. Id eſt ſæcularem haberi debere, quales ſunt cognati. Et verò cognati, quibuſuis ad magna aggredientibus præcipuo ſemper fuere impedimento: quod longa inductione ex variis ſcripturis expoſitis, confirmat Theologus, antel. 4. lib. 4. tota. Sed inſtar omnium eſſe poteſt, quod contigit Chriſto. Eum quippè Euangelij diſſeminationi intentum, qua nulla potuit obiri ſublimior functio; *ſui* id eſt cognati corripuere, & quaſi in furorem verſus eſſet, vi tenuerunt, & à prædicando abſtrahere tentarunt, vt Marcus cap. 3. narrat. Scio non eandem eſſe omnium ſententiam de *ſuis* illis. Theophilactus populares Chriſti fuiſſe arbitratur, ſed minùs probabiliter. Nam Græcus contextus, habet οἱ παρ' αὐτοῦ, quæ voces ſonant cognatos, ſeu qui ad Chriſtum attinebant, vt Eraſmus ibi rectè aduertit. Perperam item alij, hos *ſuos* expoſuere Apoſtolos. Hi enim cum eſſent intra domum Chriſto, non potuiſſent exire, vt Chriſtum tenerent, quod tamen Marcus ait, de his quos *ſuos* vocauit. Intellexit itaque Marcus eo nomine Chriſti cognatos, qui Chriſtum de mentis poteſtate delectum peruersè calumniati, venerant vt eum abducerent ligatum, tanquam furioſum. Dicebant quippè de Chriſto ἐξέστη, quod ridicule Nouator quiſpiam vertit *infirmum*, & præ fatigatione magna defectum viribus, & idcircò à laboris continuatione abſtrahendum, quod vnum cogitaſſe de Chriſto ſuos illos comminiſcitur Nouator. At ea Græca vox, apertè ſonat hominem mente abalienatum ſuique impotentem, vt diſerte etiam habet Syriacus contextus. En igitur quod teſtrum cognatos Chriſti corripuerit, vt Chriſtum à ſuprema functionum omnium auocarent. Quod omnibus Chriſto inhærentibus, à cognatis eodem ſpiritu actis, expectandum eſt, quoties ad Dei gloriam, inſigne quippiam aggredi cogitabunt. Quare cultro Euangelico reſecandi ſunt, quantum neceſſe eſt, ne ſint incommodo in exercitatione virtutum. Tunc autem admouetur vlterius; cum temperatur amor erga eos; nec ſupra Deum, ſed in Deo diliguntur, ea moderatione adhibita circa omnes labendi occaſiones, quàm ordinata charitas poſtulat, vt mox ſigillatim exponetur.

CAPVT X.

In quibus à ſeruo Dei temperandus ſit affectus erga cognatos, in procinctu ineundi ſtatus Religioſi.

DVo tempora ſecernenda ſunt, in quibus Religioſum temperatum erga cognatos affectum exercere oporteat. Vnum eſt, quo candidatus, ac veluti deſignatus, in procinctu eſt ſubeundi domum Dei. Alterum quo iam cooptatus, & initiatus degit in ſacris ſeptis, ſiue vt tyro, ſiue vt veteranus, & poſt probationem rude donatus. Vtroque tempore, varia ſunt in quibus temperatio amoris erga cognatos, prodi poteſt ac debet.

Cauenda

Cauenda emollitio candidati, ab amore ſuorum.

ET in procinctu quidem ineundæ religionis, cauendum ſollicitè eſt, ne nimius ſuorum amor, fiat candidato religionis in laqueum, ita vt eorum charitate auerti ſe ſinat à iam correpta ſtiua Euangelica, & emolliri ad non proſequendum in cœpto perfectionis itinere. Muniunt frequenter imbecillitatem candidatorum Religionis, aduersùs hunc pietatis arietem SS. Patres Hieronymus præſertim, cuius illa eſt, fortis æquè ac decantata ad Heliodorum oratio Epiſtol. 1. [Ecce aduerſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos; licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera quibus te nutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Veniet, veniet poſtea dies ille, quo victor reuertaris in patriam; quo per ſe Hieroſolymam cœleſtem, vir fortis coronatus incedas. Nunc municipatum cum Paulo captes, tunc & parentibus tuis eiuſdem ciuitatis ius petes. Tunc & pro me rogabis, qui te, vt vinceres, incitaui. Neque verò neſcio qua te ducas nunc compede præpediri. Non eſt nobis ferreum pectus, nec dura præcordia, non ex ſilice natos Hyrcanæ nutriere tygres. Et nos per iſta tranſiuimus. Nunc tibi blandis vidua ſoror hæret lacertis: Nunc illi, cum quibus adoleuiſti vernulæ, aiunt, cui nos ſeruituros relinquis? Nunc & gerula quondam, iam anus, & nutri ius ſecundus poſt naturalem pietatem pater; clamitat, Morituros expecta paulisper ſepeli. Forſitan & laxis vberum pellibus, mater arata rugis fronte, antiquum referens mammæ lallare congeminet. Dicant ſi volunt & Grammatici, in te omnis domus inclinata recumbit. Facilè rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor. At contra, ſcriptura præcipit parentibus obſequendum. Sed, quicunque eos ſupra Chriſtum amat, perdit animam ſuam. Gladium tenet hoſtis, vt me perimat; & ego de matris lachrymis cogitabo? Propter patrem militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus eius cauſa debeo? Domino paſſuro, timide Petrus conſulens, ſcandalum fuit. Paulus retinentibus ſe fratribus ne Hieroſolymam pergerèt, reſpondit; Quid facitis plorantes, & conturbantes cor meum? Ego enim non ſolum ligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum, pro nomine Domini Ieſu Chriſti. Aries iſte pietatis, quo fides quatitur, Euangelij retundendus eſt mucro. Mater mea, & fratres mei, hi ſunt quicunque faciunt voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt. Si credunt in Chriſtum, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo. Si non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos.] Idem in Aſellæ laudatione, & reprehendens ſuſpectum contubernium, & in Malchi captiui hiſtoria; & ſcribens ad Furiam, neruosè de more ac eleganter celebrat abitum ad religioſum ſtatum, reclamantibus licet parentibus & cognatis.

Auguſtinus Epiſtol. 38. iiſdem ex parte ſtimulis, Lætum matris blanditiis emotum, vrget ad officium, dolens quod vocatus ad contemplationem diuinorum, & ad prædicationis Euangelicæ munus in Religione ad id deſtinata delectus, ſineret ſe maternis vocibus emolliri. [Dat (inquit;) ſignum Dominus, vt vigilemus in caſtris, vt ædificemus turrim, de qua hoſtem ſempiternæ vitæ, & proſpicere & repellere valeamus. Rapit militem Chriſti tuba cœleſtis ad prælium, & retinet mater. Non planè talis qualis Machabæorum fuit, nec ſaltem ſimilis Lacædemonis matribus, de quibus memoriæ traditum eſt, quod filios ſuos vt pro terrena patria ſanguinem funderent, multò ampliùs atque ardentiùs in certamina bellica, quàm ſignorum ſonitus excitabant. Nam mater quæ te ad diſcendam vitam remoueri à curis ſæcularibus non permittit, ſatis oſtendit, quemadmodum te, ſi opus eſſet ad obeundam mortem penitùs ſæculum repudiare permitteret. Sed quid dicit, aut quid allegat? Fortè decem illos menſes, quibus viſcera eius onerasti, & dolores parturitionis ac labores educationis. Hoc hoc interfice verbo ſalutari, hoc perde affectum matris, vt in vitam æternam inuenias eam. Hoc memento vt oderis in ea, ſi diligis eam, ſi tyro Chriſti es, ſi turris fundamenta poſuiſti, ne dicant tranſeuntes, hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere. Carnalis enim affectus eſt iſte, & adhuc veterem hominem ſonat. Hunc carnalem affectum, & in nobis, & in noſtris, militia Chriſtiana vt perimamus hortatur, nec tamen vt ingratus ſit quiſque parentibus, & eadem ipſa beneficia quibus in vitam hanc editus, ſuſceptus, atque nutritus eſt, enumerata derideat: ſeruet potius vbique pietatem. Habeant hæc locum, vbi maiora non vocant.] Excurrit elegantiſſimè in Eccleſiæ neceſſitates, quas par ſit anteferre matris carnalis deſideriis, & forti allocutione eiuſdem verioris matris, vrget Lætum, vt mittat manum ſuam ad fortia, & vt maternis officiis corporalibus, rependat ſpiritualia, nec patiatur ſe à matre, tanquam ab altera Eua perizomatis antiquis carnalium allegationum, obducta, detorqueri à ſynceriſſima Euangelica charitate. Locus eſt in rem præſentem inſignis, ſed longior, quàm vt hic exſcribi integer poſſit.

S. Ambroſ. l. 1. *ſub finem*, adhortans Virgines, queritur de matribus filias prohibentibus conſecrare ſe Deo, & inter cætera eas ſic alloquitur. [Si hominem amarent filiæ veſtræ, per legem poſſent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet?] ſubdit de choro vicenario Virginum Bononienſium, quæ relicto parentum hoſpitio, mundi ſe deliciis abdicarant, & quas noſſent, eiuſdem inſtituti ſtudio teneri, omni cura ad ſe attraherent, & inuitis quoque parentibus abducerent. Hoc enim eſt quod ſubobſcurè, ſed pereleganter ait. [Si inueſtigandæ Virginitatis inoleuerit odor, (namque præ cæteris, ſpeculandi venatum pudoris explorant,) totis curarum veſtigiis prædam latentem vſque ad ipſa cubilia perſequuntur. Aut ſi liberior alicuius volatus aſſulſerit, totis omnes videas aſſurgere alis, concrepare pennis, emicare plauſu vt caſto pudicitiæ choro cingant volantem, donec albenti deteſtata comitatu, plagas pudoris, & indaginem caſtitatis, domus patriæque oblita ſuccedat. Bonum itaque, ſi Virgini ſtudia parentum quaſi flabra pudoris aſpirent: ſed illud glorioſius, ſi teneræ ignis ætatis, etiam ſine veteribus nutrimentis, ſponte ſe rapiat in fomitem caſtitatis.] Addit alia in eandem ſententiam, nominatim docens, quàm non ſit timenda exhæredatio à parentibus ob hanc cauſam. Id quod Autor Epiſtolæ 8. 9. Hieri. ad Gerontij filias, ex inſtituto confirmat.

SECT. II. CAP. X. *In quo temperãdus amor erga ſuos; in procinctu Religionis.*

SECT. II. CAP. X. *In quo temperandus amor erga ſuos in ingreſſu Religionis.*

S. Chryſoſtomus hom. 84. in Ioan. tractans illud Chriſti, *Ecce mater tua*, ſic diſſerit. [Vt cum ſpiritualia impediunt parentes, ne cognoſcendi quidem ſunt; ita cum nihil impediunt, merito omnia his ſunt tribuenda & omnibus præferendi.] Idem alibi hom. 36. in Matth. [In omnibus obtemperandum parentibus eſt, præterquam in his quæ pietati officiunt. Ita cum ſanctum ſit omnem honorem parentibus afferre: cum plus quam oporteat quærunt, veritati reluctantes, reſiliendum eſt. ſic Lucas quoque, ait. *Si quis venit ad me, & non habet odio patrem ſuum & matrem, & vxorem, & liberos, & fratres, & adhuc animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus:* Non ſimpliciter iuſſit, te coniunctos tibi homines inſequi: id enim iniquum omnino atque peſtiferum eſt. Sed quando plus me, petit aliquis diligi, odio ipſum habes, ait. Hoc enim tam diligenti, quam ei qui diligitur perniciosiſſimum eſt. Hæc doctrina, & credentes filios maioris animi fecit, & patres remiſſiores ac leniores, ne ab amore Chriſti, liberos deturbarent, faciebat; videntes tantas eſſe ipſius vires, vt facile poſſet à parentibus filios eripere. Quare ea tentare non debent, quæ ad finem deducere non poſſunt.] Grauiter quoque, obſtantes ſuorum ad Chriſtum, eiuſque conſilia accedentium deſideriis, redarguit collaudans lib. 3. & propugnans vitam Monaſticam.

S. Ioannes Climacus, gradu 3. multa præclarè in hanc rem tradit; & hæc nominatim, diſſerens de peregrinatione ſic enim nominat receſſum à ſuis. [Vtilius eſt parentes mœrore afficere, quam Deum. Ille enim nos formauit, ſimul & redemit: Illi verò quos dilexerunt, nonnunquam perdiderunt. Peregrinus ille eſt, qui veluti alterius linguæ, inter ignotæ ſibi linguæ homines, in ſui agnitione ſecum habitat: non quod propinquos noſtros & proprios agros oderimus, idcirco ab illis receſſimus: Abſit id penitus: ſed vt detrimentum quod ab illis in nos manare ſolet, fugiamus. &c. Caue obſecro ne fortè cuncta aquarum tibi plena videantur, ſi propinquorum affectu & amore tenearis; atque diluuio amoris ſæculi cum ei vnà pereas. Noli miſereri parentum & amicorum lachrymis: alioqui in æternum lachrymaberis. Quoties te vt apes circumdederint, imò verò vt veſpæ ac ſuper te lamentari cœperint propinqui tui, conſtanter ac celerrimè ad mortis atque operum tuorum conſiderationem conuertere, vt dolorem poſſis excludere. Pollicentur nobis ſubdolè, noſtri & non noſtri amici, læta omnia & iucunda ſe exhibituros, ea ſanè intentione; vt curſum noſtrum optimum præpediant, ſicque inde iam ad ſuam voluntatem pertrahant.]

S. Bernardus, Epiſtol. 104. frequens eſt in hoc argumento; Optimè verò nominatim, agens cum Gualtero de Caluomonte, quem pellicere ad religionem peroptabat. [Noui ergò (inquit) quam liquido & copioſè hæc me quoque tacente cogitare ſufficias: materno verò deuinctus amore, necdum poſſis abiicere quod iam contemnere noris. Et quid ego ad hæc reſpondebo tibi? vt matrem deſeras? Sed inhumanum videtur. Vt cum ipſa maneas? ſed nec ipſi expedit, vt ſit filio cauſa perditionis. Fortè vt & mundo ſimul militēs, & Chriſto? Sed nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc & ſuæ ipſius ſaluti. Elige ergò tu è duobus quod vis; aut vnius videlicet ſatisfacere voluntati, aut vtriuſque ſaluti, verùm ſi multum eam diligis, delere potius ipſam propter ipſam: ne ſi Chriſtum deſeras vt maneas cum ipſa, propter te pereat & ipſa: Alioqui malè meruit de te, quæ te peperit, ſi propter te perit. Quomodò enim non perit, quæ ipſum quem peperit, perimit? Et hæc dixerim, vt tuo aliquo modo carnali condeſcendam, conſulamque affectui. Cæterum fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Etſi impium eſt contemnere matrem; contemnere tamen propter Chriſtum, piiſſimum eſt. Nam qui dixit, *Honora patrem, & matrem*, *ipſe etiam dixit, qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.*] Alibi Epiſtol. 111. ex perſona Eliæ Monachi; copioſè & grauiter. [Sola cauſa qua non licet obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit, *qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Si me verè vt boni, vt pij parentes diligitis; ſi veram, ſi fidelem erga filium pietatem habetis; quid me patri omnium, Deo, placere ſatagentem inquietatis; & ab eius ſeruitio, cui ſeruire regnare eſt, retrahere attentatis? Verè nunc cognoſco, quia inimici hominis, domeſtici eius. In hoc vobis obedire non debeo; in hoc non agnoſco parentes, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad meum atque veſtrum, imò vniuerſorum patrem Alioqui, quid mihi & vobis? &c. ô durum patrem! ô ſæuam matrem! ô parentes crudeles & impios! imò non parentes, ſed peremptores, quorum dolor, ſalus pignoris; quorum conſolatio mors filij eſt; qui me malunt perire cum eis, quam regnare ſine eis.]

Temeritas Eſpencæi, damnantis ingreſſum Religionis, inuitis parentibus.

EX his tam luculenter tamque expreſſe traditis à SS. Patribus, manifeſtum eſt, liberos inuitis parentibus poſſe religioſam vitam capeſſere: Nec ferendum eſſe Claudium Eſpencæum l. 4. de voto continent. c. 6. contendentem, reclamantibus parentibus liberos non poſſe ad Crucis vexillum & conſiliorum Euangelicorum profeſſionem euolare, allegatis (ſi Deo placet), canonibus illis Synodi Gangrenſis, quibus vetatur filio parentes relinquere ſub prætextu vitæ aſceticæ, ἀσκήσεως. Hoc nego ferendum. Nam Synodus diſertè agit de filiis, quorum parentes neceſſitate grauentur. In quo euentu, adhibitis temperamentis, de quibus latè Suares ſupra adductus, hac ſect. c. 1. & Sanches, l. 4. de voto c. 20. ac Leſſius, l. 2. de virtut. c. 41. num. 34. ac quos ij proferunt, extra controuerſiam eſt liberos teneri ſubuenire parentibus; & vel differre, vel dimittere cogitationem ineundi ſtatus Religioſi, ipſis inuitis. Hoc autem trahere, ad excludendos aditu religionis quoſcunque liberos, quorum parentes reclamauerint; eſt illudere lectoribus, & ſua ſenſa, prætento inani vmbone tegere: Alios item Patres ac Doctores, quos pro libero filiorum ad religionem acceſſu adduximus, & alios omninò multos quos non ſignauimus, idem Eſpencæus, vel alio detorquet quam quo apertè tendunt, vel tanquam minus vrbanos, nec ſatis parentibus deferentes, repudiat: quæ quanta ſit erga Eccleſiæ Magiſtros inurbanitas, nihil attinet dicere. Sed ſcriptor ne Synodo quidem Oecumenicæ credens, & filiorum coniugia inuitis parentibus inita, nullius momenti eſſe, lucubratione integra contendens, nihil veritus anathema ei ſententiæ inflictum à Tridentino Concilio, veritatem contrariam non ſtatuente, ſed declarante; in negotio item religioſi ſtatus fauere parentibus voluit.

Non

Non poſſunt idcirco, exhæredari.

CVm autem ex his, & aliis quæ addenſari in eam rem poſſent, certum ſit, liberos, ſeclusis paucis euentibus grauis aut extremæ parentum neceſſitatis, poſſe religioſam vitam arripere, inuitis licet parentibus; obiter inde inferendum eſt, ingreſſum religionis non eſſe cauſam idoneam exhæredationis liberorum, inuitis parentibus Chriſti conſilia capeſſentium. Vbi enim nulla eſt culpa, non poteſt eſſe locus tam graui pœnæ. Et ita latè Saluianus in Opere ad Eccleſiam, & ex eo ac aliis Patribus Molanus capit. 14. in Tractatione de piis Teſtamentis. Imò profeſſione religioſa, id eſt emiſſione quorumcunque votorum conſtituentium perſonam religioſam, aboleri notam ingratitudinis quæ ad exhæredationem ſufficiebat, confirmat optimè Sanches 5. in dec. cap. 5. numerò 33. allegatis in eam rem multis, & Iuriſperitis & Theologis; iuxtà quos, nixos Nouella Conſtitutione, firmata per ius Canonicum c. *finali* 19. quæſt. 3. præterita labes filij, ratione cuius exhæredatus erat, eraditur, ſi is ante patris mortem profiteatur, & teſtamentum ante profeſſionem factum, quo filius ea ex cauſa exhæredebatur, efficitur irritum. Patres quidem, aliud lenimentum adhibent proli, ob ingreſſum religionis exhæredatæ. Neque enim ſollicitì ſunt, adducere talis Teſtamenti inanitatem, ſed tantùm vrgent quod cui Deus eſt hæreditas, & portio, non debeat terrenæ ſubſtantiæ diſpendium attendere. Ita Sanctus Ambroſius in Opere de Virginibus l. 1. ad finem, & latè Autor Epiſtolæ ad Gerontij filias, quæ habetur apud Hieronymum t. 3. Tamen & ſemper tale teſtamentum fuit iniquum, & nouo iure irritum eſt redditum.

De Religioſa, bonorum Candidati, diſpenſatione.

ALiud candidato religionis circa cognatos attendendum, vt in eo debitè temperet amorem erga ſuos, eſt diſpenſatio facultatum quas poſſidet. Non eſt quidem neceſſe, hanc diſpenſationem facultatum fieri ante reipſa initam religionem, ſaltem per tyrocinium. Ex vſu tamen non rarò eſt, eam præmittere. Idque eſſe valde antiquum, monſtrant illa Saluiani l. 4. ad Eccl. [Largitas apud eos (qui ſe Deo addicunt,) quaſi virtutum omnium initiatrix eſt. Plerique enim eorum, hæc habent quaſi exordia, & quaſi incunabula conuerſionis ſuæ, vt priuſquàm limen ſanctum profeſſionis introeant, de propriis ſibi facultatibus nihil relinquant, ſecundùm illud ſcilicet Domini noſtri dictum, quo ait; *Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Et illi itaque ſecuturi vocantem Deum, priùs vendunt omnia, quàm ſequantur: diuitias enim onerum atque impedimentorum loco eſſe ducentes, expeditos ſe non putant ad ſequendum Deum, niſi omnia priùs carnalium ſarcinarum impedimenta proiecerint: ſimul vt more hominum commigrantium, priùs ad locum habitaculi deſtinati res ſuas transferant, quàm ſeipſos.] Hanc derelictionem bonorum, Sanctus Paulinus Epiſtol. 2. ait non eſſe decurſum ſtadij, ſed ingreſſum, nec vt metam, ſed ianuam. Componit item hanc abiectionem facultatum, cum expoliatione athletæ, qui nondū incœpit dimicare cum exuitur: Et cum expoliatione eius, qui omnem interpoſitum ſuperaturus, exuitur: Nec enim adhuc tranſnatat, ſed tantùm id mox præſtabit, cùm totius corporis niſu, & omnium ſcita mobilitate membrorum, & propulſu pedum, & remigio brachiorum, & lateris illapſu, torrentis impetum ſcindet, & laborem natationis exhauriet, hanc denique ait eſſe ſtudei ationem ſoli, in quo ſtructura eſt perfectionis fabrica. Plerique igitur iam olim, priuſquam domum Dei inirent, exonerabant ſe temporalium bonorum ſarcina.

Quomodò autem, & in quos, ea exoneratio ſit facienda, res eſt admodùm impedita, præſertim ob cognatos bonis illis inhiantes. In hoc argumento, multus eſt Saluianus in Timothei perſona, & ad eum Ioannes Macherentinus, nec non Leſſius diſp. de ingreſſu relig. à numer. 121. & Gaſpar Lecknerus, integro de hac re commentario à cap. 4. Breuiter autem dicendum eſt, Religionis candidatum, intemperato cognationis ſuæ amore duci, ſi facultates ſuas eroget propinquis, tantùm quia propinqui ſunt, & cum eo iuncti neceſſitudine ſanguinis. Id enim eſt, contra Chriſti monitum, dare cognatis, non pauperibus. In quam facultatum erogationem Patres paſſim conclamant, ſigno nonnullos.

Sanctus Baſilius ad reg. 9. fuſar.] Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerit, *vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in cælo, & veni, & ſequere me*: Et item. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleëmoſynam*; equidem ex hoc colligo, qui hac mente à ſuis diſcedat, hunc huiuſmodi curam de parte patrimonij ſua nullo modo oportere negligere: contráque, illud accurare, vt cum eam omnem diligentiſſimè ſecum abſtulerit, eam velut rem iam Domino conſecratam, ſumma cum religione diſtribuat vel ipſe per ſe, ſi huiuſmodi muneri ſcienter adminiſtrando eſſe ipſe par poſſit; vel per alios, quos ante, maxima adhibita diligentia, delegerit: quique certiſſima dederint documenta, poſſe ſe illam fideliter ac prudenter diſtribuere; cum illud perſuaſum ſit non vacare periculo, ſiue propinquis ſuis illam relinquat, ſiue in ea diſtribuenda, cuiuſuis nulla adhibita delectione, opera vſus ſit.] Idem alibi quæſt. 181. breu. [Omninò iis qui ad Dominum accedunt, neceſſario quæ ad ipſos pertinent, reddere illorum propinqui debent; neque prorsùs quicquam ſubtrahere, ne ſacrilegii iudicium incurrant.

Sanctus Hieronymus ad quæſt. 1. interroganti Hedibiæ quomodò perfecta eſſe poſſet. [Domini noſtri (inquit) tibi reſpondebo ſermonibus, ſi vis eſſe perfecta, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & ſequere Saluatorem. Non dixit, da filiis, da fratribus, da propinquis; quos etiam ſi haberes, iure iis Dominus præferretur, ſed ea pauperibus; imò da Chriſto, qui in pauperibus paſcitur, qui cum diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, *&c.* Vis eſſe perfecta & in primo ſtare faſtigio dignitatis, fac quod fecerunt Apoſtoli, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Saluatorem, & nudam ſola nque Crucem nuda ſequaris, & ſola. Non vis eſſe perfecta, ſed ſecundum vis tenere gradum virtutis: dimitte omnia quęcunque habes; Da filiis, da propinquis, nemo te reprehendit ſi inferiora ſecteris dummodò illam ſcias tibi iure prælatam, quę elegerit prima.] Rurſus alibi Epiſt. 8. c. 7. agens cum Euſtochio. [Apoſtolici faſtigii eſt perfectæque virtutis, vendere omnia

SECT. II. CAP. X. *In quo temperandus amor erga ſuos, in pro. ingreſſu Religionis.*

SECT. II CAP. X. *In quo temperãdus amor erga ſuos, in procinctu Religionis.*

omnia & pauperibus diſtribuere; & ſic leuem atque expeditum, cum Chriſto ad cæleſtia ſubuolare. &c. Conſideremus quam ſapienter ſapientia ſit locuta *Vende quæ habes*. Cui iſta præcipiuntur: Nempè illi cui dictum eſt, *ſi vis eſſe perfectus*. Non partem bonorum tuorum vende, ſed *omnia*. Cumque vendideris, quid ſequitur? *Et da pauperibus*. Non diuitibus, non propinquis; non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem. Siue ille ſacerdos ſit, ſiuè cognatus, & affinis, nihil in illo alius conſideres, quam paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera, non ructantium opulenta conuiuia.]

Saluianus l. 3. ad Eccleſ. *ſub finem* expendens verba Chriſti ad eum qui velit perfectus eſſe. Vende quæ habes, & da pauperibus. Numquid dicit, agnatis da, numquid affinibus. Non vtique; ſed pauperibus, ſed egenis. Numquid propinquo diuiti, numquid vlli omnino hominum præpotenti? Non vtique; ſed inopi, ſed egeſtuoſo. Et rectè. Numquid enim cum locupletibus cognatis tuis ſubſtantiam tuam dederis, iuſtitia tua manet in æternum, aut cum diuitias eorum diuitijs tuis auxeris; theſaurum habebis in cælo?]

S. Franciſci hac in re mentem, declarant illa à S. Bonauentura in eius actis, l. 1. c. 7. exarata [In Marchia Anconitana, cuidam petenti ad Ordinem recipi, verus Pauperum Patriarcha, reſpondit. Si vis Chriſti pauperibus iungi, pauperibus tua diſtribuere. Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali, ſua ſuis reliquit, nihilque pauperibus. Verum cum hoc illo referente vir ſanctus audiſſet, dura eum increpatione feriens, dixit; Vade viam tuam frater muſca; quoniam nondum exiſti de domo & cognatione tua. Con anguineis tuis tua dediſti, & defraudaſti pauperes; Dignus non es pauperibus ſociari. Incepiſti à carne; ruinoſum fundamentum ſpirituali fabricæ collocaſti. Rediit animalis homo ad ſuos, & repetiit ſua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propoſitum citius dereliquit.]

S. Ignatius Loyola, Exam. c. 4. §. 1. & 2. præſcribens quæ ingreſſuros ſocietatem par ſit facere, ſic habet. [Diſtributio bonorum temporalium, in pia & ſancta opera fieri debet iuxta illud, *diſperſit dedit pauperibus*. Et illud Chriſti, *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. &c.* Ea ergò bona pauperibus diſpenſare debent, vt conſilium Euangelicum quod non dicit, *da conſanguineis*, ſed *pauperibus*, perfectius ſequantur; & vt melius exemplum omnibus exhibeant, inordinatum erga parentes affectum exuendi & incommoda inordinatæ diſtributionis, quæ à dicto amore procedit, declinandi; atque vt ad parentes & conſanguineos recurrendi; & ad inutilem ipſorum memoriam aditu percluſo, firmius & ſtabilius in ſua vocatione perſeuerent.]

Fas iuuare propinquos egentes.

ITaque de ſanctorum ſententia, imperfectum eſt, & à Chriſti conſilio abhorrens, candidatum Religioſi ſtatus, erogare propinquis bona ſua; tantum quia propinqui ſunt. Hoc addo, quia ſi propinqui egerent, fas haud dubiè eſſet, eos facere largitatis in pauperes conferendæ participes; quod Saluianus ſupra cæteroqui Seuerus carneorum affectuum Cenſor, annuit fieri poſſe; concedens eſſe [quibus non ſolum piè aliquid relinquatur, ſed etiam irreligioſè non relinquatur. Scilicet ſi aut parentes ſint calamitoſi, aut germani Deo fideles, aut ſanctæ coniuges: aut vt longius denique munus pietatis extendam, ſi aut propinqui inopes, aut affines egeſtuoſi, aut denique cuiuſlibet neceſſitudinis indigentes. Vel certè quod ſuper omnia eſt, Deo deditj. Hoc enim eſt præcipuum ac ſupereminens, ſi idipſum quod agit aliquis pietatis officio, religionis faciat affectu. Beatus enim ille, qui ſuos ipſe diuini amoris ſpiritu amat, cuius charitas Chriſti cultus eſt; qui in naturæ vinculo Deum cogitat naturarum patrem & amoris munera in ſacrificia conuertens, tantum ſibi immortalis lucri & beatorum fructuum parat, vt dum id quod pignoribus ſuis præſtans, Domino ſuo fænerat: hoc ipſo quod ſuis libertatem tribuit temporariam, ſibi mercedem pariat ſempiternam.]

S. Ambroſius l. 1. de offic. cap. 30. apertè adſcribitur, agens de iis in quos honeſtè conferuntur bona. [Et enim (inquit,) illa probanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcis. Melius eſt enim vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere; aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati: non tamen vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus. Cauſa enim præſtat, non gratia Neque enim propterea te Deo dicaſti, vt tuos diuites facias; ſed vt vitam tibi perpetuam, fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis, peccata redimas tua. Putant ſe parum poſcere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & ſe iuſtè facere putant. Et accuſat quod eum diuitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede?]

Neceſſe itaque eſt, aliquos ex cognatis S. Ioannis Damaſceni fuiſſe minus benè conſtitutos de re domeſtica, cum Ioannes Patriarcha Hieroſolymitanus, in ſancti viri Actis teſtetur, eum non reliquiſſe temere ſuas facultates; [Ne inter eos qui ſanguine ipſi iungebantur, lites atque conflictationes orirentur; aliis nimirum aliud quoddam hæreditatis capeſſendæ ius proferentibus. Verùm confeſtim bonis ſuis in pauperes, captiuos, ſeruos ſuos (quos etiam libertate donauerat), & cognatos diſtributis, atq; diuinis templis conſecratis; quemadmodũ ex matris ſuæ vtero nudus exierat, ſic etiam neceſſariis indumentis exceptis, nudum è mundo exceſſiſſe.]

Beneficia Eccleſiaſtica Candidati, cui renuncianda.

AFfinis eſt facultatum diſtributioni, renunciatio beneficij Eccleſiaſtici, ſi quod fortè habebat qui ambit religionem. Neque enim rectè diſponeret de beneficio ille beneficiarius religioſum ſtatum cogitans, qui in propinqui fauorem renunciare beneficio, attendendo tantum quod propinquus ſit. Hoc enim eſſet ædificare Hieruſalem in ſanguinibus, quod Dominus ferit maledicto. Sapienter itaque (vt omnia,) S. Ignatius, informans candidatum Societatis, qui Eccleſiaſticis beneficiis ſit inſtructus, ita præſcripſit. [Si (ea beneficia) conſanguineis conferenda eſſe viderentur, id non faciet, niſi ab vno duobus, aut tribus, vita & doctrina commendatis, indicetur, quod id magis conueniat, & ad maius Dei obſequium ſit futurum.] In hanc rem plenè diſputatum eſt, in Opere, cui titulus, *Mala bonorum Eccleſia*.

SECT. II. CAP. XI. *De temp. ratio in ſuos amoris poſt initam Religionem.*

CAPVT XI.

De temperatione affectus erga cognatos poſt initam Religionem.

INitur religioſa domus, & per tyrocinium quod eſt veluti primus greſſus in Religionem, & ſubitio in eius veſtibulum, & per emiſſionem votorum Religioni ſubſtantialium. Vtrouis modo ſeruus Dei religionem quam ambiuit inierit, ſeruanda ei ſunt nonnulla, vt eius amor erga cognatos ſit temperatus, & ritè compoſitus.

Retinenti ſuas facultates poſt initam religionem, quid erga cognatos ſeruandum.

AC primum, ſi ſeruus Dei ante initam domum Domini, facultates ſuas non erogauerit, aut beneficiis Eccleſiaſticis quæ fortè poſſidebat, non renunciauerit; quomodò ſe circa cognatos in vtroque illo puncto gerere debeat, conſtat ex proximè dictis. Quamuis enim qui conſultiùs faciunt, illa impedimenta abiiciunt ante aditam domum Dei, vt præmiſimus, tamen aliqui expectant vt ſint ingreſſi tyrocinium. Imo iure nouo à Tridentina Synodo, & Pontificibus firmato, aliqui iam verè Religioſi, bonorum ſuorum dominium retinent, ſed deuinctum, non minùs quam coniuges, ſi votum caſtitatis emittant retinent mutuam poteſtatem in corpora, ſed deuinctam, & qua abſque ſacrilegio vti non poſſint; quamuis ſi vterentur, non eſſent adulteri, niſi Dei, id eſt non peccarent contra temperantiam, ſed contra Religionem. Idem ergo proportione ſtatuendum eſt, de illis qui iam verè religioſi, retinent bonorum ſuorum dominium. Nec id adeò noui iuris eſt, quin fuerit olim vſitatum, vt Vaſques 1. 2. d. 165. & Baſilius Legionenſis in quodlib. demonſtrarunt, & apertè habetur ex Saluiano lib. 2. ad Eccleſ. qui conteſtatus ſe eos religioſos apprimè venerari, qui expediti, aut omnibus aut penè omnibus facultatum ſarcinis, ſaluatoris viam pauperes ſequuntur, in eos tamen ſtylum ſtringit, qui *licet religionem profeſſi eſſent, tamen diuitias non relinquebant*, non quod eam retentionem dominii planè in Religioſo improbet, cum eorum quoque tantoperè ſibi ſuſpiciendorum nonnullos, aliqua retinuiſſe dicat, quamuis abiecissent penè omnia, ſed quod faſtidiret auaritiam qua ſordebant, & improbaret irreligioſam diſpoſitionem facultatum, quarum retinebant dominium. Qui igitur vel Nouitii, vel iam Religioſi, annuente Eccleſia dominium bonorum retinent, cum de iis diſponent, non egent noua inſtructione quoad modum tenendum erga cognatos, cum iam expoſitum ſit circa candidatos, quos frequens eſt ante initam domum Dei ea bona abiicere.

Cenſus ſacer à beneficiario religioſo, vt erogandus in ſuos.

IDem dico de beneficiis Eccleſiaſticis, ſi quæ habuerant, & ea iam nouitij retineant, vt ſanè poſſunt. Nam vt Sanches l. 7. decal. cap. 29. à num. 2. latè oſtendit, vt quis beneficio obtento excidat, ob initam religionem; neceſſe eſt vt beneficiarius fiat verè Religioſus vel per profeſſionem, vel per votorum Religioni ſubſtantialium emiſſionem. Itaque Nouitius ſi renunciandum ſit beneficio quod obtinebat, eadem ſeruet quoad cognatos, quæ candidato religionis ſeruanda diximus. Eſt tamen quoad beneficia Eccleſiaſtica, etiam circa iam profeſſos, aliud attendendum quoad cognatos. Sunt enim quædam beneficia dicta regularia, quæ pro regularibus ſunt inſtituta, de quibus latè & benè Sanches 7. in decal. cap. 29. ac Rodericus t. 3. qq. regul. Huiuſmodi itaque beneficiarij regulares, quamui habeant liberam adminiſtrationem redditūum beneficij, tamen non acquirunt eorum Dominium, vt rectè ſtatuit Ægidius Coninc de actibus ſuper. & Sanches 6. in decalo. cap. 6. numer. 8. tenentúrque de iis diſponere, vt Religioſos homines decet. Vnde ſi inde ditarent conſanguineos, non eſſent innoxij, ſed fierent Iudæ imitatores, qui procurationem domus Domini velu i regulare beneficium nactus, quæ ſancte eroganda ſuſcipiebat, erogabat in vxorem & filios, vt annotatum eſt in Tractatione de eo. Non eſt diſpar ratio cenſus Eccleſiaſtici beneficiorum non regularium, ad quæ aliquandò promouentur Religioſi, vt cum fiunt Epiſcopi, aut Cardinales, vel ſummi Pontifices. Vi namque promotionis ad ea beneficia, non fiunt Domini reddituum illis beneficiis addictorum: ſed ſunt tantùm diſpenſatores liberi, in honeſtas ac pias cauſas.

Quo in genere, tres ſummi Pontifices ex Ordinibus Regularibus aſſumpti, Adrianus IV. Olim Canonicus Regularis apud S. Ruffum, Benedictus XII. antea Ciſtercienſis, & Nicolaus IV. ex ordine Minorum, inſignia abſtinentiæ exempla ediderunt. Adrianus enim vſque adeò non profudit cenſum ſacrum in cognatos, vt matri præmoriens, eam reliquerit alendam eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ, vt habent literæ Alexandri tertii S. Thomam Cantuarienſem, memoratæ à Baronio anno 1159. Benedictus verò, ex filio molitoris creatus Pontifex, dicere ſolitus erat, Romanum Pontificem non habere cognatos. Et cum mercator Toloſanus ad eum Auenionem veniſſet, cum vxore ipſius Benedicti nepte, profeſſus eſt ſe quidem eos agnoſcere vt Iacobi Furnerii cognatos (nomen id erat Benedicti in ſæculo;) vt Romano verò Pontifici, nec cognatos ſibi, nec affines vllos eſſe, quare vacuos illos domum remiſit, ſolis itineris expenſis donatos, vt ſcribit ex Bernardo illius æui hiſtorico, Ciaconius: addens ex Alberto Argentinenſi, dicere ſolitum Benedictum, *ſi mei*, (in caſu nominandi, id eſt propinqui, & cognati;) *non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Nicolaus denique vt eſt apud Ægidium Viterbienſem, nullos agnouit cognatos, niſi probos quoſque & pios, iis autem qui ſecundùm carnem cognati dicuntur, aut affines, nihil ſe plus debere dixit, quam cuiuis bono. In elogio quod F. Felix Peretus à Monte Alto, poſtea Sixtus V. huius Pontificis tumulo appoſuit ad S. Mariam Maiorem, hæc verba

SECT. II. CAP. XI. *De temperato bo ſuos amore poſt initam Religionem.*

verba habentur, *Probos & eruditos, in cognatorum loco, tantum habuit.* Hæc exempla quam malè æmulati ſint quidam alij, & quanta ea ſit culpa, quamque diuinitus & in cognatis & in ſacris hominibus ſacrum ſenſum in eos effundentibus, ſit plectenda; tradit, liberè ſuæ ætatis vitia referens & caſtigans Aluarus Pelagius in opere de planctu Eccleſiæ lib. 2. artic. 15. à litera. M. In hanc rem multa petere licet ex tractatione de malis bonorum Eccleſiæ, quæ hic iterare non attinet.

Crebra ſuorum alloquia in Religioſo improbata.

ALiud in quo temperandus eſt amor erga propinquos, in iis qui religioſam domum iam ſubiuerunt, & familiaritas iuſto maior, prodita per crebras viſitationes & alloquia ſiuè religioſæ domus incolarum ad propinquos ipſorum, ſiue viceuerſa. Et S. quidem Baſilius, q. 311. breu. quamuis ait viſitandi officium eſſe Deo gratum, dummodò ſermo ſale condiatur in gratia; addit tamen; [Quempiam viſere, vel conſanguinitatis, vel amicitiæ cauſa, alienum eſt à noſtra profeſſione.] Præclarè item de hac re admonuit Cæſarius, ſcribens ad Germanos. [Caſtè (inquit), Deo deuota anima: non ſolum extraneorum, ſed etiam parentum ſuorum aſſiduam familiaritatem, aut ad ſe veniendi, aut ipſe ad illos ambulandi habere declinet, ne aut quod non oportet, aut quod non expedit, dicat, aut quod caſtitati poteſt eſſe contrarium, videat, ſi enim vaſa quæ in Eccleſia offeruntur, aut in ſacroſancto altari ponuntur, *ſancta* ab omnibus appellantur, & fas non eſt vt de Eccleſia poſtmodum in domum laicam reuocentur, aut vſibus humanis aptentur: ſi tantam dignitatem habent vaſa quæ nec intellectum poſſunt habere, nec ſenſum; putas qualem dignitatem apud Deum habet anima ad ipſius imaginem procreata? Sicut ergo vaſa ſancta diuinis vſibus ſeruitura, nec poſſunt nec debent de Eccleſia reuocari: ſic religioſum quemquam non oportet, non decet, non expedit parentum ſuorum obligationibus implicari; aut quorumcunque extraneorum pernicioſa familiaritate conſtringi.]

Idem fuit ſenſus S. Adhelardi, ex regio Francorum ſanguine Abbatis Corbeienſis, vt his verbis prodidit Paſchaſius Rathbertus in ſancti viri Actis. [Cum ita longè diùque à ſancto ageretur ſpiritu recordatus præcepti Abrahæ fuiſſe dicitur; vbi inquit ſcriptura. *Exi de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui, ac veni in terram quam monſtrauero tibi.* Qui cum ſecum talia contuliſſet, cæpit intra ſe meditari, & dicere quod nondum hoc præcepti genus opere compleuiſſet: qui ſi mente reliquerat natiuitatis ſolum, reputabat quod adhuc corpore intereſſet. Et ſi iuxta Euangelij præceptum, patrem, aut matrem, aut cognatos iam reliquerat, vt Deo dignus haberetur diſcipulus: adhuc etiam amplius moleſtebatur, quia licet pro dignitatis genere ſæpius tamen eum inuiſendo propinqui & noti frequentarent, quam quieti viri animus popoſciſſet. Quo factum eſt, vt illico alter Elias fuga laberetur; non Iezabel, ſed carnis fugiens voluptatem. Quærebat enim ſeuerus Chriſti miles effugere, vt ſeſe fugiendo plenius inueniret.] Atque ita vt ad‘it Paſchaſius, in longinquas oras abiit, vbi non poſſet frequentari officiis viſitantium ſed Deo quietè vacaret ac ſibi.

Franciſcum Suarem, & doctrinæ & pietatis religioſæ gloria clarum, dicere ſolitum accepimus; ingens diſpendium homini, ex allocutionibus crebris ac viſitationibus exiſtere. Hoc ille dixit de quibuſvis indiſcriminatim viſitationibus; nec aliud ferè, quàm temporis (rei vtique pretioſiſſimæ,) deprædationem attendens. At multò maiora, ex propinquorum iuſto frequentioribus viſitationibus & allocutionibus, imminent damna. Refricant enim ſæculi memoriam, & religioſum qui ſe expeditum mundi pedicis arbitrabatur, infæliciter retrudunt in eaſdem maculas; ita vt iiſdem tangatur affectibus, quibus ipſi propinqui. Quò cum deuenitur, iuxta beati Antonij ſententiam, reditur in ſæculum: ſin minùs corpore & veſte, at ſenſu, & moribus. Atque ita iuxta diui Antonij aſſertionem, religioſus in altera vita, eadem erit ſorte, qua in hac vita fuit; ſæcularis ſcilicet, præ affectu erga ſæculi propinquos.

Nequeverò declināda dontaxat eſt homini in religioſum cætum admiſſo, familiaritas iuſto maior, & intemperata cum propinquis ſæcularibus: ſed etiam cum in iis qui in eodem cætu ac domo degunt, quod de Conſtantio S. Antonij Lerinenſis Monachi patruo, ſapienter notatum eſt ab Ennodio: affirmante, ſanctum ita nepotem admiſiſſe in cæleſtem militiam, vt numquam magiſterij rigorem conſanguinitatis lege molliret; nec ſecurum faceret diſcipulum de neceſſitudine, cui gratiam doctoris niſi cenſura non præſtaret. Video etiam ſanctum Baſilium ſerm. 1. de inſtit. Monach. cenſuræ ac pænæ ſubiicere Monachum, qui feratur maiore animi propenſione, & familiarior ſit vni alicui, etiam ſi frater eius, vel propinquus ſit. Qui enim ita ſe habet erga aliquem, publicæ charitati iniurius, atque adeò pænæ obnoxius eſſe decernitur à ſancto Baſilio. Et alio loco ſerm. 2. Sic ſtatuit. [In his quos charitas inter ipſos coniunxerit ac copularit, ad maioris amoris cumulum conciliandum, nihilo plus momenti afferet naturalis ſanguinis neceſſitudo; ne ſi aliquis quidem frater alicuius germanus ſit, filiuſve, aut filia, huic maiorem charitatem quam cæteris, conſanguinitatis vinculum conciliabit. Qui enim in rebus huiuſmodi naturam ſequitur, is planè declarat, ſeipſum nondum ex toto à naturali defeciſſe affectu, ſed adhuc regi carnis imperio.]

Negocium ſecularium per Religioſum tractatio, noxia & indecora.

NOn minus proditur intemperantia affectus erga cognatos, cum in eorum gratiam, religioſus ſit negotioſus circa merè ſæcularia, quod ſupra vidimus à Radulpho in c. 6. Leuit. damnari ſacrilegij, eo quod ita ſe gerere, ſit comedere ſimilam conſecratam extra ſanctuarium, quod Deus intuitu religionis vetabat. *ſecularium* porrò *negotiorum* nomine, complectitur Radulphus, tractationem connubiorum ſ comparationem, vel accretionem fluxorum bonorum ſiue opum ſiue honorum, aut præfecturarum, ac ſimilium ſæculi nugarum, quæ in maioribus negotia vocantur, iuxta ſanctum Auguſtinum. 1. Confeſſ. cap. 9. Et quamvis aliqui, ſibi ipſis nonnulla ex prædictis commodis curent, de quo expoſtulat apud Moſchum ſenex Ægyptius, cap. 21. optati. Tamen frequentius eſt, vt Religioſi fiant circa

ca prædicta negotioſi, occaſione alicuius chari capitis, præſertim è numero cognatorum, quos ſatagunt prouehere vel ad publicum aliquod munus, vel ad dignitatem Eccleſiaſticam, cui opimus cenſus comitetur, vel ad aliquod pingue coniugium, quod notauit nominatim Hugo à Folieta l. 2. de clauſtro animæ c. 14.

Eſſe qui circa hæc præ intemperato amore cognatorum deſpiciant, negotiando; negare non licet, & fatetur ingenuè Petr. Damiani ſer. de S. Benedicto expoſtulans ſibi & aliis talia captare religioſos aliquos, & nominatim cognatis. [Sunt enim plerique, qui licet propriam exaltationem voluptatémque ſatis deſpiciant, propinquis tamen ſuis quodammodò retinent quod debuerant reliquiſſe, incongrua ſollicitudine, & religioni contraria, pro eis vtique laborantes. Quanti enim Monachorum, dum parentibus ſuis plus iuſto conſulunt, ſuas animas perdiderunt?] Iterùm dico, non in cognatorum duntaxat gratiam, feruere interdum hæc ſtudia negotioſa religioſorum. Non rarò enim propriis ac deſtitutis mulieribus, etiamſi extraneis talia ſuſcipiunt, vt notauit apud Caſſianum Abbas Moyſes coll. 1. capit. 20. Tamen frequentius eſt, vt hæc merſio in negotia ſæcularia Religioſis accidat, propter cognatos, interdum non abſque graui noxa, & infamia cuiuſmodi fuit culpa illius qui Toloſæ Tectoſagum, ante non ita multos annos, confictis reuelationibus puellam prænobilem ac opulentam, faſcinauit, vt vellet ignobili capiti cognato ſuo nubere, luiturus ſacrilegum maleficium ſuſpenſione de alta informis lethi trabe, niſi maturè ſalutem locaſſet in pedibus.

Haudquaquam annuiſſent tractationi ſæcularium negotiorum in gratiam cognatorum per religioſum hominem SS. PP. qui in quouis ſacro homine id ſunt auerſati. Sanctus Ambroſius referente, & valdè approbante Sancto Auguſtino, commendare ſolitus erat omnibus, Dei hominibus, ſiue Religioſis, ſiue Clericis, cautiones quaſdam, quas quia ad rem hanc maximè faciunt, præſtat audire verbis Poſſidij capit. 27. [Seruandum in vita, & moribus hominis Dei referebat, quod in inſtitutis ſanctæ memoriæ Ambroſij comperérat, vt vxorem cuiquam nunquam poſceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in ſua patria petitus iret ad conuiuium. De ſingulis rebus præſtans cauſas; ſcilicet ne dum inter ſe coniugati iurgarent, ei maledicerent, per quem coniuncti eſſent. Sed planè ad hoc, ſibi iam illis conſentientibus, petitum intereſſe debere affirmabat ſacerdotem, vt vel eorum iam pacta, & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus, ſuam culpam malè agens, ſuffragatori tribueret. Et ne per frequentiam in patriæ conuiuiis conſtitutus, temperantiæ amitteretur modus.] *Militiam*, ad quam capeſſendam Sanctus Ambroſius ſuffragante D. Auguſtino, negabat operam, intellige æquè togatam atque armatam. Nam etiam officia, & munera publica, nomine *militiæ* veniunt, vt multis oſtendit Lælius Biſciola Tomo 1. ſubſec. lib. 11. capit. 3. & Iuretus ad Librum V. Symmachi Epiſtol. 15. noſque in Homine Dominico Loricato Pronunciato 2. Apodixi. 1. Itaque nolle ſe immiſcere promotioni charorum aut cognatorum ad militiam, planè erat refugere curam negotiandi pro illis, circa frequentiſſimam materiam, in qua religioſi negotiantur circa ſæcularia, in gratiam coniunctorum.

Sanctus Hieronymus in Nepotiani informatione, ſeriò admonebat, ne in vllius chari gratiam, tractaret de nuptiis ineundis, eique negotio ſe immiſceret, qui per initam Chriſti militiam cœlebs erat.

SECT. II. CAP. XI. *De temperato in ſuos amore poſt initam Religionem.*

Amicus & charus erat Sancto Iſidoro Peluſiotæ quidam Aphtonius. Ad eum de ſæcularis vanitatis, & inſaniarum falſarum negotio, conſilium exquirentem, ſic reſpondet Sanctus Iſidorus l. 4. Epiſtol. 276. [Si in iis rebus quæ ad hanc vitam pertinent, clarus atque illuſtris videri cupis, conſultores alios quære. Ego enim id quoque diſſuaſerim. Pericula quippè, non modò inutilia, & infructuoſa, verùmetiam periculoſa, atque in mortem deſinentia parturiunt. Si autem in iis quæ ad Dei cultum ſpectant, vltrò quoque ipſe, ac non accerſitus, ad conſilium dandum veniſſem, ne dicam vocatus. Quare ſi tibi ſplendorem aſſequi cordi ſit, noſtræque ſententiæ parcas; da operam, vt homines te hæc facientem cernant, per quæ ad ſanctorum virtutem aſpires. Rerum enim huius vitæ, paruam ipſi curam gerebant; earum autem quæ diſceſſum ex hac vita ſequuntur, permagnam. Atque hunc ſcopum ob oculos ſibi proponentes, ad eum actiones omnes ſuas dirigebant.

Sanctus Ignatius Loyola, & B. Franciſcus Borgia quàm refugerint coniugia cognatorum tractare tradunt ſcriptores, quos iam ſupra annotaui c. 7. *ad finem.*

Duriuſcula Sancti Baſilij ſententia, de cognatis, etiam quoad ſpiritualia negotia, non attendendis.

EN ergò quàm remoti erant à negotiorum ſæcularium tractatione per religioſos in gratiam cognatorum, ſancti Dei homines. Quin etiam quis credat, S. Baſilium non modò à Religioſo depoſcere perfectionem propoſitam erga propinquos quoad temporalia atque carnalia: ita vt pro cognatis ditandis ac promouendis, curando illis fluxas opes & euanidos honores, nullo modo in Dei ſcita, vel conſilia Euangelica incurratur, ſed etiam poſcere, vt Religioſus, ne quoad ſpiritualia quidem, plus erga cognatos afficiatur, quàm erga externos quoſcunque? Locus apud eum eſt luculentus q. 190. breuium, quæ erat, an nobiſcum coniunctis naturali neceſſitudine, miſericordia præ cæteris ſit impendenda quoad res ſpiritus. Ad eam quæſtionem huiuſmodi reſponſio ſubiicitur. [Qui natus eſt ex ſpiritu, vt Dominus ait, & poteſtatem etiam aſſecutus eſt, vt fieret filius Dei, hunc pudet naturæ coniunctionis, & propinquos ſuos agnoſcit, propinquos fidei, quibus teſtimonium Dominus dat, cum dicit; *Mater mea, & fratres mei, hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Et æque miſericordia mouetur omnium, qui longè recedunt à Domino, & in his nihilo plus cognatorum ſuorum, qui ſecundum carnem ſunt, quàm reliquorum.] Obiiciens verò ſibi Apoſtolum, adeò ſollicitum pro cognatis ſuis ſecundùm carnem, ex quo ſequi videtur, hominem religioſum poſſe eſſe cupidiorem, & ſitientiorem ſalutis cognatorum ſuorum, quàm externorum: reſpondet S. Baſil. intelligi. [Ex iis quę ſequuntur apud Apoſtolum, non in pretio haberi cognationem eam, quæ erat ſecundùm carnem, ſed Iſraëlem, & quæ præcipuè à Deo in

De temperato in ſuos amore, poſt initam Religionem.

ipſum collata fuerant beneficia. Neque quoniam cognati ipſius erant, Iſraëlitæ, ſed quoniam Iſraëlitæ erant, qui ſecundùm carnem cognati ipſius erant, & quoniam tot talibúſque a Deo beneficiis fuerant affecti, quoniam ipſorum erat adoptio filiorum, & gloria, itemque legiſlatio, & cultus Dei: quoniam ipſis data fuerant teſtamenta & promiſſiones, quorum etiam ipſorum erant patres, quoniam ex ipſis Chriſtus ſecundùm carnem: idcircò tanti ſalutem illorum facit, non habita rationc cognationis, ſed humanitatis, ipſorum cauſâ à Domino aſſumptæ, cuius verba ſunt hæc, *non miſſus ſum niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.*] Hoc aliter extricari à Caſſiodoro l. de amicit. c. 45. iam ſupra vidimus.

Fateor propoſitam Sancti Baſilij doctrinam, non eſſe indubitatam. Imò ordo charitatis planè videtur ferre, vt cæteris paribus, propinquorum potiùs ratio habeatur, (etiam circa temporalia, vt cum Sancto Gregorio ſupra ſtatuebam,) quam cæterorum: maximè in bonis pretioſioribus, cuiuſmodi ſunt ſpiritualia. Ex mente tamen S. Baſilij, cuius autoritas in Dei Eccleſia ſemper fuit grauiſſima, ac præſertim in Aſceticæ vitæ conformatione, res habet, vt dixi. Quod ſi ex tanti viri mente, ne circa ſpiritualia quidem, potiores ſunt apud Religioſum, cognati ac propinqui, quàm cæteri, ſed par eſſe debet ratio omnium nobis in Chriſto propinquorum, atque adeo abſolute omnium, quantò magis ex eiuſdem Sancti Patris mente, temporale cognatorum bonum, non eſt proprio ſpirituali bono anteferendum? Hoc eſt, quantò magis quoad temporalia, & ſæcularia, non erunt cognati tanto in pretio habendi, vt propter eos, Religioſum inſtitutum profana negotiatione captationis opum, & honorum, dehoneſtetur? Id enim eſt, poſtponere temporali commodo propinquorum, bonum ſpirituale proprium, & totius Religioſi cætus, cui Religioſus conſeritur; quæ eſt exertatio, & inordinatio non leuis, qua fermentum Ægypti in deſerto guſtatur, contra Domini præſcriptum, vt benè philoſophatur Petrus Cellenſis l. de panibus cap. 4. *ſub finem.* Eſt enim ſæculi fermentum, in Ægypto permiſſum, ſed in deſerto religioſè vetitum, negotiatio ſæcularis, ita vt qui huiuſmodi fermentato pane in deſerto veſcitur, religionem diuinitùs præſcriptam violet, ſitque pœnæ ſacrilegij obnoxius.

Negotiorum ſæcularium pro cognatis ſuſceptio, quàm periculoſa, concluditur.

CLauſulam, explicationi huius Religioſorum negotiationis, conſentaneam, ſubminiſtrat his verbis S. Baſil. c. 21. Conſtit. Monaſt. [Intellecto igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos noſtros affectione nobis naſcitur, ſollicitudinem de illorum rebus, vt Diabolicum telum fugiamus. Si quidem Dominus etiam ipſe, huiuſcemodi affectionem, & conſuetudinem vetuit, qui quidem ex diſcipulis ſuis cuidam, ne id quidem vnum permiſerit, vt res ſuas cum propinquis ſuis componeret. Alteri, vt ne cadauer quidem mortui patris, humo ſuperiniectâ conregeret. Et enim qui res ſuas cum propinquis ſuis componere volebat, ſic ait; *Nemo qui miſit manum ſuam ad aratrum, reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Ei verò qui ipſum rogabat, vt ſineret ſe patrem ſepelire, *ſequere me*, inquit, *& ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Atqui quæ vterque rogabat, rationi maximè conſentanea eſſe videbantur, ac iuſtiſſima. Sed enim neutiquam ea ſaluator probauit, neque vel ad punctum quidem temporis, ſeiungi ab ipſo, cœleſtis regni alumnos permiſit, ne ſublimi illa, & cœleſti animi elatione, humilius aliquid vel facerent, vel cogitarent; mente in rerum terrenarum, fragiliumque cogitatione depreſſa, & acclini, tanquam qui ad res cœleſtes animum adiunxerunt, iis neutiquam liceat, eorum quæ in terra ſunt, rationem nullam habere, vt qui iam ex ea, animo emigrauerint, & mentis contemplatione, altiores mundo ſint effecti.]

Et hic tamen eadem cautio adhibenda eſt, quàm ſuperiùs adhibuimus circa bonorum erogationem. Optimè ergo Radulphus in cap. 6. Leuit. de temperato cognatorum amore diſſerens, his verbis pronuntiat de negotiis, quæ fas ſit Religioſo attingere in gratiam cognatorum. [Cum nuptiarum cauſa tractatur, cum augendæ pecuniæ, cum bonorum huius ſæculi acquirendorum ratio habetur, indignum eſt, vt mens Deo conſecrata, quæ ipſa poſſidere negligit, aliis ſtudeat procurare. Conceditur tamen eis, in iis etiam quæ carnis ſunt, ſi neceſſe fuerit, curam proximorum habere, ſed ſicut ſui, in neceſſariis duntaxat, vt ſcilicet in huiuſmodi, proximorum fulciant infirmitatem, non expleant voluptatem.] Benè item Petrus Cellenſis Epiſtol. 22. epiſtola quadam ſcripta, cum adhuc Abbatem ageret. Reprehenſus enim ab Alano Antiſſiodorenſi Epiſcopo, qui æquè ſub Ciſtercienſium ſignis meruerat, & ad eadem abdicato Epiſcopatu poſtea eſt regreſſus, quod in cauſa matrimonij neptis ſuæ, contra Religioſi hominis debitum accurriſſet patronus, ſic ſcribit. [Verùm eſt, quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Scio nec de ignorantia excuſor. Ambigo tamen, virtus pietatis in vna eademque cauſa cum affectu carnis concurrens, vtrum æquè ponderet, vel præponderet ad meritum. Sine merito namque eſt, ſola carnis affectio. Aliquandò tamen cum exuberat, oneratur merito, ſed vtique malo. Sequax denique cum fuerit pietatis, honoratur merito, ſed bono. Vbi autem præuia, tunc in ambiguum replicatur ſententia.] Quia igitur ambiguum eſſe poteſt, præuiáne, an ſequax carnis affectio, in huiuſmodi cænum immergat Religioſam perſonam, & quod inde conſequens eſt, an cum ſpiritus diſpendio, vel ſpiritu incolumi, obeunda ſit hæc negotiatio, propterea admitto hanc cauſam eſſe ſatis ambiguam, & de qua liquidò ſtatuere, difficultate non vacet. Si tamen conſtiterit de motiuo, ex quo ſuſcipitur ſæculare negotium, & liqueat ſollicitudinem de eo conficiendo, non ex carne, ſed ex ſpiritu procedere, eámque gratia adiuncta, omni ſpiritali diſpendio excluſo, iuxta leges charitatis depoſcant, inoxia ſanè eſto.

Intemperatus cognationis amor, in pudore de cognatis maculoſis.

PErgo ad aliâ affectus erga cognatos intemperantiam in Religioſis. Ea eſt, quod interdùm cognatos pauperes aut viles, vel aliqua ſecundùm ſæculi viſum labe ſordentes, erubeſcunt agnoſcere, vel tales pro ſuis propinquis haberi graue ducunt. Qui typhus eſt, mundanam ſuperbiam inhalans putentiſſimè. Et quoad alia quidem pro-

bra, quàm paupertatis, & ignobilis conditionis, docuit nos Chriſtus exemplo ſuo ſapere, & ſpiritus animorum ponere, cum in ſerie cognatorum, è quibus ſecundùm carnem progigni voluit, grauiores non duxit mentionem e tare perſonarum, principio maximè criminoſarum, Rahab meretricis, inceſtæ Thamaris, & adulteræ Betſabeë. Nam Rahab verè fuiſſe meretricem, facientem corporis copiam, late proſequor in Mantiſſa ad tractationem de S. Maria Ægyptiaca. Thamarem verò, & Iudam ſocerum nurus fœdatorem, ſunt qui excuſare videantur, eo quod myſterium in ea coniunctione interuenerit. Ita homo plerunque præceps Franciſcus Georgius probl. 265. in ſacris problematis: Qua ratione, pleraque deteſtanda, approbationem referrent, quia forent myſteriis grauida, vt videre eſt apud S. Auguſtinum 22. contra Fauſtum cap. 83. S. Gregorium 3. mor. c. 21. Bedam l. 2. in Samuel c. 3. & q. 6. ex variis, Bernardum ſect. 2. de octa. Epiph. Videſis Sancium in Oſeam c. 1. n. 18. Itaque quamuis eſſet myſterium in ſcelere Thamaris, & Iudæ, tamen non abeſſet grandis culpa: niſi quod Iudas, à peccato inceſtus excuſari debet, Thamar verò ab effectu libidinis, ex quo non deliquit, ſed ex deſiderio prolis. Qua ratione accipiendi ſunt S. Chryſoſtomus hom. 52. in Geneſ. S. Ambroſ. in c. 3. Lucæ & Theodoretus q. 94. in Geneſ. viſi excuſare Iudam, & Thamarem. Denique Betſabeë immaniter peccaſſe, agnoſcunt Petr. Babyon falſo creditus Anſelm. in c. 1. Matth. nec non Remigius c. 5. Conc. & Zacharias Chryſopolitanus, aliique, hanc allegantes cauſam, cur non ſit de nomine expreſſa in Catalogo maiorum Chriſti. Eſtò poſtea nituerit, quod vnum euincunt, quæ pro ea adducit Pineda l. 1. de Salom. c. 4. Itaque Chriſtus de tam maculoſis maioribus non erubuit; voluitque in ſacris tabulis extare memoriam talium ſuorum maiorum, non modo vt omnes homines redempturus, beneficium à ſuis maioribus inchoaret, quæ eſt S. Ambroſ. Apol. 2. c. 6. de hoc Chriſti conſilio, ſententia, ſed etiam exemplum edens (vt idem egregiè addit,) maiorum probra non poſſe poſteris eſſe dedecori, & vnumquemque ſucceſſionis maculam, propriæ merito poſſe abolere virtutis, ita vt iure non ſuffundatur pudore ob eam cauſam. Itaque ſicut quæ non fecimus ipſi, vix noſtra vocantur, nec iure in noſtra laude ponuntur; ita alienum dedecus, nulli alteri eſt illinendum.

Itémque in rubore ob eorum paupertatem.

IAm cognatorum paupertatem ducere ſibi probroſam, non modò non eſt Religioſi, ſed nè Chriſtiani quidem. Ethnici potiùs eſt ea cogitatio, & illius qui ſit de populo, in quo beati dicuntur quibus hæc ſunt, agri, greges, pecuniæ, & quas mundus vocat diuitias. Antiqua ſanè abuſio eſt, vt vix pauperes cognatos habere dicantur; quod ex Menandro ſic expreſſit Muretus 2. var. c. 6.

—— —— Ægrè inueneris
Cognatum egentis: nemo enim agnoſcit libens,
Ad ſe attinere eum, opis alicuius qui indiget.
Nam mox petitum quippiam à ſe iri putat.

At non ob eam cauſam ſolam, vel etiam præcipuam, ſed ob ſuperbiam, piget ac pudet hominis præ inopia inglorij, coniunctum agnoſci.

Sed eſſe pudorem omninò indignum, euinci poſſet, ſi res ferret, prolato multiplici encomio paupertatis, & vituperatione diuitiarum, de quo argumento plenè diſt. 1. alibi, & benè quoad probra diuitiarum; multi adducti in Morali, quoad decora verò paupertatis, omninò multi apud Stobæum ſer. 93. ac ſplendide & copiosè Chryſoſtomus hom. 18. in ad Hebr. & Gulielmus Pariſienſis l. de mor. c. 9. Sed & Apuleius in Apol. pulſatus ea quaſi contumelia, quod pauper eſſet, adeò non ſuffunditur pudore eam ob cauſam, vt potiùs rem contendat in Philoſopho glorioſam. [Idem (inquit,) mihi etiam paupertatem opprobrauit, acceptum philoſopho crimen, & vltrò profitendum. Enimverò paupertas olim, philoſophiæ vernacula eſt, frugi, ſobria, paruo potens, æmula laudis, aduerſùm diuitias poſſeſſa, habitu ſecura; cultu ſimplex, conſilio beneſuada. Neminem vnquam, ſuperbia inflauit, neminem impotentia deprauauit, neminem tyrannide efferauit, delicias ventris, & inguinum neque vult vllas neque poteſt, quippè hæc, & alia flagitia, diuitiarum alumni ſunt. Maximè quæque ſcelera; ſi ex omni memoria hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies: vbi contra hanc temerè inter illuſtres viros diuites comparent, ſed quemcumque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabilis nutricata eſt: Paupertas inquam, apud ſæcula, omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos, in Ariſtide iuſta, in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta. Eadem paupertas etiam populo Romano imperium à primordio fundauit próque, & hodiernùm Diis immortalibus, ſimpulo, & catino fictili, ſacrificat. [Faſtidio plura exſcribere, ex longa illius probri in ſe ob paupertatem intorti depulſione.

Hæc dicit homo nequam, & planus improbiſſimus; Magiæ haud falsò inſimulatus, de quo S. Aug. Epiſt. 5 agens cum Marcellino, teſtatur non tam voluntate contempſiſſe temporalem fœlicitatem tanquam Philoſophum, quàm impotentia, quippè cum magnus eſſe appeteret nihil amplius fuit ſupra quiddam tenue quod ibi deſcribit, non quia noluit, ſed quia non potuit. Et tamen eius furfuris hominem, non puduit audire pauperem, imò id duxit Philoſopho glorioſum. Quantò iuſtiùs Chriſtianus, qui Chriſtum pauperem pro nobis meminerit, depudebit ei in tano probro? Meritò Concilium Aquileienſe, Epiſtola ad Auguſtos à S. Ambroſio exarata, paupertatem ait eſſe in Chriſti Sacerdotibus glorioſam, quantò magis in homine Religioſo, profeſſo paupertatem Euangelicam, de qua ſi ipſum in ſeipſo non pudet, non eſt quod eum pudeat in cognatis, quos eadem ſecum ſorte eſſe bona & probata, gratulari potiùs debet, quàm pudore ſuffundi. Niſi ſi Chriſtum puduit, matre non opulenta eſſe procreatum; vt monſtrauit oblatio à tenuibus pendi ſolita pro primogenito, paris ſcilicet turturum, vel duplicis pulli columbarum. Vnde non ſunt addiendi, qui Deiparam, vt potè vnigenitam, pingui hæreditate potitam fuiſſe cenſuerunt, adducti & reiecti in Dypthchis Marianis parte 1. p. 1. n. 4. & 8.

D. Chryſoſtomus ſer. 1. de ſalut. Priſcillæ hunc de pauperibus cognatis indignum pudorem, impugnat exemplo S. Pauli, iubentis ſalutem abs ſe dici, pauperibus coniugibus Priſcillæ, & Aquilæ, qui erant ſcenofactoriæ artis & manu ſua victum quærebant. Hos ſibi amicos eſſe, non puduit Paulum fateri, & per viros magnos, quales erant inter Romanos ad quos ſcribebat, non pauci, ſalutem eis

SECT. II. CAP. XI. *De temperato in ſuos amore, eſt inſtans Religionum.*

SECT. II. CAP. XI. *De temperato in ſuos amore poſt initam Religionem.*

ſuo nomine dici voluit. [Atqui vos ſæpè, (ſubdit S. Chryſoſtom.) ſi propinquos paulò tenuioris fortunæ habeamus, ab illorum familiaritate abhorrebimus, nobiſque probro ducimus, ſi quando illorum propinqui deprehendamur. Paulus verò non ita; ſed ea re quoque gloriatur; nec hominibus tantùm illius ætatis, ſed etiam omnibus poſteris, curauit vt innoteſceret, inter ipſius amicos, illos tabernaculorum opifices, familiam duxiſſe.] Augeſcere porrò cenſet Pauli virtutem, ex eo quod Paulus qui & ipſe ſcenofactoriæ artis fuerat, & in tantum virum euaſerat, vt Regibus ipſis eſſet clarior, tamen ad eam prouectus famæ celebritatem, & gloriam, præ vbertate miraculorum, vt Angelus de cœlo delapſus haberetur, tabernaculorum opifices non erubuit amicos ſuos agnoſci, nec cenſebat ſe honori illuſtrium illorum Romanorum officere, queis demandabat puſillos iſtos ſuo nomine impertiri ſalute. Concludit Sanctus Chryſoſtomus. [Hinc igitur non mediocrem fructum percipimus, vt vilioris fortunæ hominum nos minimè pudeat, vt animæ virtutem diſquiramus, vt externa omnia quibus ditamur, ſuperflua & inutilia cenſeamus.]

Hæc reprehenſio maximè percellere debet religioſam perſonam, ſi quandò contingat eam de cognatione paupere ac tenuis fortunæ erubeſcere. Qui enim paupertatem agnoſcit vt ſpiritu matrem, quomodò auerſatur eos qui eodem corporeo creti ſanguine, notas inſuper præferunt eius quæ illum Deo concepit ac genuit? Non puduit magnos Principes, è tenui fortuna prouectos ad diuitiarum culmina, notas præferre veteris paupertatis, vt Agathoclem fictilia vaſa; Primiſlaum Bohemiæ Regem, carbatinas, referente in Bohemica hiſtoria cap. 6. Ænea Syluio, Leſcum Polonum, craſſos pannos, teſte Cromero Polonum hiſtorico; Vvillegiſum Moguntinum, rotas in ſucceſſorum inſignia ad æternam memoriam aſſumptas, vt ſcribit Sifridus Presbyter. Cum non puduerit ſæculi homines, ſuæ tenuis quondam ſortis, & pauperis cognationis ſignis illis teſtandæ, quomodò non puduerit hominem ſæculo mortuum, quod pudeat eum paupertatis cognatorum, ita vt erubeſcat iis propinquus agnoſci, qui malè ſint de re domeſtica conſtituti, & idcircò vel ignobile opificium factitent, vel mendicato ſtipem corrogent,

Simile probrum, erubeſcentium de minùs ſplendida ſuorum ſorte.

1 LAborant ſimili morbo, quos ſin minùs paupertatis, at ſaltem non admodùm ſplendidæ conditionis ſuorum, pudet: quibus eadem propè occini poſſunt, quæ iis quos pudet egeſtatis ſuorum. Sanè propinquorum Chriſti conditio, non fuit iuxta ſæculum clara; adeò vt per contemptum, Hebræi à tenuitate ſortis coniunctorum Chriſti, inuidiam illi creatam vellent, dicentes, matrem, & fratres, id eſt, propinquos Chriſti, apud ſe eſſe, homines infimæ ſortis, & nullius iuxta ſæculum ſplendoris. Non puduit tamen Chriſtum talis matris, & talium cognatorum. Idque ſanctè æmulatus eſt Vicarius Chriſti Benedictus XI. Fuerat is Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum idque munus, annis multis ſanctè & perquàm religiosè obierat. Adactus autem à Bonifacio VIII. ad Cardinalatum abſque tergiuerſatione admittendum, literas vbertate lachrymarum penè obliterauit, & cum poſt Innocentium V. quondam Petrum à Tarentaſia, electus eſſet in Pontificem; ſortem cognatorum humilem quam in Cardinalatu iacere ſiuerat, non extulit Pontifex, neque erubuit agnoſci eam ad ſe attinuiſſe. Imò cum mater eius anus paupercula, & pannoſa, ad ipſum viſendum aduolaſſet Peruſiam, quò Pontifex conceſſerat; veriti aulici confuſionem Pontificis, matrem eius, priuſquàm ad Pontificem introduceretur, exutam vilibus veſtibus, induerunt ſericis. At Pontifex, ita veſtitam mulierem, negauit eſſe matrem ſuam. Sibi enim humili ſorte nato; matrem eſſe tenuem, quæ ad comparandas huiuſmodi veſtes, non ſatis haberet facultatum. Remigrante autem non abſque verecundia muliere, & pannoſos ſuos ac craſſas veſtes reſumente, cum ſic induta adiiſſet Pontificem, hanc verò ſuam eſſe matrem, non illam priorem conteſtatus Benedictus, omni amoris ſignificatione illam excepit, & peramanter habuit. Habet iſta Ciaconius de Benedicti poſt mortem miraculis, & multis & magnis, teſtimonium adducens, ex epigraphe marmorei tumuli eidem conſtituti Peruſiæ. Sed benè rem æſtimanti, fortaſſis hoc miraculum quod viuens edidit, tenuitatem ſortis cognatorum ſuorum non erubeſcens; imò nolens ſplendidè veſtitam pro matre agnoſcere, nulli concedere videbitur miraculorum poſt mortem ab eo editorum, depulſis ægritudinibus, & abactis dæmonibus.

Pudeat ergò religioſum virum, ſui pudoris ob tenuem ſortem cognatorum: nec ſit ſollicitus de extraneis exemplis conquirendis in hanc rem, cum ſuppetant Chriſtiana. Sanctus quidem Cyrillus l. 6. in Iulia. refellens Iulianum, cui ſordebant ſerui, & ancillæ, in quibus ſeducendis poſitam primò operam à Chriſtianæ legis promulgatoribus mentiebatur, longum catalogum conficit eorum, qui inter Græcos celeberrimi fuere, cum eſſent admodùm vilis conditionis. Et præter cæteros, notat, Socratem filium fuiſſe Patris marmorarij, & matris obſtetricis, tantúmque abfuiſſe, vt eum puderet talis proſapiæ, vt potiùs ſemper de ea ſermonem ingereret. Non eſt cur Chriſtianus, ac multò minùs Religioſus, has Ethnicas ſuppetias à Sancto Cyrillo, ſubruſtico pudori, de quo agimus eliminando, admittat; cum abundemus exemplis noſtratibus ad eam male ſanam verecundiam profligandam. Ac ne recentia exempla prorsùs prætercam, compertum habeo, viros magnos & multis eruditis ſcriptionibus illuſtres, humile genus ſuum ingenuè eſſe profeſſos. Vnus, idcircò de regimine ruſticorum à ſe editam lucubrationem ſcripſit, quod eſſet è ruſtica progenie ſatus, & ab aratro ad ſacras literas traductus. Alius pereruditum de Calceo librum emiſit, non tacens ſe ad eam ſcriptionem impulſum, quod patrem haberet calcearium. Alij erat perpetuo in ore, quod eſſet filius piſtoris, nec eſſe cur ea ſorte homo, efferretur de tam ſplendidè euolutis Iberi Poëtæ argutiis, qua præſertim ex cauſa omnium eruditorum præconiis celebrabatur. Alium commentariis luculentis in magnam ſcripturæ partem, notiſſimum Orbi, candidè (etiam ſcripto,) teſtantem comperi, patrem ſibi eſſe, pro quo ſuſtentando deberet ſatagere.

Id verò erat, à ſuperbia de cognatorum humili de ſtatu apud alios erubeſcente; procul eſſe.

Oſtentatio

Oſtentatio nobilitatis cognatorum, ex cordis inopia.

EIuſdem virulentiæ (dici, hoc eſt ſuperbiæ, ramus eſt, quo aliqui etiam ſub ſordido religionis pallio, gloriantur de cognationis ſuæ nobilitate. Gloriatio hæc in quouis alicuius iudicij homine, iudice Chryſoſtomo ſer. 1. de ſalutar. Priſcillæ, non eſt de nobilitate, ſed de eius nudo nomine. [Imò ipſum nomen plerunque ſubtrahitur, ſi quis ad antiquiores nobilium iſtorum maiores aſcenderit. Nam eum qui clarus & illuſtris eſt, nobilémque commemorare patrem & auum poteſt, ſi accuratius examines, vilem quempiam & obſcurum proauum habuiſſe, per ſæpè comperies, quemadmodum & eorum qui tenues eſſe videntur, ſi totum genus paulatim ſurſum verſus aſcendendo peruestigemus, Præfectos & Magiſtros multum ſæpè ſuperiores habuiſſe maiores, qui tandem in equiſones & ſubulcos conuerſi fuerint.] Id verò eſt, quod Romanis, Luna cognominabatur patricia, tanquam teſſera nobilitatis: non tam quia litera C. ſubtexta calceo, notabat aliquem ea teſſera vtentem, eſſe ex familia quapiam eorũ qui centenario numero primùm conſcripti fuerant, vt putat Iacobus Nicolaus Loënſis l. 4. miſcell. c. 25. quàm quia vt Plutarchus in qq. Rom. aduertit, Luna eſt aliquid mutabiliſſimum, iuxta Plinium, & nunc elatæ, nunc deiectæ ac deciduæ nobilium conditionis, eſt Symbolum.

Nemo igitur alicuius iudicij compos, tam fluxum decus oſtentarit. Multò minùs Chriſtianus, & inter Chriſtianos Religioſus, cui omnis ille ſæcularis gloriæ fumus, haberi debet cum nidus, & Iudæo potiùs, quàm Chriſtiano proſequendus. Iudæis enim perfamiliare fuit, nobilitatem ſuam iactare, vt monſtrant verba illa Ioannis 8. *Nos ex fornicatione non ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam*, quorum vtrumque falſum erat; nam & Phares & Zare, familiarum primariarum in tribu nobiliſſima ductores, ex fornicatione, viduo iam Iuda inceſto materiali cumulata, editi erant, & cum eis populoſiſſimæ eorum proſapiæ. Sæpiſſimè item Hebræi, ſeruierant alienigenis, ac tunc maximè cum iſta effutirent, à Romanis, & Romanorum partiariis opprimebantur. Itaque D. Aug tr. 41. in Ioan. ac prædicta verba ex Ioanne recitata, ſic exclamat. [O pellis inflata! Non eſt iſta magnitudo ſed tumor. Et hoc ipſum ſecundùm huius temporis libertatem, quomodò verũ dixiſtis, *nemini ſeruiuimus vnquam?* Ioſeph non eſt venundatus? Prophetæ ſancti, in captiuitatem non ſunt ducti? Deinde nónne ipſe iſte eſt populus, qui in Ægypto lateres faciebat, & Regibus duris, non ſaltem in auro & argento, ſed in luto ſeruiebat? ſi nemini ſeruiſtis vnquam, ô ingrati, quid eſt quod aſſiduè vobis imputat Deus, quod vos de domo ſeruitutis liberauit? An fortè Patres veſtri ſeruierunt, vos autem qui loquimini, nemini vnquam ſeruiuiſtis? Quomodò ergò ſoluebatis iam tributa Romanis, &c. Mouet me fratres, hominum vana ſuperbia, qui etiam de ipſa quam carnaliter intelligebant ſua libertate, mentiti ſunt, dicentes; *nemini ſeruiuimus vnquam.*] Contudit hanc ſuperbiam præterea Chriſtus, alligata ſeruitute peccati, qua opprimebatur. Et idẽ etiam poteſt Chriſtiano, ingenuitatem ſeu nobilitatem ſuam oſtentanti, multò que etiam inſtius Religioſo, cui de ingenuitate ſua glorianti, & idcircò detrectanti imperium, reponit Euſebius Gallicanus hom. 3. ad Mon. propè eſſe vt qui ita de ſe ſentit ac loquitur, vt eiuret Chriſti redemptionem, negetque ſe eſſe redemptum, quod niſi captiuo, ac proinde ignobili non contingit.

Indignitate ergò eſt non ferenda, vt qui in domo Dei non obliuiſcens cognationem ſuam & domum patris ſui, inflectur & extollatur ob ſanguinis ſui nobilitatem, quaſi alia ſit vera nobilitas, quàm virtutum, vt Iulian. orat. 3. quoque Apoſtata agnouit, & quaſi multum interſit inter lutum, & lutum, vt recte in hanc rem philoſophatur Philo l. de nobilit. Non eſt nobilitas, iuxta D. Auguſtinum ſer. 117. de temp. quæ ſe per ſuperbiã apud Deum reddit ignobilem, quod dixit aduersùs eos qui abluere aliorum pedes, Chriſti imitatione detrectabant, cauſantes nobilitatem ſuam. Sed æquè valet contra omnes, quibus nobilitas remoram iniicit in exercitatione pietatis. Et quia per corruptelam generis humani, facile eſt inde in ſchola humilitatis ſumi animos, & iacere ſtudia in oculis hominum vilia, admonebat Demetriadem Virginem nobiliſſimam, Deo ſe mancipantem Pelagius, ne ſuæ vnquam meminiſſet nobilitatis, niſi vt cum claritate generis, morum ſanctitate contenderet, alioqui delictum eſt, & per ſtatus humilitatem non potiùs ſplendore nobilium, & carere deſpectæ nobilitatis merito apud Deum; nec niſi vana religione collucere, ita vt habeat locum circa huiuſmodi nobilem, illud Sancti Baſilij ad Syncleticum apud Caſſianum l. 7. cap. 19. ex ſenatore ex legem Monachum, *& ſenatorem amiſiſti, & Monachum non feciſti.* Abfuerunt ſanè ab ea labe omninò multi, qui cum iuxta ſæculi vſum eſſent nobiliſſimi, accurata in ſui ipſorum deiectione, & virtutum omnium, præſertimque humilitatis exercitio, claruerunt in religioſo ſtatu, quod ſua ætate valuiſſe, ait Sanctus Hieronymus Epiſtol. 26. Et præter Apoſtoli regulam, non multos nobiles Chriſtum ſecutos aſſerentis, ſuo item tempore contigiſſe, vt multi eſſent nobiles calcatione caducorum omnium, Chriſtum religione lucrifacientes, dixit Sanctus Bernardus Epiſtol. 109. aſſerens alibi Epiſt. 113. tales de contemptu gloriæ glorioſiùs ſublimatos, & ſublimiùs eſſe gloriatos Imperatorum, Regum, Principumque, ac Dynaſtarum ad eum modum in ſtatu religioſo deiectorum, qui maluerint deſinere eſſe innocentum Domini, quam criminum ſerui, quales multos nobiles habet mundus expoſtulantibus Eucherio hom. 3. de Paſchate, & Saluiano l. 4. de prouid. catalogum plenum dabit Platus l. 2. c. 26. & 27.

An expediat nobiles in ſacros cœtus cooptari, cur dubitatum.

QVanquam quod interdum, feruor primus in iſtiuſmodi perſonis ſi minùs attentè ſe gerant, remittatur, & quantum potuiſſent exemplo bono proficere aliis, tantum inferant frequenti impunitate nocumenti, reuocatum aliquandò in dubium eſt; expediretne cooptari in ſacros cœtus multitudinem nobilium. Id quod latè verſat Stephanus Binetus ad calcem in Sanct. Bathildis vita. Simpliciter tamen ac ex ſe rem ſpectando, bene compoſitis animis, ſtimulus magnus ad omnem virtutem eſſe ſolet, qui ex generis claritate petitur. Nec incommodare eam claritatem ſplendori virtutum, in confeſſo eſt. In quam rem Sanctus Paulinus Epiſtol. 10. & ipſe ex nobiliſſimo ſæculari, nobiliſſimus Dei ſeruus ac Monachus, egregiè diſſerit, occaſione Melaniæ Hieroſolyma reducis, poſt quinque luſtra. In ea námque, nobilitatem generis inde commendat exemplo Chriſti, &

SECT. II. CAP. XII. *De temperatione cognationis ſpiritualis.*

Ioannis Baptiſtæ quos ſcriptura recenſitis maiorum titulis illuſtres ſanguine docuit, quod in Dei obſequio ita ſe geſſiſſet vt ex ea perſpicuum eſſet, [id quodque ad operis ſui gloriam Dominum contuliſſe, quo magis confunderetur iſte mundus, qui talibus titulis gloriatur, vt quo vanitas hominum ad contemptum Dei vtitur, iſta potiùs ad contemptum mundi vteretur: ſimul vt maior ſalutaris exempli proderetur autoritas, humiliandis ſuperborum oculis, mulier celſiore gradu ad humilitatis cultum, ob amorem Chriſti deiecta ſublimiter, vt viros deſides in infirmo ſexu fortis argueret: arrogantes in ſexu vtroque perſonas, paupeřáta diues & nobilis, humiliata confunderet.]

Eiuſmodi ſi ſint qui in ſacros cœtus inſeruntur, viri in ſæculo nobiles, non erit quod luxationi regularis diſciplinæ ab eorum conditione priore, timeatur. Et quia erit quod in eis ſupra nobilitatem ſplendeat, non erit, cur vel ipſi fruſtra ex origine ſua corporea turgeant, vel inde maximè ab aliis celebrentur. Id enim iuxta præclarum Hilarij Arelatenſis in S. Honorati monodia, nobiliſſimi in ſæculo viri, de viro item nobiliſſimo agentis, diſputationem; locum duntaxat habet, cum quod in propriis virtutibus deeſt, in patrum gloria quæritur. [Nos autem in Chriſto vnum ſumus omnes, & faſtigium eſt nobilitatis, inter filios Dei computari, nec addere nobis quicquam ad dignitatem terrenæ originis decus, niſi contemptu ſui poteſt. Nemo eſt in cœleſtibus glorioſior, quàm qui repudiato parentum ſtemmate, elegit ſola Chriſti paternitate cenſeri.] Hæc recogitans Religioſus, quondam nobilitate clarus, non inflabitur ex ſæculari cognationis ſuæ claritate, ſed de pretioſiore nobilitate, quæ virtutum eſt, ſtimulante natiua generoſitate, ſollicitus, præ omnibus deiectus eſſe, & haberi valet. Nec putabit ſe idcircò nobilitatis gradu exturbatum, iuxta errorem meritò a Saluiano l. 4. de prouid. exagitatum. [Illud (inquit,) quale, quàm ſanctum, quod ſi quis ex nobilibus conuerti ad Deum cœperit, ſtatim honorem nobilitatis amittit? Aut quantus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, vbi religio ignobilem facit?] Longa in eam rem Tiraquelli tract. de nobilit. cap. 16. diſquiſitio, apud eum legi poteſt. Vtut verò ſtatuant iura ſæculi, probatus, & eo nomine dignus Religioſus, non cenſebit ſe de antiqua nobilitate deiectum, ſi ſibi ſupra omnes vileſcat, & claritatem generis captata obſcuritate commendet.

Apex inſaniæ, nobilitatem ſibi in Religioſo ſtatu, appingere.

HÆc ad eos dixerim Religioſos, qui verè in ſæculo titulis nobilitatis præfulſerint. Nam eorum inſania, præcedens eſt ad indicium, qui cum in ſæculo, viles reipſa, & obſcuri natalibus fuerint, aut certè non prætulerint eas vanas notas, quæ præferri à conſpicuis nobilitate ſolent, in ſtatu tamen religioſo, eas vſurpant. Verbi gratia nobilitatem redolet præpoſitio *De* cognomini gentilitio præfixa, iuxta quem vſum vnus denominatur *Petrus de Honeſtis*, alter *Paulus de Caſtro*. Deliratio ergo eſt commiſerationem mouens, quod homines vano ſenſu, quibus non ſubeſt ſcientia Dei, eam nomenclationi ſuæ ſubſcudem appingant in domo humilitatis, vt nobiles audiant, & claritatem cognationis oſtentent.

Ad extremum verò ſtultitiæ prouecta apicem videri potuit, ea religioſorum quorundam agendi ratio, nunc per Dei gratiam planè obliterata, qui in extrema vita, cum rationes ſubducendæ accuratè fuerant, & omnia ad exquiſitam perfectionem exigenda, ſolliciti erant, quomodò poſt mortem haberentur nobiles, tranſcripta in nobiles viros ſubſtantia, de qua tunc fas erat Monachis diſponere, ab adoptiui ac ſubitanei propinqui, quem ſemper extraneum priùs habuiſſent, fulgore, lucem ſibi aliquam conquirentes, quod grauiſſimè inſectatur Saluianus l. 3. de Eccleſ. Sed quod (vt dixi,) ea abuſio planè deſueuerit, abrogata Religioſis teſtandi facultate, extra peculiare ſolius Pontificis indultum; vt Sanches 7. in decal. cap. 8. numer. 5. tradit, atque Suares tract. 7. de relig. l. 8. c. 16 non eſt quod in beſtiæ iugulatæ necem, ſtylo infixo incumbam.

CAPVT XII.

De temperatione affectus Religioſorum, erga cognationem ſpiritualem.

NOn ſumo *cognationem ſpiritualem*, vt fit in tractatione de impedimentis matrimonij; vbi agnoſcitur ſpiritualis conſanguinitas oriunda ex Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis, dirimens matrimonium ſubſequens, & ſponſalia ſi iam fuerint contracta diſſoluens. De tali inquam cognatione hîc non ago, præſertim cum iura vetent Monachos agere ſuſceptores in Baptiſmo & Confirmatione vbi ſpiritualis cognatio contrahitur, quod ipſum vetuit Sanctus Gregorius ſcribens ad Valentinum Abbatem, arguens Monachos, quod ſibi commatres facerent. Et quanquam Ægidius Coninck 3. p. quæſt. 67. numer. 56. nomine *Monachorum* in ea prohibitione, intelligi dicat illos tantum regulares, qui ſibi ſolis viuunt, non comprehenſis aliis qui proximorum quoque ſaluti vacant, tamen meliùs Sanches 6. in decalo. capit. 6. numer. 24 & Valentia 3. p. d. 4. quæſt. 2. part. 3. eam prohibitionem (nam duntaxat prohibitio eſt, non facti irritatio,) extendunt ad quemuis regularem, qui in Epiſcopum non fuerit promotus.

Spirituales Religioſorum cognati, Fratres eiuſdem Ordinis.

DE cognatione ergo ſpirituali, Moralibus Theologis protrita; & ad propoſitum modum accepta, non eſt hîc ſermo, ſed de ea quæ Religioſo cum aliis eiuſdem cœtus ac inſtituti intercedit. Nam etiam *Fratres* dicuntur, nomine olim Chriſtianis omnibus communi, (vt ex Tertulliano & Minutio, aliiſque veteribus ab Albaſpinæo l. obſeruat. ſacrar. c. adductis habemus,) ad religioſos reſtricto: Et meritò, cum in Religioſis maximè vigeat Chriſtiana perfectio, & eius vinculum fraterna charitas. Nec eos Religioſos qui ſunt Canonici vel Clerici Regulares, dedecere appellationem *Fratrum*, confirmat Baptiſta Signius l. 2. de ſtatu Canon. Regul. cap. 4. Et eſſe hanc virtutum ac ſpiritus conſanguinitatem atque cognationem, carnali cognatione potiorem, benè

aſſerit Philo l. de ſpec. legib. Quandoquidem ergò Religioſi ſunt fratres, & vni capiti tanquam patri, religioni autem vt matri ſubiunt; meritò ſacra familia cui inſeruntur, eſt eis pro cognatione ſpirituali, erga quam affectus poteſt eſſe immoderatus; ac proinde quatenùs ſit temperandus, videndum ſupereſt.

Aduerto ergò, non ſecùs vt plurimùm, affici Religioſos erga religioſum cœtum cui conſeruntur, quàm ſoleat quis affici erga ſuam cognationem: nec aliter à multis delirari in hac parte, quàm ab hominibus ſæculi circa ſuam carnem & ſanguinem. Vnde ſicut qui merſi ſunt affectibus conſanguineorum, familiæ antiquitatem & nobilitatem, vndecunque licet, extollunt; & omnia eius probra pro viribus amoliuntur: ſuorum verò ſenſa & iudicia, ac contentiones cum aliis familiis tenaciter retinent: ita permulti Religioſi, mundum inducentes in religionem, pro ordinis prælatione ſuper alios, eiúſque nobilitate vndecunque abſoluta, ſatagunt flagrantiſſimè: & quibus ſemel imbuti ſunt opinionibus tanquam Ordini propriis, inhærent conſtantiſſimè: Quæ verò peruerſi fuerint ad probrum Ordinis pertinere, quantumuis vera, & certa ſint, non adducentur vt vera eſſe fateantur, quantumcumque liquida ſit veritas. Attingamus ſingula, nec ferè ex iudicio aut ſenſu noſtro, ſed ex notatis ab iis quorum ſuſpecta eſſe nequeat ſententia.

Ordinis proprij prælatio, labes intemperati erga eum amoris.

PRælatio Ordinis proprij, referta eſt tumoris; & inopiæ indicij. Impingit hanc maculam Monachis, Phillippus Abbas l. de continentia Cleric. cap. 86. Pugnans pro Canonicis Regularibus, dicens, Monachos præſumptionis nebula caligantes. [Cum circumeunt mare & aridam vt faciant vnum proſelytum, cum aliquem vitæ ſæcularis, hortantur fieri Monachum, talibus eum allicere blanditiis, vt dicant, ordinem ſuum cæteris ordinibus digniorem; vitámque Monaſticam non ſecundam alteri, ſed omnibus gradu & meritis altiorem. Si conuerti, (aiunt,) deſideras, ad nos meliùs applicabis; noſtris autem monitis conuenientiùs inclinabis. Nec noſtri eſt conſilij vt ad alium ordinem debeas proficiſci, cum noſtro ſublimiorem non poſſis adipiſci. Noſter equidem Ordo, cæteris dignior inuenitur; hæc viuendi ſemita nullo compendio præuenitur; Et ideo ſi vis dignum inuenire profectum, ſcias te non poſſe gradum alias aſcendere tam perfectum. Non poteſt (aiunt,) quiſquam altiùs euehi, quàm vt Monachus efficiatur; cum hic ordo dignior & cæteris ſublimior habeatur.] Non eſt Monachorum duntaxat hæc labes, alibi quoque ſimiles plerunque voces emittuntur: dum ij quidem qui ex ſuo inſtituto addictiores ſunt contemplationi; ſubtus ſe iacere volunt alios, qui operibus vitæ actiuæ & adiutorij proximorum, contemplationem perficiunt: quorum illi ſe Mariæ, quæ optimam partem elegit; alios verò Marthæ negotioſæ & ſollicitæ, ac turbatæ circa plurima, reſpondere ſtatuunt. Et cum intra vnumquodque horum inſtitutorum; varij ſint Ordines, non rarò alter cum altero, de dignitate ac præcellentia contendit.

Putor ſuperbiæ ex huiuſmodi prælatione ſui ordinis inhalatus, non eſt cur demonſtretur, cum per ſe prodatur. Inopia item indicij cuius damnabam hunc inordinatum ſui ordinis amorem, manifeſta eſſe poteſt, ex analogia religioſi cuiuſuis inſtituti, cum acie aliqua iuſti exercitus. Vniuerſum enim corpus religioſorum, rectè conferri poteſt integro exercitui, ex multis ac variis aciebus conſtituto, iuxta adducta alibi ex S. Chryſoſtomo, & Odone Tuſculano, ad illud *Caſtra Dei ſunt hæc.* Sicut ergò in exercitu pleno, contentio de præcellentia acierum ordinatarum, vacaret indicio; cum vnaquæque ſit exercitui ad complementum ſuum neceſſaria, & vna acies alteram muniat; ne poſſit alteram abſque exitij periculo abiicere; ſed vnaquæque gradum & ordinem in quo conſtituta eſt à Stratego, tueri ſollicita, alteram depreciare non debeat: Ita idem in aciebus Religioſis contingit; in quibus qui iudicio pollent, id vnum ſpectare ac curare debent, vt ſecundùm Ordinem ſuum gradiantur, iuxta Moſis præceptum Num. 2. quod ad hoc negotium accommodat Philippus Abbas cap. illo 86. addens item ordinationem charitatis indictam in Canticis Canticorum, & planè neceſſariam vt myſticorum caſtrorum acies, terribilis ſit hoſtibus, & bella Domini obeat fœliciter, ac iuxta finem ſummo totius ſacri exercitus Imperatori præſtitutũ. Nimirùm conſiliũ fuit Dei, varias ſanctas viuendi religioſe vias ſubminiſtrare, quarum vnicuique, fas eſſet pro varietate propenſionum ac geniorum multiplicium, inſiſtere fructuosè. In quo conſilio Theodoretus, in relig. hiſt. cap. 27. Baradati varias exercitationes deſcribens, ait Deum circa pietatis alumnos idipſum proportione præſtitiſſe, quod Satan perdendis mortalibus intentus, præſtitit circa peruerſos, varias vitij vias adinueniens; quarum hanc vni, aliam alteri ad exitium commodaturam perſpexit. Similiter itaque Deus varia ſacra inſtituta ſapienter prouidit iis quos ad ea vocaret opportuna, ad promouendam Dei gloriam, & ſuam ipſorum ſalutem ac perfectionem curandam. Vnde vnuſquiſque Ordinem in quo à Deo locatus eſt, adamare & ſibi optimum ac conuenientem ducere debet; dimiſſa cum cæteris comparatione, & damnoſa prælatione. Neque tamen hoc dico, omnia religioſa inſtituta, eſſe abſolutè ac ſimpliciter æqualia perfectione. Id enim falſum eſt, cum iuxta Sanct. Thomam 2. 2. quæſt. 188. artic. 6. Penes perfectiorem finem alicui ordini præfixum, aut penes perfectiora & aptiora media, poſſit de præeminentia vnius ordinis religioſi ſupra alium, conſtare. Hoc igitur non inficior, rem abſolutè ac in ſe conſiderando. Per habitudinem tamen ad eum qui in ordinem aliquem à Deo vocatus eſt, ac ſub eo reſpectu, quiſque religioſus ita ordinem ſuum ſibi optimum cenſere debet, vt ad nullius alterius inſtituti deprecationem veniat: ſed inutilibus hiſce comparationibus abſtinens, nitatur perfectum obſequium præſtare Deo, gradiens in ordine ſuo iuxta Moſis iuſſum, & Origenis de eo interpretationem. Et hac in parte deficere, hominis eſt, (aiebam,) laborantis inopia iudicij: nec ad ſcopum Dei in varietate inſtitutorum, Religioſorum, attendentis.

Firmat hanc ſobrietatem, vſus ſapientum; qui quamvis interdum in alicuius alterius inſtituti laudem effundantur; de ſuo tamen parcè ac moderatè loquuntur. Vel ſi aliquandò ſenſum ſuum de ſorte ac funibus quæ ſibi cecidiſſe in præclaris grati agnoſcunt, adacti prodant, & quæ viderunt & perſpexerunt ac veluti contrectauerunt de ſui ordinis ſanctitate non taceant: abſtinent tamẽ indecoris Prælationibus, & inuidioſis antepoſitionibus in proprio ore ſordentibus. Et qui plus ſapiunt, præconia ſui ordinis ab aliis potius expectant. Sic Petrus Clunia-

SECT. II. CAP. XII. *De temperato amore cognationis ſpiritualis.*

SECT. II. CAP. XII. *De temperato amore cognationis ſpiritualis.*

cenſis l. 2. mir. c. 28. & l. 6. Epiſto. 12. ſuorum Benedictinorum decora, perpaucè & rarò attingit: Cartuſienſium verò gloriam vſque eò extollit, vt vix altius poſſit quod item fecit Gulielmus Abbas S. Theodorici, ordinis primum Benedictini, tum Ciſtercienſis, ſcribens ad Cartuſianos de Monte Dei nec non Petrus Cellenſis Epiſto. 25. & 46. Nicolaus Monachus Sueſſionenſis deſcribens Acta S. Godefridi Ambianenſis l. 3. c. 8. Arnoldus Boſtius recenſens illuſtres Cartuſianos omnes alterius ordinis quam Cartuſiani: Præter alios quos magno numero addendos in Stylita myſtico puncto 11. Similiter Encomia Ordinis Ciſtercienſis, magnificè contexunt Philippus Abbas bonæ ſpei, l. de Cont. Cler. cap. 125. nec non Stephanus Tornacenſis, Epiſtol. 2. & Petrus Bleſenſis; Epiſto. 82. & 86. & 96. ſpecialiterque Claraualleſes, extollunt magnificè Petrus Cellenſis, Epiſto 54. & 58. ac Nicolaus Anglus Epiſtol. 7. & 45. ex Monacho albo, tum monachus niger. In horum ore (quippè externorum), non ſordebant laudes inſtituti quod celebrabant: domeſtica autem multò temperatius collaudarunt; quia tametſi vt Nazianzenus in Gorgoniæ ſororis ſuæ monodia dixit; fas quoque eſt domeſticos exornare, eiſque non negare debitam laudem; tamen certum eſt, minus obnoxiam eſſe ſuſpicionibus laudem quæ ab externis defertur: & illam ipſam quam à Domeſticis pangi fas eſt, eo cenſeri congruentiorem, quo fuerit temperatior & reſtrictior. Faceſſant ergò ſupra iuſtum exaggerata ordinis præconia, & inuidioſæ, nec niſi ad contentiones excitandas idoneæ, prælationes Ordinis proprij, ſupra alios: ſiue perfectio maior à ſubſtantialibus deſumatur, ſiuè ab adiunctis accidentariis: quo vtroque modo, varij in præferendis ſuis ordinibus, cordis inopiam prodiderunt. Vt autem debita temperatio apud omnes adhibeatur, ſigillatim aliqua circa vtrumque illud caput, ſunt adiungenda.

Prælatio Ordinis ſui penes perfectionem ſubſtantialem, vnde petenda, ne ſit intemperata.

PEnes perfectionem ſubſtantialem, eget temperatione ſenſus ille nonnullorum Religioſorum ordinem ſuum præferentium ob rigiditatem maiorem; ſiuè ea attendatur penes auſteritates ſtatas, & ex regula præfixas; ſiuè penes elongationem maiorem à conuictu & conſuetudine cæterorum; ſiue penes expreſſionem exquiſitiorem perfectionum, quibus Chriſtus præluxit mortalibus ac nominatim paupertatis. Quoad hæc omnia, nonnulli non ſecundù ſcientiam de rebus pronunciantes acti flagrantiſſimo inſtituti ſui amore, impegerunt; maiorem ordinis perfectionem deſumentes ex mediis, non ex fine præfixo: ad quod metrum admetienda potius fuerat ordinis perfectio ſubſtantialis, vt cum S. Thoma 2. 2. q. 188. art. 6. rectè ſtatuunt Leſſius, l. 2. de virt. c. 41. num. 20. Suares, tract. l. Sanches, 6. in decal. c. 7. Miranda, t. 1. manu. q. 9. artic. 5. & paſſim qui de Religioſo ſtatu diſſerunt.

Negat verò nominatim D. Thomas, perfectionem maiorem ſubſtantialem Ordinis religioſi, poſſe deſumi ex corporali exercitatione; id eſt ex aſperitate, ſiuè in veſtibus horridis, ſiue in vſu cilicij aut flagellorum, ſiuè in ieiuniis aut abſtinentiis. Et aliud ſane eſt, religionem eſſe perfectiorem, aliud eſſe auſteriorem, vt cum multis notat Sanches ſupra n. 19. Eſſe quidem extra dubium debet, non eſſe in veſtitu quærendam mollitiem aut pretioſitatem; vt S. Bernardus in Apol. ad Gulielm. contra Cluniacenſes diſſerit; nec negari poteſt, quin vſus corpus contundendi ac caſtigandi, imitatione Apoſtoli & ſanctorum, magnæ ſit vtilitatis ad decurrendum ſcamma perfectionis. Vnde magna eſt imperfectio in religioſo, carnis ſollicitior curatio, iuxta Caſſianum, collat. 5. c. 25 & 26. & Richardum, in pſal. 25. & c. 13. in Cant. & l. de Incar. cap. 3. aſtipulante Philippo Abbate, l. de continent. c. 91. & 94. qui obeſitatem & craſſitudinem ac pinguedinem Monachi, ex cuticulæ curatione non ſegni, manare ſolitam, habet pro nota tenuitatis religioſi ſpiritus, & malæ vitæ. Quod limito ad corporis habitum opimum, ex cura eius, & neglectu animæ; quam Origenes in pſalm. 36. rectè obſeruat tenuari atque tabeſcere corpore incraſſato.

Fateor hæc omnia conſonare veritati. Tamen recolendum ſemper eſt iudice Apoſtolo, 1. Tim. 4. hanc (vt vocat) corporalem exercitationem, γυμνασίαν colluctationem cum corpore, proportionalem athletriæ qua corpus pugnis, curſu, lucta, & ſimilibus modis fatigabatur; ad modicum prodeſſe præ multiplici pietatis, id eſt, interni obſequij diuini vtilitate. Imo plerunque multum obeſſe admonuit S. Franciſcus referente S. Bonauentura c. 5. vitæ traditque Richardus Victorinus tract. 1. de exter mali. c. 7. & in Beniam. minore c. 57. & 58. poſt SS. Baſilium, c. 5. conſtit. & q. 128. breu. & Caſſianum, coll. 3. c. 8. coll. 5. c. 18. & ſeqq. & l. 11. c. 6. atque Eucherium. hom. 4. & 8. ad Monachos. Et recolendum præterea eſt ex D. Auguſtini in Ciu. c. 19. & D. Gregorij Doctrina, hom. 5. in Ezech. vitam mixtam cuilibet alteri formæ viuendi ſimpliciter antecellere, vt latè quoque confirmat Miranda t. 1. q. 9. art. 5. At in eo vitæ genere, commodior eſt ad finem intentum moderatior vſus auſteritatum, iuxta D. Thomæ doctrinam, quam Suares tract. 10. de relig. l. 1. c. 9. quoque multipliciter confirmat & illuſtrat. Vnde non apparet, cur aliqui horridam ſuam vitæ formam, mitiori etiamſi non molli, in quocunque inſtituto prælatam velint. Apparet etiam minùs iuſtam fuiſſe conclamationem, cuiuſdam, F. Arturus à Monaſterio in addition. ad Martyrolog. Franciſ. à §. 104. in Alphonſum Rodericum, p. 2. tract. 1. c. 7. eo quod dixerit, Societatem IESV ne veſtimenti aſperitate deterreret molliculos, veſtem delegiſſe communem. In hanc ſobrietatem ſcribendi, ea illuuies verborum corriuatur, quæ ſtomachum legentium iuſtiùs emoueat, quam barbaries dictionis, quæ in hoc aliorum tam rigido Cenſore eiuſmodi eſt, vt intra eandem paginam amænitates illæ latinitatis habeantur. *Hæc decretalis, ſua ignea actiuitate, aduerſariorum ceram liqueſcet, & plumbum.* Nec ita multo poſt, *Miror quomodo, veſtimentum illud non iudicet conuenientem conuerſantibus inter homines.* Item, *maximè illis competit, Chriſti & S. Ioannis prouocati exemplo.* Hi Latinitatis rubi, horrentem huius ingenij genium referunt: Quod par fuiſſet demiſſioni potius, & aliorum de pietate & religioſa vita benè meritorum, venerationi dare operam, quam captandis vellicationibus inhonoris, abſque fundamento comprobare illud Hieronymi de cauernis cellularum damnamus orbem.

Quoad maiorem verò ſubſtantialem perfectionem ordinis alicuius, ob maiorem & ſtrictiorem

pauper

paupertatem: hallucinati ſunt aliqui, arbitrantes eam religionem cui ne in communi quidem aliquid ſit, eſſe perfectiſſimam omnium: eo quod ſit conformior Chriſto, ſupra vulpes & volucres cæli paupertato, ac proinde nullius planè rei caducæ dominium habenti, dum hic ſuperſtes eſſet. At falſum eſt, religioſam paupertatem eſſe debere cum abdicatione cuiuſuis dominij: cum etiam poſſit quis verè religioſus eſſe, ſaluo dominio, ad nutum duntaxat ſuperioris exerendo, vt ſanxit Gregorius XIII. Non item pugnare cum perfectione Euangelica, poſſeſſionem bonorum in communi, docet Sanct. Thomas 2. 2. quæſt. 188. artic. 7. Et licet ex vſu ſanctorum perfectionis Euangelicæ ſtudioſiſſimorum, Baſilij, Benedicti, Brunonis, Bernardi, aliorumque plurimorum; qui excluſo ſingulorum religioſorum dominio, non refugerunt concedere ſuis, bona in communi poſſidenda. Eſto veriſſimum ſit, altiorem paupertatem Euangelicam, cerni in abdicatione domini poſſeſſionum temporalium, ac redituum, vt habetur ex D. Thoma, opuſc. 17. cap. 14. & ſeqq opuſc. 19. cap. 6. membr. 2. At tanta excluſio dominij ſaltem communiter competentis, vt ne veſtium quidem quibus quis tegitur, & ciborum quos actu mandit, dominium ſit penes communitatem religioſam cui religioſus conſeritur; verendum eſt, ne ad Metaphyſicam potiùs ſubtilitatem pertineat, quam ad ſolidam perfectionem. Eius verò ſubtilitatis idea, malè ſtatuitur Chriſtus Dominus; quem in communi aliquid habuiſſe aliquandò, monſtrant concrediti Iudæ loculi; & ex fide credendum eſſe, ſtatuit Ioannes 22. Eiuſque conſtitutiones de dominio Chriſti, penes veſtium quibus vtebatur dominium, ſalicas eſſe agnoſcit Sanct. Birgitta. lib. 7. reuel. cap. 8. Nec quod aliqui dominium mobilium in communi repudient, ad maiorem paupertatis religioſæ perfectionem; & virtutis ſoliditatem pertinere, cenſet Suarez tract. de relig. lib. 8. cap. 9. num. 7. Videſis notata in tractatione de Iuda cap. 4. num. 6.

Variæ intemperatæ Ordinis prælationes, penes decora accidentalia. Vt penes antiquitatem.

IAm penes perfectionem accidentariam maiorem Ordinis ſui, temperatione eguerunt nonnulli; minùs ſobriè oſtentantes eius nobilitatem, penes aliqua adiuncta. Verbi gratia propter antiquitatem, & anteceſſionem duratiuam, aut penes multitudinem copioſiorem ſodalium gloria ſæculari illuſtrium, puta Cæſarum, Regum, ac Principum, vel penes plures Eccleſiarum prælatos aut purpuratos ex eo aſſumptos, aut penes ſcriptores, & Doctores celeberrimos, quorum placitis tenaciſſimè inhærere glorioſum habeatur, vel penes plures ſanctos & quidem apud Deum gratioſiores, vel denique penes cuiuſuis probi tetrioris excluſionem, verbi gratia eo quod aliquis ordo non poſſit laborare hæreſi, aut nullus in eo perditus, fuerit in caput. Hæc omnia proportionalia ſunt ornamentis illis accidentariis, penes quæ nobilitas cognationum penditur, iuxta ſæculi æſtimationem. Vnde qui ex iis ſuum ordinem efferunt, & ſe glorioſos arbitrantur, intemperato ſpiritualis ſuæ cognationis amore ducuntur: quem dignum ac iuſtum ſit moderari, cum veriſſimum ſit, omnia prædicta, ſi nuda ſint, & ſolidioribus ornamentis vacua, ad vanitatem per religioſos ſuſpici & oſtentari indignam, pertinere; quod tactis ſigillatim prædictis ca, itibus, breuiter illuſtro.

SECT. II. CAP. XII. De temperato amore erga ornamenta ſpiritualia.

Quod decus ab antiquitate Ordinis, dimitto diiudicandum Baronio, rectène Palæonidorus, Ribotus, Groſſus, Lezana, aliiſque Ordinem Carmelitarum, ab Elia, & Eliſeo repetant, à quibus longè ante Chriſtum emiſſa ſint ſubſtantialia Religionis vota, per eos Religioſos qui filij Prophetarum dicti ſunt, continuata, & ad hodiernos vſque poſteros numquam interrupta ſerie ad Dei cultum emiſſa, extendente ea Domini vinea palmites ſuos vſque ad mare, ac etiam vltra illud propagines multiplicante. Hoc Baronius repudiat, initium Ordinis Carmelitani in ipſo Carmelo plantati, ſtatuens ſub Alexandro III. vt videre apud eum eſt anno 1181. vbi ait Haimericum Patriarcham Antiochenum Apoſtolicæ ſedis in Oriente legatum, conſiderantem complures qui ex Occidente appulerant in terram ſanctam deſiderio vitæ eremiticæ, hinc inde diſperſos degere, barbarorum incurſionibus expoſitos; collegiſſe eos in vnum, & ſedem illis fixiſſe in monte Carmelo, Eliæ habitatione quondam nobilitato, hæcque fuiſſe tenuia primùm Ordinis Carmelitani initia fontem paruum qui denique in fluuium magnum euaſerit: Opus verò Ioannis Hieroſolymitani ad Capraſium, de inſtitutione Monachi, quo habitus Carmelitanus, & illius Ordinis inſtitutum deſcribitur, fuiſſe Ioannis Hieroſolymitani æqualis S. Hieronymi, negat Baronius anno 444. Suffragante Bellarmino lib. de ſcriptor. Sed latè refragante Michaële Munnos lib. 2. propugnac. Eliæ tit. 1. cap. 2. Qui eum ſodalibus, non eſt contentus ea ſui Ordinis prædicatione, in ſolitudine per Eliam, & alios illi à Deo aggregatos frequentata. Qua imagine ac rudi typo religioſæ vitæ per Eliam & ſodales dictos filios prophetarum, videtur fuiſſe contentus Salianus anno mundi 3124. Nec plus volunt omninò multi, adducti in Tractatione de Apoſtaſia cap. 3. *ſub initium*. Hanc igitur contentionem, Baronium inter ac cæteros, de Ordinis Carmelitani antiquitate, diiudicare conſilium meum non eſt. Tantum quod dicebatur, de emiſſis primùm votis religioſis per Eliam, & Eliſæum: admoneo, quantum attinet ad votum caſtitatis intemeratæ, hoc eſt, Virginitatis, quale ij cum quibus ago adſcribunt Eliæ, & Eliſæo: receptiſſimam eſſe Patrum ſententiam, tale votum primò emiſſum eſſe à B. Virgine: atque adeò non ab vllo anteriore. Neque verò planè conclamata eſt traditio Hebræorum, adducta à S. Hieronymo tract. in 1. Reg. & recepta à Petro Damiani lib. 1. Epiſtol. 6. Quod Elias idem ſit Phinees, quem conſtat fuiſſe coniugio obligatum, & filios ſuſcepiſſe qui memorantur 1. Paralip. 6. Quanquam quod Eliam perpetuò vixiſſe cælibem, receptiſſimum ſit apud Patres, quorum longam ſeriem contexuit Ægidius Camartus lib. de rebus Eliæ cap. 3. ſect. 11. Contra eandem traditionem multipliciter pugnans, poſt Torniellum anno M. 2554. atque Salianum, nolim ei traditioni multùm inniti: faciléque do, Eliam cælibem vixiſſe ſemper. At quod caſtitatem ex voto ſeruauerit: & quidem ad ſubſtantiam religioſi ſtatus idoneo: & quod primus Virginitatem vouerit, abhorret à Patrum ſenſu, vt plenè retuli in Dyptichis parte 1. p. 3. num. 3. Filios item Prophetarum Eliſæo adhærentes habuiſſe vxores, liquet ex 4. Reg. 4.

Quomodò

dótibus, quibus poſſint Religioni commodare eliguntur ad eiuſmodi munera: ſed optimi quique ac lectiſſimi, quibus eductis, manent in ordine ſola ſedimenta. Quas ob cauſas, notato graui damno Religionibus impendente ab hac potiorum electione in Præſules, nonnulli poſteriores Ordinum Fundatores, indicto ſuis voto, quod alicubi vocatur *humilitatis*, cauerunt ſuis ab hoc dæmonio meridiano. Ita quoad Societatem IESV, S. Ignatius,& quoad ſuos Carmelitas ſtrictioris inſtituti, S. Tereſia. Nec qui id votum, proximis hiſce annis allatrauit, iure id fecit; vel doctorum ac piorum approbationem tulit; vt moſtraui in Heteroclitis ſpiritualibus p. 1. ſ. 2. p. 2. à. n. 41. Eſt igitur cur Religioſus, temperet hac in parte affectum ſuum erga ordinem, nec ſibi, vel illi, de tam tenui ornamento facile abblandiatur.

Et penes ſcriptorum illuſtrium copiam.

MVltitudo ſcriptorum, non exiguum eſt ordinum decus, cui exhibendo multæ confectæ tunc (vt vocantur), Bibliothecæ, ſiue Indices & Catalogi Autorum ac ſcriptionum, quibus Eccleſiam exornarunt & ordinem. Trithemius de ſui ordinis ſcriptoribus in.lum volumen confecit. Theodorus Petreius, bibliothecam Cartuſianam adornauit, Antonius Senenſis, Dominicanam, Lucas Vvadinghus Franciſcanam; noſtram Philippus Alegambe; Petrus Lucius Carmelitanam, (ſed admodum truncam, vt monuit Coluenerius ad lib. 1. Formic. Nider. c. 1.) Thomas Gratianus, Auguſtinianam, ſub titulo Anaſtaſis Auguſtinianæ. Alij aliorum ordinum Bibliothecas confecerunt. Admittendum eſt, (vt dixi,) hoc eſſe inſigne ordinum decus: non modò quia ruſticana quorundam ſanctitas ſibi ſoli prodeſt, vt D. Hieronymus Epiſtol. 102. rectè Marcellam admonebat, caſtigans quorundam barditatem de ignorantia gloriantium, id quod etiam faciunt SS. Chryſoſtomus hom. 16. in Ioan. *in fine* & Nazianzenus orat. 20. num. 19. ſed etiam quia colluſtrato per diſciplinas intellectu facillimum eſt, voluntatem rectè componi,& vitam piè ac ſanctè exigi: vt pro monſtro ſit, virum verè doctum, ſcientiæ ſuæ pudorem iniicere, aliter viuendo quam nouit. Tamen non eſt hoc chariſma præcipuum, quod ſit Religioſis æmulandum, & penes quod Religionis ſuæ decora metiri debeant; cum conſtet, interdùm ſcientiam in muliere fatua, etiamſi pulchra, eſſe circulum aureum in naribus ſuis, vt expoſuit Caſſianus, collat. 14. c. 16. haud abs re ſcientem ac peritum, ſed malè vitam ſuam componentem, conferens cum ſue; quia diuidit quidem vngulam, ſed non ruminat, iuxta Philonis l. de agricult. allegoriam. Itaque non rarò, docti tumentes, cum ſuis Doctrinis voluntantur cæno, vel vt D. Auguſtinus 8. confeſſ. c. 8. de ſe tunc peritia ſua inflato faſſus eſt, voluuntur in carne & ſanguine. Stelliones autem, alis ingenij ac Doctrinæ deſtituti, manibus nituntur, ſed fertiles fiunt ſanctorum operum, in quæ ſtudioſè incumbunt; & morantur in ædibus Regis. Expoſitio eſt S. Gregorij, 6. mor. c. 4. cum locum ex Prouerbiorum 30. ad hoc negotium accommodantis. Eſt igitur in hac parte temperandus Religioſi affectus circa ſuum ordinem, nec faciſe deſpiciendi alii, qui tot Doctoribus non abundant.

Vanum itaque eſt eorum ſtudium, qui vt ordo pluribus ſcriptorum laboribus exornetur, ſatagunt pro trahendis ad Autores qui in eo vixerunt, lucubrationibus ad eos non attinentibus. Quem lapidem non mouit Conſtantinus Caëtanus, vt Thomam de Kempis, ſuis Benedictinis adiungeret? Trithemius ſæpè ſæpius ad hunc lapidem offendit in opere de ſcriptoribus; quaſi Ordo S. Benedicti niſi plurimis aſcititiis decoretur, ſit minus cultus futurus. Marcus Antonius Alegre, dum permultos & ſanctos & ſcriptores, ſuis Carmelitanis accenſet, qui reuera ad Carmelitanos nullatenus ſpectant, ne à ſuis quidem Carmelitanis, approbationem tulit. Æquè Petrus Vaſtellius, ardenter ſatis cauſam agens Ioannis Syluani Nepotis, quem Hieſolymorum Epiſcopum 44. & ſuum Carmelitam fuiſſe contendit, variis ſcriptionibus veterum illi adiudicandis, pleriſque minùs ſatisfecit; & ita affectum erga ordinem ſuum probauit, vt quod aliis detractum, ad eius ornamenta pertinere voluit, non ſatis euiciſſe ſit viſus: Quam iſtorum de Vaſtellio ſententiam, exceptam ab eo tranquillius par eſt credere, quãdoquidem ordinis ſui cauſæ ſeruiens, non modo Paulum Oroſium, probatiſſimum cœteroqui ſcriptorem, deiecit poſſeſſione libri *de gratia & libero arbitrio*, autori Nouatiano attribuit; ſed etiam varias S. Hieronymi Epiſtolas, vel adulteratas, vel ſuppoſititias, fuiſſe proue inſtitutum eius, & honor ordinis ferebat, aſſeruit; variorum præterea lucubrationes, quo ſcopus eius poſcebat, abripuit; totis propè tribus libris Vindiciarum pro Ioanne illo Nepote. Albertum Magnum aliqui ſodales minorem reipſa exhibuerunt, infartis nomen eius præferentibus Tomorum molibus, copia librorum Alberti ingenio ac iudicio indignorum: quod æquè circa S. Thomam fuiſſe præſtitum, ac etiam circa Scotum, dum multitudo Tomorum captatur, & gloriæ ordinis, per copioſam literariam ſobolem, illorum veluti gregis ductorum conſulitur. Itaque eſt cur Religioſorum ordinum alumni affectum ſuum temperent hac in parte, & contenti veris ac ſolidis honorum titulis, queis omnes, etiam in hoc genere abundant, non aſciſcant, ementitos, quibus apud cordatos & emunctæ naris lectores, deteratur potius quam augeſcat domeſticus ſplendor.

SECT. II. CAP. XII. De temperato amore cognationis ſpiritualis.

Nec non penes adhæſionem obfirmatam, ad omnes Doctoris Magiſtri ſententias.

SEd illa multò iuſtior eſt temperandi affectus materia, quæ ex ſolemni ad placita ſuorum Doctorum adhæſione, ducitur. Solent enim Religioſi alicuius ordinis, eorum Doctorum ſententias mordicus tenere, quas tradiderint anteriores eiuſdem familiæ Magiſtri, ac ſcriptores; is præſertim, qui veluti dux cæterorum, communi præiudicio eſt habitus. Nam eius veſtigiis adeò conſtanter ſolent inſiſtere, vt vel ſi in ſalebras declinet, nolint ab eo diſcedere; aliam quantumuis complanatam, inire renuant. Multa ſanè ſunt placita quæ olim probabantur, ſiuè quia minùs diſcuſſa, ſiue quia cum aliquo Eccleſię decreto poſtea exorto non collidebantur; quæ tamen omnium aliorum vnanimi conſenſu deſerta, aliquorum duntaxat obfirmatione retinentur; ex quo lux plenior circa ea eſt exorta, ad quam tamen vltrò cæcutiunt, rebelles lumini, qui in Magiſtri domeſtici verba iurarunt, quia putant ſua intereſſe, non deſciſcere à Doctoris ſui ſenſu atque iudicio. Quod ſi Doctor ille, variis locis,

SECT. II. CAP. XII. *De temperato amore cognationis ſpiritualis.*

cis, varia aut etiam è diametro pugnantia tradat; experimento comprobatum eſt, manibus interpolatricibus adhibitis; & vel reſectione, vel additione, aut etiam adulteratione aliqua, proſpici vniformitati doctrinæ, & ſtabilitioni præconceptæ opinionis, à qua fixum eſt non dimoueri, & vel ſi cælum tonet, ſtare in gradu. Exempla non ſigno, quia agitur de re peruia. Nec eſt quem lateat, noxam huiuſce obſtinationis ad ſacrilega quoque commenta deflectentis, viuicomburiis expiandam aliquandò fuiſſe; & ſeiunctiones vel ab omnium aliorum fidelium ſenſu, vel etiam ab Eccleſia inde extitiſſe, magno cum ſcandalo, & ordinum labefactatione. Magna pars ruinæ fidei in Oriente ex hoc fonte manauit. Nemo quippè adeò hoſpes eſt in ſacra hiſtoria, vt neſciat, Eutychianiſmum hodieque in Oriente, inficere magnam partem eorum qui à fide Catholica alieni extra Chriſti caulam lupis patentes ab rant Nam etiam Abaſſini & qui Thomæi Chriſtiani audiunt, craſſo illo ſimul piſtarum duarum Chriſti naturarum errore per Eutychetem inuecto inficiuntur. Vtraceam Ægyptios, vt quotquot Alexandrino Patriarchatui ſubſunt, ac ex iis qui Conſtantinopoli iura ſacra petunt, non paucos, eadem impij dogmatis aſſertione contaminatos. At tam peruerſum, tamque inſcientiæ & ſupinitatis refertum ſenſum, extincto breui Eutychete Archimandrita, fouerunt ac promouerunt Monachi, conſulentes honori ordinis vt putabant, periclitanti vel potius exciſo in damnatione Eutychetis Monachi & Monachorum Præfecti. Cumque Concilium Chalcedonenſe, agentibus S. Leone & religioſiſſimo Imperatore Marciano, Eutychetem planè exautoraſſet, nihil non tentarunt Monachi, vt Oecumenicum illud Concilium per cuniculos ſuffoderent: nominatimque implanato Iuſtiniano, ſpecie excutiendi atque damnandi errores trium pridem è viuis ſublatorum in eo Concilio collaudatorum Ibæ Edeſſeni, Theodoreti Cyrenſis, & Theodori Mopſueſteni; reipſa autem vt iis damnatis quos Synodus indemnes dimiſerat, Synodi autoritas conuelleretur, & Eutyches ab ea profligatus reuiuiſceret; eo res deducta eſt vt orbis propè vniuerſus ad tempus omnino diuturnum, concuteretur, ipſis quoque Catholicis in cauſa trium capitulorum inter ſe colliſis. Exemplum planè luculentum virulentiæ ac malignitatis conſertæ intemperato amori ordinis: Clareque ex eo docemur in hac parte eſſe maximam neceſſitatem temperandi affectus erga ordinem; nec cenſendum eſſe, aliquid ei decedere, cum ab antiquatis vel minus in Eccleſia receptis ſententiis, etiamſi ab aliquo primario Doctore ſuo traditis, diſceditur; monſtratum eſt alio loco. Nec graue eſſet, ſi res ferret, implere iuſtum opus, è furfuribus opinionum, quæ mordicus in variis ordinibus retinentur; ne myſticus veluti aries, gregis deſeratur; vnaque honor ordinis, nota inconſtantiæ, ductore tandem alicubi dimiſſo, infuſcetur: quamvis omnes externi Doctores, ſui iuris, & non præoccupati eo affectu intemperato; dent manus; & ineptæ tenacitatis, ac inſulſæ peruicaciæ, miſeratione tangantur.

Inſuper penes vbertatem Sanctorum Ordinis.

Eſt aliud in ſpeciem ſolidum ac inſigne ordinum decus, habere multos cælites, ſiuè plene vindicatos, & (vt nunc loquuntur) Canoniſmo claros, ſiuè inferioris gradus quoad celebritatem & certitudinem gloriæ, quos *Beatos* appellant. Nemo non videt, hoc eſſe egregium pignus beneuolentiæ Dei erga ordinem aliquem, multos tales habuiſſe, & veluti tot ſyderibus collucere, ac domeſticis ſtimulis ad omnem pietatem vrgentibus abundare. Nihilominus, & hic quoque locus, temperandi affectus erga ordinem, inſigne argumentum ſubminiſtrat. Nam niſi præſens ſanctitas vigeat in ordine, perinde erit de multis olim in eo ſanctis extolli, ac ſæcularem hominem ignauo otio marcentem, & nullo proprio actu commendatum, de maiorum facinoribus, & inſigni bellica gloria, efferri. Eſtque ea antiqua ſanctitas, præſentis ſtatus accuſatio. Itaque multi, in contumeliam ſuam diſerti ſunt; cum antiquos ordinis ſanctos, effusè celebrant, ipſi circa ſuam ſanctitatem incurij: præſtitiſſetque ſollicitum eſſe pro ſanctitate propria, quàm gloriari de aliena. Bonifacius Ferrerius S. Vincentij germanus, eo opuſculo quod perperam Gerſoni conſcriptum eſt, titulo, *contra impugnantes ordinem Carthuſienſem, ex eo quod pauca in eo fiant miracula*; fatetur vnicum (tunc quidem,) ex ordine ſuo ſanctum, fuiſſe Canoniſmo clarum; S. Hugonem Lincolnienſem; additque petente Rege Angliæ, prorſus ſilente Carthuſia, factam eam tanti viri cooptationem inter ſanctos vindicatos. Nimirum quia Carthuſia, potius quærit ſanctos efficere, quam declarare ſanctos fuiſſe qui in ea vixerunt: quod æquè deberet eſſe ſtudium quorumvis benè conſtitutorum ordinum. Et qui illud conſilium non ineunt; dum ſolliciti duntaxat ſunt, quomodò ſanctorum ſuorum philacteria dilatent, in non leues incidunt ineptias; vel eos ad ſe ſanctos trahendo, qui nullo modo ad eos attinent; vel aliquos non exploratæ ſanctitatis, abſque Eccleſiæ ſuffragio, ſanctis accenſendo.

Ex priore capite, Baronius non ſemel, aliquos ſugillat, qui quoſdam ſanctos magni in Eccleſia nominis, in ſui ordinis ſacras tabulas inferunt. Et quamvis Trithemius eo nomine interdum notetur, tamen omninò multis partibus eum ſuperauit Conſtantinus Caietanus; cuius nimium in hac re erga familiam ſuam ſtudium, cum obſeruaſſet Cardinalis Cobellutius, vereri ſe dixit, ne homo de ſanctis Diuo Benedicto ſuccenturiandis, nunquam ſatur; de S. Petro Principe Apoſtolorum, Benedictinis accenſendo, cogitationem ſuſciperet. Queruntur Minores, ex hoc nimio aliquorum pro ſe ſtudio, S. Franciſcum Eremitanis adſcriptum, ante fundatam Minorum familiam. Alij abſque vllo fundamento, S. Ignatium ante conſtitutam Societatem, inter cuiuſdam ordinis vix tum nati, Laicos meruiſſe, ſunt commenti; Id quod Ioſephus Silos, poſt interpoſitum illius fabulæ deinceps vulgandæ interdictum, auſus eſt recens chartis illinere atque publico dare. Iam aliorum iuſto auctior pro ordinis gloria Zelus, in iis titulo ſanctorum, aut beatorum donandis, quorum non eſt explorata ſanctitas, aut beatitudo; eò adegit Eccleſiam, vt grauibus decretis ſeuerè interdiceret, iſtiuſmodi exerratione; è qua facilè exiſtere poterat prolapſio indigna; qualis

De temperato amore congregationis ſpiritualis.

lis à Sulpitio memoratur in Actis S. Martini: cum tamen ab Eccleſia quæ columna eſt ac firmamentum veritatis; non in dogmatibus tantum, ſed & in cultu ſacro, & in omnibus, ſynceram veritatem proponi, ſit conſentaneum.

Item penes maiorem ſuorum cœlitum gratiam & gloriam.

NVlla verò eſt frequentior in ſacris ordinibus ineptiendi occaſio, quàm ex prælatione ſuorum ſanctorum. Spirituum ſanè ponderator eſt Dominus; nec eſt trutina vlla humana, quæ appendere ad veritatem poſſit Sanctorum merita, & gradum gloriæ quo in cælo potiuntur. Ipſis verò ſanctis, nullo modo acceptum eſt, excitari ea ex cauſa contentiones, ab iis quos ſibi addictos habent. Quod manifeſtatum eſt ex ea viſione, qua Trias SS. Theologorum Græcorum, compeſcuit inconſultos quoſdam pro ea litigantes; aliis S. Baſilium aliis S. Gregorium Nazianzenum, aliis S. Chryſoſtomum anteferentibus. Ingratas enim ſibi eſſe has contentiones, monſtrauere per viſum hi ſancti cælites; conteſtantes ſe in cælo concordes degere; & par eſſe non ſeri diſſidia, occaſione ipſorum: Ideòque placere Deo, vt vno communi feſto ad finem Ianuarij celebrando, recoleretur eorum memoria. Narratur ea hiſtoria in Græcorum Menoeis 30. Septembris Nec diſſimilem recitat Cantipratanus l. 2. Apum c. 20. n. 11. de duobus Clericis Pariſienſibus, quorum alter pro S. Ioanne Baptiſta, alter pro S. Ioanne Euangeliſta præferendo, contendebat. In Salyum montanis, cum concionator ex ordine quodam pro ſui patroni ac capitis gloria ageret ſollicitiſſimè, ita vt negaret, reperire ſe dignum tanta ſanctitate locum, ne inter Cherubinos quidem ac Seraphinos: ruſticus pro concione, elata ſubitò voce exclamauit affatus Eccleſiaſten, ne vlterius laboraret pro ſancti ſui loco. Se quippè locum quem hactenus in concione tenuerat, ei vltro cedere. Et ſic diſcedens, omnes in riſum profuſiſſimum ſoluit. Videſis quæ in hanc inſulſitatem dixi in Heteroclitis, 1. p. ſ. 3. p. 1. n. 3. tractans de electione ſanctorum.

Ad hæc, penes omnimodum Ordinis nitorem, & nullos in eo næuos aut ſtrumas.

AGmen claudat intemperatus ordinis amor, in iis qui perinde ac ſi cætus cui conſeruntur, eſſet cœtus Angelorum, non ſuſtinent audire, quod aliqua labes in eum ceciderit. Iacobum Gaulterium, nauum vineæ Chriſti, verbo & ſcripto colonum, lancinatum memini, quod Chronographiæ ſuę intexuiſſet damnationem quorundam certi ordinis etronum; quæ quod in ipſo Iuris Canonici corpore proſtaret, celari nulla ratione poterat. Mihi nuper impacta dica eſt, quod in Tractatione de Apoſtatis, Bernardinum Ochinum, fuiſſe infamem transfugam, in peccatis ſuis mortuum ſcripſerim; quaſi id ipſe primus & ſolus dixerim, quod lippis quoque eſt perſpectum. Non defuit, qui Lutherum ad ordinem ſuum heremitanum attinuiſſe, diffiteretur; ſapientius acturus, ſi cum Cocquæo, obiectanti eam ſtrumam è ſuo corpore reciſam eſſe; repoſuiſſet. *Ex nobis prodiit, ſed non erat ex nobis.* Vel ſi dixiſſet, nihilo plus dehoneſtari ſacros ordines per eas emiſſitias, quam collegium Apoſtolicum ex Iudæ intra illud cooptatione; vel quam ſanctos Angelos, ex eo quòd inter eos adhuc viatores, fuerit Lucifer cum aſſeclis. Abſterſi eam prætenſam maculam à ſacris Ordinibus ex aliquorum ruina, agens de Apoſtatis cap. 1. Et poſſet ſanè non diſſimiliter exprobrari Eccleſiæ, ruina aliquorum, præſertim magni aliquando nominis, ex ea deiectorum per infidelitatem. In quem ſenſum S. Auguſtinus accipit illa pſalmi 41. *dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.* Oſſa enim interpretatur, fortes ac robuſtos, Eccleſiam doctrina ſua aut operibus fulcientes: quos ſi contingat confringi impacto Satanæ malleo, exprobratur Eccleſiæ ab hoſtibus, quaſi pars ei fuerit in tali veluti confractione oſſium; id eſt, in huiuſmodi validorum per ſuam ſocordiam euerſione. Eccleſiæ dum militat, talia vitio vertere, eius eſt qui dedidicerit conditionem viatorum. Intemperatus itaque amor eſt, nolle agnoſcere, qui in ordine degunt eſſe peccato & lapſui obnoxios; poſſeque in eis quoque reperiri prauitatem.

Coronis de partiali intra ordinem impeccabilitate, & certa ſalute.

INgenuè aperio, quod occurrit. Ægrè adducor, vt mentionem faciam inſulſi priuilegij, quod multiplex experientia, noſtris quoque diebus, reuicit falſitatis, nec deerant anteriora exempla. Sed teſtis locuples Alphonſus de caſtro, liberabit fidem meam, & ne quid affinxiſſe videar, ſecurum præſtabit. Scribit Alphonſus, l. 1. contra hæreſ. c. 9. audiente ſe, concionatorem de ſacro pulpito, fidenter pronunciaſſe, qui habitum ordinis, cui concionator conſertus erat, ſemel induiſſet, immunitatem accepiſſe ab hæreſi, ex priuilegio ei ordini diuinitus collato. Hoc ille vanè & falsò effutiit. Nec minùs feſtinè delirant, qui ex geſtatione certi habitus ad triduum, ſpondent omnium quantumvis immanium & quantumvis multiplicium culparum deterſionem, ac commeatum ſecurum ad gloriam. Tantum poteſt intemperatus amor ordinis, & Zelus iuſto flagrantior pro eius honore: Vnde non tam ordini decus, quam improuido gloriæ eius amplificatori, dedecus accedit, apud æquos æſtimatores.

Sed me huiuſmodi exuerrarum iam capit ſatietas. Itaque quamvis non deſint aliæ, rectè compoſiti amoris ordinum maculæ, quibus extergendis æquè poſſet impendi opera; conſulto tamen abſtineo pluribus: illud vnum enixè commendans quibuſvis ſacrarum familiarum alumnis, vt ordinent in ſe charitatem; ne præpoſteris, & malè ordinatis erga ordinem abs ſe initum affectibus, remigrent in ſæculum à quo ſe receſſiſſe, ineunda Religione, exiſtimarant.

SCOPVS ſcriptionis.

Sect. I. De amore nationis in ſeruis Dei temperando.

Caput I. Amor Nationis ex ſe purus, nec Religioſum dedecens.

Cap. II. Amorem Nationis, niſi à Religioſo temperetur, cœnoſum facilè effici, & virulentam multorũ malorum ſcatebrã.

Cap. III. De Nationis amore in ſeruis Dei temperando, ſcripturarum oracula.

Cap. IV. Patrum voces, de neceſſaria homini Dei, temperatione affectus in gentem ſuam.

Cap V. Antiquis Chriſtianis temperationem amoris erga nationem cuique ſuam & effectum bonum in exteros, gentis diſcrimine eliminato, fuiſſe cordi quã maximè.

Cap. VI. In Religioſis cœtibus benè conſtitutis, intemperato erga nationem propriã affectui non fuiſſe locum, ſed amorem vniuerſalem gentis cuiuſcunque, viguiſſe iam olim.

Cap. VII. Dicta & facta Ethnicorum, pro externarum quoque Nationum amore & vniuerſali charitate.

Cap. VIII. Rationes pro temperando in ſeruis Dei nationis propriæ amore.

Cap. IX. Quæ cauſa in ſeruis Dei auerſionem ab aliena Natione aut immoderatam propriæ amorem, poſſit acuere.

Cap. X In quibus à ſeruis Dei, temperandus ſit Nationis amor.

§. I. Corda.

§. II. Voces.

§. III. Opera.

Cap. XI. Quæ ſerui Dei, pro gente ſua ac Principe, oratio ad Deum poſſit haberi temperata. Diſcuſſa appendix noua ad orationem Dominicam.

§. I. Iure ac meritò orandum pro Principe, etiam ſuper ſacrum.

§. II. Num probanda additamenta, ad orationem ab Eccleſia propoſitam.

§. III Additamentum illud, hoſtes ſuperare, qui legitimum contendant.

§ IV Quæ in contrariũ vrgere videantur.

§ V. Pronunciata ad controuerſiæ diiudicationem.

Pronunciatum I.

Pronunciatum II.

Pronunciatum III.

Pronunciatum IV.

Cap. XII. Quæ negotiorum per religioſum pro gente ſua, aut Principe geſtio, habenda ſit temperata.

Cap. XIII. De amore Nationis partialis, ſiue patriæ preſsè acceptæ, ſeruis Dei tẽperando.

Cap XIV. De Inſititiis, & panno ſauentibus.

Sectio II. De amore cognationis in ſeruis Dei temperando.

Caput I. Amorem cognationis, ex ſe honeſtum eſſe, & Religioſos quoque decere.

Cap II. Amorem cognatorum niſi à ſeruo Dei temperetur, grauiũ malorum eidẽ cauſam eſſe, & à perfectione cui ſe addixit auertere.

Caput III. Dicta & facta veteris Teſtamenti, ad commendandam amoris erga cognatos temperationem accommodata.

Cap. IV. Dicta & facta Chriſti, in temperando erga propinquos affectu, ſuis domeſticis prælucentis.

Cap. V. Dicta ſanctorũ Noui Teſtamenti, de neceſſaria Euãgelicæ perfectionis profeſſoribus, amoris erga cognatos tẽperatione.

Cap. VI. Facta ſanctorum noui Teſtamenti coniunctorum Martyribus ipſorúmque Martyrum, monſtrantia quàm auerſi ab intemperato affectu erga cognatos eſſe debeant, qui perfectioni Euangelicæ dant operam.

Cap. VII. Facta ſanctorum in Chriſtiana pace Martyrum, temperatum ſuorum amorem, & ſanctam ab eis abiunctionem teſtantia.

Caput VIII. Senſus externorum, quà dictis, quà factis expreſſus, de neceſſaria ad virtutem perfectam, temperatione affectus erga cognatos & propinquos.

Cap. IX. Neceſſitas tẽperandi affectum ſeruorum Dei erga cognatos, ratione aſtruitur.

Cap. X. In quibus à ſeruo Dei temperandus ſit affectus erga cognatos, in procinctu ineundi ſtatus Religioſi.

Cap. XI. De temperatione affectus erga cognatos, poſt initam Religionem.

Cap. XII. De temperatione affectus Religioſorum erga cognationem ſpiritualem.

PRATVM SPIRITVALE
DE VARIA
HISTORIA CHRISTIANA
ÆVI NOSTRI.
CENTVRIA PRIMA.

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQVE DOMINO

D. ANDREÆ PIANELLO,

IN LVGDVNENSI CVRIA SENATORI MERITISSIMO.

SApienter Antiqui quos in lucem edidiſſent libros, eleganti & propria appellatione authorū ſuorum prolem dixere, Illvstrissime Senator. Nobiliores quippe animi fœtus humani que partus ingenij characteribus ſuis, & proprio authorum ſtylo hos longè perfectiùs, quàm ore pueri parentes exprimunt. Pari profectò iure hunc libellum, Benjaminum P. Theophili, cognominare poſſumus, quem iam ætate prouectus fæliciter peperit; ſed amore illo quo in parentis deliciis erat, inuidæ morti viſus fælicior, crudelis illius falce percuſſo parente, ad ſummā pænè infælicitatem à primis annis adductus eſt, fratribus ſuis ſpoliatus, qui à Genitoris morte ex oculis erepti ſunt. Hic ad te pupillus, ſe in tuam fidem, & clientelam commendaturus accedit, nempe tibi hunc dudum deſtinauerat Pater Theophilus, in nullius manus poſſe illum tutiùs collocari exiſtimans, quàm illius qui inter familiares, & amicos tenuit ſemper primas: eâ ductus fiduciâ partem aliquam amicitiæ deriuatum iri in prolem, quâ parentem donec fuit in viuis continenter complexus es. Igitur Patri Theo-

philo claræque ipſius ſoboli fieret iniuria, ſi ſpreta patris voluntate, prolis emolumento, & nulla paternæ amicitiæ habita ratione, eam alterius tutelæ committeremus. Et ſanè cui potiori iure hæc Hiſtoriarum centuria dicari poterat, vir Clariſſime, quàm tibi hiſtoriæ adeo ſtudioſo & rerum cognitionis percupido, vt illam ex remotiſſimis terrarum orbis regionibus auerſas, huius tuis in Bibliothecis fruendi gratia, in quibus exquiſitiſſima Hiſtoricorũ opera magnâ litteratorum omnium voluptate videntur conſeruata. Tibi profecto inſcribenda fuit, tum vt nominis tui ſplendore coronata omnium oculos ad ſui ipſius lectionem blandiùs inuitaret, tùm maximè vt eam nobilitatis tuæ gloria immortali ab omni temporum iniuriis, & interitu vindicares. Quis enim neſciat admiratam eſſe ipſam Hiſpaniam maiores tuos, quos olim ſagaces Reipublicæ vidit adminiſtros, Italiamque vniuerſam, ex qua genus repetis eiuſdem ſtirpis viros nobilitate clariſſimos etiamnum venerari; præter quàm quod tua in nos collata beneficia hanc grati animi ſignificationem poſtulabant, adeo vt licet nec P. Theophili amicitiæ ius, nec amor ille quo Hiſtoriam colis, nec generis claritas, qua omnes tutelæ tuæ commiſſos tueri potes, ad id impuliſſent; vel vna grati animi beneuolentia vt hoc opus tibi nuncuparemus omnino ſuaſiſſent.

Serui addictiſſimi, H. BOISSAT, & G. REMEVS.

OPELLÆ SYLLABVS.

ARGVMENTVM.

1. *Vltio diuina in S. Ignatij allatratorem.*
2. *Virgo Tereſiana, Deo acceptiſſima.*
3. *Raditus inſolitus in funere ſannionis Caluiniani.*
4. *Blaſphemus congruè mulctatus.*
5. *Priſcorum Antiſtitum gloria rediuiua, in nupero Epiſcopo Maſſilienſi.*
6. *Diabolus porcinus totus. Dictum Iſidori Theſſalonicenſis, recenti propudio firmatum.*
7. *Cadauer citra omnem artem noſtratem, diutiſſimè incorruptum.*
8. *Inimica crucis Chriſti, de cælo tacta.*
9. *Sacrilegum lupæ artificium.*
10. *Matris periculum vltro adeuntis, horrendus caſus.*
11. *Infelicitatis Religioſorum mercatorum, exempla duo.*
12. *Sacerdos ex Religioſo, Turcis adſcriptus, Turciſmo immortuus.*
13. *Sacrilega Confeſſarij perfidia.*
14. *Spurcitiæ horrendæ per errorem inuincibilem illimes ac innoxiæ.*
15. *Monſtrum ſceleris ex fœditate ſacrilega, & horrenda cæde concretum.*
16. *Dei prouida tutela in deſultu ad tuendam caſtitatem, negata poſteà eidem puellæ, temerè indidem deſilienti.*
17. *Seneca Religioſo conſepultus.*
18. *Prompta Sanctorum piè interpellatorum, auditio.*
19. *Inuidi ac detractoris genius, exemplo illuſtratus.*
20. *Aſtutus, in aſtutia ſua deprehenſus.*
21. *Deipara, vrbis Aueniouenſis contra hoſtes, tutela.*
22. *Templi Deiparæ, in eadem vrbe, ſumma religio.*
23. *Cæſar de Bus, cæcus ſupra quoſvis oculatos perſpicax, viuens Martyr.*
24. *Raræ Synorides, mortuorum.*
25. *Feſtina fatuitas Religioſi laici.*
26. *Spectrum diurnum Lugdunenſe.*
27. *Perfectionis ſtudium, hodiéque ardens.*
28. *Defectio ſub communionem, ſtultè abacta.*
29. *Scomma in vanum Eccleſiaſten, Alterius horrendum exitium.*
30. *Stulta crudelitas Bertarij circa ſororem mulierem.*
31. *Specimen muliebris nequitiæ in viros duos.*
32. *Franciſcus Suares, nomen duobus Theologis ſanctitate & eruditione præſtantibus, ortu diſiunctiſſimis, commune.*
33. *Omen vanum ex furca carnea, & ſcalis ac laqueo ad guttur puelli conformatis.*
34. *Ridicula expoſtulatio, de tetri probi impactione.*
35. *Vanus terror quaſi à reueniẽte defuncto.*
36. *Monita Moderatoribus ex vſu viri ſapientis & pij.*
37. *Minutalia ſanctorum pretioſa apud Deum.*
38. *Vnde Franciſci nomen.*
39. *Luctuoſa Drepanitani templi ruina.*
40. *Dei prouidentia multipliciter conſpicua in ſubita proſtratione templi S. Iacobi, Maſſiliæ.*
41. *Franciſci Cagnini Religioſi laici vita inſigniter innocua, & obitus diuinitus illuſtratus.*
42. *Subita ſanatio fœminæ pridem mem-*

brorum omnium impoſis, admota B. Ignatij Lipſanotheca.

43. *Caroli Ianay inſignis pietas, & gratia apud Deum.*

44. *Piſcis immani mole, nobile in aquis diuinæ potentiæ ſpecimen.*

45. *Libellus regularum Sodalitatis Parthenicæ in incendio illæſus.*

46. *Gallicanæ Eccleſiæ opes immenſæ, argumentum pietatis maiorum.*

47. *Perſonæ ſacroprofanæ, horrēdus obitus.*

48. *Guſtus eximiæ ſanctitatis, Petri Cotoni.*

49. *Verène perſecutiò cœnobitica, omnium diriſſima.*

50. *Suſpendioſi ſubleuatio à Deipara.*

51. *Fructus pietatis ex humana hiſtoria.*

52. *Aſthmatica, admotis Iacobi Saleſij quōdam Aſthmatici reliquiis ſubitò & plenè curata.*

53. *Præfeſtina iudicia.*

54. *Ingenij hebetudo, proles luxuriæ.*

55. *Teſtimonium nouitatis Lutheraniſmi & Caluiniſmi diuinitùs promiſſum.*

56. *Virginis ſacræ ob pudicitiam energumenæ, manus literata.*

57. *Factum Hæretici, dirum, horrendum, inopinabile, factum tamen.*

58. *Ars diuina in fonte identidem manante & exareſcente intra eandem diem.*

59 *Deteſtanda hoſtis in hoſtis exitiū, ſolertia.*

60. *Fructus ex luctuoſo exemplo infœlicitatis coniugiorum.*

61. *Impius, probi ſui propheta.*

62. *Puerilis inſtitutionis momentum.*

63. *Iucundum de ingenio per omnia aduerſante.*

64. *Sacrariorum Germaniæ per Suecos expilatio, quanta.*

65 *Iuge charitatis miraculum.*

66. *Æscampanum per ſe ſonans & mortem prænuncians ſtato miraculo.*

67. *Fucata ſacerdotij reuerentia, humilitati aduerſans, improbata.*

68. *Scurrilitas blaſphema in Trinitatem, caro expiata.*

69. *Iniuriæ quædam cautiùs & tutiùs diſſimulantur quàm vindicentur.*

70. *Diræ Eccleſiaſticæ, extimeſcendæ.*

71. *Culices in contemptorem crucis armati.*

72. *Iuſtum rei nunc innocui ſupplicium.*

73. *Sepultura in Religioſo habitu.*

74. *Homonimia in profeſſione fidei.*

75. *Contentio de prole ex renouato Genebaldi caſu, ſuſcepta.*

76. *Caluiniani hominis gula, per feles mulctata.*

77. *Hugonotorum appellatio, vnde.*

78. *Nobilis blaſphemi, horrenda clades.*

79. *Pileus Doctoris, an monaſtico cucullo potior.*

80. *Vltio in voti contemptorem.*

81. *Diſcrimen ſalutis in Notarij munere.*

82. *Tetrum facinus, celerrimè vindicatum.*

83. *Petri Pecqueti ex Soc. IESV, vita innocentiſſima, pretioſa mors, ac cæleſtis pridem mortui ſpecies.*

84. *Inficiatio ſuſcitationis Lazari per Chriſtum, haud ita multo poſt, caſtigata.*

85. *Stuprator ſacrilegus atque blaſphemus, præda Diabolo, & corpore & animo datus.*

86. *Fulguritus in flagranti delicto.*

87. *Locus infeſtus ob maiorum iniquitatem.*

88. *Nuperus apud Latobriges, Martyr.*

89. *Alius ſub idem tempus, teſtis fidelis.*

90. *Cibus Baptiſtæ, noua narratione illuſtratus.*

91. *Monſtroſus euentus licentiæ oculorum in ſacerdote, ſacro operante.*

92. *Execratio parentum in liberos, exitialis.*

93. *Cadauer prolis à parentibus maledictæ, non reuerſum in terram ſuam.*

94. *Improbati Deo Religioſorum auliciſmi, exemplum recens.*

95. *Clemens à S. Maria, fragrantiſſima ex rubo roſa. Narratum ab eo ſcomma in execucullatorum bigam.*

93. *Nouus Cain, ac ſi quid tetrius, in animā ſimul ac corpoream vitam graſſatus.*

97. *Hebreæ adulteræ vafrities.*

98. *Exſectiones inconſultæ.*

99. *Horrenda Lugdunenſis Collegij conflagratio.*

100. *Ioſephi Galeti Auenionenſis, obſcura claritas, cæcitas oculata. Cæcus alter Ioann. Baptiſta Agnenſis, eximius vocabulorū vertomnus. Opella Colophon.*

ARGV

ARGVMENTVM.

QVOD à Ioanne Moſcho cum laude factum eſt, cum ex ætatis ſuæ illuſtrioribus ad pietatem fouendam exemplis, ſertum contexens, PATRVM SPIRITVALE nominauit, exprimere imitatione conſilium eſt, annotatis ne indigna obliuione conterantur, nonnullis ædificationi fidelium inſigniter ſeruituris, quæ in dies occurrunt: Neque enim abbreuiata eſt manus Domini, vt non hodie quoque, varia per ſeruos ſuos, & in eorum gratiam edat cuiuſmodi in veterum ſcriptis conſignata de ſæculis quæ fuerunt ante nos, admirationem meritò pariunt ac ædificationem. Atque vtinam iampridem incidiſſet in animum ea cogitatio. Multorum quippe, nec leuium nec vulgarium pietatis incentiuorum factum hactenus eſt diſpendium per huiuſmodi incogitantiam. Quia verò memoriæ duntaxat ſeruit hæc ſcriptio, non erit de ordine certo & accurato laborandum, vt neque pro eo ſategit Moſchus, vel qui ſimili formem Ethnicam variam hiſtoriam contexuit Ælianus: ſed tumultuaria collatione, qualem fors bona ſuggeret, contenti erimus.

I.

Vltio diuina in Sancti Ignatij allatratorem.

NARRABAT Franciſcus Laboterius, natus (vt ſic dicam) incendiarius animorum, quod Arboſij apud ſequanos à Domino Gillabotio I. C. viro optimo, & inter ciues ſuos honeſtiſſimo, didicerat. Erat Gillabotius vir virtutum omnium, nominatim affectu erga ſacros homines inſigni, quos Arboſio tranſeuntes, excipere Soſpitio, ſolitus erat. Cum igitur quidam ex religioſa familia magni in Dei Eccleſia nominis, pro more ad eum diuertiſſet, & familiariter (vt fit) colloquia miſcerent; incidit ſermo de Sanct. Ignatio, quem quidem tunc plena vindicatio Eccleſiaſtica nondum inter diuos prorſus compertæ ſanctitatis tranſcripſerat; ſed tamen à Gillabotio *Sancti* appellatione inter colloquendum eſt honeſtatus. Hic Aſcetes decuſſo cucullo; Quem tu mihi (inquit) ſanctum adducis, qui vel morbo dentium laborantem, ſanauit nunquam? Leniter, ſed tamen efficaciter increpitum à Gillabotio oblocutorem, nec frænis ori maledico imponentem, non eſt remorata diuina manus. Illico enim in eo ipſo hemycicło in quo colloquens ſedebat, acutiſſimo dentium dolore correptus eſt, vnde in lectum proximè ſtratum aſportatus, intra quartum circiter horæ partem, (incertum an pœnitens,) animam exhalauit, experimento ſuo comprobans, Deum qui in ſuiſmet iniuriis dormitare interdum videtur, ad ſanctorum ſuorum vindictam moras rumpere, vt Sanct. Paulinus circa Sanct. Victricem annotauit Epiſto. 28. ſic exclamans. [O Chriſti ineffabilis bonitas, quantum in ſuos oſtendit affectum. Iniuriam Confeſſoris ſui non tulit impunitam qui ſuis Crucifixoribus rogauit ignoſci. Contumeliam Martyris (deſignati) ſtatim vltus eſt, qui paſſionem ſuam noluit vindicari.]

In hac vltione dicitur referenda variant aliqui, (vt nominatim Daniël Bartoli *in Ignatio*) inhærentes literis poſt annos circiter quadraginta datis à filiabus duabus D. Gillabotij admodùm puſillæ ætatis. Sed ego rem narraui prout à teſte fideli mihi recitata eſt: à Patre inquam Laboterio, viro qui noluiſſet in tali materia quicquam comminiſci, vel pro toto mundo. Ipſe autem, quod narrabat, hauſerat ex fonte, nempe ex D. Gillabotio viro pio & probo, cuius domi res geſta eſt, præſente ipſo in omnibus; nec erat homo qui in referendis huiuſcemodi Dei operibus rhetoricaretur.

II.

Virgo Tereſiana, Deo acceptiſſima.

ANcilla Dei è ſacra D. Tereſiæ familia, extra chori ſortem, multis ac vberibus diuinæ beneficentiæ muneribus, in humili ſorte, iam à prima ætate, hodiéque ſplendet. Septennis cum eſſet, præuenta à Deo in benedictionibus dulcedinis,

paulo antiquius, ſed mea memoria geſtum. Baro d'Entraigues in tractu Viuarienſi Caluino impensè addictus, in altercatione cum P. Iacobo Saleſio, poſtea inſigni Chriſti martyre, petulanter ſermo Dei concuſionem clunium apprecatus, ex eiuſdem Patris oraculo, ante anni finem ea ipſa in parte multatus eſt, clunibus ſuper ſuſum diſploſione hoſtilis bombardæ à reliquo corpore auulſis, vt eſt in Actis eiuſdem Martyris cap. 11. Impium Satrapam ſub Horanne Perſarum duce militantem, cum Blaſphemaſſet illicò diſploſo in os ab hoſtibus orne&to contritum eſſe, narrat Nicephorus l. 14 c. 4. Affine exemplum iuuenis Mediolanenſis & Deiparam blaſphemantis, recitat Baldelanus Bernardinus Roſſignolus verus libri parens) L. 3. ſtimuli virtutum cap. 21.

V.

Priſcorum Antiſtitum gloria, rediuiua in nupero Epiſcopo Maſſilienſi.

Obiit nuperrimè D. Ioannes Baptiſta Gault Turonenſis. Aliqui vocant *de Gault*, ſed ipſomet refragante; qui iam Epiſcopus oblatis ſibi gratulatoriis carminibus quorum titulus eam cognominationem præferebat, iuſſit illud *de* eradi tanquam ad ſe non attinens. Aſſumptus eſt ad Epiſcopatum, ex congregatione Oratorij Gallicani, quam omnigenis virtutum exemplis exornarat: Et præter cætera, Matritum ad inſeruiendum in Noſocomio à Cardinale Berulio tunc Oratorij Moderatore miſſus, quadriennium ſolidum in ea illuuie, omnibus charitatis, humilitatis, patientiæ illuſtribus facinoribus clarus exegit: Reuocatus in Galliam, mortuo fratre Euſtachio Gault, qui ad Maſſilienſes Inſulas Regia deſignatione promotus fuerat, eidem ſucceſſor datur ad breue tempus. Nam vitam finiuit, aditæ vrbis, & initi Maſſilienſis Epiſcopatus menſe 4. Sed conſummatus in breui, expleuit tempora multa. Vix ſedem ſuam attigerat, cum vbertate ſanctorum operum, & inſolito in eis exercendis feruore, commouit ciuitatem vniuerſam. Iugis eius occupatio, erat ſubleuatio miſerorum; ſiue in Noſocomiis, ſiue in vrbe populoſa, (vbi ſemper abundant calamitoſi,) ſiue præſertim in triremibus. In huiuſmodi hominum ſubſidium, non modo quicquid ſuppetebat, numeratæ pecuniæ exhauſit; ſed etiam magnum æs alienum contraxit, poſt oppigneratam pretioſam ſupellectilem & equos rhedæ trahendæ neceſſarios, pia prodigalitate diuenditos. Agnoſceres, germaniſſimum vltra montes S. Caroli parelion. Nam etiam eius ſibi vitam, tanquam probatiſſimi Præſulis ideam, accurata imitatione exprimendam delegerat. Surrectos in Deum oculos non reſpicientes perſonam hominum, notare ac propè palpare memini agens cum eo lubrico & inuidioſo argumento, in cœtu magnatum, cum parum abeſſet à diœceſis ſuæ finibus. Mortuum, paulo poſt initam (vt dixi,) ſedem; & mortales omni honore proſecuti ſunt, tanta virtutum fragrantia permoti; & Deus ipſe inſignibus ſupra naturam operibus honeſtauit. Ad eius namque ſepulchrum, ſtatim ab obitu, tot & tanta edita ſunt ſupra naturæ vires in cuiuſcunque generis ægros inſolita opera vt omnem ſuperent ſubductionem. LAVS tibi Chriſte, etiam in his ſæculorum fæcibus, Pater & exornator Sanctorum.

VI.

Diabolus porcinus totus *dictum Iſidori Theſſalonicenſis, recenti propudio firmatum.*

Haud procul Lugduno, mulier quæ mariti ſuperſtitis inſigni amore flagrarat, eo vita functo, inconſolabiliter mœrens, captauit ſibi orbitatis ſolamen ex demortui capite quod tumulo educi appenſa pro ſtatu ſuo, haud exigua pecunia, impetrauit, exacto iam ſemeſtri à tumulatione. Caput ſic à trunco auulſum, mulier, ſcrinio diligenter oblerato; incluſit, & per ſingulos dies quam frequenter recluſo, prehenſum affabatur ac ſuauiabatur. Poſtea verò inflammatione per Satanam foco, idem caput impuri amoris ignitabulum, in lecto ſimul cubiturum, collocauit. Hæc per aliquod tempus, ſic geſta ſunt. Sed non ita multo poſt, pro capite, corpus hominis integrum ſibi accubare deprehendit; quod illecebroſis cum ea affatibus agens, maritum ſe quondam eius eſſe, ſibique ſibi eſſe tanquam viro, ab ea quæ iuris mariti ſunt exigere, ſignificauit. Quid mirum permiſiſſe, Deum vt Satan ſub ſpecie hominis Chriſtiani & mariti eum ſecutura præteriti coniugij dehoneſtatione obuerſaretur, cum nihil frequentius ſit, quam vt Satanas transfiguret ſe in Angelum lucis, & ſanctas quaſque perſonas ementiatur. Noſtris temporibus (ait Gulielmus Pariſienſis) dæmon cuidam apparuit in ſpecie Crucifixi. Sunt Eiuſmodi ementitionum perſonarum ſanctarū per Satanā denſa exempla apud Loyerium in opere de ſpectris Delrium de Magia, Sybillanum in peregrinis qq. & Thyræum in opere de ſpirituum apparitionibus. Transfigurato ergo in maritum Satana, & exigente quæ iuris mariti ſunt. Annuit mulier, & per tempus ſatis diuturnum, perrexit in ſcelere; rata fas ſibi eſſe, propudioſum commerciū cum redoce quondam viro exercere: qui fuit error admodum craſſus. Nam præter quam quod, non niſi vana ſpecies viri quondam ſui, erat, cui illa faciebat ſui copiam; etiam ſi verus quondam vir reuixiſſet, tamen coniugij vincula per mortem diſrupta, nefas mulieri fuiſſet, rediuiuum excipere tanquam virum, nulla facta de nouo coniugij celebratione, iis adhibitis quæ ad coniugium legitimum ineundum deſiderantur. Itaque nefaria omni ex parte fuit ea viduæ commiſtio. Tandem verò conſcientia miſeram fodicante, acceſſit ad æui noſtri in his oris Holdam, eique ſincerè totum negotium retexit, hæc vt eſt cum Deo coniunctiſſima, & malignitatum Satanæ benè intelligens, dedocuit viduam à qua conſulebatur; & prætenſum coniugem diabolum eſſe, ſub demortui mariti ſpecie, confirmauit; grauiſſimè conteſtans, non eſſe vltra ei conſuetcendum, vel ſi mors oppetenda eſſet & quantiuis cruciatus ſubeundi prætereitam verò noxam, ſincera confeſſione (expiandam eſſe. Excepit bono animo vidua, ſalubre monitum. Itaque domum regreſſa, reuertentē Satanam, & criminoſum commerciū continuare tentantē, generosè abiecit. Quare exacerbatus ſanctæ fœminæ obfirmatione, Diabolus, blanditias in furorem vertens, miſellam dirè excruciauit: Rediit illa ad Holdam ſuam, & quam malè ceſſiſſet, auſcultare ſano conſilio, expoſuit.

Con

Confirmante Holda, perſtandum eſſe in ſancta obſtinatione, ſpiritus nequam crudeliùs, & acerbiùs miſeram mulierem excepit; ita vt eius conſtantia penè flecteretur, & ſtatueret reuerti in idipſum, potiùs quàm diræ flagellationi obnoxia eſſe. Quin etiam agens cum Holda, ab inconſpicua manu alapam excepit, adeò vehementer impactam, vt contunderetur miſerrimè. Holda ad vacillationem mulieris ad repetendum ſcelus inclinantis, interpellauit Deum, vt loco viduæ Conſultricis, dæmon furorem in ipſius Holdæ Corpus vertere ſineretur. Exinde, vidua Conſultrix immunis à Satanæ vexatione fuit, ſed Holda impacto graui Colapho, mulctata primùm eſt: Tum per vndecim conſequentes dies ac noctes, vix vlla interpoſita quiete, dirè vexata, exactis autem iis quos dixi diebus ac noctibus, Holda quoque indemnis fuit à dæmoniaca infeſtatione.

En quò facturus amor, & non ſatis ſedulò ſubmota fœdæ conſuetudinis primordia, abripiunt infœlices animas vir probus, & doctrina ac primariis muniis in ſuo ordine clarus, omnium Holdæ arcanorum particeps, hanc narrationem ſcripto commiſit, quam fideliter latinè hic expreſſi dimiſſis gerris quæſtionum circa eam Angelorum malorum cum mulieribus conſuetudinem, quam tametſi nulla ſpiritus nequam voluptate obiri certum eſt, obiri tamen ad exitium ſexus ſegnioris ea mulcedine implanati eſt indubitatum, vt Delrio fusè proſequitur, & confirmarunt interpretes circa illud Geneſeos à quibuſdam antiquis malè intellectum, *ingreſſi filij Dei ad filias hominum.* Ex parte autem fœminæ in ea nefaria conſuetudine, percipi poſſe voluptatem, non eſt ambigendum, monſtraturque ex fœdo illicio viduæ quam memorauimus, per illius voluptatis eſcam, nefariè adductæ ad ſceleratam commiſtionem. Nec eſt vniuerſaliter verum quod dixit Caietanus exulare ex parte item fœminæ voluptatem in eo commercio, & quod Satan incubus frigidum ſemen immittat. At nihil eſt neceſſe hoc perfrigere materiam à Satana iniectam cum non ſit illi operoſum iniicere calidam, & materiam quæ ab ipſius fœminæ corpore per titillationem externitur poſſe exquiſitè calere.

VII.

Cadauer citra omnem artem noſtram diutiſſimè incorruptum, præ corporis dum viueret integritate. Corporis corruptio, & putor ab oppoſita cauſa. Exemplum recens luculentum.

ÆDem ſacra D. Siffridi Carpentoractenſium Præſulis ante aliquot menſes inſtaurabatur, & ecce rapto ac diſiecto ſubterraneo conditorio, inter ſtruices oſſium, & vim immenſam putris materiæ ſuper, & ſubtus aggeſtæ, capſa lignea fœmineum cadauer aſſeruans occurrit. Sed operæ, dum cœco impetu operculum capſæ reuellunt, impacto ligno faciem fœdè deformarunt. Reliquum corpus integrum planè ac tabis expers apparuit. Cerebrum ſanum, & mali cuiuſuis odoris purum. Periti medicationis funerum, adhibiti ad pertentandum cadauer, omnia accuratè ſcrutati, nullum pigmentorum, vel artis humanæ veſtigium deprehenderunt. Quantum ex adiunctis æſtimare licuit, aliquot iam ſeculis, conditum ibi iacuerat corpus huiuſmodi, quod tametſi indubitatis vllis miraculis hactenus non colluxit; (pauca enim quæ iactata ſunt, non præbent indubitatum diuinæ manus ſanctitati huius corporis atteſtantis argumentum:) tamen in tam plena aliorum ibidem cadauerum corruptione, haud fruſtra conijcitur, puræ alicuius, & apud Deum nitentis animæ domicilium fuiſſe. Hoc argumentum ſecundis curis, illuſtratum eſt iuxta Tractationem, cui titulus datus eſt; *De incorruptione cadauerum.*

Affine eſt exemplum corporis Alphonſi de Piolene, in Oppido S. Spiritus defuncti, ibique tumulati, & poſt annos 12. reſerato tumulo inuenti planè integri, etiam filo Roſarij ei conſepulti, inuiolato & illæſo, exhibet Syngrapha Curionis Sanſpiritenſis, quæ eſt in Tabulario Prouinciæ Lugdunenſis. Eâ Syngraphâ, Idem Parochus Theologus Parienſis, adſcriptis quinque aliis de Clero, affirmat corpus eiuſdem Fratris 12. anno poſt tumulationem repertum eſſe planè integrum, rogatque id poſſe tribui ſolo in quo erat conditum, cùm in eodem ſolo eſſent oſſa diuerſorum corporum ibidem corruptorum. Addit poſt tantum tempus à tumulatione, corpus illud eodem habitu fuiſſe quo ſi vnâ aut alterâ ante horâ abceſſiſſet anima, Roſarium quoque eiuſdem Fratris, cuius grana cornea filo ſerico erant intexta, quod demortui brachio inſertum fuerat, cùm tumulo reconderetur, incorruptum eſſe repertum, etiam quoad filum ſericum; quod item de Coronula eiuſdem corporis brachio implicita, è roſaceo ligno efformata aſſeritur in eadem relatione. P. Laurentius Cony rogatus à P. Laurentio Granon Prouinciali, diligenter omnes huius negotij fibras inquirere, rei huius narrationi tanquam claræ atteſtatus eſt. Plerique omnes ex iis qui Fratrem illum viuentem habuere perſpectum hanc corporis eius incorruptelam tribuere inſigni eius caſtimoniæ, & illibatæ ſemper puritati, quam Deus hac Corporis demortui integritate rependerit.

Hæc ſunt apud Deum integritatis corporum præmia, vnde ea virtus nunc flos corporum denominatur, nunc incorruptio faciens eſſe proximum Deo. E contrario impudicitia & corruptionem corporibus, & graueolentiam infert. Exemplum horrendum quod renitenti calamo, ſe ingerit obiter attingo. Non ita multò antè efflauit Maſſiliæ animam in Noſodochio nefandus ex Sacerdote (heus Sacerdote,) teneræ ætatis Maſturbator: homo ſtirpe nobilis qui aliquando ſerendo Chriſti Euangelio dederat operam. Inter cætera autem ægritudinis quę eum confecit, luctuoſa conſectaria, antica & poſtica verenda, in quibus ille membris naturam dehoneſtauerat, fœdo cancro malè correpta, & exeſa ſunt, tanto teterrimi putoris afflatu, vt valetudinarij in huiuſmodi ſuffitibus non peregrinantes, vix ſuſtinerent. Heu quò recedit ver florulentum, & fragrantia virtutum quibus ille iunior nituerat. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris. Siccine de cœlo in cœnum improuidus ruiſti? Quomodo ad gentem conuulſam, & dilaceratam in tenebris, & vmbra mortis ſedentem ablegatus, inſipienter auerſus es, ac cum incircumciſis, & deſcendentibus in lacum peſſimè reputatus? Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum. Nemo ſecurus cadente Apoſtolo. Nemo de anteriore virtute intumeſcat ſed neque vllus linquatur animo. Hic nefandus

ſandus extremam vitam per Dei miſericordiã gemens ac contritus corde, piè concluſit, & in eo ſpe bona migrauit, vt confirmat qui eum ad exitum bonum animauit induſtrius peccatorum curator R. P. Ignatius de Beauſſe, homo totiùs charitatis ac pietatis.

VIII.

Inimica Crucis Chriſti de cœlo tacta.

CAroleſium Prouincia eſt Galliæ, ni malis ſegmentũ Prouinciæ Burgũdicę cui ea ora attexta eſt. Eius dominium fiduciario iure ſeruant hodiéque Comites Burgundiæ, ſed ita vt ſupremum Dominium ſit penes Francos. Quare mixta ibi cum tritico lolia, vti per reliquam Galliam. Fœmina in eo tractu primaria, veneno Caluiniano imbuta, cũ puellis Catholicis quas in obſequio habebat domeſticum neſcio quod opus domi exigens, micantibus ſubito fulguribus & ſonora tempeſtate excitata, deridebat pias ancillas, quod ritu Catholico, in eo diſcrimine munirent ſe ſigno Crucis. Id illa, muſcarum terriculamentum; pro more ſpurciloquorum Caluiniſmi popparum, appellabat. Vibratur fulmen, & è ſumma domus contignatione peruadit ad gynecœum ſiue conclaue, in quo Domina Hæretica cum puellis Catholicis altercabatur de ſigni crucis piè impreſſi inanitate. Et fuit, ea prima (vt ſic dicam) diſſolutio machinæ e cœleſti armamentario, perſonis omnibus innoxia. Procedente autem contentione inter heram ſignum Crucis ſubſannantem, & ancillas piè illud & vſurpantes & defendentes, iteratò vibratum fulmen, infelicem heram omnibus aliis planè indemnibus contigit, & ad inferos, blaſphemiæ & hęreſi immortuam, magno omnium horrore detruſit.

IX.

Sacrilegum Lupæ artificium.

AVenione impudica mulier vt ignes profanos quibus flagrabat reſtingueret, illico vſa eſt quod iuuat non præterire, ſaltem vt ſimplices Confeſſarij malis huiuſmodi artibus non circumueniantur, & ſpecie zeli progenerataſ turpitudinis non agãt, vt contigit in euentu quẽ refero. Vir rectus, & ſimplex, ac timens Deum, cuius nomini conſulto parco, numeroſo pœnitentium fœminarũ agmine frequentabatur. Erat enim genij, ad muliebrem mollitiem, & ineptitudines ab eo ſexu deuorandas facti, vnde tametſi à Præſidibus Religioſæ familię, de induſtria aliquando alio abductus, tamen vrgentibus, & omnia in eum finem mouentibus Bertabus, quæ apud eum peccata deponebant, reuocatus eſt ſemel & iterum. Ex eo numero vna, coniugio illigata, cum impurum oculum adiecisſet in iuuenem pereleganti ſpecie, bonum Nathanaëlem ſacrilegè implanauit, ad inuncandam prædam cui inhiabat. Fingit vexari ſe à iuuene, & importuniſſimè vrgeri ad flagitium. Orat Patrem ſuper confeſſioné, vt interponere curam ſuam dignetur ad auertendum à ſcelere iuuené, ſimúlque annulum reddat, quem improuide ab eo accepiſſe ſe dicebat, ſiue præludium, ſiue arrhã fœdi commercij. Confeſſarius dolum minimè ſuſpicatus, (quis verò tetram artem olfeciſſet?) recipit in ſe iuuenis correptionem; cui etiam poſt admotas libidini ea allocutione facéque (nam rem illico ſubodoratus eſt, & ad improbum fœminæ conſilium confeſtim penetrauit;) annulum traditum reſtituit, imo largitur, pronubum impudicitiæ in cuius volutabro diu ſe inquinauit.

Theoph. Rayn. Aſcetica.

Nega ingenioſam eſſe libidinem, & decſſe malè ſanis mentibus artificia quibus peccant, quod S. Baſil. in Gordij Martyris laudatione niſerrimũ ſtatuit. Et Claudius quidem Eſpencæus, ingenioſam pudicitiam in ſui tuitione diffusè exhibuit, in operé de Continentia. Sed minus mirum videri debet, lectas animas per ea artificia ſanctaſque induſtrias florem pudicitiæ texiſſe. Non enim à ſemetipſis in eam cogitationem venerunt, ſed aſpirante numine, de quo illud veriſſimè Siracides c. 1. *Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit?* At ſutelæ de quibus agimus, proprium ſunt humani ingenij cõmentum. Viderint verò Confeſſarij, quanta prudentia, & circumſpectio, in obeundo eo ſacro munere ſit neceſſaria. Quod enim ex hoc exemplo liquidiſſimum eſt, per nequitiam mulieris, & improuidam Confeſſarij ſimplicitatem, iuuenis incidit in caſſes, & quaſi bos ductus ad victimam cultro alienæ iniquitatis eſt iugulatus. Quanquam Confeſſarius per ſpeciem boni illaqueatus, venia dignior. Lupa verò Sacramento abuſa per immane Sacrilegium, non habuit quod excuſaret. Quin potiùs tam tetro facto comprobauit, verè dictum eſſe à ſapiente; *Non eſt nequitia ſuper nequitiam mulieris.* An hæc Auenionenſis Lupa, profecerit exemplo conſimili, fœminæ illius Aurelianenſis, quam deſcribit in Præparatione apologiæ pro Herodoto l. 1. cap. 15. pag 117. Henricus Stephanus, non habeo quod dicam. Quod tamen retuli eſt mihi certum, & perſonas deſignare ex nomine poſſem ſi res ferret.

X.

Matris periculum vltrò adeuntis, horrendus caſus.

SEdulæ apes, etiam ex rubis & vepribus roſcida mella legunt, nec minus ſtudioſè Chriſtiani, quos *Dei apiarium* vocat Nazianzenus orat. 42. ex amaritudine prauè geſtorum exquiſitas morum ſanctorum ſuauitates colligunt, quod hic præſtituri ſumus.

Viduæ nobilis ætate adhuc florenſis, & necdum quadragenarię filius annos circiter duodeuiginti natus pudori pediſſequæ quæ in matris domeſtico obſequio erat, pereleganti ſpecie, inſidiabatur, nec vllum prætermittebat ad flectendam puellam genus lenocinii. Monuit puella herã de filii petulantia exponens quantis ille dolis ac verborum & munerum illicibus, ab aliquo iam tempore, pudicitiæ ſuæ infeſtus eſſet. Hera condicere iubet filio optatos amplexus in proximam noctem, ſimúlque puellę mandabat, vt clam omnibus; de hirſutis vepribus, & paliuris flagellum concinnet, quo ſubeuntem puellæ thorum exciperet. Iis inſtructa armis mater, in ancillę lecto componit ſeſe. Nec mora, filius ad lectum ex condicto per tenebras furtim irrepit, pediſſequæ (vt putabat,) ſocietate fruiturus. Sed heu heu fragilitatem humanam. Mater quæ truces ſpiritus in filii ſpurcitias induta, periculo ſe commiſerat, & naturæ imbecillitate, & Satanæ artificio mollita, ad primos noui Oedipodis contactus, ſilet, ſenſimque abſtracta & illecta, in horrendum vel feris ipſis inceſtum plenè conſenſit, ex quo etiam prægnans facta, germanam patris prolem peperit; tam miſero euentu docta, qui non refugit periculum, illo perire, iuſtè vlciſcente Deo nimiam ſecuritatem, & de ſuis viribus præfidentiam. Quanta contritione, mater alia ſimile flagitium expiarit, lege apud Cæſarium l. 2. exempl. c. 11.

XI.

Infelicitas Religioſorum mercatorum, exempla duo.

ABbatis Ioannis Cilicis hoc monitum ſapientiæ refertiſſimum, recitat in Limonario Ioannes Moſchus c. 115. *Ne ſordidemus locum iſtum filij quem Patres noſtri à dæmonibus emundauerunt. Locus iſte, Monachorum, non negotiatorum eſt.* Itaque non mirum, qui negotiationem, & turpes quæſtus in domum orationis inducunt, vt olim flagello per Chriſtum abactos è domo orationis, ita nunc deſerente Deo, prolabi, & allia Ægypti repetere. Vnum ex hoc genere nouimus, in ſummis temporibus, nauum quæſtuoſúmque ægrorum, ſed maximè ægrorum confectis; & ſuppeditatis pharmacis curatorem. Is tamen iam veteranus, alienis robur eius depaſtis, miſerè defecit. Turpius etiam cecidit alter eiuſdem artificij peritus, & in omnem lucri occaſionem intentus, religioſus Mercator. Nam per occaſionem ſeplaſiæ, aditu in primariam quandam domum patefacto, eo adductus eſt, vt in gratiam Magnatis, ex prodigalitate de ſtatu prope deiecti, tentaret Chryſopœiam, à quibus initiis, quia initus erat labor, ad monetæ adulterationem deuenit, ita vt ex auro reprobo, nummos ad multa millia, capitali fraude ſignauerit. Quam noxam immiſſione in feruentis olei dolium, lucturus erat, niſi eius quem dixi Magnatis autoritate, in tuto poſitus euitaſſet diſcrimen, a quo in tetrius barathrum decidit. Nam morte corporis declinata, incurrit in exitium animæ ſubreptitio diplomate, tranſitus ad laxionem ordinem, copiam faciente, abuſus primùm ad vitæ ſolutionem: Mox nullo inito laxiore ordine à religione quam ante vicennium profeſſus erat, & à Catholica fide refugus factus eſt vt fœdum commercium quod in illis latebris cum puella honoraria acceperat, ſub auſpiciis ſpiritus Sancti reformati, ſecure prorogaret. Sic conſummantur carne qui ſpiritu cœperant, dum à negotiatione circa ſeipſos, ad turpes quæſtus, & indigna Aſcetis mercimonia auertuntur.

XII.

Sacerdos ex Religioſo, Turcis adſcriptus, Turciſmo immortuus.

HEu me anima! Quidni enim verba D. Chryſoſtomi ad commercium virorum & regularium fœminarum deplorandum aggredientis, in tetriore ac longè luctuoſiore caſu meritò vſurpem? Religioſus e ſancta quadam familia (nomen conſulto reticeo, pleriſque recenti adeò tragœdia minimè ignotum,) per incautam conuerſationem inſimulatus criminis peſſimi, aut quod poſtea deprehenſum dicitur, per Sycophantiam ea labe grauatus, à Præſidibus vel ſuſpicionem illam exoſis, exactus eſt, & nexibus votorum ſolutus. Regreſſus verò ad ſuos initiatus eſt Sacerdotio, & Legato Galliæ proficiſcenti Byzantium, adiunctus, Sacellani & Eleëmoſynarij nomine Byzantium appulſus, cum puella honoraria è gynecæo coniugis legati, fœdum commercium aliquamdiu continuat, donec extumeſcente puellæ vtero, deprehenſa eſt iniquitas. Eam domus ſuæ dehoneſtationem, impatientiſſimè tulit legati vxor, per quam exaſperatus maritus, & ipſe non mediocriter ex larium ſuorum fœdatione ſaucius, pœnas de ſpurco ſacerdote ſumere cogitabat. Nec id infelicem reum latuit, qui vt vitam ſuam in tuto locaret, ad Turcas defecit, & Saracenico cauterio inuſtus, fœdæ ſuperſtitioni nomen dedit, Tulbano caput opertus. Haud tamen ſatis tutus ſub ea vmbella fuit, mox per conductos ſicarios trucidatus, & ad Mahumeti paradiſum non ſicca morte amandatus, miſerè in Turciſmo vomens ſpurcam animam.

XIII.

Sacrilega Confeſſarij perfidia.

HOrret animus ad Iudæ noui Sacrilegam auaritiam anno 1579. Diabolo incentore patratam. Caupo truculentus, apud Toloſates, exceptum hoſpitio aduenam, iugulauit in hypogæo, clam omnibus, ac ne domeſticorum quidem vllo, vel ſceleris adminiſtro, vel conſcio. Poſt aliquod tempus, tangente Deo cor homicidæ, expiauit conſcientiam apud Confeſſarium, eique cædem aduenæ; & cædis modum, ac ſepulturæ locum aperuit. Nuſquam comparente poſt non breue tempus eo qui cæſus fuerat, cognati omnes latebras fruſtra ſcrutati, præmium publicè proponunt per præconem, iis qui renunciarent quid illo homine factum eſſet. Cauponis Confeſſarius quæſtum æſtimans pietatem, audita mercede non contemnenda indicibus conſtituta, furtim admonuit, quærendum eſſe in hypogæo cauponis. Ibi enim infoſſum iacere qui deſiderabatur. Refoſſum eſt cadauer, & comprehenſus caupo, priuſquàm tormenta admouerentur, reum ſe cædis faſſus eſt, quam tamen conſtanter negauit ab vllo mortalium quàm à ſuo Confeſſario prodi potuiſſe. Senatus apprimè Catholicus, comperto eo corrupto fonte notitiæ qua Caupo grauabatur, habuit eum pro innoxio, nec paſſus eſt, perfidi & omni nota ac mulcta digni Confeſſarij delationem, nocere reo, ſed donec is aliunde, patratæ cædis inſimularetur, pronunciauit inſontem. Omnino Chriſtianè, & religioſè, & ad conſulendum incolumitati tam neceſſarij Sacramenti peropportunè. Et ita faciendum eſſe in eo euentu tradunt benè multi apud Homobonum 1. p. exam. tractat. 5. q. 110. & apud Torreblancam l. 4. dæmonologiæ cap. 7. num. 17. & 18. Confeſſarius eidem, Senatu iudicante, actus in furcam eſt, & cadauer crematum.

XIV.

Spurcitiæ horrendæ per errorem inuincibilem illimes ac innoxiæ.

FAlluntur, qui putant naturæ lumen in nobis nunquam cœcutire, quoad ea quæ ſuapte natura ſunt horrenda, & deteſtanda. Verùm quid horribilius ac deteſtabilius ſcelere illo quod ipſa ſcriptura *rem deteſtabilem* nominat agens de Onan, Geneſ. 38. Incidere tamen aliquando memini in perſonam admodùm piam, & aliquot iam annos diuino cultui mancipatam, quæ mori delegiſſet potius quàm Deum violare contracta vltro graui culpa cuius virulentiam perſpectam haberet. Proh infelicitatem noſtram? Abſque vllo conſcientiæ morſu erro inculpatus, ſed tamen in ea inſcientia mulier, leuabat tetro illo modo

naturam

natiram,& ſtimulos libidinis retundebat, interim ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ,bona fide frequentans, donec ſiue ardita ſuper concionem operis quod patrabat turpitudine, ſiue ex horrore piæ perſonæ,cum in familiari colloquio de mollitiei illius fœditate ſermo incidiſſet,dedoctus errorem,altè ingemuit,aditóque Confeſſario, omnem illuuiem extruſit. Et quanquam imperitus Confeſſarius, durissime habuit penitentem,tamen commiſeratione ob ignorantiam nullatenus ſublucente rationis lumine offuſam,potius quam increpatione dignus fuit habendus, & verò à peritioribus quibuſcum rem totam communicauit,inter commiſeratione dignos eſt habitus. Laborari quippe poſſe inuincibili ignorantia,etiam circa huiuſmodi operum fœditatem,ratum eſt apud Doctores. Accommodari igitur huc nō poteſt illud ſufficientiæ Epiſt. 22.de Lo h.[Quid fecerit,ignorauit, & quanquam voluntas non ſit in crimine, error in culpa eſt.] At hic ne error quidem fuit in culpa, quippè inuincibilis.

Fuerunt quidem iampridem quibus non eſt viſum ignorantiam inuincibilem purgare à nona iniis quæ ſunt contra ius naturale, cuiuſmodi ſunt ſpurcitiæ de quibus hic agitur. At eam Pſeudo-Theologiam pridem à grauiſſimis Doctoribus exploſam & pridem antiquatam, recens in Cornelio Ianſenio Yprenſi, iuſtâ cenſura proſcriptam, abſque diſcuſſione ad hunc locum non attinente,præſtat dimittere.

XV.

Monſtrum ſceleris ex fœditate ſacrilega,& cæde horrenda concretum.

Eloquar an ſileam? Nec enim vulgare eſt quod incurrit in cogitationem, & ſtillare per calamum geſtit in chartam,rubore (ſi ſentiret)perfundendam. Quod tamen diuina prouidentia in ſceleris detectione, & vltione luculenter ſplendeat in hoc facto, age prodamus, quod vtinam nunquam fuiſſet, cur proderetur? Narrabat vir optimus & antiquæ ſynceritati. Franciſcus Maillardus,in ſua Burgundia F.ſcica, haud ita procul Diuione,fuiſſe cauponem,qui propter viam publicam,tranſeuntibus, cibos & vina ſuppeditabat; Erat in vicinia cœnobiū, quod minus bonæ famæ,Sarabaitæ,veriùs quā cœnobitæ,incolebant. Dæmoniaca corporata iure dixiſſe ,adeo tetram viuebant vitam. Cauponis filiam eleganti ſpecie,& vernanti ætate,deſiderari ſubitò contigit. Illexerant enim eam propudia illa hominum,& à paternis ædibus fraude abductam,in haram (nō enim cœnobium) ſeduxerant,vbi ad ſatietatem,per vices infelici libidinum ſuarum victima abuſi,ne quis flagitij rumor ad patrem permanaret, mactare de nocte miſeram,& ſepulchro iuxta aram templi maximam,domeſticis condendis deſtinato inferre,conſtituunt,ſub ipſius Dei oculis. Sed vigil de cœlo,tantum ſcelus patefecit,inſolito prouidentiæ genere. Homo de via feſſus, adhuc multa luce, apertum cœnobij templum ingreſſus,præ laſſitudine,in templi angulo ſopori ſe dedit; & non aduertente cum templum occluſit æditu,intra ædem ſacram concluſus eſt,nec prius ſopore ſolutus, quam alta nox tenebris offudiſſet omnia. Vbi diſcuſſo ſomno cogitaret egreſſum,agnouit, ſe per errorem æditui in templo obſerato concluſum. Veritus autem deprehendi, & pro ſacrilego expilatore mulctari, quati medi ato ad ſacram ſupellectilem ſublegendam,intra templum hæſiſſet cogitauit de ratione qua minùs incommodè noctem exigeret, craſtina luce cum primùm pateret templum,abſque ſtrepitu diſceſſurus. Itaque ſubiit concionale ſuggeſtum ad pernoctandum. Et ecce altera poſt mediam noctem hora, ſpectaculum triſte, imo ferale, & Tartareum,quod miſerum hominem horripilatione affecit. Trahebatur ab infamium porcorum cœtu,infelix puella,vt mactaretur,& tumulo inferretur, queſtibus ac gemitibus implens omnia, & nunc ſortem ſuam, nunc patris orbitatem deplorabat,nunc ſupplex fiebat pro vita ſua,& pro anima ſua. Obteſtabatur Deum vindicem,in cuius conſpectu ſutura eſſet inquinatum alieno potiùs quàm ſuo ſcelere ſanguinem. Intentabat humana iudicia, & deprehendendā grauiterq; luendam ſeriùs ocyùs iniquitatem. Sat ſe ludibriorum, & contumeliarum paſſam conteſtabatur. Itaque rogabat, vt dimitterent,iuratum de prioribus iniuriis ſilentium exquiſitè ſeruaturam. Tantum ne miſeram, & admiſſis ſpurcitiis ſordentem,æterno exitio addicerent. Has voces lenire ſibi viſus eſt è graſſatorum illorum numero vnus Sacerdotio initiatus, offerens ei abſolutionem de peccatis, ad quorum confeſſionem miſeram eſt adhortatus. Fecit illa quod monebatur,ſiue mortis impendentis timore,ſiue qualemcunque moram eo præſertim loco, ad flectendos truculentos lanios, opportunam rata. Sed fruſtra rebatur. Nam paucis (vt in illa turbatione,) quæ occurrebant peccatis expoſitis,& abſolutione impenſa,fruſtra diuos,fruſtra mortales conteſtantem,tranſadactu gladius perculit,ſimúlque ſpirans, & ſuo ſanguine perfuſa,in iam apertum conditorium detruditur, ſuis operta veſtibus muliebribus, quales per diem geſtare ſolebat,quæ illi pro ſindone,& faſciis ſepulchralibus fuerunt. Proſpectabat è ſua ſpecula tragœdiam hanc vniuerſam tremulus viator, ſollicitus pro ſuo periculo. Neque enim ſi deprehenſus eſſet, euaſiſſet impias manus, de ſilentio tam horrendi facinoris cum primis ſollicitis tetris graſſatoribus. Itaque tametſi identidem ſuſtollens caput omnia notarat, per noctis ſilentium minimas ſucceſſiones ſuas expaueſcebat, gnarus de vita ſua actum fore, ſi affuiſſe immani ſpectaculo agnoſceretur. Securi è templo exceſſere ſicarij. Viator,reliquam noctem in magnis angoribus, & horroribus exegit,& vbi primùm diluxit, & valuæ templi patuerunt,de ſuggeſto deſiluit,exportans è templo ingentem horrorem, quem vt leuaret, ad cauponem haud ita procul poſitum diuertit. Eum verè pro filiæ pridem deſideratæ abſentiæ anxium, transfixit viator immani doloris vulnere, cum expoſita per ordinem facti atrocitate,ex notis exhibitis comperit, haud dubiè ſuam eſſe filiam, in quam ita ſæuitum eſſet ab impiis vicinis,quos ita pridem ſuſpectos habuerat vt tamen reuincere ſceleris non poſſet. Monitus mox per miſerum Patrem Senatus reſerato ſepulchro, & refoſſo cadauere ſceleris conuictos dirè multauit domumque vniuerſam in ſceleris deteſtationem dirui iuſſit.

Theoph. Rayn. Aſcetica.

XVI.

Dei prouidens tutela in deſultu adtuendam caſtitatem, negata poſtea eidem puellæ, temerè indidem deſilienti.

IN valle Segaſiana, Taurinum haud ita pridē petenti nauta os eſt ſtupendi puellæ deſultus e colle cui S. Michaëlis Abbatia eſt inędificata: locus eſt mirè præruptus & editus. Inde puella ruſticana, ſed moribus & integritatis illibatæ ſtudio nobilis, dum petulantiam militarem fugit præcep. in ſubiectam vallem, altitudine prorſus ingenti deuolutum, de vitanda offenſa numinis, & corporis fœdatione quàm de vita ſollicitior. Et affuit propitium numen, non adeunti ſtultò periculum, ſed maius exitiũ refugienti. Itaque in imam vallem deſilnit plane indemnis, mirata ſeipſam, & bonam ſortem ſuam, quod tantum ſpatium emenſa eſſet, rotatu adeò præcipiti citra noxam. Id quod Thameti S. Kentigerni matri æque obtigit, cum detritę pudicitię rea, à Rege patre, ex antiquo Scotorum vſu, de monte præalto eſt deiecta, vt eſt in S. Kentigerni Actis c. 1. Et contigit quoque per miraculum, in euentu de quo S. Greg. 3. dial. c. 16. ſed redeo ad ruſticanam puellam. Cùm eã ob cauſam quam retuli haud ſecus ac Romana quendam Clœlia, celebris eſſet, auſa eſt extra neceſſitatẽ ſeruandę pudicitię eandem viam ſeligere, probatura induſtriam, & fœlicitatem ſuam in iam præcipiti deſultu; At is altera hac vice temerè ſuſceptus, pęſſime ceſſit puellæ. Deſiluerat enim primum citra contritionem ac læſionem omnem, quia iuſtus cum ceciderit non collidetur eo quod Dominus ſupponat manum ſuam. At ex poſteriore deſultu, quærebatur tantùm vanitatis argumentum, & tentabatur Deus, qui proinde, ruentem permiſit ſibi, inde fœdiſſimè conquaſſata priuſquam ſolo illideretur, temeritatis ſuæ obita morte pœnas dedit.

XVII.

Seneca Religioſo conſepultus.

AFfectum ſuum iuſto flagrantiorem erga Tullium S. Hieron. iuſtis flagrorum notis in corpore ſuo expreſſum aliquando deplorauit. Scio eam narrationem de S. Hieronymi flagellatione ab ipſomet exaratam Epiſt. 22. adeò perſpicuè, vt non ſit tergiuerſationi locus, derideri ab Eraſmo, & aliis quós retuli in Opere de ſtigmatiſmo ſ. 1. c. 8. quibus addendi Theodorus Gaza apud Crinitum l. 1. de honeſta diſcipl. c. 10. Bartholomæus Scala apud Politianum l. 5. Epiſt. 10. & Petr. Moſellanus, adductus in Scholiis ad Aphtonij progymnaſmata, poſt caput quintum. Sed eos malè percepiſſe S. Hieronymum, narrationem verò ab ipſomet contextam de ſua flagellatione ob nimium erga Ciceronem ſtudiũ, eſſe omnino veram monſtratũ eſt, dicto capite octauo. Nimirum monſtrare voluit Deus, ardens illud in profana ſcripta ſtudium, minùs ſibi arridere in iis quós ad peculiare obſequium deuinctos per religioſum ſtatum habet. Et verò ſi iudice Themiſtio, ſcripta ad poſteros tranſmiſſa, germanæ reliquiæ, & ſpiritnales exuuiæ ſunt autorum, minùs congruè agit Religioſus, qui damnati animi, & ignibus æternis cum Satana in æternum addncti, nimium & iuſto flagrantius ſtudium præfert.

Anceps hæreo, an in hanc claſſem referendus, & huiuſmodi labis notandus ſit Religioſus, qui in Seneca peruolutãdo, haud ita pridē, totus & ingis erat. Illum nocturna, illum diurna, manu verſabat. Exilis quippe formæ atque nitidis, cuiuſmodi Antuerpiana, & Leydēſia prœla ſæpe dedere, atque adeo molis haud operoſæ & tractatu facilis volumen nactus, ſemper Senecã ob oculos, ſemper in manibus habebat. Videbatur iis annumerandus, libri alicuius quaſi amaſiis, quos ſub breuiculi libri V. Ptolomæi Hephæſtionis Photius Cod. 190. ſignauit. Non obſcurum argumentum minùs probati deo tanti circa Senecam ſtudij, viſum eſt haberi, ex eo quod cũ ex lue obiiſſet, veſpillones qui humandum illum receperant, inuentum in pera eius, Senecæ volumẽ, manibus defuncti pro Breuiario implicuerunt, & religiosè (ſcilicet,) cõſepeliuerũt, Moteę in montanis Sequanorũ. Quę Bleſenſis Epiſt. 6. & Alcuinus Epiſt. 18 in nimis addictos profanis autoribus ſacros homines proferunt, malo pręterire, ne iugulati mortui ſimulem.

XVIII.

Promptæ ſanctorum piè interpellatorum auditio.

CVius olim ac Præſul, nunc patronus vrbis Auenionenſis, eſt S. Agricolus. Eius ſacra lipſana, religiosè circumferri ex vſu eſt, quoties vel imbres ſerena ſuſpendunt diuturniùs quàm res ruſtica ferat, vel è contra cum periclitantur à nimia vligine lętę ſegetes, ac ſpes agricolarum. Memini videre in eo genere, quod ſanctorũ apud Deum gratiam, & Dei ad ſupplices piorum voces interpoſito ſanctorum fauore, promptam condeſcenſionem, egregiè teſtetur Boreas, (vt in eo tractu aſſolet,) vehementiſſimus, nitenti nubila cœlo pridē exquiſite deterſerat, ac etiamnum detergere validiſſimè cõtinuabat. Ciuitas proferri ſacra lipſana B. Agricoli popoſcit, ad exorandam à benefico numine pluuiam. Signũ ad procedendum datur, & initium fit ſupplicandi. Fuit qui diceret, manifeſtam fore ſancti apud Deũ gratiam, ſi in eo cœli ſtatu, & ventorum Borealiũ quaſi decumanis, pluuia exoraretur. Sed verè manifeſta fuit ſancti apud Deum gratia. Vix peracta ſupplicatione, domum quiſque regreſſus erat, cum ſuccedente Auſtro, cogi cœpere nubila, móxque largus imber exſuccum ſolum tanta vbertate perfudit vt nemini dubia fuerit viſitatio Domini, ad ſancti ſui preces viſitantis terram, & inebriantis, ac multiplicantis locupletare eam.

XIX.

Inuidi ac detractoris genius, exemplo illuſtratus.

INuidi genium SS. Iuſtinus, & Baſilius ex muſcarum more repetunt. Solemne quippè eſt muſcis, vbi exulceratum quippiam in corpore fuerit, aduolare, & illuuie ac putente materia paſci. Non ſecus ſe gerit inuidus, eiúſque germanus detractor. Si enim quid putreant putens in aliquo deprehendunt, eò confeſtim accurrunt, taliqne eſca oblectantur, & ſaginantur in ſuum ſœuera exitium. Hiſtoriolam huc bellè facientem, ab Andrea Caderio antiquo Theologo recitatam, aptabat huc concinne, vir pius. Aiebat Caderius, Dolæ apud Sequanos non ita pridem, cum ſæua peſtis graſſaretur, ruſticum quod peſtem contraxiſſet, ab hero domo exactum, cum hac illhácque aliquandiu incertus oberraſſet,

oberraſſet, ad extremum præ laſſitudine proieciſſe ſe ſubter vnam arborem, tantillum quietis capturum, velut Eliam ſubter iuniperum. Ibi cum iaceret, proſiliens è vicina ſæpe, anguis, inuolat in panum luis peſtilentis, quem ruſticus collo nudo, tetrum ac diri ſucci refertum præferebat, exſugitque penitus abditus lucem. Diſcuſſo ad eum ſuctum ſopore, ruſticus non abſque horrore aſſurgit, miratus ſe ſanum ac peſte prorſus liberum, ſerpentem verò (contra quàm accidit in exemplo ſerpentis ſugentis ſaniem, apud Cæſarium l. 10. cap. 70.) in ſuis oculis hauſti veneni virus non ferentem, emori mox conſpicatur. Symbolum luculentum inuidi ac detractoris, qui cum ſuo exitio, alienam (ſi quæ erat,) virulentiam ebibit, humanę vitę moriens, & tranſiens in dæmonem corporeum, provt de eo loquitur Climacus Gradu 4.

X X.

Aſtutus in aſtutia ſua deprehenſus.

VEriſſimè pronunciatum eſt à ſapiente, ambulantem ſimpliciter ambulare confidenter. Dei enim eſt, ſimplicem dirigere ac tegere, quia vt Climacus gradu 24. philoſophatur, Deus ſimpliciſſimus cum ſit, ſimplicitatem in hominibus quærit, & amat. Qui verò duplicitati ſtudent, meritò deſerti à Deo, incidunt in caſſes, & ſeriùs ocyùs deprehenduntur, nec iam iuſti ſimplicitas, ſed eorum duplicitas deridetur. Exemplum nuperum in re leuicula, lucem huic negotio affundet. Vir duplex animo, hæres ex aſſe tutelarum Anaſtaſij illius quem *Δικόρον* ea ex cauſa, potiùs quàm ex oculorum diſtorta conformatione dixere, duos ſuæ curæ commiſſos amandabat aliò, puta ad Titium. Eorum vni (Caium dicamus exempli gratia,) literas ad Titium dat, quibus Caium mirè prædicabat. Sed eodem tempore, ſocio vnà proficiſcenti, literas æquè ad Titium dat, quibus Caius ſupra quemcunque Æthiopem denigrabat, retexens quæcunque per ipſum Caium ſcripſerat. Titius perfectis literis quas Caius reddiderat, cum vrgeretur negotio moram non ferente, Caio reſpondendi munus committit; nec ita multo poſt intento iam Caio in reſponſi exaratione, adeſt ſocius qui Titio contrarias prioribus literas præbet. Eas Titius, alia (vt dixi;) cogitatione abſorptus, ne lectas quidem, adſcriptione duntaxat viſa, porrigit Caio, vt vtriſque literis, eodem reſponſo nomine ipſius Titij ſatisfaciat. Quis Caio animus fuerit, cum ea literarum veluti Dypticha biformia perlegit, ſeque eodem calamo laudatum, & proſciſſum vidit; quæ apud alios ad quos plani duplicitas illa vulgata eſt, infamia percrebuerit, procliue eſt cogitare.

X X I.

Deipara Vrbis Auenionenſis contra hoſtes tutela.

NArrante viro optimo Rodulpho Roberto nunc apice Auenionenſis Academiæ, amico antiquo, & ſingulari compertum habeo manifeſtam Magnæ matris tutelam fuiſſe, cum noſtra memoria, qui Caluiniani qui trans flumen rerum ponicbatur, vrbi Auenionenſi Pontificiæ imminerent, & tempus inuadendæ vrbi in quam pridem inhiabant, condixiſſent; illud ipſum quo pij ciues, in Deiparæ cultum propenſiſſimi, medio Auguſto, in æde maxima de eiuſdem Deiparæ aſſumptæ nomine dicta, ſacro intereſſent, ita vt ſignum quo ad conſecrationem, & adorationem diuinæ hoſtiæ pulſatur, idem eſſet irruendi in vrbem. Res omnino mira. Lecta militum manus, iam ex hoſtico tranſgreſſa flumen, per antelucana ſilentia, & beneficio ſepium ac arboretorum pomœrio continentium, ſubducta excubitorum oculis, primum impetum factura erat, reliquis magno numero trans flumen hærentibus, illico à portæ per primos occupatione accurſuris. Certum erat vrbis exitium, niſi Deipara ciuitati tunc in eius cultum effuſæ, affuiſſet in tempore. Imminebat hora condicta, & primus ac lectus militum globus, ad impreſſionem ſe comparabat, cum ſubitò cœlum nubibus obducitur, & imbres Nubicoga Ioue non commentitio, ſed vero matris ſuæ clientibus fauente, veluti apertis cœli cataractis effunduntur. Miles qui de more extra vrbis portam excubabat, ne erumpentibus tanto impetu aquis obrueretur, intrò ſe recipit, & clathras ligneas, donec miteſcat cœlum, obiicit vrbis aditui, certus neminem ciuium per eam procellam de ineunda vrbe cogitaturum. Obiectas clathras proſpectans hoſtium cuneus, qui vrbi imminebat, putauit deprehenſas inſidias, & effuſus in fugam, à ciuitate tumultuariè receſſit. Nemo de tutela Deiparæ, in illis adiunctis dubitauit.

X X I I.

Templa Deiparæ, in eadem vrbe, ſumma religio.

DE ea Magnæ Matris ſacra æde quam proximè memorabam, & à *Donis*, hoc eſt muneribus eius ſuffragatione collatis, denominatur, (quanquam alij ad *Domnos* ſiue *Donos* ad quos olim ea domus attinuit, id nomen referunt,) illud certò, & quotidiano experimento deprehenditur, eſſe locum mirè religioſum, quem inire vix queas abſque ſancto horrore, & non vulgari ſenſu pietatis. Quod cum non poſſit reuocari ad magnificam ædis ſacræ ſtructuram, quæ in pleriſque aliis ſacris ædibus, eſt multo auguſtior, & concinnior, hærendum eſt in bona voluntate Deiparæ, quæ hunc locum charum habeat, & ibidem coli ac officioſè frequentari à fidelibus, apprimè gaudeat. Optimi quique ciues, qui quidem ſint ſui iuris, vel vna die, ſiue per æſtatis feruorem, ſiue per hyemis rigorem, & maximè eo loco horrentia Boreæ flabra, pia aditione loci ſacri abſtinere, religioni ducerent.

Quod de eiuſdem ſacri templa per Chriſtum ipſum inauguratione circumfertur, cum à Ioanne 22. ratum habeatur in Bulla data annot. 1. ſui Pontificatus 22. Nou. & in Bulla Sixti quarti data anno 1475. admittatur, non voco ad examen. De quibuſdam ſanè templis idem proditum memini. Ita de templo Deiparæ in eremo Heluetiorum conſecrata anno 747. Chriſtophorus Harthmannus in Annal. De Eccleſia item Sandyoniſiana non procul Lutetia. Ita Nicolaus Gillius, & Guagninus in Dagoberto 1. & confirmant inſigni miraculo in eam rem patrato nempe curationis Leproſi, cuius

hodiéque extare ſigna referuntur, in orbiculo quod conſpicitur in ſacello ad læuam. Atthinc eſt quod Eccleſiam à Rege Ethelberto in Sancti Petri honorem conſtructam, ipſe S. Apoſtolus conſecrauit, vt latè deſcribit Aelredus in vita S. Eduardi Regis apud Surium S. Ianuar. Idem proditur de Eccleſia Figeacenſi apud Cadunos, & de Aubracenſi apud Rutenos Arecomicos. Narrantur iſta de beatis hominibus. Idipſum teſtantur non pauci, ab Angelis præſtitum: nec eſſe improbandum quaſi inuriſimile, ſtatuit S. Thomas 3.p.q.64.art.7. & multis confirmat Henriquez lib.1.ſummæ cap.26. num.2. Diffusè id proſequitur de æde B. Mariæ de Podio, Odo Giſſæus in eius Eccleſiæ hiſtoria c.16. Idem habetur in Actis S. Petri Cæleſtini de eius Eccleſia. Nihil ergo vetat, Eccleſiam quoque B. Mariæ Auenionenſis fuiſſe à Chriſto aut Angelis conſecratam. Vulgi vero hallucinatio eſt, quod Cappa ſeu pluuiale in ara maxima ſterni ſolitum luce ſacra, Natalis vel Encœniorum illius Eccleſiæ, illud ipſum pluuiale eſſe cenſeatur, quo Chriſtus Dominus inter conſecrandum, ſit viſus. Logi. Pluuiale enim eſt Ioannis 22. ex Auenionenſi Epiſcopo, Pontificis Maximi Auenione ſedentis; quod populum doceri intereſſe videtur.

XXIII.

Pœnæ ob violatos parentes, exempla nupera quædam.

DEum in parentum violatione violari & Spiritus S. in ſcripturis frequenter tradit, & Patres confirmant, & exempla ſua ante quæ iam nupera aſtruunt Teſtimonia ſacra: Ethologi complures & Decalogi interpretes addendant: Exempla pauca huius temporis annoto. Vnum illuſtre dabo infra num.72.

Occurrit quoque æui noſtri exemplum alterum, quo Deum inconſpicuum in Dei conſpicui (vt Philo l. de ſpecial. legibus loquitur) violatione violari manifeſtum fiat. Adoleſcens nobilis Flexiæ Andium, literis operam dabat. Cúmque à Patre pecuniæ parciùs ſubmitterentur quàm ipſe cuperet, literas ad eum acerbitatis & contumeliarum refertas dedit: quibus vix tranſmiſſis, adeò confeſtim obſurduit vt ne diſploſæ quidem bombardæ ſonum perſentiſceret. Fruſtra tentatis Medicorum vniuerſa ferè Gallia celeberrimorum ſubſidiis, cogitatio ſubiit adeundi ſacram ædem Lauretanam ſi fortè B. Virginis ſuffragatione malum poſſet depellere & ſurditate liberari Lauretum appulſus nouemdialem comprecationem ex voto obit admodum piè, noxis primùm totius vitæ ritè expoſitis ſacerdoti. Pridie autem feſti Aſſumptæ in cœlum Deiparæ, iacenti in lecto obuerſata eſt B. Virgo comitantibus adoleſcentis parentibus quos virgo percontata vellentne filium ſanari, cum annuiſſent, immiſſo in aurem adoleſcentis digito chartam exemit, illis quæ ad patrem exarauerat contumelioſis verbis inſcriptam, & confeſtim ſurditas euanuit. Adoleſcens vbi diluxit ad Henricum Campegium Societatis IESV ſacerdotem Laureti Pænitentiarium ſuæ conſcientiæ arbitrum adiit & iuratus rem vt retuli expoſuit anno 1613. Cuiuſdam rebellis in parentes filij cadauer Romani non computruiſſe, ſed horrendum in modum per annos multos luridum hæſiſſe, dicam infra num. 93. In libro Franciſci Richardi de ſacra expeditione ad inſulam S. Irenes cap. 15. *in fine* legi, diſcolum filium in parentes iniurium ſola antica cadaueris parte integra, ſed horrendum in modum lurida, perſtiturum, vt habet vetuſtus Codex Eccleſiæ Sanct. Sophiæ Theſſalonicenſis.

XXIV.

Raræ ſynorides mortuorum.

IN Saulis & Ionathæ Epicedio, Dauid illud non prætermiſit; quod cum in vita dilexiſſent ſe, in morte quoque non eſſent ſeparati. Minus id mirum, in prælio, quo iuſtis aciebus confligebatur, cecidiſſe ſimul patrem & filium, in ſtrage totius penè exercitus. Illud verò minùs timendum, certè minus credendum videbatur quod in Galliæ Lugdunenſis oppido cui *à Sanct. Enemunde* nomen, (vulgo *S. Chamond*) accidiſſe compertum habeo. Pater cum concluſo improuidè fele, luctabatur intra cubiculum. Et vt id genus animalis, concluſum ſe videns, efferatur, & quaſi rabioſum euadit, inſiluit in guttur inuadentis, illumque ſuffocauit. Patris periculo agnito, filius nec ipſe ſatis conſultus, accurrit ad opem patri ferendam, oſtio item poſt ſe occluſo. Itaque in hunc quoque, poſt patrem ſæuiit felis, & vtrumque eadem hora letho dedit: Vi naturalis cauſæ internæ, hoc eſt morbi lethiferi, proſtratos eadem die nuper vidimus, fratres Sequanos Stephanum & Ioannem Ruffos, qui ſimul item illati ſunt tumulo. V. Cl. Franciſcus Martinus à S. Remo, vtrumque parentem, eadem die ac ſepultura extulit. Adeodatus Seba, ideſt *Theodorus Beza*, Melchiorem Volmarium & Margaretam eius coniugē, eadem die cœlo Caluiniano illatos gemino carmine defleuit pag.107. Notum, quid de SS. Fratribus Gildardo & Medardo, eadem die natis, ſimul baptiſmo initiatis, ſimul inauguratis ſummo ſacerdotio, ſimul vita functis, & cœlo illatis, prodant Sigebertus in Chronico anno 535. & Martyrol. Romæ 8. Iunij. Non omittam quod hic nuperrimè accidit. Cum obiiſſet D. de Sceptris Toparcha Comonenſis, oppidanus qui eius liberalitate, è puteo in quem inciderat fuerat extractus, audita Toparchæ morte, tactus dolore cordis intrinſecùs, deſiit viuere, illa ipſa die qua Toparcha improuiſa morte ſublatus fuerat. Menologium. Noſtrum vernaculum 29. Auguſti exhibet exemplum ſynoridis de quâ agimus, nempe S. Ioannis Præcurſoris, & Ioannis Codurij vnius è primis S. Ignatij ſociis; quem ipſe S. Ignatius inferri cœlo conſpexit vt habet eius hiſtoria. Hic igitur P. Ioannes Codurius, eodem die quo B. Baptiſta natus eſt, & ſacerdotio initiatus: ac ea ipſa die qua S. Baptiſtæ decollatio & mors recolitur ſucciſo vitæ ſtamine ad Deum tetendit. Natus erat non Sennij in extrema ad Ebredunum Prouinciâ Salyum ſed in oppidulo ad Gulleſtram in Delphinatu hodiéq; de ſtirpe eius ac nomine ſuperſunt aliqui, probi & Catholici; quamvis non ſit negandum ex ea ſtirpe aliquos à fide Catholicâ excidiſſe. vt Miniſtellum illū Codorium Deiparæ hoſtem, quem Valentinus Gerardus & ipſe Delphinas ſciſſa ſcriptione, cui titulus eſt *Triumphus Deiparæ*, confutatum voluit Biterris grunnientem aduersùs Dominam, & aduerſus Chriſtum eius, quem tamen ante aliquot annos aut alium ei cognominem ad fidem Catho-

licam conuerſum accepimus, ac ſcripſiſſe notas in librum Iob, & alia linguæ ſanctæ non mediocrem aruditionem crguentia.

XXV.

Feſtina fatuitas Religioſi laici.

REligioſus laicus planè rudis literarum, ac ne ſcribendi quidem ſciens, lepidiſſimam inſaniam vniuerſa propè vita inſaniuit, agens literatum, & ſacræ Theologiæ in paucis doctum. Viuit adhuc, cætera bonus, & religioſæ diſciplinæ tenax, ſed à ſua ineptitudine diſputandi de rebus Theologicis, & circa ſubtilia quæque tricandi more ſcholaſtico, nunquam auulſus. D. Thomam Aquinatem Theologorum aquilam, agnoſcit & laudat patronum. Profeſſoribus S.Theologiæ, annumerat ſe, vt Collegam. Omnibus ſe Theologorum propriis immiſcet, non ſecus ac ſuis. Neque iſta per io um, aut ad animi relaxationem, ea ludicra perſonæ Theologæ oſtentatione captandam facit: ſed perinde ſeriò ſe habet in his nugamentis, atque in re in qua maximè ſapiat. Eiuſdem fatuitatis particula eſt, quod non ita multò ante, animum adiecit ad metrica opera vernacula, de S. Thoma & ſimilibus, ſed ſine lege metri: ita vt illi ſatis ſit, ambos verſus continentes in eandem literam deſinere. Acumina etiam omni piſtillo retuſiora, imitatione Magni cuiuſdam *Abbatis*, Theſaurorum in eo genere expilatoris, chartis committi ſatagit; aſcita ſeu corrogato quopiam riſus amante amanuenſi, qui nocturnis vigiliis, & diurnis commentationibus profundè delirata excipiat. Et dum ſic ineptit, bellus ſibi & ſapiens videtur, nec medicam de ſe exiſtimationem vigere exiſtimat, apud externos atque domeſticos. Sic cæcutimus, ſic inſanimus, in noſtris plerunque rebus, aliis ludibrium debentes.

XXVI.

Spectrum diurnum Lugdunenſe.

LVe Lugdunenſi, quæ mortalium ad quinquaginta millia nuper abſumpſit, penè deterſa, diuitis Campſoris cui *Monerio* nomen, filius in ſæculo vnicus, (nam alter Antonianis iam ſe adiunxerat,) lue contactus eſt in paterna domo ad Ararim, è regione arcis petræ ſciſſæ, vbi hortus illi erat, ante amplificatam viam publicam, ſpatioſus ac peramœnus. Fato functus adoleſcens, quia ſine ſacerdotis abſolutione exceſſerat, multos habebat mœſtos. Nam tametſi bonus, & habebatur & erat, tamen omnibus Catholicis ſuam & ſuorum ſalutem curantibus, exceſſus è vita abſque expiatione ritu Catholico per ſacram exomologeſim, ominoſus habetur, & plenus diſcriminis. Haud ita multo poſt ab exceſſu, media die adoleſcens; quo ſolebat dum ſuperſtes eſſet amictu, exhibet ſe olitori, qui in horto aliquid agebat hortenſis operæ; & nouo ſpectaculo territum; (mortem quippè heri minoris, non ignorabat;) confirmat in gradu, admonens renunciet Patri, benè ſibi eſſe per Deiparæ apud Deum in morte ſubſidium, quo contritionem perfectam, & de peccatis veniam, exoraſſet. Minutus tamen aliquas reſtitutiones quibus obſtrictum ſe agnoſcebat, & voti conuerti nec redditi exſolutionem expetiit, & euanuit. Hæc adoleſcentis pater, ſapientiſſimo Patri Leoni Teixier Carthuſianorum Cœnobiarchæ in vicinia tunc degenti, poſtea totius Ordinis præfecto meritiſſimo, renunciauit cum primùm geſta ſunt; à quo non ita multo poſt ea accepimus, ad Deiparæ decus euulganda.

XXVII.

Perfectionis ſtudium hodiéque ardens.

ERrant, qui cum ſeneſcente orbe terrarum, ſeneſcere Chriſtianarum virtutum ſtudia putant & perfectionis à Chriſto terris illatæ exercitationem, obſoleuiſſe in his ſæculorum finibus arbitrantur: Cogitatio viri pij fuit quam hic celatam nolo. Aiebat ille, vt nec hallucinatio, Eccleſiæ nunc militanti indecora aboleretur, placuiſſe Deo, proximis annis, lucem (quam tonſuram generis humani vocat ſcitè Tertullianus,) Europa propè vniuerſa latè populari mortales, vt reuelarentur ex multis cordibus cogitationes; & notum fieret, quot & quàm inſignes ſeruos haberet Deus, quibus vitam prodigere in proximi ſalutem, ſumma eſſet deſideriorum atque virorum. Ea autem charitate nullam eſſe maiorem docente veritatis Archidiaſcalo didicimus. Itaque cum charitas ſit virtutū Regina, quam vt domeſticum famulitium, ſtipant virtutes, reliquæ dubitare non licet, quin adeò illuſtrem, charitatis, tot locis per tot Dei famulos expromptionem, inſignis virtutum omnium comitatus ſit affectatus. Non igitur obſoleuit Chriſtiana perfectio, non virtutum ſolidarum ſplendor, detritus eſt. Habent hic locum, quæ Sanct. Chryſoſtomus homil. 17. ad pop ſolemni eloquentiæ laude proſequitur, de ſui temporis Aſcetis, qui in ſummo Antiochenſis vrbis diſcrimine, è latebris ſuis erumpentes, ad afflictam vrbem accurrerunt, exprompturi omnem virtutem.

XXVIII.

Defectio ſub communionem, ſtultè abacta.

NOuitius muneri addictus illorum proprio qui ad domeſtica miniſteria admittuntur, quibus diebus ad ſacram ſynaxim ex regulæ præſcripto; ac vſu cœnobij accedendum erat, linquebatur animo, ita vt ad diuini cibi ſumptionem præ defectione illa, non niſi ægerrimè, & per ſummam difficultatem pertingeret; quo labore non grauabatur cum accedendum non erat ad ſacram menſam. Itaque apparet eiuſdem fuiſſe artificij hanc remoram in vſu diuiniſſimi Sacramenti, cuius erat apud Caſſianum collat. 22. c. 6. Monachi per noctem fœdatio ante communionem, vt ab ea animæ eſca auerteretur. Sed hic quidem, conſultis ſapientibus, & contempta quam Dæmon prouocabat materiali fœdatione, curatus eſt. Is verò quem dicebam Nouitius, de ſuo capite remedium adinuenit, cui adſcribi non potuit, *bonum factum.* Cellæ vinariæ curam habebat ſibi demandatam. Quare priuſquàm ad templum accederet communicaturus; plenum vini meri cyathum ſecurus hauſit, donec à Magiſtro ſpiritus interrogatus, ecquid deliquiis illis quæ experiebatur factum eſſet, gratulatus eſt ſibi, remedium cuius cogitationem à

Deo iniectam arbitrabatur. Dedoctus errorem, comperit falſa eſſe abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora, iuxta Innocentij 3. pronunciatum. Alium affini hallucinatione, ſedem Chriſto ad ſe ingreſſuro aptaſſe, nucis moſchatæ præſumptione, Caietanus prodidit.

XXIX.

Scommá in vanum Eccleſiaſtem Alterius horrendum exitium.

ECcleſiaſtes, de eorum numero quos Apoſtolus *æra ſonantia & tinnientia cymbala* nominat, multus erat in mundi deteſtatione, & cum eſſet vanitati impensè addictus, & rumuſculorum in ſuum decus captam, molliſſimè etiam carnem ſuam haberet; in mundi tamen vanitates & in anias falſas, gloriæque inanis ſtudium, magna orationis concitatione ferebatur. Nec minus tragicè conclamabat in curam carnis, & pinguis aqualiculi ſtudium. Pertæſus vanorum eius clamorum homo de ſeculo, redeuntis à concione ſacri Oratoris veſtigia relegens, cum ei fortè in itinere obuius factus palpo quiſpiam, thus falſarum laudationum abblandiendo adoleret, ſocium comiter ſeducens; Næ tu, (inquit), Eccleſiaſtæ huius tui negotium vtiliter geſſeris, ſi eum monueris, non eſſe quod deinceps tantoperè contra mundum efferueſcat dicendo. Mundus ſiquidem pænitentia tactus, Religionem ſubiit. Scomma erat, quo religionem vanam Oratoris contra ſeipſum diſerti, configebat, quod eſt Phariſaicum vitium, dicentium & non facientium, nominatimque ſtercore laudum humanarum, & cœno ex cloaca & lutulenta palude inanis gloriæ corrupto, germina vtilium alioqui operum ſtultè perfundentium, vt Climacus Gradu 2. ſcitè dixit, piéque deplorauit.

Huius Eccleſiaſtæ vanitas, fuit ridicula, & digna quæ ſannas referret. At luctuoſa prorſus, & neſcio an vnquam audita fuit alterius Eccleſiaſtæ vanitas, imo vaniſſimi gloriæ animalis rabies furioſa quæ media Quadrageſima huiuſce anni 1657. quo iſta recognoſcimus Sauonæ apud Ligures accidit. Concionabatur ea in vrbe Religioſus veſte tenus vt euentus docuit. Nomen ordinis conſulto premo. Cũ parum fauentem experiretur auditorem, & vaſta templi capacitas, adeò infrequenti concurrentium numero, poſſet vacua videri; poſt aliquam ad mediam vſque Quadrageſimam, qua incitanda, qua vrgendo meram, cum nihil proficeret & ad parietes caſſo labore diceret, patientiam læſam in furorem vertens, eſcendit è ſuggeſto, & in cœnobium regreſſus omnibus concionum ſuarum faſciculis in vnum cumulum adunatis, (& erant mole haudquaquam exigua) ignem iniecit, vnde luculenta flamma eſt excitata, cuius fumus viciniam ſecularem incendij latè graſſaturi periculum veritam permouit ad accurrendum. Et ecce ferale ſpectaculum. Necdum planè conſumptas chartas reperiunt & miſerum Concionatorem in ſanguine ſuo natantem: Adegerat quippe ipſe ſibi intra ilia ſicam præ deſperatione negati applauſus & tantæ ad conciones ſuas ſolitudinis. Sacerdos vt nondum mortuum excitaret ad dolorem de tanto ſcelere, Biothanatum, omni conatu laborauit, & morienti abſolutionem impendit. An ipſa quoque pœnitentia (vt cum Auguſtino dicam) ſit mortua, Deus ſcit, eo melius diiudicabunt ſodales Cyriaci qui affuerunt & triſte ſpectaculum ſuis ipſi oculis hauſerunt. Heu prodigioſam cœcitatem? Tanti ne erat confertam multitudinem adeſſe dicenti, vt eo ardenti deſiderio fraudati in ſe inſurgere, & corpus ſimul ac animam aperto exitij æterni diſcrimini committere deberet, homo nomine ac veſte tenus Religioſus? Aduocetur Chryſoſtomi tuba ad deteſtationem ſuperbiæ omnium malorum principi, in quod valentiſſime conclamat homil. de deſperatione & ſuperbia, & hom. 2. in Ioan. & hom. in. 1. ad Cor. Male ſanè iſtos perpenderat quod viri ſanctiſſimi iam olim monuerunt, prouido ſcilicet Concionatori vel vnum Auditorem ſatis ſuperque eſſe debere. Ita Chryſoſtomus, homil. in illud *Aſtitit Regina* corripiens Eutropium, ac Theodorus Studita ſerm. Catechetico 101. Chriſtus ipſe Apoſtolus Confeſſionis noſtræ atque adeò Concionatorum idea, cum vnica muliercula ad fontem Iacob, concionem habuit longè nobiliſſimam.

XXX.

Stulta credulitas Bertarij circa ſororem mulierem.

NOtus eſt ſpermologus Bertarius de Eliu Buzitæ ſtirpe quem vir prudens *Canadenſium Deum* nominare per iocum ſolebat; quod illis brutiis, non aliud Dei nomen ſit, quàm, *fallor omnium*. Hic verò in quem nunc incidi Bertarius, quicquid demum illuſtre & egregium memoratur, ſua tempeſtate induſtria, aut ſe autore factum iactans, eam nomenclationem haud abſurdè retulit. Is inter alia præclara rectionis ſuæ ſpiritualis facinora, efferebat frequentiſſimè, quod ſororem mulierem in caula ſua circumduceret, in coniugio Virginem multis iam annis, quamuis nec ætas marcida eſſet, nec vir ad legendos matrimonij flores (vt cum Clemente Stromateo loquar) eſſet inidoneus. Renouata abs ſe gloriabatur, exempla illa coniugalis pudicitiæ Virginitati ſociatæ, quæ in pleriſque SS. Coniugibus veneratur Eccleſia. Signauit ex eis non pauca Roſuedius in Onomaſtico V. *Continentia in Matrimonio*, & Raderus 1. p. Virid. SS. quibus adde Synoridem Sanctorum in hoc genere micantiſſimam, Elzearium & Dalfinam. Simplicitatem Bertarij, (ni fatuam credulitatem malis,) reuicit per idem tempus quo iſta iactabantur, tumens ſororis mulieris (& verè mulieris etiam ſi ſoror audiret, ac etiamnum audiat,) ex coniugali opere vterus. Ita enim iuſtũ eſt arbitrari, niſi ſi agro per virum inarato (vt Bertarius quidem iactabat), conductitium colonum nefariè accitum malit, ad præſtandam pro viro operam, quod abſit vt perſuadeat.

XXXI.

Specimen muliebris nequitiæ in viros duos.

MOnaſterium vrbs eſt Centronum ſiue Tarentaſiæ caput, ſede Metropolitana iam à Carolo Magni æuo clarum, cui nunc inſigne Antiſtitum decus Theophilus de Chevron, ſanguine antiquo clarus, ſed præcellentibus dotibus clarior præeſt Archiepiſcopus. In ea vrbe, mulier falſo rumore de viri obitu diſſeminato, ſecundas nuptias celebrauit præproperis votis. Nam vir haud ita multo poſt, inexpectatus reuenit. Mulier & prioris viri regreſſum pertæſa, & poſteriores nuptias diſ-

cuſſo

cuſſo œſtro ex quo celebratæ fuerant, iam faſtidiens, conſilium ſuſcepit; & atrox & nequitiæ refertum. Monet maritum ſecundum (reuera procum,) vt vna ſecum, ad tollendum de medio importunum gaudiorum vtriuſque interpellatorem, accingatur. Sic nuptias initas ratas fore. Pellectus ſcrophæ illius monitis, alieni thori conſpurcatur, conſenſit in iniquitatem, & ſcelus patrauit administra & vrgente muliere à qua veri mariti cadauer, ſacco incluſum, ſub noctem, cruenta ſarcina humeris viri ſuffecti imo proci, eſt impoſita: ſed ita vt extrema ſacci ora cum miſeri vectatoris extimo indumento con'ueretur. Quare ille dum in prætерfluentem Iſaram, è loco edicto ſarcinam excutit, magna potius corporis ſuccuſſione ac niſu, vna cum ſacco validè excuſſo, deuoluitur in profluentē, & perit. Læna decreto Senatus Sabaudienſis, ante paucos menſes quàm hæc ſcribimus vna cæde quia pluribus non poterat, vtramque expiauit.

XXXII.

Franciſcus Suares, nomen duobus Theologis ſanctitate & eruditione præſtantibus, ortu diſiunctiſſimus, commune.

ÆVi noſtri duo clara lumina, eiuſdem appellationis, videre adoleſcens memini; alterum Granata dederat, Auenio alterum.

Priorem copioſa ingenij ſoboles, toto orbe clarum fecit. Tot enim & tanta de rebus Theologicis ab eo conſcripta extant, quanta vix ab vllo, non modò huius ætatis, ſed etiam ſuperiorum ſæculorum. Nec numeroſitas, ſcriptionum ſoliditatem aut accurationem labefecit, vt iis vſu venire ſolet, qui multa, non multùm ſcribunt; ſed vbique ſui ſimilis, lectorem implet, & ſuſceptam difficultatis diſcuſſionem exhaurit, conſuli & euolui digniſſimus. Me verò multò magis afficit, inſignium illius hominis virtutum recordatio. Erat enim cum Deo per orationem coniunctiſſimus, & quod in tanta hominis luce, & apud omnes ſplendore, eximium videri debet, vilis erat in oculis ſuis. Aderam cum appulſo Aueniouem, vrbs vniuerſa ad eum vel conſpiciendum effuſa; è primariis item Doctoribus vir clariſſimus Dionyſius Chriſtianus, publico nomine, gratulationem elogiis ampliſſimis refertam exhibet. Ille nihilo ſecus ad iſta commoueri, quàm ſi de ignoto homine ſermo haberetur. Spirant eandem humilitatem, ſcripta eius omnia, in quibus nullus vſquam tumor, nulla aliorum contemptio deprehenditur. Quia verò Deus emittit fontes in conuallibus, hoc eſt (D. Auguſtino interprete,) cœleſtibus donis complet humiles corde, non erit operoſum æſtimare, quanta eſſet in adeò humile pectus diuina largitas; quantum (vt pia credulitas fert,) in cœlo decus ab eadem ſit repenſum in perpetuas æternitates, tam demiſſæ celſitudini.

Alter eiuſdem nominis Henrici Suareſij ſenioris germanus, iunioris patruus, (dulcia mihi nomina in quorum ære ſum gratus recolo;) tametſi nullas ſcriptiones ſuas prælo ſubiecit; is tamen erat qui ſubiicere poſſet: Id quod Theologicæ prælectiones cum laude habitæ ad annos multos, ſatis ſupérque confirmant. Sed micuit in eo, præſertim inſignis ſanctimonia, quæ vbique fragrauit, Auenione præſertim atque Toloſæ. In priore vrbe, aſceticis S. Ignatij commentationibus complures ad vitam ſanctam traduxit; nominatimque cum dandum eſſet initium tranſcriptionis cœnobij S. Franciſci de Obſeruantia, in ſtrictum Recollectorum inſtitutum, aptiſſimus eſſe viſus eſt, qui copioſum numerum Religioſorum perfectiora cogitantium, per menſem integrum erudiret, & ad religioſi ſpiritus accurationem informaret. Toloſæ in magna ſanctitatis opinione vixit, tandémque deceſſit ex pleuritide anno 1617. cum diem & horam mortis ſuæ multo ante denunciaſſet, affirmans ſe feria 6. mortem obiturum, ea ipſa hora qua Chriſtus ſpiritum emiſerat, quod & contigit. Regulæ defuncti omnes, roſarium, calantica, breuiarium, zona, quæcunque denique ad viuentem attinuerant, auidè captata ſunt, & magnis votis expetita; ac & tanquam ſacræ exuuiæ in ſumma veneratione habita, non leui ſanctimoniæ defuncti argumento.

XXXIII.

Omen vanum ex furca carnea, & ſcalis, ac laqueo, ad guttur puelli conformatis.

MIſerum eſt cogitare, quot plerunque incommodis tenellus infans à materna imaginatione afficiatur. Rarum exemplum; quia ominoſum, nonnullis viſum eſt, & aliquid cœlitus portendere creditum, hic apponam. Viennæ Allobrogum, puer Iuriſperito patre natus, furcam, ſcalas, & laqueum, omnia è carnea materia ad collum & guttur præferens, in lucem prodiit. Omino à vi a eſt ea puelli conformatio Sed reuera, fruſtra trepidatum eſt timore vbi timor non fuit. Effectus ſiquidem ille, naturalis eſſe potuit (& verò fuit,) à maternæ imaginationis efficacitate per tempus conceptus aut poſt illud infante adhuc præmolli ac tenero. Siue enim mater paulo ante in furcas & ſuſpendioſum aliquem inciderat, ſiue ſermo illi fuerat de patibulariis, & laqueo, ac ſcalis ad ſubeundum in furcam; valida imaginatione id verſans mulier; (quantum ex eius conſpectu coniectare poſſum,) vehemens & imaginoſa, formas illas impreſſit fœtui. Quæ etiam ex cauſa plerunque vidimus, infantes maternæ appetentiæ notas, vultu præferre. Et brutorum quoque animalium fœtus, variis notis per maternam imaginationem conſignari, certum eſt, vt de pano, gallina, equo & aliis notat Medina 1. paræn. cap. 7. & Femel. lib. 7. phyſiol. cap. 12. Aponta l. 5 Cæleſt. Phyſiog. cap. 2. Eſtque peruulgatum de ouibus vario colore à Iacobo tinctis Gen 30. vbi Pererius diſp. 3. & Cornelius ad v. 37. rectè ſtatuunt effectum fuiſſe naturalem, & imaginationi ouium tribuendum malè repugnante Vairo l. 2. de faſcino cap. 7 qui ibi agnoſcit miraculum. Similiter ergo in re noſtra, vehemens matris imaginatio, notas illas tenero fœtui impreſſit Quomodò verò id poſſit præſtare imaginatio, obſcuriſſimum eſt. Nec enim ſatisfacit, quod circa colores fœtui appictos, dicunt Baptiſta Porta lib. 2. Mag. natur. cap. 19. & Laur. lib. 8. Anatom. quæſt. 10. nec non Terelius lib. 2. de hom. gener. cap. 13. & Conimbr. 1. de gener. cap. 4. quæſt. 30. art. 2. Aiunt enim ſpiritus maternos per validam imaginationem ſic vel ſic pictos, tingere deinde fœtum. Quod etiamſi in ea

re

re eſſet veriſimile, in exemplo tamen quod verſamus, non habet locum, cum ſpiritus non poſſint effigiari, & quaſi figulari in formam laquei, calamum, &c. Nam ad id amplior corpulentia & materiæ denſitas exigitur, quam ſit in ſpiritibus. Probabilius eſt, quod ex S. Thoma colligitur in 2. d. 20. q. 2. artic. 1. ad l. 2. & ex q. 4. de malo 24. artic. 8. ad 13. & ex l. 3. contra gent. c. 103. nempe vi imaginationis vehementis, enaſci talem humorum temperiem, ex qua tenero fœtui imprimatur color qui cogitatur, aut conferatur ſemini vis ad efformandum fœtum ſic coloratum aut notatum. Et ita etiam Zacutus lib. 3. hiſtor. Medicorum, hiſtoria. 12. At quis me hic æſtus abripuerit vt extra locum in ſpinoſiſſimam materiam excurrerem præſertim nihil dicturus quod rem exhauriret? Crucem hic fixam, naturæ ſcrutatoribus, fatendum eſt.

XXXIV.

Ridicula expoſtulatio de tetri probri impactione.

In quodam Camberienſi Parthenone, orator ad ſacras Virgines dixit, propoſito loco ex Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Cumque identidem extrema propoſiti verba repeteret, & quod eſſet illud *putationis tempus* accuratè & fusè verſaret, bilem commouit Monialibus; ratis ſe inſimulari turpitudinis, eo quod vox latina *putationis*, cum vernacula voce putorem inhoneſtum ſonante affinitatem haberet, & aliquot ſyllabis conſentiat. Querelæ de Parthenonis dehoneſtatione per eam iaciam diſſertationem, deque infami probro quo Virgines Deo mancipatæ, ſcorta, (ſuo quidem iudicio,) audiuerant, ad cognatos perlatæ, riſum mouerunt peritis; cum rei veritate veſtigata, deprehenderunt, vniuerſam adeò tetri probri infamiam, in mera puellarum ignorantia, fuiſſe conſtitutam. Vt veriſſimum profectò inde deprehendatur, quod ſapientes pridem monuerunt, conuicia & probra, magnam partem ex diſpoſitione excipientis pendere: Nec rarò violatam famam & iniuſtum probrum obtendi, cum nihil minus cogitatum eſt, quam de probro inurendo & forma violanda. Hic ipſe Orator, cuius venter quaſi muſtum abſque ſpiraculo; in alia quadam regione, verba de ſuggeſto faciens ad Moniales, haud adeò nitentis famæ; tractans illud Cant. 6. *omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas*, ſecurius dixit, & citra querelas; quia conſtabat omnibus, propoſitum locum iis ad quas dicebat, congruere extimam corticem literæ.

XXXV.

Vanus terror quaſi à reueniente defuncto.

Romæ in religioſa quadam domo exceſſerat è vita religioſus laicus. Febriebat in eadem domo famulus, & per febris æſtum ac œſtrum, extra ſe factus, nocte concubia, valetudinariis ſomnum capientibus, ad templum nudipes progreditur, ſola amictus ſindone ſuper nudo. Excendit autem in templum clauium, per funem quo æs campanum ſolet ex imo templo pulſari ab ædituo laboris compendium captante. Notauerat famulus adhuc ſanus, locum ſepulturæ fratris recens defuncti. Itaque cum primum ad templum pertigit, accenſis candelis in altari, petito igne ex lampade ante diuinam Euchariſtiam ſemper ardente, rectà adit tumulum, ibique ſpecie ſedentis hæret. Sed cum demittens ſe per funem in templum, incondito & inſolito ea hora campanæ ſono, exciuiſſet ad templum domeſticos, hique superuenientes, ex odeo accenſas in ara candelas tam multas, & candidatum tumulo fratris recens defuncti inſidentem proſpectaſſent, ingens pauor omnes corripuit, veritos ne vel ſpectrum aliquod dæmoniacum ſenſibus imponeret, vel is qui tumulo inſidebat, frater eſſet proxime tumulo illatus, & diuino iuſſu regreſſus ad ſuperos. Euocatus ad ſpectaculum ſuperior, aliquandiu anceps fuit tandem de peritorum conſilio, excenſione in templum facta, ſacris veſtibus aſſumptis, ciborium diuinæ Euchariſtiæ manu præferens, ad tumulum contendebat adacturus ſpectrum per exorciſmos, & obiectum Iudicis viuorum ac mortuorum. Sed impeditus eſt progreſſione ab vno è ſociis, qui defixis in prætentum ſpectrum oculis, agnouit quod erat, non abſque riſu, & metus communis ſolutione. Hæc notata volui, vt conſtet cuiuſmodi ſint nonnullæ apparitiones defunctorum, præter alia exempla quæ Leloyerius collegit l. 1. de ſpectr. à c. 7.

XXXVI.

Monita moderatoribus, ex vſu viri ſapientis & pij.

Ioannem Gentilium adoleſcens videre memini, virum in Societate IESV nominibus clarum & prorogata ad multos annos rectione conſpicuum. Hominis tanto rerum vſu celeberrimi, vnum & alterum apophtegma, annotatu dignum videtur. Aiebat diſtrictius à Deo iudicandum neminem, ſuperioribus iis, per quos in mores noſtros, placendi deſiderio aut diſplicendi metu, laxitas induceretur. Societatem ſi ſolutior euadat aut labefiat, ſuperiorum vitio futurum. Vnam eſſe demum legitimam ſuperioribus occupationem, dimiſſis aliis omnibus, probos curare Religionis ſubditos; iis inuigilare, & ad eos miniſteria in proximorum bonum obeunda transferre, ſola ſibi directione ſaluare ſi ſuperior relictis inuigilandi & dirigendi partibus, munia illa obire per ſeipſum velit, præcipuo muneri ſuo deſit, (quod ſolum adducet Deus in iudicium); & ſubſiditorum zelum obtundat, ac expoſtulationum ſementem faciat, quaſi ſuperior ſpecioſa vel commoda quæque ſibi aſſumat, vilia aliis permittat. Hoc poſtremum ſapientiſſimi Patris monitum egregie confirmari poteſt ex Oroſandro c. 33. ſtrategici, admonente Imperatorem, ne munia militum obeat, ſed ſatis eſſe ducat, præeſſe ac regere. Quod verò laxationes & ruinæ, ſi quæ inferuntur ſacris cœtibus, culpa ſuperiorum inferantur vt ferebat primum monitum, magnum iis qui præſunt timorem poteſt ac debet iniicere. Actum eam in rem plenè in opere de bono regimine ſacrarum cœtuum.

XXXVII.

Minutalia Sanctorum pretioſa apud Deum.

MArcellus Franciſcus Moſtrillus, de Societate IESV, ex Sanct. Franciſci Xauerij imitatione plena miraculi, in Indiam Iaponiámque profectus, inſigni martyrio decoratus eſt Nangaſachij in Iaponia 17. Octobr. 1637. Quia verò ſolium ſanctorum non defluit, gloriam ſerui ſui apud extremos Eoos inter dira tormenta vita functi, illuſtrauit Deus inſigni miraculo apud Siculos anno 1640. exeunte. Drepani ſiquidem fœmina primaria, *Catharina de Vincentio*, longis ex pertinaci morbo cruciatibus ad extrema deuenerat, ita vt omnibus humanis diuiniſque remediis fruſtra tentatis, de ſepultura & funebri pompa cogitaretur. Fortè epiſtolium aliàs ab iniuſto Chriſto pugile tranſmiſſum, penes aliquem Drepani tunc degentem erat. Id Epiſtolium vbi dextro iacentis fœminæ brachio, quod planè ſolutum paralyſi erat, admotum eſt, vigor brachio reuenit, ita vt mulier perſeipſam ad caput languidum admouere chartam potuerit, cum ſubita capitis ſanitate: quæ ad reliquas item corporis partes diffuſa eſt, cum primùm ad eas applicitum eſt epiſtolium. Confeſtimque mulier exiliuit, & ſana ac benè valens, Deum in ſanctis ſuis mirabilem collandauit, ſtupente ciuitate vniuerſa, quæ ad tam inſolitum ſpectaculum frequens confluxit. Qui tanta præſtat per minutalia ſeruorum ſuorum, quid illis eductis in refrigerium negaturus eſt, quámve immenſa gloriæ mole eos eſt honeſtaturus? De hoc argumento minutalium quæ ſanctis aliquo in vſu fuerint dum ſupereſſent, diuinitùs inſigniter illuſtratorum, exquiſitè Tiofridus in Sanctorum Epitaphiis lib. 3. & 4.

XXXVIII.

Vnde Franciſci *nomen.*

FRanciſci, nomen tanquam proprium, primus tulit Minorum Pater Seraphicus. Nuſpiam enim ante eum id nomen legitur tanquam proprium, ſed tantùm vt appellatiuum. Qua ratione Ioannes Villani lib. 2. hiſtor. Florent. cap. 18. Gallos ſiue Francos Italicè dictos *Franceſcos*, (nunc *Franceſi*,) animaduertit. Eodémque modo apud Aimonium lib. 5. cap. 33. *habitus Franciſcus*, ſumitur pro Gallicano: *Et lingua Franciſca*, id eſt, *Gallicana* dicitur in lemmate ſepulchrali Gregorij V. apud Onuphrium comment. de comit. Imper. ſub Othone III. Cum autem ex Sanct. Bonauentura liquidò conſtet, & Sanct. Franciſcum lnſtrico nomine ad matris poſtulata, dictum eſſe *Ioannem* duntaxat, non autem vt aliqui de ſuo addunt, *Ioannem Franciſcum*: (id quod etiam tradit Aluarus Pelagius lib. 1. de plan. Eccleſ. art. 61. aptans idcirco Sanct. Franciſco, illud, *fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes*:) diſputatio nuper inferbuit, inter pios & doctos viros, vnde ſanctiſſimo Patriarchæ, nomen *Franciſci*, adhæſerit.

Fuit qui diceret, Franciſcum dictum quaſi *Francum*, quod nomen ingenuitatem, & ſanctam libertatem Italicè ſonat. Sed hos redarguit, quod Sanctus Pater non eſt denominatus *Francus*, ſed *Franciſcus*. Præterquàm quod hac ratione, reticetur tempus & modus quo vir ſanctus nomen *Franciſci* retulit. Id aliqui in Confirmatione factum ſuſpicantur ſed abſque teſte & ratione. Iacobus Meyerus in chron. anno 1226. qui Franciſcum adiecta litera quaſi *Francum* dictum voluit, quorſum vt *Sanctus Franciſcus* dictus ſit, non aperuit.

Satis veriſimiliter Lorinus ad cap. 16. Actor. v. 14. vulgo nomen ſancto iuueni inditum cenſuit, cum mercaturam facere cœpiſſet. Quod enim Pater eius Petrus Bernardinus Mercaturæ cum Francis intentus, filium ad Mercaturam abs ſe deſtinatum, idiomate Francico imbuendum curaſſet, eamque linguam ipſe paſſim vſurparet: vulgo (nec refragante Patre, cui plerique eam filij nomenclationem tribuunt) audiuit *Franceſco*, quod vt ex Villanio præmiſi, olim idipſum ſonabat quod nunc *Franceſe*. Nec eſt quod aliquem ſubeat dubitatio, an tunc eſſet apud Italos vſus vernaculi idiomatis hodierni, quod ſupponit hæc interpretatio vocis *Franciſcus*. Nam in *Actu* B. Ægidij qui fuit Sanct. Franciſci ſocius, (habentur apud Surium tomo 7. pag. mihi 326.) legitur hominem illum Dei, ſic affatum eſſe quoſdam locutuleios, *fatte fatte, & non parlate*. Et Radeuicus qui anno 1170. florebat, lib. 2. de geſtis Friderici cap. 70. teſtatur, cum Victor electus eſſet in Pontificem, populum Romanum ſic acclamaſſe; *Papa Vittore, San Pietro l'elegge*. Omitto teſtimonium Sanct. Thomæ qui 1. Cor. 14. teſtatur ſuo tempore idioma vernaculum in Italia diuerſum fuiſſe à latino, cuius erat vſus in ſacris. Quod autem eſſe potuit idioma illud vernaculum, niſi quod nunc viget in Italia? Non erat autem Sanct. Thomæ æuum, adeò abiunctum ab ætate Sanct. Franciſci. Ac proinde pater eius in Vmbria degens, nomine Italico *Franceſco* quod tunc *Gallum* ſonabat, ſiue *Franciſcum*, denominari Ioannem filium ſuum, cum Francis ob mercaturæ negotia agentem, & Franciæ linguæ peritia inter ciues ſuos perſpectum, aut voluiſſe, aut nequaquam ægrè tuliſſe; videri haud incongruè poteſt. Aut vt vt pater rem acciperet, potuit ea denominatio ex ea linguæ Franciæ peritia adhærere Filio ex frequenti apud ciues ſuos vſu, ſic illum denominandi quod ſæpè aliis in adiunctis ſimilibus, videmus vſuuenire.

Saluator Vitalis in Floreto Aluennino, Narciſſo 5. dictum *Franciſcum* contendit, quaſi *Francum*, quia fuit immunis à peccato ante natiuitatem, ob præmiſſam ſanctificationem in vtero. *Francus* enim immunem ac exemptum; *franchiſium* autem exemptionem & immunitatem ſignificat. Sed hic modus dicendi, nititur fundamento ruinoſo. Neque enim, probata doctrina, eam præproperam ſanctificationem admittit, vt dico in Heteroclitis ſpiritualibus. Quod ſi hic modus dicendi eſſet legitimus, oporteret quoque Sanct. Ioannem Baptiſtam vocare *Franciſcum*, & tam multos alios quos idem Auctor ſanctificatus in matrum vtero aſſirmat. Leonardus Vticenſis ſerm. de Sanct. Franciſco, inſuetum tunc nomen viro ſancto tributum cenſet, vt inſinuaretur, inſuetum miniſterium quo liberos & francos erat facturus Chriſti filios à Satana captiuatos per inſignem magnanimitatem atque ferociam cordis à qua denominatos *Francos*, obſeruat idem Auctor; & tradit etiam Iuo Carnotenſis initio Chronici, & Auctor Vitæ S. Rictrudis 12. Maij.

Et

Et congruit etiam antiquum nomen bipennis, quæ Conſulibus olim in ſignum terroris præferebatur in faſcibus. Ea enim bipennis quæ tranſuerſali ſurſum fuſte porrecto crucis imaginem quandam præferebat *Franciſca* dicebatur, vt habent Acta Clodouæi primi & ſic expoſuit eam vocem Hincmarus in vita S. Remigij, cum dixit. [Vnus Francus leuis, cum vociferatione, eleuata bipenni, quæ alio nomine vocatur *Franciſca*, percuſſit vrceum.] Et inferiùs. [Accepit autem Rex, Franciſcam eius, quæ vocatur bipennis, & proiecit in terram.] Similiter Flodoardus l. 1. hiſtor. Rem. Eccleſ. c. 13. Aymoinus autem l. 1. de geſtis Franco. c. 12. ſic habet. [Extenſa manu, Franciſcam eius, terræ deiecit, quæ *ſpatha* dicitur.] Cum autem ſpatha ſiue enſis, aliud ſit à ſecuri, videretur non ſatis commodè vnus quiſpiam, Franciſcam interpretatus eſſe ſecurim niſi ſecurim in ſacrificiis adhibitâ, & *bipennem*, vt eſt apud Valerium Flaccum 1. Argonaut dictam conſtaret, & *ſecurim*, vt multis exemplis monſtrat Briſſonius l. 1. formul. pag. 20. Iuxta huiuſmodi ergo notiones vocis *Franciſca*, S. Franciſcus, nomen tuliſſe videbitur à recidendis vitiis & immoderato ſeculi amore. Verum hæc myſtica ſunt, nec fortaſſis adeò conſonant hiſtoricæ veritati; quamvis veriſſimum eſt S. Franciſcum inſigniter verbo & exemplo recidiſſe intemperatum rerum fluxarum amorem, vt teſtantur Gregorius 9. & Alex. 4. & ſcitè Sancti viri æqualis Lucas Tudenſis l. 2. contra Alleg. c. 11. adducti in opere de ſtigmatiſmo ſ. 1. c. 10. Fuit inquam S. Franciſcus bipennis illa, cædens etiam petram, prout apud Ieremiam c. 23. habent 70. quibus inhæret S. Irenæus l. 5. c. 17. *in fine.* Etiam ſi vulgata editio, non *bipennem cadentem* habet, renouato Accij Nauij miraculo atteſtando, ſed *malleum conterentem*.

XXXIX.

Luctuoſa Drepanitani templi ruina.

INgens planè ac inſolitum iudiciorum Dei ſuſpiciendorum argumentum præbuit, quod Drepani in Sicilia anno 1641. ineunte quadrageſimæ ſacræ ieiunio, accidit. Habebat in æde ſacra Congregationis Oratorij, conciones D. Franciſcus Romanus, Eccleſiaſtes & pius & doctus, eóque loco planè dignus. Cum autem prima feria 6. Quadrageſimæ de inimicorum dilectione, argumento iis otis, & vbique, perneceſſario acturus eſſet de ſuggeſto, pridie pro concione, argumentum quod tractaturus erat, aperuit, omneſque adhortatus eſt, vt ad ſequentis diei concionem quam frequentes accurrerent. Agendum enim ſibi eſſe de argumento perutili, cum fructu, (vt ſperabat,) non pœnitendo. Nocte quæ concionem anteceſſit, ſubiit animum eius, comparatio quam è re ſua fore exiſtimauit. Nimirum quemadmodum templi fornix, ſi ſuper confertam in templo turbam rueret, ita ei noceret, vt tamen ſeipſam deſtrueret; ita inimicum, qui inimico infectus eſt, perdere ſeipſum, damna inferendo inimico. Verum eſt mane ad concionem, frequentia tanta, quantam Eccleſiaſtæ facundia, & præuia inuitatio euocarat. Mulieres primariæ ad quingintas, (exceſſiſſe ſanè numerum quadringentarum, vt certum proditur,) templi pronaon occupabatur. Viri præterea aderant permulti. Cum ergo Orator, ſuper concionem, ad eam veniſſet comparationem de fornice templi cum ſua ruina obtrituro auditores, mirabile dictu! perinde ac ſi ex compoſito res ageretur, (quæ tamen reſpectu Concionatoris erat planè fortuita), fornix in ſubiectum auditorium ſubitò corruit, & circiter quingentas Domicellas miserè obtriuit; viros item aliquos oppreſſit, plures luxauit, & in iis ipſum Concionatorem; cuius brachium, lapidis incurſu eſt violatum. Tota vrbe luctus fuit maximus. Quod dicendum. Iudicia Dei, abyſſus multa.

X L.

Dei prouidentia, multipliciter conſpicua in ſubita proſtratione templi S. Iacobi Maſſiliæ.

QVando ruinæ qua templum ſacrum exciſum eſt mentio incidit, addam exemplum aliud ruinæ ædis ſacræ, quod minùs funeſtum fuit; quia cum nullius ruina coniunctum, & multis, ſanè inſignibus, diuinæ prouidentiæ argumentis nobilitatum, vt ſcripſit qui aderat & omnia ex fide notauit P. Antonius Vallat.

Igitur anno 1639. Decembris 29. qua die S. Thomæ Cantuarienſis agon recolitur, templum Societatis IESV, cui nomen à S. Iacobo (vulgo *Saint Iaume*), ſeſquiora circiter pomeridiana, ſubitò concidit. Fortunatè Patres omnes, de labore anteriorum feſtorum feſſi, leuandis nonnihil ac reparandis corporibus, deambulationem extra vrbem puro ac libero cœlo ſuſceperant. Vnde occluſum fuit templum, & abſque vllius damno corruit: ac ne in vico quidem continente, vllus præter morem repertus eo tempore eſt, qui cum templi ruinis inuolueretur. Adoleſcens duntaxat ex ima plebecula, mercede dans operas manuarias, illhac fortè iter faciens, alliſu lapidis leuiter crure ſauciatus eſt, nec ita multo poſt perſonatus. Ruina fuit omnino magna & præpropera. Templum quippè erat editum & amplum. Minore autem temporis ſpatio quam quo decurreretur pſalmus quinquageſimus, euerſum eſt, vnaque aræ ſacræ, & eis circunducti clathri, Confeſſariorum ſellæ, ſcamna nucea complura, ſacræ tabulæ permultæ, aulæa, vniuerſa, denique templi ſupellex, omnia ſuſdéque euerſa atque obtrita. Sollicitos admodum habebat Patres, quid factum eſſet diuina Euchariſtia, quam intra templi ruinas communi clade inuolutam minutiſſimè detritam ſuſpicabantur, ita vt inuentionem eius deſperarent. Viſum tamen, officio erga Deum ipſum tectorio ſpecierum obductum, non deeſſe. Itaque ſub horam nonam veſpertinam, ad rudera ſacelli in quo aſſeruabatur, cum vno è ciuitatis conſulibus, & nonnullis ciuibus, Patres aliquot adierunt. Sed cum præaltus ac ſpiſſus ſacelli murus ex alto fiſſus ac euerſus ſacellū diſieciſſet, & dominici corporis tabernaculum prorſus contriuiſſet, exigua vel etiā prorſus nulla affulgebat ſpes, diuinæ, hoſtiæ inter tot ruinas reperiendæ. Vix tamen pauxillum ſuperaggeſti ruderis ſubmotum fuit, cum duo tigna exigua, deprehenſa ſunt decuſſatim ambientia veluti forulum, in quo ſacrum ciborium clauſum & intemeratum hærebat: ac ne inter tignorum inanitatem infeſtum quid incideret, cum ſacræ pyxidis periculo, circellas ex lapidibus adeò affabrè aptatis circumiacebat, vt diuinam per Angelos manum, ei conficiendo, & tignis in eam formam diſponendis interueniſſe, nemo dubitarit. Eorum lapidum

parte

parte egeſta, ſubluceus ad candelam prælucentem ciborium, nimio gaudio omnes perfudit. Moxque ex eo factitio tortulo, non abſque aliquo labore edoctum, (nam arctè iis quæ dixi tignis & appoſitis lapidibus aſtringebatur:) in ſacellum ſodalitatis, qua par fuit veneratione multis funalibus affectantibus tranſlatum eſt per ſacerdotem lineatum, manantibus præ gaudio lachrymis ob inuentam diuinam drachmam deperditam.

Auxit admirationem & gaudium, aliud indubitum diuinæ manus opus, circa icunculam è ligno Beat. Virginis Aſpricollenſis, quæ ibidem in loculo ligneo prætento vitro ſeorſim aſſeruari ſolita, euerſo ſacello, integra & illæſo prætento vitro reperta eſt, quamvis loculus vniuerſus in micas detritus, ſtriatúſque occurriſſet. Pleriſque nihil ad verum miraculum deſiderari viſum, & in hac vitri ac icunculæ; & in illa diuinæ hoſtiæ, ſacrique ciborij aſſeruatione. In illis quippè adiunctis, & tanta labe totius ædificij, omniúmque intra illud repoſitorum contritione, ſuperfuiſſe cladi res adeò fragiles, ad aliam cauſam quam ad Angelicam, vel ad diuinam manũ horrori ſuo ac Deiparæ conſulentem, referri poſſe non viſum. Simili planè prouidentia, Rauennæ anno 1550. ingenti ruina, qua etiam paui menti marmora confracta ſunt, in minutiſſimas partes, diuina hoſtia incluſa caula decidentibus ingentibus lapidibus manſit intacta, vt notauit Anton. Balinghen à Calendario Deiparæ Iulij vigeſima ſeptima, quod abſque miraculo factum non videtur. Sed ne liberales, aut etiam prodigi miraculorum videamur, ſiue miraculis iſta deſcribere placeat, ſiue à miraculorum albo expungere ea velimus; diuinæ tamen prouidentiæ inſignia planè argumenta in hoc negotio micuiſſe complura, nemo erit inficias. Quàm prouidè enim dies profeſtus, ad permittendam templi cladem diuinitus eſt delectus, & hora qua templo concluſo; & Patribus ad honeſtam animi laxationem digreſſis, nemo adera qui cum templi ruina inuolueretur. Nam ſi vel matutino tempore, quo ædes illa ad diuina myſteria frequentiſſimo fidelium confluxu celebratur, vel aliquo è proximè præcedentibus diebus qui feſti fuerant, facta eſſet templi euerſio, extra dubium eſt, quàm plurimos fuiſſe obterendos Deo gratias, qui teſti parietúmque euerſionem, indemnitate mortalium fortunauit. Vt habeat planè hic locum quod de Sancti Pauli ſacra æde ſub Leone III. Romæ collapſa nemine mortalium violato, canebat Anonymus Poeta apud Ioannem Seueranum, in deſcriptione vrbis Romæ parte prim. cum de Sanct. Pauli templo.

Exultare ſuæ, lachrymæ in gaudia verſis,
Et proceſſors reddite vota Deo.
Cuius ſic tenuit reſolutum dextera tectum,
In vacuum vt caderet tanta ruina ſolum.
Solus vt inuidia princeps, tormenta ſubires,
Qui nullum ex ampla ſtrage tulit ſpolium,
Nam potiora nitent reparati culmina templi,
Et ſumpſit vires firmior aula nouas.

Ita planè hic quoque factum, & impigrè quidem; vt proinde ex diſpendio, pro more Dei, factum fuiſſe compendium videatur,

Theoph. Rayn. Aſcetica.

in hac Anaſtaſia. Qualiſcunque ſcriptor Prochorus capit. ſeptim. Actorum Sanct. Ioannis meminit euerſi ab eo Epheſini templi, nemine, (vt precatus fuerat) violato. Et idem habet capit. 15. de templo Apollinis. Quæ Rupertus in Sanct. Heriberti Colonienſis Antiſtitis rebus geſtis capit. decimoquarto meditatur circa templi cuiuſdam caſum, an & quomodò hic ſint accommodanda, aliorum conſiderationi permitto. Diſſimilis templi in Hollandia, antè annos aliquot in vrbe ab Hæreticis captâ: in quo, cùm impij ſacris veſtibus per ludibrium induti, prætenta cruce, ac reliquo ſupplicationum catholicarum ritu inimice ſimulato, progrederentur, ſcopis candelarum loco prægeſtatis, corruente templi fornice, miſeri omnes obruti ſunt, ac ad tartara ſimul detruſi.

XLI.

Franciſci Caninij Religioſi Laici, vita inſigniter innocua, & obitus diuinitus illuſtratus.

ADeram Lugduni cum ex morbo deceſſit Franciſcus Guagninus ex Societate IESV, rari tota vita exempli, ſed prudentiæ Religioſæ præſertim, ac pietatis in Deum ſingularis. Series vniuerſæ hiſtoriæ huius viri, digniſſima eſſet quæ in Religioſorum, (maximè laicorum, qualis ipſe erat,) conformationem, ſcriptis fidelibus committeretur; & memini id ante annos aliquot molitum P. Petrum Bullioud. Cur opus ſuſceptum non perfecerit, & an perfecturus aliquando ſit, planè me latet. Poſt hæc ſic exorata exceſſit è vita bonus Pater. Itaque nihil præterea ab eius calamo ſperandum ſupereſt. Iis verò in præſentia dimiſſis, quæ in eius commentario à me pridem perlecta, huc transferrè nihil eſt neceſſe, præterire tamen non poſſum quod haud ita multo poſt ab boni fratris obitu, per Reuerendiſſimum Patrem Bartholomæum Iaquinotium, tunc Præpoſitum Prouincialem, in ſacra ad domeſticos omnes diſſertatione, præſens ipſe, narratum memini. Aiebat enim, eo ipſo tempore quo pius hic frater animam Lugduni efflauit, (erat autem hora quinta matutina,) alium quemdam ex eodem Ordine, veſte tenus Religioſum, procul Lugduno tunc conſtitutum, & contra præſcriptam ſurgendi legem, malè adhuc in lecto iacentem, ab apparente ſibi Franciſco, ſeuerè fuiſſe increpitum, quod in eo cœtu, & ſub ea veſte, eiuſmodi vitam viueret, de qua niſi ſaperet Deo longè ſeueriſſimam rationem eſſet redditurus, & longè acerbiſſimas pœnas daturus. Species porrò apparentis & increpantis Franciſci, erat omnino eximia, & multa vndecunque luce circumfulgens. Non cecinit ſurdo, pius monitor. Nam qui iacebat, illico erectus eſt, & deiectus in ſolum, illudque oſculis figens, pectus præ conſcientia macularum tutudit, non pauimentauit, quod facere eos qui pectus percutiunt nec emendantur, dixit Sanct. Auguſtinus ſerm. 28. ex 40. nouis.

Quod præterea de eiuſdem Optimi fratris rebus compertum habeo, nolo præteritum; ne fortè poſteros fugiat, & gloriæ Dei ac memoriæ Religioſi in ſuo gradu & ordine eximij decedat nisi annotetur. Laborabat diuturna febri iam ad dies fere quadraginta Præpoſitus Prouincialis Lugdunenſis Antonius Suffren. Oratio autem fiebat propè ſine intermiſſione à Collegio vniuerſo pro eo; & ex voto per Rectorem Patrem Carolum Maillanum concepto, quotidie per quadragenam integram qua morbus durauit, Patres duo ſaltem Prouincialis exoraturi ad Beat. Virginis Sacellum in Inſula Barbara leuca circiter dimidia ab vrbe abiunctum, ſacrificatum ibant. Orabat quoque Franciſcus Cagninus & frequenter, & quanto poterat affectu pro incolumitate Prouincialis. Quadam verò die inter perſoluendum commune tempum matutinæ orationis, obuerſata illi eſt Beat. Virgo, ſpecie inſigni, & quæ cœli ac terræ Reginam deceret. Beneuolentiſſimè autem affata Franciſcum, iuſſit illum de Prouincialis incolumitate non eſſe vltra ſollicitum: mox eum conualiturum ſignificauit, nec ita multo poſt abeuntem Præpoſiti Prouincialis munere, in Aquitaniam profecturum, ad Collegij Burdegalenſis gubernacula admouendum: Eóque perfunctum munere, etiam Prouinciæ Aquitanicæ, Præpoſitum dandum, ac ea etiam præfectura perfunctum, ad ſuos Lugdunenſes denuò remigraturum. Lætus nuncio Franciſcus, & ex Deiparæ alloquio mirè recreatus, qua tamen erat moderatione animi & perpetuo ſanctæ æquabilitatis tenore rem premens, ſecretum ſuum ſibi habebat, contentus pro deſponſa incolumitate ſui Præpoſiti, gratias Deo agere. Poſtmodum tamen adito qui adhuc iacebat ægroto, & de eius ſtatu (vt fit) officiosè percontatus ſemotis arbitris ſubintulit, ſperare ſe haud diutiùs protrahendam inualetudinem, Deo denique tot precibus ceſſuro, & optatam ſanitatem reſtituro. Hæc neſcio qua fiducia, & quaſi ſecuritate prolocutus, permonit Prouincialem, modeſtiæ viri ac temperationis conſcium, vt aliquid ſubeſſe diuinum quod Frater præ demiſſione ſibi ſolemni occuleret, ſuſpicaretur. Itaque Franciſco mandat iniecta præcepti religione, vt ſi quid de ſuo ſtatu & ſoſpitatione reſciſſet diuinitùs, illico promeret. Confeſtim ille in genua procidens & manantibus vbertim lachrymis, aliquid ſe ad rem attinens edoctum eſſe profeſſus eſt: quod antequam pandat, poſcere humillimè, ne ſe viuo vulgetur. Spopondit æger. Et illius Franciſcus, viſum quale paulo ante exhibuit enarrauit. Cuius veritatem ſecuta ad vnguem executio comprobauit. Franciſco demortuo Pater Antonius, ſoluto ſilentio quo ad illud vſque tempus ſe aſtrinxerat, rem omnem vulgauit, & diuinam erga ſe beneficentiam ſequeſtra Deipara, Fratre docente compertam, gratus recoluit atque publicauit.

XLII.

Subita ſanatio fœminæ pridem membrorum omnium impotis admota B. Ignatij Lipſanotheca.

PRæſtantem doctrina & pietate virum, ac facundiæ Chriſtianæ infucatæ, & inornatæ; potentis tamen ac vigentis exemplar; Ioannem Suffrenum ſcribere memini anno 1635. 16. Decembris, Antuerpia vbi extorris degebat in aula Reginæ Matris Mariæ Mediceæ cui erat à Confeſſionibus, exeunte Iulio eiuſdem anni fœminam nobilem Antuerpiæ iam à biennio vniuerſi corporis ſtupore perculſam, & cum aliis inſuper binis ternisve grauibus ægritudinibus conflictantem, cum lecto affixa horreret iam à tanto tempore; protinus ac in momento ſanam euaſiſſe, admotis Beat. Patr. Ignatij de Loyola exiguis reliquiis, in ſacra theca aſſeruatis. Perinde enim ac ſi hactenus non decubuiſſet, ſacra prorſus & valens exiluit confeſtim: & vt recuperatam plenè. Sancti viri meritis ſanitatem probaret, eademmet die labori ſe dedit, mirantibus ac ſtupentibus omnibus qui eam à tanto tempore membris captam, perſpectum habebant. Epiſcopus Antuerpienſis, re ritè diſcuſſa, ſolemne ſacrum in gratiarum actionem peragi voluit vigeſimo Nouembris; ſub quod Eccleſiaſtes, de diuino illo opere plebem Chriſtianam pleniùs edocuit. Benè multi ſacramento pœnitentiæ expiati, & cœleſti pane refecti, feſtiuum apparatum compleuerunt.

XLIII.

Caroli Ianay inſignis pietas, & gratia apud Deum.

NOtus mihi ante annos aliquot, muralis ſtructuræ opifex, ſanè pius, & moribus iam in ſeculo nitentiſſimis, qui denique poſt ſolutum vxoris morte coniugium, Societati Iesv adſcriptus eſt, cui nomen *Carolo Ianay*. Eum cum multæ aliæ dotes quibus domui erat quàm fructuoſus, inſigniter commendabant; tum illa imprimis, quod Deo erat coniunctiſſimus. Ad res autem diuinas adeò affectus erat, vt quia ſapor mentis (iuxta Beat. Paulinum) in ſermone guſtatur, omnes eius voces Deum redolerent. Et ſi quando inter colloquendum, alius (vt fit,) vanum quippiam obtruſiſſet, adeò dextrè ſermonem inflectebat ad diuina, vt magnæ meritò admirationi eſſet. Formam diuinæ charitatis, intra eius pectus flagrare dixiſſes, adeò ſuccenſos & ignitos afflabat ſermones. Alia inſignia eius opera, nunc preſſa volo, vnum duntaxat ſignare contentus. Ædificabatur ea Collegij Lugdunenſis turris, quæ templum ſubeuntibus ad læuam eſt; iamque ſtructura ſupra totum templum aſſurrexerat; cum ad eius conſummationem, ingens omnino lapis adhibita gerano, ſiue grue tractoria (ſic enim nominant,) ſubuehendus fuit. Sed inter ſubuehendum, cum iam altè elatus eſſet lapis qui in muro vicum reſpectante ſtatuendus

ſuſtinendus erat, grus ponderi impar, diffracta eſt; nec aliud expectandum erat, niſi vt lapis prægrandis, in ſubiectum viuum ex adeò ſublimi loco deiectus frequentiſſimos inibi commeantes contereret. Et erat hora inopportuniſſima, ſeſqui quarta à meridie, qua Scholaſticis trecentis ſupra mille, ſignum ad exeundum datum erat; vt citra vllum dubium, exeuntes de more confertiſſimè & tumultuoſiſſimè, ſtrage ingenti per lapidis caſum perdendi omninò multi fuiſſent. Carolus ad gerani diſtractionem, ſublatis in altum manibus, & Deipara interpellata, omnes operas horrore perculſas exorbat metu. Lapis eum locum cui deſtinabatur rectè petiit Angelica haud dubie directus manu. Adfui mox è ſchola regrediens & audita tanti periculi mira planè diſcuſſione diuinam benignitatem & fratris virtutem collaudaui.

XLIV.

Piſcis immani mole, mobile in aquis diuinæ potentiæ ſpecimen.

IMmenſa piſcium genera, æqualia montibus corpora, (verba ſunt S. Ambroſij l. 5. hexaëm. cap. 10.) quietum æuum exigunt, diſcreta ab inſulis, & ab omnibus maritimarum vrbium contagiis ſeparata. Vtique ne nauigationem perturbent incuſſo horrore. Interdum tamen, diſponente Deo, qui ex hac immani corporum mole data in eſcam populis Æthiopum, decus ſuæ potentiæ mortalibus oſtentare gaudet, ad littora hominibus frequentata erepunt vt anno 1639. exeunte contigit. Rem adſcribo, vt ſuppetat, vnde locupletentur quæ Feuardentius in c. 2. Ionæ de immani cetorum & balænarum vaſtitate, ad ab orpti Ionæ hiſtoriam illuſtrandam collegit. Eo igitur anno quem notaui, ad S. Torpetem piſcis ex eo genere, inuſitatæ magnitudinis captus eſt. Altitudo totius corporis, pedum erat viginti ac quinque. Mandibula ſuperior, ad palmos quinque ſepra triginta protendebatur. Dentium quilibet, vtriuſque pugni humani molem adæquans, albore ſuperaretur. Numerati omnes, ad 120. excreuerunt, magna inter duos quoſuis capedine interiacente. Oculorum pupillæ pares noſtratibus cubilis linteis. Decerpta ſunt ex ſuperiore capitis parte, carnium pondo quintal 25. Ex adipe expreſſum oleum, pretio aureorum mille; & vt minimum expreſſa fuiſſent olei, millia tria aureorum, niſi lite ſuborta de iure in hanc prædam, putredo interueniens tantam molem horrificè corrupiſſet. Rudens quam ſpiſſus & validus, cuius vſus eſt in alligandis nauibus, caudæ eius dum ſuperſtes eſſet, implicitus eſt, labore ac niſu quingentorum hominum trahendus. Sed piſcis leui motu & ſuccutiuncula, cateruam illam in mare pertraxit. Vnius dentis ictu, lintrem non exiguum, medium diffidit, & proram euulſit, nautis ac vectoribus natando dilapſis. Eius coſtæ ad binos cathedrarum duodenarios, ſufficere viſæ. Verè mirabilis Deus, ſicut in cœlo ac terra, ita & in abyſſis, formans tantam molem ad illudendum ei. Minus verò hærebit qui hæc legerit, ſi recoluit quæ Solinus c. 37. de altitudine marinæ belluæ ad Ioppen recitat; nec non quæ habet c. 55. de balænis & phyſeteris.

XLV.

Libellus Regularum ſodalitatis Parthenicæ, in incendio illæſus.

ANno 1630. cum adhuc racemario poſt vindemiam à lue fieret Auenione, domus cuiuſdam è ſodalitio B. Virginis Purificatæ, excitato incendio conflagrauit. Nam ne flammæ ſegniores eſſent, circius qui eam oram habet plerunque valdè infeſtam, horrendum tunc in modum deſæuiens, adauxit ignium acritudinem & in cauſa fuit, cur plena vaſtitas domui inferretur. Sopitis denique ignibus, domóque in cinerarium verſa, fuerunt qui egerere cineres, & fodicando ſcrutari, numquid incendio ſupereſſet, aggrederentur. Capſa lignea ferreis clathris obducta, ligno prorſus abſumpto, nedum ferrum oſtentabat, oppletum cineribus. Inter agitandum tamen baccillo, eos capſæ iam non capſæ cineres, mirum dictu, libellus Regularum ſodalitatis Parthenicæ (cui adſcriptus erat is cuius domus conflagrarat,) illæſus planè repertus eſt, ne extimo quidem tectorio quod è tenui membrana eſt, violatus. Librum ipſum diuina tutela clarum, iſta ſcribens teneo ac exoſculor, cuius prima pagella vacua, ſeriem rei geſtæ, & annum quo geſta eſt, ritè nunc conſignatum repræſentat. Liber ſacer ex condicto iniectus flammis ab Epiſcopo Ros, per Baſilium Macedonem ad Ruſſos miſſo cum nullo modo ab igne violatus eſſet, rudi illi populo perſuaſit, legem Chriſti eo libro deſcriptam, ſanctam & amplectendam eſſe, vt ſcribit Zonaras Tomo 3. Annal. *in Baſilio*. Ego ex proportionali facto intulerim, placuiſſe Deo monſtrare, inſtitutum ſodalitatis Parthenicæ eo libello comprehenſum, ſibi probari, tanquam pium & ſanctum.

XLVI.

Gallicanæ Eccleſiæ, opes immenſæ, argumentum pietatis maiorum.

BReuiculum annui cenſus Gallicanæ Eccleſiæ, ab aulico ſuppeditatum, iuuat adſcribere; vt quanta maiores religione fuerint, & quanta in Deum liberalitate, notum fiat, diſcantque poſteri, veſtigiis patrum ſuorum inſiſtendo, diuinam erga ſe largitatem proluere, qualem illi ſunt aſſecuti vberrimam. Ne autem fabulas videar obtrudere, recolenda ſunt indocilibus hac in parte ingeniis, quæ Thomas Stapletonus deſcribens Romanæ Eccleſiæ magnitudinem, quæ Thomas Boſius opes Eccleſiaſticas recenſens, & alij, de cenſu Eccleſiarum, fideliter retulerunt. Sic enim argumentum ſtupendi maius, decutiet minus, & clauus clauo trudetur. Continetur Eccleſia Gallicana Archiepiſcopatibus omnino quindecim; Lugdunenſi, Viennenſi, Senonenſi, Rothomagenſi, Auſcitano, Arelatenſi, Turonenſi, Bituricenſi, Rhemenſi, Burdegalenſi, Toloſano, Narbonenſi, Ebredunenſi, Aquenſi, & proximè adiuncto Pariſienſi. Subſunt his Metropolitanis, Epiſcopi nonaginta quinque. Epiſcopis Parochi ſubſunt centum mille, inſuperque viginti millia; Abbatiæ monachorum nume-

tantur quatuordecim millia quinquaginta ſex. Fœminarum Abbatiæ, numerum explent ſex millium ac ſexaginta ſeptem. Alij parthenones, quod in dies numero creſcant, ſubductione eximuntur. Prioratuum tria millia & quadringenta; Equeſtria beneficia Melitenſia quinque & ducenta recenſentur. Sacella ſuis præfectis attributa, pertingunt ad numerum centum quinquaginta duorum millium. Cœnobia & Collegia Religioſorum annuis mercedibus dotatorum, duodeuiginti millia, quingenta ac ſexaginta, præter ea quæ in dies accreſcunt, non exiguo numero. Tantùm de ſacris perſonis ac locis ambitu ac nomine Gallicanæ Eccleſiæ comprehenſis. Numerant hæ perſonæ ſacræ in bonis è quibus annuum cenſum colligunt, locorum, arcium, domus cum iure cuiuſuis mulctæ, ac etiam cum virgarum & ſecurium poteſtate, omnino nouem millia. Villæ ruſticanæ eorundem Eccleſiaſticorum ſubiacentes dominio, ad centum quadraginta nouem millia excreſcunt: & addenda ſunt agri vinearij iugera, quæ per viri opes conductitios diurnæ operæ mercede laborantes, aut per villicos mancipes excolunt, præter mille iugera vinearia è quibus frugum quartam tertiámve partem decerpunt. Summa itaque cenſus Eccleſiæ Gallicanæ, hæc eſto. Nummorum aureorum numeratorum milliones myriades duæ ac nonaginta. Pecuniæ ſepoſitæ aut ad menſam locatæ, milliones duodecim inſupérque aureorum quingenta millia. Vnde exiſtit ſumma cenſus annui Eccleſiæ Gallicanæ, millionum quatuor ſupra centum & aureorum millium quingentorum. 104500000. Ringuntur ad iſta ſectarij, fors & plerique de filiis ſeculi, ſub Catholico nomine illud Iudæ, ob ganniendo vibrantes; *Vt quid perditio hæc?* Sed qui Iudam repreſſit, illorum quoque nequitiam & fatuitatem coarguit. Sanctè enim & cum inſigni merito, diuites ſeculi, opes ſuas in Eccleſiam conferre, eaſque ſanctè ab Eccleſia admitti, pridem peruicit Bellarminus lib. de Clericis cap. 26. & 27. Et Simancas in Inſtit. Cathol. tit. 46. à num. 27.

XLVII.

Perſonæ ſacro-profanæ horrendus obitus.

HOmo Polonus, genere perilluſtri, in ſacrum Clerum cooptatus, & pinguibus ſacerdotiis præditus, vitam viuebat eo gradu & ordine indigniſſimam, volutans ſeſe ſpurciſſimè in cœnoſis deliciis, nec ætas vitiis iam facta, obdurato animo nona conſilia ſuggerebat; quantumvis conniterentur amici; Sororius in primis, Capitaneus Betrocenſis, qui tantum affinis ſui probrum ferebat ægerrimè. Qua die Beati Staniſlai Kotskæ celebris Polonorum genti memoria recolebatur, quæ eo anno in Dominicam incurrit, miſer diſcola, mox daturus inolitarum noxarum pœnas, in prædio Brotenſis Propoſituræ quæ potiebatur, cum ſcorto hilaris ac lætus cœnauit. Amotis epulis, & dimiſſa ad ſomnum capiendum turba famulorum, ſolus in conclaui cum lupa hæſit. quæ etiam mox exauditis horrificis & inconditis variarum animantium vocibus, per ſpeciem neceſſitatis cuiuſpiam, digreſſa eſt è conclaui; in quod illicò viri Gigantæa vaſtitate, atri, horrentes, flammantibus oculis irrumpere foribus introrſum ingenti ſtrepitu reductis, viſi ſunt, in anóque fragore, boatu, rugitu, vlulatu, illud compleuerunt. Accurrerunt ad tantum tumultum famuli; ſed mox præ horrore diffugerunt. Vnus duntaxat, generoſior, quod per ianuam aditus non pateret, ſcalas apponit feneſtræ, & fruſtra ſæpè inclamato hero, per eam denique reſeratam prorumpens, oſtium cubiculi pandit, per quod denique cœtera familia vtcunque confirmata ſubit, in caſſum quærens ſuperſtitem Dominum; qui ſub lecto exanimis capite intra imos pedes contrito, conuolutus in globum ſanguine vndecunque manans repertus eſt. Fœdum ſpectaculum. Sed longè tetrius ſi eo peruaderent oculi carnei, quod anima in æterno viuicomburio præbet.

XLVIII.

Guſtus eximiæ ſanctitatis Petri Cottoni.

PEtrum Cottonum, virum Deo acceptum, & magnis qui ſunt in terra peramatum, inſigni numinis & beatorum ſpirituum familiaritate vſum, concionali facundia vbique clarum, prudentia, & rerum impeditiſſimarum dextrè tractandarum peritia illuſtrem, docentibus Franciscis, & Societatis Iesv annalibus, nulla vnquam ſecula ignorabunt. De eo certis auctoribus comperi, cum niuoſo tempore iter faceret, & ſubitò offuſa caligo viæ conſpectum intercluſiſſet, hærere omnes qui in comitatu erant iuſſiſſe; ac flexis genibus in ipſo ſolo niuoſo, exoraſſe illicò lucem; per quam diſcuſſis nubilis & ſubmota caligine, aduerterunt omnes, ſi per vicenos adhuc paſſus qui via cœperant inſtitiſſent, altiſſima voragine fuiſſe abſorbendos. Idem, vadoſo, (vt putabat,) loco traiecturus amnem, eam fluuij partem iniuit, quæ ad præruptum, quo præ aquarum profunditate certò mergendus eſſet, deductura erat, niſi ſubitus monitor, neque antea neque deinceps viſus, de parte qua tranſmittendum erat, docuiſſet. Angelum Dei fuiſſe, haud vana ſuſpicio fuit. Subiens Maſſilienſe templum, cui nomen *les Accoules*, hominem conſpicatus eſt Clericali habitu & pileatum; facie non hominis, ſed buffonis horrendum. Percontatus ecquis eſſet, audito eſſe ſacerdotem optimum, & Confeſſarium in primis clarum, conticuit. Sed tempus quo natam veritatem dixit antiquitas, monſtrauit denique qualem hunc ſub angelica veſte Diabolum, Deus ſermo ſuo exhibuiſſet: cum horrenda ſacrilegia, & ſpurcitias fœtentiſſimas, igne eluit Aquis ſextiis. Neminem ſanè latet, quo fine concluſerit vitam turpiſſimam hic ipſe Ludouicus Gaufridi, Iuſtum opus, de Cottoni inſignibus præter communem morem dotibus, & diuinis humaniſque prærogatiuis, conficiendum aliis permitto, hoc guſtu contentus.

XLIX.

XLIX.

Verène perſecutio Cœnobitica, omnium diriſſima.

ITa quidem habet Italicum adagium, quod tametſi prima ſpecie abhorrere à veritate videtur; tamen non deſunt, quibus cum Philippo Abbate epiſtol. 11. ita planè ſtatuente in ſua cauſa; illuſtrari & confirmari poſſit. Nam nihil acrius & fortius zelo, non ſecundùm ſcientiam, & æmulatione quam duram ſicut mortem, ſpiritus ipſe ſanctus pronunciauit. Atqui in cœnobio, vix eſſe poteſt qui in alium inſurgat niſi ex zelo & æmulatione. Qua item ex cauſa, Iulianus Apoſtata, referente Amoniano lib. 22. dicere ſolitus erat, nullam eſſe truculentiorem & immaniorem feram, aduersùs aliam feram, quam Chriſtianus, accenſus ira & furore, in Chriſtianum. Accedit quod corruptio rei optimæ, peſſima eſt; Ex nullo quippè vino, probatius conficitur acetum, quàm ex vino exquiſito & optimo. Et nullius cadaueris tantus eſt putor, quantus humani, quia ex corpore exiſtit temperatiſſimo. Quid quod à nullo hoſte magis timendum eſt, quàm ab occulto ſub ſpecie pietatis, iuxta Ennodium.

Exempla, confirmant cœnobiticæ perſecutionis diritatem, quanta in perſecutionibus inter ſeculares, rara eſt & infrequens. Pleruṁque enim iis impoſturis a perſecutore monacho grauatus eſt alius eiuſdem inſtituti, quas flagrantes odio ſeculares rarò impingunt, vt notum eſt de Sanct. Romualdo teterrimæ labis inſimulato, in alta ſenectute. Acta SS. Benedicti & Columbani aliorúmquè plurimorum, ne vitæ quidem exoſorum parcitum eſſe, teſtatum faciunt. Nec latent quæ de ſe Philippus Abbas prodidit Epiſtol. 12.

Sed vix vllum poſſit occurrere in hanc rem illuſtrius exemplum, quàm Petri Ioannis Olini, Ordinis Minorum. Is etiamnum minutæ ætatis, oblatus Sanct. Franciſco à parentibus anno 1259. magnis incrementis progreſſus in via ſpiritus, cum laxatam paucorum vitio & degeneratione ſacri inſtituti diſciplinam non ferret, & arguens, obſecrans, increpans, omnia ad priſtinam feruoris ac rigoris amuſſim reducere tentaret, à ſuiſmet grauiſſimis calumniis & viuus & mortuus oneratus eſt; vſque adeò, vt homo poſt mortem miraculis clarum (quod teſtatur Angelus Clarenus,) apud aliquos Hæreticus audierit, & inter famoſos Hæreſum auctores locum acceperit. Neque de externis miror, Eymerico Directorij Inquiſitorum auctore Gabriele Prateolo in Elencho, & Abrahamo Bzouio qui erga Minores, indulgentia vti non ſolet. Miror magis ipſos domeſticos fidei, poſt diſcuſſam repetitis iudiciis viri doctrinam, & Pontificum auctoritate ſublatam librorum eius proſcriptionem; poſt Vbertini de Caſalis ſortem pro eo apologiam; à telis in eum vibrandis non abſtinere. Benè ſit Lucæ VVadingho qui in eius purgationem non ita pridem effuſus eſt ad annum 1297. à numer. 33. Mihi eius quodlibeta percurrenti, & ſubiectam illis defenſionem 37. articulorum à quibuſdam notatorum euoluendi acre & amœnum hominis ingenium, abſque iis erroribus monſtroſis quorum ab aliquibus eſt inſimulatus, miſerationem mouet præ fluctibus pluſquàm decumanis; quibus in ipſo Religionis portu iactatus eſt. Homo dignior, cuius zelus flagrantiſſimus, pro inſtituti ſui puritate retinenda, ſodales experiretur communis boni ſitientiores. Quare rectè vir ſapiens, nuperrime cum ſuborta eſſet contentio de veritate adagij quod hîc præfiximus, adſcripſit BONVM DICTVM TESTIS F. PETRVS IOANNES OLVVI. Et ſimiles adiungo in Paralipomenis ad opus de Calumnia c. de auerſo à piis affectu.

L.

Suſpendioſi ſubleuatio à Deipara.

NVper Adoleſcens in agro Biſuntino, ex Archiepiſcopi familia, quod licentiùs viro nobili reſpondiſſet, alapa multatus, mox etiam calce percuſſus, actus in furorem; catapultariæ glandis iactu, nobilem confecit. Gens tota quæ opibus & fauore poterat plurimùm cædis auctorem ad furcam popoſcit. Nec mora fruſtra renitente Antiſtite S. R. I. Principe, qui illud iudicium ad ſe pertinere contendebat; penè à cæde patrata ad patibulum rapitur. Erat adoleſcens ille patibularius, ſingulari in Deiparæ cultum affectu. Et in deductione ad patibulum voto ſe obſtrinxit ædem Deiparæ Lauretanam inuiſendi habitu peregrini: Quod votum, riſu in illis adiunctis excepere plerique. Sed ille in Deiparæ interpellatione, iugis erat. Cuius tutela clientem ſuum in eo puncto non defecit. Itaque cum admota ad collum reſti, à Carnifice ter in eius humeros valdè inſiliente de furca deturbaretur, & obitum ſuum in parentis optimæ tutela, flagrantibus precibus reponeret, matronam conſpexit, collum ſibi molli ſudario præcingentem, ne reſtis appreſſione & conſtrictione læderetur. Pependit è furca, horas complures. Denique reciſo laqueo ex alta trabe è qua pendebat, forti in ſolum ſubiectum alliſu lapſus, & pro mortuo ſublatus, cum à piis fœminis ad ſepulturam, in ſindone conſueretur, earúmque vna acum incogitans in carnem infixiſſet, perſenſit ictum, & altè ingemuit. Mirari omnes qui aderant, & percontati quomodò poſt tam diuturnam in furca moram, ſuperſtes eſſet, Deiparæ fauorem erga clientem ſuum didicerunt. Cognatio, eius quem letho dederat, recenti vulnere adhuc ſaucia, repoſcebat miſerum iteratò ad pœnam. Sed pars ſanior & numeroſior euicit, vt qui Deo benignè faciente, & Deipara tutante certam mortem euaſerat, mites ad noxæ immemores mortales experiretur. Ille voti memor, promiſſum fideliter exoluit: & poſtmodùm in familiam S. Tereſianam Deiparæ addictiſſimam eſt adſcriptus.

L I.

Fructus pietatis ex humana hiſtoria.

PRoficere poſſe Chriſtianum ex Gentilium libris, S. Baſilius eleganti homilia docuit. Ibi tamen potiùs attendit ritus Ethnicos, & fabulas, ac vana de Diis & Deabus commenta; monſtratque, ex eo item cœno, legi poſſe aurum probatum ſanctorum morum. Idem multo magis ſtatuendum eſſe de profana hiſtoria, merito confirmauit

vir in doctrina ſpiritus præcellens; exemplum in eam rem proferens Octauiani Auguſti, qui pene ſolus, ſine exemplo rerum potitus eſt, eaſque bonorum & malorum viciſſitudines ſenſit, vt dubium fecerit, vtrorum potior cauſa fuerit. Adulatio ſanè eum extulit vltra quam credi poteſt, non modò defunctum, vitulo eum placans & agna, ſtrataque ad puluinar iacens, vt tradunt Prudentius contra Symmachum, (poſt Dionem ac Plinium), ac notatis aliis benè multis Bulengerius lib. 1. de Imperat. cap. 13. ſed etiam ſuperſtitem. Omnia illi fluebant ad nutum. Repreſſit ſeriùs ocyùs, quoſcunque refragantes expertus eſt. De facultatibus propè vniuerſi orbis terrarum tanquam de re ſua & ad manum poſita, ſtatuit. Quid multa? In pace factus eſt locus eius, & in ſumma tranquillitate ac rerum omnium affluxu, orbem terræ, ſapienter ac percommodè, ad imperij clauum diu ſedens eſt moderatus. Suetonius in horum omnium deſcriptione, accuratus & breuis eſt, poteſtque eſſe inſtar omnium. At eiuſdem ſors calamitoſa, egregiè à Seneca attingitur in Conſol. ad Marciam cap. 15. & à Plinio lib. 7. cap. 45. quem deflorauit Solinus cap. 3. polyhiſtor. par momentum aduerſorum Auguſti repræſentans; [primum quod apud auunculum in petitione magiſterij equitum, prælatus eſt ei Lepidus tribunus, cum quadam auſpicantium cœptorum nota. Mox triumuiratus collegium prægrauanti poteſtate Antonij. Philippenſis inde proſcriptionis inuidia. Abdicatio poſthumi Agrippæ poſt adoptionem, deinde deſiderio eius, inſignis pœnitentia. Naufragia ſicula, turpis ibi in ſpelunca occultatio, ſeditiones militum plurimæ. Peruſina cura, detectum filiæ adulterium & voluntas parricidialis. Nec minore dedecore neptis, infamia inculatæ de morte filiorum: & amiſſis liberis non ſolum orbitatis dolor, ſed vrbis peſtilentia, fames Italiæ; bello Illyrico anguſtia rei militaris, corpus morbidum, contumelioſa diſſenſio priuigni Neronis. Vxoris etiam & Tiberij cogitationes parum fidæ, atque in hunc modum plura.] Rectè is quem ſignabam probatus pietatis Magiſter, vel ex hoc vno exemplo conſtare poſſe aiebat, de fructu lectionis humanæ hiſtoriæ, ad conformandos mores, & augendam pietatem. Hinc enim apertiſſimè liquet, quanti ſint humana imperia, veréque, (vt Procopius notauit in lib. 4. Reg. cap. 11.) coronam Regiam in ſcripturis ſacris appellari *Martyrium*. Indidem quoque conſtat, de labilitate & fluxa conditione rerum omnium humanarum; cum vel ipſi hominum vertices & apices, & qui inter iſtos fortunatiſſimi ſunt viſi, cum tot aduerſis conflictati ſint, inter tot proſpera. Quibus ac ſimilibus ex eadem fauiſſa cogitationibus, nihil vtilius verſari animo poteſt. Felix qui humanarum lectionum verſatione diſtentus, ſimilem fructum ſtudioſè tentabit decerpere.

LII.

Aſthmatica, admotis Iacobi Saleſij quondam aſthmatici reliquiis, ſubitò & plenè curata.

IAcobus Saleſius ex Societate IESV, perilluſtri, apud Albenacenſes in ora Viuarienſi, perfunctus martyrio, anno 1593. cum aliis cœleſtibus ornamentis honeſtatus eſt, (de quibus iuſta tractatione alij), tum inter anno 1641. Subita curatione Præpoſitæ Parthenonis Argentarienſis in eadem ora, cui nomen *Maria de Gaches*. Scriptum, eius chirographo, & Medici ſuffragatione, multarumque Monialium adſcriptione firmatum, in quod recens incidi prodit; Præpoſitam cum ex graui morbo vtcunque conualuiſſet, inolitæ tamen ægritudinis moleſtia admodum laboraſſe. Nam annos iam viginti; anxia, & frequenti ſpiratione cruciabatur, hyeme præſertim. Vtcunque igitur alia ægritudine quæ eam peſſimè affecerat leuata, 7. Decembris anni prædicti, inquilinum tamen laborioſi & crebri anhelitus incommodum, adeò graue & infeſtum patiebatur, vt ægrè vitam retineret. Submiſſo ad ægram oſſiculo è Martyris corpore, & piè admoto, plenam & perfectam aſthmatis inoliti curationem, conſecuta eſt adeò expeditè, vt nulla fuerit inter ſacri pignoris admotionem, & ſanitatis adeptionem, intercapedo. Fuitque donum Dei abſque pœnitentia. Nam nullo deinceps impeditæ reſpirationis incommodo, ſe laboraſſe, multo poſt profeſſa eſt; ita vt etiam ea tempeſtate quam ſolita erat experiri infeſtiorem, negligens ſui, nec pro more ſollicita curandæ valetudinis indemnitatem ſibi, & ſanitatis conſtantiam ſit gratulata.

Obſeruatione porrò dignum eſt, Chriſti pugilem cum hoc mortalis corporis oſtreo adhuc inuolueretur, ea ipſa ægritudine laborare præter cœteras ſolitum. Itaque Deus eo promptius accurrit ſoſpitator, interpellatus per huius ſerui ſui merita. Solemne quippe eſt iuſtiſſimo laborum ponderatori, Sanctorum ſuorum decora, ad cruciatus præteritos admetiri; & promptius obſignare poſtulata mortalium, qui ab iiſdem cruciatibus eximi poſcant, interpellatione eorum, quos Deus in huiuſmodi camino per vitæ tempus excoxerit. Sic S. Rochus quia lue contactus eſt, contra tonſuram illam generis humani, fauere apud Deum ſolet. Et idem eſt de S. Apollonia, quoad dentium dolores. Et de S. Maclouio, quoad ſcrophulas ſiue ſtrumas: Nec non de S. Sira Trecenſi quoad ocularium morbum. Hi aliique cœlites, cum certis morbis in vita conflictati, expeditiùs audiuntur, cum apud Deum ſuffragatores adhibentur in iiſdem difficultatibus. Quod ergo Beatus hic Chriſti pugil, per vitam admodum ſuſpirioſus fuiſſet, mirum videri non debet, quod in hoc genere morbi leuando, valeat gratia apud Deum. Id quod alij plerique eo morbo tentati, ad propitiandum ſibi numen, valuiſſe confirmarunt.

LIII.

Præfeſtina iudicia.

NArrabat Eminentiſſimus Alfonſus Card. de Richelieu, Lugdunenſis Archiepiſcopus, in quadam Religioſa familia, ſibi benè compertum luctuoſum euentum accidiſſe. Viſitator Ordinis præ duritia rectionis adeò exacerbauit vnum cœnobitam, vt actus in rabiem, è Concellanei ſupellectile, clam ipſo, cultellum acceperit, quo inſtructus noctu in Viſitatorem irruit, eumque iugulauit; & cruentum

tum gladium in cubiculo relinquens ; nomine mortalium conſcio, ſeceſſit in cellam ſuam. Cæde viſitatoris agnita, conquiſitio ſollicitè facta eſt, & cuiuſnam eſſet gladius cruentus nefarij operis inſtrumentum, diligenter veſtigatum. Agnouit ſuum eſſe, is è cuius cella ſumptus fuerat. Itaque tanquam cædis auctor, in barathrum eſt coniectus, in quo pane tribulationis & aqua anguſtiæ per ſolidos ſeptemdecim annos, ſuſtentatus vtcunque eſt, pro truculento homicida habitus. Exactis annis ſeptemdecim, Cain quem dixi. Cædis verum auctorem, graui infirmitate correptus eſt, qua ſceleris ſui per tot annos, etiam inter ſacramentaliter confitendum preſſi, non immemor, rogauit ſupereſſetnè vitæ ſpes aliqua. Vbi accepit Medicorum iudicio ſe conclamatum, & intra paucas horas migrandum eſſe, acciri cœnobiarcham curauit, conſcientiam exoneraturus ad migrationem è vita. Per eius confeſſionem, poſt annos denique ſeptemdecim, innoxius ex ergaſtulo eductus eſt ; & euidenti argumento monſtratum, iudicia mortalium præ ertim præpropera, & tenuibus nixa indiciis (quale hoc fuerat,) fallacia plerunque eſſe, & cum innoxiorum graui damno coniuncta.

In Societate Iesv, Sacerdos, criminante lupa, reus factus eſt turpitudinis : quod genus noxæ in eo ordine, nulli patet benignitati, ſed inexorabiliter plectitur. Præpoſitus Generalis, cæteroqui magni vir iudicij, criminoſum, antea ſemper integrum vitæ habitum, ex ſola delatione mulierculæ, omni honore ſpoliatum, culinæ miniſteriis in reliquam vitam addixit. Tenuit vexatio per annos quatuordecim, miſero ab aris procul facto, & ſola communione laica, per tantum temporis ſpatium donato. Tandem poſt annos quatuordecim, calumniatrix graui preſſa ægritudine, ad extrema deuênit : & confeſſa de peccatis Sacerdoti Ordinis Prædicatorum, nequitiam ſuam in grauando homine innoxio aperuit, enixè rogans Confeſſarium, vt creata abs ſe calamitate, innoxium, retectione veritatis liberaret. Aduolat Confeſſarius Romam, (nam extra vrbem aliquot leucis, criminatricem ægritudo oppreſſerat,) & dedocto errorem Generali, calumnioſè grauato ſacerdoti priſtinum gradum haud ægrè exorauit ; non abſque infixo ob præproperum iudicium aculeo, & inſigni quantum tribui debeat luparum delationibus documento.

In vrbe Roma, ſedente ad Eccleſiæ clauum Paulo V. homo Gallus per ſacros quæſitores tentus eſt, & in Tullianum abductus tanquam violatæ Catholicæ fidei reus. Hæſit in barathro per annos ſexdecim. Quo tanto temporis ſpatio euoluto, Franciæ Legatus Dominus de Breues, de miſeri ſtatu & innocentia per vias admodum occultas vt in Eleuſinis vix vlli peruias admonitus, egit cum Pontifice, vt liceret ſibi ad eam cuſtodiam penetrare. Tametſi admodùm noua viſa eſt legati petitio, tamen audita eſt : progreſſúſque ad vinctum Legatus, (vbi cauſam miſeri perſpexit vrgentiſſimis precibus extorſit inſtaurari iudicium ; néque maturiùs expenſa, & diligentiùs diſcuſſa, deprehenſus eſt error. Alius quippè, ſtatura & externa ſpecie ſatis ſimilis, noxam contraxerat, cuius iſte reus factus, in carcerem truſus fuerat. Vnde denique eductus, præ diuturna in obſcuro carcere commoratione cæcultans, luculentum præbuit exemplum, fallaciæ indiciorum præfeſtinorũ : comprobans calamitate ſua, meritò S. Cyprianum in paræneſi ad Donatum expoſtulaſſe, pro noſtrarum rerum caligine, & obturato plerumque videntium oculo, inter leges ipſas delinqui, inter iura peccari, innocentiam nec illhic vbi defenditur reſeruari.

LIV.

Ingenij hebetudo, proles luxuriæ.

VErè dixiſſe Senecam Rhetorem in Controuerſiarum procemio, nihil eſſe tam mortiferum ingenij quàm luxuriam, ſingulari exemplo probatum venio. Sacerdos Religioſæ familiæ, in Academia nobiliſſima Theologiæ profeſſor, ætate florens, & ingenij ac ſubtilitatis laude clarus, ex improuidis cum ſexu molliore affatibus, (nam Confeſſiones in templo ſuo excipiebat ;) infatuatus eſt, & cum putens quippiam ex illis iuſto crebrioribus & moroſioribus affatibus ſuboleret, tandem ad fomitem à flamma ſummouendum à generali familiæ ſuæ Præfecto, Romam eſt euocatus. Iter ei faciendum fuit per Helueticos hæreticos. Ad eos cũ perueniſſet, poſita larua, adſcriptus Philoſophiæ profeſſoribus in Lauſanenſi Academia, Euam illicò captauit, cui Adam pro Caluinianorum Poppaeum more adhæreret. Eam tamen poſt menſes aliquot iam ferentem vtero, dum ſartagini infrigit oua, præ ira, calce in ventrem illiſo, alter Nouatus, letho dedit. Secuta enim abortione, miſerè egit animam, fœtu quoque in æternam cladem contruſo. Pro vſu autem huiuſmodi erronum, fragilitatem carnis & doni continentiæ carentiam crepantium, mox ad ſecunda vota conuolauit ſed admodum infeliciter. Nam ſecundos hymenæos, ad primam ſacrilegi commercij ſociam, luctuoſos quoque expertus eſt. Quam enim in thorum bene ſanam & valentem induxerat, efferri manè mortuam oportuit. Cauſam non diſquiro, prohibente pudore. Qui inde ſermones, & motus animorum in gente carnea ſint excitati, procliue eſt cogitare.

Miſer, poſtquàm ſatur turpitudinum, & volutationis in cœno, ſtimulis ſacrilegæ vitæ conſcientiam altè fodicantibus, vtcunque ad ſe reuênit, ſanctiſſimis monitis optimiſque conſiliis Franciſci de Sales æternæ memoriæ Præſulis, deſerta Caluini hara, in qua pube tenus hæſerat, iudicio & ſententia ſemper Catholicus, ad Eccleſiæ caulas, etiam externa ſpecie regreſſus eſt ; ſed adeò hebes, & ingenio per eam in carne infoſſionem tantoperè obtuſo, vt me admiratione perculerit. Memini enim cum Lugduni diſputationibus de gratia quibus præfueram, interfuiſſet ; & inter diſputandum crebra incidiſſet efficacis & ſufficientis gratiæ mentio, (quarum vocum notiones, vel tyronibus Theologis ſunt perſpicuæ,) ſeductum me ab illo poſt diſputationes, vt vocum illarum adeò protritarum notionem edocerem. Agnoui, veriſſimè pronunciatum eſſe à Sanct. Gregorio, ex luxuria gigni mentis hebetudinem, ita vt præ caligine denſa, fumóque per eos profanos ignes ſubuecto, ingenium cœcutiat, aut lippiat, vel etiam exoculetur. Iuſta ſanè vindicta, vt quorum animæ adeò craſſeſcunt, vt in carnem veluti tranſeant, (iuxta præclaram Origenis Philoſophiam homil. 2. in pſal. 36.) quæ carnis ſunt ſapientes, ſpiritualia & ſubtilia dediſcant. Non videtur hoc exemplum indignum quod ſubiungatur iis quæ de caſu magno-

rum virorum per improuidam cum ſexu molliore conuerſationem annotauit Marquardus l. de cœlib. non abrogando c. 8.

LV.

Teſtimonium nouitatis Lutheraniſmi, ac Caluiniſmi, diuinitus prouiſum.

INgens nobis Catholicã ac Romanam fidem profitentibus, conſolatio eſt, ab eius vetuſtate. Neque enim fidem nouitiam, & recens enatam tenemus, ſed ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quod eſt Chriſtus IESVS; omnes perditionis ſectas ſuffigimus cum Tertulliano l. de præſcript. cap. 21. & 37. Nazianzeno orat. 52. Hieronymo Epiſtol. 65. & paſſim aliis Patribus, exprobrantes illis nouitatem, & vt ſæpè Tertullianus vocat, *nouitiolam paraturam.* Hoc vt liquidiùs appareret, prouidit Deus, vt ante exoleſcerent ac victæ fierent hæreſes, quàm ij è vita excederent, qui anteriores ortu eſſent. Luculentum in hanc rem exemplum, ſuppeditauit non ita pridem Collegij noſtri Friburgenſis in Heluetia Rector, referens extare etiam nunc Friburgi ruſticum ſenem, Comitum Gruerienſium (qui eo titulo ante ſeculum excederunt,) iam olim famulum annos natum cum iſta ſcriberentur (hoc eſt anno 1641.) centum triginta, vſque adeò vegetum, vt paulo ante, lupam globo transfixiſſet, & quatuor eius catulos iam ſatis magnos, impacto baculo manuali, confeciſſet. Quinetiam proximo autumno Romam cogitaſſe narrabatur nihil morante tam alto ſenio. Barba illi valde promiſſa, quam diebus profectis in nodum contrahebat, ſolis Catholico ritu feſtis diebus explicabat. Et iucundum erat, audire hominem, ſectis Lutheri, & Caluini tanto poſt ſe natis, inſultantem ſimile eſt quod non ita pridem Nemauſi, ſpelæo antehac Caluiniſmi, mulier anteſa quæ ante auditam in eo tractu Caluini buccinam, Catholica vixerat, rogata num ad Hugonotos rerum tunc potientes tranſire vellet, petitionem cum ſtomacho repulit, cauſata quod cum primum, eius ſectæ Miniſtri Nemauſum appulerunt, iam extuliſſet maritum cui primò nupſerat.

Hoc teſtimonium veritatis Catholiciſmi, & vanitatis nouarum ſectarum, validum ac idoneum eſt. Nec immeritò cenſeri poteſt diuinitùs prouiſum ad ſtabilitionem fidei veræ, quam eſſe Apoſtolicam, atque adeò canam & antiquitate nixam, oportet. Non dico, ruſtici prædicti longæuitatem pertinuiſſe ad miraculum. Nam non me latet, pleriſque viuido, & benè compacto corpore præditis, cœlo item puro potientibus, & temperatè vitam exigentibus, prorogatam in benè multos annos ſolius naturæ viribus, lucis huius vſuram. Sic S. Kentigernus Epiſcopus Scotus, obiit annos natus 185. Initi autem Epiſcopatus, anno 160. Sanctus Remigius præ longæuitate inſolita, cœcitate laborauit in fine vitæ, & *Iubileus* eſt appellatus. Alios ſanctos Macrobios profero in fraude Breuitatis. Nec de illis quicquam proditur quod ſuadeat eam longæuitatem pertinuiſſe ad miraculum. Id quod multo magis dicendum videtur, de illis Ethnicis, quos Phlegon libello nuper refoſſo *de longæuis* quam diuturnam vitam vixiſſe teſtatur. Quibus annumerandus iure eſt Indus ille, annorum iam trecentorum, à Maffeio memoratus, & Ioannes, à longæuitate, dictus *de Temporibus*. Vt taceam fabulam de Mare hippomige apud Ælianum l. 9. var. hiſt. Non igitur (ob proportionalẽ rationem) refero ad miraculum, annoſitatem inſolitã ruſtici de quo agitur. Aio tamen fuiſſe à ſpeciali prouidentia numinis, quæ tametſi fides Catholica credibilis facta eſt nimis, voluit tamen hoc quoque teſtimonio firmare eius veritatem, & ſuffundere rubore ſectas nouitias, præ recenti ortu longè alieno ab Apoſtolici ſeminis traduce.

LVI.

Virginis ſacræ ob pudicitiam energumenæ, manus literata.

BEnedictus Deus, qui etiam in his ſeculorum finibus, exempla Chriſtianarum virtutum oſtentat, non diſparia antiquis. Vidimus ante annos paucos, Monialem, cui impurus leno ſub Confeſſarij perſona, fruſtra aliquandiu abblanditus, cum extorquere conſenſum non poſſet, dirum hoſpitem immiſit, permittente Deo, cuius occulta interdum ſunt, ſed nunquam iniuſta iudicia. Qui eius agones, per tempus non modicum energumeniſmi fuerint, longior texit hiſtoria, Antiſtitis Pictauienſis iuſſu perſcripta. In præſentia illud ſufficit, piam hanc Virginem, multorum dæmoniorum receptaculum, ad non breue tempus fuiſſe, ea patientem, & facientem, quæ concitari energumeniſmo ſolent. Ad extremum tamen, Dei benignitas malignos hoſpites extruſit: ſed pedetentim, non ſimul vniuerſos. Par dæmoniorum, quod adactum exorciſmis, penultimo loco exceſſit, in læua ſacræ puellæ manu, ſanctiſſima *Mariæ* ac *Ioſephi* nomina maiuſculis elementis exarauit, ſanguinem miſeræ habens pro encauſto. Omnium dæmoniorum teterrimum, quod poſtremo loco abſceſſit, iiſdem vſum ſanguineis characteribus, ſupra nomina prædicta, auguſtiſſimum *IESV* nomen inſcripſit, ſub nomine autem S. *Ioſephi*, appinxit nomen *Franciſci de Salles*, Gebennenſium Antiſtitis, omni laude ſuperioris. Geminum L. malus ſcriptor adhibuit, cum vnicum ſufficeret. Virginem ad huius ſanctiſſimi Præſulis tumulum adeuntem, per viam longam, valdè, grates debitas exſoluturam, vidimus ipſi, & manum literatam, opus Satanæ, Deo & ſanctis eius glorioſum, demirati ſumus.

LVII.

Factum Hæretici dirum; horrendum, inopinabile: factum tamen.

VIuæ Martyri mortuam & (vt priſcum verbum retineam,) *perfectam* adiungo; ſic enim pium eſt exiſtimare, ex adiunctis horrendi & ſupra omnem truculentiam immanis facti, quod non nemo eorum qui audiuerunt, factum negauit, & inopinabile præ monſtroſitate cenſuit: Et tamen factum eſſe, certi nec dubii autores docuerunt. Tillemontium vrbs eſt in Belgio, quæ Caſtillionæi Caſtrorum præfecti Hæretici copiis ſubacta, ante annos paucos, ad barbaram matronarum ac puellarum quæ in templa ſe receperant, ſtragem ac fœdationem

dationem; non prius illhic vi am, cohorruit. Et verò Alaricum Gotthum Romana vrbe potitum, tametſi Hæreticum Arrianum, detuliſſe tamen ſacris locis, & in ea aſyla bacchari militarem petulantiam ſeuere vetuiſſe, proditum eſt. Verum Caluini ſpiritus, quo agebantur ſacrilegi illi, ac truces templorum Catholicorum exauguratores, ſupra Arianam perfidiam, teter ac immanis apparuit. Reliquum illius Tragœdiæ ſanè luctuoſiſſimæ, oppaſſo ſilentij velo ſubduco. Quod tamen vni ſacræ Virgini ab vno ex dæmonibus illis corporatis contigit, tametſi omnino horrificum, iuuat non omittere; vt intelligatur qui demum ſacrilegij, ſpurcitiæ, ac crudelitatis fines ſtatuendi ſint, cum de Caluini æmulariis rerum potientibus agitur.

Virgo ſacra ad tumultum irrumpentis in ſacram ædem militaris globi, non ſecus ac columba ad milui incurſum perculſa, hac illhac diffugiens, nec vllibi tutum receptum agnoſcens, ignara moris Hæreticorum, ponè ſacrum tabernaculum in quo diuina hoſtia aſſeruatur, latibulum ſibi captauit; rata pudicitiam ſuam illhic pro Dei præſentis reuerentia indemnem fore. Sed falſa eſt ſpe ſua. Aduertit ex impiorum ſicariorum globo vnus quiſpiam, latentem prædam. Itaque confeſtim aduolat, & quod puella eſſet eleganti forma, oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, ſpecie decipiente, & concupiſcentia ſubuertente cor eius. Horreſco ad nefarium auſum, neque tamen quando huc deueni, referre pedem licet, tametſi contremiſcentem pro alieno ſcelere. Miſellam ergo, & fruſtra Deum ſacrarum ſpecierum tectorio obductum, fruſtra Chriſti plagas & ſanguinem, fruſtra Deiparæ merita interponentem, vi prehenſam abſtrahit, & ſuper altare in quo immolatur agnus puriſſimus, vbi vota fidelium ſacri miniſterij interuentu peruehuntur ad cœlum, loco cœleſtibus ſpiritibus venerabili, verè terribili, domóque Dei & porta cœli; violenter, deiectam pati cogit, ad quod abrumpo ſermonem; nolens chartam & calamum tanta fœditate inceſtare. Quanquam cumulus atrocitatis prætereundus non eſt, ne cogitationem legentis fugiat, qui quidem humanitatem non prorſus exuerit, & in feram diabolúmve tranſierit. Satur libidinis nequam ille, Virginem (neque enim Auguſtino teſte, apud Deum deſiit, vi erepta renitenti virginitas); Virginem inquam affectu & voluntate, minas ab irato Deo intentantem, & peſſimæ vitæ finem peſſimum denuntiantem, ſtricta in pectus ſica, immaniter confodit, duplex in vna hoſtia martyrium faciens, pudoris & religionis, vt S. Ambroſij hoc voces tranſferam.

Siue Batauus, ſiue ex alia gente miles, (nam ferunt commixtæ fuiſſe acies), illud ſceleris ac crudelitatis portentum edidit, vix puto legi vſpiam, quod hæc malignitas non tranſcendat. Concitabatur acrem in modum Optatus, ob diſiectas à Donatiſtis ſacrarum Virginum mitellas. Hoc quid ad ſtuprum ſimul ac cædem? Mixti Gentilibus Ariani, in procella per Iulianum deſertorem excitata, ſacrarum Virginum ventres exciderunt Nazianzeno teſte; ac viſceribus extractis, vt feræ hoſtiæ, rictus ſuos cruentarunt. At parcitum eſt pudori, nec enim abuſos flore corporum legimus; ſed tantum præ rabie ſecuiſſe, ac brutum in morem exſorbuiſſe cruorem, & depaſtos exempta viſcera, tanquam Cyclopas & Polyphemos. Edeſſæ in Meſopotamia anno Chriſti 1143. vt ſcribit in Saracenorum & Turcarum Chronico Vuolfangus Dreſchlerus ſub Alaſho duce Turcarum multa & miſerabili Chriſtianorum ſtrage edita, matrona in æde D. Ioannis Baptiſtæ, ab impiis Turcis ſupra altare ſunt conſpurcatæ. Verum Turcas Chriſtianæ Sanctimoniæ rudes, & porcinam Mahumeti ſuperſtitionem profeſſos, talia cogitaſſe, ac perfeciſſe, maximè cum cæde poſt inquinationem abſtinuiſſe videantur, minùs mirandum. Quod ferè dixerim de clanculario Atheo ſub cucullo, quem ad fœda commercia cum Virgine, iam non Dei, ſed diaboli, ludentem acroamate horrendo in Chriſtum ſponſum acceſſiſſe, non falſo rumore eſt diuulgatum. Et hic quoque, lupæ vita ſalua fuit, & quamvis in ſacro loco patrabatur iniquitas, cum volente tamen edebatur ſcelus, procul ab aris, & corpore ac ſanguine Domini ac etiam inter horrenda Albigenſium facta illud narratur, ſcortum ab illis, ſuper ipſum altare, ad faciendum Chriſto ſtomachum, ad fœdam commixtionem eſſe admotum Toloſæ, vbi tunc rerum potiebantur porci illi. Ita ſcribit Guagninus lib. 6. hiſtor. Et hoc quoque mitius actum eſt vt ſcortum erat, non ſacra virgo cum qua exſaturabant libidinem: nec ſpurca loci ſacri per infame commercium contaminatio, effuſione ſanguinis eſt cumulata. In facto quod exponebam, ſacrilega inquinatio perſonæ, eiuſdemque trucidatio, adiunctæ ſunt in atrox dedecus Chriſti: à quo intra exiguum tempus pro iniquitate turbatæ ſunt pelles terræ Madian, & ingens ac validus exercitus breui defluxit.

LVIII.

Ars diuina in fonte identidem manante & exareſcente, intra eandem diem.

Mirabamur in fonte ad Altacumbam (ordinis Ciſtercienſis apud Allobrogas cœnobium eſt); diuerſas intra breuiſſimum tempus manandi ac hærendi vices: Qualem fluendi moroſitatem, Plinius Nepos l.4. epiſtola ad Surram, Saxo Grammaticus in quibuſdam Noruegiæ fontibus, Bocatius item in fonte Zamaritiæ apud Occiduos Cantabros, ſuſpexere. Signare iuuat alias aliquot, vel eiuſdem vel affinis genij ac naturæ fontes, vt eius de quo ago fides non nutet. Apud Gyraldum Cambrenſem l. 2. de Topographia Hiberniæ c. 7. Sic lego. [Eſt in Conactia fons dulcis aquæ, in vertice montis excelſi & procul à mari, qui die naturali bis, vndis deficiens, & toties exuberans, maximas imitatur inſtabilitates. Eſt etiam in Guuallia non procul à caſtello Dineuar, in prouincia tamen de Canterbochan, fons qui ſimilis inconſtantiæ lymphas habere ſolet.] Affine eſt, quod de fonte in Sueuiæ prouincia quæ *Sutiis* dicitur, proditum eſt. Eſt is fons in montis excelſi vertice, nec niſi ſole ſuper horizontem elucente, emittit ſcaturigines. Res mira. Statim atque Sol ſub horizótem deſcendit, & quamdiu ad nos non remigrat, fluere ceſſat. Mox autem à ſole ſuper horizontem emerſo, vberes ex eo fonte aquæ prorumpunt. Per totam noctem, nec ſtillam emittit, tametſi humectiorem eſſe diurno tempore noctem, nemó non videt. Nec diſpari prodigio, fons in Pictauia ad S. Ioannem de Angelis; æſtate & ardente Sirio, vberrimis manat aquis, cum cœteri exareſcunt: hyeme è contrario, quo tempore pluuium frequenter eſt cœlum, & aptior ad aquarum profluuium diſpoſitio,

tio, ſiccus manet, experſque fluentorum. Fontem in Sicilia legi miræ naturæ, ad quem videlicet ſi quis rubro veſtimento indutus acceſſerit, fons ad menſuram ſtaturæ hominis accedentis ebullit; ad alios colores prorſus immotus: Reſumit verò modum ſuum atque menſuram, cum primùm qui rubro veſtitur, abſcedit. In agro Nicienſi vt ſcribit Petrus Geofredus l. cui titulus *Nicæa ciuitas*, fons eſt, quem ruſtici *ſanctum fontem* appellant, ab Antonio Ludouico Audiberto, inibi medico, eleganti poëmate expreſſus. Eum ferunt videri ominationis ac diuinationis participem. Areſcit ſemper, quieta pacatâque Republica, licet multis imbribus aquiſque humeſcat annus. Animaduerſum eſt infauſtum quid vt plurimùm portendere, quando ex areſcente ſolo, vltro emergit, ſiccatis præſertim, reliquis ſcaturiginibus atque æſtiuo tempore. Ita obſeruatum anno 1543. ante Turco-Gallicam obſidionem. Similiter denunciata eſt lues peſtifera anno 1581. & 1631. atque non ita pridem; publica calamitas imminente ciuili bello.

Verùm reueniendo ad fontem (vt ſic dicam) moroſum, & ſubinde hærentem, ea narratione, Plinius, ita rem ſuſpicit, vt ſatagat pro cauſa aperienda, nec eam probet Senecæ reſponſionem l. 3. qq. natur. cap. 16. qua ſiſtitur in abditis rerum cauſis, & naturæ arcano imperueſtigabili. Humorem ergo vicibus alternis ſupprimi aut egeri, confirmat, ſiue ob proportionalem cauſam ex qua Oceanus impellitur ac reſorbetur; ſiue ob aliam aliquamè compluribus moræ illius ac fluxus cauſis quas proponit, omiſſa quantum video phyſica cauſa longè veriſimillima nimirum quod vndis in aquarium latens, cuppæ ſpecie, guttatim confluentibus, tum demum foras emanent latices, cum aquarium præ humoris aceruati vbertate redundat. Ceſſet autem egeſtio aquarum, vbi aquarij capacitas, aquarum quantitati par fuerit: rurſus autem collecto inibi ex vaporibus, aut corriuato aliunde in eam cuppam humore plurimo, ita vt ſummis cuppæ labris exundet, nouus ſequatur profluxus. Hæc quamuis veriſimillima eſſe cauſa videatur, viciſſitudinis illius in aquarum fluxu, & quiete, non inconcinnè induſtrius diuinorum operum præco qui aderat, videri ſibi dixit, hoc eſſe diuinæ ſapientiæ artificium, vt qui diuitias Dei in iugibus, & nunquam interciſis tot fontium profluuiis præ aſſiduitate videndi talia admirationem excuſſerunt (præſertim quoad iuges, & perpetuos fontes in deſertis quos ad diuinæ magnificentiæ oſtentationem pertinere, obſeruat Philo l. 1. Allegor.) in paucorum fontium fluxu identidem interciſo, habeant pro Deum mirentur & colant.

LIX.

Deteſtanda, hoſtis in hoſtis exitium ſolertia.

SIcut ingenioſa & ſolertiæ ad iuuandum plena eſt charitas, ita hoſtiliter affecto pectori, ſuæ argutiæ, & artificia quibus inimico noceat, minime deſunt. Vix autem auditum mihi in eam rem eſt, exemplum plenius admirabilitatis, quàm quod ſubiungo ex fide idoneorum teſtium. Veſontio ciuitas eſt in Sequanis, & ampla, & elegantia ædificiorum illuſtris. Tecta domorum faſtigiata, & decliuia quàm maximè. Artifex cum huiuſmodi tecto inſtruendo daret operam, reſpectans fortè in ſubiectum vicum, aduentare proſpicit hominem in quem odio flagrabat. Et, ô inuentum, non humanum ſed maximè inhumanum, ac ne hominis quidem, ſed Diaboli! vt perderet quem habebat exoſum, & impune perderet, citra forenſis mulctæ di crimen, vbi loco in quo laborabat ipſe, ſubiacere hoſtem ſuum vidit, vltrò caſum fortuitum ſimulans, per tectum & ſuggrundia in vicum deiecit ſeſe, mole corporis inimicum obtriturus; quod & fecit, ferè illæſus ac incolumis. Nam ſuppoſitum hoſtis corpus, ruentem illiſione prohibuit, ſed non abſque oppreſſione ſua, & contritione. Quis ſtropham in tanto ruentis diſcrimine ſuſpicaretur. Aut quis hominem ſanum, vltrò adire tale exitij ſui periculum credat, tantùm vt inimicum obteratur, obterendus ipſe, & in corporis ac animæ exitium ruiturus, ſi tantillo ſpatio hoſtem anteuertiſſet vel ſubſecutus eſſet, prolabens? Adeo tamen affabrè, & feliciter hic planus librauit deiectionem, vt omnia ex voto ceſſerint; Et magiſtratus à cognatis cæſi interpellatus, quo nequitiæ impactæ reum reuinceret, non habuerit. O artificium maledictum! O hominem, factum exoſo homini, Satanam de cœlo cadentem.

L X.

Fructus ex luctuoſo exemplo infelicitatis coniugiorum.

BOnum ac neceſſarium eſſe iudicabat peritus Magiſter ſpiritus, vt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, in coniugiorum carnalium infelicitates quarum nuſpiam eſt inopia, non oſcitantem animum adhiberent, gratulantes ſibi lætiorem à Domino ſortem, præſertim cum infrequentior quiſpiam euentus, in eo genere occurreret, qualis per id tempus quo pia hæc monita ſerebat; admodùm luctuoſus in vicinia accidit.

Nobilis circa tractum Rhodanuſium Bugienſem, Lutetiam digreſſus, vxorem domi reliquit, impudicam fœminam quæ cum Sarabaïta ſacrarij domeſtici Præfecto, licentia penè vxoria per viri abſentiam conſueſcebat. Clam monitus per literas de domeſtico probro maritus, magnis itineribus, nemine præmonito regreſſus (non ſeruato vſu Romano præmonendi de ſuo aduentu coniugem, vt ex Tibullo & Plutarcho notauit Franc. Luiſinus l. 1. parerg. cap. 20.) inexpectatus, & improuiſus domum nocte concubia ſubiens, accubantes inuenit, & colloquentes ſibi. Nec mora. Actus in rabiem, paucis armatis quos ad vindictæ ſecuritatem, & iuſti furoris expromptionem innocuam, adhibuerat comites, comprehenſionis noxiorum adminiſtris, primò, ſacrilegum concubinum, qua parte vir erat, multatum, indéque eductis ad ſtamineum manuariæ operæ tympanum in modum fili per ſpiras euoluti (acerbo ſanè letho) vita priuauit. Perfidam verò vxorem (horrendum auditu!) palæ focariæ manubrio prælongo pila capulari inſtructo, in prunis exquiſitè candefacto, transfixit qua parte iniuria in virum ac thorũ fuerat: perque ſic adactum in viſcera ferrum ignitum, horribili vinicomburio trucidauit. Repetit crudelitatem in mulieres Chriſtianas, verubus ignitis ea ex parte transfixas apud Euſebium l 8. hiſt. c. 12. aliàs

aliis 13. truculentiam in perfidam vxorem extorſit. Videſis aliud tragicum exemplum, in hanc rem apud Cochleum de Actis Lutheri, ad Annum 1528. Narrat enim Chriſtophorum Bongartnerum prælimitem negotiatorem. Henrici Dauidis item prædiuitis negotiatoris generum, Elizabethæ vxori infeſtum, ob inanes ſuſpiciones, ex donatis ab ea famulo ligulis aliquot ſericis, & ipſam vtero gerentem immaniter confodiſſe, & filiolam anteà ex ea ſuſceptam iugulaſſe, ne quis ei maternum probrum impingerit; conſcenſaque ſumma ædium parte, inuocato Ieſu nomine, ſe deiicientem, factum eſt ſibi carnifex, ne longo cruciatu periret. Ita enim ipſe in Epiſtola ad Senatum facti ſui rationem expreſſit. Ex Pontano aliud horrificum infelicitatis coniugiorum exemplum adduxi tractans Martyres ſeculi. Et extant nimium quantum frequentia in eam rem exempla. alibi paſſim. Videſis adhuc Lutheri anno 1528. aliud exemplū infelicitatis coniugiorum, tragicum omnino vt is quem Magiſter ſpiritus conſiderabat. ſi ſic eſt cauſa hominis cum vxore non expedit nubere. Non expedit quidem: ſed tamen quos figura huius mundi præteriens, nexuit vxoribus, adhæreant coniunctis, vt poſſunt. Nos noſtram nobis exſolutionem, & ab horrendis illis diſcriminibus elongationem, in Domino gratulemur:

LXI.

Impius probri ſui propheta.

HÆreticus patriæ proditor, cui nomen *Ioannis Michaelis* cum in nouam Franciam hoſtes Anglos induxiſſet, & Religioſos Societatis IESV qui illhic animarum ſaluti operam diligentem nauant, cane peius & angue odiſſet, pridie quam è vita excederet, ſanus & valens in ſpeciem; horrendus blaſphemiis in Deum & Sanctum Ignatium Societatis IESV parentem, aërem inceſtauit; addita inſuper execratione qua ſibi ſuſpendium apprecabatur, niſi certum è Patribus quem deſignabat, intra perbreue tempus bellè contunderet. Vix paucis horis elapſis, ſubito correptus morbo, euaſit impos ſui, pernicioſa Chirurgorum Gallucinatione qui plures aderant, actus in peius: Nam pharmaca narcotica, homini Lethargico, incogitantes præbuerunt, vnde breui mors conſecuta, aduertente nemine, tametſi ſex aderant excubitores. Cadauer tumulatum, à patronibus oræ illius, hominem ob illatum hoſtem deteſtantibus, de requie & aſylo ſepulturæ auulſum ſuſpendi eſt infamatum, vt impleretur, quod miſer ſibi erat apprecatus; Et poſt aliquam in alta trabe moram, proiectum canibus. Sic monſtrat diuina prouidentia, non dormitare in cœlo vigilem, ſed tametſi aliquando expectet patienter, vt peccator conuertatur ad cor, tamen iuſto iudicio recidere interdum omnes moras, & impium in impietate ſua ſuccidere ante tempus ſuum.

LXII.

Puerilis inſtitutionis momentum.

VErè ſcriptum eſt à Poëta, teſtam diu ſeruaturam odorem, quo ſemel recens imbuta eſt. Quod cum quotidianis experimentis in vtramque partem comprobetur, hic illuſtrandum eſt, exemplo nupero perinſigni, hominis è vicina Salyum Prouincia, iam cani & ætate deuexi. Is in Collegio Auenionenſi, ſtudiis operam dederat in ætate minuſcula. Tum poſt abſoluta ſtudia domum regreſſus, in variis ſeculi muniis ætatem exegerat, vxori alligatus fuerat, in multas denique animam perdendi occaſionis incurrerat. Fortè poſt annos quinquaginta, regreſſus negotij cuiuſpiam cauſa Auenionem, cum ſermo incidiſſet de quodam ex Societate IESV cui in ſtudiis inferioribus operam dederat; Benedictus (inquit) Dominus, qui meam ætatem humilem, Magiſtro illi permiſit erudiendam. Anni iam fluxere quinquaginta, ex quo illum in ſacra Catecheſi, mirum exemplum narrantem audire memini, tanto fructu meo, vt nulla vnquam grauior labendi occaſio ſe dederit, (& dederunt ſe innumeræ,) quin animo recurrerit exemplum illud, mihique fuerit potens frœnum ad abductionem à peccato. Hoc ille magno cum guſtu, tanto poſt recolebat. Ex quo colligere licet, quanti ſit, ſanctè imbuere ætatem humilem. Conſtare item inde poteſt, de inſigni efficacitate verbi Dei; quod non reuertitur vacuum, ſed proſperatur in omnibus ad quæ à Deo mittitur.

LXIII.

Iucundum de ingenio per omnia aduerſante.

VIr ad Ebredunum, vxorem amiſerat. Druentiam enim, amnem rapidiſſimum ſubiens, infelici caſu merſa perierat. Maritus vt vxoris cladem inaudiuit, in cadauer conquirendum, & ſepulturæ mandandum incubuit. Sed cum illa ad Ebredunum merſa eſſet, & cadauer ſecundo flumine veſtigandum videretur, maritus è contrario, per aduerſum amnem veſtigationem inſtituit. Cum autem in amicum incidiſſet, & is de itineris cauſa (vt fit) ſciſcitaretur; miratus eſt amicus, quærentem eo loco cadauer vxoris quæ tanto inferiùs periiſſet. Negauit maritus, eſſe quod præ admiratione hæreret. Vxorem enim ſibi fuiſſe dixit, dum ſuperſtes eſſet, peruicacem, & genij per omnia aduerſantis, quæ præter cæterorum vium, & vſurpatum à cunctis morem, omnia exequeretur. Itaque credere ſe, vxorem moris ſui retinentem poſt mortem, non ſecundo flumine, ſed aduerſo ferri: ideóque non in locis inferioribus, ſed in ſuperioribus cadauer abs ſe quæri ad ſepulturam. Quid miſero illi, ab vxore talis genii gratum potuit accidere, quam etiam fato functam, adhuc retinentem priſtinæ & contumaciæ cogitabat? Finge duos, inexpedibiliter nexos, quorum vnus in hanc partem, alter in aduerſam perpetuò contendant, & iugatos connubio vitam ac mulierem, ſibi aduerſos expreſſeris.

LXIV.

Sacrariorum Germaniæ per Suecos expilatio, quanta.

GEmentem audire memini Religioſum Gallum, audita exportatione ſacræ ſupellectilis propè infinitæ, è Germania, per Suecos Hæreticos, proxime

ximè ſuperioribus annis. Et nominatim apud Boïos, tametſi ibi plenè rerum potiti non erant Sectarij, & potior pars ſacræ ſupellectilis Ingolſtadium vrbem munitiſſimam erat illata, tamen calicum ſacrorum ex auro vel argento millia ſeptuaginta prædæ patuiſſe, ferebantur. Hunc dolorem lenire ſibi viſus eſt non nemo, ictum fluuij nomine præferens, dicendo, quod vtinam verè dixerit; Nos pro vno calice amiſſo, tres reddemus. Ex eadem gente alius, retundere aliter aculeos doloris in fratre tentauit, negans veriſimilia eſſe, quæ de tam numeroſa tamque pretioſa ſupellectile ſacra ab Suecis exportata, paſſim iactabantur; fortaſſis (vt aiebat) ad inuidiam Suecorum partiariis conflandam apud externos Catholicos, ipſumque Pontificem. Imbecillis tamen ingenij videtur, fidem negare peruulgatis narrationibus, de opimitate prædæ, à prædonibus illis in ſacraria graſſantibus exportatæ. Immenſas quippè iam olim ſimpliciore æuo fuiſſe ſacrariorum Germanicorum opes, vir Cl. Iuſtus Lipſius Centur. 3. epiſto. 27. pronunciauit, vno præter cœtera adducto perilluſtri exemplo, è veteri rerum Moguntinarum Chronico per Conradum Epiſcopum; in quo recenſentur eius templi vaſa ſacra, veſtes, ornamenta, nemini legenda abſque ſtupore. Purpuræ; tapetia, dorſalia, pallæ, caſulæ, tunicæ, infulæ, tiaræ, annuli, thuribula, grues, pelues, vrcei, calices, gemmæ, tanta copia, pondere, pretio, varietate, vt vix credi poſſit.

Nominatim verò deſcribuntur calices tres aurei, qui omnes habebant ſuas ampullas, & pyxidem ad hoſtias, ex auro puriſſimo, & margaritis. Eorum vnus vſui ad ſacra erat, diebus ſolemnioribus. Duo reliqui, præ magnitudine erant inutiles ad ſacrum miniſterium. Alter qui minor erat appenſa ſimul patena, marcis auri puriſſimi octodecim conſtabat. Patenæ limbus, & calix imus, gemmis inſignibus exornabantur. Spiſſitudo alterius, erat digitalis, & vndequaque gemmis pretioſiſſimis diſtinguebatur: Altitudine erat vnius vlnæ, nec ab vllo tametſi valentiſſimo homine, ſuſtolli poterat, Duabus anſis proportionatis, hinc inde cingebatur. Capacitas ad medium vini ſextarium excipiendum, ſat erat. In ſumma egregium erat & prædiues monimentum antiquæ Germanorum pietatis. Crux ibidem viſebatur lignea, auro probatiſſimo obducta, & in ea valde ſpiſſum Chriſti cruci ſuffixi ſimulachrum, magnitudine hominis vulgaris, cuius venter reliquiis & gemmis pretioſiſſimis erat refertus. Loco oculorum erant duo carbunculi, æquantes magnitudine, duo ouorum vitella. Conſtabat mille ducentis probatiſſimi auri marcis. Quid ad has opes adiici queat? Non debet igitur videri incredibile, ex tam multis tota propè Germaniæ Eccleſiis expilatis per hoſtes Eccleſiæ, ingentem omnino vim auri & argenti fuiſſe corraſam; quanto lucro tempus docebit. Nam expilatores Romanorum ſacrariorum tempore Clementis 7. nihilo inde facti ſunt ditiores, teſte Cochlæo in Actis Lutheri anno 1527. Item Henricus 8. Rex Angliæ. nunquam pauperior fuit, quam cum ſacraria ſpoliauit; quæ innumera erant & inſtructiſſima. Imo ex vno S. Thomæ Cantuarienſis ſacrario, (teſte quæſtore Regio apud Sanderum l. 1. de ſchiſm. Anglic. ad annum 1536.) tantum auri argenti lapidum pretioſorum & ſacrarum veſtium ablatum eſt, vt ad oneranda ingentia viginti ſex boum plauſtra, ſuffecerint. Hic tamen ignis, regiis Henrici opibus immiſſus, breui omnes conſumpſit

LXV.

Iuge charitatis miraculum

INſigne eſt, quod non ita pridem certis teſtimoniis accepimus, de Normanniæ pleriſque ſodalitiis, in quæ dant nomina, *Fratres* qui dicuntur *miniſtrantes*. De iiſdem Betunæ in Belgio, titulo *ſodalium S. Eligij*, opuſculum vulgauit S. Antonius de Leonibus Soc. IESV. Laici ſunt & ferè coniugio illigati, quibus ſolemne pietatis genus eſt ex Chriſtiana charitate, infirmis lue contactis adeſſe miniſterio, & eorum vita functorum corpora tradere ſepulturæ. Ad id munus aggredientibus, in more eſt, inimicitias primum (ſi quæ intercedebant), miſſas facere, & propter Deum remittere; tum oratione & abſolutione purgari. Sic luſtrati, intrepidè ſacrum miniſterium obeunt, Dei cauſa. Perfuncti verò ſacro pietatis illius officio, domum remigrant, & cum familia quiſque ſua, ac cœteris, ita liberè communem vitam viuit, ac ſi miniſterio erga cõtactos nullam nauaſſet operam. Nec quæ Dei benignitas eſt, vlli prorſus fraudi fuit conſuetudo cum huiuſmodi Parabolanis, quos cœleſti hoc priuilegio ſupra Alexandrinos gaudere liquet, ex tam multorũ olim Alexandrinorũ morte in hoc erga contactos miniſterio. Clemẽs VIII. hæc ſodalitia variis ſacris prærogatiuis exornauit, & ampliſſimè celebrauit; vigẽtque etiam num eorũ feruens charitas, eo diuino priuilegio quod retuli, confirmata. Vt verò eſt ſemper Dei æmulus Satanas; & Dei ſeruorũ æmulatores ſunt manci pia Satanæ hæretici; fuerunt inter eos quoque, Dieppæ celebri eiuſdem tractus oppido, qui ſimile ſodalitium ex Caluini aſſeclis, ad huiuſmodi miniſteria erga lue contactos, collegerunt. Sed denſis mulctati funeribus, adacti ſunt fateri, reſinam tantum eſſe in Galaad, nec niſi ibi, eſſe Medicum.

LXVI.

Æs campanum per ſe ſonans, & mortem prænuntians, ſtato miraculo.

IN Goſſenſi Benedictinarum Parthenone iam per annos propè ſeptingentos ſtante, quoties Antiſtitæ de vitæ ſtatione migrandum eſt, maximum æs campanum, nullo agitante aut trahente pulſatur aliquot hebdomadis ante Antiſtitæ obitum: de qua etiam illud conſtat, ſi fato ſit conceſſura, non vltra triduum prorogari ægritudinem. Vtrumque, teſtibus omni exceptione maioribus firmare poſſum: à quibus comperi, cum anno 1611. eo acceſſiſſent, diebus ante Antiſtitæ obitum quatuordecim; binis ante mediam noctem horis; æs campanum maximum prolixè ſonuiſſe, per ſe, & nullius mortalium opera adhibita; ita vt ſacræ virgines ſubitò experrectæ, ratæ dari pulſum ad matutinas preces, in templum conuenirent: Poſt eos verò quos dixi dies, Antiſtita quoque, per triduum decubuit, & ſub mediam diei tertiæ, ritè præmunita, efflauit animam.

Hæc mortis Antiſtitæ denunciatio, & morbi breuitas ſtata, hoc eſt non vltra triduum progrediens, rara domus illius prærogatiua videtur. Nam quod

quod ad per ſe ſonantem campanam attinet, occurrunt alibi exempla. Eſtque præter cætera inſigne, illud quod publicorum teſtimoniorum aſſertione communit Leonardus Vairus l. 2. de faſcino c. 14. de ære campano villæ in Diœceſi Cæſar-Auguſtana, quod vulgo dicitur *campana miraculorum*, quia aliquot menſibus priuſquàm Chriſtiana Republica graui aliquo incommodo afficiatur, auditur per ſe ſonare, impellente nemine. Affinia duo exempla, ad prædictorum ſiue illuſtrationem ſiue roborationem ſubnectere, non erit inutile. Narrat ergo Gobelinus Perſona in Actis S. Meinulphi a Surio exhibitis 5. Octobr. in Parthenone Budicenſi Canonicarum ſecularium, apud Saxones, opera S. Meinulphi conſtructo, tintinnabulum fuiſſe æneum exiguum, ſed benè ſonorum, inter S. Meinulphi oſſa cum è ſepulchro efferrentur inuentum, quo proinde virum ſanctum munus Diaconi obeuntem, vſum cenſent dum diuina hoſtia per ſacerdotem attolleretur, ideoque illi fuiſſe conſepultum. Ea campanula, quoties aliqua ex illius Monaſterij ſororibus breui abitura erat è vita, abſque vllo humano miniſterio per ſe fortem reddebat ſonum. Cúmque de transferendo ſtatu illius Parthenonis, eoque Canonicis regularibus adſcribendo, ageretur (vt etiam eſt factum) non ſemel, ſed crebrò ſonans per ſe tintinnabulum plerique audiuerunt, non abſque Abbatiſſæ conſternatione, quæ ſola ibi ſupererat, & indicari imminẽtem ſibi mortem extimeſcens, facilius in tranſlationem optatam aſſenſum præbuit. Hoc exemplum affine eſt prioribus quoad vltroneum campanæ pulſum. Quod mortis verò alicui è familia imminentis denunciationem, ab ea campanula Bundicenſi, & à Campana maxima Goſſenti, in vicino Antiſtitæ obitu factam, accedit exemplum Vinarij Agaunenſis, quod ex ore Antonij Cardinalis Granuellani, & aliorum fide dignorum teſtium ſe accepiſſe ſcribit Vairus l. 2. de faſcino illo cap. 14. In eo vinario, pro numero Monachorum, (veriùs Canonicorum regularium,) numerũ piſcium conſtitui ait; Religioſorum autẽ aliquo ægritudine tentato, totum è piſcibus ſupernatare aquæ, ſemimortuum. Quod Religioſus eo ex morbo ſit obiturus, piſcem quoque biduo vel triduo ante, expirare. Non poſſumus Cardinali haud ita procul Agauno, hoc eſt Ornani apud Sequanos nato, fidem abrogare. Nuper tamen adito eo loco, exoleuiſſe facti memoriam comperimus.

LXVII.

Fucata Sacerdotij reuerentia, humilitati aduerſans, improbata.

IN quodam Religioſo cœtu receptum vſu eſt, vt per vices quilibet, etiamſi Sacerdotio initiatus, ad vilia coquinæ miniſteria deſcendat; lances & paropſides extergat, ſimiliáque Chriſtianæ humilitatis officia, piè ac Religioſè obeat, exemplo Chriſti, qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & habitu ſeruili præcinctus ad pedes ſuorum abluendos, inuentus eſt vt homo. Improbauit hanc huiuſmodi Sacerdotum demiſſionem, de alio Religioſo ordine quiſpiam, indignum ratus, manus quæ carnem Chriſti, ſipario ſpecierum obductam contrectant, & diuidunt, & extergendis paropſidibus inquinari. Notus nobis eſt Magiſter ſpiritus, quem diutiſſimè in eo munere verſatus, qui facetè, & tamen validè, retinuit delicatam, & molliculam pietatem, refugientis ſacras manus demittere ad purgandas lances, & paropſides. Sciſcitatus enim eſt, ecquas manus adhiberet cum leuaret aluum, & peniculo foriario extergeret fœdi profluuij reliquias. Non habuit pij viri improbator, quod mutiret. Itaque manus dedit; & audio deinceps inductum eſſe morem in cœtum illum, vt Sacerdotes quoque, Coquinaria hæc miniſteria non refugiant. Poſſint hæc quoque locum habere aduersùs illum qui repulſos voluit Sacerdotes in Ordine Sancti Benedicti à miniſterio infirmis præſtando, cauſatus illud, *Omnia munda, mundè.* Cum ergo diuina Liturgia ſit oblatio munda iuxta Malachiam, mundè adeunda eſt, nec decet à fæcibus foriariis introire ad altare Dei. Refert & refellit has nugas qui ſe eas audiiſſe profitetur Caramuel ad Regulam Sancti Benedicti dict. 36. numero 460.

Teoph. Rayn. Aſcetica.

LXVIII.

Scurrilitas blaſphema in Trinitatem carè expiata.

APud montem Abbanum hæreſeos antehac ſpelæum, Sectarij quidam anno 1639. in Auguſtiſſimam Trinitatem blaſphemè iocati ſunt, ſed non impunè, vt ſcribente R. P. La Caſe, illhic Collegij Societatis Iesv Rectore, comperimus. Serotinam ſymphoniæ gratulationem ad amaſiarum ianuas cum obiuiſſent ij quos dixi Ludiones Hæretici, ab vno è ſociis inuitati ſunt, vt quod debitum amaſiis exoluerant, creatori quoque exhiberent, eóque animo ante templum, omnis ſimul eorum pariter potantium chorus coaluit. In deliberationem ipſo initio venit, cuinam è tribus Auguſtiſſimæ Triadis perſonis, ea gratulatio Symphoniaca pendenda eſſet. Et Patrem quidem, tanquam nimis ſenem, & à concentu alienum præ ætate vieta, communi conſilio excluſerunt. Nec ad Filium quoque verti placuit, tanquam melancholicum, nec niſi cruces, & clauos, ac ſpinas, præferentem animo. Circa ſpiritum denique ſanctum, tanquam hilarem (ſic enim impiè garriebant,) & lætitiæ fontem, complacuit omnibus defungi gratulationis officio. Alias complures blaſphemias ab iiſdem impiè effutitas, præſtat premere. Non fuit ſera, & in longum tempus protracta diuina vltio. Caput & incentor cæterorum, mox acerrima febri corripitur: per cuius ardores, omnino immanes clamores, perinde ac homo deſperatione actus, ſuſtulit; & circum eius domum, priuſquàm impium ſpiritum emitteret, auditæ ſunt gratulationes Symphoniacæ iis geminæ, quarum blaſphemè edendarum autor fuerat. Crimine ab vno, diſce omnes. Nam nec omnes antecedentes ſceleſtos, deſeruit pede pœna claudo.

LXIX.

Iniuriæ quædam, cautiùs & tutiùs diſſimulantur, quàm vindicentur.

VRgebat aliquando vir nobilis, Auenionenſem Præſulem Stephanũ Dulcem, vt aduersùs coniugem quam grauibus indiciis ſuſpectã infidelitatis

habebat ſibi ius diceret, & diſceſſionis ab ea poteſtatem, cauſa diſcuſſa, faceret. Reſpondit prudens Archiepiſcopus, ſibi quidem integrum non eſſe ius petenti negare. Videri tamen petitionem illam, minùs conſideratam in hoc euentu. Si enim quod maritus exulceratus poſcebat, exoraret; & ad cauſæ diſceptationem veniretur, omnino fore, vt cornua quæ ad eius pedes iacebant, ſupra caput eiuſdem attollerentur. Demus (inquit,) eſſe vxorem, quam dicis, & reuera indicia quibus illam grauas, non ex ſnam ſuſpicione manaſſe, ſed certam fidem compertæ eius impudicitiæ facere. Nunc probrum tuum non planè apertum eſt, & aliqua tergiuerſatione celari poteſt. Quæ igitur prudentia, probrum tuum vtcunque latens, velle ad omnes diffuſum? Liberis tuis æternam maculam a matris ſcelere affricare? Filiabus præſertim, quas vix erit honeſtus ſponſus, qui prehenſet, actus iuſto timore, ne ſequantur leuiter, filiæ matris iter. Hæc ſapientis Antiſtitis oratio, nobilem reſtincto æſtro, in ſe reuerſum, compeſcuit ab vrgenda diſtractione à coniuge per diuortium. Et quamuis vxorem ita domi habuit, vt deinceps tanquam cum plane extranea verſaretur, tamen iniuriæ ab ea illatæ proſecutionem, omnino miſſam fecit, ne iuſta vltio redundaret in auctius probrum. Quod ipſum, in aliis pleriſque iniuriarum vltionibus, planè contingit. Huc facit vulgatum prouerbium quod adducit Petrus Bleſenſis Tract. de peregrinat. Hieroſol. [Malè vlciſcitur dedecus ſibi illatum, qui amputat naſum ſuum.]

LXX.

Diræ Eccleſiaſticæ, extimeſcendæ.

IN Diœceſi Gebennenſi oppidulum eſt à S. Felice denominatum; in cuius templo de S. Felicis nomine dicto, tametſi patronum habet S. Blaſium, fideles per tempus belli ſub annum 1592. rebus ſuis ſecuritatem aduersùs militarem licentiam quærentes, quæcunque haberent pretioſa repoſuerunt, ſupellectilem, linteamina, argentum, & huiuſmodi alia. Sed cum rapacitas, & auaritia, ne loco quidem ſancto pepercisset; qui damnum paſſi erant, vibrari excommunicationem in fures, per Antiſtitem curarunt. Poſt vibratam excommunicationem; longè aliam oppidi faciem animaduerterunt cordati omnes. Nam terra fructifera, poſita eſt in ſalſuginem, & quà ædium ruinis, quà eluuione aquarum, variiſque aliis incolarum incommodis; miſeri ciues, præ vicinis omnibus quos ante, longè ſuperabant, deiecti ſunt & afflicti. Nominatim quæ familiæ prædam ſacrilegam domum intuliſſe notatæ ſunt, perbreui defluxerunt; perſonis ante tempus ſuum ſublatis, & ad inopiam redactis, ita vt ad mendicitatem redactæ ſint, quæ prius pro conditione ſua, agebant feliciter, & cum grauiſſimis incommodis aliquandiu conflictatæ, miſerè denique è vita exceſſerint. Nemo fuit, qui diuiorum brachium in ea miſerorum deiectione non agnoſceret; communiſque omnium vox fuit, gladium Eccleſiaſticum, vehementer eſſe extimeſcendum. Id quod ego ex inſtituto ac diffuſe proſequor, parte altera Tractationis de Monitoriis.

LXXI.

Culices in contemptorem crucis armati.

GEneuam hæreſeos arcem, conceſſerat Stephanus Gantinus I. V. D. cum vxore, & famulo, ac D. Iacobo Roges, parocho oppidi *de Vallieres*, Geneuenſis Diœceſis. Et cum perueniſſet, cauponem rogauit, vt quando dies erat quo Catholicis carnium eſu interdicebatur, truttam Salmoniam ad cœnam parari iuberet, cuius ipſe quoque caupo, cœnatum vnà veniens, particeps foret. Cœna facta, parochus, menſæ ritu Catholico benedixit ad, quod ſubridens caupo hæreticus, (Petro Chalodo nomen erat, & diuerſorij inſigne, bilances;) *mox* (inquit) *aderunt muſcæ*. Solemne enim eſt Hæreticis, crucis ſignum, *muſcarum terriculamentum* appellare. Res mira, paulo poſt, muſcarum muniuſcularum, ſiue culicum agmen, menſam, cibos omnes, ſcyphos, candelas, & cætera quæ aderant omnia, adeò oppleuit, (vno dempto loco in quo accumbebat Curio qui menſæ benedixerat,) vt neceſſariò ſecedendum è menſa fuerit, nondum expleta fame epulis menſiſve remotis. Obſtupuit ad Gantini increpationem Chalodus; ita vt attonito ſimilis hæreret; nec Gradellus, homo ſeptuagenarius, qui hoſpitium ſub noctem pro more vrbis, viſebat, diffiteri potuit, rem eſſe nunquam ibi viſam, nunquam auditam. Deus itaque, per culices, ſiue muſculas, Gallicè: *mouſcherons*, contumaciam Caluinitieam contudit, & quanti eſſet benedictio per ſignum crucis interpoſitum, docuit, flagellans hic quoque, imitatores Pharaonis.

LXXII.

Iuſtum rei nunc innoxij ſupplicium.

LVgduni ad templum quondam S. Eulaliæ (nunc Sancti Georgij,) macellum eſt, vnde carnes tractui illi ſuppeditantur. Ibi lanius dum cultrum collo ouis infigit, cieri audit rumorem in vico ferè ad domus ſuæ oſtium. Rumoris cauſa erat, cædes ſubita hominis illhac prætereuntis. Lanius vt erat à mactata tunc pecude cruentus, gladium quem è pecudis gutture extraxerat ſanguine rubentem manu tenens, accurrit, ecquæ rumoris cauſa eſſet, reſciturus. Omnibus (vt in huiuſmodi tumultibus vſuuenit,) conturbatis, lanius in illis adiunctis cruore perfuſus, & gladium ſanguine rubentem præferens, inopportunè aduenit. Non nemini quippe, de cæde viſus eſt inſpectus, vel etiam compertus. Itaque per apparitores qui mox aduolarunt, comprehenſus eſt, ex delatione eorum qui ipſum viderant circùm corpus demortuum, gladio ſanguine perfuſo inſtructum. Abductus in carcerem, tametſi ſe planè innoxium conteſtabatur, nec niſi fortuitò interueniſſe aſſeuerabat; gladium autem quê deprehenſus erat geſtare perfuſum ſanguine, aſſereret à mactata ſub eum temporis articulum pecude ad macelli vſum, non autem ab hominis in vico cæſi ſanguine rubuiſſe, tamen quod alius non compareret cædis autor, & indicia patratæ à lanio cædis viderentur criminis ei impacti veritatem euincere; poſt aliquam ex forenſium tricarum vſu cõperendinationem informi letho addictus eſt,

ab alta trabe ſuſpendendus, eo ipſo in loco vbi cædes patra a per eum ſupponebatur. Vbi peruentum eſt ad patibulum, exorſa dicendi ad populum qui confertiſſimus aderat, facultate, repetita quam tenere cœperat, nec deſeruit vnquam, iuſtificatione ſua circa cædem innoxij, ex qua damnabatur, falſus tamen aperte eſt, & mortem commeritum, & iudicia Dei iuſta agnouit, quibus addicteretur ad luendum, quæ olim eo ipſo loco impunè patrarat. Nimirum quod iuuenis cum eſſet, in patrem ſuum eodemmet loco inſurrexiſſet, & verberibus malè multaſſet, ac conuiciis nequiſſime oneraſſet. Hæc eſt (inquit,) cauſa vera, cur apprehenderunt me hæc mala. Diſcant exemplo meo contumaces filij, in patrem contumelioſi atque iniuriis vigilare prouidentiam, nec multas, etiam in hac vita, ſinere huiuſmodi noxas, quibus violatur à filiis in parentibus. Talia prolocutus, ac preces ſibi aſtantis turbæ fidelium apprecatus, repetita per ſacerdotem qui aderat abſolutione, excepit patienter iudicium. Non eſſe nouum, vt quis damnetur apud homines, ex falſa cauſa, Deo aliam culpam quæ impunita apud homines abierat, ad eum modum iuſtè plectente, docent inſignia exempla trium reorum; innoxiorum quidem quoad culpam cuius inſimulabantur, ſed alia ſcelera abſ. ſe admiſſa non inficiantium, ex quibus iuſte proceſſerunt ad ſupplicium irrogandum vere compertis de ſcelere, cuius falsò inſimulabantur. Rem deſcripſit S. Ephrem in ſua Confeſſione.

LXXIII.

Sepultura in Religioſo habitu.

ET pium & fructuoſum defunctis eſſe tumulari in religioſa veſte, dictum eſt in Heteroclitis ſpiritualibus p. 3. ſ. 1. vbi & Græcorum & Latinorum exemplis firmatus eſt ſanctus ille vſus, hodiéque frequentatus à pleriſque magnatibus, quibus dum viuerent placuit edicere, vt in huiuſmodi ſacro amictu, terræ conderentur, conteſtantes ea externa ſpecie affectum ſuum erga cœlitem talis veſtis inſtitutorem, ſicque eius tutelam & ſuffragia poſt obitum apprecantes animabus ſuis. Præterquam quod vſurpatio abiecti indumenti, cuiuſmodi ſemper eſt religioſum, eſt adamatio humilitatis; tunc quidem cum homo tumulatur obiectiue tantùm ſanctæ, tamen actui quo per hominem adhuc viuum approbata eſt, formalem ſanctimoniam impertientis atque adeò anticipate fructuoſæ.

Duo tamen circa vſum huius defunctorum ſubſidij, animaduerſione digna occurrunt. Primum eſt, conſulendum eſſe hac in parte decoro; quod haud dubiè violatur, cum fœminæ cadauer, virili habitu Religioſo obuoluitur. Neque enim probàre poſſum; quod hic nuper factum conſtàt; ex vltima duarum primariarum mulierum voluntate, quarum vna ſcilicet Domina *des Eſſars* Grillonia, virili habitu ſacri cuiuſdam Religioſi inſtituti, eſt terræ apud PP. Capuc. mandata, cum eſſent ex eodem inſtituto Religioſæ moniales quarum habitum decentiùs prætuliſſet. Sanè ſi fœminæ ſuperſtiti, interdicitur lege diuina, virili veſtimento, ne ſupra rectum virilis apparere velit, vt diſſerit Philo l. de fortitud. nemo non videt, dedecore quoque, defunctam in extranea illa veſte apparere. Sicut nemo probarit virum, qui præ affectu pio erga ſanctam aliquam Virginem, verbi gratia S. Claram, aut B. Vrſulam, vellet habitu Monialis Clariſſæ, aut Vrſulinæ, humi mandari. Dicerem auxiſſe primi huius exempli indecentiam, quod eadem matrona ipſimet ſpeciali tumulo fratrum; inferri voluit. Solemne enim eſt, vt non procul ab ara maxima, ſit peculiare domeſticorum cœnobij conditorium. In illud itaque inferri voluit, & quia inſignis benefactrix fuerat, illata eò eſt, poſt mortem; quod incongruum ducerem niſi viderem ex Palladio c. 29. laus Virgines Tabennoſiotas conditoriis virorũ inferri ſolitas, poſt mortem. Cęterum nec de illatione in ſepul. hũ eorum ſeruatum non eſt, circa aliam primariam fœminã ſcilicet Dominã *de Monclar* filiã Domini de *P...d.* quã alterius ſacri inſtituti religioſo habitu virili indutam in ſepultura apud PP. Minimos, præmiſi. An æmulari volebant hæ matronæ, ſortem S. Birgittæ, quæ quamuis ſuperſtes nunquam fuerit Monialis, defuncta tamen pingitur cum veſte Monialis, ex Chriſti ipſius ad eam ſuperſtitem oraculo, eo quod piis ſtudiis ac officiis erga Monaſticam profeſſionem, id meruiſſet, vt narrat autor vitæ eius c. 16.

Alterum quod attendi volebam circa hunc vſum ſepulturæ in ſacro habitu, eſt, vt caueatur, ne vita contumeliam inferat ſacræ veſti. Sicut enim parum iuuat Religioſum ſacer habitus, ſi eum deturpet moribus; ita idem ſine dubiò eſt de ſeculari qui in Religioſa veſte ſepelitur, poſt vitam prorſus irreligioſam; idque ſępè ſannas ſcurrarum mouet. Auenione vnus quidam ex iis fori leſtrigonibus, quos *Notarios* appellant, ſepeliebatur in ſacro cuiuſdam Religioſi inſtituti habitu. Eum cum efferretur, conſpicatus è feneſtra ſua ſannio, malarum Notarii artium benè gnarus, exclamauit. *Fruſtra te alium ſimulas. Nequaquam S. Petro impones, plane. Na, tu perſonam ſi ſapis, pones.*

LXXIV.

Homonimia in profeſſione fidei.

HOmo Faucunas ex ea ſcilicet Allobrogum Prouincia, quæ Geneuæ adiacet, vrgebatur ad profitendam fidem ſuam. Nam princeps Carolus Emmanuel 1. excelſi vir animi, & religionis tenaciſſimus, omnibus poſthabitis humanis & politicis rationibus, libertatem conſcientiæ qua Principum beneficio, ſubditi impune pereunt; nullo modo ferens, omnes non Catholicos, atque Romanæ fidei retinentes, iuſſerat exulare.) Is igitur quem dixi Faucunas, cum in ora Geneuæ contermina ſerio inquireretur in Hæreticos, rogatus num Catholicus eſſet, annuit: Apoſtolicum item ſe eſſe, vltrò eſt profeſſus. Vt autem ſe *Romanum* diceret, nulla ratione adduci potuit, illud conteſtans, ſe non *Romanum* ſed *Faucunatem* eſſe. Quæſitoribus è contrario omnino vrgentibus, vt illum probatæ fidei characteriſmum adiungeret, qui à S. Petri & Romanæ Eccleſiæ communione ducitur, ſeque *Romanum* inſuper diceret, (quandoquidem hæretici quoque non modo antiqui, teſte D. Aug. in collatione diei tertiæ (c. 2. vbi Donatiſtes;) & apud Saluianum l. 5. de prouid. ſub initiũ, ſed etiam hodierni, maximè ſe iactent Catholicos & Apoſtolicos, *Romanorum* ſolam appellationẽ auerſantes,) nunquam ſe *Romanum* dicere ſuſtinuit; ſed obſtinate hæſit in primo reſponſo; *Ego ſum Catholicus Apoſtolicus* Faucunas, non autem *Romanus*. Exiſtimabat enim fore, vt genti ſuę ſeu nationi renunciaret, ſi ſe *Romanum* diceret Stupidè planè. Neque enim de natione agebatur, ſed de ſocietate fidei

cum Romana Eccleſia, fidelium omnium matre, & Magiſtra, cui quiſquis adhæret, & ei doctrinæ quam Romani à Sancto Petro hauſerunt fideliter inſiſtit, *Romanus* dicitur, vbicunque demum aërem primum hauſerit, ac vel ſi apud extremos Indos, aut Æthiopes, ſit procreatus. Neque id eſt moris noui. Nam antiquis quoque, ſolemne erat, quos ſimpliciter *Catholicos* vocamus, *Romanos* appellare. Ita liquet ex Sancto Ambroſio orat. de obitu Satyri, & ex Gregorio Turonenſi l. 1. miracul. cap. 80. & de glor. martyr. cap. 25. & 30. ac etiam ex Victore Vticenſi l. 1. de perſec. Vandal. cum refert Iocundi Arriani collocutionem cum Theodorico Regis filio. Itaque haud iniuria, homo ortu Faucunas, ſiue Allobrox, vrgebatur ſalua natalis ſoli, & nationis veritate, ſe Romanum profiteri, quod cum obfirmatè renueret, mendacij & iniuriæ in nationem vmbonem obtendens, in carcerem contruſus eſt, tanquam Caluiniſmi compertus. Vbi, tametſi vexatione intellectum præbente, dedidicit ſuum χαῖρε, ſéque tandem *Faucunatem Romanum* profeſſus eſt; tamen quod ſatis copioſus eſſet, nummaria pœna non exigua multatus, eóque vt varij adducti in Tractatione de martyrio parte 1. cap. 5. appellant, ſanguine imminutus, didicit, ore quoque confeſſionem facere ad ſalutem, & eam fidem cui reipſa inhærebat, verbis receptis profiteri; nec nationis iniuriam obtendere, cum de filiorum Dei natione quæritur.

LXXV.

Contentio de prole ex renouato Genebaldi caſu, ſuſcepta.

RElulit D. De Muſi Præſes Viennenſis, quod hic meritò non prætereatur. Enata nuper duos inter præſtantes Theologos controuerſia eſt, quo nomine donanda eſſet proles ſuſcepta ex coniugibus iam non coniugibus id eſt thori ſocietate ſegregibus. Controuerſiæ cauſam præbuit, lapſus ei non abſimilis cuius Genebaldus Laudunenſis Epiſcopus, notatus eſt in Actis Sancti Remigij. Res ita habuit. Apud vicinos Delphinatos, vir & mulier legitimo coniugio deuincti, poſtquam annos non paucos in coniugio exegerunt, ſaturi curarum ſeculi, ex conſenſu ſeceſſerunt. Et illa quidem cœnobium Monialium ingreſſa, ibidem profeſſionem ſolemnem exacto tyrocinio emiſit. Maritus autem ſacris ordinibus initiatus, & in ſacerdotem inauguratus, hæſit in ſeculo. At cum graſſante annis ſuperioribus lue, Monialis illa è clauſtro emiſſa, ad vitæ tutelam aliò migraſſet, in virum iam non virum licite admittendum incidit, & cum eo incautiùs pro veteri vſu diuerſans, Eua Adæ facta eſt. Vterque enim ſenſim emollitus eſt, & reuerſi ſunt in idipſum, ex quo Monialis mater facta, peperit ſuo tempore ſobolem, cui eodem iure quo Genebaldus, nomen *Latronis* ob furtiuum conceptum potuiſſet imponere. Experimentum luculentum humanæ imbecillitatis, & nunquam ſatis attentæ ſacrorum hominum circunſpectionis cum ſexu infirmiore, cuiuſcunque demum ſit conditionis. Inde igitur enata lis duo inter chara capita Theologicarum rerum cum primis perita, num ea proles habenda eſſet illegitima quod vni viſum, ob ſacrilegam commixtionem, alteri verò negatum, ob permanentem, nec vnquam abrumpendum coniugalem nexum ex quo ſemel initus eſt. Tametſi enim hi quondam etiam thori ſocietate coniuges, poteſtatem mutuam in corpora ſua, quam vi initi connubij obtinebant ante votum, eo emiſſo deuinxerunt atque ligarunt, vnde illicitum ſibi atque ſacrilegum fecerunt eiuſmodi acceſſum coniugalem; tamen reuera coniugale vinculum manet, & quamuis coniuges malè, & ſacrilegè vtantur poteſtate quam vinculum illud infert; nihilominus re ſua vtuntur, nec niſi ſacrilegi ſunt habendi. Sicut nemo negarit, duos coniuges qui hærentes in ſeculo votum ſimplex continentiæ emiſerint, tametſi peccent contra votum ſi vtantur coniugio, tamen neque fornicarios, neque adulteros eſſe, ſed tantum ſacrilegos; Nullus item negauerit, prolem eorum ex eiuſmodi ſacrilego coniugij vſu ſuſceptam, eſſe legitimam. Eſt autem par ratio huiuſmodi coniugum in ſeculo ſacrilegorum, atque illorum de quibus hic lis mouetur. Nam Eccleſiaſticum diſcrimen voti ſolemnis ac ſimplicis, nullius eſt momenti in re præſenti. Adſcribor planè huic ſecundæ ſententiæ, quam cum multis tradidit Thomas Sanches l. 9. de Matrim. diſp. 39. Eſto, quoad ſuſceptionem ordinum, & ſimilia Canonica impedimenta, ad aſſecutionem ordinum ac beneficiorum Eccleſiaſticorum, proles habeatur illegitima, ob ſcelus parentum, quod vnum euincunt quæ pro contraria parte diſputantur, non tamen habenda eſt proles fornicaria vel adulterina, nec arcenda à ſucceſſione ac honoribus aliàs tribuendis proli legitimæ.

LXXVI.

Caluiniani hominis gula per feles multata.

QVod me in Religioſa familia tyrone, ante annos duos ſupra quadraginta geſtum recolo, in oppido ſeptimaniæ, Caluiniana, lepra infeſto, cui nomen *Foſſa Mariana*; vulgo *Aigues mortes*, non puto reticendum: præſertim cum nuper Georgius Stephanus Rouſſelletus, bonus & nauus in Chriſti vinea operarius, ibidem pro concione agens ad populum, eam narrationem refricuerit cum Catholicorum plauſu, & inſigni pudore Hæreticorum, à quibus, teſtata & omnibus explorata veritas, nec inficiatione dilui, nec tergiuerſatione celari potuit.

Hæreticus ergo ipſe die Cœnæ Dominicæ, quem Catholici ob memoriam Chriſti cruciatuum, triſtes exigimus, ventrem arietis per noctem ritè elixandum in matutinum ientaculum, olla concluſerat, & foco pro more admouerat, vt exquiſita, & diuturna elixatione; molleſcentia inteſtina ſuauius guſtarentur. Sic admota ad ignem olla, ritéque operculo ſuo obducta, ſomno ſe tradit in ipſa coquina. Itaque altè ſtertenti, feles & felium catuli, immenſo eiulatu complentes locum, ſomnum excutiunt. At vbi aliquandiu obſtrepentes feles ſuſtinuit, lecto exiliens, arreptum qui ad lecti ſpondam pendebat enſem, ſtringit in feles, moleſtos ſomni ac quietis interpellatores abacturus. Sed fruſtra. Nam poſt caſſam diu brachiorum iactationem in illis tenebris, & enſem nunc parieti, nunc colo fruſtra impactum, feles ferociùs tota culina excandeſcentes, & inſano ſtrepitu clamoſiùs

circum

circumcurſantes ; non vna vnguium impreſſione viro infeſti, terrorem ei tantum iniecere, vt denique abdere ſe in cubilis latebras adactus ſit, expectaturus diurnam lucem, quæ illi præ horrore & metu quo correptus tabeſcebat, admodum ſera venit. Ea cum primum per feneſtrarum rimas affulſit, lecto exiliens, nocturnam ſortem ſuam, iratus ſuis ac vicinis, partim ridentibus partim miſerantibus, enarrat. Vxor cum ollam pridie veſperi ad ignem collocatam propiùs contemplata eſſet, intactam extrinſecùs, & obtectam videt, & ſaluum immiſſum veſperi ventrem rata, pro ventre, felis catulos quaſi tunc primùm partu effuſos, & in illis ollæ cunabulis commurmurantes, ſeſeque allambentes oſtendit. Attonita, in clamorem ingentem ſoluitur, accurrentibus ad clamorem marito, & vicinis, magnus ſtupor iniectus eſt inde illi catuli in cacabum ritè obtectum, quid inteſtinis pridie eodem ingeſtis, factum : nam nulla eorum veſtigia apparebant, ſiue intra ollum, ſiue in foro ipſaque coquina vniuerſa. Vix alij toto oppido ſermones iati per dies non paucos. Fruſtráque gregis Caluiniani aries, verbum de olla & immiſſo ventre fieri deinceps vetuit, Catholicæ abſtinentiæ captandum inde ſuffragium veritus. Quantumcunque enim de ſilentij operculo ei patellæ imponendo ſollicitus fuerit Poppa ; omnium ſermonibus res vſurpata eſt, nec eſt hodie obliterata eius memoria. Quæ per catum in impium Sacramentarium huius Caluiniſtæ antecurſorem diuinitus geſta ſunt, legere licet apud Lucam Tuderſem l. 3. contra Alleg. capit. 14. quæ iuuerit cum his conferre.

LXXVII.

Hugonotorum appellatio, vnde

SOlemne eſſe vt Hæretici à factionis capite nomen trahant, iugi omnium Chriſtianorũ ſeculorum experimento eſt comprobatum, & à Patribus tanquam Hæreſeon characteriſtica aſſignatum. vt à Sancto Auguſtino l. contra Epiſtol. Fundam. cap. 4. & l. contra ſermon. Arian. cap. 36. Optato l. 3. contra Parmen. Lactantio l. 4. cap. vltimo. Hieronymo Dialogo contra Luciferianos cap. 7. Chryſoſtomo hom. 33. in Acta. Sed benè præter cæteros id monuit S. Athanaſ. orat. 2. contra Arrianos *ferè initio*. Non in ſolis Caluinianis vſus ille defecit. Sanè videmus eos in Gallia in qua nati ſunt, non *Caluinianos*, ſed *Huconotos*, vel *Hugonotas* audire. Quod nobis quidem ad comprobandum noſtrum ab eis diſcrimen perinde eſt, quia æquè valet, quod non à Chriſto, eiúſve vniuerſaliter recepta fide appellationem trahant, ſed aliunde, vt moris eſt ſectariorum. Tamen vnde id nominis hauſerint, anno primùm 1560. vt notat eo anno Gaulterius cum Genebrardo & Onuph. vit. iucundum eſt inquirere ; & nuper variantibus admodum ſententiis diſceptatum memini.

Nicolaus Romæus in Confeſſione Caluini artic 10. *litera* F. natam prodit eam nomenclationem Piſſiaci anno 1561. cum ad conuentum ibi indictum, Rex Carolus 9. nec minor, & Catharina Mater affuiſſent, eóque Beza, Virmillius, & miniſtellorũ ingens manus conuolaſſet. Vnus quippe eorum, Regio Ephebo audiente ſic cœpit Regem ac Proceres aſtantes affari. *Huc nos venimus vt* &c. Interroganti autem alteri ex ephebis, quis ille eſſet qui perorabat, reſponſum à priore datum eſt vernacula lingua, *C'eſt vn huc nos*, occaſione arrepta ex primo orationis ad Regem vocabulo. Ludicrum hoc ephebi reſponſum in aula de more confeſtim vulgatum Caluiniſtis id cognomen agglutinauit leuicula nec Gallicæ pronunciationi multum aduerſante obliſione qua *Hugonoti* dicuntur. Ita quidem Romæus ex Theologi Pictauienſis relatione.

Sed videtur plurium, & grauiorum autorum teſtimonio niſi alia eiuſdem denominationis ratio quam retulit Florimondus Ræmondus Operis de Antichriſto cap. 3. num. 4. exploſis aliis pleriſque quas attingit. Ait igitur cum per primos turbines Gallicanos de cauſa religionis excitatos, Franciſco II. imperante, Hæretici ex condicto conueniſſent Nannotas, teſſeram qua internoſcere ſe mutuo poſſint, adhibitam eſſe, verbis illis Latinis conceptam, *huc nos*. Cum autem machinationes in Rempublicam quas infelici partu edituri illinc conuenerant, deprehenſæ & diſiectæ eſſent, Cardinalis Lotharingus penes quem eo tempore ſumma rerum erat, in vnum è reis inquirens, didicit inter alia, Symbolum conſtellerationis fuiſſe illud *Huc nos* : cumque Princeps optimus in ea verba erupiſſet, *En egregij huc nos*, Gallicè. *Voila des braues huc nos*, aulicorum ingens numerus qui aderat ſtulum ex Cardinalis ore verbum arripuit, indeque diſſeminatum per ora virorũ, paſſim adhæſit Caluinianis, ita vt intra Galliæ fines vix aliter denominentur. Teſtes oculatos omni exceptione maiores, ad hanc nominis propoſiti ethymologiam firmandam, adducit loco allegato Florimondus, vt proinde ab hac potiore parte ſtandum, quàm à priore videatur.

Neque eam tamen notationem repudiandam cenſuerim, quæ primo ex ſecundo loco legitur apud Lindanum dialog. 2. Dubitantij, cum de ſecunda Euangelicorum claſſe, ac Caluinianis diſſerit. Prior notatio erat quod dicti ſint *Hugonots* vel vt Lindanus ibi loquitur, *Hugoniſta*, ab Hugone quodam Magiſtello Pariſienſi, qui non ſecus Gallos infecerit quam Bohemos Petrus Dreſdenſis, Pragæ Ludimagiſter, referente Ænea Syluio l. de Origine Bohemorum cap. 36. ſed quod Magiſtelli illius Pariſienſis, obſcuriſſima ſit memoria, potior videtur ſecunda notatio ibidem recenſita, quæ fert, dictos *Hugonotos*, quod ad conflandam Guiſianis Principibus rerũ potientibus inuidiam, verbo & ſcriptis in vulgus ſparſit prætexerent tumultui quem excitabant, obſtare ſe velle ne Rex à rediuina Hugonis Capeti adminiſtratione exturbaretur. Hugo quippè Capetus, ex Comite Pariſienſi, & primario regni adminiſtratore, defuncto abſque ſobole Ludouico Rege, reiecto Carolo Regis Ludouici fratre, erepſit in Regium Thronum. Hoc nolle ſe Regiæ ſtirpi contingere, prætexebant factioſi illi, quibus non Regiæ ſtirpis ſalus cordi erat, ſed odium incenſiſſimum aduerſùs eos quos dixi Catholiciſſimos Principes, penes quos erat ſumma rerum. Quod ergo primi in Gallia Caluini aſſeclæ perpetuo Hugonem crepatent, factum eſſe, vt Hugoniſtæ vel Hugonoti nuncuparentur, refert Lindanus, nec eſt ea vocis notatio prorſus inuериſimilis. Lindanum deſcribit & ſequitur Prateolus in Elencho Hæreticorum, V. *Hugoniſta*.

Aliò detorſere huius appellationis initia, nonnulli, aſſerentes referenda eſſe ad portam vrbis Turonenſis, quæ *Regis Huconis* appellatur, vbi ſua conuenti

conuenticula celebrabant primi Caluiniani. Ita notat Spondanus ad annum 1560. addens de Thuano l. 24. hiſtor. Turonis, nomen *Regis Hugonis* vſurpari ſolere ad incutiendum pueris, ac ſimplicibus fœminis terrorem. Eſt enim nomen lemuris noctu pomœria obequitantis, & obuios mortales pulſantis atque rapientis, vt quidem fert fabula. Quod ergo æquè Caluinianis, noctu ad portam à Rege Hugone denominatam, coirent in cœtum, & per vrbem oberrarent, inde adhæſiſſe illis appellationem *Hugonotorum* cenſuit, is quem dixi Hiſtoricus necnon Aubertus Miræus l. de ſcriptor. ſeculi ibi capit. 96. Fuere qui eandem vocem referrent ad colligationem Hæreticorum, aptata illis voce fœderis Heluetis *Eydgenoſſen*, à Gallis pronunciantibus oblætus. Ita Spondanus anno 1307. *ad finem*. At Ioannes Chappeauille de geſtis Pontif. Leodienſ. in Roberto à Bergis c. 4. cenſet eſſe vocem ab Heluetiis mutuatam, ſed aliter. Nam Heluetiis, homines ſeditioſi dicuntur *Henſguenaus*, quales planè ſunt Caluiniſtæ. Abundet quiſque in ſenſu ſuo. Mihi potiùs arridet vocis huius originatio quam præmiſi.

LXXVIII.

Nobilis blaſphemi, horrenda clades.

IN Gallia Celtica, iuuenis nobilitate quàm moribus clarior, Ordini Militari adſcriptus, vomendis blaſphemiis præter cæteras labes, gentilitiam claritatem, & profeſſionem religioſam dehoneſtabat. Is quod à venatione cui pro gentis more addictus erat; ſeriùs quandoque domum rediret, & in multam noctem ei exercitationi inſiſteret, à matre vidua increpitus, ac ni maturè deinceps regrederetur, cœnæ multatione intenta deterritus minas omnes vt fœminea terriculamenta deriſit. Sed cum poſtridie, domum cum fratre, & alio quodam, è venatione alta iam nocte repetens, iuſſa materna à Promo & Coquo omnibúſque domeſticis adminiſtris obſeruari exquiſitè vidiſſet, atque adeò ex matris præſcripto, quæ iam cubitum ſe receperat, obſeratis omnibus, poſt clamores fruſtra iactatos incœnatus hæreret, horribili deuotione, & exectatione Satanam exciuit, & in Deum indigna relatus concitatione blaſphemè ac furioſè bacchatus eſt. Reprimere fratris furorem fruſtra conatus, qui aderat frater è ſeculo, & ipſe multæ maternæ particeps, in oppidum mittit, qui in ſingulem cœnam aliquid conquirat, & allatis paucis ouis fame cum fratre blaſphemo, ac tertio ſocio, vt licuit depulſa, in lectum qui vnus pro tribus præſto fuit, recepere ſeſe. Medius, fratrem inter, & alium nobilem venationis ſocium iacebat blaſphemus eques, iratum plenus ob ſubductas epulas, & cubationem incommodiorem. Affuit non ita multo poſt, gigantea ſpecie Satan, duobus comitantibus Moloſſis horrendæ magnitudinis ac feritatis. Horripilatio corripuit accubantes, blaſphemiarum paulo ante profuſarum haud immemores. Sed attoniti & horrore ac ſtupore defixi, hæſere qui extremi accubant, cum medium blaſphemum euocari à Satana ferociente, & fruſtra renitentem prehendi, ac eluſa ſociorum ope, abſtrahi per vim è lecto viderunt, & in menſam quæ aderat protractum, grandi cultro diſſecari in fruſta eaque moloſſis duobus voranda proiici. Ferali officio perfunctus Satanas, iuſtum Dei iudicium in impium conteſtatus, nec ſibi in cæteros quicquam licere profeſſus, exceſſit, ſemineces præ conſternatione relinquens, quos habuerat adeò luctuoſæ tragœdiæ ſpectatores. Frater ob fratris cladem ſupra modum mœſtus, vbi inſpiria vtcunque ſtitit, & lachrymas ſiccauit, cordolium perenne habiturus, cogitauit ſeculum abiicere, & in ſacram quendam familiam adſcriptus, ibi hodiéque ſuperſtes eſt, vitam viuens concepto de diuinis indiciis horrori conſentientem. Hæc quantumvis mira, & extra quotidianum diuinæ patientiæ vſum patrata, ſine ambiguitate adſcripti, quod teſtes omni exceptione maiores à me auditi, aſtipulentur.

LXXIX.

Pileus Doctoris an monaſtico cucullo potior.

NOn ita pridem in vicina Academia Arauſicana Promotor Hæreticus Religioſi Ordinis deſertorem Medicinæ Doctorem inaugurabat. Et cum de more pileo illum donaret, mutata vel amplificata formula, Ego te (inquit) excucullatum dono hoc pileo potiore quouis cucullo. Non continuere riſum qui aderant Catholici, & inter hæreticos complures demptis perpaucis quorum frons non eſt frons (vt Sanctus Auguſtinus alia occaſione dixit l. 4. in Iulianum cap. 8.) de his propudiis erubuerunt. Sanè vt dimittamus quæ cuculli monaſtici Symbolo expreſſa docemur ex Caſſiano l. 1. cap. 4. atque Dorotheo doctr. 1. vnde conſtare de eius præcellentia poteſt, pileus Doctoris (nunc quidem) eiuſmodi eſt, vt non ſit quod admodùm efferatur qui illo donatur. Paſſim enim per abuſionem non ferendam, & quam graues Autores quoad Theologiam, & Medicinam peccati lethalis inſimulant donatur pileus immeritiſſimis, ita vt non tam teſſera virtutis ac doctrinæ ſit (in quem tamen finem confertur iuxta Eraſmum adag. *ad pileum vocare*,) quàm argumentum crumenæ benè diſtertæ.

Inter plurima exempla quæ ad manum ſunt, vnum adſcribo ſanè luculentum Notarij Auenionenſis qui fatigatus amicorum deſideriis, cogitauit promoueri in Doctorem, homo fori tricarum peritiſſimus, qui tamen Iuſtinianum adiſſet nunquam. Bartolum verò, Baldum, Iaſonem & huiuſmodi alia Iuriſprudentiæ nomina ac ne de nomine quidem cognoſceret. Vrgentibus tamen amicis vt ex imo ſubſellio gradum faceret cogitauit (vt dixi) de pileo Doctoris quem quod in academia patria rectè inſtituta, operoſum cenſeret adipiſci, ad aliam in Vocontiis Academiam iter inſtituit. Sed cum lues tunc ibi timeretur, intercluſo vrbis aditu monitus eſt ſummam pecuniariam honori Doctoratus conſequendo neceſſariam, deponere apud excubitores publicæ incolumitatis, & poſt nonnullam moram diploma ad eum perfertur, quo renunciabatur *Dominus Doctor*, homo nemini illhic notus, & cuius doctrina nullo examine fuerat explorata. Lætus homo, ne perlecto quidem diplomate, regreditur quàm citatiſſimè in patriam, vbi diploma, & teſtes ſui Doctoratus publicas Academiæ literas proferens, deprehenſus eſt Doctoris Medici titulo decoratus, qui lauream Iuriſprudentiæ expetierat. Res cum multo riſu diſſeminata eſt multorum ſermonibus, quamuis vt famæ ſuæ conſuleret, confeſtim relegens iter quod confecerat, queſtus de impoſtura, nouum diploma

ma eadem (id eſt nulla) cum ſolemnitate accepit quo *Iuris vtriuſque Doctor* renunciabatur, ſed non abſque ſumma pecuniæ, nouo huic titulo comparando neceſſaria. Et poterat ſanè, ſi libuiſſet, in id quoque pecuniam erogare Artium Magiſter & Theologiæ Doctor audire eiuſdem farinæ. Hunc tu pileum cucullo antefeгas Promotor inſulſiſſime. Eum dignus cucullo pro cucullo proiciſto.

LXXX.

Vltio in voti contemptorem.

DYnaſtæ perilluſtris anceps, Æ alonis tertiarium omnino inſignem habebat, cui perdices in dies ſingulos aucupari quam plurimas, ludus erat. Itaque ales, homini aucupatoriam factitanti, chara admodùm & pretioſa erat. Cum verò tentata eſſet graui inualetudine, ita vt eius ſalus deſperaretur, anceps præ mœrore tabeſcens, monetur à Domina, vt votum concipiat, appenſurum ſe cereum librarum ſeptem, in æde ſacra Deiparæ cui nomen *à Valle florida.* Eſt enim ædes illa loco vicina, nec plus leuca abeſt. Concepto voto; (mirum dictu) ales illicò perſanatur, & craſtina die ad aucupium adhibita pro more, decem perdices eſt aucupata. Proximo ſabatho, (qua die hebdomadatim, ſacra illa ædes ſingulari religione frequentatur,) anceps ab hera de voto concepto fruſtra monetur. Altero rurſus ſabatho, perſtat voti contemptor, quod negaret, B. Virginem, cereo ſuo ac reculis egere. Tertio ſabatho cum obduruiſſet in voti neglectu, & ales arbori quæ in arcis area erat, ſana & valens inſideret, aduocatur ab aucupe, & pro more prehenſa manu chirotheca è ceruino corio obducta, infixo ei validè roſtro quadrupliciter tranſadigit, ita vt nunquam deinceps quantiſuis adhibitis per chirurgos remediis, explicare & contrahere digitos, miſer anceps potuerit. Eo autem ſic multato ales quaſi perfuncta officio, mortua concidit. Fiſſum alitis cadauer abſque vlla veneni ſuſpicione apparuit; ita vt indubium omnibus fuerit, diuinam manum in auis interitu ad multandam voti contemptionem interueniſſe. Franciſcus Deneſſon prabatæ vitæ Religioſus qui omnia oculis ſuis vſurpauit, teſtimonium perhibuit.

LXXXI.

Diſcrimen ſalutis in Notarij munere.

LIbellionum munus, (præſertim ſi forenſium cognitorum & procuratorum partes, ſimul obeant, vt in hiſtoriis contingit;) quàm ſit periculoſum, & æternæ diſcrimini obiectum, Petro Sarpillono inſigni probitate & doctrina Medico, diuinitus eſt indicatum, ante annos aliquot. Decumbebat ille ex morbo, è quo etiam haud ita multo poſt exceſſit, & ritè ſubductis rationibus omnibus, peracta accuratè de tota vita exomologeſi, obducto lecti ſipario ſe continebat; non lucem faſtidiens, vt Domeſticis primùm videbatur, ſed vt liberius hæreret defixus in cogitatione de Deo, & tranſitu è quo non eſt regreſſus; cum ecce ſubitò auditur ab iis qui aderant, & bello ad officia ægro præſtanda aſtabant, inclamans æger; Heu miſeram animam! Quo infelix propelleris? Reſponſum auditum eſt, & ex voce reſpondentis, ac ægri poſtea deſignatione compertum, eſſe animam Notarij Auenionenſis qui ea hora fato conceſſerat. Reſpondi: ergo qui interrogabatur, iter ſibi eſſe in infernum. Roganti damnationis cauſam ægro, reſponſum ſecundo datur, cauſam fuiſſe quod malè & infideliter functus eſſet concredito Notarij munere. Eſtne igitur (inſtar ſerpillonus,) id munus periculoſum & damnationi obnoxium? Eſt verò, reſpondit infelix. Quid è congregatione Deiparæ ſint, ait æger? His quidem peculiari præſidio ſunt, tutela Deiparæ, & aſſidua monita quibus ad piam vitam informantur. Tamen ni ſapiant, & ipſi quoque excidentur, in ignem æternum mittentur. Dixit, & fidem verbis facturus, manum in iacentis femur extendit, quod æger confeſtim aduocato Spirituali Magiſtro P. Ioanni Suffreno oſtendit veluti cauterio inuſtum, in totius huius narrationis confirmationem.

LXXXII.

Tetrum facinus, celerrimè vindicatum.

NOn multum effluxit temporis, (vti ab eo qui aderat accepimus,) cum Conſtantinopoli accidit quod Dei prouidentiam in ſcelerum vltione non dormitantem, egregiè monſtraret. Turca verè ſui nominis, trux inquam & efferus, incidit Conſtantinopoli in ſuæ ſectæ mulierem admodùm comptam, & caput variis monilibus ac gemmis grauantem. Quod locus eſſet à frequentia remotus, nec vllus tunc adeſſet qui arcere ſceleratas manus poſſet, aut peracto facinore inſimulare iniquitatis, educit gladium in mulierem quàm penè ſequebatur, & reciſum eius caput, ſacculo qui ad manum erat, iniicit, nec leui (vt rebatur,) præda ditatus, lembo in alteram vrbis partem freto ſeiunctam, tentat traiicere. Aderat anceps Imperatoris Turcarum, accipitrem manu geſtans. Ales ad carnis recentis odorem commota, & inquies, aucupem permonit, vt vbinam caro à lanio recens, in lembo eſſet, exquireret. Coniectans verè quod erat, ideſt latere in ſacculo alterius vectoris carnem, vrget vt eam expromat; & renitentem, ſpoliat per vim, ſacco in quo caput adhuc calens & riuis ſanguinis manans deprehendit. Impius homicida tanti ſceleris compertus, in mortario piſtillo tuſus, pœnas dedit iuſtiùs quàm Anaxarchus. Hic Dei patientia non eſt pede claudo ſecuta antecedentem ſceleſtum, ſed mox à tetro facinore, ad priſtinum, indéque ad Tartarum, damnatam Erebi victimam abripuit. Et quomodò ſibi à tanta Dei patientia blandiuntur pleriqpe impiorum!

LXXXIII.

Petri Pecqueti ex Societate IESV vita innocentiſſima, pretioſa mors, ac cæleſtis pridem mortui ſpecies.

VIuebat Auenione ante annos ſexaginta Petrus Pecquetus vulgo *Peguetus* Allobrox ex

Mianenſi ad Camberium alumno, Societatis IESV ſacerdos. Nam tametſi ex antiquo Societatis IESV inſtituto, quiſquis alterius non militaris Religionis habitum vel ad breue tempus aſſumpſerit à Societate arceatur vt fuſe exponit Suares Tomo 4. de Religione tract. 10. lib. 2. cap. 1. a num. 16. tamen ex Pontificis diſpenſatione contigit aliquando, alterius religionis Profeſſos admitti in Societatem IESV. Vt cætera exempla premam, Valerius Reginaldus inter ſui æui morales Thologos & Canoniſtas magni ſcriptor nominis, ex ordine minorum quem inierat, Societati IESV adſcriptus eſt. Antonius quoque Poſſeuinus & Clericis regularibus hoſpitalariis ordinis ſancti Antonij admiſſus eſt in Societatem. Similiter ergo hic de quo agere aggredior, Petrus Pequetus ex Mianenſi alumno ideſt religioſo Cœnobij ordinis ſancti Franciſci de obſeruantia, annumeratus eſt ſancti Ignatij filiis, magno animarum bono, & eximio Societatis ornamento, quale item conciliarunt illi quos memoraui homines ſua ætate clariſſimi, & ſcriptis & rebus geſtis. Et P. quidem Pequetus, anteceſſit nos aliquanto tempore, tamen vel eo nomine inſcribi, eſt hiſtoriæ æui noſtri, quia non ita pridem, poſt annos quatuor ſupra triginta à pio exceſſu, diuina luce circumfulgens apparuit, dignum viſum eſt quæ de eo à maioribus quibuſcum vixerat ad nos permanarunt, non præterire.

Vir erat eximiæ pietatis, & orationi ac conſuetudini cum Deo valdè addictus. Crucis vero amantiſſimus ſemper fuit, quam ei Deus pro ſuo erga electos viſu, ſæpè prouidit, inſignibus patientiæ ac conformitatis cum diuina voluntate exemplis mirificans ſeruum ſuum. Abſtemius erat & cibi admodum abſtinens & è graui morbo qui ſocios decem vel vndecim abſumpſerat, vtcunque ſoſpes, tantum carnis faſtidium contraxit, vt reliqua vita carnem non guſtaret. Dexteritate in tractandis & ad optimam frugem ſtabiliter reuocandis pœnitentibus fuit admirabili. Certis experimentis comprobatum eſt, quorum ille vel ſemel confeſſionem excepiſſet, eos reliqua vita (quæ in pleriſque ad multos & multos annos eſt prorogata), in frequentatione ſacramentorum & animi collectione fuiſſe aſſiduos. Vel ſolo conſpectu afflabat pietatem. Solabatur afflictos efficaciſſimè & ad conſentiendum Deo omnia ſapienter diſponenti, quam prudentiſſimè adducebat, ita vt nihil optatius eſſet, quibuſuis, aut ſuorum deſiderio lugentibus, aut calamitate aliqua grauatis, quam optimum Patrem vel adire vel acceſſere, (quod ex vicinis quoque oris non rarò accidebat), vt melle piorum alloquiorum quibus valebat plurimum, abſtergeret amarorem animi & pia ſuauitate commutaret. Partus eius eſt, patientiæ miraculum, & Chriſtianarum virtutum omnium inſigne exemplar, æui noſtri Didymus R. P. Cæſar de Bus, cui & in ſtudiis pietatis, & priuatim in Grammaticis minutiis, proſpiciens ad quæ & quanta à Deo vocaretur, Magiſter fuit, vt in viri illius ſanctiſſimi, rebus geſtis legere eſt.

Gratia Pecquetus apud omnes fuit tanta, vt in turbine vehementiſſimo qui Auenionenſe Societatis IESV collegium propè euertit, ſolus prodire foras, & ſociis neceſſaria conquirere, innoxius & indemnis potuerit. Hæretici enim clancularij, magno numero intra vrbem degentes, vt præſidium Catholicæ fidei per Patres Societatis adhibitum excluderent, & facilem ſibi viam ad vrbem occupandam, alteramque in Pontificio ſolo Geneuam conſtituendam munirent, (quod pridem moliebantur,) grauem populi inuidiam aduerſus Patres concitarunt, diſſeminato rumore quod P. Antonius Poſſeuinus Collegij Auenionenſis per id tempus rector Romam Procurator Prouinciæ Lugdunenſis à cœtu Patrum de more ablegatus, egiſſet cum Pontifice, vt Tribunal quæſitorum de fide, Auenione ſtatueretur iiſdem legibus & accuratione ac ſeueritate qua Romæ & in Hiſpania. Qua inuidioſiſſima calumnia pulſati Patres & de vita periclitati ſunt, tormentis bellicis ad Collegij euerſionem ex publico armamentario iam eductis; & odio incenſiſſimo profani vulgi, ac optimatum patuere, ita vt niſi autoritas Georgij Cardinalis Armeniaci, qui Cardinalis Caroli Borbonij Auenionenſis Legati Collega, vrbem cum ſumma poteſtate moderabatur, grauibus minis, ciuicum Magiſtratum à nefariis conſiliis deterruiſſet, extrema omnia ſubeunda Patribus fuiſſent, ac vt minimum omnes vrbe exturbati, aliò migrare adacti eſſent. Per illius ergo procellæ tempus, quod non fuit prorſus exiguum, ſolus P. Pecquetus, qua erat apud omnes veneratione, à nemine vnquam verbo aut facto iniurioſo violatus, prodire domo, & ſociis proſpicere potuit.

Quid minus valuiſſe gratiâ apud mortales, hominem cum Deo coniunctiſſimum, & in cœlo quoque gratioſum? Præſtatur ea cum Deo coniunctio per orationem, cui Pater Pecquetus erat addictiſſimus. Nec deficiebant eum ſingulares illi inter orandum fauores quos nomine raptûs ac extaſis inſignimus. Non ſunt quidem hæc niſi ſeruorum munera, vt Magiſtri ſpiritûs ſæpè admonent, Gerſo præſertim, & adiuncta ſæpè Tartarei veteratoris ludibria, teſtatum faciunt: Tamen in iis qui vere pauperes ſpiritu ſunt nec amant ambulare in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, argumenta ſunt diuinæ erga eos benignitatis, & haud quaquam ſpuriæ & adulterinæ pietatis. In quam rem adeundus Suares in opere de oratione, & Thomas Malluſius tractans cæleſtem cum Deo conuerſationem, ac Roſſignolius informans diſcipulum Chriſtianæ perfectionis. Atque adeò in Patre Pecqueto qui totus erat in conſectanda purè Dei gloriâ & ſui contemptione, argumentum probatæ cum Deo conſuetudinis fuit, quod ſæpè extra ſe inter orandum frequenter raperetur. Quod agnouit P. Fabricius Pallauicinus nauus rerum ſpiritualium curator, qui (vt retulit P. Carolus Maillanus is qui Regi Chriſtianiſſimo à Confeſſionibus obiit) vocatum ad ſe P. Pecquetum, vt audiuit ad vocantis voces hærere immotum, vetuit vlterius interpellari quod ſciret id illi ex perſpecta cum Deo conſuetudine vſu venire.

Diſtentum denique operibus pietatis & proximi iuuandi aſſidua contentione fatigatum P. Pecquetum nouus excepit labor ſubmiſſis ex Italia à Gregorio 14. copiis, quibus vrbem Auenionenſem, & Venayſſinum Comitatum ei continentem, tutaretur per tempora Galliæ turbulentiſſima harum enim copiarum pars longe maxima, ex peſtilente morbo decumbens, Nolocomium ampliſſimum opplebat, quo ex Chriſtiana charitate Collegij Rector Franciſcus Gormius cum aliis tribus ſociis quorum vnus erat P. Pecquetus, ad ægrorum miniſterium aduolauit. Ipſe Gormius hauſta ex pio officio lue, paulo poſt obiit. Cœteri grauiſſime tentati ſunt panis peſtilentibus ab ægrorum attactu & cura contractis. P. Pecquetus poſt longam cum peſtilenti febre colluctationem, nihilo melius habens ad Prioratum Metamyenſem

in

in Montanis Cauarum ablegatus eſt; tentaturus, num cœli mutatio commodatura eſſet valetudini. Sed cum pertinax morbus ægrum in dies peni.iùs exederet, nec præ vitiatione vrbis Auenionenſis ex tot ægrorum colluuie, tutus ad Collegium eſſet regreſſus, iuſſus eſt ad oppidum propinquum, cui *Mormoyrane* nomen, ſecedere; vrgente præſertim D. Coleto oppidi Parocho, qui ex optimi Patris informatione, in Rectorem animorum eo nomine dignum euaſerat. Apud illum anno 1591. Iulij 11. P. Pecquetus placidiſſimè & ſanctiſſimè efflauit animam, non abſque argumentis compluribus diuinæ erga eum beneficentiæ. Nam & cubiculum in quo exceſſit, quamdiu in eo corpus illius exanime hæſit, multa luce eſt colluſtratum, & ſuauiſſima fragrantia ibidem eſt afflata: ac dum tumulo conderetur, crux de cœlo ſuper eum conſpicua fuit.

Hæſit corpus in eo tumulo per annos quatuor ſupra triginta, ab anno nimirum 1591. ad annum vſque 1616. quo de ſacris exuuiis in vicinum Carpentoractenſe Collegium reportandis, moliente Patre Claudio Marthodo qui ſuperſtitis ſanctimoniam perſpexerat, cogitari eſt cœptum. Dumque (vti aſſolet), moræ nectuntur, & languidè pium conſilium promouetur, accidit vt Rectore Collegij P. Claudio Maillardo, anno ſignato 13. Martij ſub horam 8. ſacris operante in ara principe, ſcholaſtici intereſſent è duobus inferioribus Grammaticæ Ordinibus: è quibus duo pueri intra circumiectos ſacræ aræ clathros, camillorum munus obibant. Super ſacrum ergo miniſterium ſpecies obiecta eſt hominis è noſtris, in ea intercapedine quæ aram maximam à minori, guttis reponendis erecta, diſtinguit. Ibi inquam, ad ſecundum altaris gradum, viſus eſt Pater iunctis manibus nixus in genua, & Chriſtum venerabundus inſpiciens, à prima maioris cerei accenſione, ad peractam Synaxëm & collatam de more à ſacerdote benedictionem in ſacri fine. Caput calantica veſtitum erat; barbæ & capitis capilli ruffi iamque canitie aſperſi: facies ita micabat, vt vix ſplendorem ferret intuentium acies. Vndecim duntaxat adoleſcentulis conſpicua fuit ea ſpecies; camillis nimirum & aliquot aliis qui ſeptis ligneis inſidebant ſacris intenti. Leo Bouchet Aptenſis qui de ea parte ſacerdoti miniſtrabat, cum eluendo Sympuuio vinum ſacerdos porrecto calice expoſceret, accedere aliquandiu cunctatus eſt horrore ſacro perculſus; quo ægrè depulſo, accedens denique ad guttos, & locum vnde ſpecies extabat, vix ſui compos, vinum ſuper altare, timidæ manus errore profudit. Eadem ſpecies ſequenti luce, in iiſdem circunſtantiis eſt obuerſata, ita vt ſcholaſtici per vices in eum locum vnde Pater parebat, ſuccederent; eum ſibi mutuo gratulabundi indicantes, nec abſque iucundis multorum lachrymis. Cúmque finito iam ſacro, poſtquam ſacerdos populo benedixerat, ſpecies Patris euanuiſſet, & iam parantem exſcindere ſacerdotem, mulier de porrigenda diuina Eucharistia interpellaſſet; denuo ſpecies Patris exhibita eſt, Chriſto accidentis, donec ſacra pyxis tabernaculo eſſet illata. Ex ritè perpenſis & accuratè notatis ſpeciei obiectæ adiunctis omnibus, qui hominem nouerant liquido confirmarunt, ſpeciem fuiſſe Patris Pecqueti, de cuius proinde exuuiis referendis actum ſerio eſt, reciſis omnibus moris. Relatum ergo eſt corpus, & eo ipſo loco in quo ſpecies eius conſpicua fuerat, conditum. Res (tametſi conſulto Antiſtite, & exorata maiorum venia,) ſilentio peracta, eſt ne vindicatio Eccleſiaſtica anteoccupari priuatâ pietate videretur.

Deus non vno ſuffragio ſerui ſui memoriam honeſtauit. Inuenta eſt intra capſam qua corpus condebatur, corolla precatoria quam Pater ſuperſtes piè decurrere ſolebat. Eius vnum granum, admotum matronæ primariæ quæ decem diebus continuis morbo cardiaco grauata fuerat, illicò depulit inualetudinem. Alij aliis diuinis beneficiis de cœlo cumulati produntur. Quæ etiamnum ſuperſtes patraſſe refertur, nec pauca ſunt, nec minuta, cum etiam mortuum infantem antequam ſacris Baptiſmi laticibus perfunderetur ad vitam reuocaſſe referatur, quod ſpectatæ vir probitatis ac doctrinæ D. Thomas Caulicæ Canonicus Theologus, confirmauit ſe præſente geſtum & collato baptiſmo, vtcunque vita donatam animulam, æterno alioqui exitio inuoluendam, vtroque interitu ereptam per Patrem Pecquetum graui teſtimonio aſſeuerauit. Sed mihi (quod de S. Malachia à B. Bernardo egregiè ſcriptum eſt) maximum miraculum quod Pecquetus fecit, ipſe fuit. Tametſi Concionator non illaudatus aliquando adiuit, tamen in Confeſſarij munere; potior eſt viſus. Decora Concionatoris Apoſtolici, & Confeſſoris eximij, cumulauit prærogatiua Martyrij charitatis, quam aſſecutum par eſt credere, hominem piæ proximorum ægrorum ſubleuationi immortuum, lenta licet & non properata morte; quod ad auctius (quippè diuturnius & moleſtius) martyrium, referre haud parum poteſt. Exhibui perelegantem imaginem operarij Euangelici pictor inelegans, vnde faxit benignum numen, vt colores ſanctimoniæ & venuſtatem pietatis traham.

LXXXIV.

Inficiatio ſuſcitationis laxari per Chriſtum, haud ita multo poſt, caſtigata.

OBiit ante annos aliquot, Monſpelij, Doctor Medicus, & inibi in Academia Regius profeſſor, *Saporta* nomine, qui qualiſcunque demum Medicinæ profeſſor fuerit, malus tamen Chriſtianus cenſeri meritò debuit; ac ex eo Medicorum numero, qui adeò intenti ſunt in omnibus ad naturam referendis, vt Deum dediſcant. Is quem dico Saporta, Tractatu *de morbis capitis*, quem diſcipulis de ſuperiore loco dictauit, eo dementiæ eſt progreſſus, vt aſſereret Lazarum non fuiſſe reuera à Chriſto ſuſcitatum; ſed cum laboraret apoplexia fuiſſe à Chriſto ea ægritudine liberatum, & non vitæ, qua priuatus nequaquam fuerat, ſed ſanitati priſtinæ reſtitutum. Hoc verò eſt aperto Atheiſmo ſordere. Nam quomodo aliter pronunciandum, de homine qui mentitionem Chriſto impingat; eumque mendacem ſtatuens, Deum fuiſſe abneget? Chriſtus enim conceptis verbis conteſtatus eſt, Lazarum mortuum fuiſſe; & Euangeliſta eum qui fuerat mortuus, foras veniſſe, & ſuſcitatum à Chriſto eſſe iam quatriduanum mortuum & fœtentem, teſtatur. Itaque Chriſtus falſiloquij inſimulatur vnaque religio Chriſtiana vniuerſa peſſundatur, autore, mendacitatis notato. Tantam impietatem, non diu multam ſiuit vltor Scelerum Deus. Nam non ita multo poſt, blatero Saporta miraculis Chriſti detrahens, ex apoplexia in quam inopinato incidit, miſera morte occubuit

buit. Diſputat contra hanc fatuitatem, ignorato infelicis Saportæ ſeniū & exitio, Paulus Vecchi Theologus Capuanus, obſeruatione Medica 82. in ſcripturam.

LXXXV.

Stuprator ſacrilegus atque blaſphemus, præda diabolo & corpore & animo datus.

FActum exeunte proximo anno 1643. ad quod tinniant ambæ audientium aures, ad cibo. In Apulia haud procul Bario, homo nobilis, gradu Marchio, reipſa carnis ſuæ & Satanæ mancipium, Virginem piam ex earum numero quæ ob deſponſam Christo extra cœnobia Virginitatē *Monachæ domeſticæ* audiunt, quanta vi ac niſu poterat obſiſtentem, impiè fœdauit; cumque inter renitendum Virgo, Deiparæ ſub cuius tutela ſe eſſe profitebatur, iniuriam & indubiam vltionem ingereret; quæ illi foret pœnitentiæ ſementis vberrima, ſpurcus admiſſarius, *Ecquam* (inquit) *Virginem dicis à qua mihi huius facti pœnitentia cauſa adueniet?* Non tulit Deus tantam blaſphemiæ atrocitatem, ſacrilegæ impudicitiæ iunctam, diu eſſe impunitam. Vix illis ſiliquis porcus iſte lutulentus exſaturauerat ſacrilegam libidinem, cum ſubita morte defunctus eſt, ſacramentorum Chriſtianorum expers. Itaque anima quidem ſic abeuntis, inferno eſt tranſcripta. Cadauer autem à ſuis in quoddam Capucinorum cœnobium eſt illatum, & tumulo datum. Diuinam vindictam, impietatemque, & peccatum ad mortem miſeri hominis, ignorabant Patres. Itaque bona fide exceptum eius cadauer, tumulo condunt ritu Chriſtiano, non ſine pſalmis, ac aliis ſuffragiis, quibus animam defuncti ſubleuarent apud benignum Deum. Sed fruſtra ſatagebant. Nocte tumulationem conſequente, pius ex ea familia Religioſus, templum fortè ingreſſus, ſuper defuncti tumulum, deprehendit ſpectrum, tetrum adeò & adeò horrendum, vt ferè ex tali obiectu exanimaretur. Vbi primùm verò tantiſper ex metu eſt confirmatus, Cœnobij Præfectum quid vidiſſet admonitum, induxit in eam mentem, vt mandatum ſibi imponeret, de repetendo loco, & ſpectro interpoſita adiuratione vrgendo ad patefaciendum quid iſthic quæreret. Mandato impoſito paruit Religioſus, quem Præfectus ipſe cum aliquot aliis ex eadem ſacra familia illico eſt conſecutus. Adiuratione adhibita, ſpectrum quod erat aperuit. Imaginem ſcilicet eam eſſe, animæ Marchionis eo tumulo proximè conditi, quam Deus iuſtus Iudex ob iniuriam ſacrilegam, Virgini ſacræ illatam, & iactatas in Deiparam blaſphemias, morte ſubita è corpore impuro extruſam, æternis ignibus addixerat. Fidem verbis faciendam, ſi reſerato tumulo, cadauer à dæmonibus aſportatum non compareret, ſed putor duntaxat intolerandus. Aperto tumulo, inanis loculus apparuit, & mephitis extitit tanta, vt complures ex iis qui aderant, exanimati conciderent. Loculus, carbonum inſtar niger ac teter eductus è tumulo in ſterquilinium abiectus, (mirum dictu!) quatuor coruis præda fuit. Loculum enim diſtringere & fruſtatim vorare ſunt viſi. Magnum paſſim Oratoribus ſacris argumentum hinc ſuppeditatum, ad incutiendum terrorem iis qui ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, abripiuntur in ſcelera.

LXXXVI.

Fulguritus in flagranti delicto.

PAnormo ſub medium Nouembrem exacti proximè anni 1643. accepimus aliud non dormitantis neque dormientis numinis exemplum. Homo carnis ſpurcitiis deditus, Dei patientiæ iam diu illuſerat, non recogitans ſuperuenturum repentinum interitum. Cum itaque in cœno ſuo conuolueretur, & turpe opus reipſa patraret, ſubitò de cœlo ictus, ab impuris ignibus quibus deflagrabat, ad æternos tranſiit; compare ſceleris (qua Dei erga eam bonitas fuit,) planè illæſa: ſeruari enim illam ad pœnitentiam ritè peragendam, viſum eſt Deo, qui è duobus in lecto vno peccantibus, vnum iuſtè obtriuit, alteram miſericorditer reliquit. Miſero Luſitano, apud Indos Eoos, exeunte ſuperiore ſeculo, ſimilem exitum à Deo vltore in ipſo ſcelere obtigiſſe, produnt illius æui monimenta; niſi quod iſte cum primum æther horrendum infremuit, & denſis fulguribus micuit, ab Eua accubante de pœnitentia interpellatus, pertinaciter hæſit in ſcelere; & prius in fauillaceam miſſam de cœlo tactus euaſit, quàm mulier diuinam vltionem, & vibratum fulmen in obfirmatum peccatorem deprehenderet. Pluit Dominus his quoque temporibus, ſuper peccatores laqueos; ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iuſtus Deus & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

LXXXVII.

Locus infeſtus ob maiorum iniquitatem.

NVper in Belgio, haud procul Bruxellis, caſtellum erat infeſtum nocturnis tumultibus, quibus vna quædam eius pars inhabitatione prohibebatur. Dynaſta caſtellanæ iuriſdictionis, poſt diuturna ex terriculamentis illis faſtidia, & fruſtra adhibitum genus omne remediorum ſacrorum, Bruxellas petit; & leuandi potius mœroris quam auxilij expetendi cauſa, in Bruxellenſe Societatis IESV Collegium ſe recipit, vbi in Patrem incidit apprimè religioſum ſimul & animoſum, & in ea Prouincia primarium. Is non modo Dynaſtam in præſentia eſt ſolatus, ſed etiam vltrò obtulit ſeſe, ad locum deinceps infeſtatione illa liberandum, cum bono Deo. Itaque poſtridiè, ex condicto eò ſe recipit cum ſocio, & in cubiculo, aulæ prægrandi adiuncto, quod maximè infeſtum ferebatur quietis ſibi per eam noctem locum deligit. vna cum ſocio obſerato ritè oſtio, & accenſis aliquot luminibus. Sub mediam noctem cum adhuc preces in quas primo in cubiculum ingreſſu ſe dederant, magno affectu prorogarent, exaudiunt in vicina aula tumultuoſam vnius cuiuſdam diſcurſationem; quæ concluſa eſt valida pulſatione ad oſtium cubiculi, tertiùm repetita. Nihil autem reponentibus, nec ſignum ad ingreſſum dantibus iis qui concluſi erant, ſubit cubiculum poſt tertium ictum, reſerato violenter oſtio, horrendum ſpectrum hominis, cui ex oculis ſcintillabat ignis ſubniger, exſerta lingua, depreſſis genis, & ſpecie lurida atque exſucca. Nihil territus Pater, generoſa & contenta voce interrogat quiſnam eſſet, quidvè eum locum infeſtans quæreret. Spectrum ſedem e regione poſitam

tam occupans, *Audies* (inquit) *à proximè affuturo.* Poſt quartam horæ partem, affuit non diſsimili tumultu aliud ſpectrum priori conſimile, quod eadem interrogatione à Patre pulſatum, occupata conſequente ſede; idem cum priore reſpondit dedit, *audies à proximè affuturo, quid hic quæram, & quorſum ſim huic loco iuſtus.* Idem ad ſimilem interrogationem reſpondit tertius, qui poſt alium quadrantem cubiculum eodem impetu ac tumultu ſubiit, & ſedem tertiam tenuit. Quartus denique eodem interſtitio temporis ſeruato affuit, ſed longe alia ſpecie, ac externo habitu. Videbatur enim albatus, lætaque facie, & permodeſta totius oris ac corporis compoſitione. Is cum aulam cubiculo adiunctam tranquille & ſedatè decurriſſet, cubiculum ſubiit, adiunctis quaſi ad precandum manibus. Nunc Pater placidè & reuerenter affatus, déque cauſa aduentus interrogatus, audit, animam eſſe Patris Dynaſtæ Caſtellani, qui illos excepiſſet hoſpitio. Tres quibus aſſideba, maiores ſuos eſſe; patrem, auum, abauum. Ab hoc, vſurpatum primò eſſe caſtellum, & per occaſionem ciuilium bellorum contra ius faſque Domino vero ſubductum; Id auum reſciuiſſe, neque tamen quod ſuum non erat, alieno eſſe; Patrem de illegitima caſtelli ad ſe tranſmiſſione dubitaſſe, retinuiſſe tamen quod ad ſe pertinere exploratum non habebat, neglecta dubij diſcuſſione. Itaque omnes ob eam noxam, æternis ignibus à iuſto iudice eſſe addictos. Sibi vni, quod bona fide caſtellum poſſediſſet, nec de alterius in illud iure fuiſſet ambiguus, retentionem innoxiam fuiſſe; iuſto tamen Dei iudicio hæredum ſibi in flammis emendatoriis fore, donec caſtellum reſtitueretur legitimo domino (& deſignauit è filij familia ſeruum, Ioannem nomine, genere nobilem, ſed pro more mortalium ad eam ſortem deiectum:) ei reſtitui à filio caſtellum, vel certe cum eo de re tota amicè & iuſte tranſigi popoſcit; & Patris ſibi ſacrificia apprecatus, remque quam primum confici enixè rogans, placidè abſceſſit cæteris iam ante, ad damnationis ipſorum enunciationem dilapſis. Nihil in hac narratione, meritò poteſt inſimulari falſitatis, ſi illud demas, quod tertius qui immunis à noxa vſurpati caſtelli fuiſſe dicitur, popoſciſſe refertur, reſtitutionem caſtelli fieri quam primùm. Sè enim in Purgatorio hæſurum, donec reſtitutio reipſa fieret. At hoc eſt contra receptiſſimam doctrinam Theologorum, latè ſtabilitam agendo de Heteroclitis circa defunctos. Veriſimile igitur eſt, hoc eſſe additamentum quod obrepſerit in hanc narrationem; quamvis reipſa anima illa nihil tale allegauerit depoſcens ſibi ſuperſtitum ſuffragia, quibus quam primùm exolueretur. Et fortaſſis optauit applicari ſibi, fructum heroici illius & operoſi actus, reſtituendi caſtellum, qui actus fructu ſatisfactorio diues, eſſet plenè deterſurus reatum cui eluendò detinebatur in Purgatorio. Hoc ſigno narrationem totam. Securus quietis Pater, ſocium ad reliquam noctem tranquillè exigendam & ſomnum capiendum inuitat. Affuit manè nobilis, & rem totam edoctus, maiorum ſuorum ſortem veritus, de Patris conſilio, ſoluta qua hactenus caſtellum poſſederat bona fide, ſtatuit animam patris ſui leuare, ſe diſcrimine exitij æterni liberare, & conſcientiam ante omnia in tuto ponere. Itaque aduocato in Patris conſpectu Ioanne, paratum ſe profitetur in eius gratiam caſtello cedere, ni malit pinguem conditionem admittens, firmare hactenus inuitè retentam poſſeſſionem. Annuit Ioannes, & herum iam non herum, deinceps amicum ac ſocium futurum, iure caſtelli conceſſo, ſecurum facit: nec vlla deinceps terriculamenta à toto caſtello audita. Audiant, qui domum domui coniungunt; & dum liberos ac nepotes augere opibus ſatagunt, ſibi ac illis æternum exitium accerſunt, quorum genus vtinam æuo noſtro deficeret.

LXXXVIII.

Nuperus apud Latobriges Martyr.

Benedictus Deus qui ætati noſtræ ſtrenuos & dignos ſe, veritatis Catholicæ pugiles prouidet. Narratio publico teſtimonio illuſtriſsimi Caroli de Sales, Coadiutoris & Adminiſtratoris Gebennenſis, noſtri olim in Theologia Auditoris communita, id bellè monſtrabit.

Franciſcus Folch, Belga, S. Theologiæ Doctor, Apoſtolicus Prothonotarius, & de fide quæſitor, in Latobrigum vrbem Viuicum (vulgo, *Viuet au pays de Vaulx*), è Chablaſio vbi degebat, tranſmiſerat. Ibi dum regreſſum opperitur ad laci Lemani littus, penſi horarij partem decurrens, à quibuſdam Gebennenſibus qui fortè interuenerant, ecquis eſſet rogatus, ſe ſacerdotem Catholicum liberè eſt profeſſus. Sectarij eam libertatem indignè ferentes, exploratorem, impium, & Antichriſti Romani mancipium, Satanæ quam ſacerdotem ſimiliorem eſſe reponuerunt. Modeſte, ſed tamen intrepidè & conſtanter, pius ſacerdos, pro veritate ſtetit, eáque ex cauſa lapidibus appetitus eſt, à fidei hoſtibus. Itaque vt ſibi proſpiceret, lembum ſubiit; vnde aduerſariis conuiciis & lædoriis in eum iactare pergentibus, & quod extra ipſorum ſectam viueret, impietatis damnantibus, reſpondit ſe verò ignotum illis eſſe, & qui ſacerdos Chriſti ſit, alter ab eis tractandum ſi agnoſceretur. Porrò meliorem habendum eſſe, in Catholica Eccleſia viuentem, quàm ſi profiteretur falſam & impiam ac diabolo teteriorem, ab deteſtandis Apoſtatis Luthero & Caluino inchoatam religionis vmbram, quæ ad Tartarum cum autoribus ſuis abripiat eius profeſſores, damnandos in æternum ni reſipiſcant. Caſtellanæ ditionis inibi Index, à Gebennenſi impoſtore qui primus ſacerdotem impetiuerat, implanatus eſt. Itaque pium virum tentum & comprehenſum, carceri addixit. Crimini datum, dixiſſe ſacerdotem, incognitum ſe eſſe. Si vero agnoſceretur, pro Deo habendum, & colendum fore. Adhæc Luthero & Caluino, impiæ & diabolo tetrioris Religionis initia adſcripſiſſe. Bernatum ſupremum imperium, agnoſcere detrectaſſe; & Magiſtratum quod iniuſtè detineretur ob profeſſionem veritatis, proſcidiſſe. Hæc criminationis in ſacerdotem capita: quorum primum, tanquam mendax & malignè impoſitum, abſte reiecit. Secundum & quartum alacriter firmauit. Imperium Bernatum, in cauſa fidei duntaxat abs ſe repudiatum, eſt conteſtatus. Poppa Caluinianus primarius, etiam exſolutionem ſacerdoti offert, dummodò palinodiam canere, & veniam petere, inducat in animum. At ille vt rupes immota reſiſtens fluctibus, ad ſupplicium ipſo die S. Michaelis anni 1643. abductus, tribus Caluinianæ haræ ſubulcis, ingenti conatu in eius excidium & ruinam à fide Catholica incumbentibus, capitis denique ob ea quæ recenſui criminationis capita eſt damnatus, quam ille damnationem, ſereno vultu, & ſublatis in cœlum manibus, cum gratiarum actione excepit; & in abductione ad ſupplicij locum, conſtanter

ſtanter ſemper pro veritate Catholica ſtetit: Exorata autem priuſquam plecteretur, publicè dicendi facultate, appellatis ordine Auguſtiſſimæ Triadis perſonis, muniens ſe ſigno Crucis, Catholicos qui aderant, ad conſtantiam in Catholica fide, extra quam non eſt ſalus, potenter eſt adhortatus. Ea verba non ferens Caluinianus Poppa, cui nomen *Oges*, mentitionem ſacerdoti impegit, ac pugnum mento validè inliſit, & à Balliuio qui aderat, ſilentium ſacerdoti impoſitum, iuſſo carnifice rem ſuam agere. Is ſacerdotem iubet exerere linguam, quam ferro adacto forauit; neque tamen fidei Catholicæ profeſſione, & B. Virginis, ac ſanctorum inuocatione abſtitit, donec truncatus capite viuere deſiit. Corpus ibidem tumultuariè conditum, ſeptiduo poſt, à piis Friburgenſibus veſtigatum, planè incorruptum repertum eſt ſuauiſſimúmque afflans odorem, ſanguinem qui inter decollandum effluxerat, planè recentem, nec terra ſugente ebibitum, deprehenderunt. Ita vt ſtrophiolis admotis, tanto poſt, exciperetur: & quod ſingulare eſt poſt quindecim dies ſtrophiolum vnum ſic cruentatum, alterum ſtrophiolum nitens ac purum cui admotum eſt transfuſo cruore imbuit.

LXXXIX.

Alius ſub idem tempus, teſtis fidelis.

OCcidentali martyri, iungamus Orientalem, ſub idem tempus, paſſum. Adoleſcens Cretenſis cui nomen *Marco Kyriacopulo*, cum ab Andrea patre diutius haberetur minatus identidem fuerat defectionem ad Turciſmum, eiurata Chriſtiana religione paterna. Cum autem pater nihilo mitior fieret, actus in deſperationem adoleſcens tunc quindennis, anno 1640. Decembris 24. profugit ad Turcam primarium, quo interueniente Turcis eſt aggregatus, ritu ſolemni. Verum non ita multo poſt, tactus dolore cordis intrinſecùs, Smyrna vbi pater habitabat, & Marcus fidem Chriſti eiurauerat, migrauit Chium, indéque Sinas profectus eſt; vbi apud Antiſtitem confeſſus de peccatis, ſaucius animo ob atrocem culpam qua Chriſto perfidus fuerat, abiit in Cretam natale ſolum, atque exinde Venetias petiit. Cumque animi tranquillitate ob eiuratum aliquando Chriſtum planè careret, idque eſſet ei in perpetuum cordolium, regreſſus eſt in Cretam, vnà cum Gabriele Pandragalo, viro pio, & cœnobij Deiparæ apud Cretenſes Præfecto; à quo cum accepiſſet, rationem optimam abſtergendi eam maculam, fore ſi pro Chriſto ſanguinem funderet, apud illos ipſos Chriſtum Deum profitens, apud quos turpiter impegerat; omnino ſtatuit Smyrnam regredi, & vt ſe ad ſupplicia irroganda compararet, induſium cilicinum amictus, zona ferrea quatuor digitorum ad renes præcinctus, brachia item & crura collumque, ferreis circulis nexus, adiit Conſtantinopolim, vbi conſultò Patriarchâ, impelli ſe dixit ad compendium viarum ineundum, & mortem pro Chriſto inibi oppetendam, ad maculæ qua ſe inquinarat abſterſionem. Sed Patriarcha magis probante, vt vbi deliquerat, & plurimis notus erat eius caſus, ibidem potius quam Byzantij vbi planè ignotus erat, Mahumetiſmum abiiceret, præmiſſa triduana inedia nullius poculenti vel eſculenti contactu violata; iugibus precibus aut piis lectionibus ſaginata interim anima, Smyrnam repetiit. Eo appulſus 21. Maij, anni 1643. iam vicennis, confixi cruci Chriſti imaginem manu præferens, Chriſtianos quoſdam conuênit, quid animo agitaret non celans. Et poſt ardentiſſimas preces, ac curata aliquot in eam rem ſacra, erogatione non modicæ pecuniæ quam apud ſe habebat; ad Turcam cuius maleficio ruerat, ignotus primùm diuertit. Ibi Marcus cum docuiſſet quis eſſet, & egregiam fidei Chriſtianæ profeſſionem emiſiſſet, tractus ad Iudicem eſt: à quo poſt nonnullas percontationes & reſponſa, quibus conſtans Marci fides, & Mahumetiſmi malè initi abiectio exprimebatur multatus eſt impacto ſubter pedum plantas baculo, centies atque vigeſies: ad quos ictus ſi primum & ſecundum demas, hæſit abſque doloris ſenſu, non ſecus ac ſi ſaxum tunderetur. Inde truſus in tetrum carcerem; & compedibus inter duos latrones Turcas grauatus; nec non alligatus ferreis tribus catenis, iam per ſex dies ieiunus; à Turcis autem ac perfidis Iudæis, ad apoſtaſiam, veniæ ſpe propoſita, & pinguibus ſtipendiis quæ repetito Turciſmo conſecuturus eſſet, fruſtra tentatus etiam à frigidis Chriſtianis obiectu immanium tormentorum quæ perſeueranti rependenda eſſent, ad diſſimulandum nequicquam ſollicitatus, minarum omnium, terrorum, pollicitationum iniquarum, victor 23. Maij gladio plectitur; veritis Turcis, ne ſi vinicumbario (vt ferebat vſus) exponeretur, renouatis antiquis in Chriſtianos martyres miraculis, abiret illæſus: quod iis qui gladio feriuntur, non accidere, nec Turcas latet. Adoleſcens Turca, qui martyri obtruncando addictus eſt bipennem quater in Marcum vibrauit, nunc hanc, nunc illam capitis partem deſecans: ad extremum autem educto è vagina gladio, gulam ſecuit: & plenè Martyrem fecit. Sepultura corporis, magno pretio à Chriſtianis redempta: fruſta capitis irritis ictibus quater tentati, ambæ aures, digiti manuum, vniuerſis capillitium, coëmpta à Turcis in lipſanothecis condenda. Felix culpa tanto expiata cruciatu.

XC.

Cibus Baptiſtæ, noua narratione illuſtratus.

ANxios habet, tum quoſdam Catholicos, tum maximè nonnullos Sectarios à Petro Caniſio l. de S. Ioanne c. 4. exagitatos, quæ fuerit S. Ioannis Baptiſtæ, in deſerto vitæ ratio. Nam quod Euangeliſtæ eum locuſtis & melle ſylueſtri cibatum ſcribunt, tanta interpretationum varietate, quo ſpectet, ambiguum redditur; præſertim quoad mel ſylueſtre. Locuſtæ enim, velint nolint qui ex ſuo guſtu omnia diiudicant, nihil aliud erant quam locuſtæ vt Eraſmus Matth. 3. latè diſputat; & edules fuiſſe, rectè confirmat: etiamſi non me latet, Iſidorum Peluſiotam l. 1. epiſto. 5. & 132. ad herbarum ac plantarum ſummitates, *ἀκρίδας* locuſtas illas trahere. Mel vero ſylueſtre, indicat Iſidorus aliquos pro herba accepiſſe. Et ita planè habet Beda, ex relatione S. Arnulphi Epiſcopi l. de locis SS. cap. 14. Referebat ſanctus ille Antiſtes, eſſe in deſertis Palæſtinæ, arbores folia lata & rotunda habentes, lactei coloris, & melliti ſaporis quæ folia natura fragilia, & friabilia, manibus confricantur, & attrita comeduntur: idque eſſe mel ſylueſtre, quo paſtum S. Ioannem, produnt ſacræ literæ. Non probat S. Iſidorus hanc mellis

ſylueſtris

ſylueſtris Ioanni vſuariam alimoniam; ſed ait, verè fuiſſe mel montanum, quod ab agreſtibus apibus conficitur; ſumméque amarum eſt, & guſtatui omni infeſtum atque inimicum. Ex quo colligit, quanta fuerit in B. Ioanne vitæ ac victus duritia: Ego vt mel inter dapes S. Ioannis recenſitum, non dubito mel fuiſſe, vt vox ipſa præfert cui fruſtra vis infertur: Ita hoc mel, quamvis interdum potuerit redolere arboris cui aduenit ſaporem, tamen ex ſe ſuaue guſtui ac dulce eſſe, facilè conceſſerim.

Commodum verò proximè accidit, vt Veſulio apud Sequanos oculatus teſtis ea ad amicum huc ſcriberet, quæ ſententiæ propoſitæ optimè aſtipulentur. Scribebat ille S. Cal. Iulij anni 1641. regreſſos eſſe Veſulium ex vicina ſylua, puſionem quinquennem, & tres eius cognatos; qui in tam diuturna regionis illius vaſtitate, deficientibus cibis, in ſyluam edule aliquid captaturi conceſſerant, & vltra biennium ibi hæſerant. Cúmque vix hærerent veſtigiis abeuntes, & præ attenuatione ac macie, ægrè eſſent illhuc progreſſi, beneficio tamen mellis ſylueſtris quo ſylua abundabat, quodque illis vnicum propè toto eo tempore pabulum fuit; (nam panis, vix libram vnam, ſinguli tanto tempore deguſtarant); egregium & benè adipatum corporis habitum ſunt conſecuti; puſio præſertim, qui ephebum mole planè æquabat, & benè curata cute viſebatur. Nec erat ea moles, inflatio aut tumor; ſed boni ſucci, & pinguis aruinæ. Vixque aliquo tempore extra ſyluam hæſit, in vrbe ad communes cibos regreſſus, quam decedere propè ad oculum pinguedo, & macies reuenire eſt notata. Amarorem porrò mellis quo tandiu paſti ſunt hi ſyluarum incolæ, & ineptitudinem eſcæ illius ad nutritionem humani corporis, non incuſarunt. Hæc mihi perſuadent, potuiſſe S. Ioannem, ſimile mel in Paleſtinæ deſerto nanciſci, eóque cibari. Sicut inuentum à Ionatha mel, temerè ſuper faciem agri aggeſtum 1. Reg. 14. narratur. Eſſe item in Bœtica, qui huiuſmodi mel in ſyluis colligant, & vendendum in vrbes exportent, ſcribit Maldonatus Math. 3. id tribuens caliditati religionis. At regio in qua geſtum eſt quod retuli, frigidiuſcula eſt, & tamen ſyluæ fluunt melle. Et in frigidiſſimis oris Borealibus, adeò abundat in ſyluis mel, vt Sarmata in foueam mellis prolapſus, mortem ibi fuiſſet oppetiturus, niſi abſtractus ab vrſa eſſet, quæ illum voratura aduenerat, quod graphicè, expreſſit Bidermannus l. 3. epigr. 104.

XCI.

Monſtroſus euentus licentiæ oculorum in ſacerdote ſacro operante.

MOnſtroſum factum à ſeculo non auditum, quod vix adducentur vt credant qui audierint, narratum venio. Non erit tamen cur audientis fides vacillet, cum res ſit certa & explorata. Interceſſerant Caio viro nobili aut militari, inimicitiæ in ſeculo, cum alio quodam, quem fors fauſta aliò abduxit. Poſt aliquod tempus, vtcunque ſopitis potius quam reſtinctis iratum ignibus, Caius afflante Deo cœtum quendam ſacrum cogitat, & reipſa init. Tyrocinio poſito, aliquot annos in religioſa familia exigit, homo in ſpeciem minimè malus. Sacris denique Ordinibus inauguratur, & de more Sacra obit, haud ita breui tempore. Contigit autem vt inter Sacro operandum Lutetiæ in templo quod ad plateam Regiam eſt, cum non ſatis oculos cuſtodiret, aſtantem ſacrificio pacis, in Clathris ſacræ aræ circumductis, deprehenderet illum ipſum cum quo in ſeculo inimicitiæ illi interceſſerant. Et transfixus per eum conſpectum, in ipſa ara concepit dolorem, mox parturus iniquitatem. Redaccenſo enim validiſſimè igne odiorum, cum primùm ex altari exceſſit, & ſacras veſtes depoſuit; nihil non mouit, vt vbinam ſuus ille hoſtis degebat, compertum haberet. Id vbi reſciuit, ſecularibus veſtibus & armis clam conquiſitis, per poſticum abiecta religioſa veſte tranſgreſſus, ad hoſtem adit, quem ſtupore defixit condicens duellum. Tametſi enim & ipſe, homo militaris erat, tamen prouocationem ad certamen ab homine ſacro, cui paulo ante ſacrificanti affuerat, exhorreſcebat. Pro vſu tamen ſeculi, & torrente moris humani, in illius conditionis hominibus, prouocationem admittit, & in campum progreſſus dimicanſque cum Caio, ab eo confoditur, & vita ſimul corporis animæque, in lethali culpa ſtratus, priuatur. Deſunt verba quibus in tam atrox, tam dirum, tam immane factum conclamem. Itaque Sigalion fio, & labellum compeſcens abeo.

Theoph. Rayn. Aſcetica.

XCII.

Execratio parentum in liberos, exitialis.

QVam damnoſa ſit liberis, execratio à parentibus in eos intorta, antiquis exemplis compertum eſt, & vnum planè inſigne extat apud S. Auguſtinum l. 22. Ciuit. c. 8. Vnum & alterum recentioris memoriæ, idem egregiè confirmabunt. Anno 1608. in oppido Prouinciæ iuxta Maritimam Anticorum, puella quindennis, matri inter prandendum procaciùs obſtrepens, poſt mutuos verborum iactus, audiuit denique à Matre ſupra modum exacerbata. A tot dæmonibus poſſidearis, quot piſorum grana comediſti. Hanc quippè eſcam ad prandium adhibuerant. Nec mora. Ad matris vocem, puellam immenſa vis immundorum ſpirituum occupauit, & per tres annos ibidem ſtabulata eſt; donec anno 1610. exacti ſunt ab ea diri inquilini, in ſpecu à D. Mariæ Magdalenæ commoratione, per eam oram celeberrima, Vulgo *la Saincte Baume*. Ad Viennam Allobrogum pagus eſt cui nomen *Piner*. Ibi annos 1631. mulier iræ impotens, filiolum triennem diabolo inter deierandum addixit. Nulla in puero morbi ſigna apparebant, ſed valens & vegetus videbatur, ac reipſa erat. Cum primùm tamen infelix mater execrationis verba compleuit, filiolus veluti fulmine ictus eſſet, mortuus concidit, & matri immenſum cordolium, aſtantibus à quorum vno rem geſtam accepimus, ſtuporem incecit. Plus punitam parentum infrunitam linguam in hoſce liberos, quàm ipſoſmet liberos, pono extra dubium. Eſt enim liberorum vexatio, parentum ingens cruciatus, vt diſſerit Petrus Faber 3. ſemeſtr. c. 8.

XCIII.

Cadauer prolis à parentibus maledictæ, non reuerſum in terram ſuam.

NArrabat, vir non minus exculti ingenij, quam exquiſitæ pietatis, Gaſpar de Manty, quod anterioribus narrationibus meritò ſubtexam. Tametſi enim non eſt certò compertum an quod narrabo eo eſſet referendum quo ſuperiores narrationes, nimirum ad parentum execrationem; tamen ita vulgatum eſt, & ita tulit communis ſenſus.

Aiebat ergo locuples teſtis quem ſignaui, Romone in Delphinatu, ante annos quadraginta, coram nonnullis è Senatu Gratianopolitano, viſum abs ſe cadauer refoſſum, quod multos iam annos abditum intra terram iacuerat. Erat porro cadauer omnibus membris integrum, & cui in vultu oculi, naſus, frons, & aliæ partes omnes, æquè diſtinctæ ac perſpicuæ apparebant, ac ſi vita ſuperfuiſſet. Nonnulla duntaxat coloris mutatio, & magna pellis ſiccatio corpore vniuerſo deprehendebatur. Si quod vulgo tunc ferebatur, ea cadaueris incorruptio effectus fuit maledictionis ab alterutro parente in filium immorigerum intortæ; haud aliter de ea philoſophandum eſt, quam de irreſolutione cadauerum in iis qui excommunicatione ligati è viuis excedunt, vt referre memini in Opere de Monitor. p. 2. c. 11. n. 16. vbi in eam rem narratur exemplum ex l. 2. Turcogr. & addi poteſt quod ibidem l. 2. narratur de corpore Arſenij & Ioannicij Pſeudo patriarchæ. Nec non quod lib. 4. Metrophanes Conſtantinopolitanus Cretenſibus intentat, corporum poſt mortem irreuerſionem in terram ſuam. Id quod annuæ literæ ex eadem ora tranſmiſſæ anno 1618. teſtantur experimento deprehenſum in exturbatoribus Neophyti Patriarchæ, ab eo excommunicatis. Corpora enim ſic defunctorum in excommunicatione, manſere irreſoluta. Idem cuidam Gulielmo bonorum Eccleſiæ expilatori contigiſſe, narrat in Henrici tertij Anglorum Regis rebus geſtis, Matthæus Pariſ. Fateor difficile videri poſſe, quomodo ad pœnam hominis impij pertineat, quod eius cadauer non reuertatur in terram ſuam. In quam rem inquiſitum eſt Opuſc. de Incorrupt. cadauerum c. 7. Sed quorſum tandem Deus, cadauera certorum impiorum ſic ſe habere velit, non item omnium, penes eum eſto conſilium. Reuera autem ita contingere, teſtatiſſima experimenta, extra controuerſiam ſtatuunt. Quod ergo in propoſito genere impiorum, prouido Dei conſilio accidit, in iis quoque accidere qui parentum execratione perculſi è vita excedunt, inexpiati, videri poteſt non inuériſimile. Tanta enim eſt liberorum malè erga parentes animatorum, & idcirco execrationi ab eis ſubiectorum malignitas; vt meritò poſt mortem quoque, oſtentui eſſe debeat; vt cæteri paucorum infamia territi, ſapere diſcant, & reuereantur quos Deus viuas ſuas imagines haberi à liberis voluit, iuxta inſignem Philonis Iudæi ea de re diſputationem l. de decalogo ac Hierioclis libro, quomodo erga parentes agendum ſit, nec non Simplicij in c. 37. Enchir. Epicteti & ipſorum item parentum præceps animus, quo ad maledicendum liberis, ſunt abrepti, ea ratione diuturnius punitur; & quidem vbi maximè ſentitur angor, hoc eſt in liberis, quorum mala ſunt exquiſitum parentum ſupplicium. iuxta Chriſoſtomum hom. 29 in Geneſ. & Ambroſium l. de Noë & arca c. 32.

XCIV.

Improbati Deo Religioſorum Aulicismi, exemplum recens.

HÆſerat in aula ſui Principis, vltra annos viginti Societatis IESV ſacerdos, eximiis omnino dotibus inſtructus. Nam & à literis optimè conſtitutus erat, & prudentia, negotiorumque gerendorum dexteritate pollebat planè ſingulari. In aulam de Principum voluntate & ſuperiorum aſſenſu, titulo Confeſſarij primum ſubiit. Inde perſpecto hominis ingenio, ad munus Conſiliarij in Principis conclauio interiore eſt promotus, ita vt de maximis quibuſque negotiis conſuleretur, & longas peregrinationes extra ordinem legatus à Principibus ſuſciperet, ac ex fide obiret. Splédebat ille profecto, & micabat eximiè Conſtantiam tamen in Religioſæ profeſſionis abiectione retinenda, egregiè tenuit. Nam ſemel ad Epiſcopatum, bis ad Archiepiſcopatum, (hoc eſt Centronum primo, tum Taurinorum,) inuitatus non labiorum tenus, ſed vehementi Principis nixu, hæſit immobilis, nec vt infulas admitteret, adduci vlla ratione potuit. Sed & erga ſuos, congruam Religioſo ſobrietatem adhibuit. Nam tametſi qua valebat apud Principes gratia, haud operoſum illi fuiſſet, & gradus altiores, & quæ gradibus nexa ac conſerta ſunt, ſuis exorare, (id quod per incarnatam neceſſitudinem vt Saluiani vocem retineam, non neminem in pari aut etiam valdè diſpari cauſa præſtitiſſe vidimus, & ingemuimus ob conſecutam Religioſi nominis per carneos affectus detritionem,) monſtrauit tamen iſte ſemper, ſe de carne & ſanguine non eſſe ſollicitum, nec ea reprehenſione feriri quam S. Gregorius 7. moral. c. 17. in quoſdam Religioſos pro carne ſua negotioſos intorquet, diſſolutis eos greſſibus in rete ambulare demonſtrans; & idcirco ambulare in vacuum, & perire, ex Iobi oraculo. Sic animatus, per multos annos hæſit in gradu; & tametſi ſuccutiunculis aliquibus (vt aſſolet) identidem tentatus, tamen nec planè deiectus eſt, nec exturbatus. Tandem tamen poſtea, exactus ab aula, mox etiam ſuſpicionibus falsò iniectis, tentus; prodente infido hoſpite, per ſpeciem ſecuritatis, & indemnitatis ab hoſtis potentiſſimi inſidiis, in cuſtodiam datus eſt Montmeliani; quæ arx eſt munitiſſima apud Allobrogas. Et quamuis interpoſito ſummi Pontificis decreto, quo intentato anathemate, perſona eius, ſarta ab omni violentia eſſe iubebatur, & de eo loco abſque eiuſdem ſummi Antiſtitis aſſenſu alio cuſtodiendo efferri prohibebatur ibidem aliquamdiu hæſit; poſtea tamen cum operæpretium viſum eſt ante redditum Roma reſponſum de mali vicini nundinatitijque Theologi ſententia, in carcerem Miolanenſem eſt abductus: id quod Pontifex vbi reſciuit, adeo non probauit, vt exſolutione à cenſura anathematis egere pronuntiauerit, quotquot abductionis illius autores fuerant. In eo carcere, qui nobilibus graſſatoribus detinendis vſui eſſe ſolet & omni humano ſolatio deſtitutus eſt quippe in teſquis ſitus; per annos circiter quatuor, vitam exegit inſuauem, cum nec amicorum alloquia, ſiue verbo, ſiue ſcripto libera eſſent, nec ſuſpiciones ab homine ingratiſſimo excitatæ deeſſent, & libri quibus

bus abundare conſueuerat, parciſſimè ſuppeditarentur.

Vt enim erat ingenio præcellenti, & librorum helluo, lectiſſimis voluminibus vndecunque conquiſitis compleuerat inſigne Bibliothechion, quod è priuato cubiculo in communem Collegij Taurinenſis Bibliothecam, ipſiuſmet ante annos aliquot conſenſione, tranſlatum eſt, præclara omnino acceſſione. Itaque parcitas librorum, homini in libris verſatiſſimo peracerba erat. Sed aliæ, tam prolongato carceris incolatu, moleſtiæ, ei deuorandæ fuerunt. Omnibus ad eius poſtulata ſurdis, (nam vt audiretur, & ſi quid deliquiſſet plecteretur, diu inſtiterat;) nemine ad eius tam longam calamitatem emollito; ac ne fidei quidem domeſticis, de eius contritione ſollicitis, variis ſacris ſcriptionibus leuauit faſtidium. Nam hiſtoriam gentis ſuæ, primum per annos, deinde per loca deſcriptam, opus eximium, & auidè expetitum, in tanta ſcriptorum ſuorum clade, & librorum ad rem perficiendam penuria, ex animo excuſſit. Ad extremum 31. Martij huius anni 1644. oppreſſus humorum corruptorum vbertate, quam ei ſitus longiſſimus creauerat, fato conceſſit, magno ſenſu pietatis, eaque ſe ſolans cogitatione, quod in carcere quo inſignes latrones aliquando cuſtoditi eſſent, vitam poneret; Chriſtum hac in parte imitatus, qui inter latrones pro ſalute noſtra, mortem excepit. Rarum exemplum Religioſis, ne politicis ſe implicari quocunque prætextu ſinant. Homo enim vitæ alioqui integer, labiſque purus, nõn aliam ob cauſam tam diuturnam eamque acerbam vexationem miſerante nemine excepit, quam vt ſodales & Religioſi quique exemplo eius docerentur, aulas fugere, & Deo ſoli ac ſibi viuere: Hoc Dei (mea quidem ſententia) in ea vexatione conſilium. Legeſis Gilleberti Hollandi Epiſtolam tertiam qua Gulielmum quendam auocat à curiæ aditione, & liquebit, an malè coniectatum hac in parte diuinum conſilium.

Quod de eiuſdem vitæ integritate à me poſitum eſt, vacat dubietate apud omnes quos neque liuor faſcinauit, neque falſi rumores implanarunt. Vulgatæ quidem ſunt non ita pridem magnæ cuiuſdam mentis (vt diuina ſcriptura genus id hominum denominat, iuxta S. Baſilium in c. 10. Iſaiæ) vernaculæ Epiſtolæ, quibus homo innocuus, dirum in modum laceratur, & omni probro oneratur. Attamen qui veritatem non detinuerunt in iniuſtitia, ingenuè faſſi ſunt fœdos illos exſcreatus in virum bonum non aliò ſpectaſſe, quàm vt fidus Principi ſuo Conſiliarius procul ablegaretur, & abacto cane aduerſus Lupum fidelem operam gregi nauante, expeditior eſſet, quem moliebatur abigeatus alieni peculij, cui rapinæ auertendæ fidelis hic ſeruus ac prudens ſemper inſtiterat, illud ad ſe transferre ſolitus, *ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.*

XCV.

Clemens à S. Maria, fragrantiſſima ex rubo roſa. Narratum ab eo ſcomma in excucullatorum bigam.

OBiit Auenione ante paucos menſes, optimus ſenex R.P. Clemens à S. Maria Ordinis Carmelitarum excalceatorum; antiquæ ſimplicitatis, & probatæ innocẽtiæ homo. Verè roſa de ſpinis enata, & de quo iure liceat pronũciare illud S. Chryſoſt. de Iobo homil. 5. de pœnit. futurum fuiſſe, vt elangueſceret precioſus patientiæ flos ſi præueniens Deus, à radice pœnas exegiſſet, & Eſau fornicatorem, profanum, & odibilem, pro meritis coërcuiſſet, ac excidiſſet. Poſtmodùm enim ex eo ortus eſt Iob. Similiter autem bonus hic Pater, Caluinum Eccleſiæ incendiarium neceſſitudine contingens, peſſimæ ſtirpis ſanctum genimen prodiit, non abſque inſigni numinis prouidentia. Cum enim ſolemni iuuenum more, viſurus præcipuas Italiæ vrbes, Geneua exiiſſet, Mediolani in planum quendam incidit, qui Romani, & Neapolitani, ac etiam Siculi itineris, (nam Melitam quoque videre cogitabat), comitem ſe fore profeſſus, erat is autem poſtquam expenſas Neapolim vſque, in Sicilia (vt ferebat conuẽtio), refundendas emunxiſſet, & credita inſuper pecunia non modica, fraudaſſet, ſubitò euanuiſſet, coactus Clemens Romam regredi, vehementi correptus febre vacuato propè marſupio in S. Spiritus Noſocomium diuertere eſt adactus. Ibi pro more, & legibus Noſocomij, de expianda conſcientia per Confeſſionem, & diuina Euchariſtia percipienda admonitus; ſumpta Catholici perſona, popoſcit aduocari è Patrum Cappucinorum familia aliquem Gallicè peritum, apud quem peccata deponeret. Et commode Pater aderat Romæ ex eo ſacro cœtu, qui Geneuæ non ſemel de eo ad Catholicam fidem adducendo ſollicitus, conflixerat cum ipſo de capitibus fidei controuerſis. Vbi poſt datam redditamque ſalutem, agnouit æger quicum ageret, tactus potenti colluſtratione de cœlo; Eia (inquit), Pater, cedendum eſt Deo, & ritè expiatis anterioris vitæ ſordibus omnibus, ſyncerè & ex animo fidem Catholicam, poſita perſona, eſt amplexatus. Perfudit is nuncius ingenti gaudio Clementem VIII. qui tunc ad clauum Eccleſiæ ſedebat: & iuſſum perſtudioſè curari, vbi conualuit, ad ſe aduocauit, ac liberalitate non exigua erga illum vſus, omnia pollicitus quamcunque vitæ rationem inire deligeret; obſtupuit, cum haud ita multo poſt, de inſtituto Carmelitano ſtrictiore capeſſendo, ſuſceptum ab eo cogitationem audiuit. A qua aliquandiu fruſtra reuocatum, vt conſtantem deprehendit, iuſſit voti compotem fieri. Vixit in eo ſacro cœtu, probatus per omnia, & claris quibuſque in eo muniis per varias orbis Chriſtiani prouincias magna cum laude diſtentus, donec ante paucos menſes, in cœnobio Auenionenſi quod ſibi requiem in ſeculum ſeculi, Prouinciæ præfectura abiens optauerat, plenus dierum, & meritis quam annis grauior, (tametſi ſeptuagenario maior erat) relicto magno ſui deſiderio ad Deum abiit.

Narrabat optimus hic Pater, ſe præſente in aula Marchionis Brandeburgici, in qua adhuc ſecularis & hæreticus aliquandiu vixerat, accidiſſe quod ſubiungo. Ex Ordine quodam Religioſorum Mendicantium quem volens prætereo, deſertores ad Principem prædictum à Catholica Eccleſia extorrem confugerunt; & apud eum ſeceſſionis ſuæ cauſam Latinè exponentes, profeſſi ſunt ſe *propter religionem*, perruptis clauſtri repagulis ad libertatem Euangelicam euolaſſe. Princeps haud ignarus, quis ſpiritus emiſſitias baſce cœnobiorum ad Lutherum aut Caluinum pertrahat, quandoquidem ſe propter religionem veniſſe dixerant illud vnum Latinè interrogauit *Religio cuius generis*. Illi putantes, Principem peritiam ipſorum in re Grammatica periclitari volentem, ita interrogaſſe, reſ-

ponſum dedere; *Fœminini*. Repoſuit Princeps, reſpondiſtis benè. Nam propter religionem & cauſam fœminini generis, & vt Euam Adæ ſociam haberetis, ad nos commigraſtis. Perfudit rubore profanos & carneos homines Principis dictum; quo viderunt ſe deprehenſos. Reuera enim hæreſis quæ ab Apoſtolo inter manifeſta carnis opera recenſetur, ad Galat. 5. eum cum impudicitia & fœmineis illecebris nexum habet, vt ſicut teſte S. Hieronymo Epiſtola ad Cteſiphontem, nulla hæreſis ſine fœmina adiutrice prodiit (id quod longa inductione confirmat,) ita vix è cœnobiticis Clauſtris vllus, ad fidei hoſtes deficiat, alia ex cauſa quàm vt ſub vmbella ſpiritus ſancti reformati libidinem exſatiet, & porcorum more in luto & ſpurcitiis conuoluatur. Rarò hæreticus diligit caſtitatem, iudice eodem Hieronymo in c. 7. & 9. Oſ é, ſed vix ac ne vix quidem, vllus excucullatus alia ex cauſa primam fidem irritam facit, quam vt caſtitati bellum inferat. Id quod idem S. Hieronymus l. 2. in Iouinia. in genio illius inter Chriſtianos Epicuri, egregiè expreſſit.

XCVI.

Nouus Cain, ac ſi quid tetrius, in animam ſimul, ac corpoream vitam graſſatus.

IMmanitatis ac truculentiæ Diabolicæ exemplum. Noſtra memoria vidit Allobrogũ Metropolis; ad cuius pomærium B. Mariæ Ægyptiacæ ſacra ædes, à Patribus S. Franciſci de Obſeruantia incolitur. Ibi ipſa Regina dierum, (vt Nazianzenus orat. 19. & Epiphani. orat. de reſurr. Dom. appellant.) miles præſidiarius è regno Neapolitano, cui cum alio eiuſdem gentis ſimultates interceſſerant; poſt aliquam ex aduerſarij parte, ſimulatæ conciliationis ſpeciem, poſuit conſcientiæ maculas, & diuino pane refectus eſt. Cum domum regrederetur, in ea via quæ cœnobium inter ac ſuburbium iacet, obuius illi fit inimicus, armatus, inermi: & obſtante per eam ſolitudinem nemine, iubet miſerum Chriſto renunciare, & Deum eiurare, illicò confodiendum ſi detrectet. Territus mortis intentatione infelix, labiorum tenus eiurat Deum, & Chriſto valedicit. Quod vbi perfecit ab impio hoſte (verius dæmone corporato,) impacta in pectus ſica transfixus, concidit, exclamante qui transfixerat, & quaſi de ingenti trophæo erecto, in re peſſima exultante; *Vah, & corpus & animam inimici, vno ictu perdidi*. Vir Nobiliſſimus, & inibi ſenator Integerrimus *Proſper ab Auiſio*, rem cum omnibus adiunctis quæ ſignaui, fideliter retulit.

Nupertimè verò inter quoſdam nodorum conſcientiæ expeditores, tractatum ſcio, verè ne iactaſſet impius, ac nequam æui noſtri Cain, ſe corpus & animam eius quem ceciderat, perdidiſſe. Et fuit cui in tanto diſcrimine, immunis à graui culpa videretur Dei & Chriſti eiuratio, cum reſtrictione mentali aut æquiuocatione. Mihi cum S. Baſilio oratione in S. Gordium, manifeſta inſania videtur, cum artificio perire. Itaque in fidei & religionis negotio, nullum æquiuocationibus locum do, vt dixi in Opere contra Barneſium de Æquiuocat. c. 4. n. 3. & idem illuſtriſſimè tradunt S. Hilarius ad calcem libri 10. de Trinit. Hilarius Diaconus in c. 5. ad Epheſ. circa illud, *videte quomodo cautè ambuletis*. S. Auguſtinus in pſal 39 ad illud, *ecce labia mea non prohibebo*, S. Theodorus Studita in Dogmatica de cultu Imaginum. Facto idipſum firmauit S. Euſtratius Martyr, qui vigente licet Iudice, perire maluit, quam artificio æquiuocationis ſenſibilis, aut inſenſibilis, negationem veræ fidei occulere, pro more Hæreticorum; vt Agapij apud Photium Cod. 179. Geneſij Manichæi apud Petrum Siculum; Pelagianorum apud Proſperum epiſto. ad Demetriad. Vitalij Apollinariſtæ apud Nazianzenum orat. 42. Quare periit haud dubiè & corpore, & anima infelix Dei & Chriſti eiurator, niſi ſi fortaſſis, culpa eiurationis per conditiones operantis adeò fuiſſet tenuata, vt ad æternam damnationem non ſufficeret: Obducto ſcilicet intelligentiæ oculo, ne ad grauitatem peccati aduerteret; aut inuincibiliter iudicando, non eſſe lethale in adiunctis illis ſic operari; vel lingua animum non plenè aſſentientem præcurrente.

XCVII.

Hebreæ adulteræ vafrities.

QVod per muliebrem aſtutiam, ſimul & nequitiam, patratum nuper hic reſciui, bona fide adſcribo. Mulier Hebræa, fœdati coniugij ſuſpicione apud maritum laborabat. Nec vana erat ſuſpicio: nam reuera inquinarat ſe mulier, eo ſcelere cuius ſola ſuſpicio ad maritum peruaſerat. Is igitur iuſto dolore ſaucius poſtulat, vxorem ex lege Domini ad præſtandum coram Synagogæ Præſide iuramentum, de ſeruata thori fide, ſimulque poculum aqua Zelotypiæ refertum hauriendam, iiſque omnibus diris ſe ſubiiciendam, quas myſtes ex lege imprecatur vxori fœdifragæ. Mulier ſibi malè conſcia, actu & arte fœminea excogitat deuitandi periurij dolum. Componit ſe in cunis, ibique ſe ab ancillula herilis artificij neſcia, agitari aliquandiu mandat. Vbi ſatis viſa ſibi infantem finxiſſe, maritum de concepta ſuſpicione blandè arguens, conſtantiam animi, & æternam erga eum beneuolentiam fidè præferens, irruit in eius collum palam omnibus, & oſculum figit, innocentiam infeliciter appetitam conteſtata. Inde ad iudicii Præſidem aduolat, & iuramentum ritè concipit, omni ſe viro, præterquam ſuo, intactam, ex quo è cunis exceſſiſſet. Credita eſt ſimpliciter agere, ac dicere; & pro innoxia pronunciatum; præſertim ex quo vires poculi, iam emortuæ vnà cum lege veteri, nihil in mulierem valuiſſe ſunt deprehenſæ. Sed Deus fraudulenta æquiuocatione non eſt deluſus, ſicut homo Iudex & corniger maritus. Mox enim mulier rem totam non abſque ſutelæ per audientes deteſtatione patefecit.

XCVIII.

Exſectiones inconſultæ.

DVos noui, quibus, in *tertium genus hominum* referri placuit. Sic enim appellare liceat, cum Alexandro Seuero apud Lampridium, quos eodem ſenſu Hermotimus apud Herodotum in Vrania de ſua exſectione expoſtulans, nec non Lucianus in Eunuchio, & Lactantius l. 1. Inſtit. c. 21. *nec viros, nec fœminas*, nominarunt.

Vnus quod licentiæ innutritus, à Deo denique

tactus

tactus meliora cogitaret, non in longam ſecuramque libidinem, (vt ſpurci quidam apud Hieronymum l. 1. in Iouin. & apud Clementem Alexandrinum 3. pæd. c. 4.) ſed ad immunitatem à carnis moleſtiis, exſecari voluit; Stulto ſane conſilio, tametſi probato ab homine Gentiliſſimo, Sexto Pythagoræo ſent. 265. nec obſcure ab Autore libri de ſingularit. Clerico. num. 107. qui ſi (vt pleriſque viſum) fuit Origenes, idipſum commendauit quod in ſe perfecerat, vt narrat Euſebius 6. hiſtor. c. 7. addens, Demetrium Alexandrinum cenſuiſſe, id eſſe facinus abſurdiſſimum. Id quod ex benè multis Patribus confirmare memini l. 3. de virtut. num. 130. Suntque non pauca in eam rem Eccleſiæ decreta quæ proſtant diſt. 55. Nec locus ex c. 19. Matth. qui Origenem implanauit, fauet reuera eius facto. Eunuchi enim ſe caſtrantes propter regnum cœlorum, qui ibi laudantur, non ſunt qui ſe caſtrant per corpoream exſectionem, ſed qui generosè reſecant carnis vitia, per conſtantem voluntatem conſeruandi corpus ſuum caſtum & integrum, vt ibi exponunt Interpretes. Nimirum caſtos non infirmos eſſe nos conuenit, pudicos non debiles, vt dixit S. Ambroſius ſub finem libri de viduis.

Alter hodieque ſuperſtes, cum eſſet enterocelicus & ramice affectus, eâque ex cauſa ab ordine Religioſo quem captabat, excluderetur, ſuſtinuit exſcindi, vt illi malo medelam faceret, nec tanto bono quantum eſt admiſſio in ſacrum cœtum benè compoſitum, prohiberetur. Nuper vnus quiſpiam ad quem eius facti fama perua ſerat, hominem mirificè celebrauit ea ex cauſa. Nec ipſe qui inde commendabatur & præſens aderat, laudem detriuit; ſed quod ante annos ſexaginta (totidem enim in ſacra familia poſtea exegit, admodum religiosè;) quaſi ex neceſſitate exceperat, vt poſſet inter Dei ſeruos cooptari, digniſſimum laude fuiſſe haud illubens audiuit. Aderam ipſe quoque, cui illud præconium, aures (vt verum fatear), mordaci perfundebat aceto. Neque enim ſatis capio, quam iuſtè & honeſtè ea diuini pſalmatis violatio comprobari potuerit; & depoſci, vt quis in ſacram familiam allegeretur. Ipſi ſanè Ethnici deteſtati ſunt exſectiones ephebotum, vt poſſent in Principum familias admitti: eóque nomine Semiramidem fœdi inuenti infamant, vt apud Ammianum videre eſt l. 14. & apud Claudianum l. 1. in Eutrop. Multos in hoc propudium conclamantes, adduxi citato loco num. 130. quibus adde quæ habet Iuſtellus ad Cano. 1. Concilij Nicæni.

XCIX.

Horrenda Lugdunenſis Collegij conflagratio.

DEſcripſit iuſto opere Tuitienſe incendium, Rupertus eo (vt ait,) conſilio, nè laterent poſteros quæ in tanta calamitate innotuerant mirabilia Dei: præſertim interuentu diuinæ Euchariſtiæ. Nam & ſacra pyxis, inter ignes incenſiſſimos, cœteris omnibus vaſtatis manſit illæſa, & carbaſinum Euchariſtiæ torale, à flammis quibus obiectum eſt, violari nequaquam potuit. Templum item cœnobij, à preſſura flammæ liberatum eſt, obiecta pleriſque ſpecie hominis pulcherrimi, flammas circumfluentes manu obiecta repellentis. Tantùm pars rerum petiit, incolumibus Monachis omnibus, ac ſcriptis, quibus Rupertus maximè timebat. Turres quoque caſtelli, cœnobio imminentes, & negotioſam ſeculi tumultuationem cum clade pacis inferentes cœnobio, flammis vaſtatricibus prædæ fuere.

Auſim nonnullam, huius & calamitatis & diuinæ erga ſuos protectionis imaginem, agnoſcere in ea conflagratione, qua his fere diebus, Lugdunenſis Collegij pars maxima & optima, fœdè depaſta eſt atque euerſa. Agebatur Februarius menſis, anni huius 1644. Acris hyems ſæuiebat. Adoleſcentes qui ad dandum de more drama exercebantur, in aula in qua fixum iam olim ſtabat theatrum è lignis præaridis, vim prunarum in fictili vaſe congeſtam, collocant in proſcenij pulpito; & abſoluta præexercitatione digreſſi, vas fictile, & prunas in eo obductas doloſo cinere, quo loco repoſuerant, dimittunt. Itaque per concalefactam figlinam ſcutram conceptus ignis vniuerſam primùm theatri molem incendio præ ariditate aptiſſimam corripit; tum per reliquum ædificium ſub horam noctis decimam graſſatus, triſtiſſimam lucem (vt Ruperti verba retineam,) cum crepitu horrifico latè intulit. Ex ædium tetrachoro, quæ optima & conclauibus differtiſſima portio fuit, ad verticem vſque, eſt conſumpta, cum ſupellectile copioſa, maximè libraria, ſpectaculo ſanè luctuoſo atque horrifico. Iamque edaces flammæ vorato amplo & pereleganti ædificio, immenſis propè ſumptibus ante annos viginti excitato, templo continenti imminebant, cum prolata diuinæ Euchariſtiæ pyxide, & aduerſus furentes ignes religiosè à ſupplicabundis oppoſita, momento ventus in contrariam partem vertit, & regrediente vi flammarùm, altera ædificij portio planè ex aduerſo ſita, qua Conuictores continebantur, igne inſiliente depaſta, Collegium liberauit moleſtia, ei non abſimili quam turres Tuitienſes cœnobio Benedictinorum, (vt Rupertus c. 9. deſſerit), inferebant. Perſonæ omnes, (quæ Dei benignitas fuit), in tanta ſtrage incolumes, tametſi alta nox erat, & incendium immane ac vaſtum, tempori exitio ſunt ſubductæ: tam opportunè vt miraculo tribui potuiſſe videatur tot perſonarum in illis adiunctis indemnitas.

Clauſula qua Repertus c. 7. citatæ lucubrationis vtitur, bellè huc cadit. [Quis tandem (inquit), locus alicui relinquitur, vt dicat vel ſuſpicetur, caſu & fortuito, & non iudicio, ſeu per prouidentiam Dei, contigiſſe malum illud tanti incendij? Fuerunt enim & ſunt homines plerique ineruditi, putantes cuncta quæ ſub cœlo ſunt, caſu agitari; & nequaquam regi mundum prouidentia Dei: maximè eo quod ſæpè proſpera iniuſtis, & aduerſa plerunque eueniunt iuſtis, & de hoc murmurant in cordibus ſuis. Contra eos qui huiuſmodi ſunt, Hieremias Propheta lamentando loquitur; *Quis eſt iſte, qui dixit vt fieret, Domino non iubente? Ex ore altiſſimi, non egredientur nec mala nec bona.* Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis? Infidelis namque animi eſt, hoc dicere. [Quod ex ore altiſſimi non egrediantur mala nec bona; id eſt, nec aduerſa nec proſpera. E. G. vt incendio Babylonico concremaretur Ieruſalem; quod tunc euenerat quando lamentans hæc loquebatur Ieremias. Et rurſum poſt annos 70. ſolueretur populi captiuitas, magno eius bono. Infidelis inquam & murmuroſi animi eſt, dicere vel ſuſpicari, quod nihil horum iubente Domino factum ſit, ſed caſu cuncta euenerint, cum & alius Propheta dixerit, *ſi erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?*

Eiuſmodi inſidelitas dilectiſſimi, nobis cauenda eſt. Audiamus potius quod ibidem in Hieremia continuò ſequitur. *Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Leuemus corda noſtra, cum manibus ad Deum in cœlos.* Si enim veraciter vias noſtras ſcrutati fuerimus, & ſcienter dixerimus quod ſæpè dicimus; peccauimus, *iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus*, inueniemus nos minora recepiſſe quàm meremur: quia baculo quidem iudicij percuti merebamur, ſed miſericordia ſuperexaltante iudicium, paternæ virga diſciplinæ, parumper tacti ſumus.]

C.

Ioſephi Galeti Aueniouenſis obſcura claritas, cæcitas oculata.

ILluſtres cœcos legere memini complures. Didymum Alexandrinum, & in ſcripturis ſacris, & in profana literatura, & nominatim in Mathematicis eruditiſſimum, cœcitate laboraſſe, docemur ex S. Antonij ſolatorio ad eum alloquio. Robertus Mancop in Concilio Tridentino peritiam Theologicam abundè probauit, quamvis à prima ætate cœcus eſſet, vt Genebrardus in Chronologia notauit. Marius de Curte, Iuriſconſultus, fuit pereruditus, quem ab vtero matris cœcum fuiſſe, ſcribit Camillus Borellus l. 1. de Magiſtrat. c. 3. Nicaſium Mechlinienſem virum doctiſſimum Lilius Gyraldus l. 1. de Poëtis ſui temporis, à trimatu cœcum fuiſſe teſtatur; additque de Carolo Fernando Brugenſi, qui item non obſtante cœcitate, à prima ætate contracta, eruditiſſimus fuit. Iaponij Academiam habent cæcorum, (vt inter ipſos,) doctrinæ gloria illuſtrium, vt ſcribit Nicolaus Trigaultius l. 1. de triumphis Martyrum Iaponenſium cap. 25. Habeo quem his doctrina illuſtribus cœcis adiungam, Ioſephum Galetum Auenionenſem, à prima ætatula cæcum, & tamen non modicè & humanioribus, & philoſophicis literis tinctum; Theologica item doctrina & minutiloquio Scholaſtico optimè imbutum, ita vt non modò diſputare in ſcholis, quod facit ſubtiliter ac dextre, ſed etiam de ſacro ſuggeſto diſſerere cum laude poſſit; quod præſtat magna cum audientium ædificatione & admiratione. Taceo quod rudiculare Organum Muſicum, pulſat concinnè, nec rarò in Eccleſiis nauum Pithanlem ſe prodit, ad fiſtulatorium organum Muſicum admouens manus. Ioannis Baptiſt. Aguenſis Anagrammata mira vide in Hag. Lugdunenſi.

DE

DE EXCELLENTIA ET PRETIOSITATE VOTI,

Ad diiudicationem reuiuiſcentis recèns controuerſiæ, Præſtétne opus bonum ex voto exequi vel abſque voto.

LVCVBRATIO THEOPHILI RAYNAVDI, Soc. Ieſu Theologi.

Contra Clancularios ſtatus Religioſi Suffoſſores.

REVERENDO ADMODVM

P. F. PLACIDO DE CESPITELLO,

Sancti Franciſci ſtrictioris Obſeruantiæ Religioſo, ac Guardiano Saurgienſi.

RELIGIOSORVM Apologiam, à Religioſiſſimo P. THEOPHILO RAYNAVDO ſcriptam, inſcribimus tibi, PATER REVERENDE; qui tametſi tam arcto & nominis & ſanguinis vinculo virum clariſſimum non attigiſſe, ea tamen es pietatis, prudentiæ, ac eruditionis laude, vt Religioſæ vitæ obtrectatores, habeant in modeſtia tua ac Chriſtiana ſapientia, quò peruerſum dogma confundant, agnoſcántque tria Religionis vota, eſſe *Vincula* illa *Adam*, & funiculos charitatis, quæ virtus intra Religioſa ſepta tanquam in ſuo domicilio ſedem fixit. Erit etiam in hoc Tractatu patrocinium non poſtremum, nominis tui commendatio, qui tametſi ex Raynaudorum ſtirpe, quæ in Ora illa Salyum, nobilitate & fama viget perilluſtri, originem ducis; Non inde propterea, gloriæ majorem Lauream decerpis, ſed ex virtutum omnium corona, quibus te omnibus, & amabilem præbes & veneratione digniſſimum. Vale Lugd. 1. Sept. 1664.

Addictiſſimi H. BOISSAT, & G. REMEVS.

OPELLÆ

OPELLÆ SYLLABVS.

ADITVS ad diſſertationem.

Punctum I. Quid ſit votum, de cuius pretioſitate agendum eſt.

Punctum II. Honeſtas religioſa, atque adeò pretioſitas Voti ſpectata tantùm eius natura.

Punct. III. Ne ſpectatis quidem neceſſariis voti adiunctis, honeſtatem eius conuelli.

Punctum IV. Non præſtare opus bonum ex voto elicere, aſſertio Armachani refoſſa à paucis Neomyſticis.

Punctum V. Auctiorem eſſe ex voti acceſſu operis boni dignitatem & vim meritoriam, contraria & vera ſententia.

Punctum VI. Quam notam, contrariæ ſententiæ, inurere meritò liceat.

Punctum VII. Paræneſis ad non refugienda, ſed vltro ſubeunda, & iucundè retinenda votorum vincula.

ADITVS AD DISSERTATIONEM.

NON propono agendum de voti honeſtate. Eſt enim fide ſanctum, votum eſse actum bonum, dummodò ritè concipiatur & conditionibus debitis conueſtiatur. Vnus quidem delirus Pſeudomartyr, vt Apoſtaſiam ſuam tegeret, vel remordentis ob eam conſcientiæ cruciatum leniret, inficiatus eſt vota rectè per Chriſtianos concipi, & nexum eorum cum cæremonialibus Moſaïcis exoleuiſse effutiuit. Sed impiè & ſacrilegè ſic pronunciauit, iure à Bellarmino l. de Monac. c.17 & paſſim ab Hæreſeologis exagitatus. Quis enim ſanus vocare poſſit in controuerſiam, num vſus à mundi cunabulis frequentatus à piis, & in ſcripturis ſæpè ſæpiùs commendatus nec deſtitutus ratione congrua, ducta ex debiti velut homagij penſitatione ac honorariis muneribus, labe vacet, & honeſtate religioſa colluceat, ſi vt ſupponitur, reſecentur adiuncta quæcunque inquinantia?

Suppoſita ergo honeſtate voti ritè concepti, demonſtrandum ſuſcipio, voti acceſsu opus ex ſe bonum noua honeſtate perfundi: in quo aduerſantes habemus, aliquos nouæ pietatis Magiſtros, à quibus iactatum ſcimus, opus bonum acceſsu voti non perfici, ſed præpediri, nec reddi magis meritorium, ſed pretio ac æſtimatione decreſcere. Quæ quàm conſequenter dicantur, & an reuera diſcrepent à crocitatu Nouatorum votis Monaſticis infeſtorum, chorago Luthero infra exquiram. Nunc inſiſtens pretioſitati voti ritè concepti, vt ordinatè ac ſolidè procedat diſputatio, voti naturam neceſsariò præmittam, inde progreſsurus ad deſtinatam de voti pretio diſceptationem.

PVNCT. I.

Quid ſit votum de cuius pretioſitate agendum eſt.

NOMEN *voti* latè acceptum, ſonat *deſiderium*. In quo ſenſu Tullius lib. 4. Epiſtol. ad Terentiam ſuam ſcribens, dixit, [Ego te quamprimùm, mea vota, cupio videre.] Apud ſapientem quoque, mater optima, Prou. 31. ſuum Lamuelem, vocat, *dilectum votorum ſuorum*, id eſt dilectum & deſideratum: Deſiderium non agnoſcentium bonum quo fruebatur, & aliud expetentium, dictum eſt *votum Achilleum*, iuxta Adagiographum, quia Achilles agens cum Agamemnone optante Achillem ſublatum, fruſtra à Danaïs poſtea quærendum de ſecutura ingratos Græcos pœnitentia, deſiderium ſuum expreſſit Iliad. 1. Tale etiam Furij Camilli votum, in exilium abeuntis poſt multa pro patria geſta præclarè memorat Liuius dec. 1. l. 5. Huc reducitur frequens Iuriſperitis vſurpatio *voti* pro *ſuffragio*: Nam qui ſuffragatur deſiderat intentum eius cui fauet, & ſuffragationem ſuam defert. Iſdem Iuriſperitis, nomine *votorum* venit matrimonium, quod iniens concupiſcit & deſiderat comparem. Vnde qui ſecundas nuptias contrahit dicitur conuolare ad ſecunda vota. Eodem pertinet votum captandæ mortis; id eſt deſiderium vt is cuius demortui opes ſperantur, annumeretur pluribus, cuius voti mentio eſt, l. de fid. commiſſ. C. de tranſact. Præterea preces quibus expetimus bonũ quodpiam, nomine votorum donãtur, vt in illis apud Maronem verbis, 6 Æneid. *Ceſſas in vota preceſque*; Et paſſim in veteribus nummis occurrunt vota quinquennalia, decennalia, vicennalia, tricennalia quæ Alciatus his numeris notari teſtetur *Vot.* 10. *Vot.* 20. *Vot.* 30. quæ ex actis tot annis principatus ad exorandam continuatam ſalutem principis concipiebantur. Quanquam ibi nomen voti poteſt non ſonare nudam petitionem ad Deum directam; ſed poteſt quoque adiunctam precibus pollicitationem denotare. Gentiles enim velut mulcendo numini, ac molli ad illud aditu exorando, deſiderio nectebant promiſſionem de pendendo certo obſequio,

præibatque

præibatque deſiderio ea promiſſio. Et propterea Græcis oratio dicta eſt εὐχὴ, promiſſio verò προσευχὴ vt notauit Gregorius Nyſſenus orat. 2. in orat. Domin. & poſt eum Caſſianus collat. 9. cap. 12. corrigendus tamen quoad aliqua per ea quæ habentur apud Sanct. Auguſtinum Epiſtol. 59. ad quæſt. 5. Ea promiſſio prænia poſtulatis ex vſu Græcorum, continet propriè dictam & in Eccleſia receptam voti rationem. Nihil enim aliud eſt inter Chriſtianos votum quàm promiſſio ex deliberatione & certo iudicio emiſſa, qua quis ſibi obligationem iniicit exequendi melius bonum aut omittendi quidpiam in honorem ac cultum Dei. Continetur his verbis generica & differentialis voti ratio quas breuiter enucleatum venio.

Genericè ergo votum eſt promiſſio quædam, iuxta illud Deuter. 23. *Cum votum voueris Deo non tardabis reddere: facies ſicut promiſiſti.* Vbi verbum *vouendi* exponitur per verbum *promittendi.* Similiter Eccleſiaſtici 6. votum explicatur per promiſſionem, cum dicitur. *Si quid vouiſti Deo ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis ac ſtulta promiſſio.* Et mox. *Melius eſt non vouere quam poſt votum promiſſa non reddere.* Idem explicatè tradunt Patres, Clemens Romanus 3. Conſt. cap. 1. reſpiciens ad locum Pauli 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerant*, (Hoc eſt quia votũ anteriùs emiſſum violauerunt,) eam fidem Deo datam monſtrat fuiſſe promiſſionem. [Rationem Deo reddet (inquit) quia promiſſionem ſuam non ſeruauit; quæ quaſi habenas quaſdam Chriſti diſrupit, quia non venit cum fide & metu Dei ad ſeruandam promiſſionem Quocirca oportet non temerè atque inconſideratè promiſſionem facere ſed cautè.] Gregorius Neocæſar. in cap. 5. Eccleſ. [Pollicitatio voto facta, finem per opus accipiat. Eſt hoc ſtultorum propriũ vt reiectitij ſint. At tu promiſſi veritatem præſta, ſciens longe tibi ſatius eſſe non vouere nec factutum aliquid polliceri, quàm poſt conceptum votum id relinquere. [S. Auguſtinus Epiſt. 45. [Iam vouiſti, iam te obſtrinxiſti: tenetur apud Deum ſponſio tua. Alia pleraque ex eo ſimilia loca adденſat in Confeſſione Torrenſis lib. 4. cap. 6. §. 4. S. Chryſoſtomus ad illud Pſalmi 49. *redde altiſſimo vota tua*, admonet quodcunque Deo promiſſum fuerit, implendum eſſe: Et ad illud Pſalmi 115. *vota mea Domino reddam.* Vota exponit promiſſa & pollicitationes, S. Athanaſius ſerm. de paſſ. Dom. multipliciter meminit promiſſionis emiſſæ aliquid vouendo. Idem habet ſæpè S. Baſilius, & nominatim in Pſal. 49. Crebro item idipſum tradit Iſidor. Peluſ. l. 1. epiſt. 461. Sed expreſſiſſimè ſcribens ad Theonum. [Si paſtorum (inquit) cum Chriſto initorum obliuione captus es, ſubmouendi tui cauſa, hæc ſcripſi, ſint autem vt homo, mutatus es, fac quam primùm reſipiſcas. Etenim Deo munus minimè promiſiſſe, periculo vacat. Sed cum aliquid noueris id minime præſtare, condemnatione dignum eſt.] Alia loca quibus vota pactorum atque adeò promiſſorum nomine denotantur, addenſat Haephtenius lib. 4. tract. 5. diſquiſ. 2.

Eſt igitur votum genericè ſpectatum promiſſio. Vnde liquet nudum propoſitum maximè diſcrepare à voto. Nam votum cum ſit promiſſio, obſtringit vouentem ad præſtandum quod vouit & labiis ſuis diſtinxit, quia verbis oris ſui vnuſquiſque conſtringitur. At qui nudè propoſuit habuit quidem præſentem voluntatem exequendi quod proponebat: non tamen iniecit ſibi obligationem ſtandi propoſito Vnde poteſt ab ea voluntate abſque peccato reſilire, vt apertè tradit Alex. cap. 3. *literarum* de voto. Docet enim eum qui propoſuerat ſtatum perfectæ conuerſionis capeſſere, ſi vlterius non proceſſiſſet, tranſgreſſorem non fore etiamſi reſiliret ab eo nudo propoſito: Fateor interdum propoſitum idem ſonare quod votum, vt apud Leonem epiſt. 92. cap. 14. cum ait. [Ambigi non poteſt crimen magnum admitti, vbi & propoſitum deſeritur & conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſſunt impune calcari quid eos manebit qui corruperint fœdera diuini Sacramenti?] Clarè per *propoſitum* intelligit votum. Similiter locutus eſt S. Gregorius 3. p. paſtor. admon. 28. cum dixit. [Quiſquis bonum maius ſubire propoſuit, bonum minus quod licuit, illicitum ſibi fecit.] Alibi 32. mor. c. 4. quoque, promiſſa & propoſita non implentem, ſtimulat ad pœnitentiam. Similiter propoſitum pro voto accipit Clemens Alexandrinus, cum ait. [Qui ex propoſito caſtitatis, profeſſus eſt vxorem non ducere, maneat cœlebs.] Religioſam profeſſionem S. Hieronymus epiſt. 25. nominat *baptiſmum propoſiti.* Hæc omnia cadunt in propoſitum prout confunditur cum promiſſione. At propoſitum nudè acceptum nullam iniicit exequẽdi obligationem. Aliud quippè eſt velle facere, aliud velle ſe obligare ad faciendum. Proponere autem eſt velle facere: quæ volitio non infert volitionem iniiciendi ſibi obligationem faciendi quod faciendum proponebatur; ſed is duntaxat ſeipſum ita conſtringit qui promiſſione ſe ligat. Vnde reſultus à nudo propoſito nulla promiſſione firmato caret peccato, quantum quidẽ eſt ex vi præcepti violati. Qua in parte impegerunt nonnulli antiqui Scholaſtici & iuris Pontificij Interpretes meritò reiecti à D. Thoma 2. 2. quæſt. 88. art. 6. & paſſim à recentioribus Suarez, Sanchez lib. 1. de voto cap. 2. num. 3. 4. in decal. cap. 1. num. 10. Leſſio lib de Iuſt. cap. 40. num. 21. aliiſque. Eſtò reſultus à nudo propoſito poſſit alio genere noxæ ſordere, quàm quæ ducitur ex violatione propoſiti. Reſipit enim labem ingrati animi prodigere ſanctas aſpirationes ex quibus propoſitum conceptum fuerat. Ea autem ingratitudo diſplicet Deo, efficiturque malorum non leuium ſementis vt benè librat Theophilus Bernardinus c 12. & 13. libri de vitæ inſtitutione. Verùm ea labes eſt veluti extranea nudo propoſito quod per ſe loquendo innoxium ac illime ſtatuimus.

Generica itaque voti ratio promiſſione continetur. Et adiungitur quidem interdum voto traditio & propterea multi DD. apud Sanchem 7. de matr. diſp. 25. num. 7. inde votum ſolemne ſecernant à ſimplici quod voto ſolemni adiungatur traditio non item ſimplici. Certum tamen eſſe debet rationem genericam voti conſtitui ſola promiſſione antecedente traditionem. Prius quippè eſt velle ſe obligare ad dandum aut faciendum quàm reipſa dare aut facere. Illa autem volitio ſe obligandi ad dandum aut faciendum continet ſufficienter rationem voti genericam priuſquam intelligatur accedere traditio. Et liquet ex voto ingrediendi religionem, & in voto aliquid erogandi in eleemoſinam. Neque enim ei voto ſtatim annectitur abdicatio dominij: proptereáque ſi res illa aliter quã per eleemoſinam alienetur, valida erit alienatio. Similiter ſecularis emittens votum ſimplex continentiæ, quamuis peccet ſi iungatur vxori, valebit tamen matrimonium quo corpus Deo deſponſum, ſed nondum traditum, transfert in vxoris poteſtatem

teſtatem per coniugium. Igitur traditio eſt aliquid ſubſequens promiſſionem qua ſola ſufficienter conſtituitur ratio generica voti.

Volebam porrò eam promiſſionem ex parte intellectus fieri cum ſufficienti deliberatione, ex parte verò voluntatis eſſe expertem violentiæ deliberationem. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 1. cenſuit eſſe actum voluntatis: Sed rectè D. Tho. deliberationem tribuit intellectui, inquirenti primùm ac conſultanti tũ definitè iudicãti, expedire, iniicere ſibi obligationem aliquid faciendi vel omittendi in honorem Dei. Per eam enim multiplicem intellectus negotiationem maturam & cum plena aduertentia profuſam, actus dicitur plenè deliberatus qualem ad voti formationem depoſcit ſententia longe communiſſima ex multis iuribus ſtabilita a Suarez 1. de voto c. 9. à n. 4. Sanchez l. de ſponſal. diſp. 8. nu. 5. & 4. in decalo. c. 1. n. 2. ac Leſſio l. de Iuſt. c. 40. n. 3. & 4. Meritò improbantibus nonnullos quibus viſum eſt deliberationem prærequiſitam ad votum debere eſſe adeò moroſam vt nullius inconditi affectus veluti calor hominem abripuerit ad vouendum. At ſententia longe communiſſima, ea ad votum deliberatione eſt contenta in qua & vſus rationis aduertentis quid faciat, & voluntatis dominium in actum ſuum interueniat quantum neceſſe eſt ad contrahendam grauem culpam, eo quod ſi aliquis veluti tumultus inconditi affectus hominem corripuerit aſſul erit tamen lux intellectus & voluntate non prorſus abrepta, ſed ſui compote & actui ſuo dominante progreſſum, ſic vltra motum primò primum, vel etiam ſecundò primum qui ad grauem culpam contrahendam non ſufficerent. Huiuſmodi deliberationem etiamſi minus lentam & moroſam, ſufficere ad votum inde ſuadetur quod ſimilis deliberatio ſufficit ad ineundos alios contractus humanos, & ad contrahendum æternæ mortis reatum. Quidni ergo ſufficiat ad obſtringendum ſe Deo per conceptam ex ea promiſſionem? Sanè S. Ambroſius 2. de pœnit. c. 9. reuocationem piæ donationis in Eccleſiæ fauorẽ ex tumultuario mentis impulſu ſacrilegam fuiſſe pronunciat: atque adeò ſupponit interueniſſe deliberationem ſufficientem ad validitatem piæ donationis. Æquè igitur agnoſceret talem deliberationem ſatis eſſe ad valide promittendum Deo atque vouendum. Eſto peccauerit qui de re non leui & oneroſa votum emiſit per præcipitationem non excludentem debitam & cohærentem cum dominio in actum. Erit item eiuſmodi votum faciliùs diſpenſabile, reipſa tamen validum eſt & ligat hominem ad exequendum.

Hinc habetur votum emiſſum per ignorantiam qua remoueatur deliberatio ad votum neceſſaria nullum eſſe: Voluntas enim non poteſt ferri in incognitum: atqui cum prædicta ignorantia voluntas non fertur in materiam voti, proindeque non iniicit ſibi obligationem voto eſſentialem ob materiæ de qua votum concipiatur ob luctionem per ignorantiã, etiamſi fortè vincibilem & ſufficientem ad cõtrahendum peccatum. Nihilominus enim ignorãtia occultans aliquid voto ſubſtantiale excludit voluntatem ſe obligandi atque adeò præcludit vinculum voti: Deeſt autem voluntas ſe obligando ob ignorãtiam, ſi materia voti lateat, vel conditio aliqua ſubſtantialis eidem materiæ, cuiuſmodi eſt finis nõ impulſiuus tantùm, ſed ſimpliciter dictus. Quod tamen non valere reſpectu voti ſolẽnis, ſed tantùm reſpectu voti ſimplicis, fusè proſequitur Sanch. l. 10. de matr. diſp. 9. n. 13. Ignorantia tamen leuiculæ alicuius cõditionis aut circunſtãtię nõ præcluderet voti formationẽ qua cum ea ignorãtia adhærere poteſt notitia ſubſtantiæ voti & omnium neceſſariorum ad illud concipiendum. Nec plura de deliberatione ad votum neceſſaria ex parte intellectus.

At ex parte voluntatis exigebam ad concipiendũ votum, defectum violentiæ, non eius quæ eſt ſimpliciter dicta (eam quippè ſolus Deus inferre poteſt, nec vnquam infert, quia cum magna reuerentia diſponit nos) ſed eius quam homo homini poteſt inferre, v. g. per intentationem alicuius incõmodi niſi fiat quod intendit, is qui violentiam infert: Vel per incurſum inextrinſecam cauſam naturalem qua, homo metu corripiatur, & ad metum diſcutiendum exorandamque liberationem indicat ſibi voti emiſſionem. Priorem violentiam Soto 7. de Iuſt. q. 2. art. 1. ad 2. exiſtimat votum iure naturæ caſſum reddere. repugnatibus Sanch. 4. in decal. c. 3. n. 9. Suar. l. 1. de voto c. 7. n. 12. Leſſio l. de Iuſt. c. 40. n. 18. quorum ratio eſt quia huiuſmodi metus etiam ſi grauis non excludit voluntarium ſimpliciter. Profeſſio quidem religioſa per metum grauem iniuſtè incuſſum extorta, irritatur iure Eccleſiaſtico. At vota ſimplicia quæ neque ſint religioni ſubſtantialia, neque de emittendis aliquando religioſis votis concepta, etiã ſi ſunt irritabilia, non ſunt tamen iure Eccleſiaſtico irrita, vt rectè affirmat Suarez l. 1. de voto c. 8. n. 10. contra Valentiam 2. 2. d. q. 6. p. 4. & Sanch. 4. in decal. c. 3. n. 12. Nullum quippe ius profertur quo Eccleſia irritauerit vota ſimplicia per metum iniuſtè incuſſum extorta, ſicut profertur pro irritatione votorum ſolemniũ ſimili metu extortorum. Poſteriorem violentiam propoſitam quæ exoritur ad occurſum cauſæ naturalis, certum eſt non officere validitati voti per eam emiſſi, quia non obſtante eo metu actus eſt, planè liber, nec homo niſi à ſeipſo ligatur. Non eſt igitur vnde votum ſic conceptum reddatur nullum. Et diſertè ſanè S. Fulgentius ſcribens ad Gallam epiſt. 1. c. 5. agnoſcit votum tribulatione compellente emiſſum, ligare eum qui vouit, quod probat ex Pſalte pſal. 65. dicente, *reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Et locutum eſt os meum in tribulatione mea*, ſignificans vota quæ emiſerat & ſe redditurum ſpondebat fuiſſe emiſſa per tempus tribulationis eáque ad vouendum ſtimulante. Satis de ratione voti generica.

Pergo ad voti differentiam quæ petenda eſt ex variis habitudinibus promiſſionis conſtituentis votum genericè. Ea quippè promiſſio fit alicui, ab aliquo, de materia apta cedere in cultum eius. Perſona cui fit promiſſio votum genericè conſtituens ſi agatur de voto ſtrictè ac propriè dicto non eſt alia quã Deus, cui colendo addicitur virtus religionis ad quam pertinet votum. Et idcirco ſcriptura monet, *vouete & reddite Domino Deo.* Poſſunt tamen in honorem quoque Sanctorum emitti vota: ſiue ſancti ſpectentur prout habent cum Deo neceſſitudinem, ita vt proxima & immediata ratio mouens ad vouendum, ſit diuina excellentia in ſanctis relucens quo pacto de votis quæ funduntur ſancti, philoſophatur S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 5. ad 3. ſiue ſiſtatur in ſupernaturali excellentia ſanctorum abſque eo quod Deus immediatè moueat ad vouendum. Qua ratione votum non eſt actus religionis ſimpliciter dictæ, ſed duliæ tantùm. Ob affinitatem tamen religionis ac duliæ interdum vota quoque ad ſanctos directa numerantur inter actus religionis vt rectè ſtatuunt Bellarminus l. 1. de SS c. 9. & Suarez l. 1. de voto c. 16. à n. 11. auertentes Hagiomachos latrantes contra vota ſanctis nuncupata. Quos tamen ſatis redarguit antiquiſſimus Eccleſiæ vſus & omnium retrò fidelium pietas vt inferiùs punc. 2. memorabo.

Habitudo altera promiſſionis votum genericè conſtituentis penes quam habitudinem differentia voti eſt integranda, eſt idoneitas perſonæ ad votum emittendum. Ea idoneitas cerni poteſt in omni perſona creata rationis compote ac ſui iuris Itémque in perſona increata quatenus ſubſiſtenti in natura creata. Quod addo propter Chriſtum Dominum quem potuiſſe Deo vota nuncupare, pono extra dubium, quia quamvis non egeret firmatione voluntatis in bono cui firmitati conciliandæ deſeruit, votum; haberétque voluntatem adeò ſtabilitam in bono, vt timendum non eſſet agitationi eius tanquam arundinis quæ eſt noſtra miſeria atque labilitas, voti firmantis indiga: tamen ſicut non obſtante ea ſua immobilitate in bono fuit capax præcepti ad bonum exequendum obligantis: Ita eadem ſtabilitate ſua non impediente potuit obligationem ſibi inijcere per priuatam voti legem ad exequendum quod perſpiciebat Deo placiturum; & ſicut alijs modis ita iſto quoque Deo deferre honorem. Nec potuiſſe duntaxat Chriſtum vouere, ſed ſeipſa etiam vouiſſe, rectè ſtatuit Suarez t. 2. 3.q. d.28. ſ.2. & l.3. de voto c.1.n.6. cui alibi ſubſcribo l. de Chriſto. Alios quoſvis homines ratione plena vtentes, eſſe ſuadendi voti capaces eſt exploratum: dummodò non irretiantur inhabilitatione per Eccleſiam in huiuſmodi ſpiritualibus negotiis fidelium principem. Nam actus humani ſubiunt diſpoſitioni Principis à quo vbi expedit aut neceſſe eſt, decernitur antecedenter qui contractus valeant, & qui irriti eſſe debeant. Atque ita videmus Eccleſiam edixiſſe, vt vota conſtituentia perſonam in ſtatu Religioſo, vel quæ votis illis ſunt annexa ſint irrita, ſi abſque certis conditionibus emittantur. Similitérque poſſet Eccleſia, ſi bonum fidelium ita ferret, irrita antecedenter decernere vota quæcunque ſimplicia inhabilitãdo perſonas ad ea valide fundenda, vt rectè affirmat Sanchez 4. in decal. c. 24. num. 43. quamvis nullus ſignetur euentus in quo Pontifex ſupremus Eccleſiæ Princeps cuius ſolius eſſet hoc ius, caſſa reddiderit vota ſimplicia quæcunque extra ea quæ conſtituunt religioſum, vel horum ſunt acceſſoria. In quam rem videndi Suarez 3. de voto c.4. n.3. & 10. & Sanchez l.4. de voto c.25. n.6. Omnis ergo perſona iudicio pollens & ſui iuris, habénſque ſuæ voluntatis poteſtatem, eſt idonea ad votum emittendum, ſi non præpediatur antecedenter interpoſito decreto irritanti dato à ſupremo principe fori ſpiritualis.

An vota Religioſorum ſubditorum voluntariè emiſſa inconſulto ſuperiore ſint valida aut licita, ambiguum eſt apud aliquos. Licita, eſſe negant Angelus V. Votum & Roſella. Et illicita & nulla eſſe cenſet Valentia 2.2. d.6.q.6.p.6. quæſtiunc. 5. Sed dicendum eſt & licita & valida eſſe, dummodò ſint de materia talibus Religioſis non prohibita, adſintque generales conditiones ad votum requiſitæ, nimirum aduertentia ſufficiens & poteſtas in voluntatem propriam ad inijciendam ſibi obligationem idonea, ſine quibus adiunctis non eſt locus voto valido & obliganti, vt propterea vota infantium qui per ætatem minuſculam, nondum ſunt ſui arbitri, euanida ſint ac nulla, niſi ab iiſdem cum adoleuerint rata habeantur. Videndi Sanchez 4. in decalo. cap.18.n.25. & Vaſquez 1. 2. d. 165. num.36. & alij apud Petri Damiani Scholiaſten ad Opuſc. 16. in fine. Ratio eſt quia voti propriè dicti obligatio, ex propria voluntate deriuatur: Eſt enim lex priuata quam ſibi quiſque imponit. Igitur puſillæ ætatis vota concidunt, niſi ab iiſdem maiuſculis rata habeantur. Hac ex cauſa Sanct. Auitus Fuſcinam ſororem alloquens inducit Audentiam matrem quæ filiam in ipſo ortu addixerat Virginitati ſic eam adhortantem, vt iam adulta votum firmet.

Ortu quarta quidem, ſacro ſed munere prima
Dulcis nata mihi, cœlo quam carne fidéque
Bis genui; Chriſtóque rudem de ventre dicaui.
Hactenus hoc noſtrum fueras; ſed tempore ductio
Iam decet eſſe tuum:

Alia exemplaria ſic habent:

Olim ego te genui Chriſto, qua ex ventre dicaui
Tunc ego, quod poteram feci, tu perfice quod iam
Per te ſola potes, votóq;(materno) adiungito votũ.

Ob eandem cauſam vota nomine communitatis emiſſa non obligant omnes qui tunc ad eam communitatem pertinent, abſúntque cum votum emittitur. Et multo minùs obligant ſucceſſores in ratione voti. Obligant tamen omnes ad eam communitatem pertinentes & eorum ſucceſſores in ratione præcepti ligantis ad obſeruandum quod nomine communitatis annuente Epiſcopo promiſſum eſt: Nam interuenire debere aſſenſum Epiſcopi rectè ſtatuunt Suares l.4. de voto cap. 9. num.10. & Sanchez l.4. in decal. c. 15. n. 19. qui addunt ea vota publica, cum non ligent illos à quibus non ſunt emiſſa, niſi in ratione præcepti poſſe ab Epiſcopo laxari & abrogari. Teſtatorum verò vota non tranſeunt ad hæredes, ſiue ſint perſonalia vt clarum eſt, ſiue ſint realia quæ non grauant hæredes in ratione votorum, ſed tantùm in ratione pacti inter hæredes & teſtatorum initi iuxta doctrinam Leſſij l. de Iuſtit. c. 40. num. 16.

Reliqua eſt habitudo promiſſionis votum genericè conſtituentis ad materiam promiſſam, quæ ſi agatur de materia proxima eſt actus aliquis liber & bonus & circa melius bonum, comprehendendo nomine actus, etiam omiſſionem quo pacto ſumitur actus in definitione voluntarij. Actus igitur qui eſt proxima voti materia debet eſſe liber vouenti, ita vt poſſit eum ponere vel omittere. Stultum enim eſſet promittere quod promittens ſciat non eſſe in ſua poteſtate, vnde votum de ea materia eſſet planè nullum. Ex quo colligunt DD. votum quidem de euitandis omnibus peccatis mortalibus, itémque de euitandis omnibus peccatis venialibus deliberatè admittendis validum eſſe, quia vtraque illa materia cum communi gratia eſt in noſtra poteſtate. Votum tamen de euitandis omnibus planè venialibus etiam quæ ex ſurreptione ortum habent nullius eſſe momenti: quia quamvis omne peccatum quantumvis minutum, eo ipſo quod peccatum eſt liberè admittatur: tamen homo ſecundum communem gratiam caret poteſtate quandoque in actum reducenda ad vitandas omnes illas peccatorum minutias. Atque adeò obiectum illud eſt naturaliter impoſſibile homini præ tanta ſua fragilitate. Vnde ſicut lex publica non poſſet mandare deuitationem omniũ illorum minutiarum tametſi abſolutè loquendo phyſice poſſibilem, ita neque lex priuata voti idem præſcribere valet. Quod ſi homo ſtultò tẽtaret eam ſibi obligationem inijcere: Deus tamen non acceptaret ſtultam illam promiſſionem, atque adeò votum illud vndecunque caſſum abiret, ſi emitteretur. Ita habet ſententia communiſſima quam Sanchez 4. in decal. c.5. n.10. & 14 primùm admittit, ſed poſtea labefactare videtur: Nam addit, valiturum fore votũ de vitandis omnibus venialibus, ſi terminetur ad omnia venialia diuiſiue. Quæ limitatio, implicat

implicat in adiecto, ſi agatur de voti terminatione ad ſingula venialia diuiſiuè, nemine eorum dimiſſo quin attingatur ſimul cum aliis. Sic enim ita vnũquodque attingitur in ſingulari, vt attingãtur ſimul omnia coniunctiuè, ſub qua ratione votum cadit in materiã ſeruatu impoſſibilem, atq; adeo votum illud eſt nullum, ſecus verò res haberet ſi votum terminaretur tantùm ad vnum ſingulare peccatum veniale admodùm leue ſecluſa coniunctione eius cum aliis cum quibus non obijceretur voluntati. Itaque non placet limitatio à Sanche adhibita. Sicut neque ea quam adhibet Leſſius, affirmans primùm nihil valere votum de vitandis omnibus peccatis venialibus. Deinde ſubdens tale votum fore validum, ſi ſub hac forma conciperetur. Voueo omnia venialia vitare quantum licebit per diuinam gratiam communiter obtingentẽ. At conſtat præ tanta debilitate noſtra impoſſibile eſſe vitare omnia venialia cum ſola communi gratia. Igitur ne hoc quidem condimentum inſulſitatem illius voti defatuat.

Volebam inſuper actum liberum qui eſt materia voti bonum eſſe, atque adeò labis purum, nec merè indifferentem. Poſſe votum concipi de re mala cenſuerunt Iudæi illi qui Actor. 23. vouerunt ſe Paulum neci daturos. Nec non Iulianus apoſtata qui in procinctu ad expeditionem Perſicam votum emiſit de Chriſtianæ fidei exterminio, & ſollicita idolomaniæ amplificatione, vt narrant S. Hieronym. in chronic. & Paulus Oroſius l. 7. c. 30. & cum deteſtatione Nazianzenus orat. 4. Sed votum de re mala, etiamſi leuiter mala eſſe grauiter illicitum rectè cenſuit Caietanus in ſumma V. voti materia, & Leſſius l. 2. c. 40. n. 39. Deus enim qui reſpicere ad impietatem non poteſt, nequit tale votum acceptare, ac proinde & grauiter illicitum eſt, & prorſus nullum. Ipſe Ethnici exploſere vota de re mala, quale illud nepotis apud Perſium votum concipientis, vt præclarum patrui funus ebulliret ad potiendum eius hæreditate. Si tamen actio ex ſe ſit licita nec contrahat vitium, niſi ex malo fine extrinſecùs per operantem præfixo, qui non ſit finis operis de quo votum concipitur, ſed ſolius operantis, votum erit validum, in quam rem pluribus agunt Leſſius l. 2. c. 40. n. 35. & 36. Suarez l. 1. de voto c. 5. à n. 5. & l. 2. c. 4. n. 3. & Sanchez 4. decalo. c. 6. n. 13. Valeret item votum ſi actus ex ſe bonus eſſet & ab ſolam vouentis imprudentiam ac temeritatem ſorderet. Tale quippe votum excluſa intentione ſe ſimul obligandi ad appoſitionem finis mali validum eſſet vt patet ex promiſſione humana ſimili modo elicita. Et actus quidem quo homo vellet opus ſic promiſſum non eſſet actus virtutis religionis quæ nequit malos actus profundere. Obligatio tamen exequendi eum actum eſſet à virtute religionis in Dei cultum intenta, qui ex eo actu exiſtet, ſi reſecetur finis malus & vitioſum quodvis adiunctum, vt ſanè eſt in hominis poteſtate facere.

Non ſufficeret ad actum liberum qui eſt proxima voti materia quod ſit labis purus ſed etiã neceſſe eſt vt ſit poſitiuè bonus, ita vt actus indifferens poſito quod detur non ſit idonea voti materia: Eſt enim ineptus vt Deo per votum promittatur, cum nullomodo cedat in obſequium & cultum eius, qui tamen eſt vniuerſus Scopus virtutis Religionis ex quo votum profunditur. Hinc Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 6. p. 2. eruit inanitatem voti muliercularum de non nendo die ſabathi quamuis nolint propterea aliis ſeruilibus operibus ea die abſtinere. Quid enim attinet ad cultum Dei ea abſtinentia tantùm à nendo? Eſt ergo votum inualidum. Nec ſi res indifferens poſtea excederet indifferentiam, & bona euaderet, cenſendum eſſet votum fore validum, quia vt rectè ratiocinatur Leſſius l. 2. c. 40. num 41. quod ab initio nullum fuit, non conualeſcit ſola temporis progreſſione, vt habet regula iuris 18. ſiue porrò actus poſitiuè bonus nec indifferens tantum ſit res ex præcepto debita ſiue non ſit, perinde eſt ad voti idoneitatem contra nonnullos antiquos quibus viſum eſt rem præceptam non poſſe eſſe voti materiam: quòd meritò reiiciunt Durandus in 4. d. 38. q. 1. n. 6. Caietanus t. 1. Opuſc. tract. 31. reſp. 15. & Alfonſus de Caſtro l. 1. de lege pœn. c. 10. an non enim obſeruatio caſtitatis ſub præceptum cadit in perſona ſoluta, quam tamen conſtat poſſe cum laude vouere caſtitatem? Quid item vetat concipi votum de abſtinẽdo vſurpatione rei alienæ, & de fuga cuiuſuis lethalis peccati quæ tamen omnia ſunt materia præcepti. Nimirum nihil vetat duas obligationes compoſſibiles eandem materiam afficere, & voluntatem iam nexu vnius obligationis aſtrictam nouo ſe vinculo obligationis illigare, ſicut ad vinculum voti poteſt adiungi vinculum iuramenti. Eáque nexuum multiplicationi, non modò nihil abſurdi infertur, ſed etiam maior voluntati firmitas & feruor conciliatur. Itaque vinculo præcepti poteſt ſuperaddi vinculum voti vt voluntas alacrius & firmius inſiſtat obſeruationi præcepti. Quid verò facias ſectariis qui è contrario ſola vota de rebus præceptis eſſe vera & valida contendunt, cauſſati non poſſe cultum Deo deferri, niſi per actus ſub diuinum præceptum cadentes, aliis ad vanã ἐθελοθρησκείας Apoſtolo improbatam pertinentibus: Hoc admodum inane eſſe, benè monſtrat Bellarminus l. de Monac. cap. 16.

Statuebam poſtremo loco neceſſe vt opus quod eſt voti materia non modò ſit bonum, ſed etiam melius bonum, hoc eſt vt bonitas eius nullum maius bonum excludat. Neque enim melius bonum de quo debere votum concipi concors eſt Doctorum ſententia, intelligi poteſt de opere conſilij non præcepti. Monſtrauimus enim etiam opus præcepti eſſe idoneam voti materiam. Itaque bonum melius appellatur, quod non excludit bonum ex ſe maius. Eſto reſpectu vouentis prout eſt particularis perſona, poſſit fortaſſis oppoſitum eſſe melius (vt Sanchez 4. in decal. c. 8. n. 10. & Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. p. 2. rectè monuerunt) dummodò tamen in ſe ſit melius eo quod non excludat opus vllum ſuperioris virtutis, erit idonea voti materia, qualis non eſſet, ſi non cohæreret cum potiore & excellentiore bono. Deus enim à cuius acceptatione pendet voti validitas reſpueret opus ſibi delatũ quod eſſet deferẽti noxium & impediens aſſecutionem potioris ac perfectioris boni, quia ſemper captat vtilitatem noſtram. Ex quo fit vt votum de ineundo coniugio quo impediretur profeſſio Conſiliorum Euangelicorum, nullum ſit per ſe loquendo vt benè aſſerunt Sanchez l. de ſponſ. diſp. 4. num. 4. & Suarez 2. de voto cap. 9. à num. 1. Per accidens tamen hoc eſt ob nimium in aliquo incontinentiæ periculum, aut in euentu publici boni iniicientis neceſſitatem præcepti ad ineundum coniugium, votum de coniugio celebrando valeret. At votum de non admittendo Epiſcopatu ſecluſa adactione per præceptum aut graui Eccleſiæ neceſſitate validum eſt, eo quod munus Epiſcopale tot & tantis propriis ſa-

lutis diſcriminibus obſepiatur, vt ſoli improuidi illud (vt Diuus Auguſtinus appellauit,) nomen periculi caperent aut non auerſentur ſi poſſint. Quod benè confirmant Suarez 2. de voto cap. 11. num. 10. & Sanchez 4. in decal. cap. 8. num. 31. Annuunt qui negant fas eſſe propria auctoritate commutare votum ineundæ religionis in ſuſceptionem Epiſcopatus, vt Leſſius l. 2. cap. 40. n. 103. contra Viualdum rectè ſtatuit, & rite ſtabilitum eſt contra Armacanũ Bellicoſum in examine votorum ſimplicium, iis additis quæ adducta ſunt in fronte comminatorij vt ſit moderatio quid dicitur, obiiciendo aggerem aduerſus ictũ fluuij quo nomine truculentam rectionem deſignauit ipſe Spiritus Sanctus per Siracidem c. 4.

PVNCT. II.

Honeſtas religioſa, atque adeò pretioſitas voti, ſpectata tantùm eius natura.

EX hactenus conſtituta per genus ac differentiam ſuam voti quidditate liquere debet votum eſſe ſanctam & honeſtam actionem, quod ad dogmata fidei pertinere Sanct. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 4. Meritò cenſuit. Nam vt ferunt innumeræ Scripturæ quibus ſtimulantur ad vouendũ, vel collaudantur qui aliquid Deo vouerunt. *Vouete* (inquit Pſaltes Pſal. 68.) *& reddite Domino Deo veſtro.* Idem alibi ſuam manſuetudinem Deo exhibens, ait ſe iuraſſe domino & votum vouiſſe Deo Iacob. Scatent Scripturæ ſimilibus locis ex quibus voti ſanctitas & honeſtas innoteſcit. Neque enim Spiritus Sanctus ad vouẽdum hortaretur, niſi vota haberet accepta & comprobaret vt honeſta. Caſſianus collat. 9. cap. 12. inter eas ſcripturas quibus vota commendantur numerat locum Pauli 1. Timoth. 2. indicentis orationes, per quas ipſe Caſſianus intelligit vota, quod probat ex nonnullis Scripturis impellentibus ad votum concipiendum vel exequendum: in Græco autem contextu εὐχὰς, quæ vox paſſim ſonat orationem. Nec negari poteſt quin is qui Deo aliquid promittit vt impetret ſi quid poſtulat, admiſceat vel ſubiungat voto orationem. In quo ſenſu Sanct. Ambroſius l. 1. de Cain & Abel cap. 7. & 8. votum annectit poſtulationi, quod ſumpſit ex Philone l. eiuſdem argumenti, cuius veſtigia ſolet relegere. Tamen votum propriè alium actum ſignificat. Vnde quamvis poſſit emitti ex animo grato ob exoratum beneficium quo pacto pertinet ad gratiarum actionem, vel in ſatisfactionem pro peccato, qua ratione reducitur ad obſecrationem: Per ſe tamen fit in cultum ac reuerentiam Dei propter eius maieſtatem. Quare non vtor ad voti commendationem locis ex Scriptura à Caſſiano allegatis, quem vox Græca cui inſiſtit non ſatis iuuat, vt habetur ex Bellarmino l. 1. de bonis oper. c. 2. Patres in voti honeſtate celebranda multi ſunt. Videndus Auguſtinus epiſt. 45. ad Armentarium & Paulinum coniuges qui voto ſe obſtrinxerant ad continentiam in Dei cultum ſeruandam. Eleganuſſimè ergo illis exponit quanti fuerit ſic vouiſſe, & quantæ curæ eſſe debeat votum ſic emiſſum exequi. S. Fulgentius, B. Auguſtini parelion luculenter in eodem argumento verſatur Epiſtola ad Probam cap. 3. tum l. de fide ſpe & charitate. Sic inſcribitur ab ipſo Fulgentio liber vulgo dictus Enchiridion de fide ad Petrum. Eodem pertinet lucubratio Petri Damiani de fide Deo data, non fallenda Opuſc. 41. Idem verſant Valerianus Cemelienſis homil. 4. & Cæſarius Arelatenſis hom. 17. ac Sanct. Bernardus hom. de quod. decupl. debet. Faciunt huc quoque variorum Patrum concitationes in votifragos annotatæ in Opere contra Apoſtatas à ſtatu religioſo cui ſe votis alligarunt. Eaque ex cauſa Sanct. Auguſtinus in pſal. 79. negat iis qui ſe cœnobio addixerant liberum receſſum impingens Melancthoni mentitionem qui auſus eſt effutire, tempore S. Auguſtini, cœnobia fuiſſe collegia libera Sanct. Baſilius quæſt. 14. fuſar. tales cœnobij deſertores vocat ſacrilegos. Sanct. Auguſtinus l. de bono viduit. cap. 11. cum adulteris componit.

Quid multa? ſancti & in legibus Chriſtum antegreſſis & in lege noua leguntur vota frequentaſſe. Quoad leges chriſtiana anteriores Petrus Damiani ſerm. 70. adducit exempla Iacobi Geneſ. Iephte Iudic. Dauidis pſal. 15. & aliis locis compluribus. In lege noua profert Damiani in primis Chriſtum de quo accipit illud Pſaltis, *Sicut iurauit Domino votum vouit Deo Iacob.* [Scilicet vt ſacramentum religionis, in paſſione ſuæ carnis, pro ſalute generis humani expleret.] Quanquam non vouit ad conciliandum voluntati ſuæ firmitatem; ſed ad colendum ea ratione Deum; vt Lorinus in pſal. 21. v. 26. benè admonuit. Virginem vouiſſe votum perpetuæ Virginitatis, Patres vnanimiter eruunt ex illis eius verbis in collocutione cum Gabriele, *Virum non cognoſco.* Ea quippe verba omninò ferunt votum de ſeruanda Virginitate vt Sanct. Auguſtinus l. de ſanc. Virginite cap. 4. benè perpendit, & fusè confirmat Caniſius 2. Mar. cap. 14. Copus dialo. 2. cap. 4. atque anteloq. 10. ſect. 1. Sherlog. Splendidè hoc Virginitatis votum in Beat. Virgine, aſtruit in eius laudatione Arnoldus Abbas Bonæ vallis, & Petrus Bleſenſis ſerm. 28. Nec nos id ſtabilire prætermiſimus in Dyptychis Marianis part. 1. punct. 3. omnia huius voti adiuncta veſtigantes. Apoſtolos vota vouiſſe, & idcirco accepiſſe ſtatum Religioſum agnouit non vno loco Sanct. Auguſtinus, & annuunt plerique adducti in Tractatione de apoſtatis à Religioſo ſtatu cap. 3. Vbi etiam monſtratum eſt Ananiam & Saphiram mentitos eſſe ſpiritui Sancto quia facultates Deo ad dictas ex voto, infideliter reſeruarunt. Ita ibi cap. 1. §. 3. adducti, Baſilius, Nazianzenus, Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, Maximus, Caſſianus, Gregorius Magnus, & Concilium Aquiſgran. Exempla poſteriora ſeculorum Chriſtianorum nihil attinet ſignare, cum vbiuis proſtent in ſacris hiſtoriis, & in actis Sanctorum quorum innumeri vota vouerunt, & magna cum laude ſoluerunt, certi de ſuorum votorum ſanctitate.

Et multi quidem ſancti varia vouerunt, ſed omnium eminentiſſima vota ſunt quibus quis ſeipſum vouet. Audi Origenem, [Scio diuerſa vota in ſcripturis referri. Anna quidem vouit Deo fructum ventris ſui, & Samuelem conſecrauit in templo. Alius quodcunque ſibi poſt victoriam redeunti occurriſſet, vouit Deo, occurrente filia, vota lachrymanda perſoluit. Alij vitulos aut arietes, aut domos, aut alia huiuſmodi ratione carentia, voto offerunt Deo. Ille verò qui appellatur Nazaræus, ſemetipſum deuouit Deo. Hoc eſt enim votum Nazaræi, quod eſt ſuper omne votum. Nam filium offerre vel filiam, aut pecus aut prædium, hoc totum extra

extra nos eſt : ſemetipſum Deo offerre , & non alieno labore ſed proprio placere , hoc eſt perfectius & eminentius omnibus votis , quod qui facit imitator eſt Christi : Ille enim dedit homini, terram , mare , & omnia quę in eis ſunt ad obſequium , dedit & cœlum. ſolem , lunam quoque, & ſtellas , hominum miniſterio conceſſit : Pluuias, ventos , & omne quicquid in mundo eſt , hominibus largitus eſt. Sed poſt hæc omnia ſemetipſum dedit.] Alia habet de huiuſmodi votorum dignitate quæ etiam egregiè (vt omnia) illuſtrat Hieronymus Platus in aureo Opere de bono Religioſi ſtatus l. 1. cap. 30. Hoc nominatim expreſſum oportet , quia qui hac ætate depreciant vota , aliò non collimant , quàm vt Religioſum ſtatum , & vota quibus conſtituitur , peſſundent , quærentes quæ ſua ſunt non quæ Iesv Chriſti , eique ſe maledicto reddentes obnoxios , quod interminatum eſt ædificantibus Hieruſalem in ſanguinibus , ideſt vt interpretatur Lucifer Calaritanus, quærentes creſcere per deiectionem aliorum , qua de re aliàs.

Eſt ergo votum actus honeſtus & ſanctus , nec collucens alia honeſtate quàm virtutis Religionis moraliter ſumptæ ; ſpectat enim cultum Dei , quem defert voti oblatio , iuxta illud Iſaiæ 19. *Cognoſcetur Dominus ab Ægyptiis , & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa , & colent eum in hoſtiis ac muneribus , & vota vouebunt Domino , & ſoluent.* Quod ſi delatio muneris eſt honorifica principi vt monſtratur ex vſu humano , non poterit promiſſio quoque deferendi munus , non eſſe Deo honorifica , & pertinens ad cultum eius vt benè proſequitur Bellarminus l. de Mon. cap. 16. Sanè neglectus voti emiſſi cenſetur Deo inhonorus, quippè ſordens contemptu Dei virtuali, quod Petrus Damiani Opuſc. 42. diſſert. 2. cap. 2. rectè aduertit. E contrario ergo exſolutio voti ritè nuncupati cedit in Dei honorem. Eſt ergo fœtus virtutis Religionis omnium moralium virtutum Reginæ in Dei cultum intentæ. Sectarij id tribuunt ſuperſtitioni ex aduerſo poſitæ , & religionem peſſundantis ; nixi loco Apoſtoli Coloſſ. 2. & omnia vota abhorrere à religione Chriſtiana deblaterant, recenſentes ea inter cæremonialia legis Moſaicæ à Chriſto abrogata. Sed errant toto cœlo vt fuſiùs confirmant Bellarminus l. de Mon. cap. 27. atque Suares l. 1. de voto cap. 1. Quod enim vota non pertineant ad cæremonialia legis Moſaicæ quæ ſola Chriſtus euaneſcere voluit, inde liquet, quod votorum emiſſio etiam in lege naturæ locum habuerit; vt patet ex votis Iacobi , & aliorum Moſe anteriorum. Habent igitur locum quoque in lege noua, etiamſi regali iuxta Iacobum, & perfectæ libertatis iuxta Paulum; locus verò ex Epiſtola ad Coloſſenſes abſurdè in contrarium profertur. Ibi ſiquidem Apoſtolus improbat tantum doctrinas hominum rationem ſapientiæ habentes in ſuperſtitione. Græcè ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Quam vocem aduerſarij contendunt ſonare *cultum voluntarium*, ſiue religionem à Deo non præſcriptam. Sanctus Hieronymus q. 10. ad Algaſ. vertit falſam religionem. Religio enim dicta eſt θρησκεία à Thracibus apud quos primus Orpheus induxit profanas cęremonias in honorem falſorum numinum. Religio itaque falſa & humano figmento innecta , nec impoſito diuino mandato, ſed vltrò ſuſcepta ab homine ſuis inuentis obblandiente ipſa eſt quam Paulus expreſſit per ſuperſtitionem, ad quam Sectarii cultum à nobis per vota delatum reuocant, vt fusè ad eum Apoſtoli locum garrit Beza. Verùm Apoſtolus ne per ſomnium quidem cogitauit de abrogatione cuiuſuis pii cultus a Deo non inducti , atque adeò de votis. Audierat enim ſæpè in ſcripturis memorari *voluntaria oris* (quæ ſcilicet homo vltrò ac ſponte ſua exequenda receperat) emiſſa vocali promiſſione ,) & voluntaria ſacrificia eſſe Deo accepta & à Dei hominibus vſurpata. Non igitur Apoſtolus huiuſmodi cultum Dei appellabat falſum , & peruersè voluntarium , ſed illum duntaxat de ſuo cerebro & ex voluntate à Deo auerſa & ad fabulas abducta per Iudaizantes excogitatum. Plenè eum Apoſtoli locum verſat Turrianus contra Magdeb. cap. 4. & 7. ſubtiliter trahens ἐθελοθρησκείαν ad cultum legitimum , quod minus probauit Vaſquez l. 3. de ador. capit. 6. & paſſim interpretes ac Hæreſeologi poſteriores.

Hæc quidem de votis legitimè conceptis rata eſſe debent. Nam de votis abſque iudicio emiſſis alia eſt ratio. Sicut ego inania multa eiuſmodi vota recenſui in Heteroclitis ſpiritualibus parte 1. ſect. 2. punct. 2. Et nominatim talia ſunt quæ de obiecto prauo aut prorſus indifferente funduntur. Aut quæ impoſſibilia ſunt vouenti ſaltem moraliter. Quo in genere recolo votum aliquando nuncupatum à matrona Illuſtriſſima Domina de Mairargues, quæ viro in graue mortis diſcrimen inducto , cui etiam ſuccubuit , votum nuncupauit de adeunda nudis pedibus æde Lauretana ad trecentas minimum leucas abiuncta exorandæ mariti ſalutis gratia. Hoc votum non modò fuit nullum ſed etiam vitioſum : quia tametſi finis bonus erat & actio ſancta, tamen promiſſio de ea exequenda attento ſtatu & infirmitate vouentis , ſeclusa bona fide & ignorantia inuincibili erat referta temeritatis nec Deo accepta. An inter temeraria vota imprudenter concepta numerandum fuerit votum à Iephte nuncupatum Iudic. 11. anceps iam olim quæſtio fuit latè diſcuſſa à Serario q. 17. Iudic. 11. & à Lenſæo l. 10. de libert. Chriſt. capit. 11. qui Iephtem purgant tanquam operatum ex ſpeciali inſtinctu ſpiritus ſancti; Iephtem tamen damnant paſſim potiores Patres & cum eis Suares l. 2. de voto cap. 10. à num. 5. Quam litem hic recoquere nihil eſt neceſſe.

Quamuis autem quæ dicta ſunt de religioſa honeſtate voti ſimpliciter dicti per ſe primò cadant in vota Deo nuncupata, quæ ſunt religionis ſimpliciter dictæ germina. Habent tamen ſuo modo etiam locum in votis quæ ſanctis nuncupantur, tametſi non à religione ſimpliciter dicta, ſed à dubia elicitis. Premunt in vota ſanctis nuncupata ſectarii. Sed eos falſitatis reuincit antiquiſſimus Eccleſiæ vſus cui Euſeb. l. 15. c. 7. atteſtatur verbis illis. [Hæc nos quotidie factitamus qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honoramus. Ad monumenta quoque illorum accedimus , votáque ipſis facimus, tanquam viris ſanctis quorum interceſſione ad Deum non parum nos poſſe iuuari profitemur.] Eſt apud Theodoretum l. 8. contra Græcos in f. locus inſignis de votis quæ martyribus nuncupabantur, & de beneficiis ad eum modum exoratis. Præfatus enim Theodoretus templa falſis numinibus excitata , breui obſoleuiſſe , ſubdit. [Martyrum verò templa , conſpicua cernuntur , magnitudinéque præſtantia , omni præterea ornatus genere variata , ſplendorémque quodammodò pulchritudinis ſuæ , latè fundentia. Neque verò hæc per annum ſemel , aut bis , aut quinquies aduentamus , ſed in eis ſæpenumero dies feſtos peragimus, ſæpè diebus ſingulis eorum martyrum Deo, laudes hymnóſque

cantamus : quique homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari ſibi eam a Martyribus petunt: Qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt. Qui verò parentes ſunt integra ſibi, & propria cuſtodiri quæ conſecuti ſunt dona: Item qui peregre aliquò proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi comites eſſe in via vel potiùs itineris duces: Qui verò iam ſoſpites redierunt gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non quod ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed quod orent Dei Martyres tanquam diuinos homines, interceſſoreſque ſibi eos apud Deum aduocent ac precentur. Pie verò fideliterque precatos, ea maxime conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa quæ votorum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij manuum ſimulachra ſuſpendunt ex argento aurove confecta. Gratiſſimè namque accipit eorum Dominus, qualiacunque ſunt dona: nec exigua nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morborum depulſionem cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitatem conſecutis allata.] Liquet de antiqua erga ſanctos Dei pietate fidelium quæ quam malè habuerit. Fauſtum Manichæum Sanctus Auguſtinus lib. 20. contra Fauſt. capit. 5. locuples teſtis eſt illa eius verba referens. [Idola vertiſtis in Martyres quos votis ſimilibus honoratis.] Idem hodiéque eſt crocitatus Hagiomachorum: ſed Deus cuius ſancti nimis honorati ſunt pietati fidelium atteſtatur, monſtrans frequentibus operibus ſupra naturam ad ſanctorum per nos interpellationem patratis, accepta ſibi eſſe ſtudia noſtra: quo ipſo obſtruit os loquentium iniqua.

P V N C T. III.

Nec ſpectatis quidem neceſſariis voti adiunctis honeſtatem eius conuelli.

VOtum ſuapte natura honeſtum eſſe, hactenus eſt demonſtratum. Nunc conſiderandum eſt an penes aliquid ei neceſſariò adiunctum dici poſſit votum ſordere, & honeſtate deſtitui. Voco neceſſarium adiunctum quod eſt intrinſecè nexum cum voto: Cuiuſmodi eſt amiſſio libertatis ad aliter operandum abſque culpa. Ea quippe libertate homo per votum ſe ſpoliat. Item neceſſarium voti adiunctum periculum caſu grauiore ruendi, & contrahendi duplicem noxam, ſi votum violetur. At appoſitio mali finis extrinſeci ex peruerſa tantum vouentis voluntate, tametſi votum inficeret, tamen non eſt neceſſariò nexa cum voto. Itaque de ea non eſt hic agendum vt neque de aliis ſimilibus adiunctis, nec neceſſariò nec ſemper nexis cum voto. Penes neceſſaria autem voti adiuncta quæ attigi Armachanicæ doctrinæ inſtauratores, maximè grauant voti emiſſionem vt propterea adigamur hic primùm inquirere ac reuera penes ea votum excidat honeſtate qua per ſe, & ſecundum ſuam naturam ſuperiùs expoſitam conueſtiretur.

Imprimis ergo vulgare argumentum quod intorquetur in voti emiſſionem ducitur ex temeratione libertatis per iniectam à voto neceſſitatem non agendi contra votum conceptum. Hoc eſt ſtramineum argumentum quod ab Eraſmo ſuæ Apoſtaſiæ abblandiente prolatum, conterere memini in Tractatione de Apoſtaſia cap. 3. ad f. & & fusè quoque conuellitur à Lenſæo lib. 10. de libert. Chriſt. cap. 8. Nec eſt opus longo verborum ductu vt de eius euaniditate liqueat. Conſtat enim non agi hoc loco de libertate phyſica quæ ſemper eſt ſuperſtes quantumcunque homo ſe voto illiget. Igitur per votum homo ſe priuat tantùm libertate ad licitè agendum quod potuiſſet licitè agere ſi votum non emiſiſſet. Votum ergo conſtringit voluntatem, vt abſtineat operatione quam exequi licitè potuiſſet, ſi non vouiſſet. Huius autem libertatis ereptio vltronea, propter Deum ab homine ipſo facta nihil habet incommodi vt Sanctus Auguſtinus ſæpè tradit, nec non Fulgentius Epiſtol. 1. Felix quippè eſt neceſſitas quæ ad meliora compellit, vt habet effatum Sancti Auguſtini à Sancto Bernardo l. de præcep. & diſpenſ. cap. 2. vſurpatum ſanè deuinctio libertatis per votum tanta non eſt, quanta beatorum per viſionem claram: Et tamen nihil beatis deperit ex eo quod per diuinæ eſſentiæ contuitum ita firmentur in bono, vt nequeant vtrolibet flecti & abuti libertate ſicut faciunt peccatores hic peregrinantes. Neque igitur aliquid homini decedit ex eo quod illigatus voto nequeat abſque peccato contra votum facere, & eatenus non maneat moraliter liber. Videndus de hoc argumento Leſſius l. de iuſt. cap. 40. num. 54. Nec nos indiligenter id verſauimus in Opere contra nouam libertatem Gibieufuianam tota parte 1.

Alterum telum quod contra voti honeſtatem intorquetur petitur ex neceſſariò adiuncto deuinctionis voluntatis per votum; nempe ex periculo grauiùs labendi & dupliciter peccandi, ſi qui vouit, non ſtet voto: Videtur quippè ſatius eſſe, non adeò ſubuehi & in altum tolli ne caſu grauiore ruat qui per votum ſublimitatem captabat. Conclamat in hoc falſiloquium Lenſæus l. 10. de libert. Chriſt. capit. 12. & eodem pertinent quæ prolata ſunt in Tractatione de Apoſtaſia. agendo contra effutientes præſtare non inire religioſum ſtatum metu ruendi per Apoſtaſiam. Sanè ſi hæc larua argumentationis valeret contra voti emiſſionem, æquè declinandum eſſet matrimonium ne contingat labi in adulterium, quæ eſt grauior prolapſio quàm eius qui ſolutus inquinaretur cum ſoluta, ſimiliterque eodem argumento concluderetur auerſandam eſſe cuicunque fideli inaugurationem in Sacerdotem, quia nugæ in ore ſecularium nugæ ſunt, in ore Sacerdotis, blaſphemiæ, ideſt longè tetrius ſordent iuxta Sanctum Bernardum. Apage ergo argumentationis contra voti honeſtatem intortæ inſulſitatem. Sperandum ſemper eſt de diuina bonitate & nunquam de futuro auxilio ad ſatisfaciendum obligationi quá quiſque ſibi propter Deum lubens volens iniecerit, neglecto paruo terrore de grauiore prolapſione, ſi captet ſublimiora. Videndi in hanc rem Gregorius Nyſſenus l. de Virginit. cap. 24. & Philippus Abbas l. de dignit. Cleric. cap. 18. nec non Gregorius Theologus carm. de laude Virginit. ad finem. Scitè verò Sanctus Gregorius Magnus hom. 3. in Ezech. refugientem ſubire ſtatum celſiorem ne caſu grauiore ruat, ait obnoxium ſe reddere ei ſubſannationi Sapientis Eccleſiaſtici 11. *Qui obſeruat ventum non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet.*

Non

Non latuere Patres quæ aduersùs voti honeſtatẽ ex his neceſſariis eius adiunctis opponuntur, neque tamen refrixerunt in voti prudenter concepti commendatione. Multos ſupra ſignauimus, & deinceps ſignabimus. Vnus duntaxat, & alter viſi aliquando ſunt minùs fauere emiſſioni voti, & iniectioni neceſſitatis quam votum infert. Vnus eſt, creditus Proſper l. 2. de vita contempl. cap. 24. verè Iulianus Pomerius verbis illis. [Sic abſtinere vel ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi vel abſtinendi neceſſitati ſubdamus, nec iam non deuoti, ſed inuiti rem voluntariam faciamus.] In eadem naui eſſe videtur Petrus Bleſenſis, vt liquet ex iis quæ habet ad calcem inuectiuæ in Canonicum Regularem deprauatorem ſuorum operum, concitatum in Bleſenſem eo quod in Tractatu ſuper Iobum habuiſſet Merlinum pro Propheta. At hoc à ſe irriſorie dictum ait Bleſenſis. Et meritò. Nam Merlinum fuiſſe inſignem planum, & Magum ac plerunque fabulinum habetur ex Neubrigenſi præfatione ad ſuam Anglicanam hiſtoriam. Demorſus ergo ea de cauſa à Religioſo homine Bleſenſis in Religioſos efferueſcit. Tum addit. [Non oportet omnes Regulari militiæ manum dare. Credo non minoris eſſe meriti citra profeſſionis vinculum, & aſſumptæ neceſſitatis angariam, ſimpliciter ambulare cum Deo & cuſtodire vas ſuum in ſanctificatione & gratia, ſuaſque manus à ſordibus munerum excutere, quàm detrectare onus impoſitum & luctari cum obedientiæ iugo. Religio munda & immaculata apud Deum hæc eſt, cuſtodire ſe immaculatum ab hoc ſeculo, & ſe in operibus miſericordiæ iugiter exercere.] Apertè libertatem à voti iugo immunem adamat Bleſenſis, & neceſſitatem exequendi ac (vt vocat) angariam ſubire dehortatur.

Hi & pauci numero & tot aliis Patribus infra omnem comparationem impares, tametſi duriuſculè de voti ſplendore per iniectam agendi neceſſitatem obducto locuti videntur, facilè tamen in bonum ſenſum adduci poſſunt. Nam Pomerius quidem non agit de operantibus ex voto, ſed tantùm de iis qui cum propoſuerint aliquid boni agere, ingruente maioris alicuius boni occaſione, pertinaciter inhærent propoſito, cum tamen præſtaret tempori cedere & relicta ad tempus priuata abſtinentia (de ea enim agit) conſulere indemnitati charitatis. Id quod Caſſianus collat. & Sanctus Bernardus l. de præcep. & diſpenſ. cap. 7. valde commendant. S. Thomas Opuſc. 17. cap. 13. & 2. 2. quæſt. 88. artic. 6. ad 1. ait creditum Proſperum locutum eſſe de neceſſitate coactionis. Sed hoc non poteſt accipi de coactione ſimpliciter dicta quæ ad hoc negotium eſt impertinens, de aliquali coactione quæ tantum excludat propenſionẽ voluntatis. Nam inter varios modos operandi ex neceſſitate quos recenſet Leſſius l. 2. cap. 40. num. 54. vnus eſt operari repugnante affectu quæ eſt nonnulla neceſſitas coactionis, quam expreſſiſſe videtur Apoſtolus vocans benè agere ex triſtitia aut ex neceſſitate. Et ad Philemonem ſcribens, mulcet eum, *ne ex neceſſitate bonum eius eſſet, ſed voluntarium*, id eſt non coactum repugnante voluntate, atque adeò motu proprio, & abſque reniſu voluntatis. Alterutro propoſito benè mollitur quod creditus Proſper contra votorum nitorem in ſpeciem dixerat. Petrus verò Bleſenſis facillimè expeditur. Nam tametſi principio quia agit contra Religioſum à quo violatus fuerat auſteriùs agit in Religioſos, & Religioſa vota ſugillare videtur, Tamen poſtmodum lenit vel etiam corrigit quæ durius aut etiam male præmiſerat, religioſum ſtatum votis conſtitutum anteferens ſecularitati votis ſolutæ. Quid quod vt Holcotus obiecta ſibi Sancti Anſelmi autoritate alicubi luſit, facilè eſt ei qui ſe tali autoritatis onere grauatum ſenſerit excutere pondus atque abiicere. Quod improuidè dictum circa Sanctum Anſelmum eximiæ autoritatis Patrem de Bleſenſi longè inferioris ſubſelli ſcriptore abſque flagitio dici poteſt, præſertim cum deterit votorum, & Religioſi ſtatus decus, nec abſque admiſtione falſitatis, vt cum ibidem ait Religioſos falſa ſpecie pietatis veritatem eius abnegare quaſi pauci cum hypocriſis fidem Dei euacuaret. Et cum ait, neminem Religioſorum clauſtro non ſubductum, ſubiiſſe martyrium quod Chiliades Martyrum Religioſorum à variis annotatæ reuincunt falſitatis. Præterquàm quòd vltrò dat Bleſenſis quę aſperiùs dixerat de ſola indignatione in Religioſum de ipſo oblocutum, ſibi excidiſſe. Hæc omnia ad eleuandam hominis ſecularis vota depreciare viſi autoritatem, ſatis ſuperque eſſe poſſunt.

PVNCT. IV.

Non præſtare opus bonum ex voto elicere, aſſertio Armacani refoſſa à paucis Neomyſticis.

REfoſſam dico, quia iteratis Pontificum decretis ea aſſertio confoſſa, & veluti ſepulta iacuerat per aliquot ſecula. Nuper autem apparuit redeuiua non modò malignitate Hæreticorum vt Magdeburgenſium quos creditus Alanus Copus dialo. 2. & Franciſcus Turrianus l. 5. contra Magdeb. cap. 4. & 7. exagitarunt, ſed enim Zelo amaro quorundam ſpeciem pietatis inter Catholicos oſtentantium, à quibus probatæ doctrinæ ſiligo multis furfuribus eſt inquinata. Nominatim verò in hoc negotio præ auerſo à Religioſis affectu quod ſator diſcordiarum Satanas immiſit inſtruendis quæ ſua ſunt quærentibus, reuixit infeliciter ea concertatio, ita vt & emiſſis in publicum Scriptis, & paſſim in ſermonibus audiatur lingua quam fideles pridem non nouerant. Sed ita plerunque contingit cum Hieruſalem ædificatur in ſanguinibus hoc eſt interprete S. Lucifero Calaritano l. 1. pro S. Athanaſio, cum captatur prouectio propria ex aliena deiectione.

Exiſtimauit ergo Armachanus, nullas Scripturas & nullos Patres ſuffragari pretioſitati voti accepti pro facta Deo promiſſione. Non extant ſanè quæ Armachanus in hanc rem elucubrauit. Sed teſtis omni exceptione maior Thomas Vvaldenſis l. 1. doctrin. cap. 21. multa verbatim in hanc rem ex Armachano retulit, ex libro eius 6. de paupertate tribus vltimis capitibus. Diſtinguit itaque Armachanus duplicem voti notionem, vnam pro *deſiderio*, alteram pro ſponſione, & promiſſione facta Deo. De voto ſumpto pro promiſſione negat agi in ſcripturis aut Patribus, contenditque tale votum eſſe repudiandum, argumentans ex voti, & iuramenti comparatione: ſicut enim ſermo noſter ex Chriſti monito nuda aſſertione aut negatione contineri debet, iuxta illud apud Matthæum cap. 5. ſit ſermo veſter; *Eſt eſt, Non non*, quod autem his abundantius eſt à malo

eſt

eſt : Ita quoad affectus voluntatis nihil addendum eſt ad ſimplicem affectum. Sanè Spiritus Sanctus qui docuit Apoſtolos omnem veritatem, non docuit eos illigare ſe votis : quod tamen facere non omiſiſſet, ſi tanta eſſet voti pretioſitas præſtaretque opus bonum ex voto elicere quàm abſque voto. Quod autem Sanct. Auguſtinus dixit Apoſtolos vouiſſe paupertatem Armachanus de nudo deſiderio cenſuit quæ eſt altera voti notio. Ex eo autem quod votum (vt appellat) promiſſionis ſit quid inane & nuſquam in ſcripturis aut Patribus commendatum, eruit nihilo plus præſtare Monachū ſæculari nullis votis illigatio in bonis operibus æquali quàm ſi nulla vota emiſiſſet. Non plura ex Armachano in hanc rem referuntur. Aſſeclæ verò Armachani præter ratiunculas ſupra adductas contra voti honeſtatem ex ereptione libertatis & diſcrimen caſu grauiore ruendi, tentant exarmare partem contrariam Armachano mox adducendam ſuffragio Scholaſticorum qui contra Armachanum proferri ſolent innumeri. Hoc verò inde profectum dicunt quod Scholaſtici ſuffragatores aduerſariorum Armachani ferè fuerint Religioſi nec potuerint candidè eloqui quod fortaſſis mente premebant ; atque adeò prudenter deuitantes vulgi domeſticorum offenſionem in corde & corde ſint locuti. Ea enim ex cauſa Religioſi pleriſque linguarium iniici circa domeſticas ſententias minùs cæteroqui arridentes obſeruauit Catharinas agens de conceptione Deiparæ immaculata, circa quam idem aliquando profeſſus eſt agens contra ſenſum ſuum Thomas Turcus. Non ſemel idem deprehenſum eſt circa prædeterminationem ineluctabilem. Multi quippe meminerunt quanto ſuo damno F. Petrus Ioannes Oliuij molitus aliquando ſit quaſdam in ſuo Ordine Minorum protritas ſententias conuellere. Non ſunt igitur plerique Scholaſtici ſuum de votis ſenſum auſi aperire, quod ingenuè feciſſe Bleſenſem pronunciant, quia Religioſus nō erat. Idipſum fecit annis ſuperioribus D. Seguenot in Notis ad librum D. Auguſtini de Sanct. Virginitate ; cœtui enim Religioſis votis ſoluto conſertus non timebat domui ſuæ à frigoribus niuis.

Nihil horum ſtabiliendo Armachani nouiloquio eſt ſatis idoneum. Ac primum Armachanus admodum abſurde tentat exarmare aduerſarios omni auctoritatis præſidio, quæcunque de votis in ſcriptura & Patribus traduntur accipienda contendens de nudo deſiderio. At hoc eſt valdè intutum & admodùm puerile ſubterfugium. Nam ſcriptura eique innixi Patres & Doctores diſertè agunt de promiſſione in cultum Dei *Vouete & reddite Deo vota veſtra*, ait Pſaltes. *Reddere*, autem eſt correlatiuum promiſſionis non deſiderij vt per ſe liquet. Quid quòd explicatiſſimè plerique Patres vtuntur nomine pacti cum Deo vel ſponſionis aut promiſſionis factæ à vouente : aut fœderis cum Deo initi quæ omnes voces longè aliud ſonant, quàm nudum deſiderium : ad hæc Patres ſæpè conſentaneè ad ſcripturas aiunt infractores voti eſſe ſacrilegos, & mentiri Deo : quæ non ferunt eos tantùm deſideraſſe, ſed etiam promiſiſſe Deo quod vouerunt. Multi præterea Patres ſupra adducti diſertè votum deſignant nomine promiſſionis vel ſponſionis. [Quia te obſtrinxiſti (ita Armentario Sanct. Auguſtinus epiſt. 45.) aliud tibi facere non licet. Priuſquàm eſſes voti reus, liberum fuit quo eſſes inferior, &c. Nunc autem tenetur apud Deum ſponſio tua.] S. Fulgentius epiſt. 1. explicatiſſimè idem tradit agens cum marito qui metu imminentis grauis periculi vouerat continentiam coniugalem : poſtea verò, metu ſolatus quærebat occaſiones non ſtandi promiſſis. Alios plures ſupra retuli. An hæc ſonant nudum deſiderium? Ludit ergo Armachanus, vana ſua duplicis notionis voti diſtinctione illudens lectoribus vt Patres & ſcripturas eludat. Quæ verò ſomnia vigilantium obtrudit Armachanus, cum vrget illud Chriſti aduersùs temerè, ac irreuerenter iurantes, *ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non non.* An enim cenſet Armachanus illo Chriſti monito indici ſimplicem aſſertionem nullo iuramenti præſidio munitam ? Itaque tollitur ab vſu humano illud ſopiendæ cuiuſvis controuerſiæ remedium, quod iuxta Apoſtolum iuramento ſuppeditatur, ſi nuda ſemper aſſertio adhibenda eſt, nullo fulta iuramenti munimento. Et quod à pari infert Armachanus, ſicut intellecta nuda ſenſus ſui aſſertio eſt exprimenda, ita eſt in voluntate nudum affectum abſque promiſſionis acceſſu ſatis eſſe oportere : eſt planè ridiculum. Sic enim nulla vnquam obligatio eſſet contrahenda, ſed ſufficeret dicere *ſic volo* : atque adeò coniugia ineunda eſſent per ſimplicem affectus volendi expreſſionem, nulla contracta obligatione, quæ eſſet coniugiorum euerſio : Et nullæ pactiones, nulla fœdera, nulli contractus iniri poſſent de quorum ſtabilitate ſecuri eſſemus. Nam nudi conſenſus expreſſio abſque aliquo retinaculo eam aſtringente nullam actui immobilitatem conciliaret, ita vt qui ſe conſentire dixerat non poſſet deinceps reſilire. Ridiculum ergo eſt & omnimodis explodendum Armachani argumentum contra votum promiſſione conſtitutum.

Quod autem ex ea ſua ratiocinatione infert Armachanus nihilo plus præcellere Monachum ſæculari, ſi vterque eadem bona opera præſtet quàm ſi Monachus nihil vouiſſet, eſt apertè contra D. Auguſtinum qui ſæcularem voto exſolutum ait inferiorem eſſe eo qui vouit : [Priuſquam (inquit Armentario) eſſes voti reus liberum fuit quo eſſes inferior, quamvis non eſſet gratulanda libertas qua fit vt non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, ſi non feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes ſi nihil tale vouiſſes. Minor tunc eſſes non peior. Modò autem tanto (quod abſit) inferior ſi fidem Deo fregeris, quanto beatior ſi Deo perſolueris.] En inferiorem & minorem pronunciat Auguſtinus eum qui voto non eſt illigatus. Non igitur pares ſunt qui eadem bona operantur, ſed vnus abſque voti vinculo, alter cum eo vt effutiuit Armachanus, inſiſtens veſtigiis Iouiniani de paritate conditionis inter voto ſolutos & voto illigatos. Egregiè verò de ea inæqualitate conditionis inter voto aſtrictum ac liberum Sanct. Gregorius homil. 20. in Ezech. & qui hoc argumentum ſplendidè vt omnia verſat Hieronymus Platus l. 1. de bono ſtatus relig. cap. 36 Non eſt prætereundum quod notauit Michaël de Palatio, in 4. diſt. 38. diſp. 1. concl. 2. Nempe Gregorium XIII. damnaſse Bartholomæum Carranzan ex Dominicano Archiepiſcopum Toletanum eo quod ex hoc falſo Armachani principio, de nulla perfectione per votum adiuncta, dixiſset ſtatum religionis nihil eſse præcellentiorem ſtatu Laicorum.

Nouelli aſseclæ Armachani non alia contra votum

votorum præcellentiam intentant, quàm quæ ſupra contriuimus ex ereptione libertatis ad libitè operandum vtrumlibet, & ex maiore diſcrimine ſublatorum in altum & caſu grauiore ruentium. Quod verò addebant ad eleuandam au-ctoritatem ſuffragiorum omnium pro è ſcholaſticorum eſt omnino explodendum. Aiebant enim eos fere fuiſſe Religioſos quibus non eſt ſemper tutum pro veritate comperta ſtare, ne incurrant in domeſticorum offenſionem, ac proinde in hoc negotio non ſunt auſi votorum vincula depreciare, quæ inter Religioſos tanti ſemper ſunt æſtimata: At hoc eſt iudicium in ſupremo gradu temerarium in tot tantóſque viros quos efficiunt velut argentanginam paſſos detinuiſſe in iniuſtitia veritatem. Quis hoc de magno Alberto, de S. Thoma, & aliis innumeris credat? Homines enim mundo mortui & ad extrema quæque pro Deo ſubeunda comparati non extimuiſſent ad papan'os domeſticos promere veritatem. Quàm multi verò fuere ſcholaſtici extra clauſtrum, quibus nunquam Armachani opinatio venit in mentem? Quàm multi ex Religioſæ vitæ profeſſoribus extra aleam odii domeſticorum poſiti ac vndecunque tuti, nihilominus contra votorum nexum nunctiuerunt quidem? Apius obiceretur Armachæ quod èx male concepto in Religioſos odio, vota quibus Religioſi conſtituuntur impugnanda ſuſceperit. Idcirco enim in Religioſos inuectus eſt quod ob expilatum quoddam minorum cœnobium accuſatus apud ſedentem tunc Auenione Pontificem, ibique cauſa cadens, ſpiritu vltorio recriminationem molitus ſit exagitatione votorum, & nominatim, voti paupertatis quæ in ordine minorum eſt velut pupilla oculi; Notaui hanc odiorum in Religioſos originem in Armachano tractans confixionem librorum partit. 1. erotem. 8. num. 121. & 122. Itaque vniuerſa Armachani & Armachaniſtarum ſubſtructio, non modò rimas agit, ſed etiam peſſum it.

PVNCT. V.

Auctiorem eſſe ex voti acceſſu operis boni dignitatem, ac vim meritoriam contraria, & vera ſententia.

COntraria & vera ſententia omni primùm genere teſtimoniorum firmanda eſt, tum rationibus munienda. A teſtimoniis igitur humanis auſpicando. Fuere in ea ſcholaſtici innumeri nec non Morales, & conſulti iuris pontificij item Hæreſeologi. præiuere his omnibus Patres & præluxit in ſcripturis Spiritus ipſe ſanctus. Accedunt firmamenta rationum. Attingamus diſtinctè hæc omnia probationum capita.

Scholaſticorum nonniſi ſpecimen exhibendum eſt. Nam reſpſa omnes ſuffragati ſunt. Stet in prima acie Sanct. Thomas 2. 2. quæſt. 88. artic. 6. qui ex profeſso rem hanc diſcutiens explicatiſſimè tradit & multipliciter confirmat, melius eſse & magis meritorium elicere opus bonum ex voto, quàm abſque voto. Idipſum tradit agens de voto ingrediendi religionem vbi ſic loquitur quæſt. 189. artic. 2. [Vnum & idem opus ex voto factum eſt laudabilius quàm ſi ſine voto fiat.] Similiter loquitur in ſumma contra Gentes lib. 3. capit. 138. & aliquoties in opuſculis vt referam punct. ſequenti. S. Thomam ſequuntur omnes Thomiſtæ & nominatim ad loca ſignata Caietanus & Ferrarienſis nec non Soto in 4. d. 38. artic. 3. quæſt. 2.

Perſpicuè idem tradidit tanti magiſtri eximius diſcipulus Ægidius Romanus, quodlib. 2. quæſt. 24. qui ex eo quod Religioſus fuerit, non potuit videri abblanditus Religioſis, cum in alio nego io quod maximè Religioſorum intererat, (hoc eſt circa exemptiones) apertè contra eos ſteterit libris duobus quos videre memini in Bibliotheca domus profeſſæ Romanæ Societatis Ieſu. Appendam cœteros capitatim, indicato præcipuè loco, & dimiſſa plena allegatione. Conſentiunt ergo Henricus Gandau. quodlib. 13. quæſt. 14.

Richardus in 4. d. 38. artic. 6. quæſt. 2.
Brianſonis in 4. quæſt. 13. corollar. 1. 5. ſed eſt dubium.
Gerſo tract. de Conſiliis Euangelicis, *ſub finem*.
Maior in 4. d. 38. quæſt. 4.
Michaël de Palacio in 4. d. 38. diſp. 1. concluſ. 2.
Leniæus l. 10. de libert. Chriſtia. capit. 5. & 8.
Leſſius l. de Iuſt. c. 10. dub. 8. n. 53.
Suares l. 1. de voto c. 17.
Valentia 2. 2. d. 6. quæſt. 6. p. 4.
Franciſcus Guerra de maieſtate virtutum Deiparæ. tomo 2. à pag. 224.
Morales Theologi eodem inſiſtunt calle vnáque Iuris Pontificij profeſſores quorum aliquos ſigno.
Paludanus in 4. d. 38. quæſt. 5. concl. 2.
Ioannes Nider in 2. præcept. decalo. c. 5.
Feliſius ad 2. decal. præcep. c. 18.
Heſſelius ad idem 2. præceptum c. 84.
Azor tomo 1. l. 11. c. 15. quæſt. 18.
Henriquez l. de fine hominis cap. 20. numer. 3.
A Sanct. Fauſto lib. 1. Theſau. Religioſorum quæſt. 3.
Sanchez l 4. in decalo. cap. 11. num. 15.
Layman tomo 2. l. 4. tractat. 4. capit. 4. toto.
Auguſtinus Triumphus in ſumma quæſt. 96. artic. 2.
Aluarus Pelagius lib. de planctu Eccleſiæ artic. 56.
Nauarrus in ſumma c. 12. n. 33.
Aſcetici vno ore omnes aſtipulantur. Nominatim videndi.
Ioannes Nider lib. 3. de reformat. Religioſ. cap. 13.
Alfonſus Rodericus tomo 3. tract. 2. c. 3.
Armandus Cardin. de Richelieu lib. de Chriſtiana perfectione.
Ioannes Buſæus in opere de ſtatibus. tit. de vouentium ſtatu cap. 3.
Hieronimus Platus l. de bono ſtatus Religioſi cap. 30.

Vualdenſis accuratè & ſolidè lib. 1. doctrin. cap. 21.

Hæreſeologi conſentiunt.

Petrus Hauerius diſſertat. ſacra 30. quæſtiunc.

Thomas Illyricus in opere contra Lutherum cap. de votis.

Alfonſus de Caſtro V. votum.

Martinus Pereſius l. de traditionibus.

Michaël Medina lib.4. de continentia, & tota controuerſia 8.

Harpsfeldius ſub Alani Copi perſona dialo. 2. capit. 16.

Bellarminus l. de Monachis cap.27.

Præter his omnibus Patres apertiſſime tradentes, opus bonum acceſſu voti collucere noua dignitate & eſſe multo melius, magiſque meritorium.

Sanctum Auguſtinum pleriſque locis ad hoc profert Valdenſis. Mens verè eius inde perſpicua eſt, quod locis prope innumeris hortatur ad vouendum. Nominatimque Epiſtola 45. & 89. ac 143. & l. de bono viduit. cap. 19. & l. de ſancta Virginit. cap.25. & 30. & in pſal. 75. ac 99. Præſtaret autem non vouere me adhortatione ad vouendum allicere, ſi votum nihilo melius redderet opus bonum.

Sanct. Anſelmus l. ſimilitud. cap. 84. adhibet in hanc rem ſimilitudinem eius qui fructum duntaxat daret, & eius qui præter fructum arborem quoque præberet. Hic certè plus daret, & nobilius munus offerret. Eſt autem ſimilis vouenti bonũ opus & ſe cum ſuo opere exhibens munus Domino. Cum is qui ſolum bonum opus defert, fructum duntaxat præſentet. Quod ſcitè quoque tradit l. 2. cur Deus homo cap. 5.

Spiritus ſanctus toties veritati pro qua ſatagimus atteſtatur, quoties in ſcripturis hortatur ad vouendum, quod fruſtra & abſurde fieret ſi ex voto nihil ad operis bonitatem internam accederet. Satis ab auctoritate inſtruximus veram ſententiam. Ratio cui auctoritas aperire ianuam debet iuxta D. Auguſtinum, l. de ord. multiplex profertur à Bellarmino, l. de Monac. cap.27. ſed ſufficiunt illæ quas ſanct. Thomas in hanc rem adhibet variis locis. Argumentatur enim D. Thomas, 2. 2. quæſt. 88. artic 6. opuſc. 18. capit. 12. & opuſc. 17. capit. 12. vt probet votum augere operis bonitatem & meritum, quia vouere eſt actus latriæ, cum quo actu opus bonum non poteſt non eſſe melius. Actus enim inferioris virtutis ſi imperetur à virtute altiore fit dignius ac meriti feracius. Religio autem (vnius fœtus eſt latriæ) eſt virtus ſuprema inter virtutes morales. Igitur opus bonum inferioris virtutis ſi à religione imperante profundatur, dignius erit ac meriti ferax. Deinde qui vouet plus ſe Deo ſubiicit non ſolùm quantum ad actum, ſed etiam quoad poteſtatem aliter operandi, qua poteſtate licitè aliter agendi, vltrò ſe ſpoliat propter Deum. Tandem vouens firmat voluntatem in bono. Atqui bene operatiuum cum ea firmitate ac veluti immobilitate voluntatis multo perfectius eſt vt Ariſtoteles, 2. Ethic. cap. 4. quoque notauit. Sicut è contrario male operari cum obfirmatione voluntatis in peccato, tetrius eſt: Vnde accenſetur peccatis in ſpiritum ſanctum quæ ſunt longe grauiſſima. Tricatur circa has D. Thomæ in rem noſtram rationes Ioannes Maior, in 4. d.38. quæſt.4. hanc vnam ſuam rationem ratus ſufficere. Quicquid boni eſt in actu bono abſque voto, reperitur pariter in eodem cum elicitur ex voto: Et præterea eſt aliquod aliud bonum quod oritur ex acceſſu voti. Igitur melius ac perfectius eſt agere ex voto. Admitto hanc Maioris rationem eſſe idoneam. Neque tamen abiiciendæ ſunt quas ex D. Thoma deprompſi. Nam quæ ad eas ſuccutiendas adducit Maior, meræ tricæ ſunt quæ citra extricationem per ſe euaneſcunt.

Non eſt prætereunda ratio à patentiſſimo incommodo. Nam ſi non eſſet melius, operari actum bonum ex voto; imo ſi eſſet inconſultum capi propriis ſermonibus, & irretiri vinculis ſibi propria voluntate iniectis vt Armachanus obtendit; fas eſſet omnibus clauſtralibus perfringere iugum & exoluere ſe ſe pedicis in quas ſe vltrò implicuerunt. Hoc autem dicere eſſet furentis, & obnoxiũ ſe reddentis fulminibus Eccleſiaſticis aduersùs Apoſtatas & conclamationibus apud omnes retro ſanctos creberrimis, vt monſtratum eſt in opere aduersùs Apoſtatas. Conſtringendus verò meritò fuit ille nuperus, [illegible] vt rectè dicitur in Actis ſanct. Stephani iunioris & in calce Actorum ſanct. Brunonis 1. Octobr. qui imitatus alium à Petro Damiani opuſc. 16. cap. 3. robuſtè caſtigatum auſus eſt omnes regulares concitare ad defectionem à Religioſo ſtatu vinculis votorum licenter & impudoratè perfractis per aggregationem abſque alia facultate ad Clerum ſæcularem: eo quod illa ratione conſerendi eſſent Hierarchiæ & tranſituri ad ſtatum perfectionis. Non eſt iſte qualiſcunque furor ſed rabioſus & conſtrictione veriùs quàm confutatione dignus. Poſſent tamen omnes clauſtrales huic ſatanæ ad nequitiæ vniuerſitatem incentori inhærere, non ſub illo inſano & prorſus deliro motiuo tranſitus in Hierarchiam & ſtatum perfectionis (ſcilicet), ſed ſub eo quod nunc excutimus, nempe euaniditatis votorum, ſi eorum nuncupatio nihil plus honeſtatis ac meriti contineret, vt garrit Armachanus.

PVNCT. VI.

Quam notam contrariæ ſententiæ inurere meritò liceat.

Notæ doctrinarum multiplices ſunt vt Theologi exponunt in Tractatione de fide ac locis Theologicis. Earum apicem tenet nota hæreſeos. Cui notæ ſubiungitur nota erroris, itémque nota temeritatis, præter alias minutiores de quibus diligenter in dictis tractationibus. Tres propoſitas damnabilis doctrinæ notas attingere, ſat erit ad rem præſentem.

Temeritatis notam impoſſibile eſt amoliri à ſententia Armachani & eius aſſeclarum, cum & omni auctoritatis præſidio ſit deſtituta & nulla ratione idonea muniatur, ſitque contra torrentem doctrinæ omnium ſiue Theologorum Scholaſticorum ſiue Moralium, ſiue Iuris Pontificij conſultorum vt ſupra diſtinctè perſpeximus, qui ſunt gemini doctrinæ temerariæ characteres. E contrario autem ſi vt Caſ-

ſianus

ſianus lib. 1. de Incarn. cap. 6. Sapientiſſimè dixit multum ac magnum eſt aliquid omnibus videri, maxima ſententiæ pro qua ſtetimus conciliatur auctoritas ex vnanimi ſuffragatione Doctorum omnium quos reprobæ doctrinæ ſuſpicio nunquam contaminauit. Hoc de Armachano tot circa doctrinam ſtribiliginibus deformato, & ad receptum in ſcholis & Eccleſia ſenſum conuellendum œſtro potiùs indignationis abrepto quam rationis impulſu, vt ſupra tetigi pronunciare non licet. Aſſeclæ verò Armachani ſuperpondio temeritatis grauantur. Nam in tam plena nunc luce veritatis, támque perſpectiore nunc Eccleſiæ ſenſu & doctorum per tot ſecula Armachanum ſubſecuta conſenſu, deflectere ad ſemitas non tritas multò reprehenſibilius eſt, grauiorisque temeritatis refertum. Negari itaque non poteſt quin nunc ſententia ex Armachano propoſita & à perpaucis eodem zelo amaro ductis recens propoſita, pertingat ad verticem temeritatis.

At non ibi ſteterunt cenſores idonei. Inſtar omnium poteſt, eſſe ſanct. Thomas opuſc. 18. cap. 11. qui agitans controuerſiam in qua verſamur, poſtquam multa in veritatis cui inhæſimus confirmationem adduxit, addit ei ſuffragari ipſam Eccleſiam, quæ indulgentias elargita eſt vouentibus certa vota, verbi gratia, peregrinationes ad ſubſidium terræ ſanctæ, quod Eccleſiam facturam fuiſſe negat niſi melius eſſet vouere quàm non vouere, ſubiungitque hæc concepta verba. [Patet igitur huiuſmodi poſitionem, (quod ſit melius bonum facere abſque voto quàm cum voto,) repugnare ei quod communiter Eccleſia tenet & ſtatuit. Vnde *& tanquam Heretica, reiicienda eſt.*] Quid hæremus? ſanct. Thomas idoneus arbiter huiuſmodi controuerſiarum, & quem vitæ integritas & Canoniſmus ſubducit ſuſpicioni malignæ, quod cenſuram adeò grauem ex incondito affectu aut inconſideratè tulerit, conceptis verbis affirmat doctrinam quam in Armachano & eius aſſeclis improbauimus eſſe, *Hæreticam.* Michaël Medina lib. 4. controu. 8. dixit eſſe hæreſim Lampetianam ita ſentire. Quæ verò fuerit hæreſis Lampetiana, negat Prateolus ſe reperire potuiſſe: Suſpicatur autem eam erupiſſe ſub annum Chriſti 1352. Sedente ad Eccleſiæ clauum Innocentio VI. & Carolo quarto Cæſare. Sed aberrat: Nam tanto anterior Damaſcenus hær. 98. Lampetianæ hæreſis à Lampetio quodam denominatæ meminit Sanderus Itaque, lib. 7. de monarch. hær. 228. Lampetianam hæreſim collocat anno Chriſti 679. rectéque admonet Eraſmum in vita ſancti Hieronymi, & proteſtantes votorum Monaſticorum hoſtes, Lampetianis eſſe annumerandos. Iure igitur ex hoc capite Armachanus audire poteſt hæreticus iuxta iuuſtam à Diuo Thoma notam, quæ non poteſt videri temere illata, imo ſeponendo colliſionem eius cum Eccleſia indulgentias vouentibus elargiente, nota prædicta ex principiis reuelatis & fide certis eruitur. Certum quippe eſt quod opus ex legitime concepto voto factum, ſanctum eſt & religioſa honeſtate collucens. Eſt item de fide opus bonum quod voto ſubſternitur, honeſtum eſſe ac meritorium ſi conditiones ad meritum requiſitæ interueniant, vt ſane plerumque interueniunt, verbi gratia, cum ieiunatur ex voto, ſecluſa omni circunſtantia indebita, & indebitis omnibus quæ ad ieiunium ſanctè exigendum deſiderari poſſunt. Lumine autem naturali perſpicuum eſt, duas bonitates ex fide compertas ſi ita concurrant in idem opus, vt vna alteram conneſtiat coaleſcere in ornamentum auctius operationis in quam concurrunt. Igitur quiſquis principia fide certa conuellit quibus hæc auctior operis ex voto eliciti dignitas, & vis meritoria maior aſtruitur, in fidei dogmata peccat, atque adeò eſt hæreticus. Accedit quod aſſertio reproba quàm exagitauimus nempe quod opus bonum ex voto factum non ſit dignius & meriti feracius quàm opus abſque voto elicitum; manifeſte colliditur cum ſanctitate vitæ religioſæ, votis tanquam baſilus conſtitutæ, eámque vitam deiicere ita vt non excedat vitam ſæcularem, honeſtè ſed abſque religioſo voti ornamento exactam, hoc ſapit hæreſim Iouiniani Patrum traditione; quod ad notam hæreſeos prædictæ Armachianæ aſſertioni inurendam eſt ſatis.

PVNCT. VII.

Parænesis ad non refugienda ſed vltro ſubeunda & iucundè retinenda votorum vincula.

IN hac meta iuuat admonere pias quaſque animas ne patiantur ſe blando ac pellaci ſimul & fallaci ſirenum cantu mulceri cum ingeminantes audiant libertatis exſolutæ dulcedinem & neceſſitatis voto iniectæ duritiem ipſi naturæ aduerſantem. Excipienda potius illa ſpiritus ſancti per Siracidem cap. 6. vox. *Iniice pedem tuum in compedes illius,* (probatæ de votis doctrinæ,) *& in torques illius collum tuum. Subyce humerum tuum & porta illa, & ne acedieris in vinculis eius.* Duplicem hic aduerto Spiritus ſancti admonitionem. Vnam ad libenter iniicienda ſibi votorum vincula, cum diuinus afflatus ad ea ſibi iniicienda impellit. Alteram ad ea non faſtidienda poſt iniectionem ſed reddenda fideliter & iucunde quæ Deo fuerint promiſſa, quorum vtrumque ægrè ſtaret ſi doctrina quam contra Armachanum & eius aſſeclas ſtabiliuimus conuelleretur. Nam quorſum emitterentur vota ſi nullum per ea acrementum honeſti accederet, nullum meriti apud Deum? Quorſum item votis ſemel emiſſis inſiſteremus, ſi friuolè fuiſſent emiſſa & nihil melius eorum executione inferretur? Deus quippè agens hic promiſſarium non acceptaret ludicram huiuſmodi penſionem atque adeò votum & eius perficiendi ac reddendi obligatio plenè concideret. At cùm, euerſo fundamento doctrinæ reprobæ, neutrum ſubſiſtat, iure ad vota & vltrò emittenda & cum gaudio exequenda ſtimulamus, quod vt fortiùs & amœnius fiat, prolatis ad vtrumque caput Patrum verbis exequi ſatagam.

Primum luculenter verſat Origenes, hom. 11. in Leuit. impellens fideles ad ſe Deo conſecrandos & per vota dicandos. Præmiſſa enim anima-

lis aut vaſis aut veſtimenti ſanctitate per conſecrationem conciliata, deſcendit ad hominis ſanctitatem, conſecratione conciliandam, excipiendo illum Dei impulſum, *ſancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Ait ergo Origenes. [Si quis ſeipſum deuouerit Deo, ſi quis nullis ſe negotiis ſecularibus implicauerit, vt ei placeat cui ſe probauit; ſi quis ſeparatus eſt & ſegregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus & mundanis negotiis obligatis, non quærens ea quæ ſuper terram ſed quæ in cælis ſunt, iſte meritò ſanctus appellatur. Donec enim permiſtus eſt turbis & in multitudine fluctuantium colluctatur, nec vacat ſoli Deo, nec ſegregatus à vulgo eſt, non poteſt eſſe ſanctus. Nam de eis quid dicemus qui cum Gentilium turbis ad ſpectacula maturant, & conſpectus ſuos atque auditus, impudicis & verbis & actibus fœdant? Tu ergo qui hæc audis cum lex diuina recitatur quem ipſius etiam ſermo Dei conuenit dicens, *ſancti eſtote quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Sapienter intellige quę dicuntur vt ſis beatus cum feceris ea, hoc eſt enim quod dicitur tibi: ſepara te ab omni non ſolum homine, ſed & fratre inquietè ambulante & non ſecundum traditiones Apoſtolicas. Separamini etenim (inquit) qui portatis vaſa Domini & exite de medio eorum dicit Dominus. Separate à terrenis actibus, ſeparate à concupiſcentia mundi. Omne enim quod in mundo eſt ſecundum Apoſtolum, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum quæ non eſt à Deo. Cum ergo ſeparaueris te ab eis omnibus, deuoue te Deo tanquam primogenitum vitulum. Non operetur per te peccatum, nec iugum tibi imponat malitia, ſed eſto ſemotus & ſegregatus, vſibus tantum ſacerdotalibus tanquam primogenitum animal mancipatus Segrega te, & ſecerne tanquam phialæ ſanctæ & ſancta Thuribula totius templi vſibus & Dei miniſterio vacans. Separa te & ſerua te ab omni pollutione, peccati & eſto ſemotus & ſegregatus intra exemplum Dei tanquam ſancta indumenta Pontificis. In templo namque Dei eſt ſegregatus ac ſeparatus ille qui in lege Dei meditatur die ac nocte, & qui in mandatis eius cupit nimis. *Sancti ergo eſtote dicit Dominus quia & ego ſanctus ſum.* Quid &, *quia & ego ſanctus ſum?* Sicut ego (inquit) ſegregatus ſum & longè ſeparatus ab omnibus quæ adorantur vel coluntur, ſiue in terra ſiue in cœlo: Sicut ego excedo omnem creaturam, atque ab vniuerſis quæ à me facta ſunt, ſegregor, ita & vos ſegregati eſtote ab omnibus qui non ſunt ſancti nec Deo dicati. Segregati autem dicimur non locis, ſed actibus; nec regionibus ſed conuerſationibus. Denique & ipſe ſermo in Græca lingua quod dicitur ἅγιος quaſi extra terram eſſe ſignificat. Quicunque enim ſe conſecrauerit Deo, meritò extra terram & extra mundum videbitur: Poteſt enim & ipſe dicere, ſuper terram ambulantes, conuerſationem in cœlis habemus. Salomon quoque in Prouerbiis dicit, laqueus eſt viro forti citò aliquid de ſuis ſanctificare. Poſtea enim quam vouerit, euenit pænitere: Et hoc eſt vtique quod dicit, ne quis fortè cum fructus ex area, aut vinum ex torcularibus colligit & dixerit, volo tantum offerre Eccleſiæ, volui vſum pauperum aut peregrinorum tantum præbere, ſi poſtea ex iis quæ vouet, aliquid ad vſus proprios præſumat, iam non de ſuis fructibus præſumpſit, ſed ſancta Dei violauit. Et ideo laqueus fortis eſt ſanctificare aliquid, hoc eſt vouere Deo & poſtmodum pænitentia ductum ad vſus proprios ea quæ conſecrauerit reuocare. Sed & ſi nos ipſos conſecramus & offerimus Deo aut etiam ſi alios vouemus, obſeruemus hunc laqueum, ne fortè poſt quàm nos Deo vouerimus, iterum humanis vſibus vel actibus ſubiugemur. Vouet autem ſe vnuſquiſque V. G. ſicut Nazaræi faciebant tribus aut quatuor aut quot placuiſſet annis, templo ſe conſecrantes Dei, vt ibi ſemper vacarent obſeruantes illa quæ de Nazaræis ſcripta ſunt, vt comam capitis nutrirent, nec aſcenderet ferrum ſuper caput eorum toto voti ſui tempore, vt vinum non contingerent neque aliquid ex vite, & cœtera quæcunque, donec completa fuiſſet voti profeſſio. Sed & alium quis ita vouet Deo ſicut Anna fecit Samuelem: ante enim quam naſceretur, obtulit eum dicens *& dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ.* Ex quibus omnibus clarum eſt, quomodo vnuſquiſque noſtrum qui vult eſſe ſanctus, conſecrari debeat Deo.]

Eiuſdem (vt ita dicam) ſaporis ſunt variorum Patrum cohortationes ad mundi contemptum & rerum fluxarum neglectum per ſeceſſionem à ſeculo. Qui enim huiuſmodi paræneſes admorunt, ferè ad capeſſendum religioſam vitam inducere propoſitum habuerunt. At religioſa vita ne homo facilè mobilis in ſuſcepto conſilio fluctuet votis voluntatem firmantibus conſtituitur. Itaque hortari ad huiuſmodi vitæ genus, eſt hortari ad vouendum. Eminet inter eas paræneſis Eucherij ad Valerianum cognatum ſum vernantiſſima adhortatio, ita vt dicat Eraſmus nullam eſſe in Dei Eccleſia floculentiorem ac vernantiorem lucubrationem: Epiſtola S. Auguſtini, 46. ad Licentium præ matris amore nutantem in conſilio de capeſſendis conſiliis Euangelicis, eodem pertinet, nec non epiſtola Sanct. Fulgentij ad Theodorum Senatorem vt & Petri Damiani aliquot ſcriptiones Aſceticæ, nec non aliquæ Laurentij Iuſtiniani.

Metricæ eiuſdem argumenti lucubrationes leguntur nonnullæ, vt ſanct. Paulini epiſtol. 46. ad Licentium Romaniani filium, intexta epiſtolas ad ipſum Romanianum, item ſancti Anſelmi repræſentata ad finem partis tertiæ Opuſculorum.

Ad concipiendum votum Virginitatis habentur multorum Patrum Paræneſes, vt Baſilij, Gregorii Nyſſeni, Ambroſii, Chryſoſtomi, & præclaræ Auguſtini in opere de ſanct. Virginitate cap. 30. E quo plagulam hanc decerpo. [Præſumite, fidite vt boni amici, permanete qui vouetis & redditis Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ non propter præſens ſæculum ſed propter regnum cælorum. Vos etiam qui hoc nondum vouiſtis qui poteſtis capere capite, perſeueranter currite vt comprehendatis. Tollite hoſtias quiſque ſuas & introite in atria Domini non ex neceſſitate ſed poteſtatem habentes, veſtræ voluntatis. Neque enim, ſicut non mœchaberis, non occides, ita, dici poteſt, non nubes. Illa exiguntur, illa offeruntur, ſi fiant iſta, laudantur, niſi fiant illa, damnantur.

nantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: In hac autem, ſi quid ſupererogaueritis, in reddendo reddet vobis. Cogitate quicquid illud eſt, in muro eius locum nominatum meliorem multo quàm filiorum atque filiarum. Cogitate illic nomen æternum. Quis explicet quale nomen erit? Quicquid tamen erit, æternum erit. Hæc credendo, & ſperando, & amando; potuiſtis coniugio non deuitare libera, ſed tranſuolare conceſſa.

Secundum caput propoſitum quod ſpectabat conſtantiam in voto ſuſcepto eiuſque obſeruatione; eſt egregia epiſtola Sancti Fulgentij Epiſtol. 1. præſertim à cap. 5. ad maritum qui vxore grauiter ægrotante conſenſerat in votum perpetuæ continentiæ; ea autem à morbo releuata nutabat contra voti obſeruantiam: Hæc quanta foret iniquitas ſi reſiliret & iuris, (aut ait) diuini inuaſor fieret, monſtrat Sanct. Fulgentius. Eodem collimat Petrus Damiani opuſc. 42. Duplici diſſertatione, vna ad Landulphum Clericum, altera ad Attonem cauſidicum fortiſſimè monſtrans quanta ſi iniquitas votum emiſſum non exequi. Sed pereleganter ac fortiter idem verſauit Sanctus Auguſtinus epiſtol. 42. & 45. ſcribens ad Armentarium & Paulinam coniuges. Quam Epiſtolam quod nihil habere ſtyli Auguſtiniani ſcripſit Eraſmus, næ ille admodum obeſæ naris fuit, cum nihil proferri poſſit Auguſtini fætum exquiſitùs referens. Et tanquam germana Auguſtini agnoſcitur à Poſſidio in Indiculo in Collectaneis ad 2. Corinthiorum cap. 5. Cogitaueram carptis varijs plagulis ex hac Auguſtini parænesi, maſtruoam hanc meam inoculare: ſed nihil viſum eſt abſque iniuria eorum quæ prætermitterentur ſeligi poſſe; & huc transferri. Itaque auctor ſum ſtudioſo cuiuis veritatis tanti momenti, vt totam Epiſtolam attente legat & conſideret, nihil alibi inuenturus concinnius ac validius in commendationem redditionis votorum Deo emiſſorum.

Sapienter porrò ac prouidè, ad penitiſſime infigendam votorum emiſſionem in pleriſque ſacris cœtibus inductum eſt, vt vota initio religioſæ profeſſionis emiſſa, ſubinde renouarentur. Quod Marinus Victorinus ad epiſtolam 48. ſanct. Hier. numer. 14. ſubobſecit factum in Monaſterio cui procus Sabinianus inſidiatus eſt. Hæc enim ſunt verba Hieronymi de diebus Dominicæ Crucis & Reſurrectionis & Aſcenſionis. [In quibus rurſum ſe in monaſterio victurum ſpoponderat.] Sanctus Ignatius Loyola parte 4. conſtit. cap. 1. §. 5. bis in anno renouanda vota præſcripſit iis qui per ſola ſimplicia vota non publica ſocietati abs ſe inſtitutæ conſerti eſſent. Nimirum ſub feſta Natiuitatis & Reſurrectionis Dominicæ. Idem ſanxerunt Tereſiani 1. conſtituto cap. 6. Faciendum ſub feſtum Epiphaniæ & Exaltationis ſanctæ Crucis. Semel duntaxat in anno hoc eſt die feſta Epiphaniæ ſuis id præſcripſerunt Clerici Regulares Minores. In die circuncisionis idem ſeruare hodiernos Præmonſtratenſes, habetur ex ſeruatio Lanel tomo 2. Catech. Nouitior. ſect. 90. referente eum pium vſum triplici Pontificio diplomate eſſe comprobatum. Nec mirum placuiſſe viris ſanctis eam votorum ſemel conceptorum inſtaurationem, cum olim in Eccleſia ex vſu eſſet celebrare quotannis feſtum ſuſceptionis Baptiſmi, eaque celebratione renouare aliquatenus eius ſuſceptionem. Qua de re plene actum eſt in tractatione de Cereo Agno conſecrato. Congruè igitur ſuſceptio Baptiſmi analogici, (Sic ſoliti veteres nuncupare emiſſionem votorum religionis vt notaui in opere de Apoſtaſia capit. 11. §. 9. & habetur quoque ex Theodoro Studita Catech. 100. & ex Pſeudo-Auguſtino ſerm. 70. agente cum Eremitis,) inſtituta eſt, ex iteratione frequentanda quotannis votorum nuncupatio. At ſanctus Franciſcus Xauerius, non quotannis duntaxat, ſed bis quotidie ſua vota renouabat, & vt ſub quotidianam meditationem idem præſtaret auctor fuit Ioanni Branio, Turſellino lib. 6. vitæ cap. 13. teſte, qui ab eo id habitum perfectionis conſequendæ inſignem modium prodit. A ſuis antequam ſe cubitum recipiant, idem ſeruari commendant ſummopere Clerici Regulares Theatini part. 2. conſt. cap. 1. Itaque votorum renouatio, & ſacramenti regularis militiæ veluti iteratio, ex more piorum eſt. Quid mirum cum Romanis militibus, iuramentum facta conſcriptione conceptum quotannis innouaretur calendis Ianuarij? Ita obſeruauit Lipſius lib. 1. de milit. Rom. dial. 6. ex Polybio lib. 1. Ab iiſdem Romanis in leges & Acta Imperatorum ſolitum quotannis concipi iuramentum ad firmandam fidelitatem auctor eſt Dio Caſſius lib. 47. hiſtor. Quæ de votorum Religioſos conſtituentium inſtauratione dicta ſunt, æque poſſunt ad alia pia vota accommodari.

Non eſt timendum ne frigeſcat aut tepeſcat votorum religione toties redaccenſa flamma pietatis ventilata renuntiationis veluti flabello, aut ne nutet vel vacillet in ſancta promiſſione qui eam noua quaſi mallei impactione in crucis ſuæ clauos penitius ſubinde infixerit. Obliuio item boni, frequens rubigo non obrepet circa promiſſionem Deo factam, quod maximè cauendum eſſe circa promiſſionem in baptiſmo Deo factam, vrgebat validè ſanctus Ambroſius lib. 1. de ſacram. cap. 2. & hic multo magis locum habet, vbi propriè dicta promiſſio interuenit non item in Baptiſmo, vt ſuo loco monſtratum eſt, p. 1. Heterocl. Et tamen de ea qualicumque promiſſione ſic ait Ambroſius agens cum Neophyto. [Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias; teneris aſtrictus, & reluctantem te fœnerator aſtringit; ſi recuſas, vadis ad iudicem atque illhic tua cautione conuinceris. Vbi promiſeris conſidera, vel quibus promiſeris, &c. Ergo chirographum tuum tenetur in cœlo.] Idem contingit vota renouanti, atque ita obliuio emiſſorum votorum excutitur: accedit veterni abactio & noui vigoris ad bonum reſumptio. Contingit enim proportione in hoc negotio quod Beat. Blandinæ in tormentis vt narratur in Epiſtola ad Aſianos apud Euſebium, 5. hiſtor. capit. 1. quoties enim iterabat fidei ſuæ profeſſionem, inclamans *Chriſtiana ſum*, toties nouo vigore roborabatur, ita vt quantumvis prioribus cruciatibus attrita, deterſo ad eam inclamationem repetitam omni mœrore

vegeta & alacris appareret. Idem contingit ſua vota renouanti. Ad hæc capita reducuntur quæ diffuſiùs in aſtruendo hoc inſtrumento pietatis, verſati ſunt Alfonſus Rodericus, tom. 3. tract. 2. cap. 8. & Benedictus Aphtenius, lib. 4. tract. 8. diſquiſ. 5. & 6. quos conſulant ſi qui paruitatem huius tractationis, minùs acceptam habent. Pro inſtituto enim ſat multa dixi.

Quod verò aliqui renouationi, votorum religioſorum, tribuunt abſterſionem reatus vniuerſi, ex opere operato, reiectum meritò eſt in opere de Apoſtaſia, cap. 11. §. 9. vbi etiam additum eſt, ſi emiſſio votorum facta fuerit in ſtatu peccati non reuiuiſcere amota, labe peccati, contra quàm vni cōpiam ſolitario viſum fuerat.

F I N I S.

Laus Deo & Beatæ Mariæ Virgini.

INDEX.

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
quæ in hoc volumine continentur.

A.

ABbas Caſtrorum. 212
Abbas inuerſa veſte incedens cur id egerit. 261
Abbates Mitram & Pontificalia ornamenta ambientes exagitantur. 424.
quibus hæc conceſſa. 425
Abductio nouitii an obliget ad reſtitutionem. 178.
Abitus ad ſuperiorem mediatum; an Apoſtaſia. 11.
Abiunctio à cognatione qualis eſſe debeat. 566
Abrahami exemplum de dilectione filiorum. 553
Abſtinentiæ ſingularis exempla. 312. & ſeqq.
Acediæ damna. 66
Achan imago Apoſtatarum. 134
Adam excuſatione euerſus. 159
Adam Paradiſo extruſus typus Apoſtatarum. 130
Adhegini B. effatum de ſollicitante ad malum. 175.
Adhortatio militum in bello an inegularitatem faciat. 225
Adoptio ſpecialis Religioſorum. 88
Adornatum regularium ſepoſitio cuiuſmodi ne eum indigenis degant. 502
Adulterium ſpirituale. 85
Adulteræ Hebreæ aſtutia. 642
Adumbrationes religioſi ſtatus. 20
Aduocatus eſſe non poteſt Eccleſiaſticus in cauſa ſanguinis 191. nec adeſſe Iudiciis de ſanguine. ibid.
Ædificatio Templi Dei curatio peccatoris. 180
Ædificij cœpta ſtructura per Apoſtatam. 110
Ægrorum ſubleuatio per Religioſos. 363
Aggreſſiuum bellum qui authores dicant prohibitum religioſis. 236
Aggreſſiuum bellum vetitum Eccleſiaſticis. 226
Canones & decreta Pontific. 217
Aichadri ad patrem ſuum allocutio. 164
S. Aigulphi perſecutio à falſis Fratribus 412. eorum ſors. 415
Alena Apoſtata diuinitùs deprehenſus. 159
Alexander Apoſtata. 38
Alienigenæ in domum non recipiendi olim & cur. 456.
Alloquia ſuorum crebra, in Religioſo improbata. 578.
Altaris ſanctitas 249. cur apud Hebræos ex lapidibus fierent ferro non ſectis. ibid.
Amandi S. Pater filio obſtans in bonis conſiliis, 175.
Amœnitas regionis tenue elationis ſupra alias fundamentum. 491. & 492
Amor externorum, quamvis alterius inſtituti Religioſis commendatur. 473
Amoris vniuerſalis nationum lex an ſeruata impoſſibilis tempore belli. 276
Amplitudo patriæ vera quæ. 534
Amplitudo dominatus vnius nationis, leue elationis ſupra alias argumentum. 489
Ananiæ & Saphiræ, vota. 109
Angeli Apoſtatarum qui eos iuuant. 179
Angeli boni quales cadente Lucifero. 169
Angelorum SS. purgatio & terror. 170
Angelis pares religioſi. 377
Animus reueniendi, an purget Apoſtaſiam. 6
S. Anſelmus gemit ſe è paradiſo Religionis extractum. 375
Anſelmi viſio de ſæculi ſordibus. 378
Anſfredus reſipiſcens. 143
Antiochenos ſolantur Religioſi dum ab Imperatore illis calamitas impendet. 366
Antiſtitum veterum gloria, in nupero Epiſcopo Maſſilienſi, redíuiua. 601
Apoſtaſiæ atrocitas ex Nazianzeno & Chryſoſtomo. 126
Apoſtaſia triplex. 2
Apoſtaſia an Græca vox an Latina. 1
Apoſtaſiæ atrocitas. 81
Apoſtaſia ſaltus pudendus. 64
Apoſtata lugendus. 139
Apoſtata cadauer myſticum. 93
Apoſtatæ reuenientes aliquatenus plectendi. 144
Apoſtatæ ad cor reuerſi. 160
Apoſtata in dies peior. 97
Apoſtatæ requirendi. 145
Apoſtatas dari non mirum. 12
Apoſtatæ quomodo retro reſpiciant. 108
Apoſtata accuſat religionem vt ſe tegat. 103
Apoſtata à Religione non niſi poſt vota. 3
Apoſtatæ veri poſt Chriſtum duntaxat. 23
Apoſtatæ regreſſi an habiles ad munia. 164

Apoſtatarum al; habetum. 52
Apoſtatis ſacerdotibus non expectanda Pontificia diſpenſatio. 153
Apoſtatæ, Mors ſubitanea. ibid.
Apoſtatarum caſus ſtantes confirmat, 51. bonum eſt piorum cœtuum. ibid.
Apoſtatarum caſus non eſt Ordini exprobrandus. 19.
Apoſtatarum Reductio grata Deo & qui in hac re laborauerint. 421
Apoſtoli fuere religioſi. 22
Apoſtolorum in nationem ſuam ſtudium. 445
Approbatio Religioſis neceſſaria ad Confeſſiones. 430.
Arctatio affectus ad vnam nationem putida & ſordens. 480
Ariani hoſtes Religioſorum. 407
Aries pietatis amor cognatorum. 175
Arma ferre, & quæ? prohibitum Eccleſiaſticis 194.
an ſeruari poſſint intra domus Religioſas. ibid.
Arma an poſſint ſeruari in domibus Religioſorum. 194.
Arma intra ſepta Eccleſiæ ferre prohibitum à Concilijs & Imperatoribus. 192
Arma ferre ſeculant plures SS. Epiſcopi & ſacerdotes. 234
Arma non tractare Eccleſiaſticos non minuit ipſorum authoritatem & bona. 238
Armarium vnguentum an effectum habeat naturalem. 368
Armacani Argumenta in Religioſorum vota 658 reſpondetur 659. cur fuerit infenſus Religioſis. ibid.
Arelatenſis clerus Othonem rogat pro Boſone Epiſcopi ſui percuſſore. 191
Arnaldus de Brixia, Apoſtata. 39
Arouanda Apoſtata. 29
Arundo vento agitata, Apoſtata. 98
Aſtutus in aſtutia deprehenſus. 607
S. Athanaſ. ſtrenuè in Arrianos pugnauit. 342
Atrabiliariorum deliria. 157
Auaritiæ origo ſæpè ſuorum amor. 549
Auenio contra hoſtes à Virgine defenditur. 607
Auerſio impudens, quæ. 153
Auerſio ab extera natione, vnde. 485. & ſeqq. an ex antipathia. ibid.
Auerſionum cauſæ inter nationes, nullæ legitimæ, præſertim Religioſis. 486
Auguſtinus circa libertatem Monachorum, expoſitus. 25
Auguſtini loca obſcura de votis explicata. 24
Auguſtinianorum Laus 418
Auguſtini an ſit Epiſtola ad Armentarium. 663
S. Auguſtin. Pelagianos debellauit. 342
Auguſtinus Maynardus Apoſtata à fide Romæ Ieſuitas aggreditur. 46
Auguſtini Marlorati Apoſtaſia & geſta. 49
Auiti S. hallucinatio. 1
Aulæ frequentatio, & rerum politicarum tractatio, quibuſdam Religioſis impacta, 520. Religioſos dedecet; 522. Omnibus periculoſa 526 Inutilis. 527
Aula à religioſo aliena. 10
Auſi dæmon exequiarum Lutheri curator. 44
Auulſio agglutinatorum, cum dolore. 176

B.

Balbarion Ioniniani diſcipulus. 29
Baptiſmus alter, profeſſio Religioſa. 113
Barachium Apoſtaſiæ. 103
Barba Aaron vnguento illita, quæ. 22
Barbari vnde dicti. 487
Barbaritatis notatæ quædam nationes. 499
Baſilides Luxuriæ Magiſter. 50
Beati gentem ſuam diligunt. 447
Beatricis Monialis Apoſtaſia, & curatio. 179
Belial filij qui. 1
Bellum Dei flagellum 252. animabus Purgatorij noxium. 253
Belli mala. 252. & ſeqq.
Bellum Religioſis aduerſus Mundum, peccatum, dæmones. 278. & ſeqq.
Bellorum cauſa, nationis amor. 454
Bella ſacris hominibus infeliciter cedunt 242 exempla. 243. & ſeqq.
Belli tempore quid agendum ſacris viris 231
Belli tempore Religioſis non orandum modo, ſed aliquando pugnandum. 219
Bellum aggreſſiuum & defenſiuum. 207
iuſtum eſſe poteſt & licitum Chriſtianis: ibid.
Bellicepi Religioſi Imaginem Religioſi obliterant reſurgunt ad vitam prophanam. 264
Charitatem trucidant. 265
Lædunt iuſtitiam, & Catholicam religionem. 267.
Hæc fieri per accidens ſtulta excuſatio. 269
Belligeri Eccleſiaſtici peccatum. 254
irregularitas, amiſſio immunitatis, cenſûs Eccleſiaſtici, ſuffragiorum. 256
An Papa diſpenſare poſſit vt bellum gerant, 257.
Belligeri Eccleſiaſtici à Patribus ſugillati. 231
Benedictio quid ſignificet. 211
Benedictiones variæ. 435
Benedictio & maledictio in factis potius quam rebus. 287
Benedictio in occurſu Monachi ab eo petita. 416.
Benedictiones Iacob cadunt in Religioſos. 434
Benedictiones celeſtes datæ Religioſis. 435
S. Benedicti Laus. 374
Benedictinorum Laus. 409
Beneficium Eccleſiaſticum denegatum à Principe Sueuiæ alicui ob veſtium indecentiam. 195
Beneficia Eccleſiaſtica quomodo renuncianda Religionis candidato. 576
quomodo poſt initam religionem. 577
an in fauorem ſuorum. ibid.
Berengarij hæreſis à Monachis impugnata. 343.
Berengarij immodeſtia. 56
Bernardi locus ex Roderico. 112
Bernardi S. labores contra Henricum. 40
Bernardinus Ochinus Apoſtata. 46
S. Bernardus detrectat imperatorem eſſe exercitus. 185.
Blaſphemus congruè mulctatus. 600
Blaſphemi nobilis, horrenda clades. 632
Blaſphemia in Trinitatem expiata. 627
Bleſenſis iudicium de votis Religioſorum diſcuſſum. 26
Bombardarum inuentio cuius & an laudabilis. 367

Bona parentibus impertiri ante ingreſſum Religionis bonum ne ſit. 325
Bona ante Religionis ingreſſum quomodo diſponenda. 575
poſt ingreſſum. 577
Bona è malis per prouidentiam. 166
Boni amici ſapor auctor. 168
Boni ob malos non culpandi. 385
Bonum & iucundum eſt, habitare in vnum. 472
Bonauentura ſoror ſanctæ Catharinæ Senenſis. 176.
S. Bonifacius Monachus germanos ad fidem conuertit. 339
Bonzij Iaponum. 381
Briuatenſes religioſi egregiè pugnant ad defendendam Eccleſiam. 218
Buccella intincta, cuius ſymbolum. 68
Bucerus Apoſtata. 45
Buchananus Apoſtata. 50

C.

Cadauer diu incorruptum. 602
Cadauer non incorruptum cur. 640
Cæcitas peccatoris. 181
Cœlorum Regnum bello Religioſorum comparandum 281
Cæleſtinorum Laus. 409
Cætonaphium Pythagoricum. 93
Cain nouus in animam ſimul & corpus graſſatus. 642.
Cain, imago Apoſtatarum. 131
Calamitas digna commiſeratione, quæ. 139
Caluiniſmi ac Turciſmi conſenſio. 44
Caluiniſmi & Lutheraniſmi nouitatis teſtimonium. 622
Caluinianus aſinino reditu in funere ſuo comitatus. 600.
Campanum per ſe ſonans. 616
Canis reuerſus ad vomitum, Apoſtata. 112
Canis cuius rei ſymbolum. 113
Canonicorum Regularium S. Auguſtini laus. 418.
Carnis domatio quam ſit difficilis. 315
Carnis cura in deſideriis. 74
Capella quid. Vnde dicta. 211
Captiuos redimunt Religioſi. 366
Carmelitanorum laus vera. 420
Carmina in nocte, Iobo quid. 156
Carolus Magnus munificus in Religioſos. 432
Carolus Magnus vetat Dominicos homines ad bella progredi. 238
Caroli Ianay pietas inſignis. 616
Carterij abſceſſus ad molliora improbatus. 12
Cartuſianorum laus. 409
Caſtitati quod ciborum genus noceat. 313
Caſtitati tuendæ inſeruiunt afflictationes corporis, manſuetudo, humilitas, otij fuga, &c. quæ omnia præſidia in Religione inueniuntur. 314. & ſeqq.
Caſus aliquorum, ſtantibus haud exprobrandus. 18.
Caſus quorum ſit. 19
Caſus magnorum, cur permiſſi. 170
Caſus puellæ ex loco abrupto innocuus cur. 606
alter ſimilis caſus punitus, cur. ibid.
Catharina à Born bis rapta, volens. 43
Catharina Vermillij ſcortum. 46
Catharina Senenſis, ad Apoſtatam. 156
Cautela bonorum ruentibus malis. 14
Characteriſtica veri & falſi Monachi. 56
Charitatis ſciſſura, Apoſtaſiæ prognoſticum. 65.
Charitatis perpetuum miraculum. 626
Charitas vinculum perfectionis, per quod anima coniungitur & adhæret Deo. 289
Charitatis variæ & illuſtres appellationes ex SS. Patribus deſumptæ. 290
Chirurgia prohibita Eccleſiaſticis. 190
Chorus cur non ſit in Societate Ieſu. 403
Chriſtus ipſe pax. ibid. & 198
Chriſtus cognatorum amorem probauit. 544
in contrarium difficultates quædam enodantur. 545.
Chriſtus inter cognatos non inuenitur ad inſtructionem noſtram. 557
Chriſtum gladium mittere inter cognatos, quid ſit. 555. & 556
Chriſtus exemplar militiæ Chriſtianæ. 280
præſertim Religioſis. 281
Chriſtus non arctauit amorem Apoſtolorum mandans ne in viam gentium abirent. 459
Chriſti in ſuam nationem amor. 444
Chriſti Apoſtatarum qui eos iuuant. 179
Chriſtianus Ethnicus, quis. 2
Chriſtianorum exlegum probra malè aliis tributa. 17.
Chriſtiani nomen tentat Iulianus mutare in nomen Galilæorum. 27
Chriſtianorum exlegum vitia reliquis tribuebantur ab Ethnicis. 17
Chriſtianorum nullus vllibi peregrinus. 459
Chryſoſtomi S. dolor ob caſum Pelagij 31
Cilicium, ferrei circuli, verbera, aliique varij carnis diuexandæ modi adhibiti olim à Religioſis. 317. & ſeqq.
Circumcelliones Catholicos non enſe ſed fuſtibus mactabant. 199
Circunſpectio ex caſu aliorum. 172
Ciſtercienſes Abbates conferre poſſunt Diaconatum & Subdiaconatum. 424
Ciſtercienſis Ordinis celſitudo. 6
Ciſtercienſium laus. 409
Clades ſacrorum cœtuum, ex nimio in patriam ſtudio. 453
Claræuallenſium laus. 409
Clauâ eliſi homines in bello, non enſe à quodam Epiſcopo. 199
Clauſtra caſtra. 186
Cluniacenſe cœnobium numeroſiſſimum olim & ex omnibus ferè gentibus. 471
Clementis à S. Maria conuerſio & vita. 641
Cœnobia quædam ex variis gentibus. 469. & ſeq.
Cogitatio de patria & frequentes de ea ſermones vitandi Religioſis. 533
Cognationis amor temperandus, 542
ex ſe honeſtus, ibid. prob. ex ſcript. & exemplis ſanctorum. ibid. & 543
Cognatorum amor quandoque malorum origo. 546.
Cognati hoſtes hominis. 175
Cognatorum ſuos à religione auocantium, culpa. 164.
Collegij Lugdunenſis conflagratio. 644
Collegia & Noſocomia pro gente ſua extructa. 448. & 449.
Comes Palatinus, Apoſtata. 39
Commentarij Pelagij in Paulum. 31
Commiſeratio erga proſtratos. 173

Commoda

Commoda à quorumdam caſu. 13
Concilij Andegauenſis Canon in Apoſtatas. 122.
Concionatoris horrendum exitium. 610
Concionatores Religioſi neceſſarij Parochis. 986.
Confeſſiones audiri poſſunt à Religioſis approbatis. 430.
Confuſio de peccato ſanatum decens. 168
Coniugium, ne ſtirps deficiat aliquando malum. 546.
Coniugia an intra eandem familiam, an inter externos inire præſtat. 479
Coniugiorum infelicitatis exempla. 624
Conſenſio animorum, quam neceſſaria Religioſis. 66.
Conſilium Euangelicum poteſt omitti abſque culpa. 3
Conſilia Chriſti ſpernuntur ob nimium in ſuos amorem. 550
Conſtans Apoſtata. 29
Conſtantinus presbyter collector homiliarum Chryſoſtomi ad Hebr. 23
Conuerſio peccatoris potior ſuſcitatione defuncti. 181.
Conuerti retrò poſt Satanam. Paulo quid. 106
Conuitia Apoſtoli de Cretenſibus expenſa. 500
Copronymus vexat S. Stephanum Religioſum. 412.
eius horrenda mors. 413
Copronymi, cruciatus. 177
Cras vox coruina, ruinoſa. 158
Credulitas ſtulta Bertarij circa ſororem mulierem. 610.
Crucis contemptor à culicibus vexatus. 628
Crucis contemptus, in muliere punitus. 603
Cuiates eſſent quidam rogati, ſe eſſe Chriſtianos reſponderunt. 461
Cultus diſparitas, auerſionum incentiuum eſt. 484.
Curatio Apoſtat. difficilis. 141
Cyrillus Alexandrin. pugnauit in Neſtorianam hæreſin. 342

D.

DÆmon hoſtis Religioſorum. 405
& hominum omnium. ibid.
Dæmon addictus ſeruitio latomorum. 163
Dauid repulſus à templo ædificando quia ſanguinarius. 248
Dauid Propheta, reſurgendi exemplum. 173
Dauid valetudinarium pænitentiæ. 166
Dauid de Botoun Cardinalis cæſus per Knoxum. 49.
Damnari malunt aliqui, quam ſuos hæreditate pingui ſpoliare. 549
Damnorum irrogandorum metus auerſionum fomes. 486
Decimarum penſitatio olim facta equitibus in Gallia. 428
Defectio qualis iniuria. 177
Defectio quorundam vtilis. 13
Defectus culpa vacantes, malè nationi externæ, exprobrati. 501
Deliquium cordis ante communionem quomodo à Nouitio curatum ſtultè. 609
Deſertor idem quod Apoſtata. 1
Deſiderius Eraſmus V. *Eraſmus*.
Deſperatio ſui ipſius per Apoſtatam. 102
Deſperatio extremum diaboli gaudium. 147
Detractio de religioſis ſcelus grande. 104
Deus anima hominis. 180
Dei gubernatio æmulanda ſuperioribus. 143
Deo fruuntur Religioſi. 375
Deipara in nationem ſuam ſtudioſa. 445
Deiparæ contra hoſtes tutela. 607
Diabolus, loquens per ſollicitantes ad malum. 139.
Diabolus porcinus totus eſt. 601
Diaconus Apoſtata reſipiſcens. 161
Dicacitas quibus nationibus exprobrata & an meritò. 498
Dies noſtri quatuor digitorum. 149
Diſformitas vitæ à fide apoſtaſia. 2
Dimiſſio è Societate Ieſu probata, ſi ſit moderata 403.
Diotrephes propter inhoſpitalitatem in externos, Epiſcopatu deponitur. 463
Diſcipuli Chriſti, cadauera humo mandare, & res cum ſuis componere prohibentur, cur. 556
Diſciplinæ laxatio, ne ſubditi dilabantur peſſima. 141.
Diſcurſationes noxiæ Religioſis. 58
Diſpenſatio tollit reatus & pœnas incurrendas. 258.
Diſpoſitiones ad Apoſtaſiam. 77
Diſſidia Religioni pernicioſa. 65
Diuites, vlmi vitis Religioſæ. 59
Doctores Eccleſiæ, ferè omnes Religioſi. 23
Doctores falſi, à D. Petro reprehenſi. 11
Doctrinæ iactatio quam vana. 138
Dolor peccati poſt ſanationem retinendus. 166 & ſeqq.
Dominatus diuturnitas vnius nationis in alias, leue eſt elationis fundamentum. 490
Dominicus in Albigenſes ſtrenue pugnauit. 343
Domni Apoſtatæ, ſupplicium. 116
Drepanitani templi luctuoſa ruina. 614
Duritiés erga lapſos, vituperanda. 144

E.

EBroinus Apoſtata. 33
Eccleſia templum pacis. 198
Eccleſia, Medicinæ ſtatio. 141
Eccleſia poteſt Apoſtatas punire. 110
Eccleſiarum Matricum contemptus non oritur ex frequentatione templorum Religioſorum. 387
Eccleſiæ diſpendium ex arctatione affectus in vnam gentem. 481
Eccleſiaſtici arma geſtare non debent. 193
an ſub pæna excommunicationis. 194
Eccleſiaſticus ſupremus Dominus temporalis indicere poteſt bellum & ei adeſſe. 209
Eccleſiaſtici militis probra. 237
in Ebroicenſem Epiſcopum ſcomma. ibid.
Ecebolij inconſtantia. 109
Effectus tetri Apoſtaſiæ. 97
Effuſio in externa, Apoſtaſiæ prognoſticum. 56
Effuſione oratio frigeſcit. 57
Effuſionem ſanguinis tametſi ſæpè innoxiam horret Eccleſia. 199
Eglon imago Ioniniani. 30
Electis ſeruit caſus reproborum. 171
Eleemoſyna nomine *operis* nuncupata. 299
Eleemoſyna ſumma, iuuare peccatorem. 179
Eleemoſynarum reſtrictio ex nimio in ſuos amore ſæpè oritur. 548
Eleemoſynas qui dederint Religioſis, & quam hoc

hoc Deo gratum. 422
Elias an Religioſos. 21
Elias quomodo Monachorum Pater. ibid.
Eliſæus ſuſcitans puerum, cuius typus. 145
Emancipatio ab Obedientia, cuiuſmodi. 9
Emmanuel Tremellius ſocius in Apoſtaſia Petri Vermilij. 47
Energumeni Dei, qui. 111
Enſis nudatus conſepultus Epiſcopis Herbipolenſibus in ſignum ſupremi Dominij & alibi in altari poſitus. 209
Epicurus Chriſtianus, Iouinianus. 30
Epiſcopus Armatus in ſolemni officio vbi. 209
Epiſcopus è religione aſſumptus, non eſt Apoſtata. 9
Epiſcopi vbi ſubditi Religioſis. 423
Epiſcoporum actus in Monaſteria cauſam dedere exemptionibus. 388
Epiſtola ad Demetriadem quibus tributa. 31
Eraſmus deteſtatur ſacerdotes milites. 241
Eraſmus, Apoſtata. 41
Eraſmus notatus circa vota in quatuor primis ſæculis. 24
Eraſmi querela de religionum deſertoribus, dictis Apoſtatis. 2
Eraſmi maledicta in Religioſos. 385. & 386
Errorum Pelagij ſumma. 32
Erubeſcendum de peccato dimiſſo. 167
Erubeſcentia improbanda quæ. 158.
Eſau, typus Apoſtatarum. 132
Eſſeni quinam fuerint. 303
Eſſeni duplices. 21
Eſpencæi de initio Monaſtices, opinio reiecta. 23.
Ethnicorum Arethuſiorum furor in Chriſtianas Virgines. 406
Ethnicorum veterum in ſuam nationem amor. 448
Ethnicorum ſacerdotes à bello abſtinebant. 239
Ethnicorum Religioſi. 21
Ethnicorum dicta, de neceſſaria à cognatis abiunctione. 568
Ethnici veteres quid de amore externorum ſcripſerint. 476
Eua Adamo, cognati religionem cogitanti. 175
Euchariſtia naulus eſt Chriſtianorum. 334
Euchariſtia Sacramentum pacis. 197
ſeruata intra columbam. ibid.
Euchariſtia, excepta virorum manibus. 27
Euentus non eſt certa nota rerum temerè aut iniuſtè ſuſceptarum. 245
Euerſor Apoſtatæ an ſe ſubrogare debeat. 178
Eunomius Epiſcopus bello hoſtes fundit. 216
Eunapius ethnicus oſor monachorum. 406
Euphraſiæ viduæ ab Auguſta, moleſtiæ. 164
Euprepianus Apoſtata. 37
Eutyches Apoſtata. 33
Eutychij Conſtantinopol. factum. 117
Eutichiani victi à Religioſis. 348
Excluſio probatorum, quæ. 27
Excluſio alienigenarum ab vrbibus vnde. 467
Excuſationes mortiferæ. 159
Excuſationes quærentium apoſtatare. 135
Excuſationes regreſſus per apoſtatam. 153
Exhæredari non debent qui inuitis parentibus Religionem ingrediuntur. 575
Ex communicatus non eſt percutiens clericum militariter veſtitum. 195
Excommunicati Apoſtatæ ab Clemente. 124
Exemptio Religioſorum iuſta & aliquando neceſſaria. 426
quid contra eam Petrus Bleſenſis. 427
Reſpondetur obiectis. ibid.
Exemptio Religioſorum antiqua. 388
qui ei obtrectant inimij ſunt Pontifici. ibid.
Exemptio à decimis conceſſa Religioſis. 427
quid contra eam Bleſenſis. 428
Reſpondetur. ibid.
Exempla quorumdam fortiter morientium, nullâ cognationis habitâ ratione. 564
Exempla etiamſi rara, vtilia. 163
Exequiæ Lutheri quales. 45
Exitio multati plures Religioſi ab impiis: varia exempla 398
Expoſitio ciuium in vna natione præ cœteris locum elationi ſupra alias non præbet. 493
Exſectiones inconſultæ. 635
Exteræ nationes amandæ. 454
rationes ex Script. ibid.
ex Philone. 455
Exterior homo, index interni. 56
Externis quamvis commodum nullum allaturis, debetur amor. 482
Externorum Religioſorum à publicis domus muneribus excluſio, qualis eſſe debeat. 505
eorumdem diſpar tractatio cuiuſmodi. 506
Ezechiel, Ieremias, prophetæ reliqui nationis ſuæ amantes. 444

F.

FAbula de Ochini Martyrio. 48
Facilitas reditus ad Deum. 148
Facinus barbari Turcæ iuſtè punitum. 633
Facultas exorata pro frequentanda aula Religioſis intuta. 526
Facultates abſoluendi à caſibus conceſſæ legitimè Religioſis. 425
Faſtidioſus Apoſtata 33
Ferdinandi II. Imperatoris virtutes: erga Religioſos munificentia. Seruatur à veneno: triumphat de hoſtibus. 433
Fermentum Geneuæ, liber Clariſſæ. 54
Feſto die bellare & Iudicare vetitum. 249
Filiorum à parentibus impeditio quanta culpa. 176.
Filiorum nimius amor malorum grauium ſæpè eſt cauſa. 548. 549. & ſeqq.
Flagellationis vſus perantiquus in Eccleſia. 317
Fœditas ſacrilegi cum cæde horrenda. 605
Fœlicitas Religionis. 375. & ſeqq.
Fœlicitas Religioſorum in morte. 435
Fœlicitas vnius nationis, vel damna ab illa aliis illata, auerſionum cauſæ nonnunquam. 485
Fons identidem manans, & exareſcens. 623
Fontebraldenſium Laus. 409
viri ſubiecti mulieri. 424
Fornicatio pro Idololatria. 203
Franciſci nomen vnde. 613
Franciſci Borgiæ Caritas in Ægrotos. 364
Franciſci Caminij Religioſi laici vita. 615
Franciſci Rabeleſij Apoſtaſia & mores 50
Franciſcus Suares, nomen duobus viris ſummis commune. 611
Franciſcus Buchanani 50
Fructus pietatis ex humana hiſtoria. 619
Fructus in proximos, fruſtra ſæpè ſperatus. 157
Fuga è carcere, an Apoſtaſia. 11
Fugitiuus & Apoſtata vt differant. 7
Fulguritus in flagranti delicto. 636
Fundatorum domuum Religioſarum qui catalogos

logos tenuerunt. 422
Furentes in ſuam gentem & Patriam improbandi. 541.
Furtum ſacrilegum Apoſtatæ. 87
Futurum pro præterito in Scriptura. 170

G.

GAllicanæ Eccleſiæ opes, argumentum maiorum pietatis. 617
Gaudium de abitu Apoſtatæ, quale. 146
Gelaſius Apoſtata. 39
Generalium Societatis Ieſu Caritas in Ægrotos externos. 364
Genius Charitatis diffuſus pugnat cum arctatione affectûs ad nationem propriam. 478
Gentes variæ in externos officioſæ. 475
Genuflexiones ſæpius in die à quibuſdam iteratæ. 320.
Georgius Buchananus, Apoſtata. 50
Georgius Monachus grauat Religioſos in Hungaria & eius mors. 414
Georgij Vicelij Apoſtaſia. 49
fingit ſe ſacerdotem Græcum. ibid.
Germani & Lupi monachorum virtus in defendenda vrbe. 216
Geruilio Epiſcopus Moguntinus occiſor illius qui patrem interfecerat quomodo habitus. 199
Geſtatio Reliquiarum, ſacræ Lanceæ aut crucis in bello. 211
Gladius ſpiritus Sacrificium Chriſtianorum. 276.
Gladij ſpiritus exſertio an ſola excommunicatio. 277.
eſt etiam verbi Dei exſertio. ibid.
Gloria Dei ex Religioſorum vita. 379
Gloria Eccleſiæ à Religioſis. 380
Gloria Ordinis Religioſi vnde. 587
vani gloriæ tituli. 588. & ſeqq.
Glycerius Apoſtata. 145
Græcorum ineptia de ſua ſapientia. 497
Gratiæ ſubtractio ob teporem. 66
Gratiæ ſubtractio, quantum Apoſtatæ malum. 101.
Gratitudo peccatoris ad ſe reuerſi. 166
S. Gregorius beneficus erga Religioſos. 431
quantum poneret in preſidio Religioſorum. 315
quomodo neophytos dixerit hæreticos. 165
Gregorius XIII. erga ſuos parcus. 432
puellæ pudicitiam periclitantem ſeruat numerata patri pecunia. ibid.
nepotem ſuum donat iis rebus tantum quæ antè pontificatum habebat. ibid.
Collegiorum fundator præſertim Societ. Ieſu ibid.
Gregorius ſextus perperam inſimulatus amati belli. 246.
Gualterus Apoſtata. 155
Guarini fratris S. Leodegarij cædes. 37
S. Guillelmus ad militiam reuerſus ſæculi viſo diuino rurſum conuertitur. 235
Gulielmi S. Pater, obiectus ad Apoſtaſiam illiciens. 174
Guillelmus V. Bauariæ dux amans Religioſorum Societ. Ieſu. Reuelatio de eius ſanctitate. 434.
Gula Caluiniani per feles multata. 630

H.

HAbitus Angelicus, id eſt, Monaſticus. 177.
Habitus non facit monachum. 6
Habitus Religioſi retentio, an purget Apoſtaſiam. 6. & 7.
Habitus abiectio vel tectio, quanta culpa. 8
Hæreditatis amiſſionis vel ad extraneos deuolutionis timor, malorum aliquando ſcaturigo. 547.
Hereditates dari Religioſis qui Imperatores vetuerint 393
Hæredis alieni excluſio, friuola. 176
Hereſis vel minima Hereticum facit. 241
Hæreſis ex fœminis prodit. 642
Hæreſis Neophytorum. 165
Hæreſes quomodò eſſe oporteat. 14
Hæretici, Apoſtatas Religionum auerſantur. 125.
Heretici hoſtes Religioſorum puniti. 413
Heretici regreſſi, an habiles ad gradus Eccleſiæ. 165.
Hæretici per ſuperbiam euerſi. 70
Hæretici ſuos reſilientes, dicunt Apoſtatas. 2
Hæretici hoſtes Religioſorum. 407
Hæretici à pace auerſi. 187
Hæretici facinus horrendum. 622
Hæreticorum ſtatuæ in latrinis. 45
Hereticorum miniſtri belligeri. 240
Haſtiludia Religioſis vetita. 196
Henricus Cardinalis Alcobaziæ Monaſterij reditus dimidit. 414
Henricum quartum imperatorem fingit ſe monachus Cluniacenſis. 417
Henricus dux Bauariæ Rex Germaniæ munificus erga Monachos. 432
Henricus Apoſtata. 40
Hermannus reſipiſcens. 145
Hermannus Apoſtata. 50
Hermengaudus reſipiſcens. 145
Hero Apoſtata correptus. 161
Hiel de bethel typus Apoſtatarum. 134
Hilarij locus emaculatus. 2
Hiſtoria Buchanani pernicioſa. 50
Hœdi iuxta tabernacula Paſtorum, qui. 99
Homonymia in profeſſione fidei. 629
Horæ Canonicæ vnde nam dictæ. 299
Hoſpitalitas Eccleſiaſticos præſertim decet. 462
eius laudes. 463. & 464
voto olim firmata. ibid.
Hoſtium profligatio an rectè petatur à Deo. 512
& vnde. 514
qomodo petenda. 515
Hoſtis in hoſtis exitium deteſtanda ſolertia. 624.
Hugo auctor lib. de clauſtro, quis. 10
Hugonis Apoſtatæ reſipiſcentia. 161
Hugonotorum, gallicè *Huguenots*, appellatio vnde. 631.
Humanitas in Apoſtatas redeuntes. 245
Humilis, Dei ſedes. 71
Humilitas perſeuerantiæ ſubſidium. ibid.
Humilitas ſanati à peccato. 166
Humilitas Angelorum, deiecto Lucifero. 170. & 171
Hyperbolicus Lutherus. 44

I.

IAcobi de Borbonio caſus 41
Iacobus Præpoſiti ſocius Lutheri. 45
Iacobus Hungarus Paſtorellorum dux Apoſtata. 41.
Iacobi Saleſij reliquiæ aſthmaticum curant. 620
Ianſenio reſtiterunt Religioſi. 345
& ſequacibus. 350
Iconomachi à monachis impugnati. 343
Ieiunio pugnare debet Religioſus. 275
Ieiunijs inſignes monachi. 312.& ſeqq.
Ieſuitæ nomen defenditur à ſuperbia obiecta. 402.
accuſantur ſingularitatis. ibid.
quid habeant diuerſum à cæteris Religioſis. 403.
accuſati ignorantiæ ab Arnaldo & Scaligero. 404.
dicti ab hæreticis Triarij Papæ. 401
omnis homo. 402
ab aliquibus temerè negantur religioſi. ibid.
dicuntur tu gere ſuperbia. ibid.
S. Ignatius Loyola induxit frequentiam Sacramentorum. 350
præcepit Profeſſis ſuis vt per dies.40. in rudium inſtitutionem incumberent. 348
S. Ignatius Loyola publicè abducebat meretriculas in portum ſalutis. 354
S. Ignatii iniuria vindicatur. 589
Ignatio theca ſanat mulierem. 616
ſanatio fœminæ per S. Ignatium. ibid.
Imaginationis maternæ vis. 611
Imago miraculoſa B. V. in vrbe Conſtantinop. 352.
Immoderatio pro gloria nationis frænanda. 495.
Immodeſtia, prognoſticum Apoſtaſiæ. 55
Immunitas Religioſis etiam apud Turcas & Ægyptios. 400
Imperatores vetantes ingreſſum Religionis. 397
qui Religioſorum preces expetiuerunt. 335
Impius probri ſui propheta. 625
Impunitas ſcelerum, damnoſa. 144
Incentor peccati, alter Satanas. 174
Incruenta victima in Eccleſia, monet ſacerdotes ad odium ſanguinis fundendi. 205
Indulgentia nimia parentum erga liberos, quale malum & vnde. 550
Indulgentia nimia, quam noxia. 143
Ineptiæ ſermonum de Nationis præcellentia ſupra alias. 497
Infamiæ pœna inflicta Apoſtatis. 122
Inficiatio ſuſcitationis Lazari per Chriſtum caſtigata. 635
Ingenij habetudo, proles luxuriæ. 621
Ingluuiei mala. 75
Ingratitudo Apoſtatæ in Deum. 81
Ingratitudo pro beneficio vocationis. 61
Inhabilitas Apoſtatarum, cuiſmodi. 122
Inhoſpitalitas apud Ethnicos rata. 477
Inhoſpitales quidam. ibid.
Iniuriæ diſſimulandæ potius quam vindicandæ. 617
Iniuſtitia Apoſtatæ in Religionem. 89
Inſititij cur dicti ſint, addicti, alteri nationi. 538.
item cur Panno fauentes. 539
eorum varij affectus. ibid.& 540
Interruptio ſacri quæ licita hoſte ingruente. 219.
exempla. ibid.
Inuaſores bonorum Eccleſiaſticorum peſſimi. 396.
Inuentor primus Fratriarum quiſnam fuerit. 356
Inuidia nocet inuido:exemplum. 606
Ioannes Baptiſta, an religioſus. 21
Ioa. Baptiſtæ cibus, quis fuerit. 638
Ioannes Balæus impurus Apoſtata. 51
Laudator Vuiclefi. ibid.
Baubator in Catholicos. ibid.
S.I.Capiſtrani egregia facta in bello contra turcas. 217
Ioannes Pizbram Huſſita deteſtatur ſacerdotes belligeros. 240
Ioannes Knox Apoſtata. 49
Ioannis Knox monſtroſa libido. ibid.
Ioannis Valentini votum. 4
Ioannes Præmonſtratenſis, Apoſtata. 41
Ioſephi Galeti Auenionenſis, mira cœcitas. 644
Ionas Deum contemnit propter ſuum in Patriam amorem immodicum. 450
Iordanis comparatio cum Apoſtata. 103
Iordani lenitas in Apoſtatas. 145
Iouinianus Apoſtata. 29
Irregularitatis Apoſtata quis. 2
Iſrael nomen variè expoſitum. 302
Ithacius & Idacius Epiſcopi Hiſpani damnati, ob occiſum impium licet Priſcillianum. 202
Iocundum de ingenio in omnibus aduerſante. 625
Iudas proditor, primus Apoſtata. 26
Iudæi conuerſi an repellendi. 164
Religioſos vexant. 407
Iudicij metus. 149
Iudicia præfeſtina 620
Iudicia Sapientum exquirenda. 136
Iugum Religionis leue. 155
Iuliani Apoſtatæ perſecutio in Eccleſiam. 27
Martyribus titulum illum inuidet, ibid.
ſcribit in Eccleſiam. ibid.
conatur ad Idolothyta adducere Chriſtianos 28.
Magicis dat operam. ibid.
laudes illi perperam datæ à quibuſdam Chriſtianis. ibid.
Iuliani Apoſtatæ mors tetra. 412
In exteros cura & amor. 476
hoſtis Religioſorum. 406
bis Apoſtata. 27
Iulianus Celanenſis, alius ab Apoſtata. 28
Iupiter *hoſpitalis* cur & vnde. 476
Iuramentum horrendum Regis Cypri. 267
Iuliani Rinothmeti & aſſeclarum deiectio. 15
Iuſtum violare grande malum. 391
maledicentiæ de iuſtis periculoſa. ibid.
Iuſtorum preces vtiles omnibus. 334. & ſequentibus.

K.

KAlendum *cauendum*. 355

L.

LAbes aliqua vnius nationis, auerſionem plerumque cauſat. 484
Lachrymis certandum Religioſo. 274
Læti mater, filio in virtute infeſta, Eua Auguſtino. 175

Lætitia de hoſtibus profligatis an rationi conſentanea. 513
Lamperius Apoſtata. 33
hæreſis eius. 661
Lancea Chriſti prælata in bellis Chriſtianis. 212
inſigne imperatorium. ibid.
quæ pars clauorum Chriſti in illâ incluſa. ibid.
Lapſi, reſtituti. 173
Lapſus magnorum, cur ſcripti. 171. & 173
Latro S. in Cruce Petrus. 151
Latro ex Monacho, reſipiſcit. 162
Laudes Eraſmi à Pontificibus, quales. 42
Laxatio diſciplinæ ne ſubditi ruant, indigna. 142.
Lecti diuities & humi cubatio frequens apud monachos. 321
Legalis apoſtaſia, quæ. 2
Legum Dei violatarum ; ſuſpiria. 139
S. Leo nonus an bellator reprehenſibilis 245
Leodegarij S. vexatio ac cædes, vnde. 37. & 53.
Lepra peccatoris, ſenſibilitate eum ſpolians. 181.
Lerinenſium laus. 418
Leuitarum exemplum Religioſis, de cognatorum dilectione. 553
Leuitas, Apoſtaſiæ prognoſticum. 58
Libertas Eraſmica reiecta. 24
Libertas cum votis cohærens. 25
Libertas Religionis ſæpè noxia. 259
Libertas ad votum requiſita. 651
Licentia extorta, cuiuſmodi. 11
Locus infeſtus ob maiorum iniquitatem. 636
Locuſtæ quomodo cibus Io. Baptiſtæ, 638
Longobardi crudeles in monachos. 406
Lotharingus cardinalis in Ochinum qualis. 47.
Lucernæ in Paſchate cælitus accenſæ. 152
Luciferi caſus, quomodo affecit bonos Angelos. 169.
Luctus auium & iumentorum in morte Stylitæ. 140.
Luctus Apoſtatam decens. 139
Ludi, torneamenta prohibita Eccleſiaſticis. 196
S. Ludouicus erga Religioſos beneficus: eius humilitas & virtutes. 433
adit Fr. Ægidium. ibid.
Ludouicus XIII. Rex Galliæ in Societatem Ieſu beneficus. 434
Lumbare putrefactum apud Ezechielem, quid. 110.
Lupæ artificium ſacrilegum. 603
Lutherus Apoſtata. 45
hyperbolicus. 44
Lutherus & Caluinus à Religioſis exagitatus. 343
Anti-Chriſto comparatus. 43
ſpurciloquus. 44
eius cubiculum Romæ mutatum in latrinas. ibid.
an Auguſtinianus. 45
eductionem monialium è Parthenonibus probat. 397
an filius incubi. 43
Lutherani & alij antè & poſt hæretici victi à Religioſis. 344
Luxuries in Chriſto, quid apud Paulum. 106

M.

Macedonianiſmus Eraſmi. 42
Machabæorum mater, dilectionis filiorum regula. 555
Magiſtri ſpiritus neceſſitas. 62
Magluco Apoſtata teter. 100. & 140
Magnitudo ac ſplendor patriæ, vanum gloriæ argumentum. 534
Mahumetes homo vaccinus. 54
Mahumetanorum myſtæ belligeri. 240
Mahumetani à Societatis Ieſu patribus exculti. 341.
Maledictiones parentum in liberos exitiales. 639
Malitiæ exortus, vnde. 13
Mali permiſſio, cur. 166
Mandij ſchema, quid græcis. 4
Marria deipara, quid pro beatrice Apoſtata. 179.
Mariæ cliens non petit exemplum. 609
Mariti demortui amor immmoderatus in vxore punitus. 601
Martani an arcendi à religione. 164
S. Martinus intrepidè reſpondet Iuliano illum accuſanti ignauiæ. 233
Martinus Bucerus. 45
Martinus Lutherus, Apoſtata. 43
Martyres dicti benedicti. 434
Martyres Soc. Ieſu apud Canadenſes. 340
Martyr recens apud Latobriges. 637
alius apud Turcas. 638
Martyres quantum Eccleſiæ exemplo ſuo profuerint. 336
Martyrium Religioſorum. 54
Martyrium ſubire quinam ſuos adhortati ſunt. 562 & ſeqq.
Martyrium Ochini an commentitium. 48.
Maſſiliæ templum S. Iacobi proſtratum. 614
Matrimonia cum Palæſtinis an vetuit Deus Hebræis, quid eſſent alterius nationis. 456
Medicinæ ſtatio, Eccleſia. 141
Melote quid ſit. 322
Mendicantes à templi arcendi. 393
Mendicatio Religioſorum non eſt otioſitas. ibid.
Mentiri Deo, quid. 107
Mercatorum Religioſorum pœna. 604
Merces reddita beneuolis erga Religioſos. 415
Metus cadendi, malè auertit ab ineundo ſacro ſtatu. 19.
Milites Religioſi ſine armis accedere debent ad Sacramenta. 193
Militares Religioſi an poſſint cum enſe & calcaribus accedere ad Sacramenta. ibid.
Militarium Ordinum inſtituta. 209
Militares veſtes prohibitæ à Conciliis viris Religioſis. 195
Militum horrenda ſacrilegia. 267
Militia togata. 226
Minimorum neglectus, cauſa ruinæ. 72
Miniſtri apud ſectarios, fere Apoſtatæ. 53
Minoritarum laus. 410
Miraculum Satanicum ingrati in Deum. 82
Modeſtia, veſtibulum bonæ domus. 56
Monachus Caſſinenſis Apoſtata rediens ad cor. 161.
Monachus prælatus ſæculari. 658
defenſio licita ſacerdotibus in bello vitiari poteſt quibuſdam circunſtantiis. 219
Monachi Apoſtatæ peiores omnibus aliis. 98

Monachi fictitij Hæreticorum. 382
Monachi petaces & circumuenientes ſexum imbecillem, coercendi. 393
arma ferre detrectantes pro Iuliano Apoſtata liberantur carcere ab Angelo. 234
Monachi ſimul & moniales annuos ac ratos cenſus olim repudiarunt. 305
Monachi nomen varie explicatum. 290. & ſeqq.
Monachi tradunt literas. 358
Monachi cum ſæcularibus & ſacerdotibus comparati. 369
adacti ad bellum à quibus Tyrannis. 186
Monachorum ſcandala. 384
Monachi Eutichetis hæreſim expulerunt & Monothelitas. 343
Monachi Britones occiſi in bello quo progreſſi erat ad Orandum. 236
Monachorum diſcurſationes exitiales. 58
Monachus illuſus, fit iudæus. 116
Monachus monomachus. 65
Moniales apoſtatantes. 53
Moniales ab initio Eccleſiæ. 22
Monialis Apoſtata reſipiſcens. 173
Moniales præ ignorantia probrum in ſe impactum fingunt. 612
Monita moderatoribus. ibid.
Monitoris conditiones. 349
Monodia peccatoris ex Chryſoſtomo. 139
Monothelitæ victi à Religioſis. 343
Mori pro patria, laudabile. 447
Mors Chriſti ex nimio Iudæorum in propriam gentem amore. 451
Mortis in Religione obitæ, fœlicitas. 149
Mortis ſubitatio, timenda. ibid.
Mortuos ſepelire mortuos, quid ſit. 556
Mortuorum ſynodides raræ. 608
Mortui Pythagoræ, qui. 93
Mortificatio carnis, ſacrificium & immolatio eſt. 301.
Morum diſſimilitudo auerſionum cauſa inter nationes. 485
Moyſes nationis ſuæ amans. 443
Mulier benefaciens, quæ. 169
Mulier pudorem cum veſte exuit. 8
Mulierum familiaritas quàm noxia. 76
Mulieris nequitia in viros duos. 610
Muſicarum notarum inuentio. 367
Mutus eſt peccator. 181

N.

NAtio pro *natiuitas*. 457
Nationis amor honeſtus. 449
Nationis propriæ ſupra iuſtum elatio improbatur. 502.
Nationum contemptus inter ſe vnde. 487
Naufragus mercator, typus peccatoris. 140
Nauigatio, vita. 172
Nazaræi Etymon. 380
Nectarius Apoſtata, 39
Negotiorum ſæcularium per Religioſum tractatio noxia & indecora. 578
etiam pro cognatis. 579. & 580
Negotiatur Deo, qui peccatorem conuertit. 180.
Negotioſus Religioſus, monſtrum. 10
Neophyti quomodò S.Gregorio hæretici. 165
Neophyti repulſi. 163
Neptem reuocans à ſancto propoſito, punita. 175.
Neſtoriani ab Religioſis impugnati. 343
Nicolai monachi Apoſtatæ reuerſio. 102
Nobilitatis iactatio, indigna in Religioſo. 138
Nobiles in ſacris cœtibus an recipiendi. 583
Nobilitatem ſibi affingere Religioſum dedecet. 584.
Noemus nationis ſuæ ſtudioſus. 442
Notarij munus periculoſum. 633
Notæ quædam in puello per matris imaginationis vim efformatæ 611
Nouati ambitio. 70
Nouiſſima peiora prioribus in Apoſtata. 98
Nouitius non poteſt eſſe apoſtata. 3
Nudipedes monachi. 320
Numerus puſillus, quatenus obſit aut proſit. 145.
Numeroſitas nobilium an Religioſum ordinem commendet. 588
Nuremberga ex infrequentia ſacramentorum degenerauit in omnia vitia. 351

O.

OBedientia virtutum omnium parens & radix. 326.
Obedientia compendium eſt perfectionis Religioſæ 327
Obitus horrendus perſonæ ſacro profanæ. 618
Oblocutiones improborum, deſpuendæ. 159
Obtrectationes & maledicta quomodo accipienda. 395.
Occultatio habitus Religioſi quæ culpa. 8
Ochinus quis. 46
Ochini ſcortum, lintearia. 47
Oculorum cuſtodia in ſacerdote ſacrum faciente neceſſaria. 639
Oecolampadius, Apoſtata. 48
Officium B. V. primi frequentarunt Caſſinenſes. 352.
Officia in peregrinos in Xenodochiis olim qualia. 466.
qualia nunc. 467
Ogerij exoratio S. Bernardo improbata. 31
Omnes prorſus amandi ex lege gratiæ. 457
Ex paulo nominatim probatur. 458
Opimitas regionis friuolum gloriæ ſupra alias incentiuum. 491
Oppoſita, iuxta ſe poſita. 17
Orandum eſt pro principe. 508. & 509
Orationis pro Rege explicatio ſecundum omnes partes. 510. & ſeqq.
Oratione certandum Religioſo. 274
Orationis clades per effuſionem ad externa. 57.
Orationes Eccleſiæ à quo augendæ vel minuendæ. 518. & 519.
Orationibus pugnant Chriſtiani. 230
Ordinarius paſtor & ſacerdos quis. 430
Ordinis proprij prælatio, quando mala. 585
expetenda vt ſit moderata. 586
an ex antiquitate & ſimilibus. 587
Ordinum fundatores, cœtibus ſuis amorem externorum commendarunt. 472
Ordo aliquis Religioſus an ſit ſine næuis an impeccabilitatem conferre poſſit. 591
Ordo cuique ſuus ſeruandus. 169
Organa Hydraulica quis inuenerit. 366
Oſculum ſanctum. 189
Non dabatur tempore paſſionis Chriſti aut in Liturgia defunctorum. 190

Oſculorum importunitas. 191
Oſtentatio cognatorum nobilium, ex cordis inopia. 583
Otho Epiſcopus Mediolanenſis Saracenorum ducem occidit. 226

P.

Pachomij conuerſio vnde. 461
S. Pachomij frigida hoſpitalitas excuſata. 362.
Pagani obfirmati ex pudore. 159
Pagani ſapientia. 5[illegible]3
Pallium Chriſtianum, pudefaciens diſcolos. 8
Papa legitime poteſt bellum gerere. 245
Papæ malè animati in Religioſos Benedict. XII. Ioannes XX. & XXII. Innoc. IV. 411
Papyrius Maſſonus Apoſtata Societatis, Ieſu illam exagitat ſcriptis. 402
Parabolæ quatenus aptandæ. 145
Paradiſus in hac vita, vbi. 155
Parænesis ad ſacros homines vt à bellis abſtineant. 250.
Parentum violentia vt liberos adigant ad Religionem reprehenditur. 420
formula parentum conſectantium filios Religioni. ibid.
Parentum congreſſum aſpectumque quinam olim ſolitarij reſugerint. 125
Parentum iniuria vindicata. 608
Parentes quatenus probare poſſint filios ineuntes religionem. 176
Parentes odio habendi, quando, quomodo. 545.
Parochialis ſacri auditio quatenus neceſſaria. 420.
Parochi tot animas ſine ope Religioſorum curare non poſſunt, & in id exemplum. 386
Patres, Catholicis venerabiles. 125
Patrum iudicium de atrocitate Apoſtaſiæ. ibid.
Patris nomen dandum Religioſis. 410
Patria Chriſti quæ. 536
Nazareth, an Betheleëm. ibid. & ſeqq.
Patria ſeruorum Dei cælum. 538
Patriæ & nationis amor moderandus ex Patribus. 450. & 451.
ex ſuo genere honeſtus. 529
vnde proficiſcatur. 530
moderandus. 531
Paulinus S. habitus inſanus Auſonio, ob contemptas diuitias. 392
Paulinus Apoſtata. 29
Pauli Samoteni typhus. 70
Paullonas Apoſtata. 28
S. Paulus peritus verbi Dei tractator. 348
nationis ſuæ ſtudioſiſſimus. 445
Mortem pro ſua gente optauit Paulus & quam. 446.
Paupertas Religioſorum laudabilis & glerioſa; veterum autem Philoſophorum turpis, vitioſa, & damnabilis. 302. & ſeqq.
Perfectiſſima eorum qui ne audeant quidem, aliquid ſuum dicere. 303
extingunt fomitem malorum omnium qui eſt diuitiarum cupiditas. 307
quæ maxima. 179
ei non aduerſatur, habere bona in communi. 305.
non in abdicatione ſolâ Dominij conſiſtit, ſed in victus veſtitus rerumque aliarum ſimplici ac paupere vſu. 305 & ſeqq.
Pauperum incuria vnde. 549
Pax Religioſi inter tot bella. 282
Pacis amatores Angelis ſimiles. 197
Pacis amans Eccleſia. 196. & 187
Pax bello præferenda. 198
Pacis euerſio ex immodico in gentem propriam affectu. 454
Pacis bona 251. & ſeqq.
Pax vobis olim ab Epiſcopis dictum initio ſacri & concionis. 188
Peccata vnius, toti religioni non imputanda. 385
quædam hic impunita. 115
Peccatum quoddam, pœna peccati. 94
Peccator mortuus, veræ vitæ ſuæ abſceſſu. 180
P. Pecquetti vita & obitus. 633
Pedes lauare, hoſpitalitatis officium. 474
Pegaſius Apoſtata. 39
Pelagij vita. 31
Pelagij errorum breniculus. 32
Peregrinos olim lubenter excipiebant Chriſtiani. 462.
in Xenodochiis quomodo. 466
Perfectio ſua prius quam aliena ſalus procuranda. 287.
Perfectionis ſtudium, etiam his temporibus, ardens in multis. 609
Perfidia Apoſtatæ in Deum. 84
Periculum amans, in eo perit. Exemplum. 603
Permiſſio Apoſtaſiæ, per Deum, quorum. 13
Permiſſio noui peccati, pœna prioris. 94
Perſecutio cœnobica an omnium duriſſima. 619
Perſeuerantiæ Religioſæ ſubſidia. 59
Peſte contactos ſubleuant Religioſi. 363
Peſtis bellum diminuit. 364
Petrus poſt defectionem, rector Eccleſiæ. 164
Petrus Vermilius Apoſtata. 46
Petri Cœleſtini S. naſcentis prodigium. 54
Petri Paradi, calamitas. 119
Petrus Marginet, ex Apoſtata Sanctus. 163
P. Cottoni pietas inſignis. 618
P. Bleſenſis cur Religioſum ſtatum ſuggillat. 657.
Phariſæi Religioſorum imagines. 21
Philoſophi Dei, Religioſi. 92
Pileus Doctoris, an monaſtico cucullo potior & illuſtrior. 632
Piſcina Religio. 57
Piſcis, immanis magnitudinis & molis. 617
Pipinus Rex antea monachus. 37
Platonis pro externis lex vnde. 475
Plinius, Scriptura ſacra Buchanani. 50
Pœnæ Eccleſiaſticæ, extimeſcendæ. 628
Pœnæ antiquæ Apoſtatarum. 121
Pœnæ Apoſtatarum à Deo, iam ex hac vita. 116.
Pœnæ cooperantis ad Apoſtaſiam. 178
Pœnæ particulares, Apoſtatarum. 124
Pœnæ quæ, ab Eccleſiaſtico tribunali imponantur? 205.
Pœnitentia lixiuio comparata. 323
Pœnitentiæ mira exempla. 318. 319. & ſequentibus.
Pœnitentiæ corporeæ in Societate Ieſu. 404
Pœnitentiæ ſpes fallax. 158
Pœnitentia feruentis peccatoris, acceptior languente iuſtitia. 163
Pœnitentia non mundans, ornat. 170
Pœnitentis oratio & modus ac ordo pœnitendi. 152.

Pænitentibus militibus olim arma adempta. 195.
Politicarum rerum tractatio & aulæ frequentatio Religioſos dedecet. 522
prob. ex patribus. 523
Poloni in ſacro enſes educunt. 192
Polygamiæ Buccinator Ochinus. 48
Pontifices munifici erga Religioſos. 423
Angeli pacis. 191
Pontificum aduerſantium Religioſis infelicitas. 414.
Potentia nationis, leue elationis ſupra alias motium. 490.
Potho accuſatus à falſis monachis quod ſuum principem non amaret. 271
Prædicatorum Ordo multùm debet Gregorio. IX. 423.
Prædicandi facultas data Religioſis. 429
Præpoſitorum auctoritas prætenſa. 456
Præſulum multitudo an ordinis gloria. 578
Præteritum pro futuro in ſcriptura. 169
Princeps proprius amandus à Religioſis & pro eo orandum. 272
Priuilegia Religioſorum non venditanda. 425
Priuilegia regularium pro Confeſſionibus, concionibus, ſuſceptione ordinum. 401
Procurator ſalutis humanæ, qui iuuat peccatorem. 180.
Prodigi exceptio per patrem, Apoſtatis aptata. 144.
Proditores caſtri Religionis. 78
Profeſſio quælibet, bonis & malis conſtat. 155
Profeſſio Religioſa, alter Baptiſmus. 113
Progreſſio ad Apoſtaſiam, inſenſibilis. 78
Proles ſuſcepta poſt parentis vtriuſque profeſſionem in religione, an legitima. 630
ſuſcepta ex coniugatis, ſed tamen in Religione profeſſis, an legitima. ibid.
Propalatio vitiorum non & noxia ſanctis ordinibus. 54
Prophetarum filij, Religioſorum typi. 21
Propinquos pauperes, vel ignobiles dedignari non debet Religioſus. 582
Propinquos egentes an fas ſit iuuare Religionis candidatis. 576
Propoſitum ineundæ Religionis à Deo eſt. 175
Proteus peregrinus, argumentum antiquæ Chriſtianorum Charitatis in exteros. 461
Protertiam facit Apoſtata, quomodo. 97
Prouidentiæ Dei exemplum. 614
Prudentia filiorum ſæculi fatuitas eſt. 296
Pſalmodiæ & precationis perpetuæ inſtitutio. 300 & ſeqq.
Pudor damnoſus, abiiciendus. 147. & 158
Puellæ nudæ monachus S. Benedicti obiectæ. 198.
Puerilis inſtitutionis momentum. 625
Pulueris Pyrij inuentio. 367
vnguenti armarij inuentio cuius. ibid.
Puerorum inſtitutio quanti momenti. 359
Purgatio Angelorum, pulſo Lucifero qualis. 169.
Purgatio bonorum ex labe malorum. 13
Puſillanimitas, Apoſtaſiæ prognoſticum. 54
Pythagoræi refugas diſcipulos, infamabant. 1.
Pythagoræ ſymbolum, *ne retrouertaris.* 93

Q

QVantitas nocumenti ſollicitationis ad Apoſtaſiam. 174
Quantitas meriti iuuantium peccatores. 179
Querela Eraſmi vana. 24
Querelæ de toto corpore ob vnius membri vitium quales. 17
Querelæ de malis in religione, depulſæ. 12. & 18.
Quidditas Apoſtaſiæ. 3

R.

RAdulphi Remenſis reſultus à voto. 4
Ragoberti S. cædes. 37
Raimbaldus miles, & alij ad pœnitentiam reducti ſpoliantur armis. 193
Raymundus Abbas vrbem bello egregie defendit. 217.
Receptio Apoſtatarum relapſorum quoties congrua. 147
Rectio ſuauiter fortis adhibenda. 142
Refuga idem quod Apoſtata. 1
Reges Religioſi ſunt. 100
Reges & Principes facti Religioſi. 417
Regreſſus ad Deum facilis. 148
Rei innoxij iniuſtum ſupplicium. 628
Religio Paradiſus terreſtris. 131
cœlum. 128
Religionis deſertionis cauſa. 641
Religionis ingreſſus inuitis parentibus an damnandus. 574
Religionis candidato quid cauendum. 573
Religionis iugum non importabile. 155
Religionis ingreſſum ſuadentes Deo grati. 411
nutantes in Religione firmare Deo gratum. ibid.
Sancti plures hoc fecerunt. ibid.
& Apoſtatas ad bonam mentem reduxerunt. ibid.
Religionis ingreſſus alter Baptiſmus. 425
adductus vlus antiquus. ibid.
Religionem Chriſtianam relinquere cogit aliquando nimius in ſuos amor. 551
Religionem ingredi filios prohibent parentes, & quare. 550
Religiones variæ, nota Eccleſiæ veræ. 382
Religioſi ſunt Martyres incruenti. 336
Religioſus ſtatus impugnatus à nupero Ep. 660
Religioſus ſtatus non anteceſſit legem nouam. 21.
Religioſi ſtatus, ſublimitas. 91
Religioſo in ſtatu præcipuè viget Charitas in Deum & proximum. 291. & ſeqq.
Religioſa vita, Militia. 85. & 278
Martyrium eſt. 336
Religioſæ vitæ aſperitates. 55
fœlicitas. 376. & 377
Religioſi Ordines quibus inſcriptum eſt nomen B. M. 353
Religioſam vitam qui encomio ornarunt. 418
Religioſus aſſumptus ad Prælaturam quomodo teneatur ad votum obedientiæ Paupertatis abſtinentia; & quid ſi excidat Epiſcopatu. 9
Religioſus negligens an melior optimo ſæculari. 370.
Religioſus eſt Thaumaturgus. 371

Religioſus. Aduocatus apud Deum. 246
Philoſophus Dei & domeſticus Chriſti. ibid.
Religioſus an in ſua Patria perfectus eſſe poſſit. 468.
iuſte gerere poteſt bellum defenſiuum. 215
an ceſſet eſſe nobilis. 392
an accuſari poſſit deſidiæ. 393
an auaritiæ. ibid.
à quibus Religioſi accuſati huius peſtis. ibid.
bonis operibus & perpeſſionibus beſtare debet à ſoli. 273
mundo mortuus. 570
intemperatè ſuos amans, ad ſæculum regreditur. 571
rore cœleſti priuatur. 572
Religioſi nomen quid ſonet. 375
Religioſo ignominioſum deſerere habitum tametſi fiat imperator. 29
Religioſi laici fatuitas, in quo. 609
Religioſum equitare maximè dedecet idque varijs probatur exemplis. 307
Religioſi eſt & domeſticos & externos honores conſtanter reiicere. 308. & ſeqq.
Religioſi excitant ad cultum Deiparæ. 351. & ſeqq.
per caſtitatem ipſis Angelis pares imò & ſuperiores euadunt. 309
multas Eccleſias B. V. inſcripſerunt. 352
omnem carnalem affectum erga parentes debent exuere. 314
Religioſi non boni, cadauera. 77
Religioſi, beati. 174
Religioſi quomodò piſces. 57
Religioſi à magnis qui ſunt in terra, honorati. 99
Religioſi ſeduiò tractarunt verbum Dei. 348. & ſeqq.
Religioſi tenentur genere bellum defenſium. 220
a ligi poſſunt per ſacram poteſtatem. ibid.
an per laicam. ibid.
non contrahunt irregularitatem. 221
reſpondetur obiectis. 222
etiam belli ductores eſſe poſſunt. ibid.
aſſiſtere bello aggreſſiuo poſſunt ſine pugna. 223.
Religioſi excogitarunt incentiua pietatis aduerſus Bacchanalia. 355
Religioſi, in expulſione à ſuis, martyrum ſuppares. 566.
Religioſi primi induxerunt fratrias Laicorum. 356
Religioſi cur tondeantur. 304
Religioſi dicti inſani mundo. 391
Religioſi Martyres, quomodo. 555
Religioſi, validè adminiſtrant Sacramentum pœnitentiæ. 350
Religioſi multum vtiles per Sacramenta. 349
Religioſi quando validè conferant Sacramentum confirmationis. ibid.
Religioſi mutire non audent contra opiniones domeſticas. 658
Religioſi prauas cupiditates inſigniter domant. 302
Religioſi aulicaſtri reprehenſi ab Eraſmo. 386
Religioſi adiutores Ordinariorum, ipſis valdè neceſſarij. ibid.
Religioſi è clauſtris educti ad militiam aut imperium exercendum. 210
Religioſi exemplo ſuo fructuoſiſſimi. 335
Religioſi accuſati ſuperbiæ, nouitatis vitæ, ſeductionis adoleſcentum. 394
Religioſi dicti homicidæ ſui ipſorum. 392
Religioſi militares fidem defendunt. 346. & ſeqq.
Religioſi in ſacros Antiſtites aſſumpti Eccleſiæ lumina. 347. & ſeqq.
Religioſi verbo & ſcripto literas promouerunt. 357. & ſeqq.
Religioſi ab Eccleſiæ initio. 281
Religioſi ſæculares. 16
Religioſi quam multi ſcripſerint de laudibus Deiparæ. 352
Religioſi habent bonitatem ab olliuam, qua primum in ſe perfecti, alios deinde perficiunt. 289
Religioſi ſeu Græci ſeu Latini qui fuerunt ſcriptores eximij. 360. & ſeqq.
Religioſi antiquitùs ordinario ſubditi. 387
nunc exempti iuſtas ob cauſas. ibid.
exemptio illa pluribus exemplis probata. 388
Religioſi olim Philoſophi appellati. 292
Religioſi præcellunt cæteris fide, ſpe, prudentia, & religione erga Deum. 293. & ſeqq.
Religioſi varij occiſi ab hoſtibus fidei. 398
Religioſi defendunt fidem contra Hæreticos. 341. & ſeqq.
Religioſi Eleëmoſynis miſeros ſubleuant. 363
Religioſi ſerui Dei. 379
Religioſi Therapeutæ, & Supplices dicti, quod diuino cultui & precibus imprimis addicti ſint. 297.
item Aſcetæ nominati ab aſſiduâ rerum diuinarum meditatione. 298
Religioſi an ducere poſſint ad libitum animas è purgatorio. 431
Religioſi viri fidem diſſeminarunt. 338. & ſeqq.
Religioſi montes ſuaueolentiæ Dei. 368
Religioſi multi alias ſine Choro. 403
Religioſi in vrbe aliqua bellum gerentes, an id potuerint. 260
Religioſi bellicrepi perſtringuntur. ibid.
inferunt ſæculum in monaſterium. 262
Religioſi externi quando excludendi & quando non excludendi. 503. 504. & 505
Religioſi veſte tenus. 17
Religioſi vtiles Reipublicæ tempore belli. 365
Religioſi accuſati molliùs habere carnem ſuam & indulgere genio. 395
Turbare rempublicam. ibid.
Religioſi exleges ſimulant ſæpè ſanctitatem. 384
Religioſi odio habentur ob vitam ſæculo contrariam. 389
Illis maledicere graue peccatum. ibid.
ſunt Chriſti Domini & cæleſtes. 390
ſunt lapides pretioſi. ibid.
eorum peccata leuia. ibid.
Religioſi Sabbathiſmum Marianum inuenere. 352
Religioſi inuenerunt vſum Roſarij. ibid.
Religioſi multas meretrices ad pœnitentiam adduxerunt. 354
Religioſi Pariſiis exagitati à Guillelmo de S. Amore & aliis. 411
Religioſi exleges creant inuidiam publicam toti ordini. 384
Religioſi Soc. Ieſu inducunt Religioſos ad frequentem vſum Euchariſtiæ. 351
Religioſi Indias fide initiarunt & Canadenſes. 340
eorum erga B. V. pietas. 353
Religioſorum cantus Angelicus. 299
Religioſorum induſtria ad amouendas occaſiones peccandi. 354. & ſeqq.
Religioſorum pretioſa ſupellex quantum à SS. Fundatoribus ſemper damnata. 306
Religioſorum eximia fortitudo in patiendo & agendo; vtpote qui martyres ſint & pugiles egregij. 361. &

301. & ſeqq.
Religioſorum perſecutores Ethnici puniti. 413
Religioſorum opera in ſchiſmaticis reducendis. 345 & ſeqq.
Religioſorum hoſtes puniti à Deo. 413
Religioſorum laus ex Laurentio Iuſtiniano. 382
Religioſorum præcellentia. 417
Religioſorum oſores aliqui ex fictis cauſis. 384
Religioſorum mercatorum infelicitas. 604
Religioſorum Hoſpitalitas erga egenos. 361. & ſeqq.
Religioſorum typi ante Chriſtum. 20
Religioſorum hoſtes, Valens Imperator, Conſtant. Copronymus, Henricus VIII. Anglus. Arnaldus de Brixia. Vviclefus. Eraſmus, Lutherus, Caluinus, Illiricus, Henricus Stephanus, Leunclauius. 408. & 409
Iuſtinianus, & Comes Matiſconenſis, & aliqui Eccleſiaſtici, & quid in religioſos egerint. 410
Antiſtites Religioſorum hoſtes, Armachanus, Samuel Dublinenſis, Robertus Caſtrenſis, Petrus Bellicenſis. 411
Religioſorum larua apud Ethnicos & quomodo eam Iulianus Apoſtata voluerit introducere. 381.
loci Primum in laudem Religioſorum. 418
Religioſorum inuidia ab ſacerdotibus Hierarchicis, quaſi falcem iniiciant in Meſſem alienam. 384.
Religioſis quando nam liceat adminiſtrare Euchariſtiam. 350
Religioſis dare Eleëmoſynam qui prohibuerint. 399.
Religioſis honor habitus olim in ſalutationibus. 416.
Religioſis eſt facultas audiendi confeſſiones tempore Paſchali. 429
Religioſos inſectantur Apoſtatæ ex eodem ordine. 411
Religioſos filios parentes non debent parte hæreditatis fruſtrare. 399
Religioſos frequentare vtile eſt. 422
qui eos tutati ſint ab hoſtibus. 423
Religioſos Dei Amicos & Sponſos qui amant ab eo amantur. 416
Religioſos decet amor in gentem ſuam. 449
intemperatus nocet. 450
Renata Francica, Ochini adiutrix ad exitium. 47
Renouatio ſacramenti in Baptiſmo facti quomodo vſurpanda. 663
Renouatio votorum. ibid.
Repulſa Virginis à Chriſto quo collimet. 557
Reſpicere retro apud Lucam quid. 4
Reſponſa Chriſti de matre, & fratribus ſuis, quæ fuerint. 558
Reſultus à nudo propoſito bono, culpa vacare poteſt. 4
Reſtitutionis obligatio ob euerſum Apoſtatam, religioni. 177
Reſtitutionis obligatio in Apoſtata, cuiuſmodi. 89
Retrahere ab ingreſſu Religioni grande malum. 396. & 397.
Romanorum de ſua eloquentia & Reipub. adminiſtratione, ineptiæ. 498
S. Romualdus matrem filium ſuum à Religione auertentem conuertit. 394
S. Romualdi in patrem ſuũ iuſta ſeueritas. 121. & 162
Roncelinus monachus Maſſiliæ vicecomes Apoſtata, excomunicatur & reſipiſcit. 162
Ruditus inſolitus Aſini in funere Caluiniani. 600
Ruinæ cauſa, defectus commiſerationis. 173

S.

Sacerdos ex Religioſo, Turcis adſcriptus Turciſmo immoritur. 604
Sacerdos latronis occiſor interdictus. 189
Sacerdotes in caſtris neceſſarij. 210
Sacerdotes frequenter olim ad bella procedebant, ex abuſu. 241
Sacerdotes adiuuare debent milites tametſi bella eſſent iniuſta. 213
Sacerdotes qui acceperunt diſpenſationem ducendi vxores. 257
Sacerdotij fucata reuerentia, humilitati aduerſans improbata. 627
Sacerdotij dignitas quanta ſit. 108
Sacerdotium qui humilitatis cauſa recuſarint. ibid.
Sacramenta adminiſtrandi facultas data Religioſis. 429.
Sacramentorum frequentia vtiliſſima. 350
Sacrariorum Germaniæ per Succos expilatio, quanta. 625
Sacrificij incruenti miniſter abhorreat à ſanguine & bello. 208
Sacrilega rei ſacræ profanatio. 87
Sæculares oſores Religioſorum qui neſciunt quare. 383.
Seculares Epiſcopi & Clerici aulam adire poſſunt, non autem Religioſi. 525
Seculares, veſte tenus. 169
Secularium, & religioſum obligationes verè eædem. 157
Seculi, & Sodomorum analogia. 133
Secularium virtutes aliquando maiores Religioſorum. 370
Sæculi miſeria & ſæcularium ſordes. 378
Sæui multi in ſuos, cum res tulit. 568
Salomonis ſæpè relapſi ſanctitas. 163
Sal infatuatum, Apoſtata. 107
Salis infatuatio myſticè. 109
S. Bonauentura author autor veſpertinæ ſalutationis Angeli ad pulſum Campanæ. 352
Sancti quidam aulici. 524
Sancti aliqui veteris teſtamenti, ſuæ nationi ſtudioſi. 442. & ſeqq.
aliqui in lege noua. 444. & ſeqq.
Sanctis iniurioſi aliqui, quia nimium nationis ſuæ ſtudioſi. 452
Sanctorum minutalia, apud Deum pretioſa. 613
Sanctorum inuocatio vtilis. 606
Sanctorum fœlicitatem poſſident in hac vita Religioſi. 374
Sanctimonialium exercitia ſancta. 333
Sanctorum alicuius ordinis multitudo an veram gloriam illi afferat. 590. & 591
Sanctimoniales ab Eccleſiæ initio. 22
Sanguinis effuſio non omnis reproba. 198
Sanguinis eſus cur Hebræis prohibitus. 204
Sanguinis fuſio impedit etiam laicos ab Sacramentis. 206
Sapor grauior boni deperditi. 168
Sapor boni, inſperatus reſipiſcenti. 83
Saprita, apoſtata. 38
Saraceni Religioſos vexant. 407
Sarmation diſcipulus Iouiniani. 29
Satanæ operatio in filius diffidentiæ. 111
Satan aduerſarius. 174
viſibiliter ſollicitans ad Apoſtaſiam. 175
Scalæ ad Deum variæ, religiones diuerſæ. ibid.

Scandalum Puſillorum ab Apoſtata. 83
Schema patrum quid græcis. 4
Schiſma primum, ex immoderato in nationem affectu. 452
Schiſmatici Hæreticorum confines ſunt. 345
Schiſma Donatiſtarum Eccleſiæ exitiale. ibid.
Photianum Græciæ vniuerſæ pernicioſum. ibid.
Æthiopicum per Andream Ouiedum Soc. Ieſu impugnatum. 346
Schola Alexandrina. 358
Schiſmaticus, qua entus Apoſtata. 1
Scomma in vanum Eccleſiaſticum. 610
Scriptoris boni conditiones. 360
Scriptorum illuſtrium copia an ordinem reddat aliis ſuperiorem. 589
Seceſſio à patria, Religioſis libenter acceptanda. 522.
Securitatis nimiæ damna. 72
Seductores qui olim dicti. 133
Senecæ liber cum Religioſo ſepultus, quomodo. 606.
Senſuum cuſtodia victûs parcitas, & abſtinentia à carne viris, Religioſis familiaris. 312
Sepulturæ in Religioſo habitu, vſus. 629
Sergius Mahumetis Magiſter Apoſtata. 34
Sergius S. Romualdi Pater ab eo tentatus. 12
Sergius alter ſub Copronymo Apoſtata. 34
Serica opera inuenerunt Religioſi. 367
an hoc inuentum laudabile. ibid.
Sermones de rebus nationis in Dei ſeruis antiquis compoſiti. 496
Seruitus apoſtatæ, excuſſo iugo. 103
Seueri Apoſtatæ vita. 34
Signa portendentia Apoſtaſiam. 54
Simiæ Religioſorum in Ethniciſmo, abiunctæ à ſuis. 569
Simeonis Stylitæ lenitas in Apoſtatam. 159
Simon magus collatus Apoſtatis. 134
Sinenſium potentia & amplitudo. 488
Sinenſium tormenta in Religioſos. 407
Sitis exitij noſtri, Satan. 15
Societas Ieſu abundat ſcriptoribus eximiis. 360
ex variis nationibus primum Lutetiæ coaluit. 471.
defenſa pro literis humanioribus, & opinionibus Theologicis. 404
quod ſit mollis & delicata in victu. ibid.
de Chriſto malè gentibus annunciato. ibid.
inſtituit Sodalitates. B. V. 357
Societatis Ieſu habitus cum cæteris ſacerdotibus communis cur. 403
cur biennalis nouitiatus. ibid.
Societatis Ieſu Religioſi, tametſi ad aliquod tempus, ſuarum facultatum dominium retineant, ex variis tamen Pontificum decretis verè Religioſi & pauperes ſunt. 304
Societatis Ieſu vota ſimplicia. 5
Societatis Ieſu laudatores. 420
Societatem Ieſu qui defenderint. 401
in eam inſectationes. ibid.
Sodalitatis Parthenicæ regularum libellus in incendio illæſus. 617
Sodalitates Parthenicæ in Soc. Ieſu. 405
Solutio votorum non ſemper tota. 12
Sophiſtæ acuti ſed improbi vnde. 113
Sordes aliquando ſuperbiam fouent. 56
Spectrum Lugduni viſum. 609
Spes variis illuſtrata nominibus. 293
Spudæus monachus. 568
Spes inanis maioris quietis. 156
Spurcitiæ horrendæ per errorem inuincibilem innoxiæ. 604
Statua Babilonica typus Apoſtatæ. 79
S. Stephanus malè habetur ob adductos ad Religionem adoleſcentes. 394
Stephani S. iunioris vitæ, quis author. 34
S. Stephanus Rex Epiſcopatuum & bonorum Eccleſiaſticorum authoritatem habuit à Pontifice. 423.
Stirpis defectio, qualis prætextus. 177
Stuprator ſacrilegus præda diabolo & corpore & anima, datus. 636
Suaſor Apoſtaſiæ ad quid teneatur. 177
Suffocatorum abſtinentia ab Apoſtolis imperata quomodo intelligenda. 204
quandiu viguit in Eccleſia. ibid.
Suorum nimius amor, nominis eiurandi in perſecutione cauſa. 547
etiam in pace. 548
Supellex vniuerſa cœnobij ſacra. 87
Superior locum Dei tenet. 62
Superior mediatus adiri poſeſi. 11
Superior regendo, Deum exprimat. 143
Superior ſacræ familiæ vicarius Dei. 327
Superiorum quoad res conſcientiæ directio quam vtilis Religioſo. ibid.
Superiores Religioſi culpabiles ſpiritum bellicum in ſubditis tolerantes. 270
Superioribus coniungendus Religioſus. 61
Superbia clades perſeuerantiæ. 69
Superbia ſub humili habitu. 56
Superbis Deus reſiſtit. 172
Supercertatio quæ Religioſis licita. 273
Supplicus reorum intereſſe vetitum Eccleſiaſticis. 203.
Sus lota denuò in luto. 113
Suſcitatio à morte peccati cur non miraculum. 181
Suſpendioſi ſubleuatio à Deipara. 619
Syneſius bello rem gerit contra barbaros. 216
Synuſioſis Eutycheus. 33

T.

Temperatio amoris cognatorum laudatur. 552.
Temperatio amoris erga cognatos qualis eſſe debeat ex Patribus. 558. 559. & ſeqq.
in Religioſis qualis. 570
Templa & ſumma religio Deiparæ Auenione. 607.
Templa Dei viua, Religioſi. 180
Templorum pollutio ab homicidio. 249
Templorum profanatio quantum ſcelus. 177
Tempora in ſcriptura confunduntur. 169
Temporis damna. 66
Terror Sanctorum mentibus malis. 170
Terror vanus quaſi à redeunte defuncto. 612
Theodoſius fuſo ſanguine impij Eugenij abſtinet tamen poſtea à Sacramentis. 206
Theologia à Religioſis prætertim tradita. 357
Thodorus Mopſueſtenus Apoſtata. 29
Tereſiana Virgo Deo acceptiſſima. 589
Tiburtij S. de Torquato Apoſtata, præſagium. 56
Timor caſuum minuendus. 156
Timor extremi iudicij. 149
S. Thomæ Aquinatis conſtantia aduerſus parentes à Religione auocantes. 396
Thomæ Abbatis factum inconſultum. 116
Thomæ Mori Sapiens monitum Eraſmo datum. 42.

Thomas

Thomas Hurtado accuſat Ieſuitas mollitiei in oriente. 595
Torquati Apoſtaſia à fide. 81
Tradi brachio ſaculari quid de Eccleſiaſticis 190
Tranſitus ad alium ordinem abſque licentia, an Apoſtaticus. 6
Tranſitus ad Religionem arctiorem non eſt Apoſtaſia. 5. & 6
Trinitas Theologorum apud Græcos. 360
Turcarum precandi formula. 352
Turcarum monachi. 381
Turciſmi & Caluiniſmi conſenſio. 44

V.

VAgi Monachi, prætextu fructus. 258
Valdeſius Vermillij faſcinator. 46
Valetudinis & corporis cura in Religioſis damnabilis eſt. 316.& ſeqq.
Varietates in ſponſæ veſtibus quid ſignificent. 457.
Venatio prohibita Eccleſiaſticis. 195
Venatio germana militaris artis. ibid.
eſt proluſio militiæ. 196
Venceslaus à Pontifice habuit ius Mithræ defendæ. 413
Venenum propinatum Religioſis S. Mauritio S. Popponi, P. Peletario, & P. Chriſtophoro Clemenſono Soc. Ieſu. 398
Venus duplex Vulgaris & Cæleſtis. 441
Verbi diuini tractandi duplex ratio. 348
Veſtarum continentia non fuit vera. 329
Veſtis quæ prohibita Eccleſiaſticis. 195
Veſtitûs ſetoſi aſperitatem docuerunt primi parentes ſcabris ficûs foliis induti. 322
Vexatio à falſis fratribus, in cœtibus frequens. 506.
Via ſemitæ, qualis. 95
Via Angelorum quando clauſa. 170
Victoria de hoſtibus Paganis & Chriſtianis quomodo petenda. 514. & ſeqq.
Vilitas patriæ vnde petenda. 536
ob eam non eſt erubeſcendum. ibid.
Vincentius Carafa tempore famis ſubleuat languentes. 365
Vinualoſi S. Pater obſtans filio. 176
Viretus Lugdunum ab Hæreticis vocatus vocatus. 48.
Virgæ nomine quid in ſcripturis intelligatur. 519
Virginitas an à Deo reparari poſſit. 397
Virginitas irreparabilis. 152
Virginitatis voti adhortatio. 662
Virginum quarundam lapſus, aliis innoxius. 20
Virginum violatio & quarundam ingenioſa facta ad tuendam caſtitatem. 397
Virgo monialis ob pudicitiam energumena, liberata quomodo. 622
Virtutis facilitas. 255
Vis extra materiam iuſtitiæ non iniuria. 177
Vitalis admirabilis induſtria in mulierculis è cœno peccati abducendis. 354.& ſeqq.
Vitulus ſpecie Monachi, ad ortum Lutheri. 54
Vltione in regredientes ante emiſſa vota. 4
Vnitas nationum à Gerſone curata. 473
Vota Religioſorum inconſulto ſuperiore. 652
communitatum quatenus obligent. ibid.
Religioſa quando nuncupari cœpta. 329
à B. Virgine & SS. nuncupata. 654
facta Sanctis. 655
ſimplicia Societatis Ieſu defenſa. 403
in ſæculo emiſſa euaneſcunt per ingreſſum in Religionem. 425
vt capeſſantur adhortatio. 661
ab Apoſtolis emiſſa. 22
non tollunt Religioſi libertatem. 25
religioni ſubſtantialia, quæ. 4
Voti ſolutio per ſuperiores Religionum. 8
materia bonum & melius bonum. 653
excellentiæ rationes. 660
Voti contemptoris punitio. 633
Voti conſtantia. 662
Voti & propoſiti diſtinctio. 650
Votis quæ videantur aduerſari ex Patribus & ratione. 656.& 657
Votorum Religioſorum bonitas & perfectio. 330 & ſeqq.
ſanctitas. 662.& 655
vis ad contemptum Mundi. 662
renouatio in quibus Religioſis cœtibus in vſu eſt. 663
neceſſitas non tollit meritum. 378.& ſeqq.
Votorum exſolutio extorta, cuiuſmodi. 12
Votum quid ſit. 649.& 650
ſimplex poſtea profitendi, licitum. 4
ſimplex quomodo à ſolenni diſtinctum. 650
de euitandis omnibus venialibus quale. 652
Votum non addere operi bonitatem, qua cenſura configenda ſententia. 660
Votum caſtitatis coniugalis in morbo conceptum & poſtmodum violatum quomodo habendum ex S. Auito. 153
Votum addit operi meritum. 659. & ſeqq.
Vſura, patricidium. 135
Vſuram capi ab externis, an permiſit Deus Hebræis, propter odium in nationes exteras. 456
Vtilitas à quorundam defectione. 13
Vtilitas à Religioſis per preces. 334. & ſeqq.
Vxor Loth imago Apoſtatarum. 132.& 109

X.

XEnodochia pro ſua natione fundata. 448
pro externis. 465

Z.

ZElus animarum & fructus quantus à Religioſis. 435.
Zeno Diaconus Ticinenſis Tyrannum Alahi bello occidit. 216
Zoſimi Hiſtorici calumniæ in Religioſos. 406
Zorobabel myſticus, quis. 180
Zuinglius congreſſiones cum Catholicis fugit ſemper. 48

FINIS.



620759

H 53.

Digitized by Google

Digitized by Google